837. » **10.** Statuit, ut moniales monasteriorum S. Catharinae, S. Clarae Nurimbergen. et de Pillenreut nonnisi sub certis conditionibus transferri possint.
838. » **13.** Marcum de Ferentino, O. F. M., instituit vicarium provinciae Romanae.
839. » **16.** Angelo Dominici de Zucharis de Assisio, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
840. » **19.** Bona ad monasterium S. Bartholomaei, Anconitan., spectantia assignat domui S. Mariae novae, sororum III O., Anconitan.
841. » **26.** Mandat inquisitionem et relationem de querelis sororum III O., domus S. Iohannis, Tudertin., contra ministram generalem.
842. » **30.** Dominico de Montegambaro, O. F. M., confert ecclesiam S. Sebastiani de Podio filiorum Ugonis, dioec. Reatin.

Anno 1445.

843. **Ian.** **2.** Domum S. Francisci Albinganen., O. F. M., assignat fratribus de observantia.
844. » **4.** Bartholomaeum de Yano, O. F. M., instituit vicarium provinciae Orientalis.
845. « **4.** Eidem conc. facultates.
846. » **6.** Instituit procuratores conventus S. Mariae de Aracoeli de Urbe, O. F. M. obs.
847. » **6.** Fratribus O. F. M., domorum S. Mariae de Aracoeli et S. Francisci trans Tiberim, de Urbe, conc. indultum processus summarii etc.
848. » **7.** Monasterio S. Silvestri de Capite, de Urbe, O. S. Cl., conc. lic. vendendi territorium in loco Coldepero, dioec. Nepesin.
849. » **9.** Iacobo de Colle, O. F. M., conc. lic. recip. emolumenta e servitio capellae fortalitii Castri de Gualdo, dioec. Nucerin., provenientia.
850. » **9.** Monasterium S. Mariae de Basico, Messanen., O. S. Cl., eximit a solutione quartae partis.
851. » **9.** Antonium de Troia, O. F. M., instituit nuntium in regno Daciae, provincia Saxoniae aliisque partibus Germaniae pro expeditione cruciata contra Turcas.
852. » **12.** Eidem Antonio concedit facultates.
853. » **13.** Pro eodem Antonio petit salvum conductum.
854. » **13.** Collectoribus pecuniarum pro expeditione contra Turcas conc. facultates.
855. » **13.** Facultates Iacobo de Primaditiis et Francisco de Platea, O. F. M., concessas extendit ad totam Italiam.
856.[1] » **13.** Loca O. F. M. provinciae Orientalis in dominio S. Sedis suscipit.
857. » **18.** Petro de Corduba, O. F. M., nuntio in regnis Castellae, Legionis, Valentiae, Aragoniae, Navarrae, Portugalliae et Algarbiae, conc. facultates.
858. » **19.** Iohanni de Capistrano conc. fac. recip. 14 loca pro fratribus O. F. M. obs.
859. » **22.** Eidem conc. ampliores facultates.
860. » **23.** Fabianum de Bachia, O. F. M., instituit inquisitorem contra Hussitas.
861. » **23.** Cecco de S. Iohanne Rotundo et Roberto de Milano, O. F. M., nuntiis in regno Siciliae, conc. facultates.
862. » **23.** Iohanni Nicolai de Opavia, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
863. » **24.** Annullat divisionem vicariae Bosnae.
864. » **25.** Commendat Bartholomaeum de Fulgineo, Seraphinum de Sicilia et Laurentium de Panormo, O. F. M.
865. » **27.** Matthaeo de Regio, O. F. M., nuntio in provincia Apuliae, conc. facultates.
866. » **27.** Fratres loci S. Pauli, extra muros Bononiae, O. F. M. obs., eximit a solutionibus pro ecclesia S. Petronii Bononien.
867. » **27.** Dominico Laurentii de Urbe, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
868. » **29.** Fratribus vicariae Bosnae, O. F. M., conc. ampliores facultates.
869. » **29.** Fratribus provinciae S. Antonii, O. F. M. obs., conc. facultates pro cura fratrum et sororum III O.
870. » **31.** Easdem facultates conc. fratribus vicariae Bosnae, O. F. M. obs.
871. **Febr.** **1.** Francisco de Agropoli, O. F. M. obs., nuntio in provincia Terrae Laboris, conc. facultates.
872. » **1.** Seraphino de Sicilia et Laurentio de Panormo, O. F. M., conc. ampliores facultates.
873. » **1.** Fratribus O. F. M. obs., provinciae Bononiae et Romandiolae, conc. ecclesiam S. Laurentii, extra muros Caesenaten.
874. » **16.** Mandat, ut auxilium praestent Fabiano de Bachia, O. F. M. obs., in officio inquisitoris.
875. » **16.** Constituit iudicem in causa appellationis Titiae et Constantiae, III O., domus Viterbien.
876. » **24.** Conc. indulgentias pro ecclesia B. Mariae de Somlyó, O. F. M., obs., dioec. Transsilvan.
877. » **24.** Pro Antonio de Oculisnigris Iohannem de Lobet instituit ministrum provinciae Aragoniae.
878. » **24.** Monasterium S. Iohannis, Ianuae paradisi, castri Guillionisii, dioec. Termulen., O. Cartus. in domum O. F. M. obs. commutat.
879. » **27.** Henrico de Lanteriis, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
880. **Mart.** **4.** Antonio de Troia, O. F. M., praecipit, ut pergat ad loca commissionis sibi assignatae.
881. » **4.** Confirmat traditionem domus S. Mariae novae, Anconitan., sororibus III O. factam.
882. » **6.** Petrum Gualdonis, O. F. M., domus Burdegalen., ad O. S. B. transgressum, absolvit a censuris.
883. » **8.** Fratres O. F. M. obs., domus Tenen., dioec. Leodien., reducit ad obedientiam Iohannis de Mauberto.
884. » **9.** Confert beneficia vacantia per ingressum Iohannis Roderici de la Camera in domum Hierosolymitan., O. F. M.
885. » **11.** Committit causam inter Petrum Andreae Mauroceno et Iohannem Carboldo, O. F. M., de prioratu Nigripontis, O. Crucif.

[1] Vide infra *Addenda*, n. 1820, sub die 16 ian.

Anno 1445.

886. **Mart. 13.** Collectoribus pecuniarum pro expeditione contra Turcas conc. facultates.
887. » **13.** Iohannem Praepositi de Parisius, O. F. M., instituit poenitentiarium in basilica S. Petri de Urbe.
888. » **14.** Iohanni de Tonsis, O. F. M., electo Fanen., conc. fac. recip. consecrationem a quocumque episcopo catholico.
889. » **18.** Iohanni Anglada, O. F. M., conc. lic. remanendi in O. S. Ben.
890. » **20.** Conc. indulgentias pro domo S. Francisci de Milicfarna, O. F. M., dioec. Clonferten.
891. » **24.** Declarat monasterium S. Guillelmi extra Ferrariam, O. S. Cl., non esse liberum a solutione decimae ratione certarum possessionum debitae.
892. **Apr.** **3.** Stephaniae Iohannis de Sangro, O. S. Cl., Aquilan., conc. licentiam transeundi ad monasterium O. S. Ben., Aquilan.
893. » **3.** Conc. lic. erigendi domum III O. in certis terris dioec. Conoren.
894. » **12.** Matthaeum de Regio, O. F. M., instituit inquisitorem in regno Siciliae citra Farum.
895. » **15.** Mandat inquisitionem de miraculis Bernardini de Senis, O. F. M.
896. » **16.** Fernando Falcon, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
897. » **17.** Vicario O. F. M. obs., provinciae Aragoniae, conc. fac. absolvendi subditos a reservatis.
898. » **18.** Commendat prioratum vacantem per ingressum Margaritoni Cherubini in O. F. M.
899. » **19.** Iubet, ut domus de Monte, de la Riçafa, de Constantina, de Villaverde et de la Rabida restituantur fratribus O. F. M. obs., et ut monasterium Ubeten., O. S. Cl., ad observantiam reducatur.
900. » **22.** Extendit facultates Iacobo de Primaditiis et Francisco de Platea concessas.
901. » **22.** Francisco de Platea, O. F. M. obs., conc. fac. praedicandi et alia privilegia.
902. » **22.** Revocat lic. recip. beneficium Francisco Dominici de Arimino, O. F. M., concessam.
903. » **22.** Ministro provinciae Apuliae mandat, ne se intromittat de loco Termularum, fratribus O. F. M. obs. assignato.
904. » **22.** De eadem re scribit Carolo de Campobasso.
905. » **23.** Mariae, Francorum reginae, conc. lic. fundandi domum O. F. M. obs. extra Parisios.
906. » **24.** Cardinales Tarentin. et Andegaven. instituit conservatores domus S. Mariae de Aracoeli de Urbe, O. F. M. obs.
907. » **28.** Extendit et ampliat facultates Iohanni de Capistrano concessas.
908. » **28.** Mariae, marchionissae Esten., conc. fac. ingrediendi clausuram monasterii S. Guillelmi, Ferrarien., O. S. Cl.
909. **Maii** **1.** Fratribus O. F. M. obs., custodiae Hispalen., conc. lic. recip. domos intra custodiam.
910. » **5.** Confirmat traditionem certorum bonorum a monasterio O. S. Cl., Cortonen., factam Petro, filio Petri Andreutti.
911. » **12.** Conc., ut 50 librae legatae pro aedificatione capellae in ecclesia O. F. M. de Caesena convertantur in constructionem librariae eiusd. domus.
912. » **12.** Nicolao de Rogeriis, O. F. M., confert ecclesiam S. Martinelli in Panarella de Urbe.
913. » **13.** Francisco Bartholomaei de Fighino, O. F. M., conc. lic. recip. beneficium ecclesiasticum.
914. » **18.** Fratribus O. F. M. obs., domus S. Catharinae de terra S. Petri, conc. lic. recip. ecclesiam S. Mariae novae de Racale, dioec. Neritonen.
915. » **21.** Iohannem de Bucharone, O. F. M., instituit episcopum Sagonen.
916. » **26.** Fructus monasterii S. Spiritus, extra civit. Regin., in domum O. F. M. erecti, assignat pro fundatione prioratus O. S. Aug.
917. » **26.** Approbat gesta circa professionem et iuramentum sororum III O., domus Ganden., dioec. Tornacen.
918. » **27.** Roderico de Onna, O. F. M., prorogat fac. praedicandi verbum Dei.
919. » **29.** Iubet pecunias e facultatibus indulgentiarum collectas deponere apud mercatores societatis de Medicis.
920. **Iunii** **1.** Mandat, ut bona monasterii S. Cerboni, dioec. Lucan., vendantur et in fabricationem domus O. F. M. obs. convertantur.
921. » **5.** Senatores, conservatores et capita regionum Urbis instituit defensores domus S. Mariae de Aracoeli, O. F. M. obs.
922. » **9.** Franciscum Martini, O. F. M., instituit episcopum Cien. et Termeniarum.
923. » **19.** Iacobo de Reate, O. F. M., conc. fac. distribuendi bona relicta per Iohannem Serangeli, civem Cornetan.
924. » **23.** Iohanni, O. F. M., episcopo Gibelden., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
925. **Iulii** **1.** Prorogat Iacobi de Bononia, Iacobi de Pisis, O. F. M. et Iacobi, archipresbyteri Mutinen. facultates pro collectione subsidiorum etc.
926. » **23.** Matthaeo de Gimena, O. F. M., episcopatum abdicanti, reservat pensionem annuam.
927. » **23.** Lucam de Sarzana, O. F. M., instituit episcopum Cephaluden.
928. » **28.** Committit concessionem petitionis sororum III O. de Urbe circa earum exemptionem a ministro eiusd. ordinis.

Anno 1445.

929. **Iulii 30.** Antonium, O. F. M., episcopum, transfert ab ecclesia Gallipolitan. ad Mutilen.
930. **Aug. 1.** Bona ecclesiae S. Mariae de Sabineto prope Rodigium convertit in erectionem domus O. F. M. obs. ibidem faciendam.
931. » **2.** Iohanni de Colle, O. F. M., conc. lic. recip. beneficium ecclesiasticum.
932. » **14.** Iacobo de Cingulo, O. F. M., ad fratres de observ. transgresso, conc. absolutionem a censuris et fac. alienandi bona patrimonialia.
933. » **14.** Iohannellae Surrentinae de Neapoli, O. S. Cl., Salernitan., conc. lic. transeundi ad monasterium B. Mariae de Albano, eiusd. ordinis.
934. » **24.** Anfrosynae Ram, O. S. Cl., Barchinonen., conc. lic. remanendi in O. S. Aug.
935. **Sept. 6.** Carolo, duci Borbonii, conc. fac. fundandi 2 domos O. F. M. obs.
936. » **7.** Francisco Furtii, O. Coelest., conc. lic. transeundi ad domum O. F. M. obs.
937. » **15.** Confirmat concordiam initam inter moniales O. S. Cl., Ambianen., et episcopum, decanum et canonicos eiusd. civit.
938. » **20.** Iohannem Lobet, O. F. M., confirmat in ministeriatu provinciae Aragoniae.
939. » **24.** Nicolaum Antonii, O. F. M., instituit episcopum Insulen.
940. **Oct. 20.** Conc. lic. fundandi monasterium O. S. Cl. in villa de Corbeja, dioec. Ambianen.
941. » **21.** Confirmat ea, quae circa introductionem O. S. Cl. in monasterio S. Trinitatis, Valentin., antea O. S. Trin., gesta sunt.
942. » **22.** Matthaeo de Regio, O. F. M., mandat, ut procedat contra Paulum, archiepiscopatu Regin. privatum.
943. » **23.** Obertino Guillelmi de Tortagnis de Imola, III O., confert hospitale pauperum, Imolen.
944. » **24.** Prioratum S. Petri de Moyrosio, O. S. Ben., dioec. Nemausen., confert Petro de Cahusaco, O. F. M.
945. » **26.** Mandat, ut bona Senis relicta a Guillelmo, O. F. M., priore poenitentiariorum pontificiorum, consignentur vicario generali episcopi Senen.
946. » **27.** Confert ecclesiam vacantem per ingressum Petri de S. Blasio in domum Cusentin., O. F. M. obs.
947. » **29.** Mandat, ut puniantur quidam fratres O. F. M., O. Praed. et O. Merced.
948. » **31.** Mandat, ut vicarii provinciales O. F. M. obs. ad capitulum convocentur.
949. **Nov. 3.** Domum sororum III O., Maioricen., erigit in monasterium O. S. Ben. aut O. S. Aug.
950. » **20.** Confert ecclesiam vacantem per ingressum Antonii de Vico de Dopnicis in domum Cusentin., O. F. M.
951. » **29.** Confirmat consignationem monasterii *Religionis veteris* prope Parmam, factam fratribus O. F. M. obs.
952. **Dec. 1.** Confirmat excambium possessionum inter Nicolaum, marchionem Esten. et monasterium S. Guillelmi extra muros Ferrarien., O. S. Cl.
953. » **2.** Valentino Antonii, O. F. M., conc. lic. commorandi in societate Nicolai de Furca, III O.
954. » **3.** Statuit, ne de cetero fratres domus S. Francisci, Assisien., se intromittant de regimine capellae de Portiuncula, O. F. M. obs.

Anno 1446.

955. **Ian. 1.** Iacobo de Primaditiis, O. F. M., conc. amplas facultates.
956. » **6.** Francisco Antonii de Falerono, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
957. » **8.** Mandat absolvi a censuris Nicolaum Clavelli, domus S. Spiritus, O. S. Aug., Ilerden., qui quamplures fratres O. F. M. receperat.
958. » **8.** Confirmat electionem Beatricis in abbatissam monasterii Valentin., O. S. Cl.
959. » **12.** Marco Convegne de Rocca Porene, O. F. M., conc. lic. remanendi in monasterio de Cassia, O. S. Petri de Magella.
960. » **30.** Iohanni de Vitrina, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
961. **Febr. 5.** Martino Ciresvella, O. S. Ben., antea O. F. M., confert prioratum S. Petri Veteris, Oscen.
962. » **9.** Iohanni de Mauberto conc. fac. recip. 14 loca pro fratribus O. F. M. obs.
963. » **12.** Nicolao de Azara, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
964. » **12.** Monasterio S. Clarae, Valentin., O. S. Cl., conc. annuam pensionem super redditibus 2 praepositurarum ecclesiae Valentin.
965. » **12.** Beatrici, abbatissae eiusd. monasterii conc. remiss. plenar.
966. » **12.** Eidem conc. fac. eligendi confessarium.
967. » **23.** Iacobo Iohannis Brunetti de Colle, O. F. M., conc. lic. retinendi ecclesiam S. Catharinae de Colle, dioec. Vulterran.
968. » **23.** Conc. indulgentias pro ecclesia fratrum III O. de Paazo, dioec. Lamecen.
969. » **23.** Approbat ingressum Victoriae Andreae Crispii in monasterium B. Mariae de Basico, O. S. Cl., Messanen.
970. **Mart. 3.** Eamdem Victoriam eiusque maritum defunctum absolvit a voto visitandi sepulchrum dominicum.
971. » **3.** Episcopo Cavallicen., O. F. M., conc. fac. condendi testamentum.

Anno 1446.

972. **Mart. 7.** Civibus Brixien. conc. lic. donandi hospitale S. Mariae de Serpente pro fundatione monasterii O. S. Cl.

973. » **9.** Mandat, ut post professionem Caeciliae, O. S. Cl., monasterii Fulginaten., bona monasterii S. Petri Perusin., O. S. Ben., in emphyteusim data, ad idem monasterium reducantur.

974. » **11.** Mandat inquiri et teneri bona Angeli de Monte Peschali eiusque uxoris, ab Angelo de Apiano, O. F. M., inquisitore, damnatorum.

975. » **12.** Iacobo de Capua, O. F. M., conc. fac. commorandi intra et extra Urbem.

976. » **12.** Indulget, ut 2 fratres domus B. Mariae de Iesu, O. F. M., Messanen., resideant in loco S. Pauli Messanen.

977. » **18.** Monasterium S. Stephani, O. S. Cl., in burgo Suessan., eximit a iurisdictione vicariorum et guardianorum O. F. M. obs.

978. » **19.** Eremitorium S. Mariae des Villares, unit eremitorio fratrum III O. de Paazo, dioec. Lamecen.

979. » **23.** Subsidia conferentibus pro reparatione monasterii S. Trinitatis, Valentin., O. S. Cl., conc. remiss. plenariam.

980. » **23.** Confirmat electionem Petrae de Squarzaficis in abbatissam monasterii S. Leonardi, extra muros Ianuen., O. S. Cl.

981. » **30.** Fratribus O. F. M. obs. conc. lic. recipiendi eremitorium S. Mametis de Abando, dioec. Calagurritan.

982. **Apr. 2.** Iacobo Brenequini, O. F. M., conc. lic. transeundi ad ordinem S. Ben.

983. » **9.** Conc. lic. erigendi domum O. F. M. obs. in membro a monasterio S. Iohannis de Ascorzono, dioec. Aprutin., segregato.

984. » **12.** Matthaeo de Octaleni, O. F. M., conc. lic. recip. beneficium ecclesiasticum.

985. » **13.** Mandat, ut Paulus de Teramo, O. F. M., capiatur et puniatur.

986. » **13.** Iohanni Fruosini de Florentia conc. ecclesiam S. Martini ad Balneum de Aqua, dioec. Pisan., pro fratribus III O.

987. » **13.** Mandat teneri fratres et sorores III O., civit. Ferrarien. sub cura fratrum domus S. Spiritus, extra muros Ferrarien., O. F. M. obs.

988. » **21.** Petro de Cahusaco, O. F. M., confert prioratum S. Petri de Moyrosio, O. S. Ben.

989. » **21.** Confirmat erectionem monasterii S. Luciae de Leonessa, O. S. Cl., dioec. Spoletan.

990. » **23.** Nardo de Insula Maiori, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.

991. » **27.** Francisco de Verzino, III O., confert capellam S. Mariae de Prissano, dioec. Cusentin.

902. **Maii 5.** Robertum de Villequier, O. F. M., transfert ad monasterium Montis S. Michaelis in periculo maris, O. S. Ben., dioec. Abrincen.

993. » **6.** Confirmat electionem Iacobi de Primaditiis in vicarium generalem cismontanum.

994. » **6.** Antonio de Rusconibus, ministro generali, mandat, ne quid mutet in regimine fratrum observantium.

995. » **14.** Iohanni Pacheco, marchioni de Villena, conc. lic. fundandi domum O. F. M. obs. in civit. vel dioec. Conchen.

996. » **14.** Confert ecclesiam B. Mariae *del Belvedere,* ab Obertino de Serravalle, O. F. M., indebite occupatam.

997. » **14.** Conc. indulgentias pro oratorio S. Francisci de Balagiva, dioec. Alerien., a Marino de Calvi, III O., fundato pro receptione infantium illegitime natorum.

998. » **18.** Fratribus O. F. M. obs., provinciae S. Francisci, conc. lic. colligendi eleemosynas pro servanda hospitalitate in domo S. Mariae de Angelis.

999. » **19.** Iacobo de Primaditiis conc. facultates circa fratres evagantes.

1000. » **28.** Fratribus et sororibus III O. in terra Clavari conc. hospitale B. Mariae de Misericordia.

1001. » **31.** Oratorium S. Michaelis, dioec. Cusentin., conc. fratribus III O.

1002. **Iunii 18.** Decernit hospitale S. Petri de Collefloreto, dioec. Fulginaten., ad fratres III O. pertinere.

1003. » **27.** Ecclesiam S. Fortunati de Montefalco, dioec. Spoletan., deputat pro fundatione domus O. F. M. obs.

1004. » **30.** Cum Antonio Petri, O. F. M., domus Quinqueecclesien., dispensat super irregularitate ex defectu indicis sinistrae manus.

1005. **Iulii 3.** Declarat Fabianum de Bachia et fratres vicariae Bosnae procedere posse contra presbyteros perversa docentes etc.

1006.[1] » **3.** Fratribus vicariae Bosnae conc. novas facultates.

1007. » **23.** Statuit et auget iura vicariorum generalium et provincialium O. F. M. obs.

1008. » **24.** Ludovico de Saia, O. F. M., committit causam inter Philippum de Astorga, ministrum provinciae Compostellan., et fratres domorum Legionen., de Mayorga, Villalpando et Tauro.

1009. » **30.** Loco prioratus S. Spiritus, Reginen., fratribus O. F. M. assignati, ecclesiam S. Marci, Reginen., erigit in prioratum O. S. Marci.

---

[1] Vide infra *Addenda,* n. 1821, pag. 900, not. 3.

Anno 1446.

1010. **Aug. 3.** Agnetae Wrinserin conc. lic. ingrediendi clausuram monasterii Argentinen., O. S. Cl.
1011. » **6.** Fratribus O. F. M. obs., provinciae Portugalliae, conc. fac. eligendi vicarium provincialem.
1012. » **6.** Nicolao, O. F. M., electo Balneoregien., circa litteras suae provisionis conc. *perinde valere.*
1013. » **6.** Confirmat statutum de frumento monasterio S. Claudii, Fulginaten., O. S. Cl., dando.
1014. » **13.** Elvirae Sancii de Aquilar, O. S. Cl., monasterii Salamantin., conc. lic. transeundi ad monasterium S. Mariae, Salamantin., sub cura fratrum O. Praed. exsistens.
1015. » **22.** Conc. fac. fundandi monasterium O. S. Cl. in villa de Corbeia, dioec. Ambianen.
1016. » **25.** Petro, O. F. M., episcopo Albanen., commendat abbatiam S. Loberii, dioec. Aduren.
1017. » **31.** Domum S. Catharinae, oppidi S. Petri de Galatina, dioec. Hydruntin., subiicit vicario provinciae Apuliae, O. F. M. obs.
1018 **Sept. 10.** Confirmat institutionem Guillelmi Iragillich in ministrum provinciae Hiberniae, O. F. M.
1019. » **12.** Mariae, Aldoncae ac Iohannae, O. S. Cl., de Astudillo, conc. lic. deponendi velum capitis in praesentia medicorum.
1020. » **12.** Conc. fac. fundandi monasterium O. S. Cl. in loco de Amusco, dioec. Calagurritan.
1021. » **15.** Sororibus III O., civit. Parmen., circa litteras eis concessas conc. *perinde valere.*
1022. » **19.** Conc. lic. fundandi domum O. F. M. obs. in loco dioec. Bisuntin. vel Lausanen.
1023. » **27.** Instituit defensores monialium O. S. Cl. in usu exemptionis ab exactionibus.
1024. **Oct. 15.** Domos O. F. M., Petro Voyslan, voivodae Bosnae inf. subiectas, eximit a superioritate vicarii Bosnae.
1025. » **17.** Fernando de Castroalbo, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
1026. » **26.** Fernando de Torija, O. S. Hier., ad O. F. M. transgresso, conc. lic. redeundi ad O. S. Hier.
1027. » **27.** Monasterium B. Mariae de Mari, O. S. Ben., dioec. Gerunden., conc. fratribus O. F. M. obs.
1028. **Nov. 9.** Mandat, ut Minichelus Georgii, laic. Narnien., cogatur ad satisfaciendum fratribus S. Mariae in Silva et S. Iohannis de Cesato, dioec. Narnien., soc. Angeli Clareni.
1029. » **12.** Monasterium S. Iacobi, Collis Lucis, prope Cingulum, conc. fratribus O. F. M. obs.
1030. » **16.** Exemptionem monasterii B. Mariae de Basico, Messanen., O. S. Cl., a solutione quartae partis prorogat.
1031. » **28.** Cassat conventionem inter Georgium de Teodino et fratres domus O. F. M., Suessan., de haereditate Tofani Constantini.
1032. **Dec. 2.** Pro perfectione monasterii S. Trinitatis, Valentin., O. F. M., suspendit alias indulgentias.
1033. » **3.** Roderico de Portu, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
1034. » **12.** Statuit, ut officium ministri in provincia S. Iacobi triennio tantum duret.
1035. » **14.** Petro de Arimino eiusque sociis III O. conc. monasterium S. Mariae novae, castri Montisulmi, O. S. Ben., dioec. Firman.
1036. » **17.** Iohanni de Mauberto, vicario ultramontano, dat mandatum convocandi capitulum.
1037. » **20.** Paulum Blasii de castro Tragoni, O. F. M., transfert ad monasterium B. Mariae de Mago, O. S. Ben., dioec. Aquilan.
1038. » **23.** Decernit, ut omnes domus O. F. M., quae tempore capituli Montispessulani sub regulari observantia erant, a vicariis generalibus et provincialibus regantur.
1039. » **23.** Iohanni de Mauberto, vicario generali, conc. fac. recip. 15 loca in Hispania.

Anno 1447.

1040. **Ian. 16.** Reprobat certos articulos circa potestatem Mendicantium audiendi confessiones.
1041. » **18.** Iohanni, O. F. M., episcopo Faren., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
1042. » **18.** Sororibus III O., loci S. Mariae de Candeloria, dioec. Panormitan., conc. fac. vivendi in communi.
1043. » **29.** Statuit, ut in domo Nurembergen., dioec. Bambergen., O. F. M., introducatur regularis observantia.
1044. **Febr. 1.** Idem statuit de domo Mechlinien., dioec. Cameracen.
1045. » **5.** Moniales O. S. Cl. et sorores III O. subiicit regimini vicarii generalis O. F. M. obs.
1046.[1] » **9.** Fratribus O. F. M. obs. praecipit, ut obediant Iacobo de Primaditiis, vicario generali.

NICOLAUS PAPA V.

Anno 1447.

1047. **Mart. 19.** Angelo de Perusio, procuratori, O. F. M., conc. domum S. Salvatoris de Unda, de Urbe.
1048. » **19.** Iohannem Heimelich, O. F. M., instituit capellanum suum eique conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
1049. » **19.** Zanino de Vigueria, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.

[1] Vide infra *Addenda,* n. 1822, sub die 9 februarii.

Anno 1447.

1050. **Mart. 19.** Reservat beneficium vacaturum per ingressum Alphonsi Alvari de Zuazo in domum S. Iacobi, extra muros Papien., O. F. M. obs.

1051. » **19.** Committit causam circa ecclesiam SS. Gervasii et Protasii, dioec. Barchinonen., cuius praesentatio spectabat ad abbatissam O. S. Cl. de Petrisalbis.

1052. » **19.** Iohanni Iacobi, O. S. Ben., olim O. F. M., conc. fac. recip. beneficium O. S. Ben.

1053. » **19.** Angelo Iohannis de Callio, O. F. M., conc. fac. remanendi in monasterio de Massa, O. S. Ben.

1054. » **29.** Laurentium, O. F. M., episcopum, transfert ab ecclesia Puteolan. ad Tricaricen.

1055. **Apr. 1.** Sororibus III O. de S. Audomaro, dioec. Morinen., conc. remiss. plenar. et fac. emittendi vota.

1056. » **14.** Defendit famam Bernardini de Senis, O. F. M., contra calumniatores.

1057. » **27.** Vicario generali citramontano committit congregationem capituli O. F. M. obs.

1058. **Maii 2.** Monasterio S. Petri, Bromen., O. S. Ben., praeficit Nicolaum de Chardin, O. F. M., abbatem.

1059. » **14.** Fratribus in Bosna constitutis conc. fac. eligendi vicarium.

1060. » **22.** Cornelium Omulalay, O. F. M., instituit episcopum Clonferten.

1061. » **31.** Mandat, ut fratribus et sororibus III O., ex ordine expulsis, auferatur habitus ordinis.

1062. **Iunii 1.** Iohanni de Rubeis, converso O. F. M., confert hospitale S. Spiritus, Cremonen.

1063. » **6.** Fratribus O. F. M., provinciae Romandiolae, conc. ecclesiam S. Luciae in burgo Castri Bononien.

1064. » **6.** Sororibus III O., Aquilan., sub regula O. S. Cl. vivere volentibus, assignat monasterium Corporis Christi in loco de S. Victorino.

1065. » **7.** Conc. fac. recip. 4 loca pro fratribus O. F. M. obs., provinciae Mediolanen.

1066. » **7.** Conc. fac. recip. 2 loca pro fratribus O. F. M. obs., provinciae Ianuen.

1067. » **14.** Thomae, O. F. M., archiepiscopo Tarsen., conc. fac. recip. beneficia ecclesiastica.

1068. » **16.** Committit causam Ursulae de Sentserni, abbatissae, et monialium O. S. Cl., Ilerden.

1069. » **17.** Committit causam canonizationis Bernardini Senen.

1070. » **18.** Petro, voivodae, Thomae, regi, et Catharinae, reginae Bosnae, conc. lic. secum habendi 2 fratres O. F. M.

1071. » **20.** Antonio de Oliveto, O. F. M., nuntio in Albania et Sclavonia, conc. facultates.

1072. » **23.** Iohannem de Capistrano deputat exsecutorem decretorum de Iudaeis et Saracenis.

1073. » **27.** Terminat causam inter Hilarium, olim O. F. M., tunc abbatem O. S. Ben. et Iohannem, episcopum Terdonen.

1074. » **30.** Conc. ecclesiam S. Andreae de Muga, dioec. Calagurritan., pro fratribus O. F. M. obs.

1075. » **30.** Monasteria O. S. Cl. in regnis Castellae et Legionis eximit a iurisdictione episcoporum.

1076. **Iulii 3.** Iohanni de Capistrano renovat facultates pro exstirpatione fraticellorum.

1077. » **3.** Iohannem Gasto, al. Leutsol, O. F. M., instituit episcopum Castren.

1078. » **4.** Confirmat decretum capituli provincialis Messanen. de duratione officii ministri provincialis ad triennium.

1079.[1] » **4.** Zanziam, O. S. Cl., monasterio S. Benedicti, Conversan., praeficit abbatissam.

1080. » **11.** Confert altare S. Matthaei, situm in domo fratrum III O., dioec. Leodien.

1081. » **14.** Donato de Puteo, O. F. M., conc. fac. fundandi capellam in collegio Italicorum Parisien.

1082. » **18.** Fratribus O. F. M. obs., domus S. Mariae Novae, Neapolitan., et domorum de Gaeta, Surrento et Castello ad mare conc. fac. vendendi bona, olim fratrum conventualium.

1083. » **20.** Concedit et disponit nonnulla statum fratrum III O. in Italia concernentia.

1084. » **21.** Donato de Puteo, O. F. M., confirmat fac. recip. beneficium ecclesiasticum.

1085. » **23.** Agneti et Iohannae, sororibus in monasterio Corporis Domini, Ferrarien., O. S. Cl., conc. lic. eligendi confessarium.

1086. » **24.** Petit salvum conductum pro Donato de Puteo, O. F. M.

1087. » **25.** Mandat, ut ex oblationibus ecclesiae S. Mariae Angelorum 150 floreni dentur pro reparatione monasterii S. Clarae Assisien.

1088. » **27.** Petro de S. Michaele, O. F. M. conc. lic. remanendi in ordine S. Spiritus.

1089. » **29.** Monasterium S. Margaritae, O. S. Cl., extra muros Eugubin., restituit iurisdictioni ministri provinciae S. Francisci.

1090. » **29.** Fratres locorum Domus Dei et Scalae Coeli, a Petro de Villacreces fundatorum, reponit sub iurisdictione ministri generalis.

1091. **Aug. 2.** Conc. lic. recipiendi eremitorium S. Mariae de Gratia, apud Carmonam, dioec. Hispalen., pro fratribus O. F. M. obs.

1092. » **6.** Committit informationem de accusationibus monialium monasterii de Coneglano, dioec. Ceneten., contra fratres O. F. M., visitatores eiusd. monasterii.

1093. » **17.** Ministro generali O. F. M. conc. fac. absolv. ab excommunicatione ingredientes clausuram monasteriorum O. S. Cl.

---

[1] Vide infra *Addenda*, n. 1823, sub die 4 iulii.

Anno 1447.

1094. **Aug.** **18.** Summam 150 florenorum monasterio S. Clarae, Assisien., assignatam convertit in reparationem domus S. Francisci, Assisien.

1095. » **19.** Statuit, ut fratres III O., Leodien., in communi viventes habitum distinctum portent ab habitu fratrum in domibus propriis viventium.

1096. » **22.** Requirit, ut monialibus O. S. Cl., monasterii destructi, permittatur quoddam hospitale Fanen. ad formam monasterii reducere.

1097. » **26.** Incolis terrae Mortariae, dioec. Novarien., conc. lic. fundandi domum O. F. M.

1098. » **26.** Blasium de Camenez, qui consilium dederat circa 2 presbyteros a Iacobo de Marchia, inquisitore, damnatos, absolvit ab irregularitate.

1099. » **26.** Statuit, ut moniales monasterii de Cantalupo, Mediolan., vivant sub regula O. S. Cl.

1100. » **30.** Ministro generali mandat, ut fratres O. F. M. et moniales O. S. Cl., Eugubin., reformet.

1101. **Sept.** **1.** Iohannem de Poriaco, O. F. M., instituit episcopum Dimitrien.

1102. » **1.** Mandat, ut fratribus III O., Leodien., in communi viventibus, distinctum habitum concedant.

1103. » **2.** Confirmat concessionem domus in civitate Suessionen. fratribus O. F. M. factam.

1104. » **6.** Augustinum de Ferraria, O. F. M., recipit in capellanum.

1105. » **10.** Mandat, ut fratres conventuales in domum Bituricen. restituantur.

1106. » **11.** Hortatur ad auxilium praestandum Sancto de S. Severino, O. F. M., in reformatione monasterii S. Laurentii, Salernitan., O. S. Cl.

1107. » **12.** Conc., ut domus O. F. M. obs. ultramontan., si maior pars fratrum id desideret, possint redire ad iurisdictionem ministrorum.

1108. » **12.** Isoctae Francisci de Actis conc. lic. reparandi capellam Angelorum in ecclesia S. Francisci, Ariminen., O. F. M.

1109. » **17.** Declarat sorores III O. licite in congregatione permanere.

1110. » **19.** Alberto de Sarteano, O. F. M., conc. lic. fundandi monasterium O. S. Cl., in civit. Brixien.

1111. » **21.** Ministro generali mandat, ut Francisco de Barchinonia, O. F. M., conferat gradum magisterii.

1112. » **21.** Onuphrio de Castrodurante, O. F. M., conc. fac. recip. ecclesiam parochialem.

1113. » **22.** Confirmat privilegia monasterii Corporis Christi, Neapolitan., O. S. Cl.

1114. » **23.** Mandat exsecutionem litterarum Eugenii IV circa Nicolaum de Maida, abbatem O. S. Ben., olim O. F. M.

1115. » **25.** Iohannem de Palude, presb. dioec. Morinen., dispensat a voto ingrediendi domum O. F. M. obs., oppidi de S. Audomaro.

1116. » **25.** Raymundo de Torculari, O. F. M., conc. lic. recip. 2 capellanias.

1117. » **25.** Georgio de Abbatia, O. F. M., conc. lic. recip. beneficium ecclesiasticum.

1118. » **26.** Confirmat locationem domus prope ecclesiam S. Eustachii de Urbe, antea locatae Magdalenae de Bondiis, III O.

1119. » **26.** Iacobo de Primaditiis eiusque successoribus vicariis generalibus subiicit vicariam Bosnae.

1120. » **27.** Domus S. Francisci et Daxae in territorio Ragusin., S. Crucis Iaderen. et iuxta civitates Arben. et Cattaren. exsistentes, O. F. M. obs., a vicaria Bosnae separat.

1121. » **30.** Iohanni Herste, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.

1122. **Oct.** **3.** Transsumit litteras Eugenii IV de sororibus III O., S. Mariae de Candeloria, dioec. Panormitan.

1123. » **14.** Sororibus III O., Viterbien., conc. lic. recip. aliam domum in dicta civitate.

1124. » **16.** Conc. lic. recip. eremitorium S. Martini de Ramberticuria, dioec. Tullen., pro fratribus O. F. M. obs.

1125. » **16.** Alphonsum Pernas, O. F. M., instituit episcopum Almaricen.

1126. » **16.** Iacobum de Breberio, O. F. M., instituit episcopum Buduen.

1127. » **16.** Potestati terrae Trevii mandat, ut fratribus O. F. M. iustitiam administret.

1128. » **23.** Robertum, O. F. M., episcopum, transfert ab ecclesia Tiberiaden. ad Aquen.

1129. **Nov.** **2.** Detlevum, olim O. F. M., monasterio in Clusa, O. S. Ben., dioec. Hildesemien., praeficit abbatem.

1130. » **5.** Ludovico, Dalphino Viennen., conc. ecclesiam de Essone, prope Gratianopolim, pro fundatione domus O. F. M. obs.

1131. » **7.** Mandat inquiri de vita et moribus fratrum O. F. M., civit. Eugubin.

1132. » **7.** Monasterium S. Margarethae, Eugubin., assignat monialibus O. S. Cl., Assisien.

1133. » **11.** Monasterium S. Catharinae, Tiburtin., O. S. Cl., unit mensae capitulari Tiburtin.

1134. » **14.** Conc. lic. ad usus profanos reducendi domum civit. Messanen., in qua aliquamdiu sorores III O. habitaverant.

1135. » **23.** Catharinae de Orto aliisque sororibus III O. de Urbe conc. lic. vivendi iuxta antiquum modum observandi regulam.

1136. » **27.** Petro Renys, O. F. M., conc. fac. condendi testamentum.

1137. » **29.** Revocat unionem monasterii S. Pauli de Favarone cum monasterio S. Mariae Montislucidi, O. S. Cl., Perusin.

1138. **Dec.** **2.** Ministro generali mandat, ut mittat visitatores pro reformatione O. F. M.

Anno 1447.

1139. **Dec.** **5.** Instituit iudicem in lite fratrum O. F. M. obs. circa 5 loca Dalmatiae.
1140. » **6.** Ad petitionem Francisci de Eugubio, O. F. M., abrogat certa indulta Iudaeis concessa.
1141. » **11.** Iubet observari exemptionem monasteriorum O. S. Cl., Montislucidi, Perusin. et Tudertin.
1142. » **12.** Vicario provinciae Aragoniae, O. F. M. obs., conc. fac. recip. domum in civit. Caesaraugustan.
1143. » **12.** Guardiano domus de Vico, O. F. M. obs., conc. fac. recip. domum in villa de Miracuria, dioec. Tullen.
1144. » **12.** Simoni Rixerii, O. F. M., conc. lic. remanendi in ordine Sepulchri dominici.
1145. » **14.** Numerum capellaniarum in 16 monasteriis O. S. Cl., regni Castellae et Legionis, minuit.
1146. » **19.** Ricardo Walleys, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
1147. » **26.** Mandat, ut potestas Eugubin. auxilium praestet ministro provinciae S. Francisci in negotio monasterii S. Margarethae, Eugubin., O. S. Cl.
1148. Thomae Narburgh, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.

Anno 1448.

1149. **Ian.** **1.** Arnaldo de Quercu, O. F. M., domus Oloren., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
1150. » **4.** Monasterio S. Clarae, Valentin., O. S. Cl., confirmat certam pensionem.
1151. » **4.** Monasterium B. Mariae de Basico, Messanen., O. S. Cl. immediate subiicit ministro generali O. F. M.
1152. » **9.** Antonio de Neapoli, O. F. M., nuntio suo, conc. fac. absolvendi a crimine homicidii.
1153. » **11.** Decernit per mutationem ecclesiae S. Fortunati extra Montefalcum, dioec. Spoletan., indulgentias non exspirasse.
1154. » **12.** Revocat commissionem circa lites inter fratres vicariae Bosnae et custodiae Ragusin.
1155. » **12.** Exemptos declarat fratres O. Praed., O. F. M., O. Carm. et O. Er. S. Aug. a solutione subsidiorum Alphonso, regi Aragoniae, praestandorum.
1156. » **18.** Revocat unionem fructuum monasterii S. Blasii, extra muros Vicentin., olim O. S. Ben., tunc O. F. M., cum mensa capitulari Vicentin.
1157. » **18.** Fratribus III. O. conc. lic. recip. domum in pertinentiis montis S. Iacobi, dioec. Eugubin.
1158. » **19.** Ivoni Milbeau, O. F. M., reservat pensionem annuam super prioratum de Taupont, O. S. Ben., dioec. Maclovien.
1159. » **20.** Petro de Macerata, III. O., confert hospitale de Colleflorito, dioec. Fulginaten.
1160. » **26.** Monialibus O. S. Cl. in Sabaudia conc. fac. colligi faciendi eleemosynas etc. sine incursu poenae.
1161. » **30.** Flosdemelosae, abbatissae monasterii S. Mariae de Basico, Messanen., O. S. Cl. conc. fac. recip. munus benedictionis a quocumque antistite catholico.
1162. » **31.** Iohannem de Facogneyo, O. F. M., instituit poenitentiarium in basilica S. Petri de Urbe.
1163. **Febr.** **1.** Conc. fac. recip. domum in loco S. Danielis, terrae Lionici, dioec. Vicentin., pro fratribus O. F. M. obs.
1164. » **7.** Committit causam, in qua agitur de fundatione monasterii O. S. Cl., Brixien.
1165. » **10.** Vicariam Hungariae separat a vicaria Bosnae, O. F. M. obs.
1166. » **10.** Committit causam fratrum domus S. Francisci de Iuncladislavia, dioec. Wladislavien., contra Michaelem, commendatorem hospitalis S. Spiritus, O. Crucif.
1167. » **10.** Mandat, ut collectores subsidiorum pro Alphonso, rege Aragoniae, sub censuris compellantur ad restitutionem pecuniarum a fratribus O. Praed., O. F. M., O. Carm. et O. Er. S. Aug. acceptarum.
1168. » **15.** Mandat exsecutionem litterarum Eugenii IV de bonis domus S. Francisci, III. O., Pisan., fabricae ecclesiae S. Francisci, O. F. M., Pisan., assignandis.
1169. » **17.** Iohanni Praepositi, O. F. M., capellano suo, conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
1170. » **21.** Andreae Tondini de Vespiniano, O. F. M., conc. fac. transeundi ad ordinem S. Ben.
1171. » **27.** Episcopo Biterren. conc. lic. fundandi domum O. F. M. obs. in civit. vel dioec. Biterren.
1172. » **28.** Monasterium B. Mariae de Castilione, O. S. Ben., dioec. Veglen., concedit fratribus O. F. M. obs.
1173. **Mart.** **2.** Confert capellaniam, cuius ius praesentandi spectabat ad Claram Pauli Czetel, O. S. Cl., monasterii Olomucen.
1174. » **4.** Committit causam appellationis Philippi de Astorga contra Alphonsum de Villanova de duratione ministeriatus provinciae Compostellan., O. F. M.
1175. » **7.** Fratribus domus S. Pauli, extra muros Bononien., conc. lic. recip. domum iuxta capellam S. Memmae in civit. Bononien.
1176. » **7.** Plura statuit de duratione officii abbatissae etc. in O. S. Cl.
1177. » **13.** Adae de Os, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
1178. » **13.** Iohanni Fasseris, O. F. M., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
1179. » **14.** Statuit, ne fratres dom. Brugen., O. F. M., dioec. Tornacen., a fratribus O. F. M. obs. expelli possint.

Anno 1448.

1180. **Mart. 14.** Fratribus domus de Ath, O. F. M. obs., conc., ut eorum ecclesia consecrari valeat cum amotione ecclesiasticae immunitatis.
1181. » **14.** Committit defensionem fratrum et sororum III. O., sub cura fratrum O. F. M. obs., domus S. Spiritus, Ferrarien., degentium.
1182. » **16.** Guardiano domus de Vico, O. F. M. obs., dioec. Meten., conc. lic. recip. locum oblatum in civit. Meten.
1183. » **19.** Philippum de Serra, O. F. M., monasterio B. Mariae de Sergo, O. S. Ben., dioec. Ampurien., praeficit abbatem.
1184. » **29.** Vicario fratrum O. F. M. obs. in insulis Canariae conc. lic. recipiendi locum maritimum in regno Portugalliae aliasque facultates.
1185. **Apr. 1.** Bernardo de Armanhaco conc. fac. fundandi monasterium O. S. Cl. in dioec. Lemovicen.
1186. » **4.** Declarat fratres O. F. M. et moniales O. S. Cl., per Coletam reformatos, non esse subiectos vicariis fratrum O. F. M. obs.
1187. » **5.** Fratribus O. F. M. obs. in insulis Normanniae et Britanniae viventibus conc. privilegia fratrum O. F. M. obs.
1188. » **6.** Tempus solvendi 5 florenos pro reparatione monasterii S. Trinitatis, Valentin., O. S. Cl., ad lucrandam remiss. plenar. ad annum prorogat.
1189. » **13.** Bartholomaeae et Camillae, mulieribus Ferrarien., conc. lic. ingrediendi clausuram monasterii Corporis Christi, Ferrarien., O. S. Cl.
1190. » **15.** Theodoricum Cursho, O. F. M., instituit episcopum Diocaesarien.
1191. » **15.** Petrum de Medina, O. F. M., instituit episcopum Hipponen.
1192. » **15.** Bartholomaeum de Caponibus, O. F. M., instituit episcopum Cimbalien.
1193. » **15.** Fratribus O. F. M. obs. conc. fac. audiendi confessiones et administrandi s. communionem.
1194. » **17.** Declarat statuta fratrum et sororum III. O. in Flandria.
1195. » **19.** Andream Apostolicum, O. F. M., instituit archiepiscopum Antibaren.
1196. » **19.** Committit decisionem litis inter clerum castri Montisregalis, dioec. Reatin., et fratres domorum O. Er. S. Aug. et O. F. M., eiusd. castri.
1197. » **23.** Confert ecclesiam, cuius praesentationi abbatissa O. S. Cl. de Pedralbes consentire debebat.
1198. **Maii 4.** Committit visitationem monasterii S. Leonardi de Ianua, O. S. Cl.
1199. » **13.** Francisco, duci Britanniae, cuius confessarius est Petrus Renys, O. F. M., conc. privilegia.
1200. » **18.** Conc. continuationem fabricae monasterii O. S. Cl. in villa de Corbeia, dioec. Ambianen.
1201. » **20.** Confert capellaniam vacantem per resignationem Nicolai de Pergamo et Henrici de Laude, O. F. M.
1202. » **24.** Iohanni Theobaldi de Bellomonte, O. F. M., conc. lic. recip. beneficium ecclesiasticum.
1203. » **24.** Iohanni de Capistrano conc. lic. exsequendi mandatum Alphonsi, regis Aragonum, circa bona abbatissae et priorissae monasterii S. Luciae de Fulgineo.
1204. » **25.** Gerardo de Falconibus, O. F. M., conc. fac., ut reeligi possit in ministrum Siciliae non obstante decreto capituli de servando triennio.
1205. » **27.** Iohannae de Grignano, III. O., conc. fac. recip. eucharistiam a quolibet sacerdote.
1206. » **28.** Iubet capi et puniri Eghardum de Haethen, O. F. M., eiusque complices, qui fraudulenter pecunias collegerunt pro expeditione contra Turcas.
1207. **Iunii 1.** Petrum Celerem, O. F. M., recipit in capellanum eique conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
1208. » **2.** Fratribus O. F. M. obs., domorum S. Mariae, Neapolitan., S. Francisci de Gaeta, de Surrento et de Castello ad Mare conc. lic. vendendi bona.
1209. » **11.** Iuliano de Salerno, O. F. M., conc. remiss. plenar.
1210. » **14.** Petro Renys, O. F. M., reservat beneficium ecclesiasticum.
1211. » **18.** Confirmat conventionem factam inter canonicos ecclesiae Eugubin. et fratres domus Eugubin., O. F. M., de quarta funeralium.
1212. » **18.** Confirmat concessiones domui S. Spiritus de Mellide, fratrum III. O., dioec. Mindonien., factas.
1213. » **22.** Iohanni de Capistrano conc. salvum conductum.
1214. » **29.** Renovat et confirmat litteras Eugenii IV circa potestatem fratrum Mendicantium audiendi confessiones.
1215. **Iulii 7.** Conc. lic. fundandi domum O. F. M. obs. in villa de Maruan, dioec. Egitanien.
1216. » **15.** Margarethae de Aurelianis eiusque filiabus conc. lic. vivendi intra clausuram monasterii, O. S. Cl., vel de Longocampo, Parisien., vel de Guischia, dioec. Carnoten.
1217. » **18.** Mandat publicationem excommunicationis Philippi Norreys.
1218. » **18.** Admittit cessionem ecclesiae Clonferten. a Iohanne White et confirmat institutionem Cornelii, O. F. M., in episcopum Clonferten.
1219. » **20.** Confirmat fundationem monasterii nominis Iesu, O. S. Cl., Capuan.
1220. **Aug. 13.** Committit visitationem monasterii S. Leonardi de Carignano, Ianuen., O. S. Cl.
1221. » **20.** Antonio Olzina, O. F. M., conc. fac. transeundi ad canonicos regulares O. S. Aug.

Anno 1448.

1222. **Aug.** **21.** Annullat sententias ab archiepiscopo Ebredunen. latas contra fratres domus Briensoni, O. F. M., eiusd. dioec.
1223. » **22.** Sororibus III O., Pistorien., conc. lic. recip. domum in civitate, eligendi ministram etc.
1224. » **24.** Mandat rescindi emptionem terrae pro fundatione monasterii O. S. Cl., Brixien., factam.
1225. » **24.** Hospitale continentium de Aravolte, extra muros Narnien., confert fratribus III. O.
1226. » **30.** Cornelium O'cunlis, O. F. M., episcopum, transfert ab ecclesia Imelacen. ad Clonferten.
1227. » **30.** Cornelium Omulalay, O. F. M., episcopum, transfert ab ecclesia Clonferten. ad Imelacen.
1228. » **31.** Iohanni Obrogan, III O., confert vicariam ecclesiae de Kyllimaelcoysny, dioec. Clonferten.
1229. **Sept.** **2.** Ludovicum de Valleoleti, O. F. M., instituit episcopum Sydonien.
1230. » **2.** Abbatissae monasterii Brugen., O. S. Cl., dioec. Tornacen., conc. lic. recip. 6 puellas ultra numerum solitum.
1231. » **4.** Petrum de Migolla, O. F. M., instituit episcopum Cupersan.
1232. » **8.** Statuit, ut officium abbatissarum O. S. Cl. de observ. non ultra sexennium perduret.
1233. » **12.** Iacobinae de Becharia, O. S. Cl., monasterii S. Agathae, Papien., imponit silentium super regimine monasterii de Lapusterla, O. S. Ben., Papien.
1234. » **28.** Bartholomaeo Serieys, O. F. M., conc. lic. remanendi in ordine S. Ben.
1235. **Oct.** **1.** Monasterio S. Nicolai de Murano, O. S. Cl., dioec. Torcellan., conc. privilegia monasterii Corporis Christi, Mantuan., O. S. Cl.
1236. » **1.** Alphonso Gundisalvi, praesentato a Valentina, abbatissa O. S. Cl. de Oterdesillas, confert ecclesiam S. Michaelis del Pino, dioec. Palentin.
1237. » **7.** Matthaeo Blasii, laico, a fratribus O. F. M. e captivitate Turcarum liberato, conc. lic. secum habendi religiosos.
1238. » **12.** Approbat concessionem possessionum monasterii Mediolanen. de Vedano, O. S. Cl., factam ab Antonia de Vicecomitibus.
1239. » **15.** In monasterio B. Mariae de Cantalupo, Mediolanen., a Bernardino de Senis reformato, instituit ordinem S. Clarae.
1240. » **18.** Medietatem bonorum a Iohanne Marino Nicolae relictorum deputat ad reparationem ecclesiae S. Francisci de Montefalcone, O. F. M., dioec. Spoletan.
1241. » **18.** Mandat, ut fratres O. F. M. obs. a domo Meten. iam inchoata amoveantur.
1242. » **20.** Conc. lic. recip. domum intra vel iuxta oppidum de Ancenis, dioec. Nanneten., pro fratribus O. F. M. obs.
1243. » **23.** Petro de Vallibus, O. F. M. obs., reformationis Coletanae, conc. fac. dispensandi a def. natalium et promovendi fratres laicos O. F. M. ad sacerdotium.
1244. » **23.** Confirmat reformationem et statuta B. Coletae.
1245. » **23.** Bernardum de Armanhaco instituit protectorem domorum a B. Coleta fundatarum.
1246. » **23.** Fratres O. F. M. obs., reformationis Coletanae, exemptos declarat a iurisdictione vicariorum.
1247. » **23.** Bernardo de Armanhaco conc. fac. fundandi domos O. F. M. et monasteriorum O. S. Cl. iuxta reformationem B. Coletae.
1248. » **23.** Mandat, ut domus de Axilhano restituatur fratribus O. F. M. obs., reformationis Coletanae.
1249. » **23.** Bernardo de Armanhaco conc. fac. transferendi monasterium inchoatum de Boysset, O. S. Cl., in commodiorem locum.
1250. » **24.** Fratribus vicariae Bosnae conc. fac. eligendi vicarium ministro generali immediate subiectum.
1251. » **29.** Monasterio S. Cosimati de Urbe, O. S. Cl., conc. lic. vendendi casale *Sancto Cornelio* prope castrum Formelli.
1252. » **30.** Confirmat concessionem ecclesiae B. Mariae extra muros Montis Rotundi, dioec. Sabinen., pro fratribus O. F. M.
1253. **Nov.** **7.** Fratribus domus S. Fortunati, prope Montemfalcum, O. F. M. obs., conc. fac. vendendi certa bona.
1254. » **10.** Mandat, ut stipendium pro missis decantandis in monasterio S. Clarae, Valentin., O. S. Cl., assignetur super fructibus hospitalis *Colle Ballegarii* nuncupati.
1255. » **13.** Committit causam appellationis abbatissae monasterii Meten., O. S. Cl., contra Petrum Quatuorsolidorum et Clementem Gronsi, O. F. M.
1256. » **16.** Sororibus domus Stellae, Augusten., III O., conc. remiss. plenar.
1257. » **27.** Prorogat terminum remissionis plenariae concessae pro reparatione monasterii S. Trinitatis, Valentin., O. S. Cl.
1258. **Dec.** **10.** Alitiae, mulieri Londinien., conc. lic. ingrediendi monasterium O. S. Cl., in suburbio Londinien.
1259. » **19.** Monasterium S. Catharinae, Ianuen., O. S. Cl., denuo subiicit iurisdictioni ministri provinciae Ianuen., O. F. M.
1260. » **19.** Petro Ruys (al. Renys), O. F. M., conc. praerogativam in assecutione beneficii.
1261. » **19.** Dionysio, O. F. M., episcopo Laodicen., conc. fac. recip. beneficium ecclesiasticum.
1262. » **20.** Fratribus domus Nurembergen., O. F. M. obs., conc. fac. erigendi studium philosophiae et theologiae.

Anno 1448.

1263. **Dec. 20.** Fratribus O. F. M. obs. et monialibus O. S. Cl., Nurembergen., conc. remiss. plenar.
1264. » **23.** Statuit, ut officium ministrorum provincialium O. F. M., in regno Aragoniae, triennio tantum duret.
1265. » **30.** Confert beneficia vacantia per ingressum Angeli Iohannis Nupressi in domum Insulae Visentin., O. F. M., dioec. Montisflasconen.

Anno 1449.

1266. **Ian. 20.** Fratribus domus Nurembergen., O. F. M. obs., conc. 1) fac. commutandi certas res. 2) fac. eligendi confessarium, si a domo sua absentes careant copia confessarii.
1267. » **31.** Confirmat concessionem vineae pro fratribus domus Anconitan., O. F. M. obs.
1268. » **31.** Committit inquisitionem de miraculis Bernardini de Senis, O. F. M.
1269. **Febr. 4.** Petro de Albario, O. F. M., conc. lic. residendi in civitate Perre cum certis facultatibus.
1270. » **6.** Fratribus O. F. M. obs., domus S. Catharinae, in portu maris de Blavet, et Insulae Virginis conc. fac., ut oratoria et altaria ab ipsis erecta a quolibet catholico episcopo consecrari valeant.
1271. » **8.** Habitatoribus terrae Campli, dioec. Aprutin., conc. lic. vendendi certas petias terrae pro perfectione domus O. F. M. obs., eiusd terrae.
1272. » **9.** Monasterium S. Crucis, extra muros Neapolitan., O. S. Cl., conc. fratribus O. F. M. obs.
1273. » **15.** Causam inter Petrum Quatuorsolidorum et Simonem Philumene, O. F. M., remittit ad capitulum generale.
1274. » **15.** Membrum pertinens ad monasterium de Ascorzono, O. S. Ben., a dicto monasterio separat et confert fratribus O. F. M. obs.
1275. » **17.** Confirmat privilegia monasterii S. Trinitatis, extra muros Valentin., O. S. Cl.
1276. » **26.** Donato de Puteo, O. F. M., nuntio suo, conc. litteras salvi conductus.
Etenim non est novum, si pro temporum ac rerum exigentia leges innovantur humanae, quoniam si nihil sub coelo novum, plus tamen timeri solet quod specialiter iniungitur, quam quod generaliter inhibetur, et decies repetita placebunt ac diversa in unum collecta facilius breviata servantur, et quae usu vilescunt antiquo pariter renovata delectant. « Renovamini, inquit ille Praeco refulgens, spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate veritatis » [3], « et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo » [4] Iesu, qui est caput nostrum, Creator, Dux, Redemptor, Dominus et Magister. « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quos non vocavit Deus in immunditiam, sed in sanctificationem, ut virtutes annuncietis illius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum [5] », evangelicae scilicet perfectionis Iesu Christi Filii

---

[1] Sequitur textus Reg. Vat. supra cit.; ubi correctione opus erat, codicis lectionem ad calcem notavi. — Epistola cardinalis Iohannis Cervantes et Statuta Martini papae V saepius iam edita sunt, sed plurimis cum variantibus, v. gr. ap. *Firmamentum trium Ordinum s. Francisci*, Parisiis 1512, part. IV, fol. XIVra-XVIIva; *Speculum Minorum*, Venetiis 1513, p. III, f. 12ra-15vb; Wadd. t. X, ad an. 1430, n. 7-23, p. 150-61; *Chronologia historico-legalis Ord. Fr. Min.*, t. I, Neapoli 1650, p. 90-7; Dom. de Gubernatis, *Orbis seraphicus*, t. III, Romae 1683, p. 83-91.

[2] Vide ap. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1888, p. 735.

[3] Eph. 4, 23.

[4] Rom. 12, 2, 4, 5.

[5] I Pet. 2, 9.

Dei, qui suae dilectissimae sponsae tenerrimus praedilector, et usque [1] non cessat quotidie providere de remediis et auxiliis opportunis, novellis eam floribus fulciendo pulcherrimis, sanctis scilicet desideriis divinorum charismatum et gratiarum copiosius irrigando adornandoque [2] fructibus operum foecundorum, tribuens incrementa virtutum germine verbi Dei. Sponsa siquidem Christi ecclesia sancta est, sed in proposito nostro Minorum religio vertitur reformanda, quam Altissimus Iesus Christus Dei Filius sibi quodam singulari anulo mirifice desponsavit, cum eiusdem religionis institutorem et ducem suae sanctissimae passionis privilegio decoravit ac specialibus sigillis, sacris videlicet stigmatibus, mirabiliter insignivit. Quae quidem sacra religio, licet plantata sit super illo firmissimo fundamento, « praeter quod nemo aliud ponere potest [3] », quod est suum sanctissimum evangelium, quasi ad modum fluctuantis naviculae procellis agitata ventorum, tentationum scilicet pulsibus vulnerata quam pluribus, tot indiget super almae matris ecclesiae providentiis et favoribus, quot quatitur impulsibus et vitiorum vulneribus sauciatur.

Cum nuper igitur proximis temporibus retroactis nonnullae querulosae reclamationes, tum de scandalosis praedicatoribus, tum de aliis discurrentibus et infestis fratribus eiusdem ordinis praefati sanctissimi D. N. D. papae saepius propulsaverint pias aures et auditum: hinc est, quod pro universali reformatione ordinis praelibati, infrascripta statuta, ordinationes, reformationes et constitutiones recollegimus, ordinavimus et fecimus et qua supra apostolica auctoritate confirmavimus, authenticavimus et roboravimus et ad perpetuam rei memoriam redigi fecimus in his scriptis, quae ab omnibus et singulis fratribus eiusdem ordinis volumus et mandamus inviolabiliter observari, tam a praelatis quam a subditis, discurrentes secundum ordinem et processum dictae regulae per duodecim capitula distincte et particulariter ordinata.

In primis videlicet circa primum capitulum regulae, quod incipit: *Regula et vita Minorum fratrum haec est, scilicet D. N. Iesu Christi sanctum Evangelium observare* [4]: cum a diu dubitatum et sciscitatum exstiterit inter fratres, ad quae consilia evangelica tenerentur, dicimus et declaramus, quod ad illa consilia fratres tantummodo obligantur, quae in ista regula praeceptorie vel inhibitorie, seu sub verbis aequipollentibus sunt expressa, iuxta declarationem fel. rec. Clementis papae V in constitutione sua, quae incipit *Exivi de Paradiso* [5], cuius verba et tenorem hic inseri mandavimus, videlicet: « Declaramus, quod illud, quod ponitur in regula de non habendo plures tunicas, quam unam cum caputio et aliam sine caputio, item de non portandis calceamentis et de non equitando extra casum necessitatis, item, quod fratres vilibus induantur, item, quod ieiunare a festo omnium Sanctorum usque ad natale Domini et in sextis feriis teneantur, item, quod clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae ecclesiae, item, quod ministri et custodes pro necessitatibus infirmorum et fratribus induendis sollicitam curam gerant, item, quod si quis in infirmitatem ceciderit, alii fratres debeant ei servire, item, quod fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum, item, quod nullus audeat populo penitus praedicare, nisi a generali ministro vel aliis, quibus secundum declarationem praedictam id competit, fuerit examinatus et approbatus et ad hoc institutus, item, quod fratres, qui cognoscerent, se non posse regulam spiritualiter observare, debeant, et possint ad suos ministros recurrere, item, omnia, quae ponuntur in regula ad formam habitus, tam novitiorum quam professorum, necnon ad modum receptionis ad professionem spectantia sunt ab ipsis fratribus sicut obligatoria observanda, nisi recipientibus quoad habitum novitiorum, sicut dicit regula, secundum Deum aliter videatur. Haec, inquam, omnia sunt a fratribus, tamquam obligatoria observanda. Item ordo communiter sensit, tenet et tenuit ab antiquo, quod ubicumque, ponitur in regula hoc vocabulum *teneantur*, obtinet vim praecepti et observari debet a fratribus sicut tale ».

Post quae quidem verba declaratoria Nos etiam praefatus Iohannes declaramus de tunicis ipsorum fratrum secundum quatuor magistros, fratres videlicet Gaufredum, Alexandrum de Hales, Iohannem de Rupella et Richardum [6], quod ministri et praelati possint plures concedere, cum

---

([1]) Cod. *et vagus*. ([2]) Cod. om. ([3]) I Cor. 3, 11.

([4]) Pro textu regulae cf. *Bull. Franc.* t. I, n. 14, p. 15-9; Eubel, *Suppl.*, p. 225-8; *Seraphicae legislationis textus originales*, ad Claras Aquas 1897, p. 35-47; *Opuscula S. P. Francisci Assisien.* ibid. 1904, p. 63-4.

([5]) Vide *Bull. Franc.* t. V, n. 195, p. 80-6; 82; *Ser. legisl. text. orig.*, p. 229-60; 237; c. 1 in Clement. V, tit. 11, c. 1.

([6]) Richardus, al. Rigaldus. Omittitur hic Robertus de Bassia (Bassea al. Bastia). Eius loco ponitur Gaufredus, qui ut custos Parisiensis etiam partem habuit in compositione *Declarationis quatuor magistrorum*, quae prodiit v. gr. ap. *Firmament.* cit. p. IV, f. 19v-24r; *Specul. Min.* cit. p. III, f. 15va-19ra. Textus hic allegatus habetur ll. cit. f. 18v et 16r resp.

viderint necessarium secundum loca et tempora et frigidas regiones. — Scient etiam fratres, se non obligari ad testamentum B. Francisci, secundum declarationes summorum pontificum fel. rec. Gregorii IX [1], Innocentii IV, Alexandri IV, Nicolai III [2] et Clementis V. — Et quod omnes fratres, ut dignum et iustum est, reverentiam exhibeant et honorem, humilem obedientiam et firmissimam fidelitatem sanctissimo D. N. papae ac sacrosanctae Sedi Apostolicae, prout in principio, medio et fine regulae obligantur, ceterisque praelatis et clericis, prout congruum est et intentio fuit beati Francisci, qui presbyteros monuit prae cunctis revereri.

Item statuimus et ordinavimus, quod omnes et singuli fratres Italici, Gallici, Hispanici et Theutonici et quicumque alii per orbem terrarum constituti obedire teneantur et debeant suis praelatis, scilicet generali ministro necnon ministris provincialibus, custodibus, guardianis et quibuscumque aliis praelatis ordinis secundum regulam datis; non obstantibus omnibus et singulis privilegiis, concessionibus et indultis, quomodocumque et qualitercumque generaliter vel specialiter in Romana Curia et etiam in concilio Constantiensi [3], vel alibi ubicumque concessis. Quae omnia et singula, in quantum praesentibus obviant, cassamus, revocamus et annullamus et nullius decernimus esse valoris, ac si numquam concessa fuissent. — Et si qua monasteria monialium ex aliqua bulla apostolica commissa fuerint aliquibus particularibus fratribus, ex nunc praedicti fratres, sive in Hispania sive alibi, resignare debeant ea ministris provincialibus, nisi eisdem per praedictos de novo fuerint recommissa, sub poena inobedientiae contumacis. — Item quoad votum paupertatis, idest, *vivendo sine proprio*, et *quod fratres nihil sibi approprient*, statuimus et ordinamus illud inconcusse tenendum, quod fel. rec. Nicolaus III declaravit in sua decretali *Exiit qui seminat*, de verborum significatione, lib. VI, § *Porro* successive et seriatim per ordinem usque ad § *Verum, quia expresse continetur in regula* [4]. — Et quod quilibet conventus habeat suum procuratorem secundum declarationem et privilegium dicti Nicolai III et Martini IV et sanctissimi D. N. Martini V [5]. — Item quoad votum castitatis statuimus et ordinamus servandum esse statutum Guillelmi Farinerii factum in capitulo generali Assisii celebrato, anno Domini 1354 [6], cap. VII, ubi sic habetur: « Fratres evidenter notati de suspectis consortiis et colloquiis mulierum, quae in regula prohibentur, si admoniti et correpti sufficienter se non correxerint: si in officio fuerint, ab omnibus officiis absolvantur, vel suspendantur, nec taliter suspensi seu absoluti restituantur, nisi in provinciali capitulo per ministrum. Si vero in officiis non fuerint, priventur libris et omni actu legitimo. Et cui haec poena non competit, probationis caputio et aliis poenis gravibus puniatur ad arbitrium ministrorum et ad hoc ministri firmiter teneantur. Et intelliguntur suspecta consortia non solum de mulieribus, sed etiam de suspectis familiaritatibus quibuscumque. Quicumque frater consuetus fuerit a socio suo fratre cum mulieribus sequestrari, de quibus iudicio praelati sui merito possit oriri suspicio: si canonice monitus et correctus, se non emendaverit, tamquam suspectus de mulieribus, omnibus officiis ordinis et actibus legitimis sit privatus, et si taliter punitus iterato duobus fide dignis testibus convincatur de sequestratione praedicta, vel si sequestrationes huiusmodi suspicionem multum violentam facerent sui praelati iudicio de consilio discretorum et probentur legitime, absque monitione vel punitione praemissa arctetur ad veritatem dicendam. Si vero unus testis fide dignus de sequestratione praedicta appareat contra eum et alius de lapsu carnis, arctetur gravius in domo disciplinae ». — Si vero aliquis de innominabili crimine, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiae [7], fuerit, quod absit, notatus et convictus, carceri perpetuo mancipetur, ubi omni die, igne circa eum accenso, corpore denudato, disciplinatus, panem et aquam quotidie comedens, defleat vitam suam in amaritudine et dolore. Circa quod si praelati fuerint negligentes, ipso facto suis officiis sint privati.

Quoad secundum capitulum regulae, *Qualiter volentes venire ad ordinem recipian-*

---

(1) Bulla *Quo elongati*, d. 28 sept. 1230 ap. *Bull. Franc.* t. I, n. 76, p. 68: Eubel, *Suppl.*, p. 229, n. IV.

(2) Bulla *Exiit qui seminat*, d. 14. (al. 15) aug. 1279 exstat ap. *Bull. Franc.*, t. III, Nic. III, n. 127; p. 404-16; Eubel *Suppl.*, p. 290-300, n. XLVII; C 3 in VI° 5, 12; *Ser. legisl. text. orig.*, p. 181-227; de obligatione testamenti S. Franc. ib. p. 221s. — Innoc. IV, Alex. IV, Clem. V hanc rem non expresse tractant.

(3) Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1362, p. 493-5.

(4) *Ser. legisl. text. orig.* p. 190-216.

(5) Cf. Nicolai III bullam *Exiit*, in *Ser. legisl. text. orig.* 211-2; bullam Martini IV *Exsultantes*, dat. 18 ian. 1283, ap. *Bull. Franc.* t. III, n. 40, p. 501-2; bullam Martini V *Amabiles fructus*, dat. 1 nov. 1428, ap. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1838, p. 712. Cf. quoque ibid. n. 1893, p. 739.

(6) Codex erronee *1404*. — Haec statuta edita sunt in Appendice II ad *Bull. Franc.* VI, p. 638-55; cf. 647-8; *Chronol. hist.-leg.* I, 64-85; cf. 76; De Gubernatis, *Orbis seraph.* III, 48-73; cf. 62.

(7) Cf. Eph. 5, 6.

tur, statuimus et ordinamus illud servandum fore, quod fel. rec. Nicolaus papa III declaravit in praedicta decretali, *Exiit qui seminat*, etc., ubi dicit: « Sed quoniam in desideriis nostris geritur, ut ad Dei gloriam salus proficiat animarum, ac dictus ordo, per quem iugiter ad amorem divinum affectio christianae religionis accenditur et merito et numero augeatur; concedimus et praesenti statuto firmamus, licere non solum generali ministro, sed etiam provincialibus ministris, personas fugientes a saeculo in fratres recipere, quae ministrorum provincialium licentia per ipsum generalem, sicut expedire viderit, possit arctari. Vicarii vero provincialium ministrorum ex officio vicariae licentiam hanc sibi noverint interdictam, nisi per ministros eosdem, quibus hoc posse committere vicariis et aliis licere decernimus, hoc ipsis vicariis specialiter committatur. Caveant tamen ipsi provinciales, quod hoc non indiscrete, non passim, sed sic considerate committant, sicque illos, quibus hoc committi contigerit, fidelibus consiliis fulciant, quod omnia discrete procedant. Nec indifferenter omnes admittantur ad ordinem, sed illi tantum, qui suffragrantibus eis litteratura, idoneitate, vel aliis circumstantiis, possint utiles esse ordini sibique per vitae meritum et aliis proficere per exemplum [1] ». Haec Nicolaus.

Statuimus insuper et ordinamus, quod nullus recipiatur ad ordinem, nisi annum 14 compleverit, etiam si fuerit oblatus a parentibus, nisi pro scandalo vitando, ut si forsan foret filius militis vel superioris dignitatis; nec recipiatur aliquis ad professionem, nisi annum compleverit probationis. — Et venientes ad ordinem diligenter examinentur de fide catholica et ecclesiasticis sacramentis, ut in regula continetur, ita quod sint fideles catholici et de nullo errore suspecti, matrimonio non ligati per copulam carnalem, corpore sani, animo prompti, legitime nati, debitis expediti, conditione liberi, nulla vulgari infamia notati, competenter litterati vel ad labores fratribus honestos et utiles apti, aut talis conditionis exsistentes, quod eorum receptio clero et populo non modicam aedificationem afferret. — Et quod venientes ad ordinem de bonis suis faciant quidquid Dominus inspiraverit eis, secundum regulam et declarationem Clementis V [2] *Ceterum quia Christi confessor*, ibi versiculo: « Cum vero facere de rebus suis, quod Dominus inspirabit, ipsamet regula [3] ingredientibus liberum velit esse, non videtur prohibere, quin liceat eis recipere, consideratis scilicet eorum necessitatibus et moderaminibus declarationis iam dictae, si quid de bonis suis intrans, sicut et ceteris pauperibus, per modum eleemosynae libere velit dare ».

Item de qualitate habitus, cum regula dicat, quod *Fratres omnes vestimentis vilibus induantur*, statuimus et ordinamus, ut in generalibus statutis praedicti Guillelmi habetur II capitulo: « Vestimentorum vilitas attendatur in pretio pariter et colore, ita quod semper in vestimentis reluceat asperitas, vilitas et paupertas. Et ut ignorantia nemini sit occasio delinquendi, ordinamus, quod omnes fratres vestimentis talibus induantur, quod, nec sint adeo pretiosa, ut videntes eos de curiositate et vanitate notare debeant, nec ita vilia et grossa, quod ipsa videntes in horrorem inducant et provocent ad derisum. Longitudo autem habitus ultra longitudinem fratris deferentis talis sit, quod, nec plica ultra quatuor digitos protendatur; nec ita brevis, quin chorda ex ea valeat operiri. Latitudo vero decem et octo palmorum non excedat mensuram nec sit minor quindecim. Caputium vero tali modo fiat, quod exsistens in capite extremitas per latitudinem duorum digitorum cingulum non excedat, nec per duorum digitorum latitudinem supra cingulum debeat remanere [4] », cui longitudini correspondeat proportionaliter latitudo secundum corporis quantitatem. — De mantellis autem, de modo dormiendi, de camisiis et cingulo et de calceamentis in omnibus observetur generale statutum praefati Guillelmi in II capitulo.

Quoad tertium capitulum regulae, *De divino officio*, statuimus et ordinavimus servandam esse constitutionem Benedicti XII, capitulo I, ubi sic dicit: « In primis circa agendum divinum officium in eodem ordine auctoritate apostolica ordinamus, quod ante missarum et horarum principia fratres dicti ordinis omnes, quos causa rationabilis non excusat, ad chorum conveniant praeparaturi Domino corda sua, ibique sine risu, murmure [5], discursu et absque vanis et vagis aspectibus sub silentio, in pace, cum debita gravitate permaneant, cantent et orent et usque in finem unanimiter perseverent. Quia vero cantus ecclesiasticus divinae laudis sacrificium fructusque labiorum canentium, non solum eorum qui psallunt, sed etiam auditorum aedificatio esse debet, eosdem fratres hortamur in domino, ut divinas laudes integre, attente, ho-

---

(1) Cf. *Ser. legisl. text. orig.* p. 217s.

(2) Bulla *Exivi de paradiso*, d. 2 maii 1312 ap. *Bull. Franc.* t. V, n. 195, p. 82; *Ser. legisl. text. orig.* p. 229-60; locus cit. ib. p. 240-1.

(3) Cod. *ipsam regulam.*

(4) V. *Bull. Franc.* t. VI, p. 640. Cod. l. 6-8: *per longitudinem d. dig. altitudinem supra cing. .... d. dig. altitudinem.*

(5) Cod. *murmurare.*

neste et religiose persolvant, gestus leves et cantus dissolutos et fractos omnino declinent, tractim psallant debito more; incepta, quae simul canenda forent, simul continuent, simul pausent » et cetera, ut in dicto capitulo continentur (1). Hoc addito, quod de cantu in locis, ubi pauci sunt fratres, qui non sufficerent ad cantandum, vel alia rationabili causa, praelati possint dispensare, cum viderint expedire. — Item de ieiunio illa serventur, quae in regula continentur. Item fiat de non equitando, praeterquam in casu necessitatis, attentis tamen verbis divi Bonaventurae in sua declaratione super hoc passu, qui dicit, quod non debeant equitare, neque bigare neque quadrigare, « nisi manifesta necessitate, scilicet prolixi vel impediti itineris vel negotii urgentis vel infirmitate cogantur (2) ».

Quoad quartum capitulum regulae, *Quod fratres non recipiant pecuniam*, statuimus et ordinamus, iuxta declarationem Nicolai III, Clementis V et Martini IV et V (3), quod quilibet conventus seu locus habeat suum procuratorem idoneum, syndicum et actorem, cui omnes eleemosynae pecuniariae et aliae, quae ad pecuniam reduci possent, integraliter consignentur, qui easdem dispensare debeat legaliter et fideliter in reparationem conventuum et locorum aliasque necessitates fratrum pro tempore occurrentes, et quod fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant. Si quis autem contrarium attentaverit, ipso facto omni actu legitimo sit privatus et poena carceris puniatur. — In omnibus autem, quae ultra hoc magis videntur arctare fratres dicti ordinis, sive ex declaratione Clementis V, sive quacumque alia declaratione summorum pontificum vel aliorum quorumcumque, apostolica nobis auctoritate commissa misericorditer dispensamus: non adstringentes propterea eos, qui noluerint praedictas declarationes servare, quin suo voto servare valeant et tenere. — Item, ministri et praelati pro necessitatibus infirmorum sollicitam curam gerant, eisdem diligenter in necessariis providendo, ordinando infirmarios vel alios fratres deputando servitiis eorum, qui deputati, si culpabiles inventi fuerint vel notabiliter negligentes, praesidentium arbitrio puniantur et alia fiant circa praedicta, sicut in generalibus statutis ordinis praedicti Guillelmi, IV capitulo continetur (4).

Quoad quintum capitulum regulae, *De modo laborandi*, statuimus et ordinamus, quod fratres, habentes gratiam laborandi, laborent fideliter et devote, prout in regula continetur, mercesque laborum, si pecuniaria fuerit, per solventem statim assignetur procuratori conventus sive loci; quae si pecuniaria non fuerit, consignetur praelato eiusdem loci, de qua possit omnibus fratribus ibidem commorantibus, prout necessitas exegerit, providere. Per hoc tamen nullus fratrum praesumat puerorum scholas regere in conventu vel extra saecularium personarum, sub poena privationis actuum legitimorum.

Quoad sextum capitulum regulae, *Quod fratres nihil sibi approprient*, statuimus et ordinamus ab universis servandum, prout regula dictat, et qui contrarium fecerit, puniatur, ut supra dictum est de pecuniariis. — Item, quod omnes fratres vadant pro eleemosyna confidenter, iuxta discretionem praelati praecipientis, cuius arbitrio committimus discernendum, qui congrue mittendi sint pro eleemosyna, vel qui non.

Quoad septimum capitulum regulae, *De poenitentia fratribus peccantibus imponenda*, statuimus et « ordinamus, quod nullus fratrum provinciali ministro inferior, nisi ex speciali generalis vel provincialis licentia ministrorum, possit aliquem fratrem absolvere a peccato inobedientiae contumacis, proprietariae rerum retentionis, lapsus carnis, furti rei notabilis, iniectionis manuum violentae, falsi testimonii in iudicio facti, compositionis vel porrectionis aut publicationis libelli famosi, falsificationis sigilli cuiuscumque personae notabilis, falsae criminationis in infamiam cuiuscumque. Si quis autem contrarium attentaverit, ipso facto actibus legitimis sit privatus, et si legitime fuerit deprehensus, carceri mancipetur (5) ».

Quoad octavum capitulum regulae, *De electione generalis ministri;* quia, languescente capite cetera membra dolent, statuimus et ordinamus, quod electio generalis ministri canonice celebretur in capitulo Pentecostes a ministris et custodibus, ut regula dictat. Ipsi autem electores talem in tanta religione studeant habere pastorem, qui scientia, vita, moribus et exemplo merito valeat magis prodesse, quam ambitiose praeesse ovibus recommissis, omni postposito amore, odio, timore, praeceptione (6) vel rancore. Quod si secus factum fuerit, electio nulla sit et electores voce activa et passiva perpetuo sint privati. — Item statuimus et ordinamus, quod generalis minister non habeat secum plures duobus sociis notabi-

(1) V. constitutionem *Redemptor noster*, d. 28 nov. 1336, ap. *Bull. Franc.* t. VI, n. 51, p. 25-42. Locus cit. ib. p. 26.

(2) *Expositio sup. reg. fratr. Min.* ap. S. Bonaventurae, *Opera omnia*, ad Claras Aquas 1898, t. VIII, p. 211, n. 14.

(3) Cf. supra, p. 5, nota 5, quibus hic accedit Clementis V bulla *Exivi, Ser. legisl. text. or.* p. 243-4.

(4) V. *Bull. Franc.* t. VI, Append. p. 642.

(5) Cf. Const. Farin. ap. *Bull. Franc.* t. VI, p. 645 in fin.

(6) Cod. *praeceptio.*

libus, uno cismontano et alio ultramontano, addito socio scriptore et alio servitore cum uno famulo. — Et quod de cetero, si generalis sit ultramontanus, cismontanus socius teneat sigillum ordinis, et econtra si generalis sit cismontanus, ultramontanus socius teneat sigillum ordinis, nec possit eos generalis ad libitum commutare, nisi morte interveniente vel alia causa legitima et casu notabili; tunc enim in locum illius substitutionem alterius socii facere possit de consilio discretorum.

Item, quod secundum declarationem quatuor magistrorum [1] generalis non possit immutare aliqua ordinata per ipsum et capitulum generale, sine ipsius capituli generalis assensu, in his, quae tangunt regulae puritatem. — Nec possit aliquem licentiare ad cursum magisterii, nisi fuerit praesentatus per ministrum provinciae, qui neminem audeat praesentare, nisi de consilio et assensu ipsius capituli provincialis. — Item, quod praedictus generalis minister exactionem nullam pecuniarum facere possit, neque pro confirmatione ministrorum, neque pro visitatione provinciarum, neque pro magisterio aut vestiario vel litteris officiorum aut suffragiorum sive quacumque occasione vel colore. Quod si secus fecerit, ipso facto suo officio sit privatus neque teneantur sibi fratres ulterius obedire. Et si exinde imposterum praesumpserit generalatus officium detinere vel retinere, etiam ipso facto sit periurus, infamis et inhabilis ad quaecumque officia vel beneficia, honores vel dignitates, tam in ordine quam extra ordinem obtinenda. — Item, quod non faciat vicarios in provinciis, nisi ex casibus necessariis et opportunis, quibus expletis vicariatus officium ipso facto volumus expirare.

Quoad nonum capitulum regulae, *De praedicatoribus*, statuimus et ordinamus, quod « fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum [2] »; sed cum omni humilitate et reverentia praelatos ecclesiae debeant venerari. — Item, quod nullus praesumat populo praedicare, nisi a generali ministro vel a provincialibus in capitulis provincialibus vel ab aliis, quibus per generalem magistrum fuerit commissum, examinatus exstiterit et approbatus et officium praedicationis sibi concessum. Possunt nihilominus praefati ministri concessam praedicandi licentiam revocare, suspendere et arctare, quoties, sicut et quando eis videbitur expedire iuxta declarationem praedicti Nicolai III in praefata decretali, *Exiit qui seminat*, etc. *Et quia in eodem* [3]. Et quod praedicti, quibus committitur auctoritas praedictam licentiam concedendi, nullum ad praedicationis officium admittere debeant, nisi exstiterit admittendus sacerdos vel diaconus aetatis ad minus 25 annorum, competentis litteraturae, vita et moribus approbatus, cuius doctrina merito populi aedificari valeant sine scandalo.

Caveant autem omnino praedicatores praedicti, ne quando praedicare praesumant quidquam contra libertatem sacrosanctae Romanae ecclesiae, vel ecclesiasticis personis detrahere, vel quod absit, scandalum contra clerum vel religionem aliquam excitare, aut personam aliquam praesentem criminaliter nominare, sed potius contra haereses et schismata populos digne et fideliter animare, in orthodoxae fidei veritate firmare, maxime contra praesentem satanicam et damnatam haeresim Hussitarum, contra quos in aliqua parte sermonis, prout videbitur expediens, invehatur. Si quis autem contra statum, honorem, dignitatem et ecclesiasticam libertatem praesumpserit praedicare, ipso facto praedicationis officio et omni actu legitimo sit privatus. Quod si post dictam privationem praesumpserit praedicare, per suos praelatos omni appellatione postposita vel alio subterfugio carceribus mancipetur; et praelati si in praedictis fuerint negligentes, in eamdem poenam se noverint incidisse, nisi legitima vel rationabili causa de impotentia se valeant excusare. Super quos et praedictos praedicatores delinquentes ordinarii locorum plenam iurisdictionem habeant puniendi et carcerandi sine aliquo processu, ad quod, cum opus fuerit, praedicti ordinarii invocare valeant brachium saeculare. — Item, quod nullus frater audeat in alienis ecclesiis praedicare ad scandalum et dedecus ordinis; liceat tamen eisdem fratribus in iis terris, ubi pro tempore fuerit consuetum, et in quadragesima, processionibus et similibus praedicare; et tunc non sine licentia praelatorum ordinis, nec praedicent vanitates, vel materias, quae scandalum possint verisimiliter generare.

Quoad decimum capitulum regulae, *De admonitione et correctione fratrum*, statuimus et ordinamus, quod praedictum capitulum diligenter per ministrum exsecutioni debitae demandetur, attendentes insuper, quod minister quilibet in sua provincia uno provido et honesto socio sit contentus, cum uno servitore; et quod nullus minister, custos, guardianus vel lector, vel quicumque alius frater quidquam exigat aliquo colore vel causa; quod si secus fecerit,

---

(1) Cf. supra, p. 4, nota, 6; ap. *Firm.* f. 20va; *Spec. Min.* f. 18va.

(2) Sic Regula ap. *Opuscula* cit. p. 71.

(3) *Ser. legisl. text. or.* p. 216s.

ipso facto suo officio sit privatus et subditi deinceps obedire sibi minime teneantur. Et si quid aliquis ministrorum generali ministro praesumpserit contribuere, ipso facto, ut supra, suo officio sit privatus. — Statuimus insuper, quod ministri diligenter et sollicite instent et invigilent reformationi studiorum per quaslibet suas provincias, ita et taliter, quod cuilibet studenti pro posse provideatur de suis necessariis, tam pro libris, quam pro reliquis opportunis, de communibus eleemosynis per procuratorem receptis pro quolibet conventu, sive loco nativo fratris ad studium promovendi. Exhortantes strictissime in visceribus Iesu Christi ceteros fratres aliorum locorum, quod cum viderint idoneos fratres ad studia promovendos, totis viribus eis impendant auxilium, consilium et favorem, in quibuslibet opportunis, quaerendo pro eis eleemosynas, recommendando valentibus subvenire, eisdem serviendo in nexibus charitatis, cum scientia donum Dei sit, armatura ad defensandum sanctam fidem catholicam, corona ordinis, lumen veritatis et via in tenebris ambulantium populorum. — Similiter attendant praedicti ministri cum omni vigilantia et circumspectione, quod caeremoniae ordinis, tam quoad divinum officium, quam quoad silentium et alias caeremonias communitatis spiritualis et temporalis, secundum antiquas consuetudines ordinis observentur. — Et si qua sint debita de praeterito contracta, solvantur ex (1) expropriatione fratrum vel locorum de vineis et possessionibus ceterisque rebus in ordine repertis, quarum possessio secundum puritatem regulae non potest ordini convenire, et si quid superesse poterit de pretio talium rerum vendendarum vel ex reddenda ratione quorumcumque fratrum vel ministrorum vel aliorum subditorum, assignetur procuratoribus locorum quorumcumque per quaslibet provincias pro communi utilitate et commoditate eorumdem fratrum vel locorum. — Ministri autem et alii praelati corrigant suos subditos, humiliter et charitative eos visitent secundum regulam, delinquentes misericorditer puniendo, iuxta tenorem VII capituli statutorum generalium praedicti Guillelmi (2) et XVII capituli statutorum Benedicti XII (3) vel alias, prout eisdem ministris et praelatis melius videbitur expedire.

Item, cum in eodem ordine aliqui fratres fuerint et sint excellentes in devotione et observantia strictiori huius professionis, ordinamus, quod tales sic viventes, per praelatos suos bene tractentur et favorabiliter in suis devotionibus nutriantur in suis eremitoriis et locellis. Caveant autem praedicti praelati, ne fratres aliquos ad eremitoria mittant pro residentia ibidem facienda, nisi maturos, solidos et probatos in obedientia regulari, ubi fieri poterit bono modo. — Item, quod de cetero nullus audeat conventus aut loca seu eremitoria multiplicare aut de novo aedificare seu aedificari facere, non solum pro fratribus, quin etiam pro sororibus, sine auctoritate D. N. papae, dominorum dioecesanorum, generalis et ministrorum provincialium licentia, sine praeiudicio conventuum propinquorum, in quorum terminis contigerit attentari, salva tamen decretali Bonifacii VIII, quae incipit *Cum ex eo*, de excessibus praelatorum libro VI (4). — Item ubi regula dicit, quod *ubicumque sunt fratres, qui scirent et cognoscerent se non posse regulam spiritualiter observare*, declaramus iustam causam recurrendi ad ministrum, cum tali loco est annexa proprietas, vel cura animarum, pueros baptizandi et alia parochialia faciendi, aut quia propter necessariorum penuriam oportet eos in fructuum congregationibus vel quaestibus inhonestis contra regulae puritatem et usum ordinis generalem accedere; aut propter societatem inhonestam vel importabilem fratribus, praesertim rudibus et infirmis. Pro huiusmodi autem causis similibus fratres debent et possunt ad suos ministros recurrere per eosdem inde pie et paternaliter amovendi et in locis devotis et spiritualibus collocandi.

Quoad undecimum capitulum regulae, *Quod fratres non ingrediantur monasteria monacharum*, statuimus et ordinamus illud esse servandum, quod praefatus Nicolaus III decrevit in eadem sua decretali, *Exiit qui seminat*, etc., *Denique quia continetur*, ubi determinat prohibitum esse fratribus, ne ingrediantur monasteria monacharum quarumcumque: intelligens « nomine monasterii, claustrum, domos et officinas interiores, pro quo quidem ad alia loca, ubi homines saeculares conveniunt, possunt fratres illi causa praedicationis vel eleemosynae petendae accedere, quibus id a superioribus suis pro sua fuerit maturitate vel idoneitate concessum, exceptis semper praedictarum monasteriis inclusarum, ad quae nulli datur accedendi facultas sine Sedis eiusdem licentia speciali (5) ». Quod etiam Gregorius IX determinavit (6). Addentes nihilominus, quod si quis sine ministrorum licentia aliquod monasteriorum intrare praesumpserit, ipso facto carceri mancipetur. — Et diligenter attendant ministri, quod moniales sibi

(1) Cod. *et*.
(2) Cf. *Bull. Franc.* t. VI, p. 645ss.
(3) Cf. *Bull. Franc.* t. VI, p. 38s.
(4) Cap. un. in VI° 5, 6.
(5) *Ser. legisl. text. orig.* p. 220s.
(6) Litteris *Quo elongati* sup. p. 5, nota 1 citatis.

commissae debitam clausuram servent, tam fratrum quam saecularium accessus a se compescendo, sub interminatione maledictionis aeternae. — Item statuimus et ordinamus, quod nullus frater de cetero praesumat fieri compater virorum et mulierum; et qui iam compaternitatem contraxerint, quantum in eis est, hoc nomine se minime nominari permittant, nec ipsi alios nominent; et qui contrarium fecerint, carceri mancipentur.

Quoad duodecimum capitulum, *De euntibus inter Saracenos*, statuimus, quod servetur regula. Et in praesenti capitulo et in quibuscumque aliis capitulis generalibus, quantum possibile est provideatur et disponatur de bono regimine locorum Terrae Sanctae, tam quoad guardianum, quam quoad alios fratres, ita quod semper pro gubernatione illorum locorum eligantur in capitulis generalibus de melioribus et devotioribus fratribus ordinis, qui vita, moribus et doctrina probati, lucis exemplum praebeant et aedificationem pariter infidelibus, cum quibus contigerit conversari. — Item, statuimus et ordinamus, quod procuratores ordinis in curia Romana nihil exigant vel extorquere praesumant a fratribus advenientibus undecumque. Quod si secus fecerint, ipso facto suo officio sint privati. Et procurator cismontanorum tractet negotia fratrum cismontanorum, ultramontanus autem tractet negotia ultramontanorum. — Item statuimus et ordinamus sub eadem poena, quod inquisitores haereticae pravitatis teneantur restituere communitati conventuum, ubi officium inquisitionis exercent, quidquid sibi advenire poterit vel competere ex officio inquisitionis, usque ad condignam satisfactionem expensarum, quas in praedictis conventibus perceperint, dum officium inquisitionis exercuerunt (1). Et si eisdem inquisitoribus a communitate, vel ab alia speciali persona competenter provisum fuerit de expensis, non teneantur praedicti conventus eisdem providere de victu vel vestitu, sed si quid superfuerit ultra praedictum victum et vestitum de eo quod sibi competeret officio suo, conventui nativo reddatur distribuendum communiter inter fratres. — Et quod nullus inquisitor eiusdem ordinis in officio inquisitionis remaneat ultra duos annos, secundum eiusdem ordinis generalia statuta dicti Guillelmi, VI capitulo, paragrapho finali (2). — Item statuimus et ordinamus, quod de cetero nullus praelatorum minister vel magister aliquem fratrem eiusdem ordinis praesumat adstringere vel compellere ad aliquam pecuniarum solutionem, ratione cuiuscumque gradus scholastici, videlicet magisterii, lectoratus, bachalaureatus vel alterius cuiusque, sub poena privationis gradus, tam in exigente, quam in contribuente.

Insuper, quia parum est leges condere, nisi exsecutioni debitae demandentur, volumus et mandamus ac stricte praecipimus universis et singulis fratribus eiusdem ordinis, ubicumque fuerint et vixerint, cuiuscumque gradus seu conditionis exsistant, quod in omnibus his supradictis suis praelatis teneantur firmiter obedire, scilicet generali in toto ordine, ministris provincialibus in provinciis, custodibus in custodiis, guardianis in guardianatibus, caeterisque praelatis in his et aliis licitis et honestis, quae non sunt contra animam suam et regulam dicti ordinis. Et si quis, quod absit, contrafecerit, trina monitione praemissa congruis intervallis, postquam, si rebellis et inobediens exstiterit, carceri mancipetur. — In omnibus autem aliis statutis, ordinationibus, constitutionibus et declarationibus, tam summorum pontificum, quam aliorum quorumcumque, sive de non edendo carnes in festivitatibus nativitatis, resurrectionis, ascensionis dominicae, pentecostes, apostolorum Petri et Pauli, assumptionis Virginis gloriosae, beati Francisci, sancti Antonii et beati Ludovici episcopi vel quibuscumque aliis temporibus, per regulam vel per ecclesiam non prohibitis et ieiuniis, sive de quibuscumque aliis in aliis constitutionibus positis, quae non sunt contra legem Dei vel statutum ecclesiae generale, auctoritate apostolica dispensamus, nolentes aliquem dicti ordinis ex praedictis statutis seu constitutionibus, ordinationibus vel declarationibus, de quibus in his praesentibus non fit mentio, mortalis peccati vinculo alligari, nisi tales essent casus transgressionis vel excessus, qui divina lege seu sacrosanctae Romanae ecclesiae generali statuto merito inducerent ad mortale. — Et ubicumque in aliis statutis eiusdem ordinis papalibus vel generalibus poena excommunicationis imponitur, quatenus in aliam poenam temporalem valeat commutari, arbitrio praesidentium, committimus. Sententias vero excommunicationis inibi contentas auctoritate praefata ex nunc tollimus, remittimus et relaxamus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. — Praedicta autem statuta, constitutiones, ordinationes, seu declarationes et revocationes volumus ab omnibus tam praelatis quam subditis, integre et inviolabiliter observari, mandantes et districte praecipientes omnibus praelatis tam generali et provincialibus ministris, quam aliis praelatis or-

(1) Cod. *exercent.*

(2) *Bull. Franc.* t. VI, p. 645.

dinis quibuscumque, quod omnia et singula supradicta servent et faciant ab omnibus inviolabiliter observari. Quod si in praedictis fuerint negligentes, ipso facto suis officiis sint privati. Et ne alicui ignorantia sit occasio delinquendi, sub interminatione divini iudicii mandamus praelatis saepedictis, quatenus in quolibet conventu et loco ad minus semel in mense legi [eas] faciant et intelligibiliter divulgari.

Has autem constitutiones, reformationes et ordinationes per nos Iohannem cardinalem, legatum et reformatorem praefatum, auctoritate apostolica factas et ordinatas, alta et intelligibili voce in pleno capitulo ad sonum campanae, ut moris est, congregato coram multitudine copiosa fratrum eiusdem ordinis propterea ibidem existentium de verbo ad verbum per organum venerabilis et religiosi viri fratris Ioannis de Capistrano, eiusdem ordinis professoris, legi et publicari fecimus, et ad perpetuam rei memoriam per generalem ministrum, custodes, discretos et omnes ac quoscumque fratres et religiosos dicti ordinis, praesentes, absentes et futuros in omnibus et per omnia, prout superius late scripta sunt, sub poenis in eisdem contentis, inviolabiliter teneri et observari mandavimus et per praesentes mandamus.

Post quarum quidem constitutionum, reformationum et ordinationum publicationem et lecturam, omnes et singuli ministri, custodes custodum, discreti et alii in dicto capitulo exsistentes, tam nominibus suis propriis quam suorum conventuum et fratrum praesentium et futurorum, dictis constitutionibus, ordinationibus et reformationibus tamquam legitime, sancte et iuste factis et ordinatis, non coacti, neque circumventi, libere et sponte, sine contradictione aliqua in pleno capitulo acquieverunt et in eisdem et eorum singulis, in omnibus et per omnia consenserunt, alta et intelligibili voce unanimiter clamando et dicendo: « Consentimus in eisdem, in omnibus et per omnia, et volumus stare et vivere et mori in dicto ordine nostro sancte, fraternitaliter, secundum constitutiones et reformationes praedictas ».

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes nostras litteras sive praesens publicum instrumentum, constitutiones, ordinationes et reformationes huiusmodi in se continentes sive continens exinde fieri et per secretarium nostrum, notarium publicum infrascriptum subscribi et signari mandavimus, nostrique sigilli cardinalatus iussimus et fecimus appensione communiri.

Lectae et in scriptis promulgatae fuerunt hae constitutiones, reformationes et ordinationes suprascriptae per nos de mandato nostro, modo supradicto, Assisii in monasterio fratrum Minorum, tempore generalis capituli, in pleno capitulo, nobis ibidem de praefati D. N. papae mandato praesentibus, sub anno a nativitate Domini MCCCCXXX, indictione VIII, die vero 21 mensis iunii, pontificatus praefati D. N. papae anno XIII, praesentibus ibidem reverendo patre domino Bernardo Montisalbani episcopo [1], et Guillelmo Pacize et Iohanne Meroles, alias Frances, notariis apostolicis, familiaribus nostris, et pluribus aliis, tam laicis et clericis, quam fratribus dicti ordinis, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Anno et indictione supra dictis, die vero XXII eiusdem mensis, venerabilis et religiosus vir D. Fr. Guillelmus de Casali, electus in generalem, praestitit iuramentum in forma de verbo ad verbum, prout erat in quodam parvo libro constitutionum antiquarum dicti ordinis. — Et insuper iuravit ad sancta Dei evangelia manibus suis corporaliter tacta, tenere et servare omnes et singulas constitutiones et reformationes noviter in praefato capitulo per praefatum reverendissimum patrem D. cardinalem legatum factas et publicatas, in omnibus et per omnia sine aliqua contradictione, ut in eisdem plenius continetur. — Et quod nunquam procurabit per se, neque per interpositam personam, revocationem dictarum constitutionum, neque alicuius earum: immo eas servabit et servari faciet in futurum, quantum in eo fuerit, sub poena periurii. — Iuravit insuper non impetrare revocationem dictarum constitutionum, nec absolutionem huiusmodi iuramenti in toto vel in parte, nec tali revocatione, nec absolutione uti, quamvis sibi motu proprio concedatur, praesentibus suprascriptis testibus.

Et ego Rodericus Gundisalvi de Mocuellos, clericus Burgensis dioecesis, publicus apostolica auctoritate notarius, dictique reverendissimi in Christo patris et domini mei D. Iohannis, tituli S. Petri ad Vincula presbyteri cardinalis, reformatoris praefati, secretarius, praemissis constitutionibus, reformationibus et ordinationibus, earumque publicationi, omnibusque aliis et singulis, dum sic, ut praemittitur, publicarentur, agerentur et fierent, una cum praenominatis testibus praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, in notam recepi, indeque hoc praesens publicum instrumentum, constitutiones, reformationes et ordinationes huiusmodi in se continens,

---

[1] De eo cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1621, p. 614.

manu alterius scriptum extraxi et de mandato praefati Domini mei cardinalis, una cum eiusdem appensione sigilli, signo meo solito signavi, rogatusque et requisitus, in fidem et testimonium omnium singulorum praemissorum me subscripsi.

Nulli ergo *etc.* nostrorum cassationis, irritationis, annullationis, decreti, confirmationis, communitionis, adstrictionis, obligationis, mandati voluntatis et inhibitionis infringere *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum anno ... 1430, idibus martii, ... anno I.

5. Viridae de Piis, domicellae loci de Carpo, concedit licentiam fundandi monasterium Corporis Christi O. S. Cl. in civitate Ferrarien. (1).

1431, aprilis 4, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii de Gavello, Adrien. (2) *dioec.*

Sedis Apostolicae copiosa benignitas pia vota fidelium, illa praesertim, per quae religionis propagatio, divinique cultus augmentum intenditur ac aeternae salutis commodum procuratur, libenter exaudit et ut optatum sortiantur effectum, partes suas favorabiliter interponit. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Viridae de Piis, domicellae loci de Carpo, qui nullius dioecesis exsistit, petitio continebat, quod ipsa de propria salute recogitans ... quoddam monasterium monialium ad gloriam et honorem omnipotentis Dei et beatae Virginis gloriosae sub vocabulo Corporis Christi in civitate nostra Ferrarien.... aedificare incepit illudque ... pro una abbatissa et nonnullis monialibus ordinis S. Clarae sub perpetua clausura et secundum eiusdem sanctae regulam vivere debentibus, cum ecclesia, campanili ... officinis ... sufficienter dotare, perficere et complere proponit. Quare pro parte eiusdem Viridae nobis fuit humiliter supplicatum, *etc.*

Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus praedictae Viridae monasterium praefatum cum ecclesia, campanili ... supradictis construendi ... iure tamen parochialis ... salvo, auctoritate apostolica licentiam largiaris. Nos enim quascumque mulieres dictum monasterium intrare volentes, si alias sint idoneae et aliquod canonicum non obstet, in dicto monasterio, postquam illud constructum et aedificatum ac sufficienter dotatum fuerit, ut praefertur, recipiendi eisque regularem habitum per ipsius ordinis moniales gestari solitum exhibendi ac professionem per easdem moniales emitti solitam, si illam in tuis manibus sponte et libere emittere voluerint, regularem ab eis recipiendi et admittendi necnon pro earum instructione de quocumque monasterio dicti ordinis aliquas moniales vita laudabili et moribus commendatas et alias in disciplina dicti ordinis sufficienter instructas, ad id tamen voluntarias, tot videlicet, quot cum aliis receptis in dicto monasterio iuxta illius facultatem commode sustentari et incumbentia onera supportare valeant, superiorum suorum petita, licet non obtenta licentia, ad huiusmodi novum monasterium transferendi ac unam ex eis pro hac prima vice in abbatissam, cui curam et administrationem huiusmodi novi monasterii in spiritualibus et temporalibus plene committas, praeficiendi, reservata tamen in futurum monialibus in eodem novo monasterio pro tempore exsistentibus, quoties illud per cessum vel decessum seu alias quomodocumque vacare contigerit, abbatissam iuxta morem dicti ordinis elig[end]i [facultate], tibi potestatem omnimodam, necnon huiusmodi abbatissae et monialibus in dicto novo monasterio pro tempore exsistentibus, ut omnibus privilegiis ..., quibus aliae abbatissae et moniales in aliis dicti ordinis monasteriis commorantes gaudent et utuntur, uti et gaudere valeant, quodque aliquem presbyterum saecularem, qui in ecclesia dicti novi monasterii missas et alia divina officia celebret, ac eis absque iuris alieni praeiudicio ecclesiastica sacramenta ministret, necnon ipsarum confessionibus diligenter auditis, pro commissis, nisi talia fuerint propter quae Sedes Apostolica esset consulenda merito, debitam eis absolutionem impendat et iniungat poenitentiam salutarem, eligere et recipere valeant, auctoritate praedicta concedimus per praesentes.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, II nonas aprilis, ... anno I.

6. Paulae de Gonzaga concedit facultatem, quoties voluerit, ingrediendi clausuram monasterii Corporis Christi Mantuan. O. S. Cl., aliorum vero monasteriorum sex vicibus in anno (3).

1431, aprilis 13, Romae.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Paulae, dilecti filii nobilis viri Iohannis Francisci de Gonzaga (4)*, militis, in civitate Mantuana Imperialis Vicarii, uxori.*

Devotionis tuae sinceritas promeretur, *etc.* Hinc est quod nos volentes tibi, quae ut asse-

(1) Reg. Lat. t. 304, f. 124; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 3.
(2) Adrien. dioec. provinciae ecclesiasticae Ravennaten.
(3) Reg. Lat. t. 302, fol. 22.
(4) Iohannes Franciscus Gonzaga I natus 1394, mortuus 1444 septemb. 23; de Paula cf. *Bull. Franc.* t. VII, p. 595, nota 4.

ris de bonis tibi a Deo collatis monasterium monialium Corporis Christi Mantuan. ordinis S. Clarae fundari et pro magna parte aedificari fecisti illudque et alia monasteria religiosarum inclusarum ubique visitare et illa cum aliis matronis seu honestis mulieribus intrare desideras, favore apostolico prosequi, ... tibi, ut cum sex matronis seu mulieribus honestis huiusmodi praefatum Corporis Christi, quoties horis congruentibus volueris, alia vero monasteria praedicti et aliorum ordinum huiusmodi monialium inclusarum sex vicibus dumtaxat anno quolibet intrare et inibi refectionem recipere libere et licite valeas, dummodo abbatissarum vel earum, quae monasteriis ipsis praefuerint ad id accedat assensus et tu dictaeque matronae seu mulieres ibidem non pernoctetis, eorundem monasteriorum et ordinum statutis ... nequaquam obstantibus, tenore praesentium indulgemus. Volumus autem quod huiusmodi nostra concessio per quamcumque generalem revocationem super hoc etiam per Sedem Apostolicam vel alias faciendam nullatenus revocata censeatur, nisi de concessione nostra huiusmodi plena et expressa ac de verbo ad verbum fiat inibi mentio specialis, etiamsi in huiusmodi revocatione inserta foret huiusmodi clausula, videlicet: non obstantibus aliquibus concessionibus vel indultis apostolicis, de quibus facienda esset etiam de verbo ad verbum mentio specialis. Nulli ergo *etc.* nostrae concessionis et voluntatis infringere *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, idibus aprilis, ... anno I.

7. Alberto, suffraganeo Frisingen. ac Eystetten. O. F. M., propter senium concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1431, aprilis 17, Romae.

Venerabili fratri Alberto episcopo Salonen. (2).

Personam tuam *etc.* Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu qui septuagesimum tuae aetatis annum transcendisti et plerisque annis praeteritis pro venerabilibus fratribus nostris Frisingen. ac Eystetten. (3) episcopis in ipsorum civitatibus et dioecesibus pontificale officium laudabiliter exercuisti, prout exerces, amodo senio graveris ac dubites, qui de ecclesia tua Salonen., quae in partibus infidelium exsistit (4), nihil percipis, si quando viribus destituaris, non habeas, unde statum tuum iuxta pontificalis dignitatis decentiam tenere possis, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi et statui tuo de alicuius subventionis auxilio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... tibi, ut quamcumque parochialem ecclesiam seu aliud beneficium ecclesiasticum curatum, si tibi alias canonice conferatur vel commendetur, recipere et quoad vixeris in commendam retinere libere et licite valeas, non obstantibus, quod ordinis fratrum Minorum professor exsistis ... auctoritate apostolica concedimus per praesentes, ita quod fructus ... libere recipere illosque in tuos et ipsius parochialis ecclesiae aut beneficii usus convertere necnon alias de ipsis disponere et ordinare licite valeas ... Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XV kal. maii, ... anno I.

8. Confirmat acta per Guillelmum praepositum monasterii Montis Salvii (5), dioec. S. Flori (6), circa erectionem domus O. F. M. de observ. in vicecomitatu de Murato (7) eiusdem dioec., vigore litterarum Martini V (8).

1431, aprilis 29, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudinis pastoralis officium *etc.* Dudum siquidem pro parte dilecti filii, nobilis viri Bernardi de Armaniaco, comitis Pardiaci et vicecomitis Carladesii et Murati (9), fel. rec. Martino papae V, praedecessori nostro, exposito, quod licet venerabilis frater noster Iacobus episcopus S. Flori, comiti praefato, ad hoc zelo piae devotionis moto, ... capellam S. Galli, S. Flori dioec., quae infra dictum vice-comitatum de Murato, ipsius comitis temporali ditioni subiectum, etiam tunc constituta erat et mensae capitulari ecclesiae beatae Mariae de Murato dictae dioec. canonice censebatur unita, in domum ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum erigendi, eamque pro aliquorum eiusdem ordinis fratrum, qui inibi Altissimo iuxta regularia ipsius ordinis instituta conventualiter missas et alia divina officia celebrando servirent, usu et habitatione applicandi et deputandi, per suas

---

(1) Reg. Lat. t. 304, f. 155.

(2) Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 499, p. 179; n. 1866, p. 726.

(3) Frisingen. (Freising) episcopatus suffraganeus provinciae Salzeburgen., Eystetten. (Eichstätt) suffraganeus Maguntinae provinciae, ambo in Germania.

(4) Salona=Amphissa, civitas Graeciae, episcopatus provinciae ecclesiasticae Atheniensis.

(5) Montsalvy.

(6) Saint-Flour in Gallia, suffragan. Bituricen.

(7) Murat, ad montem Cantal situm.

(8) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV n. 4.

(9) Bernardus de Armagnac, natus 1400, comes de Pardiac 1418, de La Marche et Castres 1435, mortuus c. 1462. Cf. *Nouvelle biographie générale,* XXIX, Paris 1859, 44-47. Carladesium=Carlat.

litteras licentiam concessisset, certis tunc expressis circa haec conditionibus adiectis, ipse tamen comes concessionem eamdem ex certis causis viribus non subsistere, seque praemissa licite adimplere non posse dubitabat, Apostolicae Sedis auctoritate sibi ad hoc etiam non suffragante: dictus praedecessor dilecto filio praeposito monasterii Montis-Salvii, per praepositum soliti gubernari, S. Flori dioec., eius proprio nomine non expresso suis litteris dedit in mandatis, ut concessionem et litteras episcopi supradictas, omniaque et singula in eis contenta ac inde secuta, auctoritate apostolica approbaret et confirmaret, supplendo omnes defectus ...; et nihilominus comiti praefato domum eamdem cum ecclesia, hortis, ... necessariis officinis ... pro usu et habitatione fratrum huiusmodi deputandi et applicandi plenam ... licentiam largiretur, iure tamen parochialis ... salvo (1).

Postmodum vero ... dilectus filius Guillelmus praepositus dicti monasterii ad exsecutionem ipsarum litterarum procedens, earum forma servata, concessionem et litteras episcopi ac contenta et inde secuta approbavit et confirmavit supplendo omnes defectus supradictos, ac praefato comiti domum praefatam cum ecclesia ... erigi et construi faciendi, illamque pro usu et habitatione fratrum huiusmodi deputandi et applicandi licentiam largitus fuit, iure tamen parochialis Bredami, infra cuius limites consistit, et dictae beatae Mariae ecclesiarum et cuiuslibet alterius in praemissis omnibus salvo, ipsique comiti, ut infra quinquennium ex tunc computandum domum cum ecclesia ... omnino compleret, seu compleri faceret, ac fratribus in dicta domo collocandis de altaribus, campana, libris ... tam pro divino officio inibi celebrando, quam alias pro usu eorumdem fratrum necessariis provideret iuxta promissionem per eum desuper factam iniunxit, prout in instrumento publico inde confecto, sigilli ipsius Guillelmi praepositi appensione munito, quod in cancellaria apostolica examinari fecimus diligenter, plenius continetur. Quare pro parte eiusdem comitis nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... approbationem, confirmationem ... rata habentes et grata illa auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, III kal. maii, ... anno I.

9. Supprimit monasterium B. Mariae de Montesancto extra muros Tudertin. O. S. Cl. illudque transfert ad canonicos O. S. Aug. ac Pandulpho de Alviano, notario apostolico, confert in commendam (2).

1431, aprilis 29, Romae.

Dilecto filio Iohanni, titulo S. Petri ad Vincula presbytero cardinali.

Iustis et honestis supplicum votis etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Pandulphi de Alviano, notarii nostri, petitio continebat, quod monasterium Beatae Mariae de Montesancto, monasterium maius nuncupatum, extra muros Tudertin., ordinis S. Clarae (3), quod hactenus in suis structuris et aedificiis solemne et sumptuosum et in quo sedecim seu viginti moniales eiusdem ordinis Domino famulantes continuo residere consueverunt, propter guerras et alias calamitates, quae partes illas diutius afflixerunt, in aedificiis et structuris huiusmodi totaliter collapsum et ruinae deditum illiusque fructus, redditus et proventus diminuti exsistant, quod ex illis quatuor moniales inibi degentes commode sustentari nequeant, quodque ipsius praedia et possessiones per moniales, quae fuerunt pro tempore ipsius monasterii, alienata, per nonnullos laicos occupata detinentur, et quod deterius est, ipsae degentes moniales propter praemissa claustro ipsius monasterii derelicto et infra moenia civitatis Tudertin. commorantes in illa inhonestam vitam ducunt in divinae maiestatis offensam, religionis contemptum ac animarum suarum periculum et scandalum plurimorum. Et sicut eadem petitio subiungebat, cum de reparatione seu relevatione dicti monasterii nulla spes exsistit, idem Pandulphus sperans praecipue ad recuperationem alienatorum et occupatorum praedictorum ex eo maxime, quia prope civitatem Tudertin. praedictam oriundus est, et pluribus aliis causis, opportunos habere favores, zelo devotionis accensus ac ad ordinem S. Augustini singularem habens devotionis affectum, ad laudem Dei et eiusdem S. Augustini infra moenia praedicta unum monasterium dicti ordinis S. Augustini cum ecclesia, ... fundare ... proponit, si ad illud praefatum monasterium monialium, postquam in eo ordo S. Clarae suppressus fuerit, transferatur. Quare pro parte ipsius Pandulphi nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... de praemissis certam notitiam non habentes ac pium huiusmodi propositum in Domino commendantes, di-

(1) Litteras Martini V *Apostolicae servitutis officii*, d. 1430 maii 19 vide apud Eubel, *Bull. Franc.* t. VII, n. 1886, p. 734 et Wadd. *Reg. pont.* Martini V, n. 241.

(2) Reg. Lat. t. 302, f. 235 v.

(3) Cf. de hoc monasterio *Bull. Franc.* t. VII, n. 1283, p. 461.

scretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... ordinem ipsum S. Clarae in dicto monasterio beatae Mariae auctoritate nostra supprimas ... ac eidem Pandulpho monasterium S. Augustini huiusmodi sub ipsius S. Nicolai (!) pro canonicis ... ad instar aliorum monasteriorum ipsius ordinis S. Augustini fundandi et construendi, ... in eoque canonicos praedictos iuxta facultates eosdem recipiendi plenam et liberam licentiam auctoritate nostra largiaris, necnon monasterium ipsum fundandum una cum beatae Mariae monasterio praedicto eidem Pandulpho per eum, quoad vixerit, tenendum, regendum et gubernandum eadem auctoritate in commendam concedas, ita tamen, quod illius fructus, redditus et proventus pro sustentatione et aliis vitae necessariis eorumdem canonicorum et alias in utilitatem eiusdem monasterii fundandi convertantur, necnon moniales degentes praedictas ad aliud seu alia monasteria dicti ordinis S. Clarae, in quibus benevolas repererint receptrices, quibus non fuerint onerosae, reservata eis et earum cuilibet de fructibus, redditibus et proventibus praedictis congrua portione, de qua commode sustentari valeant, transferendas esse decernas. Nos enim *etc.* Non obstantibus *etc.* Proviso, quod monasterium beatae Mariae praedictum ad profanos usus nullatenus reducatur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, III kal. maii, ... anno I.

10. Iohanni de Ramaga eremitae concedit eremitorium S. Mariae Magdalenae de Ramaga, dioec. Abulen., pro habitatione fratrum III ordinis S. Francisci (1).

1431, aprilis 30, Romae.

Dilecto filio scholastico ecclesiae Salamantin.

Piis devotorum supplicationibus *etc.* Sane pro parte dilecti filii Iohannis de Ramaga eremitae, Abulen. dioec., nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse summis desiderat affectibus, ut in eremitorio S. Mariae Magdalenae de Ramaga, dictae dioec., in quo cum nonnullis clericis et laicis sub regula et secundum instituta fratrum tertiae regulae S. Francisci, in humilitatis spiritu et paupertate, eremiticam vitam ducit, fratres huiusmodi regulam professi, quorum unus sit minister, cui alii omnes obedire teneantur, inhabitent et divina officia diurna pariter et nocturna, more ipsius ordinis devote celebrent, seu faciant celebrari. Quare pro parte ipsius Iohannis *etc.*

Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et ... eremitorium, cuius fructus, redditus et proventus quinque librarum Turonen. parvorum, secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipse Iohannes asserit, non excedunt, cum possessionibus et bonis, pro usu et habitatione fratrum huiusmodi auctoritate nostra perpetuo deputes et ordines, ac praefatum Iohannem, quoad vixerit, illius ministrum, cui alii fratres inibi pro tempore degentes obedire teneantur et debeant, constituas, sibique et dictis pro tempore in illis degentibus fratribus regimen, gubernationem et usumfructum possessionum et bonorum praedictorum eadem auctoritate concedas.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, II kal. maii, ... anno I.

11. Visitantibus capellam eremitorii S. Mariae Magdalenae de Ramaga III O. S. Fr. indulgentias largitur (2).

1431, maii 8, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Quanto magis fideles Christi *etc.* Cupientes itaque, ut capella eremitorii S. Mariae Magdalenae de Ramaga (3), quae in suis aedificiis et structuris ruinosa, necnon paramentis et ornamentis ecclesiasticis destituta exsistit, congruis honoribus frequentetur et reparetur ac ornamentis et paramentis huiusmodi decenter fulciatur, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis et Corporis D. N. I. C. ac pentecostes, necnon in nativitatis, annunciationis, purificationis et assumptionis beatae Mariae, ac nativitatis beati Iohannis Baptistae et apostolorum Petri et Pauli ... ac ipsius capellae dedicationis festivitatibus et celebritate omnium sanctorum, necnon per ipsarum ... festivitatum octavas et per sex dies dictum festum pentecostes immediate sequentes capellam ipsam ... visitaverint ..., singulis videlicet festivitatum ... praedictarum unum annum et quadraginta dies, octavarum vero et sex dierum praedictarum diebus ... centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, VIII idus maii, ... anno I.

---

(1) Reg. Lat. t. 309, f. 283; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 5.

(2) Reg. Lat. t. 309, f. 282v.

(3) Cf. n. praec.

12. Ministro generali mandat visitationem et reformationem monasteriorum O. S. Cl. (1).

1431, maii 12, Romae.

Dilecto filio generali ministro ordinis Minorum.

Ad statum singulorum fidelium etc. Sane, sicut ex fide dignorum relatione percepimus, nonnulla monasteria monialium ordinis S. Clarae in diversis locis consistentia propter nonnullarum abbatissarum ac in eis culpam degentium monialium, quae plerumque a iugo regularis observantiae deviantes, laxiorem quam deceat vitam ducunt, ac propter varias dissensiones et scandala, quae in eisdem monasteriis quotidie oriuntur, non modica correctione et reformatione indigere noscuntur. Nos igitur in praemissis debite providere cupientes ac sperantes, quod tu propter impositum tibi dicti ordinis gubernandi et regendi onus ad eius et monasteriorum praedictorum reformationem et ad debitum statum reductionem eo diligentius incumbes, quo maiori fueris per Nos auctoritate munitus, tibi omnia et singula huiusmodi monasteria eorumque personas tam in capite, quam in membris, auctoritate Nostra visitandi ac ea, de quibus tibi videbitur, aperta monasteria sub debita clausura ponendi, necnon ipsorum abbatissas secundum demerita earum deponendi et alias de novo instituendi et destituendi, moniales quoque cum rebus et bonis suis de uno monasterio ad aliud transferendi, bona insuper unius monasterii ad aliud applicandi, ac omnia alia et singula agendi, faciendi et statuendi, quae in ipsis monasteriis secundum Deum pro eorumdem et personarum huiusmodi statu, utilitate, reformatione et quiete ac divini cultus observantia, de consilio tamen et assensu discretorum, correctionis et reformationis officio noveris indigere, contradictores *etc.* plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem concedimus et etiam potestatem, constitutionibus apostolicis ... non obstantibus quibuscumque *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, IV idus maii, ... anno I.

13. Mandat, ut Francisco Francisci de Clusio, III O. S. Fr. restituatur eremitorium a se fundatum in monte Alverniae, dioec. Arretin., unde per guardianum O. F. M. eiusdem loci eiectus fuerat (2).

1431, maii 14, Romae.

Dilecto filio Lucae Carbonis, cañonico Aretin.

Iustis et honestis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Francisci Francisci de Clusio, tertii ordinis beati Francisci de poenitentia nuncupati professoris, petitio continebat, quod licet olim ipse, qui antea in saeculo existens de bonis a Deo sibi collatis quoddam coenobium sive eremitorium in monte Alverniae, Aretin. dioec., prope domum de Alvernia ordinis fratrum Minorum in eodem monte consistentem, canonica super hoc suffultus licentia et ad id pro tunc dilectorum filiorum guardiani et fratrum dictae domus accedente consensu, pro eius usu et habitatione, ut inibi sub vita eremitica devotum et perpetuum famulatum Altissimo reddere posset, fundari, construi et aedificari fecerat, in eremitorio praedicto sub regularibus habitu et professione dicti tertii ordinis per nonnulla tempora vitam huiusmodi ducendo iuxta animi sui propositum fuisset laudabiliter conversatus ac tunc etiam conversaretur, tamen postmodum guardianus dictae domus, qui tunc erat, absque aliqua iusta et rationabili causa eundem Franciscum ab eremitorio praedicto de facto eiiciens, usum et habitationem huiusmodi sibi penitus interdixit, propter quae ipse Franciscus ex post ad dictum eremitorium redire non ausus fuit, nec audet de praesenti, in grave suae quietis dispendium pariter et offensam. Quare pro parte ipsius Francisci cupientis, ut asserit, in praefato eremitorio cunctos dies suos in Dei beneplacitis feliciter consummare, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ... eundem Franciscum, dummodo ex hoc scandalum non resultet, ad praefatum coenobium sive eremitorium amoto exinde quolibet illicito detentore auctoritate praedicta restituas et reponas ac facias eum usus et habitationis praedictorum pacifica possessione gaudere; contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, II idus maii, ... anno I.

14. Archiepiscopo Panormitano mandat, ut confirmet sententiam a Iohanne episcopo Mazarien. latam in causa matrimoniali inter Iohannem de Ferro laicum et Bandolophinam, tunc saecularem, postea monasterium S. Clarae, O. S. Cl., dioec. Mazarien. ingressam (3).

1431, maii 16, Romae.

Humilibus supplicum votis *etc.* Datum Romae, apud S. Petrum, anno ... 1431, XVII kal. iunii, ... anno I.

(1) Reg. Vat. t. 372, f. 7; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 6.

(2) Reg. Lat. t. 302, f. 258v.

(3) Reg. Lat. t. 307, f. 58.

15. Iohanni Ozanne O. F. M., domus Silvanecten., concedit facultatem transeundi ad ordinem S. Ben. aut Cluniacen. (1).

1431, maii 16, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Martini Tornacen.

Humilibus et honestis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis Ozanne (2), domus Silvanecten. (3) ordinis fratrum Minorum professoris, petitio continebat, quod olim ipse, in nono vel circa suae aetatis anno constitutus, ex inductione et blanditiis quondam genitoris sui, cuius potestati atque imperio subiacebat, domum praedictam contra suam propriam voluntatem ingressus, regularem habitum dicti ordinis suscepit exhibitum et successive inibi, antequam tertiumdecimum eiusdem aetatis annum peregisset, dicti genitoris et genitricis suae eum licet invitum compellentium metu et minis, professionem per fratres dictae domus emitti consuetam emisit regularem expresse, quodque infra octo annorum spatium ipse dictis professioni et habitui regulari renitens habitum ipsum aliquamdiu dimisit, habitu laicali per eum assumpto, licet regularem ipsum deinde metu simili eum incitante assumpserit, propter quod per dilectum filium Iohannem Ghimonelli, dicti ordinis in provincia Franciae provincialem ministrum secundum morem eiusdem ordinis, a reatu apostasiae huiusmodi absolutus exstitit. Demum vero praefato metu per obitum eiusdem genitoris cessante, plerisque etiam eiusdem ordinis professoribus ingressum et professionem suos huiusmodi fuisse et esse coactos, prout exstiterant, publice denuntiantibus, a praefata domo de sui superioris licentia penitus discessit. Cum itaque *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... praefato Iohanni de sui superioris licentia super hoc petita, quamvis non obtenta, de dicto ordine fratrum Minorum ad alterum ex S. Benedicti et Cluniacen. ordinibus ... transeundi et in eo perpetuo remanendi ... licentiam concedas. Non obstantibus *etc.* Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XVII kal. iunii, ... anno I.

16. Praecipit vicario Bosnae, ut mittat fratres ad dom. O. F. M. Felfalven., dioec. Transsilvan., a nobili viro Iohanne de Selb de Losoncz fundatam (4).

1431, iunii 4, Romae.

Venerabili fratri episcopo Transsilvan.

Iustis et honestis *etc.* Dudum siquidem pro parte dilecti filii nobilis viri Ioannis de Selb de Losoncz (5) domicelli, tuae dioec., fel. rec. Martino papae V praedecessori Nostro exposito, quod olim ipse ... quamdam domum cum ecclesia seu capella sub vocabulo S. Michaelis archangeli, necnon campanili ... aliisque necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum ordinis Minorum de observantia nuncupatorum ..., in possessione Felfalven. (6) sitam, prope oppidum Regen., dictae dioec., ad ipsum domicellum legitime pertinentem, de tui licentia et assensu fundaverat ac construi et aedificari fecerat ac ipsi praedecessori supplicato, ut fundationi, constructioni et aedificationi praedictis, pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere ac fratribus praedicti ordinis, ut dictam domum cum ecclesia et officinis praedictis pro usu et habitatione eorum recipere et perpetuo retinere possent, licentiam concedere de benignitate apostolica dignaretur: idem praedecessor per suas litteras tibi, tuo proprio nomine non expresso, mandavit, quatenus, si esset ita, fundationem et constructionem praedictas auctoritate sua approbares et confirmares et nihilominus eisdem fratribus, ut praefatam domum cum officinis praedictis recipiendi ... auctoritate praedicta licentiam largireris et insuper fratribus praedicti ordinis, qui in huiusmodi domo pro tempore morarentur, eadem auctoritate indulgeres, quod omnibus privilegiis ... gauderent ..., prout in dictis litteris plenius continebatur (7).

Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti domicelli petitio continebat, licet ad exsecutionem litterarum ipsarum tibi praesentatarum procedens dictas fundationem et constructionem confirmaveris, tamen in ipsa domo pro exsecutione divini ministerii, pro quo fundata principaliter exsistit, fratres dicti ordinis nondum deputati fuerunt, et vicarius Bosnae in partibus illis secundum morem dicti ordinis deputatus, quamvis super hoc saepe requisitus, fratres huiusmodi mittere contempsit, in praeiudicium devotionis domicelli et debiti ordinis praedictorum. Quare pro parte dicti domicelli Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.*

Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, praefato vicario auctoritate

(1) Reg. Lat. t. 307, f. 68.
(2) Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1713, p. 655.
(3) Silvanectum=Senlis ad Isaram (Oise), in Gallia.
(4) Reg. Lat. t. 302, f. 182v.; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 7.
(5) Vel forsitan Lecencz.
(6) Felfalu in Transsilvania, comit. Maros-Torda.
(7) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1741, p. 666.

Nostra praecipias, ut necessarios fratres dicti ordinis et opportunos pro ministeriis huiusmodi peragendis ad ipsam domum transmittere et in domo ipsa laudabiliter deserviri facere non postponat. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, II non. iunii, ... anno I.

17. Episcopo Civitaten. mandat, ut Laurentium Leonardi, olim O. F. M., ad monasterium S. Angeli de Rapacio O. S. Ben., Anglonen. dioec., transgressum et deinde monasterio S. Helenae de Santa-Elena, O. S. Ben., Alarinen dioec., praefectum, absolvat a censuris, cum eo dispenset eumque dicto monasterio S. Helenae praeficiat in abbatem (1).

1431, iunii 9, Romae.

Sollicitae considerationis indagine *etc.* Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, V idus iunii, ... anno I.

18. Mandat, ut recognoscat et confirmet litteras Alexandri papae IV, d. 2 febr. 1257 fratribus provinciae Daciae datas, quibus ecclesiarum praelatis ac rectoribus iniungitur, ne a fratribus O. F. M. exigant «portionem canonicam» (2).

1431, iunii 15, Romae.

Venerabili fratri episcopo Wibergen.

Sacrae religionis, sub qua dilecti filii universi fratres ordinis Minorum provinciae Daciae *etc.* Sane pro parte universorum fratrum ordinis et provinciae eorumdem Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim per fel. rec. Alexandrum papam IV, praedecessorem Nostrum, accepto, quod quotiescumque per aliquos christifidelium partium earumdem saeculum relinquentes aliqua bona sua praedictis fratribus pro aedificiis, libris, vestibus et aliis eorum necessitatibus largiebantur ac etiam in ultima voluntate relinquebantur, archiepiscopi, episcopi et abbates, priores, praepositi, archidiaconi, rectores parochialium et aliarum ecclesiarum praelati partium ipsarum pro tempore exsistentes, aliquando mediam, quandoque tertiam seu quartam partem de bonis largitis et relictis huiusmodi praetextu canonicae portionis ab eisdem fratribus in grave ipsorum fratrum praeiudicium et scandalum praedictorum fidelium extorquere conabantur; idem praedecessor, videlicet IV nonas februarii, pontificatus sui anno III per suas litteras (3) eisdem praelatis iniunxit ac mandavit, ut de cetero nihil ab eisdem fratribus de bonis huiusmodi exigerent, sed onera paupertatis eorum de bonis eorum propriis potius relevarent, prout in eisdem litteris plenius dicitur contineri. Quare pro parte dictorum fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut litteris praedictis iuxta earum continentiam atque formam robur apostolicae confirmationis adiicere et alias eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de praemissis, cum praedictae litterae originales in partibus illis, ut asseritur, exsistentes, Nobis exhibitae non fuerint nec ostensae, certiorem notitiam non habentes ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus adhibitis tecum duobus vel tribus doctis viris et in huiusmodi cognitione expertis, de quibus tibi videbitur, non obstantibus constitutionibus ... contrariis quibuscumque, si litteras ipsas per diligentem et solertem inspectionem omni vitio et suspicione carere inveneris ... litteras ipsas ac omnia in eis contenta, prout provide facta sunt, auctoritate Nostra approbes pariter et confirmes.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XV mensis iunii, ... anno I (4).

19. Thesaurario ecclesiae S. Severini extra muros Burdigalen. mandat, ut Aymericum Golandi O. F. M., ad monasterium de Tasca, O. S. Ben., Auxitan. dioec., transgressum, absolvat a censuris et poenis eique concedat licentiam in praedicto ordine S. Benedicti remanendi (5).

1431, iunii 19, Romae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.* Datum Romae, anno ... 1431 XIII kal. iulii, ... anno I.

20. Ut fr. Ludovicum de Utino O. F. M. assumat ad officium ministri Romaniae (6).

1431, iulii 16, Romae.

Dilecto filio Guillelmo, sacrae theologiae doctori, ordinis minorum magistro generali.

Dil. fili sal. *etc.* Dilectus filius Ludovicus de Utino, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professor, olim, cum essemus in minoribus constituti, Nobis satis familiaris, cum in partibus Romaniae versatus idiomatisque ac morum regionis illius sit satis peritus atque, ut Nobis relatum est, variae perniciosarum haeresum species ibidem pullulare coeperint, ad partes illas, ut verbo et exemplo prodesse ibidem

(1) Reg. Lat. t. 305, f. 140v.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 8, «ex libro 1. de regularibus anno 1, f. 213».

(3) De bulla Alexandri IV cf. *Bull. Franc.* t. II, n. 289, p. 192.

(4) Ita ap. Wadd. cit. Sed hic modus significandi diem cum usu cancellariae discrepat.

(5) Reg. Lat. t. 310, f. 24.

(6) Reg. Vat. t. 370, f. 21.

posset, libenter commigraret, ac se a nonnullis nobilibus illarum partium viris necnon a dilectis filiis nobilibus viris de dominio Venetorum asserit accersiri. Cum autem dignitates et officia tam ad persuadendum, quam ad quodvis perficiendum augmentum, dubium non sit auctoritatem afferre, ad officium ministri Romaniae se cupit assumi. Quare si eidem regioni utilem atque idoneum eumdem Ludovicum fore iudicaveris et a praefatis nobilibus intellexeris postulari, hortamur in Domino devotionem tuam, quatenus eumdem ad dictum ministerii officium assumas, ut eius diligentia et sollicitudine pestiferum dogma, quantum sibi Deus dederit, ex illis partibus eruatur, ac verbum Dei, prout aequum est, salubriter coalescat.

Datum Romae apud S. Petrum, die 16 iulii, ... anno I.

21. Notum facit mentem suam circa observantiam constitutionum capituli generalis Assisien. ([1]).

1431, iulii 18, Romae.

Dilecto filio Guillelmo magistro generali ordinis minorum.

Dil. fili sal. *etc.* Per tuas litteras, quas a te nuper accepimus, Nobis ordinem fratrum Minorum, cuius gubernationi praepositus es, necnon personam tuam diligenter recommendans, supplicans, ne quid addendo seu detrahendo constitutionibus praefati ordinis innovare, seu immutare velimus. Quare notum tibi esse volumus per praesentes, non esse mentis seu intentionis Nostrae, eorum quae in generali capitulo nuper apud civitatem Nostram Assisii celebrato constituta sunt, aliquid innovare seu immutare, quin potius eadem ipsa rata et firma habere et quod ad unguem diligenter et inconcusse observentur. Si quid autem ex eisdem constitutionibus immutatum est, in statum pristinum duximus revocandum. Quare si, ut petis, recommendatus Nobis esse desideras, debes dare operam, quod praefatae constitutiones ubique in ordine tuo diligenter et inconcusse serventur, alioquin erit Nobis opportunis ad hoc remediis providendum.

Datum Romae apud S. Petrum, die 18 iulii, ... anno I.

22. Iordano episcopo Sabinen. in civitatibus Perusin., Tudertin. et Urbisveteris ac provincia ducatus Spoletani, necnon vicecomitatus Valliscoppini et Castro Plebis, Clusin. dioec., in temporalibus generali vicario papae, concedit durante tempore vicariatus etiam facultatem assumendi 15 fratres Minores et aliorum ordinum eosque pro quibuscumque negotiis intra et extra terminos sui vicariatus destinandi ipsisque committendi negotiorum exsecutionem dando eis etiam licentiam equitandi ([2]).

1431, iulii 20, Romae.

Hodie tibi super percipiendis *etc.* Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XIII kal. aug., ... anno I.

23. Confirmat receptionem domus S. Mariae, « eremitorio » nuncupatae, extra muros terrae Policastri, dioec. S. Severinae, per fratres O. F. M. de observ. ([3]).

1431, iulii 27, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo S. Severinae.

Piis fidelium votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Antonii, fratrum Minorum professoris, provinciae Calabriae secundum morem eiusdem ordinis provincialis ministri, continebat, quod ipse dudum attente considerans, quod in ecclesia seu domo S. Mariae, « eremitorio » nuncupata, extra muros terrae Policastri ([4]), S. Severinae dioec., fratres dicti ordinis canonice habitare consuevissent, quamvis a nonnullis citra temporibus fratres ipsi propter malam temporum conditionem domum ipsam non habitassent, quodque universitas et homines dictae terrae propter singularem devotionem, quam gerunt ad beatum Franciscum, cuperent, quod aliqui fratres dicti ordinis de observantia nuncupati, ad residendum in ecclesia et domo huiusmodi amodo more solito reducerentur, idem minister praedictorum universitatis et hominum necnon dilecti filii nobilis viri Nicolai marchionis Cotroni precibus super hoc ipsi ministro porrectis etiam de consensu et licentia bonae memoriae tunc archiepiscopi S. Severinae, loci metropolitani, praedecessoris tui, nonnullos fratres dicti ordinis ad residendum in ecclesia et domo praedictis iuxta consuetudinem huiusmodi necnon eiusdem ordinis mores et instituta deputavit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, iidem fratres sic deputati, ecclesiam et domum praedictas dudum laudabiliter inhabitaverint, pro parte dicti ministri Nobis fuit humiliter supplicatum, ut reductioni et deputationi huiusmodi robur apostolicae confirmationis adiicere dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... fratribus antedictis praesentibus et futuris, domum et ecclesiam praedictas iuxta consuetudinem praedictam ... recipiendi ... eisque campanile,

([1]) Reg. Vat. t. 370, f. 22. Cf. supra, p. 2 seqq., n. 4.

([2]) Reg. Vat. t. 371, f. 129v.

([3]) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 9, « ex l. 1 de regul. anno I, f. 266 ».

([4]) Est Petilia-Policastro in provincia de Catanzaro.

campanas, dormitorium, claustrum aliasque necessarias officinas inibi construendi ... licentiam largiaris. Et nihilominus fratribus ipsis, ... ut ... privilegiis ... gaudere ... valeant, ... concedas. Non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, VI kal. augusti, ... anno I.

24. Confirmat litteras Martini V (1).

1431, augusti 21, Romae.

Dilectis filiis Minorum, Praedicatorum, beatae Mariae de Monte Carmeli, et Eremitarum S. Augustini ordinum fratribus.

Tenorem quarumdam litterarum fel. rec. Martini papae V, praedecessoris Nostri, in favorem ordinum vestrorum concessarum, quas in cancellaria Nostra diligenter conspici et pro eo, quod illis pro ipsorum ordinum status conservatione in diversis mundi partibus, in quibus, cum expedierit, litteras originales habere non potestis, indigere vos asseritis, praesentibus annotari fecimus, qui talis est:

Martinus episcopus, servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Viam ambitiosae cupiditatis *etc.* Datum Gebennis, IV kal. augusti, ... anno primo (2).

Ceterum ut idem tenor sic insertus rei seu facti certitudinem faciat, auctoritate apostolica decernimus, ut illud idem robur eamque vim ac eundem vigorem ipse tenor per omnia habeat, quem haberent originales litterae supradictae, ac eadem prorsus dicto tenori fides adhibeatur, quandocumque, et ubicumque in iudicio vel extra fuerit exhibitus vel ostensus ac illi stetur firmiter in omnibus, sicuti eisdem litteris originalibus staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum anno, ... 1431, XII kalendas septembris, ... anno I.

25. Concedit facultatem mutandi domum S. Francisci O. F. M. castri Montisgranarii extra moenia cum alia domo intra muros (3).

1431, augusti 24, Romae.

Dilectis filiis ministro provinciali et fratribus ordinis Minorum provinciae Marchiae secundum morem dicti ordinis.

Sacrae religionis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod cum olim domus fratrum Minorum S. Francisci infra moenia castri Montis Granarii, Firman. dioec., cum eius ecclesia consisteret, et temporum causante malitia universitas dicti castri moenia ad minorem circuitum, ut securius vivere et ab hostium insidiis et insultibus se tueri possent, restrinxerint, adeo quod domus et ecclesia praedicta extra dicti castri moenia remanserint, ex quo in dicta ecclesia divinus cultus diminutus plurimum exsistit, ac fratribus, qui in ea pro tempore resederunt, et universitati praedictis damna et incommoda etiam subsecutis scandalis provenerunt. Quare pro parte vestra *etc.* Nos itaque ... vobis mutandi domum eamdem et aliam loco illius cum ecclesia, campanili, ... necessariis officinis in loco ad id congruo et honesto infra eadem moenia construendi ... fel. rec. Bonifatii papae VIII ... et quibuscumque aliis ... nequaquam obstantibus auctoritate apostolica licentiam tenore praesentium elargimur, iure tamen *etc.* Volumus autem quod ecclesia praedicta extra moenia huiusmodi sita, postquam infra dicta moenia translata et constructa fuerit, ut praefertur, ad profanos usus velut haereditas nullatenus transferatur. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, IX kal. septembris, ... anno I.

26. Petro Pugade canonico Barchinonen. mandat, ut Guillermo de Paytonio clerico Barchinonen. conferat beneficium in parochiali ecclesia beatae Mariae Barchinonen., cuius praesentatio spectabat ad perpetuum vicarium dictae ecclesiae et guardianum domus O. F. M. eiusdem civitatis pro tempore exsistentem, tunc Petrum Paschasii, quo absente vicarius eiusdem domus, Petrus Pagesii O. F. M., praedictum Guillermum praesentaverat (4).

1431, septembris 10, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.* Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, IV idus septembris, ... anno I.

27. Committit causam amotionis Rogerii Dowe O. F. M. a ministeriatu provinciae Angliae (5).

1431, octobris 1, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Eboracen.

Iustis et honestis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis pro parte dilectorum filiorum Hugonis David et Iohannis Wynchilse, ordinis fratrum Minorum professorum et ipsius ordinis in Romana curia procuratorum, petitio continebat, quod olim, postquam dilectus filius

(1) *Bull. ord. fr. Praed.* t. III, p. 8, n. 14.
(2) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1389, p. 509.
(3) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 10, « ex l. 1 de regul. anno I, f. 53 ». (4) Reg. Lat. t. 309, f. 176.
(5) Reg. Lat. t. 305, f. 279v.

Rogerius Dowe, frater ipsius ordinis, tunc minister provinciae Angliae iuxta morem dicti ordinis, ab exercitio sui officii per generalem ministrum eiusdem ordinis certis rationabilibus suadentibus causis amotus, necnon Hugo et Iohannes praedicti ad regimen et exercitium ipsius officii, quousque ad illud regendum et exercendum provincialis minister legitime assumeretur, vicarii deputati consequenter exstiterant, multiplices dissensiones, rancores et discordiae suscitatae fuerunt inter fratres ordinis et provinciae praedictorum, quodque propter praemissa ordo praefatus in suis iuribus defraudari et in partibus illis scandala exoriri timerentur verisimiliter in futurum. Quare pro parte Hugonis et Iohannis praedictorum *etc.* Nos igitur dissensionibus, discordiis et scandalis obviare cupientes ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus vocatis dicto Rogerio et aliis, qui fuerint evocandi, necnon assistentibus tibi aliquibus eiusdem ordinis professoribus in theologia magistris, super praemissis et eorum circumstantiis universis te diligenter informes et informatione per te recepta amotionem praedictam confirmare vel infirmare seu provincialem ministrum in eadem provincia iuxta mores praedictos auctoritate Nostra deputare procures ceteraque in his et circa ea facias, quae pro bono pacis necnon honore et statu dicti ordinis videris quomodolibet expedire. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, kal. octobr., ... anno I.

28. Observantibus conventuum insulae Cretae concedit facultatem eligendi sibi vicarium [1].

1431, octobris 1, Romae.

Dilectis filiis S. Iohannis extra muros Creten. et S. Athanasii de Rethymo ac S. Salvatoris de Canea, Calamonen. et Agien. [2] *dioecesis in insula Creten., domorum ordinis Minorum fratribus de observantia nuncupatis.*

Super gregem dominicum *etc.* Dudum siquidem pro parte vestra, fel. rec. Martino papae V, praedecessori Nostro, exposito, *etc.* (*sequitur narratio et dispositio bullae* Dum uberes fructus, *ut in Bullario, t. VII, n. 1611, p. 612*). Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, fratribus de Bosna praedictis eadem auctoritate per privilegia et indulta praemissa concessum fuerit, quod ipsi in dicta vicaria non ministrum provincialem, sed vicarium habere ac illi subesse debeant, et quibus vos conformantes aliquamdiu sub vicarii vobis deputati regimine directioneque fuistis, et quia dilectus filius Noster Iohannes, tit. S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis, eadem ut dicitur auctoritate fungens, inter alia statuit et ordinavit, quod omnes dicti ordinis fratres etiam ministris provincialibus obedire debeant et teneantur, omnia et singula contrarium disponentia, etiam apostolica privilegia et indulta, revocando [3], vos, qui sub huiusmodi observantia firmari ac persistere cupitis, super eo perplexitatis et timoris estis motibus implexi, quod si cuiquam ministro provinciali subesse et obedire debeatis, talem plerumque non de observantia huiusmodi, sed conventualem contingeret exsistere, et propterea vos, quominus sub ipsa observantia in pacis et tranquillitatis amoenitudine Domino famulari possitis, molestiis et vexationibus indebitis frequentius agitari: Nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut vos praedictique posteri, quoties congruerit, aliquem idoneum dicti ordinis de observantia professorem in vicarium ibidem eligere possitis, et quem ut talem, sive ipsius electionem huiusmodi, generalis eiusdem ordinis minister pro tempore exsistens confirmare habeat, cuique et non alicui provinciali ministro subesse ac obedire debeatis, auctoritate praedicta tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, kal. octobris, ... anno I.

29. Mandat, ut inquirant de Philippo de Berbegal eiusque sequacibus O. F. M. observ., et si reos invenerint, eos puniant, aliquos eorum ad Romanam curiam transmittant, mulieribus vero ab ipsis ad habitum III. O. S. Fr. admissis prohibeant gestationem habitus [4].

1431, octobris 3, Romae.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Caesaraugustan. et Valentin, ac Tirason. episcopis.

In summi apostolatus specula, licet immeriti, constituti ad conservandum religiosos ordines in puritate et sinceritate sua vigilanter intendimus et ad tollendum superstitiosos errores et scandalosas sectas ex eis remedia quae possumus adhibemus. Nuper siquidem ad Nostram notitiam est deductum, quod in partibus Aragoniae et quibusdam aliis locis et terris Hispaniarum quidam Philippus de Berbegal [5], Petrus de Barchinonia, Alfonsus de Spagia, Mar-

---

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 11, « ex libro 1 de regul. anno I, f. 64 ».

(2) Al. Arien.

(3) Cf. supra, n. 4, p. 5 a.

(4) Reg. Vat. t. 371, f. 110 v.

(5) De Philippo de Berbegal, cf. infra n. 30 et *Arch. Franc. Hist.*, VI (1913), p. 710 ss.; *Bull. Franc.* t. VII, n. 1703, p. 651; n. 1723, p. 658.

tinus de Fontana, Guillelmus Albusa, Angelus de Tovar et plures alii se asserentes professores ordinis fratrum Minorum de observantia, sumpto colore, quod S. Franciscus suam regulam et ordinem instituit sub quodam habitu, quem ipsi vel ipsorum alter noviter invenerunt, difformi totaliter ab habitu approbato et consueto portari per fratres dicti ordinis, sub illo sectam novam induxerunt et multos vestiverunt eo habitu, ut plurimum ignaros et indoctos, asserentes se posse hoc facere ex concessione fel. rec. Martini papae V, praedecessoris Nostri, affirmando fratres alios dicti ordinis illum habitum non gestantes esse apostatas nec servare regulam dicti sancti, multipliciter personas et conventus eorum diffamando, diciturque quod praedicti et sequaces eorum miscendo articulos et sectam Bohemorum cum secta fraticellorum, qui sunt in Italia, praedicant et erronea dogmatizant faciuntque seditiones et scandala non ferenda. Et inde populus insurgit contra clerum et nobiles, et est periculum, ne secta huiusmodi multiplicatis et inveteratis erroribus invalescat. Accedit etiam, quod dicitur praedicatoris suasione quasdam mulieres, vulgariter nominatas Beguinas, habitu tertii ordinis sancti eiusdem sine aliqua professionis emissione sumpsisse et ad libitum suum vivere sine coercione (!) aliqua regulari et se privilegiis et libertatibus ordinis praedicti conantur tueri et defendere, turbando iurisdictionem ordinariam et quantum in ipsis est, pervertendo in dedecus et dissolutionem religionis et ordinis memorati. Nos igitur volentes, ut tenemur, ex iniuncto Nobis summi apostolatus officio talibus scandalis perturbantibus statum ecclesiasticum et politicum obviare, vobis et cuilibet vestrum in solidum per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis professoribus supradictis et aliis, qui videbuntur evocandi, supra praemissis inquiratis, et quilibet vestrum inquirat auctoritate Nostra diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi dictos Philippum et socios et quoscumque alios eorum sequaces inveneritis de praemissis publice diffamatos, diligenter examinetis et quilibet vestrum examinet super omnibus erroribus, quos dicuntur publice praedicasse, et si professi sunt ordinem supradictum et profiteri voluerint, cum prius exstiterit declaratum eorum sectam et habitus inventionem fuisse et esse superstitiosam et scandalosam, nec eos, nec aliquem alium teneri ad observantiam ipsius, sed debere vivere secundum regulam et instituta dicti ordinis per Sedem Apostolicam approbata et nullis sub illo habitu et in illa secta gaudere privilegiis ordinis et religionis praedictorum fratrum, nec aliquem ex talibus admitti debere ad aliquod exercitium ecclesiasticum, sed per locorum ordinarios compescendos et iuxta eorum demerita puniendos, mulieribus vero praedictis inhibeatis et quilibet vestrum inhibeat sub excommunicationis poena gestare habitum tertii ordinis eiusdem sancti sine professione et eis praecipiatis, ut in habitu saeculari honesto ad propria habitacula revertantur. Et nihilominus praenominatos Philippum et socios, videlicet Petrum de Barchinonia, [Alfonsum de Spagia, Martinum de Fontana,] Guillelmum Albusa, Angelum de Tovar faciatis captivari et ad Romanam curiam transmitti per mare vel per terram, sub fida custodia, expensis camerae apostolicae, si ibidem haberi poterit, inde fiat, vel ordinariorum, quorum iurisdictionem scandalizabant, alii vero eiusdem sectae vel habitus per praedictos locorum ordinarios ubicumque reperiri poterunt infra eorum dioeceses capiantur, incarcerentur et, ut praefertur, secundum eorum demerita puniantur; contradictores *etc.* invocato *etc.* quocumque privilegio ordini Minorum generaliter vel specialiter indulto, si quo se vellent aut possent iuvare, aliqualiter non obstante. Et etiam si *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, V nonas octobris, ... anno I.

30. Rogat ut adiuvent locorum ordinarios procedentes contra Philippum de Berbegal eiusque socios (1).

Dilectis filiis consilio et communitati civitatis Valentiae.

Nuper ad Nostram notitiam est deductum, quod in partibus Aragoniae et aliis locis Hispaniarum quidam Philippus de Berbegal se asserens professorem ordinis fratrum Minorum de observantia, sumpto colore *etc. (fere ut in bulla praecedente paucis omissis).* Nos igitur ... devotionem vestram hortamur, requirimus et rogamus, quatenus in civitate et dioecesi Valentina investigari et requiri faciatis diligenter, et si reperiantur praedictus Philippus et aliqui alii ex fratribus talis sectae vel habitus talia praedicantes, faciatis eos ab huiusmodi praedicatione prohiberi et locorum ordinariis contra eos de Nostro mandato procedentibus faveatis et assistatis.

Datum Romae.

Simili modo scribit *Carissimo in Christo filio Iohanni regi Navarrae* (2); *Dilectae in*

(1) Reg. Brev. I, Arm. XXXIX, 7 A, f. 113.

(2) L. cit. f. 113 v.

Christo filiae mulieri nobili Catharinae infantissae Castellae (1); *Carissimo in Christo filio Alfonso Aragonum regi* (2); *Carissimae in Christo filiae Mariae Aragonum reginae* (3).

31. Thomae Philippi de Venarotta, ab O. F. M. ad monasterium S. Mariae ad Propensanum, O. S. Ben., Aprutin. (Teramo) dioec., et inde ad monasterium S. Mariae de Montesancto, O. S. Ben., Esculan. dioec., transgresso, concedit absolutionem a censuris et facultatem se transferendi ad monasterium S. Iuliani Ariminen. O. S. Ben. (4).

1431, octobris 13, Romae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.* Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, III idus octobris, ... anno I.

32. Concedit facultatem fundandi domum O. F. M. in loco de Bargis Taurinen. dioec. (5).

1431, octobris 16, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Mariae de Cabirio, Taurinen. dioec.

Piis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum loci de Bargis, Taurinen. dioec., petitio continebat, quod ipsi in eodem loco, qui satis amplus et populosus, et in quo nulla regularis domus alicuius ex ordinibus religiosorum mendicantium situata exsistit, ad ipsorum consolationem ... unam claustralem domum cum ecclesia, campanili ... et aliis necessariis officinis pro usu ... fratrum ordinis Minorum ... fundare ... proponunt *etc.* Quare pro parte dictorum universitatis ... Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus eisdem universitati et hominibus in aliqua congrua et honesta parte loci huiusmodi domum praedictam cum ecclesia, campanili ... et aliis necessariis officinis huiusmodi, pro usu et habitatione perpetuis ipsorum fratrum iuxta formam constitutionis fel. rec. Clementis papae VI, praedecessoris Nostri, super hoc editae fundandi ... ipsisque fratribus domum ipsam recipiendi et in ea perpetuo manendi, dioecesani loci et cuiuscumque alterius licentia super hoc minime requisita ... licentiam largiaris. Nos enim *etc.* non obstantibus *etc.* iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XVII kal. novembris, ... anno I.

33. Prioratum ecclesiae collegiatae de Trossico monasterio sororum minoritarum O. S. Cl. de Amiliano, Ruthenen. (Rodez) dioec., incorporat. (6).

1431, octobris 18, Romae.

Dilecto filio archidiacono de Amiliano in ecclesia Ruthenen.

Etsi quibuslibet personis et locis *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii sororum Minoritarum nuncupatarum, loci de Amiliano, ordinis S. Clarae, Ruthenen. dioeces., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim quondam Clemens, in sua obedientia, de qua partes illae fuerant, tunc VII nuncupatus, attente prospiciens, quod monasterium praefatum adeo in suis erat facultatibus diminutum, quod ex illis abbatissa et conventus praedictae, quibus ex Sedis Apostolicae privilegio proprium in communi habere licet, sustentari et incumbentia eis pro tempore onera diversa commode supportare nequibant, prioratum sine cura saecularis necnon collegiatae ecclesiae S. Amantii de Trossico prope dictum locum consistentem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem monasterio apostolica primo et successive bonae memoriae Guillelmus episcopus Ruthenen. ex praemissis et certis aliis tunc expressis causis legitimis ordinaria auctoritatibus incorporarunt, annexuerunt et univerunt, prout in eorumdem Clementis VII (7) nuncupati et episcopi desuper confectis litteris dicitur plenius contineri. Cum autem Nos pridem in Nostri apostolatus primordiis certis rationabilibus suadentibus causis omnes incorporationes, annexiones et uniones de beneficiis ecclesiasticis quibuslibet apostolica vel alia quavis auctoritate factas, quae suum nondum sortitae fuerant effectum, cassaverimus et annullaverimus nulliusque decreverimus fore roboris vel momenti, et sicut eadem petitio subiungebat, monasterium praefatum propter guerrarum turbines et alios sinistros eventus interim in eisdem facultatibus multo plus deterioratum exsistat, necnon incorporationes, uniones et annexiones per Clementem VII nuncupatum et episcopum, ut praemittitur, factae huiusmodi ante cassationem et annullationem praedictas suum minime sortitae fuerint effectum, pro parte dilectarum abbatissae et conventus asserentium, quod monasterii ducentarum, prioratus vero praedictorum quadraginta librarum Turo-

(1) L. cit. f. 114. (2) L. cit. f. 124.
(3) L. cit. f. 124v. In registro deest datum harum 5 epistolarum. Patet tamen eas cohaerere cum bulla supra n. 29 posita, ideoque eodem circiter tempore datas esse.
(4) Reg. Lat. t. 305, f. 101v.
(5) Wadd. *Reg. Pont.* Eug. IV, n. 12, « ex l. 3 de div. form. anno I, f. 129 ».
(6) Reg. Lat. t. 309, f. 43v.
(7) Litteras Clement. VII v. ap. *Bull. Franc.* t. VII, n. 606, p. 225.

nen. parvorum fructus, redditus et proventus secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut prioratum ipsum cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis eidem monasterio denuo in perpetuum incorporare, unire et annectere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et ... prioratum praedictum cum eisdem iuribus et pertinentiis praefato monasterio eadem auctoritate Nostra de novo perpetuo incorpores, unias et annectas, ita quod cedente vel decedente priore dictae ecclesiae, qui nunc est, vel prioratum ipsum alias quomodolibet dimittere contingat, liceat eisdem abbatissae et conventui per se vel alium seu alios corporalem prioratus iuriumque et pertinentiarum praedictorum possessionem auctoritate propria libere apprehendere ac huiusmodi fructibus, redditibus et proventibus in suos et dicti monasterii usus perpetuo convertere et etiam retinere, dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia super hoc minime requisita; non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XV kal. novembris, ... anno I.

34. Concedit facultatem recipiendi ecclesiam S. Iohannis de insula Vicentin., (hodie Bisentina, Lago di Bolsena), dioec. Montisflasconen. ([1]).

1431, octobris 20, Romae.

Dilectis filiis vicario et fratribus ordinis Minorum de observantia provinciae Romanae secundum morem dicti ordinis.

Sacrae religionis *etc.* Exhibita siquidem Nobis pro parte vestra petitio continebat, quod cum dilectus filius Onufrius de Suessa, presbyter Suessan., ecclesiam sine cura S. Iohannis de insula Vicentin., Montisflasconen. dioec., per Sedem Apostolicam sibi sua vita durante, etiam episcopi Montisflasconen., qui tunc erat, accedente consensu, concessam, destructam et derelictam construxerit et reparaverit et desideret, quod in insula et ecclesia praedictis unus locus cum ecclesia, campanili ... pro usu et habitatione aliquorum fratrum vestri ordinis construatur, et propterea idem Onufrius ecclesiam praedictam et omne ius sibi in dictam ecclesiam et alias sibi quomodolibet competens in manibus Nostris sponte et libere resignaverit, Nosque resignationem huiusmodi duxerimus admittendam, pro parte dicti Onufrii et vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... vobis ecclesiam et insulam praedictam auctoritate Nostra recipiendi, et apud illas unum locum cum ecclesia, campanili ... construendi, ... perpetuo retinendi, fel. rec. Bonifatii papae VIII ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, ordinarii loci et alicuius alterius licentia non obtenta, iure tamen parochialis ecclesiae ... salvo, auctoritate praefata specialem licentiam elargimur. Et insuper vobis et aliis fratribus qui in huiusmodi domo construenda pro tempore morabuntur, ut omnibus privilegiis ... utamini ... concedimus per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XIII kal. novembris, ... anno I.

35. Bartholomaeo de Cibdadodrico (Ciudad Rodrigo), O. F. M. domus Civitaten., concedit indulgentiam plenariam in articulo mortis ([2]).

1431, octobris 26, Romae.

Provenit *etc.* Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, VII kal. novembris, ... anno I.

36. Concedit facultatem recipiendi tria loca pro fratribus O. F. M. in Dalmatia, Croatia, Bosna, Sclavonia et Hungaria ([3]).

1431, novembris 1, Romae.

Dilectis filiis Iohanni Corethye de Spalato et Blasio de Sclavonia fratribus ordinis fratrum Minorum professoribus.

Dum uberes fructus *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in regno Hungariae apud quemdam montem altissimum, qui Catena mundi vulgariter nuncupatur ([4]), ac in provinciis Dalmatiae, Croatiae, Bosnae et Sclavoniae nonnulla loca exsistant, in quibus christiani fideles inhabitant, quae crucis dominicae inimici, Turci, saepissime perlustrantes christicolas praedictos et eorum filios secum asportant et bona ipsorum in praedam adducunt multisque poenis christicolas eosdem trucidant et afficiunt et propter timores ipsorum sacerdotes et ministri ecclesiae in huiusmodi locis et partibus minime stare volunt, quinimo loca et partes ipsas potius fugiunt, ipsique carentes presbyteris, praedicatoribus, qui eisdem baptisma conferant ac instruant et informent, quomodo ipsos in domo Dei oporteat conversari, careant ecclesiasticis sacramentis necessariis, et multoties sine baptismate ac sacramentis praefatis damnabiliter moriuntur vi-

([1]) Reg. Lat. t. 305, f. 229; Wadd. *Reg. Pont.* Eug. IV, n. 13, p. 497.

([2]) Reg. Lat. t. 306, f. 291 v.

([3]) Reg. Lat. t. 305, f. 46v; Wadd. *Reg. Pont.* Eug. IV, n. 14.

([4]) P. Donatus Fabianich, O. M., *Storia dei Frati Minori dai primordi della loro istituzione in Dalmazia et Bossina*, p. 1, vol. I, Zara 1863, p. 196, nota 3 annotat: « idem ac montes Carpathes ».

ventesque in fide taliter morbidi et infecti in varios errores contra articulos fidei catholicae incidentes, inficiunt gregem fidelium et perturbant. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut infra dictas provincias Dalmatiae, Croatiae, Bosnae, Sclavoniae et Hungariae tria loca pro usu vestro et habitatione, si vobis pia largitione fidelium concedantur, vel alias iustis et canonicis titulis ipsa poteritis adipisci, recipere et in quolibet ipsorum locorum ecclesiam seu oratorium cum campanili ... et aliis necessariis officinis construere pro ordine antedicto possitis, in quibus fratres vestri ordinis commode valeant residere, Altissimo in humilitatis spiritu perpetuo famulari, et ut dictos christifideles eorum praedicationibus ac salubribus documentis instruant, hortentur et doceant eisque infra dictum montem dumtaxat consistentibus baptisma et omnia ecclesiastica necessaria sacramenta conferre valeant pro salute ipsorum, licentiam concedere dignaremur. Nos itaque ... vobis et posteris vestris fratribus dicti ordinis recipiendi tria loca in dictis provinciis, si vobis pia largitione fidelium concedantur, vel alias iustis titulis poteritis adipisci, recipere et licite retinere valeatis et in quolibet ipsorum locorum ecclesiam sive oratorium cum campanili ... et aliis necessariis officinis construendi ... dictosque christicolas praedicationibus aliisque verbis salutis instruendi et docendi, per quae animas eorum, quantum vobis divina clementia concesserit, Deo lucrifacere [valeatis], ipsisque fidelibus baptisma et ecclesiastica sacramenta huiusmodi ministrandi, ipsorum confessiones audiendi eisque iniungendi poenitentias salutares, plenam et liberam tenore praesentium auctoritate apostolica concedimus facultatem, primo reservatis omnibus iuribus et iurisdictionibus rectorum et ecclesiarum parochialium et aliarum, in quarum parochiis et territoriis ecclesias huiusmodi, seu oratoria duxeritis erigenda. Et nihilominus vobis et universis fratribus dicti ordinis, qui in construendis ecclesiis, seu oratoriis, domibus seu locis huiusmodi pro tempore morabuntur, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere ... valeant, auctoritate praedicta tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, V (!) nonas novembris, ... anno I.

37. Revocat litteras Martini V de subiectione fratrum et sororum III Ord. de poen. sub regimine ministrorum O. F. M. (1).

1431, novembris 15, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad apostolicae dignitatis apicem *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Nicolaus papa IV, praedecessor Noster, dilectis filiis fratribus ac dilectis in Christo filiabus sororibus ordinis fratrum de poenitentia litteras concessit tenoris subsequentis:

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus et dilectis in Christo filiabus sororibus ordinis fratrum de poenitentia, tam praesentibus quam futuris salutem etc.

Super montem catholicae fidei *etc.*

Datum Reate, XV kal. septembris, pontificatus Nostri anno II (2).

Postmodum vero pro parte dilectorum filiorum Antonii de Massa generalis et singulorum provincialium ministrorum universorumque fratrum ordinis Minorum bon. mem. Martino papae V, etiam praedecessori Nostro, exposito, quod nonnullae tam ecclesiasticae, quam saeculares utriusque sexus personae in diversis mundi partibus constitutae, quae sub quodam velamine sanctitatis habitum griseum, ordinis fratrum Minorum habitui quasi conformem, deferentes et beati Francisci nomen assumentes, de tertia regula dicti sancti, alias de poenitentia se appellabant, tam ex privilegiis eis, ut asserebant, concessis, quam etiam propria auctoritate, nonnumquam in communi, quandoque vero ad partem, sub quadam vivendi norma, quasi in propria libertate et absque debita subiectione et obedientia religiosam vitam ducere se asserebant et praesumebant; unde dicti ordinis non solum confusio generabatur et contemptus, verum etiam simplices sic decepti ad diversas ducebantur haereses et errores, pluraque scandala et pericula proveniebant animarum: dictus Martinus praedecessor per suas litteras (3) venerabili fratri Nostro Iordano Sabinen., tunc Albanen. episcopo, dedit in mandatis, ut omnes et singulos fratres et sorores de regula vel poenitentia huiusmodi nuncupatos, tam praesentes, quam futuros, cuiuscumque gradus vel conditionis essent et ubicumque consisterent, eidem ordini et eius superioribus in omnibus, eorum tamen vivendi et continendi forma semper salva, subiicere ipsos-

(1) Reg. Lat. t. 305, f. 26 (quod errore ligatoris transpositum est ad fol. 48 secundo, continuatio fol. 27 ss.); Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 15.

(2) Vide ap. *Bull. Franc.* t. IV, n. 150, p. 94-7; Eubel, *Suppl.* p. 302-5; *Seraphicae legislationis textus originales*, ad Claras Aquas 1897, p. 77-91.

(3) Litteras Martini V *Licet inter cetera regularis observantiae* d. 9 dec. 1428 vide ap. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1843, p. 715; Wadd. *Reg. Pont.* Martini V, n. 171, sed erronee ad annum 1426.

que praedictis generali et provincialibus ministris pro tempore exsistentibus, quemadmodum ceteri et veri dicti ordinis fratres et sorores, subiecti exsisterent, subiectos esse debere decerneret, statuens et ordinans, quod praefati ministri fratres de regula et sorores praedictos, quoties expediens foret, per se vel alios ad hoc idoneos visitare, corrigere et delinquentes et excedentes pro demeritis punire et emendare, eorumque confessiones audire et ipsis poenitentiam salutarem iniungere ac omnia sacramenta ecclesiastica ministrare omnemque aliam, quae tamen illorum observantiae seu continentiae penitus non obviaret, iurisdictionem in eos exercere valerent, prout in litteris Martini praedecessoris huiusmodi plenius continetur. Cum autem, sicuti fide dignorum relatione experientiaque comperimus, occasione subiectionis necnon statuti et ordinationis, quae praetextu litterarum Martini praedecessoris huiusmodi facta fuere, lites etiam indecisae pendentes necnon scandala et inconvenientia plurima prodierint hactenus et de maioribus, nisi desuper Apostolicae Sedis provisio quantocius adsit, verisimiliter formidetur, et quia [1], donec praemissa daretur occasio quietis votivaeque directionis ubertas, progressus et ipsorum fratrum de poenitentia et sororum status omnino redderetur intranquillus: Nos igitur ... attente recensentes congruum non exsistere, quod ipsarum dicti Nicolai praedecessoris Nostri, quae tam digestae tantaeque maturitatis et libraminis adminiculo processerunt, et quibus alias longaevis adeo temporum curriculis derogatum non fuit, litterarum series alicuius debeat facto praecipitationis immutari, praemissis quoque scandalis et inconvenientiis, quantum Nobis ex alto permittitur, obviare, necnon salubre remedium adhibere cupientes ac omnes praedictas lites penitus exstinguentes, litteras Martini praedecessoris illarumque praetextu facta, ut praemittitur, statuta et ordinationes huiusmodi ac quaecumque inde secuta, auctoritate apostolica praesentium serie de certa scientia revocamus, cassamus et irritamus ac nullius volumus exsistere firmitatis: decernentes ipsas litteras eiusdem Nicolai praedecessoris plenarium debere roboris obtinere vigorem, perinde in omnibus et per omnia ac si praefatae litterae dicti Martini praedecessoris nullatenus emanassent, irritum quoque et inane, si quidquam in contrarium a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari ac districtius inhibentes ministris et ipsius ordinis Minorum fratribus praedictis, ne praetextu litterarum Martini praedecessoris huiusmodi fratres de poenitentia sororesque praefatos, vel eorum aliquem, vexent quomodolibet aut molestent. Non obstantibus praemissis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo *etc.* Nostrae exstinctionis, cassationis, irritationis, constitutionis, inhibitionis et voluntatis infringere *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XVII kal. decembris, ... anno I.

Simili modo scribit *venerabilibus fratribus archiepiscopo Compostellan. et episcopo Perusin. ac dilecto filio archipresbytero SS. Celsi et Iuliani de Urbe.*

Hodie Nostras fieri litteras *etc.* Datum *ut supra.*

38. Iohannes O. F. M., mag. theol., postulatus, praeficitur ecclesiae Catanien. [2].

1431, novembris 21, Romae.

Dilecto filio Iohanni electo Catanien.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Iohanne episcopo Catanien. regimini Catanien. ecclesiae, Romanae ecclesiae immediate subiectae, ordinis S. Benedicti, praesidente, Nos *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Iohannis episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum vacante *etc.* demum ad te ordinis fratrum Minorum, in theologia magistrum et in sacerdotio constitutum, cui *etc.*, et quem dilecti filii capitulum ipsius ecclesiae in episcopum Catanien. concorditer postularunt, direximus oculos Nostrae mentis, quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua ... eidem ecclesiae Catanien. de eorundem fratrum Nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XI kal. decembris, ... anno I.

Eadem die simili modo scribit *Capitulo ecclesiae Catanien.; Universis vasallis ecclesiae Catanien.; Populo civitatis et dioecesis Catanien.;* praeterea *Carissimo in Christo filio Alphonso regi Aragonum illustri* (Gratiae divinae praesentium).

---

(1) Cod. *qui* et mox infra *ubertate progressus est.*

(2) Reg. Lat. t. 306, f. 171. — De isto F. Iohanne a Piscibus cf. Wadd. *Ann.* ad ann. 1431, n. 7.

39. Iohanni episcopo Forlivien., Perusii commoranti, mandat, ut F. Bartholomaeum de Mantua O. F. M., ad monasterium S. Iohannis de Marzano, O. S. Ben., dioec. Civitatis Castelli transgressum, absolvat a censuris eique concedat licentiam in eodem ordine S. Ben. remanendi (1).

1431, decembris 17, Romae.

Humilibus supplicum votis *etc.* Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XVI kal. ianuarii, ... anno I.

40. Causas Michaelis, plebani S. Adalberti Pragae, contra F. Bernardinum de Senis O. F. M, ad se revocat et annullat perpetuumque de illis silentium imponit (2).

1432, ianuarii 7, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sedis Apostolicae circumspecta benignitas nonnumquam ea, quae subdolis et impiis suggestionibus contra personas ecclesiasticas, praesertim religionis voto dicatas, attentata sunt, ut eo liberius et quietius sedulum et devotum, sicut ex debito suae professionis adstringuntur, exhibere valeant Altissimo famulatum, potioribus inducta rationibus et veritate comperta revocat ac in statum pristinum restituit, prout rerum et temporum qualitate pensata id novit rationabilius expedire. Dudum siquidem causas inquisitionis ac denuntiationis, quas dilectus filius Michael, plebanus S. Adalberti Subsiderassen. Pragen., procurator et promotor causarum fidei in Romana curia, movebat seu movere intendebat, contra dilectum filium Bernardinum de Senis, ordinis fratrum Minorum, de et super crimine haeresis et super eo, quod quemdam characterem novum huius nominis Iesus, quem ipse Bernardinus de novo adorandum invenerat, et aliis criminibus, excessibus, temeritatibus et scandalis, ut dictus Michael asserebat, in huiusmodi causa deducendis, necnon ipsius Bernardini fautores, receptores, dogmatizatores, participes et sequaces, praesertim in praemissis criminales, tam coniunctim, quam divisim, cum potestate simplici et de plano etiam ex officio, sine strepitu et figura iudicii, iuxta tenorem quarumdam litterarum fel. rec. Martini papae V, praedecessoris Nostri, in sacro generali concilio Constantien. super hoc concessarum, procedendi, dilecto filio Iohanni tit. S. Sixti presbytero cardinali audiendas, cognoscendas et fine debito terminandas, sine scitu et voluntate Nostra commissas fuisse reperimus. Et deinde, sicut accepimus, dictus cardinalis nonnullis coram eo per dictum Michaelem procuratorem et promotorem testibus productis, qui minus veraciter et improbe deposuerunt, ut asseritur, dictum Bernardinum publice et notorie de praemissis diffamatum exsistere, tum et omnes alios singulos fautores, receptatores, dogmatizatores, participes et sequaces in earum propriis personis per suas certi tenoris litteras sub anno a nativitate Domini 1431, indictione IX, die vero 21 novembris, ut coram se infra certum terminum peremptorium competentem tunc expressum comparere deberent, citari fecit et mandavit, ac ipse Bernardinus ac quidam alii praefati fratres ad Romanam curiam praefatam coram eodem cardinali litterarum praefatarum vigore citati personaliter exstiterint, non sine eorum gravamine, contumelia et iactura. Cum itaque fide dignorum testimoniis Nobis luculenter innotuit, quod dictus Bernardinus habetur, reputatur et est homo honestae conversationis, vitae laudabilis et religiosae et optimae famae, nedum catholicus et christianus fidelissimus, sed et acerrimus et rigorosus haeresum exstirpator et ob eius integritatem vitae, laudabiles verbi Dei praedicationes et salutares bonorum operum fructus praeclarissimus fidei catholicae praedicator et instructor rectissimus in omni fere Italia et extra inter ceteros famosos evangelizatores verbi Dei praesentis aetatis probatus et notus communiter referatur, nec umquam fuit de haeresis crimine apud bonos et graves, ut proponitur, diffamatus, quinimo repertus traditionibus et mandatis sacrosanctae Romanae ecclesiae eiusque summorum pontificum, doctorum et sanctorum patrum totis viribus inhaerere ac profiteri et praedicare, quidquid eadem sancta mater ecclesia iubet et docet, neque ab eis in aliquo deviare proponatque Nostris et dictae ecclesiae, sicut semper assolet, humiliter et devote praeceptis et iussionibus protinus obedire; Nos igitur cupientes eumdem Bernardinum salutiferis praedicationibus et aliis divinis obsequiis eo liberius intendere, quo fuerit ab antedictis odiosis impugnationibus absolutus, ut ex eius virtuosis operibus incrementum fidei christianae et salutaria proveniant documenta, praemissis et aliis nonnullis rationabilibus causis animum Nostrum moventibus, statum causae huiusmodi habentes praesentibus pro expresso, persuasiones et originem, media et sequentia quaecumque et quascumque alias super praemissis cum praecedentibus ad dictam citatio-

(1) Reg. Lat. t. 305, f. 169.

(2) Wadd. *Ann.* ad a. 1432, n. 5: « ex ipsa bulla originali pergamena adhuc pendente plumbo ». Sed corrigendus est error in data, quia annus 1432 (sec. stylum curiae) ad annum II Eugenii pertineret.

nem, dependentibus, incidentibus, emergentibus et connexis causas pendentes et motas et causarum merita, cum sint de maioribus ad sedem Nostram immediate spectantes et sine Nostro scitu, ut supra, commissa dicuntur ab eodem cardinale, ad scrinium Nostri pectoris et ad Nos tenore praesentium advocantes, illas penitus exstinguimus, cassamus, annullamus ac pro exstinctis, cassatis et annullatis haberi volumus et mandamus. Et nihilominus citationem et litteras praemissas viribus omnibus vacuamus ipsumque Bernardinum et alios in dicta citatione descriptos ab auditorio praefati cardinalis absolvimus et liberamus et in pristinum statum restituimus ac per praesentes decernimus restitutos, statuentes ut praemissarum litterarum et citationis vigore coram eodem cardinale aut coram alio eius subrogato vel subrogando iudice praemissa de causa in praefato aut alio termino minime comparere teneantur, super his omnibus et singulis ex certa Nostra scientia et motu proprio perpetuum silentium imponentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo hominum *etc.* nostrae advocationis, exstinctionis, cassationis, annullationis, voluntatis, mandati, vacuationis, absolutionis, liberationis, restitutionis, constitutionis et decreti infringere *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, VII idus ianuarii, ... anno I.

41. Concedit facultatem fundandi domum O. F. M. in oppido de Sulliaco (Sully), Aurelianen. dioec. (1).

1432, ianuarii 9, Romae.

Dilecto filio nobili viro Georgio militi, domino de la Trimollia, Aurelianen. dioec.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu ... in oppido seu villa de Sulliaco, Aurelianen. dioec., tuo dominio temporali subiecto, unam domum cum ecclesia, campanili ... pro usu et habitatione aliquorum fratrum dicti ordinis, qui inibi deserviant laudabiliter in divinis, fundare desideras et proponis *etc.* Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi in aliquo loco dicti oppidi seu villae, ad hoc congruo et accommodo, domum ... cum ecclesia ... iuxta formam constitutionis fel. rec. Clementis papae VI ... fundandi ... illamque, prout tibi videbitur, ipsis ornamentis decorandi dictisque fratribus domum ipsam sic fundatam recipiendi ... concedimus facultatem. Nos enim ... fratribus dicti ordinis in eadem domo pro tempore moraturis, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere plenarie valeant, ... indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, V idus ianuarii, ... anno I.

42. Priori monasterii S. Marcelli Papien. mandat, ut examinet causam appellationis monialium monasterii S. Mariae Theodocis de la Pusterla Papien. O. S. Ben., contra Isabettam de Curte, monialem eiusdem monasterii, falso asserentem se in abbatissam esse electam, atque eidem monasterio praeficiat Iacobinam de Becharia, monialem monasterii S. Agathae Papien. O. S. Cl., de nobili genere procreatam, in abbatissam (2).

1432, ianuarii 17, Romae.

Regimini universalis ecclesiae *etc.* Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XVI kal. februarii, ... anno I.

43. Blasium Iohannis O. F. M., mag. theol., praeficit ecclesiae Nandoralben. (3).

1432, februarii 8, Romae.

Dilecto filio Blasio Iohannis, electo Nandoralben.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Nicolao episcopo Nandoralben. regimini Nandoralben. ecclesiae praesidente, Nos *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per ipsius Nicolai obitum, qui extra Romanam curiam *etc.* Demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in theologia magistrum et in sacerdotio constitutum, cui *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, VI idus februarii, ... anno I.

Eadem die et simili modo scribit *Capitulo ecclesiae Nandoralben.; Clero civitatis et dioec. Nandoralben.;* praeterea *Archiepiscopo Colocen.* (Ad cumulum).

44. Confirmat statuta circa praecedentiam inter ordines Praed., Minor., Carmelitar., Eremit. S. Aug. in actibus universitatis Tolosan. (4).

1432, februarii 18, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Saturnini Tolosan.

Iustis et honestis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Bartholomaei magistri generalis et fratrum conventus Tolosani ordinis S. Mariae

(1) Reg. Vat. t. 371, f. 231; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 16. (2) Reg. Lat. t. 310, f. 278.

(3) Reg. Lat. t. 306 f. 105. — Nandoralba (= Belgradum) provinciae ecclesiasticae Colocen. (= Kalocza) in Hungaria.

(4) E *Bull. ord. fr. Praed.* t. III, p. 12, n. 18.

de Monte Carmelo petitio continebat, quod dudum rector et plerique in theologia magistri universitatis studii Tolosani pro pace et quiete eiusdem universitatis statuerunt et ordinarunt, quod de cetero perpetuis futuris temporibus inter baccalarios professores ordinum mendicantium in eadem universitate in quibuslibet actibus scholasticis talis ordo inter dictos mendicantes servari deberet, videlicet: quod quando Praedicatores haberent praecedere Minores, tunc fratres de Monte Carmeli deberent praecedere fratres Eremitarum S. Augustini; cum vero ad ipsos Minores pertineret Praedicatores ipsos anteire, tunc fratres Eremitarum fratribus eisdem de Monte Carmelo venirent praeferendi. Quare pro parte ipsorum magistri et fratrum de Monte Carmelo Nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictis statuto et ordinationi pro illorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiici mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si ita esse repereris, statutum et ordinationem praedicta auctoritate Nostra approbes et confirmes, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; et nihilominus, si confirmationem huiusmodi per te vigore praesentium fieri contigerit, ut praefertur, facias eadem statutum et ordinationem auctoritate simili inviolabiliter observari; non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XII kal. martii, ... anno I.

45. Confirmat collationes et donationes per episcopos Astoricen. factas fratribus III ord. S. Francisci domus de Valle, dioec. Astoricen. ([1]).

1432, februarii 21, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Regimini universalis ecclesiae *etc.* Dudum siquidem quondam Petro de Luna, in sua obedientia, de qua partes illae erant, tunc Benedicto XIII nuncupato, pro parte dilectorum filiorum universorum fratrum tertii ordinis S. Francisci exposito, quod olim venerabilis frater Noster episcopus Astoricen. certis ex causis animum suum moventibus ruralem ecclesiam S. Mariae de Valle, suae dioec., quae tunc rectore carebat, cum suis decimis, oblationibus, iuribus et pertinentiis, ut domus, in qua aliqui ex fratribus perpetuo residerent et in dicta ecclesia divinis manciparentur obsequiis ac iuxta et secundum dicti ordinis regularia instituta devotum Domino virtutum praestarent obsequium, cum officinis necessariis ad opus ipsorum fratrum construeretur, necnon omnes haereditates in S. Mariae Magdalenae de villa de Lazaro, dictae dioec., locis consistentes, quae de mensa ipsius episcopi exsistebant, fratribus dictae domus, qui in eadem residerent, contulerat et donarat, quodque nonnulli ex dictis fratribus postmodum ecclesiae et haereditatum iuriumque et pertinentiarum praedictorum possessionem fuerant adepti et ex tunc in quadam domo ad opus ipsorum fratrum constructa resederant et tunc residebant divinis obsequiis iuxta ipsorum fratrum instituta in dicta ecclesia laudabiliter serviendo, praedictus Petrus, tunc Benedictus XIII nuncupatus, per suas litteras dilecto filio abbati monasterii S. Mariae de Cartazedo, praedictae dioec., eius proprio nomine non expresso, dedit in mandatis, ut si de collatione, donatione et aliis praemissis sibi legitime constaret, illa et quaecumque inde secuta, dummodo canonice facta forent, confirmaret et approbaret, prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum ministri et fratrum dictae domus petitio continebat, bon. mem. Paschasius episcopus Astoricensis etiam quadraginta, imo pluribus, elapsis annis ipsam ecclesiam, quae tunc eremitorium dicebatur, in huiusmodi domum ordinaverit et deinde ipsius successor piae rec. Alphonsus, etiam episcopus Astoricen., de dictorum filiorum capituli Astoricen. consilio et assensu quamdam haereditatem in dictis locis consistentem et ad eamdem mensam legitime spectantem, praedictae domui contulerit, atque donaverit et exsecutionem dictarum litterarum per quondam Didacum abbatem ipsius monasterii factam, minus rite ab aliquibus processisse firmetur, pro parte ministri, domus et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... ordinationem, collationem et donationem praedictas ac quaecumque inde secuta rata habentes et grata illa auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, IX kal. martii, ... anno I.

46. Mandat reformationem monasterii iuxta villam S. Audomari (St. Omer), dioec. Morinen., O. S. Cl. ([2]).

1432, martii 3, Romae.

Venerabili fratri episcopo Morinen.

Debitum ministerii pastoralis *etc.* Ad audientiam siquidem Nostram non sine gravi mentis

([1]) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 17, « ex l. 1 de regular., de div., anno I, f. 97 ». — De eadem domo cf. *Bull. Franc.* t. VI, n. 945, p. 320; n. 953, p. 323. ([2]) Reg. Lat. t. 305, f. 180 v.

perturbatione pervenit, quod licet nonnullae moniales monasterii iuxta villam S. Audomari, ordinis S. Clarae, tuae dioec., dudum a plurimis honestis et gravibus personis pluries caritative monitae fuerint, ut observantiam regularem, ad quam iuxta suae professionis votum adstrictae erant, et dicti ordinis instituta, quae non observabant, observare deberent, tamen causantibus nonnullis dicti ordinis et aliis in reprobum sensum datis ac impudicis viris, easdem moniales a rectis semitis in devium seducentibus, moniales ipsae observantiam et instituta huiusmodi observare minime voluerunt neque volunt, quinimo dietim a malo in peius declinant, nedum in sui, sed etiam in cleri et aliorum perniciosum exemplum et scandalum plurimorum. Nos igitur, super his ... providere cupientes, fraternitati tuae ... committimus et mandamus, quatenus de praemissis auctoritate Nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ea veritate fulciri repereris, omnes et singulas moniales eiusdem monasterii, quas sic irregulariter ac indecenter vivere repereris, auctoritate Nostra corrigas ipsumque monasterium cum omnibus et singulis ab eo dependentibus iuxta illius observantiam et instituta regularia auctoritate simili reformes. Non obstantibus *etc.* Aut si aliquibus *etc.* Contradictores *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, V nonas martii, ... anno I.

47. Simili modo eidem episcopo mandat reformationem monasterii iuxta Ipris (Ypres, Ypern) dioec. Morinen. O. S. Cl. ([1]).

1432, martii 3, Romae.

Venerabili fratri episcopo Morinen.

Debitum ministerii pastoralis *etc.* Ad audientiam siquidem Nostram ... pervenit, quod licet nonnullae moniales monasterii iuxta Ipris, ordinis S. Clarae, tuae dioec., dudum variis vicibus a pluribus honestis et gravibus personis, apud quas ipsarum monialium infamia sorduerat, caritative monitae fuerint, ut suam vitam, ad quam iuxta suae professionis votum adstrictae erant, quamque in impudicitiis et delectationibus mundanis eatenus longo tempore in suarum animarum perniciem duxerant, in melius emendare seque ab erroribus huiusmodi corrigere vellent, tamen causantibus nonnullis eiusdem ordinis et aliis viris impudicis dictas moniales a rectis semitis in devium seducentibus monitio huiusmodi in cassum abiisse et moniales ipsae in earum libidinosa vita perseverasse, prout etiam abiectis honore et castimonia dicti ordinis et timore Dei postposito in illa perseverare dignoscuntur, nedum in sui, sed etiam cleri et aliorum perniciosum exemplum et scandalum plurimorum. Nos igitur *etc.* [*fere iisdem verbis, ut n. praec.*].

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, V non. martii, ... anno I.

48. Domus O. F. M. de observantia regni Hungariae in confinibus Turcorum subiicit custodi Bosnae ([2]).

1432, martii 10, Romae.

Dilecto filio Iuliano S. Angeli diacono cardinali, Apostolicae Sedis legato.

Rationi congruit *etc.* Sane dudum fel. rec. Martino Papae V, praedecessori Nostro, pro parte carissimi in Christo filii Nostri Sigismundi Romanorum regis illustris exposito, quod cum domus fratrum ordinis Minorum de observantia nuncupatorum in regno Hungariae in confinibus Turcorum consistentes retroactis temporibus sub custodia et gubernatione custodis domus Bosnen. eiusdem ordinis hactenus gubernatae fuerunt, et fratres in domibus ipsis degentes secundum ipsius ordinis regularia statuta ad Dei laudem et religionis decorem pure et sincere vixerant, et propterea idem rex desideret, ne fratres praefati ad mundanae conversationis illecebras et saeculi vanitates se diverterent, sed Deo, cui dedicati erant, pure et religiose famularentur, ut domus praedictae sub gubernatione et custodia dicti custodis, prout hactenus constitutae erant, reponerentur et reducerentur, ac pro parte dicti regis praefato praedecessori supplicato, ut domos praefatas sub huiusmodi custodia et gubernatione reduci mandare et alias super praemissis salubriter providere ... dignaretur: idem praedecessor voluit et concessit, videlicet XIV kalend. martii, pontificatus sui anno XIV, tibi dari in mandatis, ut vocatis, qui forent evocandi, de praemissis omnibus et singulis et eorum circumstantiis universis auctoritate sua te diligenter informares ... domos praefatas et inibi residentes fratres huiusmodi sub custodia et gubernatione praedictis eadem auctoritate reduceres et in statum pristinum reponeres. Non obstantibus *etc.* Ne autem pro eo, quod super dictis voluntate et concessione dicti praedecessoris, eius superveniente obitu, litterae apostolicae confectae non fuerunt, praefatus rex voluntatis et concessionis huiusmodi frustretur

([1]) Reg. Lat. t. 305, f. 247.

([2]) Reg. Vat. t. 371, f. 12; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 1; Theiner, *Vetera monumenta historiam Hungariae sacram illustr.* t. II, Romae 1860, n. 368, p. 210 (sed V id. martii i. e. 11 martii 1431, fortassis recte).

effectu, volentes et apostolica auctoritate decernentes, quod huiusmodi voluntas et concessio ab eadem data videlicet XIV kalend. martii perinde suum sortiatur effectum, ac si eiusdem praedecessoris litterae sub ipsius diei data confectae fuissent, prout superius enarratur, quodque praesentes litterae ad probandum plene voluntatem et concessionem eiusdem ubique sufficiant, ... circumspectioni tuae ... mandamus, quatenus ad exsecutionem dictarum voluntatis et concessionis in omnibus perinde procedas, ac si eiusdem praedecessoris litterae super illis confectae et tibi praesentatae fuissent. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, VI idus martii, ... anno I.

49. Concedit licentiam fundandi domum B. M. V. *de l'Annunciata* O. F. M. de observ. in loco Caprignele, distr. terrae Nursiae, Spoletan. dioec. (1).

1432, martii 18, Romae.

Dilectis filiis universitati et hominibus terrae Nostrae Nursiae, Spoletan. dioec.

Piis fidelium votis *etc.* Cum ... vos zelo devotionis accensi ... tam de bonis a Deo vobis collatis, quam aliis christifidelium piis ad hoc porrigendis suffragiis, unam domum in honorem et sub vocabulo beatae Mariae Virginis « de l' Annunciata » nuncupatam cum ecclesia, campanili ... officinis pro usu ... fratrum de observantia nuncupatorum, qui sub stricta huiusmodi observantia inibi debeant Altissimo perpetuo deservire, in districtu terrae Nursiae, Spoletan. dioec., in loco Caprignele nuncupato fundare ... proponatis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... devotioni vestrae de bonis et suffragiis huiusmodi domum cum ecclesia, campanili ... officinis huiusmodi in loco praefato fundandi, construendi ... ipsisque fratribus domum cum ecclesia huiusmodi, ... cum omnibus iuribus et pertinentiis praedictis recipiendi ... dioecesani loci et cuiuscumque alterius licentia et assensu super hoc minime requisitis, fel. rec. Bonifatii papae VIII ... nequaquam obstantibus ... licentiam elargimur, iure tamen *etc.*; eisdem domui et ecclesiae ... ac universis fratribus, ... qui inibi pro tempore deguerint, nihilominus concedentes, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XV kal. aprilis, ... anno II.

50. Concedit Humberto, bastardo de Sabaudia ac syndicis, burgensibus et incolis villae Stavayci, (Estavayer, Stäffis), Lausanen. dioec., licentiam fundandi domum O. F. M. (2).

1432, martii 21, Romae.

Dilecto filio officiali Lausanen.

Piis supplicum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Humberti, bastardi de Sabaudia, militis ac syndicorum, burgensium et incolarum villae Stavayci, Lausanen. dioec., petitio continebat, quod ipsi devotionis fervore accensi ..., necnon ut dictae villae et alii partium illarum christifideles in fide catholica per sacrae scripturae expositionem eo ferventius solidentur ac eis in divinis laudibus deserviatur, de propriis bonis a Deo sibi collatis unam domum cum ecclesia, campanili ... officinis pro usu et habitatione fratrum ordinis Minorum, qui deserviant laudabiliter in divinis hominibus dictae villae et extra eam, in loco habili et idoneo fundare ... ipsamque paramentis et aliis ecclesiasticis ornamentis fulcire desiderant *etc.* Quare pro parte militis, syndicorum, burgensium et incolarum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, eisdem militi, syndicis, burgensibus et incolis in dicta villa vel extra eam in loco praedicto habili et idoneo domum praedictam cum campanili ... et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione dictorum fratrum perpetuis, iuxta formam constitutionis fel. rec. Clementis papae VI, praedecessoris Nostri, super hoc editae, fundandi ... ac eisdem fratribus inibi se transferendi eisque domum ipsam recipiendi ... licentiam largiaris, iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1431, XII kal. aprilis, ... anno II.

51. Rizardum de Restis et Vincentium de Cottis O. F. M., qui contra constitutionem Bonifatii VIII domum et ecclesiam S. Iohannis Bapt. super Castapulignani extra portam regalem civitatis Lauden. (Lodi) receperant, iubet absolvi a censuris eisque dat facultatem domum illam retinendi (3).

1432, martii 31, Romae.

Dilecto filio praeposito domus S. Iohannis de Vineis Lauden.

Sacrae religionis propagationem *etc.* Sane pro parte Rizardi de Restis et Vincentii de Cottis ac nonnullorum aliorum ordinis Minorum

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 18, « Reg. Vat. e l. 1 de regular. anno II, f. 272 ».

(2) Reg. Lat. t. 317, f. 127v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV n. 19.

(3) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 20, « e l. 1 de regular., anno II, f. 282 ».

professorum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias quidam cives Lauden., ad ordinem praedictum specialem gerentes devotionis affectum ac desiderantes, quod prope civitatem Lauden. quaedam domus pro usu et habitatione nonnullorum fratrum dicti ordinis fundaretur et erigeretur, pro sortienda fundatione et erectione huiusmodi ecclesiam S. Iohannis Baptistae super Castapulignani extra portam regalem civitatis praedictae, a quacumque mendicantium domo spatio centum et quadraginta cannarum distantem, et quae olim hospitalis S. Iohannis Hierosolymitani fuerat, cum campanili, campana et certis eiusdem ecclesiae illi contiguis aedificiis ipsis fratribus pro eorum usu et habitatione canonice deputari procurarunt ac ipsis solum, seu certum spatium terrae, ipsi ecclesiae adiacens et tunc ad eam pertinens, per eosdem cives pro aliis eorum terris et possessionibus canonico ex cambio acquisitum, in hortos et hortalitia eorumdem fratrum redigendum et ad hoc, ut etiam in illo aliae pro ipsis fratribus officinae necessariae fieri possent, pie donarunt et etiam assignarunt, quodque postmodum iidem Rizardus et Vincentius ac alii professores contra constitutionem fel. rec. Bonifatii papae VIII ... eiusdem constitutionis forsan ignari et sine huiusmodi licentia ecclesiam cum campanili, campana, aedificiis et solo pro eorum domo receperunt illamque ex tunc tenuerunt et in ea morati sunt, prout de praesenti morantur, alias inibi iuxta regularem observantiam ordinis praedicti laudabiliter vivendo. Cum autem iidem Rizardus et Vincentius ac alii professores praedicti propterea dictam excommunicationis sententiam incurrerint ac super his eis et eorum statui, necnon, in domo praedicta bonorum operum fructus progressuros fore sperantes, etiam super hoc, quod ecclesiam et domum cum campanili, campana, aedificiis et solo huiusmodi retinere et tam ipsi, quam alii, qui inibi sub huiusmodi observantia Altissimo famulari voluerint, in ea remanere et morari possint, provideri desiderent, pro parte Rizardi et Vincentii ac aliorum dictorum professorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus praefatos Rizardum et Vincentium ac alios, qui sententiam praedictam incurrerunt, fratres praefatos, si id humiliter petierint, ab eadem sententia auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesiae consueta, iniunctis inde eis pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, necnon cum eisdem fratribus super irregularitate, si quam huiusmodi sententiis ligati missas et alia divina officia celebrando contraxerunt, eadem auctoritate dispenses, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam, per eos praemissorum occasione contractam, penitus aboleas. Et nihilominus vocatis, qui fuerint evocandi super aliis expositis huiusmodi et eorum circumstantiis universis auctoritate praefata te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ea repereris veritate fulciri, super quo tuam conscientiam oneramus, eisdem Rizardo et Vincentio ac aliis fratribus praedictis, postquam absolutionem, dispensationem et abolitionem praedictas feceris, domum et ecclesiam cum campanili, campana, aedificiis et fundo huiusmodi retinendi et alias officinas praefatas pro usu et habitatione praedictis construi faciendi eisque et aliis fratribus, qui in domo huiusmodi sub observantia praefata pro tempore degere voluerint, in ea standi et morandi, dioecesani loci *etc.* minime requisito, praefata et quibuscumque ... nequaquam obstantibus, plenam ... licentiam largiaris. Nos enim ... fratribus, qui in eadem domo pro tempore morabuntur, ut omnibus privilegiis ... uti et gaudere possint, eadem auctoritate concedimus per praesentes, iure tamen parochialis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, II kal. aprilis, ... anno II.

52. Declarat litteras Martini V circa promotos ad gradus magisterii non valere de illis, qui ante earum datam promoti sint (1).

1432, aprilis 1, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani pontificis providentia circumspecta *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Martinus papa V, praedecessor Noster, volens corrigere abusum, quem factum fuisse et fieri continuo intelligebat in ordine fratrum Minorum circa promotionem ad gradum magisterii in theologia de personis, quae ad dicti magisterii gradum promoveri consueverant sine debito cursu et lectura sententiarum in universitatibus approbatis, per suas litteras statuit et decrevit, ut tales eo modo promoti minime gaudere possent beneficiis ... concessis nec pro magistris haberentur, prout in ipsis litteris plenius continetur, quarum tenor sequitur in hac forma:

Martinus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam.

Cum in humanis scientiis *etc.* (2).

Datum Romae apud SS. Apostolos, kal. decembris, anno XIII.

(1) Reg. Vat. t. 371, f. 269; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 21.

(2) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1878, p. 730.

Cum autem postmodum ad Nostram notitiam sit deductum, multos errores, divisiones, rixas et scandala in dicto ordine propter has litteras exoriri, maxime propter promotos, antequam litterae cum decreto huiusmodi emanassent, Nos cupientes praedictis scandalis obviare et ipsum ordinem in tranquillitate et pace paternis affectibus conservare, ad hoc etiam dilectorum filiorum generalis ministri et procuratoris dicti ordinis supplicationibus inclinati, volumus et praesentium tenore apostolica auctoritate decernimus, quod huiusmodi praedecessoris litterae ad eos, qui ante ipsarum litterarum datam ad magisterium promoti fuerunt, minime se extendant, quibus quantum ad ipsos dumtaxat pertinet, derogamus *etc.* Verumtamen, si quis ex eis indigne promoti fuerint post et contra alias litteras praedecessoris eiusdem, quae de promovendis ad magisterium faciunt mentionem, ipsarum litterarum, quas in suo robore volumus in omnibus permanere, decreto et poenae subiaceant, ad ceteros autem promotos post ipsarum litterarum datam, quae tantum de promotis loquuntur et praesentibus sunt insertae, easdem litteras volumus inviolabiliter observari, quas quantum ad eos pertinet, auctoritate simili confirmamus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, kalendis aprilis, ... anno II.

53. Concedit sororibus III O. S. Fr. apud S. Aprum Coloniae facultatem eligendi confessarium et celebrari faciendi missas etc. etiam tempore interdicti (1).

1432, aprilis 13, Romae.

Dilectis in Christo filiabus sororibus ac personis sub perpetua clausura ac observantia tertii ordinis S. Francisci in domo sita iuxta capellam S. Apri Colonien. degentibus.

Devotionis vestrae sinceritas *etc.* Hinc est quod Nos ..., ut quivis idoneus et discretus presbyter, quem vos et pro tempore in domo sita iuxta capellam S. Apri Colonien. sub perpetua clausura et observantia tertii ordinis beati Francisci commorantes sorores ad hoc elegeritis, confessiones vestras diligenter audire ... necnon eucharistiae, extremae unctionis aliaque sacramenta ecclesiastica ... ministrare ac vota minora ... in alia pietatis opera commutare valeat, quodque in praedicta capella, etiam dum parochialis ecclesia, infra cuius limites ipsa capella consistit, ecclesiastico fuerit interdicto supposita, ianuis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis et submissa voce in vestra et familiae vestrae praesentia per proprium vel alium sacerdotem idoneum, dummodo vos vel familia praedicta causam non dederitis interdicto nec eius occasione id vobis vel illis specialiter interdici contigerit, missas et alia divina officia celebrari facere licite valeatis, devotioni vestrae ... indulgemus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, idibus aprilis, ... anno II.

54. Declarat litteras Martini V de procuratoribus conventuum non comprehendi in cassatione facta die 15 martii 1431 (2).

1432, aprilis 18, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae Sedis providentia circumspecta *etc.* Sane dudum per fel. rec. Martinum papam V, praedecessorem Nostrum, pie considerato, quod quamplura possessiones et bona mobilia et immobilia tam per christifidelium oblationes, donationes et ultimas decedentium voluntates, quam alias multipliciter, diversis conventibus et locis ordinis fratrum Minorum pro ipsorum sustentatione et divini cultus obsequiis essent eatenus relicta eorumque usui deputata et relinqui sperarentur etiam in futurum, idem praedecessor volens conventuum, locorum et fratrum huiusmodi, ut divinis laudibus intensius vacare possent, opportunitatibus providere, ministro generali dicti ordinis pro tempore existenti, donec aliud per Sedem Apostolicam foret ordinatum, concedendi procuratoribus conventuum et locorum eorumdem pro tempore existentibus, ut possessiones et bona quaecumque mobilia et immobilia ac annuos proventus eatenus praefato ordini et eius conventibus relicta et imposterum relinquenda, aut aliis nominibus acquisita, vice et nomine Romanae ecclesiae, ad quam omnium rerum mobilium et immobilium huiusmodi ius, proprietas et dominium nullo medio spectant, recipere, capere, tenere et possidere, ac ipsorum fructus, redditus et proventus petere, exigere et percipere, illosque in commodum et utilitatem ipsorum fratrum ... ac alias in eos usus, quibus relicta et deputata forent, dumtaxat, de ipsorum fratrum consilio, requisitione et assensu convertere et exponere possent et deberent, plenam et liberam per quasdam suas litteras (3) concessit facultatem ac etiam potestatem, prout in eisdem litteris plenius continetur. Nos igitur, qui postea dicto praedeces-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 22, « Reg. Vat. e l. 1 de regul. f. 287 ».

(2) Reg. Vat. t. 371, f. 281; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 29.

(3) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1893, p. 739.

sori, sicut Altissimo placuit, rebus humanis exempto, divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, inter cetera nonnullas per eumdem praedecessorem per suas alias certi tenoris litteras super constitutionibus ordinationibus, statutis et capitulis dudum in capitulo generali ordinis praefati in civitate Nostra Assisinat. congregato, in quo dilectus filius Noster Iohannes, tit. S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis, tunc dictae Sedis legatus, praesedit, super statu dicti ordinis editis, factas declarationes, relaxationes, additiones et modificationes eisdem constitutionibus et capitulis derogantes, necnon, si qua in quibuscumque aliis eiusdem praedecessoris litteris facta, indulta aut relaxata seu modificata continerentur ipsis constitutionibus, statutis et capitulis contraria, per alias Nostras litteras (1) ex certis causis cassavimus, irritavimus et annullavimus ac nullius esse decrevimus roboris vel momenti, ne propterea, vel alias super prioribus ipsius praedecessoris litteris et facultate supradictis per aliquos imposterum valeat haesitari, auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus, priores litteras praedecessoris et facultatem easdem sub cassatione, irritatione et annullatione Nostris huiusmodi nullatenus comprehendi, sed illas tamquam per Nos ratas habitas ... confirmamus, ... et in suo pleno robore ... volumus permanere: Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, XIV kal. maii, ... anno II.

55. Litteras *Vinea Domini Sabaoth*, d. 15 martii 1431 (v. sup. n. 4) suspendit usque ad proximum capitulum generale Bononiae celebrandum (2).

1432, aprilis 28, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Solet Apostolicae Sedis cura *etc.* Cum itaque fel. rec. Martinus papa V, praedecessor Noster, videlicet VI kal. augusti, pont. sui anno XIII, pro reformatione ordinis fratrum Minorum certas additiones, declarationes et modificationes ediderit et fecerit ex tenore quarumdam constitutionum, quas dilectus filius Iohannes, tit. S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis, cui tunc de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium consilio plenae legationis officium erat commissum, edidit in generali ipsorum fratrum capitulo, quarum additionum, declarationum et modificationum tenore continetur: Primo videlicet, quod ubi fratres particulares dicti ordinis monialium et sororum ordinis S. Clarae *etc.*, [ut in litteris Martini V. *Pervigilis more pastoris* d. 27 Iulii 1430, usque ad *observari volumus et mandamus. Bull. Franc.* t. VII, n. 1892, p. 737 b–738 b].

Quas quidem additiones ... Martini praedecessoris Nostri et litteras eiusdem superinde confectas, dum intellexissemus diversitatem sublatam renovari et ex iisdem unitati ordinis praefati praestari impedimentum, pro ipsorum fratrum concordia cum omnibus inde secutis cassavimus ..., sicuti per easdem litteras Nostras datas idibus martii, pontificatus Nostri anno I (3), distinctius legitur contineri. Nunc autem comperto ex praefatis cassatione ... litterarum nedum diversitatem sublatam in dicto ordine, aut concordiam subsecutam, sed potius propter emergentes difficultates scandala et multa inconvenientia provenisse, ex certis respectibus digne moventibus mentem Nostram, habito super iis consilio cum praefato dilecto filio Iohanne, tit. S. Petri ad Vincula presbytero cardinali, motu proprio et non ad alicuius ... instantiam praefatas litteras Nostras cassationis ... suspendimus usque ad proximum generale concilium (!) futurum in civitate Nostra Bononien., cui dante Domino personaliter praeesse cupimus et pro reformatione idonea constitutionum et regularum pertinentium ad ordinem antedictum debite providere decernentes, quod interim praefatae additiones, declarationes et modificationes eiusdem Nostri praedecessoris efficaciam et robur habeant in pristinaque permaneant firmitate. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, IV kal. maii, ... anno II.

56. Guillelmum de Casale, ministrum generalem O. F. M., liberat a vinculo iuramenti facti in capitulo generali Assisien. de non petendis dispensationibus super constitutiones dicti capituli (4).

1432, aprilis 28, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Movet Nos saepe pastoralis officii cura *etc.* Sane quidem, cum alias in generali capitulo fratrum Minorum in civitate Nostra Assisii dilectus filius Noster Iohannes, S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis, per piae rec. Martinum papam V, praedecessorem Nostrum, de consilio venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, de quorum numero tunc eramus, legatus, habens pro reformatione ordinis ipsorum fratrum Minorum omnimodam auctoritatem et facultatem,

(1) Vide sup. n. 4, p. 2ss.
(2) Reg. Vat. t. 371, f. 286; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 24.
(3) Vide sup. n. 4, p. 2-12.
(4) Reg. Vat. t. 371 f. 284 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 23.

dicto capitulo praesidendo ediderit certas constitutiones, quas postea ipse praedecessor Noster approbavit et ratificavit, sicut ex tenore litterarum apostolicarum cernitur contineri, quarum tenorem haberi volumus pro expresso, et per easdem litteras motu proprio certas additiones, declarationes et modificationes ediderit atque fecerit constitutionum praedictarum, quibus certum iuramentum, quod dilectus filius Guillelmus de Casali, eiusdem ordinis Minorum generalis minister, de dispensationem ullam super dictis constitutionibus vel earum aliqua non petendo et obtenta non utendo in praefato capitulo Assisii celebrato praestitit, ipse praedecessor Noster motu proprio relaxavit (1). Nos etiam advertentes quamplurima eidem ordini Minorum, cuius prosperi status directio et onus ipsi Guillelmo generali ministro principaliter incumbunt, fructuosa ac utilia ingruentibus casibus sub eiusdem iuramenti strictura pro tempore impediri, aut ipsi ordini praeiudicium evenire, censentes minus esse congruum ipsum Guillelmum, generalem ministrum, qui caput esse dignoscitur, arctius quam membra sub dicti iuramenti strictura ligari, ex certis rationibus digne moventibus mentem Nostram, praefati praedecessoris Nostri in hac parte vestigiis inhaerentes, motu proprio, non ad alicuius porrectae petitionis instantiam, praefatum iuramentum a dicto Guillelmo, generali ministro, praestitum, ut praefertur, cuius verba, formam atque tenorem hic volumus pro sufficienter expressis, ... relaxamus eumque Guillelmum generalem ministrum declarantes et volentes ad ipsius iuramenti observantiam nullatenus teneri aut obligari. Non obstantibus aliquibus revocationibus per Nos in contrarium editis (2), per quas decreverimus vel voluerimus, praefatum Guillelmum generalem ministrum teneri ad ipsum iuramentum, ac litteris Nostris quibuscumque, etiamsi de illis sit mentio specialis habenda, constitutionibus apostolicis *etc.*, praedictis tamen constitutionibus per dictum cardinalem editis in omnibus semper salvis. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, IV kal. maii, ... anno II.

57. Mandat et exhortatur, ut Guillelmo de Casali, ministro generali O. F. M., auxilium ferant in exsecutione sui officii (3).

1432, aprilis 28, Romae.

Universis et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, presbyteris, conventibus et capitulis aliisque ecclesiasticis, cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis exsistant, atque carissimis in Christo filiis regibus illustribus, necnon dilectis filiis nobilibus viris ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, primatibus, universitatibus et populis, ceterisque christifidelibus, quacumque dignitate praefulgeant.

Movemur ex cura pastoralis officii *etc.* Quapropter, cum pro reformatione ordinis fratrum Minorum, qui inter christifideles famosus exsistit complectiturque magnum numerum fratrum, ad varias mundi partes dilectus filius Guillelmus de Casali, in sacra theologia magister, generalis minister ordinis eiusdem, ex iniuncto sibi generalis ministeriatus officio se conferat de praesenti et sit se in posterum collaturus, cum plerumque nonnulli, sicut evenire humanae imbecillitati solet, dicti ordinis fratres, inquinati labe peccatorum, a regula aberrantes, aut diversis polluti maculis inveniantur et nonnumquam minus obedientes, aut arrecto superbiae furore suis superioribus rebellantes, unde plectendi sunt et debitis saepe monitis castigandi ac etiam aliquando opportunis auxiliis et viribus arcendi et compescendi; quia tamen ipsis generali et fratribus non licet viribus armatis uti, sicut est plerumque necessarium, vobis cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis, clericalem militiam profitentibus, quibus quocumque modo insit auctoritas vel facultas has Nostras litteras exsequendi, mandamus tenore praesentium, vos autem, quibus inest potentia, iurisdictio, et temporales dominos, tamquam iuris exsecutores, quos praecinxit Altissimus gladii potestate ad compescendam malitiam, fidem servandam et iustitiam ministrandam, propensius exhortamur, quatenus ipsi generali ministro circa exsecutionem officii, cui ut observationem eorum, quae ad conservationem constitutionum et iurium dicti ordinis (4) et similiter aliis ab ipso ad praemissa deputandis consiliis, favoribus et auxiliis opportunis assistatis, dirigatis atque iuvetis, prout in Domino vobis videbitur salubriter expedire, vobisque temporalibus dominis libeat, quandocumque vos vel officiales vestri fueritis requisiti, praebere auxilium brachii saecularis in capiendo, arcendo et compescendo apostatas, nocentes, rebelles et inobedientes ordinis eiusdem et in praemissis Nostras Nostrorumque vices laudabiliter exercere, sicut in vestra exsecutione iustitiae atque de-

(1) V. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1892, p. 737 ss.
(2) V. sup. n. 4, p. 2 ss.
(3) Reg. Vat. t. 371, f. 283; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 27.
(4) Hoc loco pauca in cod. interciderunt.

votione, quam ad Nos et Romanam ecclesiam religionisque protectionem geritis, singularem in Domino fiduciam obtinemus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, IV kal. maii, ... anno II.

58. Ministro generali dat facultatem absolvendi fratres, moniales et laicos sub sua iurisdictione exsistentes a quibusdam casibus gravioribus (1).

1432, aprilis 28, Romae.

Dilecto filio Guillelmo de Casali, in sacra theologia magistro ac ordinis fratrum Minorum generali ministro.

Sedis Apostolicae providentia *etc.* Sane quidem cum, sicut accepimus, nonnulli fratres in ordine Minorum irregulares inveniantur per promotiones eorum ad sacerdotalem ordinem ante tempus constitutum et propter alias causas, et nonnumquam excommunicati, aut petentes absolvi a negligentia praeterita et praetermissione divini officii, qui absolutionis munere indigentes in praemissis casibus Apostolicae Sedi reservatis, a remotis partibus excursare coguntur, aut saepe propter magnam distantiam ipsorumque paupertatem, viarum discrimina ac corporis debilitatem, deficiente eis aptitudine Sedem Apostolicam consulendi, remanent, aut ex hac vita migrant cum periculo animarum. Similiter quidem et laici, qui intrarunt monasteria ordinis S. Clarae, S. Damiani et Minorissarum, plerumque petunt absolutionis gratiam, qui propter distantiam et difficultates praedictas ineptitudinemque veniendi ad Sedem Apostolicam consistunt in animarum periculo, ut praefertur. Praeterea, quia in multis conventibus fratres tenentur ad missas perpetuas celebrandas pro domibus, vineis et possessionibus, aut annuaria pecunia relicta capellis, quae omnia vendenda sunt et pro necessitatibus pauperum fratrum eleemosynaliter convertenda, unde fratres, moleste gravati obligatione praemissa diebus singulis celebrandi, premuntur stimulo conscientiae et petunt super his absolvi, qui casus debite videntur ad tuam auctoritatem pertinere. Nos igitur, de scientia litterarum, praestantia et puritate conscientiae aliisque virtutibus, quibus te Altissimus insignivit, plenam in Domino fiduciam obtinentes, ad tollenda animarum pericula corporumque labores, ne dicti fratres habeant causam excursandi, sed potius divinis officiis assistendi, et similiter, si aliquae in dicto ordine moniales praemisso absolutionis munere indigerent ac etiam laici, ne tanto cum pondere conscientiae persistant aut periculo animarum, tibi praefatos fratres, moniales et laicos a casibus praemissis absolvendi, iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, tenore praesentium auctoritate apostolica plenam et liberam concedimus facultatem.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, IV kal. maii, ... anno II.

59. Prohibet fratribus Minoribus et monialibus O. S. Cl. sub poena excommunicationis transitum ad alios ordines et eos, qui sub titulo capellanorum apostolicorum, cardinalium etc. se ab obedientia superiorum subtraxerunt, ad ordinem et obedientiam redire iubet (2).

1432, aprilis 28, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Anxia Nos cura sollicitat pro conservatione ordinis fratrum Minorum, ne sub novis fictisque coloribus religionem deserant, quam voverunt, sub specie arctioris vitae et observantiae, S. Benedicti, Cistercien., Camaldulen., Vallisumbrosae, canonicorum regularium S. Augustini, vel aliorum ordines, regulas et habitus assumentes, aut sub nomine capellanorum cardinalium, praelatorum vel temporalium dominorum, sicut prona ad inobedientiam et inobservantiam est nonnullorum consuetudo, neglecto habitu et norma Minorum se ad maiorem licentiam adducunt, unde nedum violant ordinem, sed plerisque ex aliis religionibus mala exempla tribuunt cum ignominia ordinis et scandalo plurimorum; quorum vestigiis [insistentes] et ipsae moniales S. Clarae, S. Damiani et Minorissarum, obligatae ordini antedicto, se ad alios ordines conferunt. Quae omnia a dictis fratribus et monialibus, ut longa iam experientia compertum est, ad liberiorem licentiam et procliviores mores ordinantur. Volentes itaque in praemissis, quantum cum Deo possimus, salubriter providere, ex certa scientia apostolica auctoritate declaramus atque decernimus tenore praesentium, statuentes, quod de cetero nullus frater ex ordine Minorum, postquam dictum ordinem professus fuerit, cuiuscumque magisterii, status, et conditionis exsistat, quavis imaginatione vel causa aut quaesito colore quomodolibet possit vel debeat virtute cuiuscumque licentiae et indulti, apostolica seu poenitentiariae Nostrae curam gerentis vel quavis alia auctoritate, etiam per bullas apostolicas quarumcumque facultatum tam legatis, quam nuntiis Sedis Apostolicae, necnon poenitentiariae huiusmodi pro tempore curam

(1) Reg. Vat. t. 371, f. 282; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 26.

(2) Reg. Vat. t. 371, f. 285; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 28.

gerenti, quam aliis quibuscumque sub quavis verborum forma et auctoritate concessarum, etiam si expresse agant de fratribus transferendis ad alios ordines, admitti aut recipi per aliquos etiam superiores ordinis, monasterii aut loci monastici, in monachum vel fratrem alicuius ordinis expresse vel non expresse, excepto dumtaxat ordine Cartusiensi. Et similiter nulla professa monialis S. Clarae, S. Damiani et Minorissarum admitti vel recipi possit vel debeat per aliquas etiam superiores ordinis, monasterii aut loci monastici, in monacham alterius ordinis expresse vel non expresse, sub poena excommunicationis, quam tam receptores et receptrices, quam recepti et receptae huiusmodi ipso facto incurrisse intelligantur; quam excommunicationis poenam contra praefatos transgressores et illas, quae transgressae fuerint, et eorum ac earum quemlibet et quamlibet ex nunc, prout ex tunc, scientia et auctoritate praefatis fulminamus et proferimus in his scriptis, et quod excommunicati et excommunicatae huiusmodi a nemine, nisi a Romano pontifice, praeterquam in mortis articulo, possint absolutionis beneficium obtinere. Et nihilominus secus vel aliter facta non teneant nulliusque exsistant roboris vel momenti. Si vero etiam aliquis frater dicti ordinis sub nomine capellani apostolici, cardinalium, praelatorum vel quorumcumque temporalium dominorum, se ab obedientia superioris et conventu vel a regula divisisset, aut alio quovis modo, causa, ratione vel quaesito colore, etiamsi super iis litteras apostolicas, vel alias impetrasset, vel sub aliquo titulo idoneam vel apparentem licentiam obtinuisset, aut sub aliquo praetextu cum habitu vel sine quomodolibet se ab obedientia superiorum dicti ordinis disiunxisset huc et illuc pervagando, volumus et praemissa auctoritate decernimus, hunc generalis aut provincialis ministri ac delegatorum ipsorum obedientiae subiacere et ad ordinem redire, sicuti ceteri sub lege obedientiae constituti: quod si secus egerit, tamquam notorius apostata et excommunicatus inobediens reputetur. Idemque de monialibus S. Clarae, S. Damiani et Minorissarum per omnia decernentes, et quod hi et hae arceri possint, etiam per invocationem brachii saecularis, quoties fuerit opportunum. Et si qui fratres vel moniales, etiam coniunctim, se ad aliquam regulam transtulissent, volumus et eadem auctoritate decernimus, eosdem et easdem sub obedientiae lege constitui, insuper huiusmodi conventus et alios disgregatos dilecto filio generali ministro ordinis eiusdem uniendi, congregandi, reformandi et ordinandi praefata auctoritate tenore praesentium plenam facultatem atque auctoritatem concedentes, huiusmodi licentiis et indultis necnon litteris et constitutionibus apostolicis ... non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, IV kal. maii, ... anno II.

60. Concedit facultatem instituendi et destituendi inquisitores haereticae pravitatis [1].

1432, aprilis 28, Romae.

Dilecto filio Guillelmo de Casali, in sacra theologia magistro et ordinis fratrum Minorum ministro generali.

Ex imminente pastoralis officii cura *etc.* Considerantes itaque quod tu, quem ad diversas mundi partes saepius proficisci contingit et cum magistris baccalaureis aliisque fratribus ordinis tui, litteris, moribus, praestantia atque ingenio idoneis, frequentius conversaris, attendentesque, quod ex locorum distantia, in quibus aliquis veniret instituendus inquisitor dictae haereticae pravitatis, propter causas plerumque emergentes, quibus non potest repente, ut expediret, per Sedem Apostolicam provideri: et similiter cum aliquis inquisitor ex dignis causis destituendus esse videtur, multa mala et scandala suboriri possent, antequam Sedes Apostolica consulatur, cognoscentes integritatem vitae, litterarum scientiam et praestantiam ingenii aliasque virtutes, quibus Altissimus te reddidit insignitum, et sperantes, quod quaecumque ad constitutionem vel destitutionem inquisitorum haereticae pravitatis huiusmodi tibi salubria christianae fidei et utilia videbuntur, optima electione et consilii maturitate prosequeris, non advertens amicitiam vel odium aut aliquam passionem, quibus possis a veritatis tramite deviare, tibi ut in quibuscumque locis et conventibus tuae curae commissis, ubi notitiam fratrum tuorum vel informationem de ipsorum idoneitate et virtutibus habeas, inquisitores huiusmodi haereticae pravitatis ex dicto ordine constituere, eligere et deputare et similiter ipsos destituere, cassare et amovere possis et valeas; non obstantibus *etc.*, usque ad Nostrum et Apostolicae Sedis beneplacitum apostolica auctoritate tenore praesentium plenam et omnimodam concedimus facultatem.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, IV kal. maii, ... anno II.

---

[1] Reg. Vat. t. 371, f. 282v; Wadd. *Ann.* ad a. 1432, n. 13.

61. Thomam Fleming, O. F. M. praeficit ecclesiae Leghlinen. (Leighlin, suffr. Dublinen.) (1).

1432, aprilis 28, Romae.

Dilecto filio Thomae Fleming, electo Leghlinen.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum si quidem bon. mem. Iohanne episcopo Leghlinen. *etc.* Postmodum vero praedicta ecclesia per ipsius Iohannis episcopi obitum, qui extra Roman. *etc.* Demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, baccalaureum in theologia, in presbyteratus ordine constitutum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem.

Datum Romae apud S Petrum, anno ... 1432, IV kal. maii, ... anno II.

Eadem die et simili modo scribit *Capitulo ecclesiae Leghlinen.; Clero civitatis et dioec. Leghlinen.; Populo civitatis et dioec. Leghlinen.; Universis vasallis ecclesiae Leghlinen.;* praeterea *Archiepiscopo Dublinen.* (Ad cumulum) et *Regi Angliae illustri* (Gratiae divinae).

62. Domum cum ecclesia S. Georgii prope Civitatem Austriae (Cividale), Aquileien. dioec., translatis monialibus O. S. Aug. concedit fratribus O. F. M. de observantia (2).

1432, maii 1, Romae.

Dilecto filio decano ecclesiae beatae Mariae Civitatis Austriae, Aquileien. dioec.

Piis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum communitatis oppidi Civitatis Austriae, Aquileien. dioec., petitio continebat, quod extra muros eiusdem oppidi est quidam locus regularis cum ecclesia sub vocabulo S. Georgii, ab eodem oppido per unum milliare vel circa distans, qui, ut dicitur, antiquitus per quandam mulierem pro usu et habitatione perpetuis mulierum religiosarum fundatus, aedificatus et dotatus fuit et deinde, ut creditur, fundatione, aedificatione et dotatione huiusmodi per patriarcham Aquileien., qui tunc erat, auctoritate ordinaria confirmatis nonnullae religiosae mulieres, quae habitum habitui cuiuslibet ordinis approbati pene ex toto dissimilem gestant, quamvis se ordinis S. Augustini asserant, in loco ipso degere consueverunt. Ex quibus in praesentiarum solae duae, quarum una se priorissam vocat, superesse noscuntur, propter quarum malam famam et vitam inhonestam quotidie in deterius prolabentem eiusdem loci religio, si qua aliquando fuit, miserabiliter finivisse prospicitur, ita ut iam locus ipse impudicus opprobrio subiaceat desolationis extremae in divini nominis et sacrae religionis contemptum necnon scandalum plurimorum; propter quod ipsi communitas desiderarent locum ipsum per Apostolicae Sedis providentiam ad congruum honorem reduci et laudibus eiusdem nominis deputari. Quare pro parte dictorum communitatis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro divini cultus et eiusdem religionis augmento ordinem praefatum in dicto loco supprimi et exstingui ipsumque sic suppressum pro usu et habitatione fratrum ordinis Minorum de observantia nuncupatorum perpetuis deputari et concedi ipsasque mulieres ad alium locum honestum transferri ac eis de necessariis pro suae vitae sustentatione provideri mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis dictis mulieribus et aliis, qui fuerint evocandi, de praemissis omnibus et singulis auctoritate Nostra te diligenter informes, et si ... tibi de impudicitia et infamia dictarum mulierum ac aliis praemissis expositis legitime constiterit, ... tu nomen priorissatus et praedicti ordinis in praefato loco eadem auctoritate penitus supprimas et exstinguas; et nihilominus locum ipsum pro usu et habitatione dictorum fratrum de observantia nuncupatorum perpetuis auctoritate simili deputes, statuas et ordines ac ipsas mulieres ad aliud monasterium seu locum mulierum ordinis approbati ... transferas ac ab eis regularem professionem per mulieres dicti monasterii sive loci emitti consuetam, si illam emittere voluerint, eadem auctoritate recipias et admittas ac eis regularem habitum exhibeas sibique quoad vixerint, de fructibus, redditibus et proventibus dicti loci S. Georgii annis singulis, quantum ipsis posse sufficere noveris, auctoritate simili provideri facias et procures: ita quod post translationem et per te factam provisionem huiusmodi liceat praefatis fratribus locum eumdem, cuius fructus, redditus et proventus octoginta ducatorum auri secundum communem aestimationem valorem annuum ... non excedunt, pro usu et habitatione huiusmodi recipere et perpetuo retinere ac in eo ecclesiam, campanile, ... officinas constituere, aedificare et ordinare ordinarii loci *etc.* minime requisita. Nos enim, ... ut dicti fratres, qui in eo pro tempore morabuntur, omnibus privilegiis ... uti pariter et gaudere valeant,

(1) Reg. Lat. t. 316, f. 9; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 25.

(2) Reg. Lat. t. 317, f. 143v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 30.

concedimus volumusque, quod postquam dictae mulieres translatae fuerint, praefata communitas duos idoneos et bonae conscientiae viros ecclesiasticos, qui fructus antedictos colligant eosque, quos ultra sustentationem dictarum mulierum superesse contigerit, in aedificationem et ordinationem loci praedicti realiter et fideliter exponant, deputare teneantur. Non obstantibus *etc.* iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, kal. maii, ... anno II.

63. Iohanni de Capistrano O. F. M. concedit facultates pro exstirpatione sectae fraticellorum « de la opinione » (1).

1432, maii 1, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Capistrano, ordinis Minorum professori, haereticae pravitatis inquisitori.

Apostolicae Sedis providentia circumspecta *etc.* Cum itaque, sicut ex fide digna relatione plurimorum Nobis displicenter innotuit, in plerisque mundi partibus quaedam secta haereticorum nefanda, quae fraticelli « de la opinione » vulgariter nuncupatur, operante satore zizaniae proh dolor eruperit, quae pestiferum virus evomens simplices animas suis tendiculis et palliatis coloribus sub praetextu simulatae sanctitatis illaqueando decipit, illas aeterno satagens igni transmittere consummandas, Nos huic veneno haeresique nefariae et labi pestiferae, quae exstingui supremis affectibus anhelamus, salubri remedio occurrere cupientes, et ne huiusmodi morbus inficiens excrescat ulterius, sed cooperante Domino radicitus evellatur, salubriter providere volentes ac sperantes, quod tu, quem, sicut tam magistra experientia, quam etiam testimoniis fide dignis accepimus, constantia fidei, religionis zelo, vitae munditia et aliis multiplicium virtutum meritis Altissimus insignivit, per tuae prudentiae et sollicitudinis studium labem huiusmodi exstirpare et orthodoxae fidei fructuosos palmites transplantare conaberis, tibi contra praefatos et alios quoscumque haereticos eorumque adhaerentes, complices et fautores atque receptatores eorumdem, cuiuscumque etiam dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis vel praeeminentiae fuerint, etiamsi communitates, universitates et municipia sint, in quibuscumque mundi partibus eos fore compereris, aut ubi compererentur, inquirendi, procedendi, capiendi ac carceribus mancipandi ac iuxta canonicas sanctiones et SS. Patrum instituta, prout cuiusque qualitas delicti exegerit, acriter puniendi, brachium etiam saeculare, si opus fuerit, contra eosdem invocandi, necnon huiusmodi haeresim abiurare volentes, si alias relapsi non fuerint, recepta ab ipsis et facta abiuratione haeresis ac errorum huiusmodi et etiam recepto et praefato iuramento, quod talia deinceps non committent nec committentibus seu adhaerentibus consilium vel favorem praestabunt, et alias in forma ecclesiae consueta recipiendi, absolvendi et ad Nostrum et ecclesiae gremium et Sedis Apostolicae gratiam reducendi volentesque ad veritatis tramitem respirare atque reduci recipiendi, restituendi et absolvendi omniaque alia et singula faciendi, gerendi et exercendi, quae ad huiusmodi pestem reprimendam et radicitus exstirpandam opportuna esse quomodolibet dignoscuntur et ad praemissa omnia et singula viros idoneos, prout expedire videris, deputandi ac subdelegandi, coniunctim vel divisim, ipsosque revocandi et alios eorum loco, quotiens tibi opportunum videbitur deputandi, ut quos Dei timor a malo non revocat, debitus rigor acrimoniae plectendo castiget, plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem. Hoc igitur onus ad honorem Dei et animarum salutem cum omni promptitudine suscipias ac sub spe mercedis aeternae sic efficaciter sicque diligenter exsequi studeas, ut per sollicitudinis tuae solertiam radix pravitatis huiusmodi exinde penitus evellatur et vinea Domini Sabaoth fructus afferat catholicae puritatis. Per huiusmodi autem commissionem tibi per Nos factam locorum ordinariis, quominus ipsi inquisitionis officium super labe praedicta, prout volunt dictae canonicae sanctiones, exercere valeant, et quibuslibet privilegiis tibi tuoque ordini vel quibuslibet inquisitoribus haereticae pravitatis, si qua sint eis vel tibi a dicta Sede concessa, nullum volumus praeiudicium generari.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, kal. maii, ... anno II.

---

(1) Reg. Vat. t. 372, f. 15; Wadd. *Ann.* ad a. 1432, n. 10: ex ipso autographo. Cf. litt. Martini V *Apostolica Sedes* d. 27 maii 1426 ap. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1710, p. 653, quibus eidem Iohanni de Capistrano similes facultates conceduntur. Eadem die 1 maii 1432 Eugenius IV simili modo litteras dedit Iordano Sabinen. et Antonio Ostien. Episcopis, S. R. E. cardinalibus: *Apostolica Sedes vigilantissime* etc.; quarum litterarum virtute Iordanus cardinalis de Ursinis eumdem F. Iohannem de Capistr. suum in hac re commissarium deputavit die 17 iunii 1432. Litteras Iordani cardinalis vide ap. Wadd. l. cit.

64. Pro perficienda constructione domus S. Francisci in loco de Galusano, O. F. M., dioec. Cephaluden. (Cefalù in Sicilia), concedit indulgentias (1).

1432, maii 15, Romae.

Universis christifidelibus.

Licet is, *etc.* Cum itaque ... quaedam domus cum ecclesia, campanili ... et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum ordinis Minorum in loco de Galusani, Cephaluden. dioec., per dilectum filium nobilem virum Gilbertum Contigles, comitem Galusani, domicellum dictae dioec., sub vocabulo beati Francisci aedificari seu construi inchoata, ad sui perfectionem propter ipsius operis sumptuositatem sine fidelium suffragiis deduci non valeat, Nos cupientes, ut ecclesia praefatae domus, quae quidem ecclesia in suis muris et aedificiis de bonis praedictis perfecta reperitur, et in qua missae et alia divina officia laudabiliter celebrantur, congruis honoribus frequentetur, ac fabrica dictae domus cum aliis supradictis ad sui perfectionem huiusmodi deducatur, et ut christifideles eo libentius devotionis causa ad eamdem ecclesiam confluant ac ad fabricam huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc *etc.*; omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festivitate eiusdem beati Francisci ipsam ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad fabricam praedictam manus porrexerint adiutrices, tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, idibus maii, ... anno II.

65. Pro restauratione domus SS. Fructuosi et Agnetis, III. O. S. Fr., dioec. Astoricen., concedit indulgentias (2).

1432, maii 23, Romae.

Universis christifidelibus.

Licet is *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia domus ordinis fratrum Minorum (!) de poenitentia nuncupati sub vocabulo SS. Fructuosi et Agnetis, Astoricen. dioec., in aedificiis et structuris reparatione et fabrica indigeat sumptuosa, sintque propterea ipsorum fidelium pia suffragia plurimum opportuna, Nos cupientes *etc.* omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in die festivitatis, dictorum sanctorum Fructuosi et Agnetis ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim manusque, ut praemittitur, porrexerint seu etiam ad illius perpetuam conservationem pias eleemosynas erogaverint, tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, X kal. iunii, ... anno II.

66. Renovat Clementis VII et Benedicti XIII concessiones circa regimen monasterii de Oterdesillas aliorumque monasteriorum O. S. Cl. sub regimine Francisci de Soria O. F. M. visitatoris exsistentium (3).

1432, iunii 1, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Super gregem dominicum *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum de Oterdesillas et de S. Anderio ac de Villa Frechos, necnon de Rapariegos et de Zafra, Palentin., Burgen., Legionen., Abulen. et Pacen. dioec., ac Palentin. et extra muros Zamoren. monasteriorum ordinis S. Clarae abbatissarum et conventuum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet quondam Clemens VII et Petrus de Luna, Benedictus XIII, in eorum obedientiis, de quibus illae partes erant, tunc nuncupati, desuper ipsorum confectis litteris concesserunt, ut singulae abbatissae et conventus singulorum monasteriorum huiusmodi aliquem fratrem ordinis Minorum professorem, vita ac moribus approbatum, in earum et dictorum monasteriorum visitatorem cum potestate sive facultate tunc expressa deinceps habere possent et deberent, quodque visitator praedictus alium dicti ordinis professorem, qui ei in officio visitationis huiusmodi succederet, eligere seu deputare valeret; quia tamen dilectus filius Noster Iohannes, tit. S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis, apostolica desuper auctoritate suffultus, statuit et ordinavit, quod omnes et singuli fratres dicti ordinis generali necnon provincialibus ministris ac custodibus, guardianis et quibusvis aliis praelatis ipsius ordinis, secundum illius

---

(1) Reg. Lat. t. 317, f. 95v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 31.

(2) Reg. Lat. t. 312, f. 161v.

(3) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 32, « ex l. 1 de regular. a. II, f. 162 ». De monasteriis O. S. Cl. in Oterdesillas (Tordesillas, Turresellarum, Iugosellarum, Ageresellarum), Palentinae dioec., cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 599, p. 222; n. 660, p. 241; n. 689, p. 249; n. 752, p. 264, n. 1100, p. 374; n. 1542, p. 579; n. 1674, p. 639; n. 1788, p. 686; in Santander Burgen. dioec.: n. 659, p. 241; n. 1093, p. 372; n. 1100, p. 374; n. 1162a, p. 403; in Villafrechos, Legionen. dioec.: n. 1033, p. 356; n. 1089, 1090, p. 372; n. 1100, p. 374; in Rapariegos, Abulen. dioec.: n. 1542, p. 579; in Zafra (Safra), Pacen. (Bajadoz) dioec.: n. 1875, p. 729; in Zamora: n. 1542, p. 579; n. 1558, p. 586.

regulam datis, non obstantibus quibuscumque privilegiis, concessionibus et indultis quomodolibet et qualitercumque generaliter vel specialiter in Romana curia et etiam concilio Constantien. vel alibi ubicumque concessis, obedire teneantur et debeant, ipsaque privilegia, concessiones, et indulta cassavit, ... et si quae monasteria monialium ex aliqua bulla apostolica quibusvis particularibus fratribus commissa forent, ipsi fratres sub poena inobedientiae contumacis ea provincialibus inibi ministris resignare deberent, nisi ipsis denuo per dictos ministros provinciales recommissa forent (1): abbatissa et conventus praedictae, quae sub regimine et gubernatione dilecti filii Francisci de Soria, dicti ordinis professoris, tanquam visitatoris earum aliquamdiu tranquille laudabiliterque sua Domino vota dirigere et salutaribus institutis vacare curarunt, occasione statuti, ordinationis necnon cassationis, revocationis, annullationis et constitutionis earumdem, si alias ipsorum fratrum regimini subdantur, magnis timeant progressu temporis opprimi detrimentis, seque dicta occasione multipliciter gravari recensentes, ad Sedem propterea Apostolicam appellarunt. Quare pro parte carissimi in Christo filii Nostri Iohannis, Castellae et Legionis regis illustris, ac dictarum abbatissarum et conventuum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... omnes et singulas ubilibet forsitan dicta occasione pendentes lites ... exstinguentes ac excommunicationum, suspensionum ... sententias, censuras et etiam pecuniarias poenas, si quae contra abbatissas, conventus et fratres ordinis Minorum huiusmodi occasione praedicta promulgatae sint, ... pro nullis habentes, necnon cum quibusvis ex ipsis fratribus, qui forsan dicta occasione praemissis sententiis ligati fuere, super irregularitate, quam interim ... quomodolibet contraxerint, auctoritate praedicta dispensantes omnemque abolentes inhabilitatis et infamiae maculam, ... dictis abbatissis ... concedimus, quod concessiones Clementis et Petri de Luna huiusmodi necnon aliae similes, si quae desuper abbatissis et conventibus praedictis dicta auctoritate factae sint, vim vigoremque plenarios obtineant *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, kal. iunii, ... anno II.

67. Iohannem de S. Anna, ministrum prov. Castellae O. F. M., aliosque fratres, qui sine licentia apostolica domum B. Mariae de Portusalutis in villa de Briviesca pro usu fratrum Min. receperant, absolvi iubet iisque dat licentiam retinendi eamdem domum (2).

1432, iunii 6, Romae.

Dilecto filio officiali Burgen.

Quae pro divini cultus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Petri Fernandi de Velasco, comitis de Haro, Calaguritan. dioec., petitio continebat, quod ipse ... quamdam domum sub vocabulo beatae Mariae de Portusalutis cum ecclesia, campanili, ... officinis pro usu et habitatione fratrum ordinis Minorum in territorio Villae de Briviesca, Burgen. dioec., ad ipsum comitem legitime pertinentis, de bonis sibi a Deo collatis de licentia venerabilis fratris Nostri Pauli, episcopi Burgen., fundavit ... necnon libris, calicibus, paramentis et ecclesiasticis ornamentis atque bonis mobilibus domui et ecclesiae huiusmodi congruentibus fulcivit et dotavit, quodque Iohannes de S. Anna, Minister provincialis dicti ordinis in provincia Castellae secundum ipsius ordinis morem et nonnulli alii eiusdem ordinis fratres domum praedictam absque Sedis Apostolicae licentia speciali receperunt ac in ea fratres huiusmodi inhabitant de praesenti, excommunicationis sententiam in tales a iure generaliter promulgatam incurrendo. Quare pro parte comitis ac ministri et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eosdem ministrum et fratres ab huiusmodi excommunicationis sententia ... hac vice dumtaxat auctoritate Nostra absolvas in forma ecclesiae consueta, iniunctis *etc.*, ac cum eis super irregularitate ... dispenses. Et nihilominus erectionem, fundationem ... approbes et confirmes et insuper fratribus in dicta domo pro tempore commorantibus, ut omnibus et singulis privilegiis ... gaudere necnon guardianum sibi pro tempore eligere ac ipsam electionem, ab ipsorum maiori et saniori parte celebratam, ministro provinciali dictae provinciae pro tempore exsistenti praesentare et illius confirmationem ab eodem provinciali alias iuxta laudabilia statuta et consuetudines ipsius ordinis retinere libere, et licite valeant, quodque guardianus et fratres domus huiusmodi per dictum provincialem, seu ipsius ordinis ministrum generalem pro tempore exsistentem dumtaxat visitari et corrigi de-

(1) Cf. sup. n. 4, p. 5a.

(2) Reg. Lat. t. 317, f. 302; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 33. — De Iohanne a S. Anna cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1802, p. 693; n. 1853, p. 723. — Petrus Fernandi de Velasco idem esse videtur, de quo ibid. n. 1788, p. 686.

beant; iure *etc.*, auctoritate eadem concedas. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, VIII idus iunii, ... anno II.

68. Nicolao de Tragurio, O. F. M. de observantia, concedit facultatem construendi domum et ecclesiam O. F. M. de observantia in insula Bua prope civitatem Tragurii (Traù in Dalmatia) (1).

1432, iunii 18, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Sedis Apostolicae benignitas *etc.* Sane quidem dilecti filii Nicolai de Tragurio, ordinis Minorum, qui de observantia nuncupatur, porrecta Nobis petitio continebat, quod cum alias monasterium fratrum Minorum, situm penes portam civitatis Tragurii, dirutum et demolitum fuerit turbine guerrarum nec postea sit aedificari permissum, ne quasi arx immineat ipsi civitati, fratres, qui in dicto monasterio habitare consueverant, inducti in quadam domuncula lignea, sita in populi frequentia, habitare coguntur contra religionis normam et debitam honestatem. Unde dilecti filii universitas et commune ipsius civitatis Tragurii in insula Bua, non aliter quam per pontis transitum distante a civitate, convenientem locum et terrae spatium deputarunt fratribus Minoribus de observantia nuncupatis, ut ibi nova ecclesia et monasterium aedificari possit, si ad id Noster et Apostolicae Sedis consensus accedat. Praeterea, quia nonnulla bona mobilia et immobilia praefato monasterio demolito sive ecclesiae et capellis eiusdem applicata fuerant, idcirco Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus, ut bona mobilia, spectantia ad cultum Dei et usum fratrum ipsorum, ad usum divini cultus et fratrum novi monasterii construendi debeant tradi et consignari, bona vero immobilia, possessiones et praedia vendi debeant per instituendos ad hoc procuratores, ipsorumque pretium cum omnibus debitis et legatis fabricae huiusmodi construendi monasterii debeat applicari, concedere eisdem fratribus de observantia apostolica auctoritate dignaremur, quodque in insula Bua praedicta monasterium sive conventum ordinis Minorum construere et aedificare possint cum ecclesia, capellis... et aliis necessariis officinis cum indulgentiis, exemptionibus, immunitatibus et privilegiis, aliis locis sive conventibus ordinis Minorum vicariae Bosnae ab Apostolica Sede concessis vel imposterum concedendis, remanentibus capellis B. Virginis Mariae et B. Francisci, cimiteriis et alii, quae de priori monasterio remanserunt, sub cura cleri maioris ecclesiae Tragurien. Nos quidem, quos reformatio ecclesiarum, divini cultus cura sollicitat, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatis fratribus ordinis Minorum de observantia bona quaelibet, quae fuerunt prioris monasterii vel conventus ad usum divini cultus et dictorum fratrum novi monasterii assignandi et deputandi et possessiones et praedia aliaque immobilia bona, cuiuscunque conditionis exsistant, per procuratores instituendos vendendi et pretium cum omnibus aliis denariorum et bonorum quantitatibus percipiendis ex debitis et legatis et aliter quomodocumque ad fabricam novi monasterii tribuendi et applicandi, necnon in insula Bua praedicta, dioecesani vel alterius super hoc licentia vel assensu minime requisitis, in loco convenienti et honesto monasterium fundandi, construendi et aedificandi cum ecclesia, capellis... et aliis necessariis officinis et ipsa ad usum dictorum fratrum habendi et perpetuo retinendi tenore praesentium auctoritate apostolica concedimus, volentes insuper auctoritate praemissa, ut praefatum monasterium, conventus et ecclesia construenda cum omni suo ambitu, capellis et locis et personis omnium indulgentiarum, exemptionum, immunitatum et privilegiorum per Romanos olim pontifices praedecessores Nostros, sub quavis verborum forma concessorum conventibus et monasteriis vicariae Bosnae, aut concedendorum in futurum, gratia et beneficio potiantur, quodque capellae B. Virginis Mariae et B. Francisci cum cimiteriis et aliis, quae ex demolito et diruto priori monasterio remanserunt, sub cura cleri maioris cathedralis ecclesiae Tragurien. remaneant; constitutione *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, XIV kalend. iulii, ... anno II.

69. Iohannem Erler O. F. M. ecclesiae Garden. (Gardar in Groenlandia) praeficit (2).

1432, iulii 5, Romae.

Dilecto filio Iohanni Erler de Moys, electo Garden.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem provisiones *etc.* Postmodum vero ecclesia Garden. ex eo vacante, quod Nos nuper venerabi-

(1) Reg Vat. t. 372, f. 23v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 34. Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1291, p. 464.

(2) Reg. Lat. t. 316, f. 19v. Ap. Eubel, *Hier. cath. med. aevi*, II², p. 157, dicitur Ioh. Erler de Moys dioec. Misnen., lic. in theol. et poenit. apost. in basilica princ. Apost. de Urbe.

lem fratrem Nostrum Gobelinum Burglanen., tunc Garden. episcopum, apud Sedem Apostolicam constitutum, a vinculo, quo ipsi Garden. ecclesiae, cui tunc praeerat, tenebatur ... absolventes, eum ad ecclesiam Burglanen. tunc vacantem, duximus auctoritate apostolica transferendum *etc.* demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in theologia baccalarium et in sacerdotio constitutum *etc.* de persona tua ... eidem Garden. ecclesiae ... providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, III nonas iulii, ... anno II.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Garden.; Clero civitatis et dioec Garden.; Populo civitatis et dioec. Garden.;* praeterea *Archiepiscopo Nidrosien.* (Ad cumulum), et *Erico regi Daciae* (Gratiae divinae).

70. Concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observantia in civitate Bitecten. (Bitetto in Apulia) (1).

1432, iulii 7, Romae.

Venerabili fratri Carolo episcopo Bitecten. et dilectis filiis universitati et hominibus civitatis Bitecten.

Piis fidelium votis gratum *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, in civitate Bitecten. non sit aliqua domus fratrum ordinis Minorum nec etiam alterius regularis ordinis, a quorum fratribus vos et aliae devotae personae, cupientes in doctrina Domini proficere, possitis salutaria documenta percipere, cupiatisque terrena in coelestia commutare et tam de bonis a Deo vobis collatis, quam aliis christifidelium piis ad hoc porrigendis suffragiis unam domum cum ecclesia, campanili, ... et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum ordinis Minorum de observantia nuncupatorum, qui sub stricta huiusmodi observantia inibi debeant perpetuo Altissimo famulari, in districtu civitatis praedictae in loco « Galicello » nuncupato, utique ad id congruo et honesto, fundare, ... pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, *etc.* Nos igitur ... devotioni vestrae, ut de bonis et suffragiis huiusmodi domum cum ecclesia ... officinis huiusmodi in loco praefato fundandi ... ipsisque fratribus ... cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis recipiendi ac pro eisdem usu et habitatione perpetuo retinendi, ... cuiuscunque licentia vel assensu super hoc minime requisitis, fel. rec. Bonifatii papae *etc.* nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium plenam et liberam licentiam elargimur, iure tamen *etc.*; ac universis fratribus ..., qui inibi pro tempore degerint, concedimus, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, nonis iulii, ... anno II.

71. Certae domus olim acquisitae ab Angelo de Corsica III. O. S. Fr. conceduntur Petro de Pisis, socio quondam eiusdem Angeli, licet non eiusdem ordinis (2).

1432, iulii 7, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae servitutis officium *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum Petri de Pisis et sociorum eius, pauperum eremitarum in diversis eremitoriis degentium, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet olim quondam Angelus de Corsica, frater tertii ordinis S. Francisci, quaedam et praesertim unum in loco, qui dicitur la Scolca, prope Ariminum, in manibus dilecti filii nobilis viri Galeotti Roberti de Malatesta, domicelli Ariminen. et alium in contrada S. Raphaelis de Venetiis (3) et alium S. Hieronymi et alium S. Mariae de Angelis de Nuvilaria ac alium S. Mariae « della misericordia », Castellan., Urbinaten., Pisaurien. et Ferrarien. dioecesum domos sive eremitoria loca nuncupata, quae dictus Angelus nomine suo et sociorum suorum fratrum dicti ordinis pro ipsorum usu et habitatione sive donationis sive emptionis aut alio titulo acquisiverat et quae eleemosynis fidelium cum suis et eorumdem sociorum laboribus fundaverat et construxerat, ... in manibus dicti Petri eius socii renuntiasset ac regimen et gubernationem eorumdem locorum ipsi Petro, quantum in eo fuit, concessisset, ipseque Petrus locum de la Scolca praefatum, sibi per eumdem Galeottum Robertum denuo concessum, ac alias domos et loca praedicta pro se et sociis suis et eiusdem Angeli tenuisset et possedisset ac teneat et possideat de praesenti: tamen quia dictus Angelus praefati ordinis professor fuit, et nonnulla instrumenta acquisitionis domorum et locorum praedictorum dictant, quod idem Angelus domos et loca huiusmodi pro se et sociis dicti ordinis acquire-

(1) Reg. Lat. t. 317, f. 14v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 35.

(2) Wadd. *Ann.* ad a. 1432, n. 47: « ex originali apud patres S. Onufrii in Urbe ». — De Petro a Gambacurta Pisano, fundatore ordinis eremitarum S. Hieronymi cf. AA. SS. Boll., 17 iun. III, p. 533-549.

(3) Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 199, p. 66.

bat, ac Petrus et alii, qui praefati Angeli socii fuerunt, praefati ordinis professores minime sint, sed simplicem eremiticam vitam agant, nec reperiantur aliqui, qui eiusdem Angeli socii fuerunt et dicti ordinis professores exsistant; dubitant Petrus et eius socii praelibati super domibus et locis huiusmodi in posterum molestari. Quare pro parte Petri et sociorum eorumdem Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur concessionem per praefatum Galeottum Robertum, ut praefertur, factam et alia instrumenta praedicta habentes praesentibus pro expressis et attendentes, quod Petrus et socii praelibati, cum praefati Angeli socii fuerint, dicti ordinis professores non fuerint neque etiam sunt de praesenti, et quod domos et loca huiusmodi una cum dicto Angelo acquisiverunt et etiam construxerunt, ne super eisdem domibus atque locis Petrus et socii praefati imposterum molestentur, concessionem, renuntiationem et alia instrumenta praedicta rata et grata habentes, ea auctoritate apostolica et ex certa scientia approbamus et confirmamus, supplentes omnes defectus, si qui forsan ob solemnitates iuris omissas intervenissent quomodolibet in eisdem; et nihilominus della Scolca ac alias domos et loca praedicta ad eosdem Petrum et eius socios praesentes et futuros spectare et pertinere et non ad fratres eiusdem ordinis tenore praesentium volumus, decernimus et declaramus, non obstantibus praemissis et aliis contrariis quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, nonis iulii, ... anno II.

72. Domum monialium de Ribis (Ribas), Palentin. dioec., erigit in monasterium O. S. Cl. et visitatori monasterii de Oterdesillas eiusdem ordinis subicit [1].

1432, augusti 17, Romae.

Dilecto filio officiali Burgen.

Gloriae perennis et aeternae beatitudinis amatricum *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Iohannae et Sanciae, dictarum de Ribis, ac Agnetis Garsiae, mulierum in dioecesi Burgen. commorantium, nuper Nobis exhibita petitio continebat, quod olim ipsae, de animarum suarum salute recogitantes ac saecularia desideria abnegare et sub iugo Domini in religionis observantia vivere desiderantes, se ad nonnullas domos prope ecclesiam B. Mariae de Ribis dictae dioec. reduxerunt et inibi sub laudabili vita ad instar monialium ordinis S. Clarae aliquamdiu conversatae commendabiliter exstiterunt sic, quod nonnulli partium illarum christifideles, pietate ducti, praefatas domos diversis mobilibus et immobilibus bonis ad valorem annuum centum florenorum de Aragonia secundum communem aestimationem dotarunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, Iohanna, Sancia et Agnes praedictae secundum regulam eiusdem ordinis S. Clarae, quae in monasterio de Oterdesillas [observatur], eiusdem ordinis Palentin. dioeces., in eisdem domibus perpetuo vivere affectent, sperentque, quod si in illis dictus ordo instituatur, necnon ecclesia et domus praedictae cum cimiterio, campanis, campanilibus et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione abbatissae et monialium eiusdem ordinis erigantur in monasterium, ac illius abbatissae et moniales per visitatores eiusdem monasterii de Oterdesillas visitentur, dilectus filius nobilis vir Petrus, comes de Haro ac alii plerique partium illarum christifideles ad sufficienter et decenter dotandum erigendum monasterium praedictum manus porrigent liberaliter adiutrices, unde christifidelium adaugebitur devotio, religionis propagatio et divini cultus succederet multipliciter incrementum: pro parte Iohannae, Sanciae et Agnetis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et si ... tibi expedire visum fuerit ac dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus dicti monasterii de Oterdesillas ad id accesserit assensus, ecclesiam et domos praedictas in monasterium eiusdem ordinis pro abbatissa et monialibus inibi perpetuo et conventualiter sub illa regula, quae in praefato monasterio de Oterdesillas servatur, Altissimo servituris cum quibusvis conventualibus et aliis iuribus eadem auctoritate erigas dictumque ordinem inibi instituas statuasque et ordines, quod praefatum erigendum monasterium per dictos visitatores visitari ac illis plenarie subesse et per eos regi et gubernari debeat, quibus dictum monasterium de Oterdesillas pro tempore subiacebit, et per quos illud gubernabitur ac regetur ac alias facias, disponas, ordines et exsequaris omnia et singula, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint seu etiam quomodolibet opportuna. Nos enim ... abbatissae et monialibus ac personis ipsius erigendi monasterii necnon illi, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere possint, apostolica auctoritate concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, XVI kal. septembris, ... anno II.

---

[1] Reg. Lat. t. 364 f. 62v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 36. — De mon. de Oterdesillas cf. sup. n. 66, p. 40, nota 3.

73. Ecclesiae B. Mariae de Cumulo (Accumuli) O. F. M., dioec. Esculan. (Ascoli Piceno), concedit indulgentias (1).

1432, augusti 26, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Dum praecelsa *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii B. Mariae de Cumulo, ordinis fratrum Minorum, Esculan. dioeces., nuper ob reverentiam eiusdem gloriosae virginis fundata, per universitatem et homines dicti loci de Cumulo, ad quam ob singularem devotionem, quam habent ad eamdem Virginem, magna illarum partium populi confluit multitudo, congruis honoribus frequentetur, et ut etiam libris et aliis ornamentis ecclesiasticis fulciatur ac christifideles eo libentius *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis et Corporis Domini Iesu Christi ac pentecostes, necnon nativitatis, annuntiationis, purificationis et assumptionis B. Mariae Virginis ac nativitatis B. Iohannis Baptistae et eorumdem apostolorum Petri et Pauli ac dedicationis ipsius ecclesiae festivitatibus ac in celebritate omnium sanctorum necnon per ipsarum nativitatis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis et Corporis Domini, ac nativitatis et assumptionis B. Mariae ac nativitatis B. Iohannis et beatorum Petri et Pauli apostolorum praedictorum festivitatum octavas et per sex dies dictam festivitatem pentecostes immediate sequentes eamdem ecclesiam devote visitaverint et ad conservationem huiusmodi manus porrexerint adiutrices singulis videlicet festivitatum et celebritatis quatuor annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dies praedictorum diebus, quibus dictam ecclesiam visitaverint et ad huiusmodi conservationem manus porrexerint adiutrices, ut praefertur, centum dies ex iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus; praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, VII, kal. septembris, ... anno II.

74. Guidonem Guidonis O. F. M., instituit episcopum Alexanen. (Alessano), prov. Lycien. (Lecce) (2).

1432, septembris 16, Romae.

Dilecto filio Guidoni Guidonis electo Alexanen.

Divina favente clementia *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Simone episcopo Alexanen. regimini ecclesiae Alexanen. praesidente *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Simonis episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum *etc.* demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in presbyteratus ordine constitutum *etc.*, teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, XVI kal. octobris, ... anno II.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo Alexanen.; Clero civitatis et dioecesis Alexanen.; Populo civitatis et dioecesis Alexanen.; Universis vasallis ecclesiae Alexanen.;* praeterea *Archiepiscopo Hydruntin.* (Ad cumulum).

75. Episcopo Pacen. (Badajoz) mandat, ut fratres domus B. Mariae de los Manjarretes O. F. M., Caurien. (Coria) dioec., qui sine licentia apostolica illum locum receperant, a censuris absolvat (3).

1432, septembris 17, Romae.

Venerabili fratri episcopo Pacen.

Piis supplicium votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vicarii et fratrum domus ordinis Minorum B. Mariae « de los Manjaretes », Caurien. dioec., petitio continebat, quod olim ipsi domum praefatam cum ecclesia, campanili, ... officinis per nonnullos fideles illarum partium pro usu et habitatione religiosarum personarum, quae inibi Altissimo famularentur, fundatam atque constructam absque licentia Sedis Apostolicae receperunt atque in ea ex tunc inhabitarunt, prout inhabitant de praesenti, excommunicationis sententiam et alias censuras et poenas, contra eos a iure illatas incurrendo, quodque excommunicationis sententia et censuris huiusmodi ligati missas et alia divina officia inibi, non tamen in contemptum clavium, celebrarunt. Quare pro parte dictorum vicarii et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... eosdem vicarium et fratres, si hoc humiliter petierint, ab excommunicationis sententia et aliis censuris et poenis, quas propterea incurrerunt, auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas *etc.;* et nihilominus praefatis vicario et fratribus, ut ipsi domum praedictam pro ipsorum usu et habitatione, alias iuxta eiusdem ordinis instituta, retinere ac omnibus et singulis immunitatibus ... uti et gaudere libere et licite valeant, eadem auctoritate concedas. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, XV kal. octobris, ... anno II.

(1) Reg. Lat. t. 317, f. 68.
(2) Reg. Lat. t. 316, f. 100; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 37.
(3) Reg. Lat. t. 317, f. 193v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 38.

76. Mandat, ut facta informatione Iohannes de Rocca, O. F. M., minister provinciae Terrae Laboris, removeatur ab officiis [1].

Septembris 19.

Venerabiles fratres.

Cum quidam Iohannes de Rocca, frater ordinis Minorum ac minister provinciae Terrae Laboris, suis, ut dicitur, exigentibus demeritis et abominandis operibus etiam usque ad praesentiam Nostram fuerit tam graviter quam etiam turpiter diffamatus, ac propterea carissima in Christo filia Nostra Iohanna, regina Siciliae illustris, Nobis per suas litteras humiliter supplicaverit, ut evitandorum scandalorum causa, quae exinde verisimiliter orirentur, in negotio praefato opportune providere vellemus iustitia mediante: Nos, dissensionum et scandalorum omnium materiam resecare cupientes, committimus, iniungimus et mandamus fraternitatibus vestris tenore praesentium, quatenus de praefati fratris Iohannis de Rocca vita, fama, dignitate et moribus diligenter informemini, ac si ea, quae contra eumdem asseruntur vera esse inveneritis eaque talia esse, ex quibus a praefato ministeriatus officio merito vobis privandus esse videatur, eumdem a praedicto officio amoventes, de viro religioso ordinis eiusdem atque ad id officium idoneo, in quo vestram conscientiam oneramus, confestim providere curetis.

Datum *etc.* 19 septembris.

77. Capellae B. Mariae *de Candelloria* in ecclesia O. F. M., Lycien. (Lecce) concedit indulgentias [2].

1432, septembris 30, Romae.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Dum praecelsa meritorum *etc.* Cupientes igitur ut capella B. Mariae « de Candelloria », sita in ecclesia domus fratrum Minorum Licien., congruis honoribus frequentetur ac in suis structuris et aedificiis debite conservetur, eique de libris, paramentis, calicibus et aliis ad divini cultus decorem necessariis ornamentis congrue provideatur *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festivitate purificationis eiusdem virginis gloriosae dictam capellam devote visitaverint *etc.*, unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, prid. kal. octobris, ... anno II.

78. Capellae B. Catherinae in ecclesia S. Francisci Andrien. (Andria in Apulia) concedit indulgentias [3].

1432, septembris 30, Romae,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cupientes igitur, ut capella B. Catherinae, sita in ecclesia S. Francisci Andrien., ad quam, ut accepimus, fidelium illarum partium devotionis causa confluit multitudo, congruis honoribus frequentetur ac in suis structuris et aedificiis debite conservetur eique de libris, paramentis, calicibus et aliis ad divini cultus decorem necessariis ornamentis congrue provideatur *etc.* omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo eiusdem S. Catherinae dictam capellam devote visitaverint, ... unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis, misericorditer relaxamus; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, pridie kal. octobris, ... anno II.

79. Helenae Nicolai aliisque sororibus III. O. S. Franc. insimul habitantibus concedit remissionem plenariam in articulo mortis [4].

1432, octobris 24, Romae.

Provenit *etc.* Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, IX kal. novembris, ... anno II.

80. Fratribus certarum domorum O. F. M. in regno Castellae et Legionis concedit remissionem plenariam in articulo mortis [5].

1432, octobris 28, Romae.

Dilectis filiis universis fratribus domorum et locorum S. Laurentii extra muros Compostellan., de Noya, de Muro, de Padron, de la Miserela, de Ribadavia, de Portumarino, de Villa vetusta (?), *de S. Maria de Angelis, de Foyo* (?), *del Castannal, apud S. Claram Zamoren., de Villadefrechas, de Oterdesillas, de Palentia, de Sanctander et de Castro in re-*

---

(1) Reg. Vat. t. 370 f. 105. Brevi huic deest inscriptio, annus et locus. Illud hoc loco posuimus, quia invenitur inter alia brevia anni II. — Cf. *Bull. franc.* t. VII, n. 1586, p. 599 et n. 1596, p. 605 de Iohanne Nolano.

(2) Reg. Lat. t. 312, f. 162. Candelloria s. candelaria significat festum purificationis B. M. V., 2 februarii.

(3) Reg. Lat. t. 312, f. 162 v.

(4) Reg. Lat. t. 316, f. 303 v.

(5) Reg. Lat. t. 316, f. 279 v. — Loca S. Laurenti extra muros Compostellan.; S. Mariae de Angeles, de Noya, Muros, Padron, de la Miserela in dioecesi de Compostella; Ribadavia in dioec. Tuden. (Tuy); Puertomarin in dioec. Lucensi (Lugo) sita sunt. De monasteriis O. S. Clar. cf. sup. n. 66, p. 40.

gnis et dominiis carissimi in Christo filii Nostri Iohannis, Castellae et Legionis regis illustris, consistentibus fratrum Minorum ordinis.

Sacrae Religionis et ordinis *etc.* Vestris itaque ac carissimi in Christo filii Nostri Iohannis, Castellae et Legionis illustris regis, qui ad vestrum sacrum ordinem specialem gerit devotionis affectum, supplicationibus inclinati, vobis et vestrum singulis tam praesentibus, quam futuris, quamdiu in vestri fratrum Minorum ordinis observantia perstiteritis, ut confessores vestri omnium peccatorum, de quibus corde contriti et ore confessi fueritis, semel tantum in mortis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, V kal. novembris, ... anno II.

81. Georgium de Lanzavecchia, O. F. M. instituit administratorem ecclesiae Alexandrinae (in Italia superiore) ([1]).

1432 novembris, 13, Romae.

Dilecto filio Georgio de Lanzanegiis (!) *ordinis fratrum Minorum professori, magistro in theologia, ecclesiae Alexandrin. in spiritualibus et temporalibus administratori.*

Inter sollicitudines varias *etc.* Dudum siquidem bonae mem. Michaele episcopo Alexandrino regimini ecclesiae Alexandrin. praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praedicta ecclesia per ipsius Michaelis episcopi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, Nos volentes dictae ecclesiae *etc.* te administratorem praedictae ecclesiae in spiritualibus et temporalibus generalem usque ad Nostrum beneplacitum auctoritate apostolica tenore praesentium constituimus et etiam deputamus *etc.*, ita quod liceat beneplacito huiusmodi durante eamdem ecclesiam iuxta datam tibi a Domino prudentiam spiritualiter et temporaliter regere et etiam gubernare, necnon de fructibus, reditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis, ad mensam episcopalem Alexandrin. spectantibus, disponere, et ordinare illosque in tuos et dictae ecclesiae usus et utilitates convertere, prout veri episcopi Alexandrin., qui pro tempore fuerunt, de illis disponere et ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt, alienatione tamen *etc.*, mandantes insuper dilectis filiis capitulo dictae ecclesiae necnon civitatis et dioec. Alexandrin. clero et populo, quatenus tibi, uti animarum suarum gubernatori, pareant et intendant. Quocirca *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, idibus novembris ... anno II.

82. Thomasinae, uxori Baptistae de Canedulo, domicelli Bononien., concedit facultatem ingrediendi clausuram monasterii S. Ludovici Bononien. O. S. Cl., ut assistere possit Iuliae, filiae suae, eiusdem monasterii moniali frequenter aegrotanti ([2]).

1432, novembris 18, Romae.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Thomasinae, dilecti filii nobilis viri Baptistae de Canedulo, domicelli Bononien., uxori.

Devotionis tuae sinceritas *etc.* Hinc est quod Nos tuis supplicationibus inclinati, cum in monasterio S. Ludovici Bononien., ordinis S. Clarae, sicut asseris, dilecta in Christo filia Iulia, nata tua, ipsum ordinem expresse professa, sub clausura perpetua devotum et sedulum exhibens Altissimo famulatum, frequenter soleat corporis infirmitates, cui pro necessitatibus assistere cupis et debite subvenire, ut cum aliqua honesta matrona tibi socia, quando ipsam natam tuam contigerit aegrotare, vel alias quater in anno, dummodo moram quatuor dierum naturalium pro vice nullatenus excedas, in dicto monasterio ingredi et, si fuerit expediens, ibidem comedere et pernoctare licite possis et valeas, ordinarii tamen vel abbatissae dicti monasterii licentia requisita, constitutionibus apostolicis *etc.* nequaquam obstantibus, dilectioni tuae plenam licentiam concedentes, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, XIV kal. decembris, ... anno II.

83. Elisabeth Petri, professae III O. S. Fr. domus Cracoviensis, concedit plenariam remissionem ([3]).

1432, novembris 24, Romae.

Dilectae in Christo filiae Elizabeth Petri, professae domus S. Francisci tertiae regulae ordinis Minorum Cracovien.

Provenit *etc.* Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, kal. decembris, ... anno II.

84. Mandat ut confirmet fundationem sepulturae et missarum factam a Ferdinando Lupi de Saldaña in monasterio S. Clarae de Iugisillarum O. S. Cl. ([4]).

1432, novembris 27, Romae.

Dilecto filio archidiacono ecclesiae Salmantin.

Sedis Apostolicae *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et con-

([1]) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 39. Iuxta Gams, *Series episcop. eccl. cath.*, Ratisbonae 1873, p. 811, Georgius Lanzavecchia institutus est d. 13 sept.

([2]) Reg. Lat. t. 312, f. 268. ([3]) Reg. Lat. tom. 316, f. 304.

([4]) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 40: « e l. 1 de benef. vacant. a. II. f. 151 ». — Iugisillae = Oterdesillas. — De Francisco de Soria cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1542, p. 579; n. 1788, p. 686; supra, n. 66, p. 40.

ventus monasterii S. Clarae de Iugisillarum, ordinis eiusdem sanctae, et dilecti filii nobilis Ferdinandi Lupi de Saldana militis, Palentin. et Burgen. dioeces., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dictus miles ob singularem, quem ad ipsum monasterium gerebat devotionis affectum, ... quamdam de bonis sibi desuper collatis in ecclesia dicti monasterii capellam construi et fundari fecit sufficienterque dotavit, iure patronatus eiusdem necnon praesentandi ad illam, dum vacaret, personam idoneam sibi necnon suis successoribus et haeredibus in perpetuum reservato, rursus quoque abbatissa et conventus praedictae plurima, quae praedictus miles eis et praedicto monasterio impenderat bona gratuita perstringentes, ad id dilecti filii Francisci de Soria, ordinis fratrum Minorum professoris, tunc ipsius monasterii auctoritate apostolica visitatoris deputati, accedente consensu, statuerunt et ordinarunt, quod dictus miles in ipsa ecclesia certam, congruam et honestam, prout sibi in voluntate ultima videretur, sepulturam haberet, in qua nullus praeter eius, quamdiu in humanis ageret, voluntatem sive consensum tumulari posset, quodque ex tunc a prima die mensis ianuarii perpetuis futuris temporibus die qualibet duae, et quoties aliquem ex ipsius ecclesiae capellanis pro tempore exsistentibus aegritudinis vel alio impedimento legitimo detineri contingeret, una pro felici et prospero statu necnon animarum salute carissimi in Christo filii Nostri Iohannis Castellae et Legionis regis illustris ac dilectorum filiorum nobilium virorum Henrici, eius nati, et Alvari de Luna dicti regis comitis stabuli, a quibus ipse miles se diversa singulariaque bona suscepisse recognoverat, in dicta capella missae praedicti monasterii sumptibus et expensis fierent et celebrarentur, quibusdam adiectis aliis, prout *etc.* Quare pro parte *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus si, et postquam tibi de fundatione ... constiterit, tu fundationem, ... confirmes; non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, V kal. decembris, ... anno II.

85. Concedit, ut ad domos O. F. M. in insulis Cephaloniae et Zacynthi (in mari Ionio sitis), fratribus destitutas, fratres aliarum domorum transire valeant etiam superiorum suorum non obtenta licentia (1).

1432, decembris 2, Romae.

Dilecto filio nobili viro Carolo II domino Despotatus et Leucatae ac Cephaloniae duci.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Cum itaque ... in qualibet insularum Cephaloniae et Zacynthi, tuae ditioni subiectarum, quae terris infidelium Teucrorum et aliorum Christi, Salvatoris nostri, nominis inimicorum, admodum sunt vicinae, domus ordinis fratrum Minorum habeantur fratribus moribus decoratis, scientia claris ac sacrorum dogmatum peritia redimitis destitutae, et propterea christifideles, qui in dictis insulis pro tempore degunt, gravia animarum suarum dispendia sustinere noscantur, Nos, qui catholicam fidem ubilibet propagari intensis desideriis affectamus ac salutem fidelium quaerimus singulorum, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut ad tuae requisitionis instantiam decem dicti ordinis professores de quibusvis aliis ubilibet domibus sive locis constitutis ipsius ordinis ad conferendum propagationi et saluti praedictis verbo et exemplo idonei et ad hoc voluntarii, ad quamlibet dicta rum domorum in dictis insulis Cephaloniae et Zacynthi consistentium, super hoc petita, licet non obtenta, superiorum suorum licentia, simul vel successive transire ac inibi divinis laudibus ut verbi Dei praedicationibus in observantia regulari insistendo perpetuo remanere libere liciteque valeant, tibi et eisdem professoribus eadem auctoritate de speciali gratia concedentes, quod in praedictis locis residentes per eorum superiores aut alios quoscumque absque rationabili causa et tuae requisitionis instantia revocari seu ad alia loca vel conventus dicti ordinis inviti transferri nequeant quoquomodo, apostolicis *etc.* non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, IV nonas decembris, ... anno II.

86. Domui S. Spiritus, III O. S. Fr., de poenitentia, Mindonien. (Mondoñedo in Hisp.) dioec., concedit indulgentias (2).

1432, decembris 18, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia domus S. Spiritus, ordinis fratrum Minorum de

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV. n. 41: « e l. de regular. etc. a. II. f. 121 ». — Aliis litteris, quae pariter incipiunt *Sincerae devotionis affectus,* eiusdem diei, ut supra, eidem duci conceditur, ut « duodecim ordinis S. Ben., Praed., vel Min., aut aliorum quorumcumque ordinum mendicantium professores, vita, moribus et virtute praeclaros, ac litterarum scientia praeditos et ad hoc voluntarios .... pro divinorum officiorum celebratione, vel aliis ... servitiis licitis et honestis, necnon pro corroboratione et amplificatione fidei catholicae », eorum superiorum licentia minime requisita, recipere et secum retinere valeat ». *Bull. ord. fr. Praed.* t. III, p. 19, n. 104.

(2) Reg. Lat. t. 312, f. 171 v.

poenitentia nuncupati, Mindonien. dioec., congruis honoribus frequentetur ac in suis et dictae domus structuris et aedificiis congrue conservetur *etc.* omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in die pentecostes festivitatis ecclesiam ipsam devote visitaverint, ... tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus; praesentibus perpetuis futuris temporis valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, XV kal. ianuarii, ... anno II.

87. Proximum capitulum generale, quod iuxta decretum capituli Assisien. Neapoli celebrari debuit, Bononiam transfert (1).

1432, decembris 29, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Decens et debitum reputamus, ut religiosorum virorum, qui in paupertatis humilitate Altissimo famulantur, quieti et commoditatibus consulatur. Sane ex parte dilecti filii Guillelmi de Casali, in sacra theologia magistri, generalis ministri ordinis Minorum, Nobis fuit expositum, quod dudum in ultimo generali capitulo dicti ordinis, quod fuit in civitate Nostra Assisii celebratum, inter cetera statutum et ordinatum fuit, quod proximum tunc futurum generale capitulum dicti ordinis in civitate Neapolitana in festo pentecostes proxime futuro celebrari deberet. Cum autem a multis dicti ordinis fratribus et personis aliis ordinem diligentibus asseratur, dictam civitatem Neapolitanam multis ex causis incommodam et ineptam esse, utpote in extremis fere Italiae partibus constitutam, et ad huiusmodi capitulum celebrandum, maxime autem propter viarum varia discrimina bellorumque turbines, quibus plurimae Italiae partes quassantur, non solum iis, qui ex ultramontanis partibus, sed etiam multis Italicis sit difficilis admodum et periculosus accessus ad civitatem praedictam, ac etiam propter longitudinem itineris fratres, qui ex longinquis partibus veniunt, graves expensas et quas ferre insufficientes sunt, subire necessarium exsistat, pro parte ipsius generalis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut fratrum ipsorum parcentes periculis et expensis, capitulum ipsum celebrandum transferre ad civitatem Nostram Bononiensem, in qua cum maiori commodo accedentium huiusmodi poterit capitulum celebrari, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, dictorum fratrum securitati et quieti consulere cupientes, ac huiusmodi expensas, pericula et incommoda evitari, praedictis ac aliis rationabilibus et iustis causis animum Nostrum moventibus huiusmodi supplicationibus inclinati, dictum generale capitulum ad civitatem Nostram Bononiensem auctoritate apostolica ex certa scientia transferimus; volentes et tenore praesentium statuentes ac etiam decernentes, ut capitulum ipsum in civitate praefata Bononiensi dicto statuto termino celebretur ac mandantes universis et singulis conventibus, locis et personis, ad quos spectat, ut ad ipsum capitulum viros idoneos, doctos et timentes Deum destinari procurent, ut sic per eorum virtutem et prudentiam cum Dei adiutorio ea deliberentur et statuantur in illo, quae spectant ad reformationem, pacem et bonum regimen ordinis ipsius et cedunt ad laudem et gloriam Altissimi, honorem ecclesiae et christifidelium consolationem. Non obstantibus tam apostolicis, quam dicti ordinis constitutionibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, IV kal. ianuarii, anno II.

88. Mandat, ut monasterio O. S. Cl. Aquen. (Aix in Provincia) Bandonam Giurannam monialem eiusdem monasterii praeficiat in abbatissam (2).

1433, februarii 5, Romae.

Dilecto filio Andreae Botaraci canonico ecclesiae Aquen.

Apostolicae sollicitudinis studium *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Bandonae Giurannae, monialis monasterii S. Clarae, ordinis eiusdem sanctae, Aquen., petitio continebat, quod olim monasterio praedicto ex eo, quod dilecta in Christo filia Sanceta de Scalis, olim ipsius monasterii abbatissa, regimini et administrationi ipsius monasterii ... in manibus dilectarum in Christo filiarum conventus eiusdem monasterii extra Romanam curiam libere et sponte cessit et per huiusmodi conventum, cum ad conventum easdem cessionis huiusmodi receptio et admissio de antiqua et approbata ac hactenus pacifice observata consuetudine pertineant, cessione huiusmodi per eas consuetudinis praedictae obtentu extra dictam curiam admissa abbatissae regimine destituto conventus praedictae vocatis omnibus, quae electioni huiusmodi debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris est, convenientes in unum, ipsam Bandonam in earum et dicti

(1) Reg. Vat. t. 372, f. 105 v; Wadd. *Ann.* ad a. 1433, n. 9.

(2) Reg. Lat. t. 316, f. 115.

monasterii abbatissam concorditer elegerunt, ipsaque Bandona electioni huiusmodi illius sibi praesentato decreto consensit necnon electionis eiusdem vigore possessionem vel quasi-regiminis et administrationis bonorum eiusdem monasterii fuit assecuta. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ipsa Bandona, cui etiam munus benedictionis alias rite impensum fuit, dubitet electionem et inde secuta huiusmodi certis de causis viribus non subsistere, et sicut accepimus, ipsum monasterium adhuc, ut praefertur, vacare noscatur, Nos cupientes ipsi monasterio, ne longioris vacationis exponatur incommodis, de persona utili et idonea, per quam circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, providere ac de electionis praedictae viribus ac de meritis et idoneitate dictae Bandonae certam notitiam non habentes, discretioni tuae ... mandamus, quatenus de huiusmodi electionis viribus ac meritis et idoneitate te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi electionem canonice celebratam dictamque Bandonam ad regimen et administrationem dicti monasterii utilem et idoneam fore reppereris, ... de persona dictae Bandonae eidem monasterio, cuius fructus, redditus et proventus, qui abbatissae pro tempore exsistenti dicti monasterii cedere consueverunt, quique ab aliis bonis ipsius monasterii discreti sunt, decem florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut dicta Bandona asserit, non excedunt, ... eadem auctoritate provideas, ipsamque illi praeficias in abbatissam, curam et administrationem *etc.*, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Volumus autem, quod dicta Bandona ... in manibus tuis Nostro et Romanae ecclesiae nomine fidelitatis debitae praestet solitum iuramentum iuxta formam, quam sub bulla Nostra mittimus interclusam. Per hoc venerabili fratri Nostro episcopo Aquen., cui monasterium ipsum ordinario iure subesse dignoscitur, nullum imposterum praeiudicium generetur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, nonis februarii, ... anno II.

89. Mandat, ut Iohanni de Oviedo, civi Oveten., concedat licentiam fundandi domum fratrum III. O. S. Fr. de poenitentia prope hospitale pauperum S. Mariae Magdalenae de Cerezal Astoricen. dioec. (1).

1433, februarii 12, Romae.

Venerabili fratri episcopo Astoricen.

Sincerae devotionis affectus, quem dilectus filius Iohannes de Oviedo, civis Oveten., ad Nos *etc.* Cum itaque idem civis, sicut exhibita Nobis nuper pro parte sua petitio continebat, prope hospitale pauperum S. Mariae Magdalenae de Cerezal, Astoricen. dioec., quod penes viam, per quam ad ecclesiam S. Iacobi in Compostella communis transitus peregrinorum habetur, per nonnullos cives Astoricen., de quorum numero idem civis, et, ut asserit, etiam dicti hospitalis gubernator exsistit, constructum et dotatum, pro manutentione dicti hospitalis, pro cuius reparatione multa de bonis sibi a Deo collatis exposuit, peregrinorumque ad illum confluentium gratiori receptione, quamdam domum sub vocabulo dictae sanctae pro ministro et nonnullis fratribus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, qui peregrinorum huiusmodi curam gerant, de eisdem bonis, si ad id Apostolicae Sedis accedat assensus, in fundo sive loco ad id congruo et honesto erigere et aedificare proponat, Nos ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... praedicto civi domum huiusmodi cum ecclesia, campanili, ... necessariis officinis ad usum ministri et fratrum praedictorum construendi et erigendi auctoritate praedicta licentiam largiaris necnon dictis ministro et fratribus, si ad id dictorum civium et aliorum, quorum interest, accedat assensus, peregrinorum huiusmodi curam praedicta auctoritate committas; et nihilominus ministro et fratribus huiusmodi qui in dicta domo pro tempore morabuntur, ut omnibus privilegiis ... uti et gaudere valeant, auctoritate praedicta concedas.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, pridie idus februarii, ... anno II.

90. Transsumit litteras Martini V de syndicis (2).

1433, februarii 13, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Provisionis Nostrae debet provenire subsidio *etc.* Hinc est, quod Nos quarumdam fel. rec. Martini V, praedecessoris Nostri, litterarum, in quibus nonnullae litterae piae mem. Martini papae IV, etiam praedecessoris Nostri, insertae noscuntur, tenorem in registro ipsius Martini papae V praedecessoris repertum, pro eo, quod, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictorum filiorum generalis et provincialium ministrorum ac custodum ordinis fratrum Minorum petitio continebat, ipsi huiusmodi tenore certis causis indigere noscuntur, de registro ipso de verbo ad verbum transscribi et ad eorum supplicatio-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 42.

(2) Wadd. *Ann.* ad. a. 1432, *suppl. Melissani* n. 3.

nis instantiam praesentibus annotari fecimus, qui talis est:

Martinus episcopus etc.
Ad perpetuam rei memoriam.
Amabiles fructus, quos sacer ordo *etc.* (1).
Datum Romae apud SS. apostolos, kal. novembris, anno XI.

Ceterum, ut earum litterarum tenor praedictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate sancimus, ut illud idem robur eamque vim ac eumdem vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales litterae supradictae ac eadem prorsus ipsi tenori fides adhibeatur quomodocumque et ubicumque, in iudicio vel alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, ac eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibitae vel ostensae; per hoc autem nullum ius praefatis generalibus et provincialibus ministris ac custodibus vel fratribus de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habent, tantummodo conservari. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, idibus februarii, ... anno II.

91. Maiori de Borrageros, III O. S. Fr. Mindonien. dioec. concedit remissionem plenariam (2).

1433, februarii 25, Romae.

Dilectae in Christo filiae Maiori de Borrageros, mulieri religiosae tertii ordinis beati Francisci, Mindonien. dioec.

Pervenit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, V kal. martii, ... anno II.

92. Iohanni de Villar, O. S. Franc. de poenitentia professori, Astoricen. dioec., concedit remissionem plenariam (3).

1433, februarii 28, Romae.

Provenit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, prid. kal. martii, ... anno II.

93. Dantibus eleemosynam pro fratribus in capitulo generali Bononiae commoraturis concedit indulgentias (4).

1433, martii 5, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cum itaque in civitate Nostra Bononiae in festo pentecostes proxime futuro generale capitulum ordinis fratrum Minorum celebrandum sit, cumque dicta civitas ob praeteritos bellorum turbines solito more rebus victualibus non affluat, ne propterea fratres in dicto capitulo moraturi, qui fructum in militanti ecclesia afferre soliti sunt, incommoda patiantur, Nos cupientes, ut capitulum huiusmodi religiose procedat et ad debitum finem deducatur, ut christifideles eo libentius causa devotionis eleemosynas et alia charitativa subsidia fratribus in dicto capitulo moraturis erogent, quo ex hac erogatione dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, a primis vesperis in vigilia pentecostes proxime futuri inchoandis usque ad tres dies immediate sequentes dictis fratribus eleemosynam devote erogantibus et charitativa subsidia largientibus illam indulgentiam et remissionem peccaminum hac vice dumtaxat concedimus, quam visitantes ecclesiam B. Mariae in Portiuncula, dictam de Angelis, extra muros Assisinat., primo et secundo diebus mensis augusti annuatim consequuntur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, III non. martii, ... anno II.

94. 1. Lupo de S. Spiritu, O. S. Franc. de poenitentia nuncupati professori, presbytero Astoricen. dioec., concedit remissionem plenariam in articulo mortis. — 2. Idem concedit Fernando Tabuyvelo (?) O. S. Fr. de poen. nuncup. prof., presbytero Astoricen. dioec. (5).

1433, martii 11, Romae.

Provenit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1432, V idus martii, ... anno II.

95. Concedit consulibus artis lanae Florentin., ut procuratoribus domus O. F. M. de Alverna, facultatem recipiendi legata etc. pro restauratione dictae domus (6).

1433, aprilis 12, Romae.

Dilectis filiis consulibus artis lanae civitatis Florentin.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ecclesia et domus de Laverna, Arretin. dioec., ordinis fratrum Minorum, in quibus B. Franciscus poenitentiam agens commoratus fuit, et quarum curam geritis, in aliquibus earum partibus ruinam minantur, et nisi eis provideatur, venire poterunt de proximo

(1) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1838, p. 712.
(2) Reg. Lat. t. 316, f. 315 v.
(3) Reg. Lat. t. 316, f. 303.
(4) Reg. Vat. t. 372, f. 162.
(5) Reg. Lat. t. 321, f. 274 v.
(6) Reg. Vat. t. 372, f. 175.

in collapsum, et ex eo, quo fratres in ecclesia et domibus praefatis commorantes ac regularem observantiam dicti ordinis tenentes ad recipiendum legata, oblata et relicta eis facta ac alia bona quaecumque se asserunt incapaces et ea recipere contradicant, vos etiam huiusmodi legata et relicta similia recipere non valentes, earum ecclesiae et domorum reparationem intendere ac ruinae huiusmodi obviare non potestis. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... vobis legata et relicta et oblationes hactenus ecclesiae atque domibus praefatis facta, et quae fient in posterum, ac alia bona et offertoria quaecumque eisdem fratribus, ecclesiae atque domibus in eleemosynam concedenda recipiendi ac de eis ecclesiam et domos ipsas, ubi et quando fuerit expediens, reparandi, ac aliis earum necessitatibus occurrendi et providendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod de receptis et expositis coram dilectis filiis ministro provinciali dicti ordinis ac guardiano et fratribus in ecclesia ac domibus praefatis commorantibus rationem et computum annis singulis reddere teneamini.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, prid. idus aprilis, ... anno III.

96. Concedit licentiam fratribus O. F. M. retinendi domum Cortonen., antea monialibus O. S. Cl. destinatam [1].

1433, aprilis 16, Romae.

Dilecto filio praeposito Cortonen.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.* Dudum siquidem quondam Bonifatio, in sua obedientia, de qua civitas Corton. erat, IX nominato, pro parte quondam Hugutii Francisci et Aloysii, domicellorum, tunc in civitate Cortonen. imperialium vicariorum, et communitatis dictae civitatis exposito, quod in eminentiori loco dictae civitatis situm erat quoddam oratorium in honorem et sub vocabulo S. Basilii dedicatum, penes quod corpus recolendae memoriae Margaritae de Cortona, sororis tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, quiescebat et crebrescentibus miraculis, quae Deus benedictus meritis ipsius sanctae longis temporibus ibidem dignatus erat operari et in dies operatur, oratorium ipsum continua fidelium frequentia ac devotione factum erat celebre et in facultatibus ampliatum, quodque ipsi domicelli et communitas affectabant, de dicto oratorio unam condecentem ecclesiam cum campanili, ... et apud ecclesiam huiusmodi unum monasterium pro unius abbatissae et monialium in sufficienti numero sub perpetua clausura, necnon quemdam locum pro aliquorum fratrum Minorum usibus et habitationibus in eo numero, de quo ministro provinciali provinciae Thusciae secundum morem ipsius ordinis Minorum cum consilio proborum fratrum dicti ordinis et dictae provinciae videretur, ibidem separatim tamen ab eisdem abbatissa et monialibus, moraturorum, cum necessariis officinis construere, ita tamen quod universa bona et iura dicti oratorii ad huiusmodi monasterii usum integre converterentur, et ad praemissa peragenda, si quid deesset, parati erant de propriis facultatibus supplere, hoc adiecto, quod abbatissa pro tempore exsistens et conventus dicti monasterii fratribus huiusmodi, qui apud monasterium ipsum taliter morarentur, de victu, vestitu et aliis necessariis tenerentur congrue providere, praedictus Bonifatius per suas litteras inter alia domicellis et communitati praedictis de praedicto oratorio huiusmodi ecclesiam cum campanili, campana ac coemeterio et apud ecclesiam ipsam unum monasterium pro abbatissae et monialium, necnon locum huiusmodi pro fratrum praedictorum usibus et habitationibus, separatim ab eisdem abbatissa et conventu moraturorum, cum necessariis officinis construendi, ... ac abbatissae et conventui ecclesiam, monasterium et bona, fratribus vero ibidem moraturis locum praedicta recipiendi et retinendi sub certis modo et forma licentiam concessit, prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte communitatis huiusmodi petitio continebat, considerantes, quod propter guerras et alias calamitates, quibus partes illae diutius afflictae fuerant, in monasterio, quod pro dictis abbatissa et monialibus ab eodem oratorio seorsum construi pro maiori parte fecerant, aliquae moniales residere non curarunt, quod ipsum oratorium pro usu et habitatione fratrum huiusmodi in domum cum ipsis officinis aptari fecerint, interim per eos ex civibus Cortonen. deputatis aliquibus, qui ad oratorium praedictum et quasdam in eo sitas cappellas, postquam illorum rectores defecerant, pertinentia necnon alia plura per christifideles propterea legata bona in pauperum miserabiliumque personarum et alios pios usus distribuerunt pariter et erogarunt, de gestis et administratis inde per eos rationem et calculum coram dictis communitate legaliter exhibentes, et

[1] Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV. n. 43: « e l. 1. de div. form. a. 3, f. 173 ».

plerique dictorum fratrum constitutionis apostolicae, per quam propterea excommunicationis sententiam incurrisse noscuntur forsitan ignari, pro usu ipsorum et habitatione praedictis eamdem domum receperint ac in illa conventualiter aliquamdiu fecerint moram et deguerint et degant ad praesens, laudabiliter alias inibi Domino famulantes, pro parte fratrum degentium et communitatis huiusmodi Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et ... eosdem degentes fratres, si hoc humiliter petierint, a dicta sententia auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesiae consueta *etc.* Et insuper degentibus praedictis et aliis ordinis Minorum fratribus huiusmodi, quod pro ipsorum usu ... eamdem domum recipere et retinere, necnon huiusmodi communitati, quod bona praedicta per ipsos deputandos, qui similiter de gestis et administratis desuper ab eis fideles rationem et calculum coram communitate praedictis reddere debeant et teneantur, etiam deinceps in praemissos usus distribui et erogari facere libere liciteque valeant, eadem auctoritate concedas. Nos enim, ... ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, XVI kal. maii, ... anno III.

97. Mandat, ut guardianus domus S. Franc. de la Verna O. F. M., Arretin. dioec., sumatur et instituatur e fratribus regularis observantiae (1).

1433, aprilis 18, Romae.

Guillelmo generali ministro ac ceteris ordinis Minorum Bononiae in generali capitulo congregatis. Dilecti filii, sal. etc.

Cum censeamus satis conveniens esse et consonum rationi, ut membra quaelibet convenienti ac eiusdem speciei capite regantur, atque hactenus fuerit observatum, prout fide digna relatione percepimus, ut in ecclesia S. Francisci de Laverna, Arretin. dioec., in qua fratres Minores de observantia S. Francisci Altissimo famulantur secundum constitutiones seu consuetudines vestri ordinis, guardianus, quamvis eiusdem ordinis, non tamen regularis observantiae vitam ducens, consueverit collocari, ex quo dissonantia quaedam, quieti et consolationi praefatorum fratrum contraria, videatur resultare. Eam ob rem iniungimus et mandamus devotionibus vestris tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae, quatenus in guardianum praefatum personam quamdam idoneam et discretam vestri ordinis regularis vitae observantiam ducentem in praesentiarum instituatis, necnon per constitutionem vestram in posterum per vicarium provinciae Thusciae guardianum huiusmodi eligi, assumi atque institui solemniter et efficaciter ordinetis.

Datum *etc.* 18 aprilis, anno III.

98. Mandat, ut absolvat moniales monasterii de Monticellis prope Florentiam O. S. Cl. a censuris, quas tulerat minister Thusciae O. F. M. (2).

1433, aprilis 20, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Florentin.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum filiarum abbatissae et conventus monasterii B. Mariae de Monticellis, ordinis S. Clarae, extra muros Florentin., petitio continebat, quod nonnulli ex fratribus domus S. Crucis Florentin., ordinis fratrum Minorum, sub quorum cura atque regimine abbatissa et conventus huiusmodi hactenus regi consueverunt, plurimis eas discriminibus afficientes, Dei timore postposito regularisque castimoniae violato foedere, nonnullas ex virginibus in eodem monasterio Deo dedicatis stuprarunt ac ex quibusdam ipsarum prolem procrearunt pluraque alia nefanda adversus eas perpetrarunt quodque postmodum ex eo, quod abbatissa et conventus huiusmodi, seu earum maior pars, praemissis obviare seque regulari observantiae reducere cupientes, nonnullorum proborum reductionem huiusmodi procurantium praeviis consiliis quasdam ex dictis monialibus per fratres ipsos seductis, ut eas ab ipsorum improbis suasionibus detestandisque excessibus retraherent, separaverant ac in locum secretum infra septa dicti monasterii locaverant certumque, per quod eisdem fratribus ad dictas moniales passus fuerat, ostium murari fecerant necnon fratribus ipsis, ne deinceps ad monasterium ipsum accederent, inhibuerant, minister tunc exsistens provinciae Thusciae secundum morem dicti ordinis Minorum, propterea turbatus, pro libitu sui animi nullo iuris ordine servato easdem abbatissam et conventum excommunicatas fecit publice nuntiari dictumque monasterium ecclesiastico supposuit interdicto. Et licet, sicut eadem petitio subiungebat, dictae abbatissae et conventus se ab excommunicationis sententia absolvi et interdictum huiusmodi per eumdem ministrum relaxari humiliter supplicaverint, ipse tamen, nisi primitus ostium mu-

(1) Reg. Vat. t. 370, f. 137.

(2) Reg. Lat. t. 319, f. 222.

ratum, ut praefertur, aperiretur et praefatae moniales huiusmodi ad solitam habitationem reducerentur, earumdem supplicationi annuere recusavit. Quare pro parte ipsarum, quae, ut asserunt, praemissorum occasione mille et quingentorum florenorum aliaque plurima in temporalibus et spiritualibus detrimenta pertulerunt, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur de praemissis certam notitiam non habentes ac cupientes, ut in regulari observantia sincera observetur puritas omnisque malignandi subtrahatur occasio, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus vocatis ministro, qui nunc est, dictae provinciae et aliis, qui fuerint evocandi, super praemissis omnibus et singulis auctoritate Nostra te diligenter informes, et si per debitam informationem ita esse reppereris, ... abbatissam et conventum huiusmodi, si hoc humiliter petierint, a sententia excommunicationis, si quam praemissorum occasione incurrerint, auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesiae consueta ... ac interdictum praedictum eadem auctoritate relaxes. Et nihilominus duos ex fratribus dicti ordinis, sexagesimum ad minus suae aetatis annum agentes, bonae vitae et honestae conversationis, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, pro cura et regimine abbatissae et conventus praedictarum eadem auctoritate constituas et deputes, praeter quos nulli alii dicti ordinis fratres absque poena per te, si secus egerint, statuenda monasterium ipsum intrare praesumant. Non obstantibus *etc.* Aut si ministro *etc.* Contradictores *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, XII kal. maii, ... anno III.

99. Damiatae de Blaves, moniali monasterii sororum S. Clarae, Valentin., O. S. Cl. sub cura fratrum O. Min. degentium concedit facultatem eligendi confessarium (1).

1433, iunii 11, Romae.

Benigno *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, III idus iunii, ... anno III.

100. Oratorium S. Spiritus de Couvea (Gouveia), O. F. M., Colimbricen. dioec., erigit in domum conventualem (2).

1433, iunii 27, Romae.

Venerabili fratri .. episcopo Cepten. (3).

Piis fidelium votis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis ac fratrum degentium in oratorio S. Spiritus de Couvea ordinis fratrum Minorum, Colimbrien. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim pro usu et habitatione dictorum fratrum praefatum oratorium fuit apostolica auctoritate fundatum, in quo plerique eiusdem ordinis fratres sub gubernatione et cura unius, quem ipsi ad hoc pro tempore assumunt, fratris aliquamdiu resederunt et resident de praesenti; et sicut eadem petitio subiungebat in dicto oratorio, piis intervenientibus eleemosynis et largitionibus christifidelium partium illarum, qui divino affluente munere in temporalium rerum substantia non modicum abundant et ad ipsum oratorium singularem devotionis gerunt affectum, plures eiusdem ordinis fratres possunt commode sustentari *etc.* Quare minister et residentes fratres praefati Nobis humiliter supplicarunt *etc.* Nos itaque ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et ... dictum oratorium in domum conventualem eiusdem ordinis cum guardiano ibidem deputando ac conventualibus insigniis requisitis auctoritate praedicta erigas et nihilominus ministro et fratribus residentibus praedictis, ut ibidem ecclesiam cum campana, campanili et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione guardiani et fratrum praedictorum construere et aedificare ipsamque ecclesiam per quemcumque catholicum antistitem, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem, consecrari facere possint, ... concedas. Nos enim ... ut omnibus et singulis privilegiis ... gaudere libere et licite possint, ... indulgemus. Non obstantibus *etc.* iure *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, V kal. iulii, ... anno III.

101. Cornelio, episcopo Atrachitano, concedit licentiam secum ducendi ad Montes Caspios 20 missionarios O. F. M., quibus et amplas dat facultates (4).

1433, iunii 29, Romae.

Venerabili fratri Cornelio, episcopo Atrachitan.

Ad hoc Nos praetulit familiae domus suae benignissima clementia Salvatoris, ut ad messem suam, ubicumque tandem illa coaluerit, operarios destinare curemus atque ad animas omnes, illas praesertim, quae, propinquiorés barbaris infidelibus, in maiora et quotidiana discrimina,

(1) Reg. Lat. t. 321, f. 291 v.

(2) Reg. Lat. t. 319, f. 168; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 44. De hoc conventu cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1519, p. 571, ubi locus falso legitur Gonnea.

(3) Episcopus Cepten. (Ceuta) tunc erat Ademarus de Aureliaco O. F. M., de quo cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1473, p. 550.

(4) Reg. Vat. t. 370, f. 151. — Atrachitan. videtur idem esse ac Agrachan, quae est peninsula maris Caspii. De Cornelio episcopo Montium Caspiorum (Caucasus) cf. Eubel, *Hier. cath. medii aevi,* II² p. 195.

nisi verbo Dei alantur et sustententur, verisimiliter sunt casurae, seminatores verbi Dei ad quaerendum, ne pereant, transmittere et alia opportuna remedia adhibere ferventissimis studiis incitemur. Sane nuper te referente didicimus, quod in Montibus Caspiorum, qui iuncti sunt finibus Tatariae et Armeniae ac montibus Goc et Magoc, ingens christiani populi habitat multitudo, et quod propter defectum praedicatorum verbi Dei ac Sedis Apostolicae distantiam propinquitatemque infidelium multi a via veritatis et fide catholica deviant, etiam contra articulos fidei sentientes, ac christiani ipsi ob defectum praedicatorum verbi Dei gravia animabus suis incommoda et detrimenta patiuntur. Nos igitur attendentes, quod tu in illis partibus aliquamdiu versatus es atque ad partes illas redire intendis, ut te exerceas praedicando et alia pia opera faciendo, tibi viginti fratres ordinis Minorum professores in lege Domini eruditos, quos ad hoc voluntarios reppereris, ad praedictas partes conducendi ac tibi ac fratribus ipsis eundi ibique standi et permanendi ac verbum Dei praedicandi et annuntiandi necnon christifideles omnes in dictis partibus commorantes ab omnibus excommunicationis et suspensionis sententiis et aliis excessibus, delictis et poenis, etiamsi talia forent, propter quae Sedes Apostolica merito esset consulenda, absolvendi ac super irregularitate quacumque, quam celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerunt, et quod in susceptis ordinibus ministrare possint, voluntarii homicidii ac falsificationis litterarum apostolicarum necnon bigamiae casibus dumtaxat exceptis, dispensandi necnon eisdem fratribus unum ex eis in suum vicarium in illis partibus, de consensu tamen dilecti filii generalis ministri dicti ordinis, eligendi et deputandi, qui in decennio semel dumtaxat generali capitulo fratrum dicti ordinis interesse teneatur, et insuper quoscumque haereticos ad fidem catholicam redire volentes, etiamsi fidem abnegaverint, quotiescumque opus esset, recipiendi ac eis poenas quascumque reales et personales remittendi et relaxandi necnon cum quibuscumque fidelibus quarto consanguinitatis vel affinitatis gradibus coniunctis, ut in matrimoniis inter eos contractis remanere ac de novo etiam contrahere valeant, dispensandi ac prolem susceptam et suscipiendam legitimam decernendi et nuntiandi plenam et liberam tibi et eisdem fratribus auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, III kal. iulii, ... anno III.

102. Abbati monasterii S. Petri de Herbamala, Papien. dioec., mandat ut Isabettam de Curte, abbatissam monasterii B. Mariae Theodocis (!) de la Pusterla, O. S. Ben., Papien. dioec., (cf. sup. n. 42) compellat ad receptionem certarum monialium indebite molestatarum (1).

1433, iulii 11, Romae.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, V idus iulii, ... anno III.

103. Committit causam appellationis fratrum O. F. M. et sororum O. S. Cl. Alesti (Alais), Nemausen. dioec., contra unionem cum monialibus O. S. Ben. eiusdem civitatis (2).

1433, iulii 13, Romae.

Dilectis filiis decano ecclesiae B. Mariae de Maralogio, Mimaten. dioec., et Arelaten. ac Magalonen. officialibus.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum ac dilectarum in Christo filiarum sororum domorum loci Alesti fratrum Minorum et S. Clarae ordinum, Nemausen. dioec., petitio continebat, quod olim pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium monasterii de Fontibus, ordinis S. Benedicti, Vicen. dioec., fel. rec. Martino papae V praedecessori Nostro exposito, quod licet ipsae a diu laudabiliter et sine reprehensione in eodem monasterio vitam duxissent regularem, tamen a paucis tunc temporibus propter guerras et hostiles incursus oportuerat eas, quae de nobili genere procreatae erant, dictum monasterium, quod in loco campestri situatum erat et clausura seu fortalitio penitus caruerat, deserere et ad praefatum locum Alesti clausum se transferre ac in quodam loco inibi non honesto commorari, in quo etiam tunc resederant, quibus licet haberent, unde sustentari possent, tamen pro erectione novi monasterii in ipso loco minime suppetebant facultates eratque in eodem loco Alesti domus ipsarum sororum sub cura fratrum ordinis Minorum huiusmodi viventium, nullam habens dotem, cuius sorores pro tempore exsistentes ex solis eleemosynis vivere et pro sua sustentatione ac quaestu hinc inde vagari cogebantur, dictus praedecessor per suas litteras dilecto filio abbati monasterii de Salmo dictae Nemausen. dioec., eius proprio nomine

(1) Reg. Lat. t. 319, f. 202.

(2) Reg. Lat. t. 319, f. 177 v.

non expresso, dedit in mandatis, ut vocatis dictis sororibus earumque superiore necnon aliis, qui forent evocandi, de praemissis et eorum circumstantiis universis se diligenter informaret, et si per informationem huiusmodi ea fore vera reperiret, sorores praedictas, si eas ad hoc voluntarias inveniret, de ordine S. Clarae et domo sororum praedictis ad ordinem S. Benedicti et monasterium huiusmodi transferret eisque habitum per moniales ipsius monasterii gestari consuetum exhiberet regularem faceretque ipsas institutis regularibus dicti monasterii se conformare ac dictam domum sororum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dicto monasterio in perpetuum uniret, incorporaret et annecteret, ita quod si praefatas sorores, ut praefertur, transferret ex tunc, alioquin si translationem huiusmodi non faceret, ipsis sororibus cedentibus vel decedentibus aut alias eis dictam domum dimittentibus, sponte liceret abbatissae et monialibus praefatis per se vel alium seu alios domus sororum iuriumque et pertinentiarum praedictorum corporalem possessionem auctoritate propria libere apprehendere illamque ac eius, si qui essent proventus, in suos et dicti monasterii usus perpetuo convertere ac etiam retinere. Postmodum vero abbatissa et monialibus praedictis ab eodem abbate, ut ad ipsarum litterarum exsecutionem procederet, petentibus pro parte dictorum guardiani, fratrum ac sororum coram abbate fuit excipiendo propositum, quod cum praefatae litterae notorie surreptitiae essent, prout ex earum tenore liquide apparebat, ipsique guardianus, fratres et sorores probare erant parati, dictus abbas ad ipsarum litterarum exsecutionem procedere non poterat nec debebat, et quia praefatus abbas eos super hoc audire contra iustitiam recusavit, dicti guardianus, fratres et sorores, sentientes exinde indebite se gravari, ad Sedem Apostolicam appellarunt Nobisque humiliter supplicarunt, ut causam appellationis huiusmodi et negotii principalis aliquibus in partibus illis committere et alias eis super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum vocatis abbatissa et monialibus praedictis, necnon aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit appellatione remota decernatis, facientes *etc.* Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, III idus iulii, ... anno III.

104. 1. Magonio Maccultucko, professo III. O. B. Fr. de poenitentia, Tuamen. dioec., et 2. Thomae Macduorchan, presbytero professo III. O. B. Fr. de poenitentia, Tuamen. dioec., concedit plenariam remissionem in articulo mortis (1).

1433, augusti 21, Romae.

Provenit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, XII kal. septembris, ... anno III.

105. Abbati monasterii S. Michaelis de Cuxano, Elven. dioec., mandat, ut Margaritam Casassus, monialem monasterii Podiiceritani (Puigcerdá), Urgellen. dioec., O. S. Cl., quae post professionem ordinem et habitum dereliquerat, absolvat a censuris et poenis et ei concedat licentiam remanendi in monasterio B. Mariae de poenitentibus nuncupato, Elven. dioec., O. S. Ben. (2).

1433, augusti 26, Romae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.*

Datum Romae apud S. Laurentium in Damaso, anno ... 1433, VII kal. septembris, ... anno III.

106. Cassat citationes et sententias latas a concilio Basileensi contra Guillelmum de Casali, ministrum generalem O. F. M. (3).

1433, septembris 2, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Decens reputamus et debitum, ut iis, qui in Nostris et Romanae ecclesiae negotiis institerunt, ne propterea damna aut detrimenta sustineant, debitis remediis succurramus. Dudum siquidem, cum dilectum filium Guillelmum de Casali, sacrae theologiae magistrum ac ordinis Minorum ministrum generalem, ad Hispaniae partes pro nonnullis Nostris et ecclesiae Romanae arduis negotiis et maxime pro facto Basileensis concilii duxerimus destinandum atque ipse sibi per Nos commissa diligenter fuerit prosecutus, et propterea illi, qui sunt in Basileen. civitate congregati, asserentes se generale repraesentare concilium, contra ipsum generalem procedentes, nonnullas citationes, monitiones et requisitiones, certaque capitula, actus et processus fecerint et firmaverint atque etiam in futurum ulterius contra ipsum procedere dubitetur: Nos volentes praefato generali, ne ex bonis operibus lapidetur, providere de remedio opportuno, omnes et singulas citationes, monitiones, processus et sententias contra ipsum generalem per praefatum concilium usque in praesentem diem quomodolibet latas, factas et ordinatas seu etiam imposterum ferendas, auctoritate apostolica ex certa scientia et de plenitudine potestatis cassamus,

(1) Reg. Lat. t. 321, f. 281 v.

(2) Reg. Lat. t. 319, f. 189.

(3) Reg. Vat. t. 372, f. 221.

irritamus et annullamus ac nullius esse roboris vel momenti proque infectis, cassatis et annullatis haberi et reputari volumus nullumque effectum debuisse aut debere sortiri statuimus et etiam declaramus, decernentes irritum et inane, quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Nulli ego *etc.*

Datum Romae apud S. Laurentium in Damaso, anno ... 1433, IV non. septembris, ... anno III.

107. Mandat, ut Ludovico de Listenoys, domino loci de Monteacuto (Montaigut) Claromonten. (Clermont) dioec., concedat facultatem fundandi in dicto loco domum pro fratribus O. F. M. de observantia (1).

1433, septembris 2, Romae.

Venerabili fratri episcopo Aeduen.

Pia devotorum Deo *etc.* Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Ludovici de Listenoys, domini loci de Monte-acuto, Claromonten. dioec., Nobis nuper oblatae petitionis series continebat, quod ipse ... ob affectum, quem ad fratres ordinis Minorum sub arctiori regula Domino famulantium, ... gerere dignoscitur, unam domum cum ecclesia, campanili, ... officinis ad opus et usum fratrum praedictorum, ... qui regulam per B. Franciscum ordinis fundatorem fratribus praedictis relictam, iuxta traditiones et declarationes apostolicas, quae ex tunc super illius regulae observantia emanarunt, ad litteram observare sint adstricti, de bonis a Deo sibi collatis in tua dioecesi *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus praedicto Ludovico dictam domum cum ecclesia, humili campanili, campana ... et aliis necessariis officinis huiusmodi ad usum dictorum fratrum, qui huiusmodi regulam secundum strictam observantiam praedictam omnino observare debeant et etiam teneantur, in huiusmodi dioecesi et loco praedictis, dummodo fratres in eadem domo pro tempore exsistentes secundum ipsius ordinis huiusmodi strictae observantiae instituta sine aliarum ecclesiasticarum personarum praeiudicio vivere valeant, fundandi et eisdem fratribus illam recipiendi et habitandi, cuiuscumque licentia super hoc minime requisita ac iure parochialis ... salvo, ... contrariis nequaquam obstantibus plenam et liberam auctoritate apostolica licentiam largiaris, et insuper guardiano et fratribus dictae domus, ... ut omnibus et singulis privilegiis ... plene gaudeant et utantur.

Datum Romae apud S. Laurentium in Damaso, anno ... 1433, IV nonas septembris, ... anno III.

108. Concedit indulgentias pro perficienda aedificatione ecclesiae O. F. M. de Clare, Tuamen. (Tuam in Hibernia) dioec. (2).

1433, septembris 18, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere venit *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, domus de Clare fratrum Minorum, Tuamen. dioec., causantibus guerris ... reparatione non modicum sumptuosa indigere noscatur, ipsumque ecclesiae campanile ad sui perfectionem nondum deductum exsistat, sintque propterea fidelium suffragia plurimum opportuna, Nos cupientes, ut dicta ecclesia congruis honoribus frequentetur ac structurae et aedificia reparentur campanileque huiusmodi perficiatur, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis et Corporis Domini nostri Iesu Christi ac pentecostes necnon nativitatis, purificationis, annuntiationis et assumptionis B. Mariae Virginis ac nativitatis B. Iohannis Baptistae ac ... Petri et Pauli ac S. Francisci et ipsius ecclesiae dedicationis festivitatibus ac celebritate omnium sanctorum, necnon per ipsarum nativitatis, epiphaniae ... festivitatum octavas et per sex dies dictum festum pentecostes immediate sequentes dictam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad reparationem et perfectionem praedictas manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis quatuor annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum praedictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint et manus adiutrices porrexerint, ut praefertur, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Laurentium in Damaso, anno ... 1433, XIV kal. octobris, ... anno III.

109. Vicariae Bosnae concedit et confirmat certa privilegia (3).

1433, septembris 30, Romae.

Dilectis filiis vicario dilecti filii magistri (!) *generalis et fratribus ordinis Minorum vicariae Bosnae secundum morem dicti ordinis, praesentibus et futuris.*

Romanus Pontifex B. Petri coelestis clavigeri successor *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Iohannes papa XXII, praedecessor Noster, suas concessit litteras tenoris subsequentis:

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 45: « e l. 2 de div. formis a. 3. f. 110 ». — Montaigut in circ. Riom.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 46: « e l. 1 de regular. a. 3, f. 130 ».

(3) Reg. Lat. t. 319, f. 11v; Wadd. *Ann.* ad a. 1433, n. 13.

Iohannes episcopus, servus servorum Dei dilectis filiis fratribus de ordine fratrum Praedicatorum in terris Sarracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Gittharum (1), *Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Motorum* (2), *aliarumque non credentium nationum orientis et aquilonis seu quarumcumque aliarum partium proficiscentibus salutem et apostolicam benedictionem.*

Cum hora undecima sit diei *etc.*

Datum Avinione, X kal. novemb., anno VI (3).

Et deinde per piae mem. Urbanum papam V, etiam praedecessorem Nostrum, intellecto, quod etiam vos in Bulgariae, Vlachiae et Rasciae et Bosnae partibus, in quibus haeretici schismatici commorabantur, illos per praedicationem et exemplum vitae laudabilis cum auxilio divinae gratiae ad unitatem et obedientiam sacrosanctae Romanae ecclesiae, matris cunctorum et magistrae, iugiter reducere piis et sollicitis studiis curabatis, vobis per quasdam (4) concessit, quod vos et vestrum singuli omnibus et singulis praescriptis gratiis, privilegiis, indulgentiis, facultibus et auctoritatibus in litteris Iohannis papae contentis huiusmodi secundum earum formam in praemissis partibus, cum ea tamen modificatione, quod indulgentias maiores uno anno dare et votum peregrinationis seu visitationis dominici sepulcri commutare aut illa, quae ad episcopalem pertinerent dignitatem, exercere minime valeretis, perinde uti seu fungi possetis, ac si litterae Iohannis papae huiusmodi vobis et singulis vestrum nominatim et specialiter directae exstitissent, ac successive quondam Urbanus in sua obedientia, de qua tunc eratis, VI nuncupatus, per alias suas litteras vobis concessit atque declaravit, quod praefato ipsius Iohannis papae privilegio uti possetis quoad omnia in eo contenta, non obstante quod episcopus catholicus in locis seu partibus ipsis resideret vel praesens exsisteret, dummodo clerum vel sacerdotes aut curatorum copiam non haberet, qui fidelibus sive noviter conversis partium earumdem sufficienter praeesse valerent, in ministrando eis ecclesiastica sacramenta et fidem catholicam praedicando, illis tamen, quae de iure vel observata consuetudine ad eamdem episcopalem dignitatem pertinerent, exercitio vestro penitus interdictis; ac subsequenter piae rec. Martinus papa V, similiter praedecessor Noster, aliis suis litteris (5) devotioni vestrae, quod vos et singuli vestrum gratiis, privilegiis, indulgentiis, facultatibus et aliis praemissis in dictis ipsius Iohannis papae litteris expressis, illis videlicet, quae ad episcopalem dignitatem huiusmodi pertinerent, in absentia, aliis vero omnibus et singulis tam in praesentia quam absentia catholicorum episcoporum inibi locorum dioecesanorum in Bulgariae, Vlachiae, Rasciae et Bosnae praedictis et etiam aliis, in quibus vos, ut earum habitatores et incolae ad unitatem fidei, devotionem quoque et obedientiam ecclesiae huiusmodi reducerentur, sive in illis persisterent, dictae Sedis concurrente ministerio subieratis tunc, et ut ceteri, quibus opus foret, passim cooperante Domino reducerentur ad eam in futurum, perferre contingeret labores et studia, partibus fungi et uti, necnon omnibus et singulis christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis, pentecostes, Trinitatis, Corporis Domini nostri Iesu Christi, nativitatis B. Iohannis Baptistae, Petri et Pauli apostolorum, necnon B. Michaelis et omnium sanctorum festivitatibus ac aliarum octavarum, nec non palmarum, coenae Domini et duobus immediate sequentibus diebus ecclesias vestrarum domorum et conventuum in praemissis et aliis quibuslibet partibus infra vicariam Bosnae secundum morem vestri ordinis consistentium, praesentium et futurorum, devote visitarent annuatim, illam indulgentiam sive similem, quae fidelibus huiusmodi vere poenitentibus et confessis ecclesias fratrum ordinis praedicti in festo B. Francisci devote visitantibus a Sede praedicta generaliter concessa fuerat, elargiri possetis, duxit concedendum, prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum autem, sicuti per charissimi in Christo filii Nostri Sigismundi, Romanorum regis illustris et semper Augusti, relationem percepimus, ut uberiores in Dei ecclesia fructus afferre necnon plures fidelium animas Domino lucrifacere possitis in de Harablech, Alsan, Chabol, Kovinum, Haram, Orsua, Keuesd, Cheri, Sebes et Haczach (6) terris eidem regi subiectis, et in qui-

(1) Al. *Sichorum* vel *Zichorum*. Cf. not. 4 ap. *Bull. Franc.* t. V, n. 84, p. 35. Fortassis legendum Scytharum.

(2) Al. *Moclitorum*. Cf. not. 5 l. cit.

(3) Haec bulla d. 23 octobris 1321, ap. *Bull. Franc.* t. V, n. 443, p. 211, est innovatio alterius, Clementis V, d. 23 iulii 1307; vide l. cit. n. 84, p. 35.

(4) Litteras *Odor vestrae famae laudabilis* d. 28 ianuarii 1369, vide ap. *Bull. Franc.* t. VI, n. 1053, p. 427.

(5) Litteras Mart. V, *Illius qui* d. 23 augusti 1418, vide ap. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1392, p. 510.

(6) Cf. Eus. Fermendžin, O. F. M., *Acta Bosnae*, Zagabriae 1892, p. 139, n. 712.

bus haeretici ac schismatici plerique necnon populus veram Dei notitiam non habens moram trahunt, evangelizationis ministerium prosequi ac salutaribus huiusmodi populum monitis et doctrinis ad eamdem fidem reducere in illaque firmare ferventius insistatis, Nos ut ampliora desuper vobis adminicula suffragarentur, regis praedicti necnon vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, ut in terris praefatis ad habitandum domos et loca quaecumque de novo recipere necnon omnibus et singulis gratiis, privilegiis, indulgentiis, facultatibus et concessionibus praedictis uti ac etiam in singulis ipsarum terrarum villis atque locis, a quibus tunc episcopi catholici inibi dioecesani ultra duas dietas legales remoti fuerint, ea quae ad huiusmodi episcopalem dignitatem pertinerent, exercere alias iuxta concessiones praemissas libere liciteque valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, non obstantibus modificationibus et restrictionibus per ipsos Urbanum V praedecessorem et Urbanum, nominatum VI, ut praefertur, factis ac eiusdem piae rec. Bonifatii papae VIII, praedecessoris Nostri, prohibente *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, pridie kal. octobris, ... anno III.

110. Concedit facultatem fundandi domum O. F. M. in villa de Cunnych (Quin), Laonien. (Killaloe in Hibernia) dioec. (1).

1433, octobris 10, Romae.

Dilecto filio nobili viro Macson Macna-Mara, duci de Clandcullyan.

Piis fidelium votis *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu, qui singularem ad ordinem fratrum Minorum geris devotionis affectum, ... in villa de Cunnych, Laonien. dioec., vel alio convenienti loco quamdam domum cum ecclesia, campanili ... et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis inibi sub regulari observantia Altissimo serviturorum, de novo fundare ... desideras, super quo Apostolicae Sedis licentiam humiliter implorasti. Nos igitur ... tibi domum huiusmodi cum ecclesia ... fundandi ... necnon fratribus dicti ordinis eam ... recipiendi licentiam elargimur. Et insuper universis et singulis fratribus, ... ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere ... valeant, ... indulgemus per praesentes. Non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, VI idus octobris, ... anno III.

111. Abbati monasterii S. Bernardi extra muros Valentin. et sacristae Ilerden. ac Iohanni Gasconis, canonico Valentin. ecclesiarum ad instantiam episcopi Valentin. et capitulorum maioris et aliarum ecclesiarum et rectorum parochialium ecclesiarum civitatis et dioec. Valentin. mandat, ut decretalem « Super cathedram » faciant firmiter observari (2).

1433, novembris 21, Romae.

Frequentes hactenus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, XI kal. decembris, ... anno III.

112. Concedit facultatem differendi vel transferendi capitulum generale (3).

1434, ianuarii 9, Romae.

Dilecto filio Guillelmo de Casali, magistro in sacra pagina, ordinis Minorum generali ministro.

Dudum siquidem, videlicet quarto kal. ianuarii, pontificatus Nostri anno II ex certis causis tunc expressis voluimus et ordinavimus per Nostras litteras (4), quod capitulum generale ordinis fratrum Minorum, quod in civitate Neapolitana iuxta ipsius capituli ordinationem celebrari debebat, celebraretur in civitate Nostra Bononiae in festo pentecostes tunc proxime futuro, mandantes omnibus dicti ordinis fratribus, qui ad ipsum capitulum convenire deberent, ut in dicto festo ibidem interessent et deinde quia ipsum capitulum propter tuam absentiam et alias causas in termino sic statuto non poterit celebrari, venerabilis frater Noster Iordanus, episcopus Sabinen., dicti ordinis protector, celebrationem dicti capituli usque ad aliud festum pentecostes immediate secuturum de speciali mandato Nostro, facto sibi super hoc oraculo vivae vocis, per suas litteras prorogavit, prout in praefatis Nostris et ipsius episcopi litteris plenius continetur. Cum autem dubitetur, ne in dictis tempore et loco capitulum praefatum propter certas causas Nobis expressas possit commode celebrari, Nos de tua probitate et virtute plurimum in Domino confidentes ac sperantes, quod tu omnia ages et procurabis, quae pro utilitate et bono regimine dicti ordinis cognoveris esse opus, tibi capitulum huiusmodi ubicumque et quandocumque tibi visum fuerit commodius et utilius expedire, alias tamen iuxta regulam et

(1) Reg. Lat. t. 319, f. 20; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 47.

(2) Reg. Lat. t. 322, f. 109.

(3) Reg. Vat. t. 372, f. 261v; Wadd. *Ann.* ad a. 1433, n. 10.

(4) Vide supra n. 87, p. 49; n. 93, p. 51; n. 97, p. 53.

constitutiones dicti ordinis, indicendi ac celebrandi cum indulgentiis per Nos in aliis litteris pro futuro dicto capitulo Bononien. concessis, plenam et liberam auctoritate apostolica concedimus facultatem, praefatis litteris et aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, V idus ianuarii, ... anno III.

113. Mandat, ut Sigismundo imperatori concedat licentiam fundandi monasterium O. S. Cl. in oppido Tretsin, Zagrabien. dioec. (1).

1434, ianuarii 21, Romae.

Venerabili fratri episcopo Zagrabien.

Inter cuncta divinae placita *etc.* Hoc nempe charissimus in Christo filius Noster Sigismundus, Romanorum imperator semper Augustus, sicut Nobis nuper per suas litteras intimavit, pia devotaque mente considerans ... quoddam monasterium in oppido Tretsien., Zagrabien. dioec., infra metas regni Hungariae, cuius etiam rex exsistit, erigere et aedificare illudque pro abbatissa et certo numero monialium sive sororum, quae sub perpetua clausura et observantia ordinis S. Clarae vivere teneantur, ... sufficienter dotare proponit. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus imperatori praedicto monasterium huiusmodi cum ecclesia, campanili ... et aliis necessariis officinis ad instar aliorum dicti ordinis monasteriorum, postquam illud pro abbatissa et congruo numero monialium de bonis praemissis, ex quibus abbatissa et moniales sive sorores huiusmodi congrue sustentari, episcopalia iura solvere et alia incumbentia onera supportare valeant, sufficienter dotaverit, necnon calices, cruces, libros, missalia, ornamenta ecclesiastica et alia ad divinum cultum necessaria iuxta ritum et consuetudinem dicti ordinis concesserit, ... aedificandi et erigendi licentiam auctoritate apostolica largiaris necnon mulieres praedictum monasterium intrare et in illo sub huiusmodi clausura et observantia dicti ordinis Altissimo servire volentes, si alias sint idoneae et aliquod canonicum non obsistat, in eodem monasterio ... hac prima vice auctoritate Nostra recipias, eisque regularem habitum iuxta ipsius ordinis consuetudinem exhibeas, necnon professionem per eiusdem ordinis moniales sive sorores emitti solitam, si illam in tuis manibus sponte et libere emittere voluerint, ab eis recipias et admittas et singula alia, quae ad id utilia et necessaria ac secundum Deum expedire videris, facias, statuas, ordines et disponas necnon unam ex eis seu aliam eiusdem ordinis monialem, ordinem ipsum expresse professam et ad ipsius monasterii regimen utilem et idoneam, quae alias moniales in disciplina et observantia praedicti ordinis instruat et informet, eidem monasterio in abbatissam praeficias, curam, regimen et administrationem illius sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo ac faciendo sibi a suis subditis obedientiam et reverentiam debitas exhiberi; contradictores *etc.* Et nihilominus abbatissae, ... ut munus benedictionis ab aliquo catholico antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, recipere valeat ac eidem antistiti, ut illud impendere sibi possit, praedicta auctoritate concedas ac praedictum monasterium per abbatissam ut caput et moniales dicti ordinis, quae eidem abbatissae subesse et parere iuxta praedicti ordinis instituta regularia ac sub clausura et observantia praemissis vivere teneantur, ... gubernandum statuas *etc.* Nos enim ... abbatissae et monialibus praedictis, ... ut omnibus et singulis privilegiis ... gaudere valeant, ... concedimus per praesentes.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, XII kal. februarii, ... anno III.

114. Iohannem Scheffchin O. F. M. instituit poenitentiarium in basilica principis apostolorum de Urbe et Romana curia (2).

1434, ianuarii 31, Romae.

Dilecto filio Iohanni Scheffchin, ordinis Minorum in basilica principis apostolorum de Urbe et Romana curia poenitentiario Nostro.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos de persona tua praedicta, quam ad hoc idoneam et sufficientem per diligentem examinationem esse cognovimus, praemissorum obtentu plenam in Domino fiduciam obtinentes, te in Nostrum in basilica et curia praedictis poenitentiarium auctoritate apostolica cum honoribus et oneribus consuetis constituimus et etiam ordinamus, tibi tenore praesentium committentes, ut huiusmodi officium poenitentiariae in eisdem basilica et curia, sicut alii Nostri poenitentiarii illud ibidem gerere et exercere consueverunt, diligenter et fideliter exsequaris. Volumus autem, quod tu prius, quam ipsum officium incipias exercere, in manibus venerabilis fratris Iordani, episcopi Sabinen., maioris poenitentiarii Nostri de huius-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 48: « e l. 1 de regular. a. 3, f. 262 ».

(2) Reg. Vat. t. 381, f. 206; Reg. Lat. t. 322, f. 173 v.

modi fideliter exercendo officio praestes corporaliter iuramentum iuxta formam praesentibus annotatam, quae talis est:

« Ego Iohannes Scheffchin, ordinis Minorum, in basilica principis apostolorum de Urbe et Romana curia poenitentiarius ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro sanctaeque Romanae ecclesiae ac domino Nostro, D. Eugenio papae IV eiusque successoribus canonice intrantibus neque ero in facto, consilio vel consensu, ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium, quod per se vel nuntium suum seu litteras mihi crediturі sunt, signo, verbo vel nutu me sciente ad eorum damnum vel praeiudicium nulli pandam. Si damnum illorum tractari sensero, pro posse meo impediam, ne fiat, quod si per me impedire non possem, per nuntium aut litteras eis significare curabo, vel illi, per quem citius ad eorum notitiam deducatur. Papatum Romanum et regalia S. Petri et omnia iura Romanae ecclesiae, quae habet, utique manutenebo totis viribus et defendam ac adiutor eis ero, ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Res quoque ipsius domini Nostri papae et ecclesiae Romanae, quae meae custodiae committentur, diligenter custodiam et fideliter resignabo. Ambassiatas etiam et quaecumque alia negotia mihi commissa firmiter portabo et fideliter et diligenter referam sine fraude. Et pro confessionibus audiendis et absolutione faciendis seu aliis, quae spectant ad meum officium, nihil omnino per me aut alium exigam vel petam aut recipiam etiam sub titulo vel specie eleemosynae vel ensenii aut mutui seu alio quovis modo et non absolvam vel dispensabo scienter in aliquo casu mihi non permisso, nec scienter quemquam absolvam a peccato vel peccatis aliquibus in aliquo casu ambiguo, nec etiam in huiusmodi casu ambiguo scienter cum aliquo dispensabo, nisi de speciali mandato summi pontificis vel poenitentiarii maioris, cui exprimam dictum casum sine alicuius revelatione vel expressione personae. Et non iniungam poenitentias pecuniarias expresse mihi vel alicui certae personae vel ordini meo vel alteri applicandas. Super restitutionibus iniungendis et faciendis servabo, prout est per piae mem. Benedictum XII papam ordinatum. Et supradicta omnia et singula promitto et iuro attendere et observare sine omni dolo et fraude ac malitia: sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia ».

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, pridie kal. februarii, ... anno III.

115. Concedit indulgentias pro conventu O. F. M. Cremonen. (1).

1434, februarii 18, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Inter desiderabilia cordis *etc.* Sane cum accepimus, quod ad ecclesiam fratrum Minorum ordinis B. Francisci, conventus Cremonen., quae in illis partibus notabilis et insignis est, ex devotionis causa sedulo confluat populi multitudo, sed copiosius in festivitate et die annuntiationis eiusdem Virginis, qua divinum solemniter celebratur officium ipsaque ecclesia sub huiusmodi festi celeberrimi titulo gloriatur, Nos summis desiderantes affectibus, quod ecclesia praedicta, apud quam sacer ille ordo fratrum Minorum diutius institutus, speculum et exemplar vitae regularis et christianae religionis atque doctrinae, piis orationibus horisque canonicis virtutum Domino deservire non desinit, eo devotius eadem die in commemorationem tanti festi et mysterii, quod die ipsa, omni honore dignissima, Deus caelestis in Verbum Unigenitum Filium mediante Paracleto cooperari dignatus est, ac Virginis praelibatae reverentiam et gloriam veneretur et visitetur, quo ampliori dono gratiae iidem fideles noverint se capaces, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in die ipsius festi annuntiationis eamdem ecclesiam devote visitaverint annuatim et pro fidei catholicae statu et conservatione oraverint, quinque annos et totidem quadragenas annis singulis perpetuo misericorditer de iniunctis eis poenitentiis relaxamus. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Chrysogonum, anno ... 1433, XII kal. martii, ... anno III.

116. Alexium de Duratio O. F. M. instituit episcopum Cervicen. (2).

1434, aprilis 9, Romae.

Dilecto filio Alexio de Duratio electo Cervicen.

Pastoralis officii debitum *etc.* Dudum siquidem bonae memoriae Petro episcopo Cervicen. regimini Cervicen. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Petri episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum *etc.* Nos va-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 49: « e l. 1 de regular. a. 3, f. 252 ».

(2) Reg. Lat. t. 324, f. 278v. — Idem episcopus apud Eubel, *Hierarchia,* t. II², p. 126, vocatur Alermus.

cationem huiusmodi *etc.*, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum, religionis zelo *etc.* direximus oculos Nostrae mentis *etc.*, teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.*

Datum Romae apud S. Chrysogonum, anno ... 1434, V idus aprilis, ... anno IV.

117. Stephanum Radosovich, O. F. M. instituit episcopum Capirinen. et Visoconen. (1).

1434, aprilis 12, Romae.

Dilecto filio Stephano, electo Capirinen. et Visoconen.

Dum ad universas orbis ecclesias *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Petro, Capirinen. et Visoconen. episcopo, Capirinen. et Visoconen. ecclesiarum invicem canonice unitarum regimini praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero ecclesiis praedictis per obitum eiusdem Petri episcopi, qui extra Romanam curiam *etc.* vacantibus *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum *etc.* teque illis praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1434, pridie idus aprilis, ... anno IV.

Simili modo eadem scribit *Clero civitatum et dioecesium Capirinen. et Visoconen.; Universis burgorum de Senice, Cresevo, Huomita, Jaize, Srebenizi vasallis Capirinen. et Visoconen. ecclesiarum* (2); praeterea *Archiepiscopo Ragusin.* (Ad cumulum) et *Stephano regi Bosnae* (Gratiae divinae).

118. Mandat, ut compellat certum fratrem, de Guasconibus cognominatum, O. F. M., subcollectorem aliosque retinentes pecunias per Nicolaum de Tiburto O. F. M., reddituum et fructuum camerae apostolicae collectorem in Graecia, relictas, auctoritate Basileen. concilii interceptas (3).

1434, iulii 10, Florentiae.

Dilecto filio Christophoro, magistro in artibus, secretario Nostro ac Apostolicae Sedis nuntio.

Cum alias dilectus filius Nicolaus de Tiburto, ordinis Minorum, in partibus Graeciae reddituum et fructuum apostolicae camerae collector fuerit diemque suum obierit nulla dictae camerae reddita ratione, cumque intellexerimus, quod in dictis partibus apud nonnullos de pecuniis, bonis et rebus suis reperiantur, quae per certum subcollectorem ordinis Minorum, qui de Guasconibus cognomine nuncupetur, auctoritate, ut retulit, concilii Basilien. interceptae et intercepta fuerunt, tibi, de quo plene confidimus, investigandi, petendi, exigendi, percipiendi et de receptis dumtaxat quietandi et absolvendi ac per censuras ecclesiasticas, dum fuerit opus, compellendi praedictum subcollectorem ac omnes alios et singulos, apud quos aliquid de dictis olim Nicolai praedicti pecuniis, rebus et bonis reperiretur aut reperiri diceretur, auctoritate Nostra tenore praesentium omni appellatione postposita damus et concedimus facultatem, iniungentes tuae devotioni, ut ad praedicta omnia diligenter insistas, ut bona camerae apostolicae minime quidem praetermittere videamur.

Datum Florentiae, anno ... 1434, VI idus iulii, ... anno IV.

119. Ministro Generali pro aliquo officio commendat F. Scolarium O. F. M. deputatum guardianum in Terra Sancta, qui in manibus pontificis renuntiaverat (4).

1434, augusti 4, Florentiae.

Dilecto filio Guillelmo de Casali, sacrae theologiae magistro, ordinis Minorum generali. Dil. fili, sal. etc.

Propter bonas et rationabiles causas visum est Nobis, ut aliquis bonus religiosus de observantia mitteretur guardianus ad Terram Sanctam, quod miramur esse omissum a tua prudentia. Idcirco suasimus dilecto filio fratri Scolario, magistro in sacra pagina, qui fuerat deputatus per capitulum, ut renuntiaret in manibus Nostris et Nos alium fecimus guardianum, videlicet fratrem Iacobum Delfino de Venetiis. Ne ergo ipse Scolarius, qui Nobis vir bonus et prudens videtur, tamquam contemptus et abiectus remanere videatur, velis pro honore suo et ordinis ac etiam contemplatione Nostri honorare ipsum aliquo officio, prout meretur virtus sua.

Datum Florentiae ... die IV mensis augusti, anno IV.

---

(1) Reg. Lat. t. 328, f. 210; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 35. Exstat Reg. Lat. t. 324, f. 277 v. alia bulla sub forma *Pastoralis officii debitum*, data Romae apud S. Chrysogonum 1434, V idus aprilis (9 apr.) « Stephano Radosovich, electo Biduanen. et Visoconen. ».

(2) Loci hic enumerati Zenica, Kreševo, Hum (?), Jaice, Srebrenica in Bosnia siti sunt.

(3) Reg. Vat. t. 373, f. 2. De F. Nicolao de Tiburo cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1465, p. 546; n. 1466, p. 547; n. 1847, p. 718.

(4) Reg. Vat. t. 359, f. 233 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 56. De F. Scolario de Monte Ilcino cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1494, p. 561.

120. Iacobum Delfinum de Venetiis O. F. M. instituit guardianum T. S. (1).

1434, augusti 4, Florentiae.

Dilecto filio Iacobo Delfino de Venetiis, ordinis fratrum Minorum professori, guardiano sacri conventus Montis Syon et totius Terrae Sanctae.

Religionis zelus *etc.* Cum itaque dilectus filius Scolarius, ordinis Minorum ac sacrae theologiae professor, qui nuper in capitulo generali dicti ordinis Bononiae celebrato, guardianus Montis Syon deputatus fuit, ex certis causis animum suum moventibus officio guardianatus dicti loci sponte et libere in manibus Nostris cesserit Nosque cessionem huiusmodi duxerimus admittendam, Nos ne ipse locus ob defectum rectoris eiusdem detrimentum patiatur, de persona idonea providere volentes, te guardianum ipsius loci Montis Syon cum auctoritate, arbitrio, potestate et facultatibus consuetis auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus et etiam deputamus, volentes, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis aliis guardianis dicti ordinis hactenus quomodolibet concessis uti possis et debeas et etiam gaudere, apostolicis et ipsius ordinis constitutionibus ... non obstantibus quibuscumque. Per hoc autem non intendimus iuribus et iurisdictionibus generalis dicti ordinis aut ipsius ordinis in aliquo alias derogare. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, pridie nonas augusti, ... anno IV.

121. Domui fratrum Pinzocherorum III O. S. Franc. Florentin. concedit facultatem erigendi capellam et ibi faciendi missas legere, sacramenta administrare personis, infirmis et pauperibus in domo ipsa pro tempore exsistentibus (2).

1434, augusti 23, Florentiae.

Dilectis filiis Gerardo Bartholi rectori et fratribus domus Sedi Apostolicae immediate subiectae Pinzocherorum Florentin., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupatae.

Piis fidelium votis gratum Nos decet *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos, qui in domo Pinzocherorum Florentin., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Domino famulari delegistis, in eadem domo, ad quam copiosa dietim christifidelium, quorum etiam pluribus alimenta vitaeque necessaria iuxta vestras facultates ministrare satagitis, multitudo confluit, ut salus ipsa divinae quoque praeconium laudis amplius inde succedant, capellam cum campana, campanili et cimiterio erigere ... ferventer optatis, apostolici desuper favoris patrocinium suppliciter implorantes. Nos igitur ... vobis capellam cum campana, campanili et cimiterio huiusmodi in dicta domo erigendi ... licentiam, quodque sacerdotes idonei, qui inibi pro tempore resederint, missas et alia divina officia in ipsa capella, postquam dedicata fuerit, celebrare ac personarum domus eiusdem, et qui in illa pro tempore fuerint, infirmorum pauperumque confessiones audire necnon eos a suis peccatis, criminibus et excessibus, nisi talia sint, propter quae Apostolica merito consulenda Sedes exsistat, absolvere ac salutarem ipsis poenitentiam iniungere, eucharistiae quoque et alia ecclesiastica sacramenta et sacramentalia administrare necnon personarum, pauperum et infirmorum praedictorum decedentium ibidem corpora ecclesiasticae sepulturae in capella dedicata vel cimiterio huiusmodi tradere, cuiusvis super hoc licentia minime requisita, libere liciteque valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, iure tamen *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, X kal. septembris, ... anno IV.

122. Mandat, ut approbet translationem loci et ecclesiae S. Georgii extra Civitatem Austriae (Cividale), ubi mulieres O. S. Aug. habitabant, ad fratres O. F. M. de observ., quamvis in eadem civitate iam sit conventus O. F. M. (3).

1434, augusti 23, Florentiae.

Dilecto filio decano ecclesiae Aquileien.

Ad apostolicae dignitatis apicem *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum communitatis oppidi Civitatis Austriae, Aquileien. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias pro parte eorum Nobis exposito, quod extra muros eiusdem oppidi quidam locus regularis erat cum ecclesia sub vocabulo S. Georgii, ab eodem oppido per milliare vel circa distans, qui antiquitus per quamdam mulierem pro usu et habitatione perpetuis mulierum religiosarum fundatus, aedificatus et dotatus fuerat, et deinde, ut credebatur, fundatione, aedificatione et dotatione huiusmodi per patriarcham Aquileien.,

(1) Reg. Vat. t. 373, f. 31 et incomplete t. 359, f. 232. Cf. n. praec.

(2) Reg. Lat. t. 325, f. 63v. De eadem domo cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1288, p. 463.

(3) Reg. Lat. t. 325, f. 28; Wadd. *Reg. Pont.* Eug. IV, n. 57.

qui tunc exstiterat, ordinaria auctoritate confirmatis, nonnullae religiosae mulieres, quae cuiuslibet ordinis approbati pene ex toto dissimilem habitum gestabant, quamvis se ordinis S. Augustini assererent, in loco ipso degere consueverant, ex quibus tunc solae duae, quarum una se priorissam vocabat, superesse noscebantur, propter quarum malam famam et vitam inhonestam quotidie in deterius prolabentem religio inibi, si quae aliquando fuerat, miserabiliter finivisse prospiciebatur, ita quod ipse locus opprobrio subiaceret desolationis extremae in divini nominis et sacrae religionis contemptum necnon scandalum plurimorum; propter quae ipsi communitas desiderabant praefatum locum ad congruum honorem reduci et laudibus eiusdem nominis deputari: Nos dilecto filio decano ecclesiae B. Mariae dicti oppidi, eius proprio nomine non expresso, per alias Nostras litteras dedimus in mandatis, ut vocatis dictis mulieribus necnon aliis, qui forent evocandi, super praemissis ... se informaret et ... nomen priorissatus ac praedicti ordinis in eodem loco praefata auctoritate penitus supprimeret ... ac locum ipsum pro usu et habitatione fratrum ordinis Minorum de observantia nuncupatorum deputaret ipsasque mulieres ad aliud monasterium sive alium locum ordinis approbati, in quo voluntarias receptatrices invenirent, transferret, necnon quoad viverent, de fructibus, redditibus et proventibus dicti loci S. Georgii, quantum ipsis posse sufficere nosceret, provideri faceret et procuraret, ita quod post translationem et provisionem huiusmodi liceret praefatis fratribus eumdem locum pro usu et habitatione huiusmodi recipere et perpetuo retinere ac in eo ecclesiam, campanile, ... officinas construere, ... cuiusvis super hoc licentia minime requisita, prout in eisdem litteris plenius dicitur contineri. Postmodum vero dilectus filius Iacobus de Gramineis, canonicus Paduan., tunc in dicta dioecesi residens, et cui dilectus filius Daniel decanus eiusdem ecclesiae super iis vices suas commiserat, ad ipsarum litterarum exsecutionem procedens, quia per diligentem per ipsum desuper habitam informationem repperit exposita huiusmodi veritate subniti, nomen priorissatus et ordinis S. Augustini praedictorum in praefato loco S. Georgii suppressit ... illumque dictis mulieribus ad alia loca translatis pro usu et habitatione praemissis deputavit, huiusmodi provisionem sibi reservando. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, licet fratres ordinis Minorum huiusmodi, qui in dicto loco deguerunt, interim suis operosis ministeriis conversationeque sincera necnon cum verbi directione divini plures inibi fidelium mentibus fructus attulerint, pro eo tamen, quod infra muros eiusdem oppidi alia dicti ordinis Minorum sita domus est, quae et idem locus per tot, prout in quibusdam apostolicis constitutionibus cavetur, cannas non distat, etiam procedentibus aliquibus, quod fratres de observantia huiusmodi sine speciali generalis dicti ordinis Minorum licentia praefatum locum S. Georgii pro usu et habitatione praedictis acceptare non possunt, ipsi fratres inibi degentes, quominus quietis ac tranquillitatis ubertate perseverare valeant ibidem, successu temporis timeant impediri, pro parte eorum necnon ipsorum communitatis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... ea, quae per ipsum canonicum ... rite facta inveneris, auctoritate apostolica approbes et confirmes; in singulis vero, quae forsitan adhuc per dictas litteras agenda sunt, eas perinde ac si tibi directae forent, exsequaris, non permittens ipsos fratres in dicto loco degentes supra iis, quae dictam exsecutionem quoad eos contingere poterunt, a quoquam impeti indebite vel quomodolibet molestari, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, X kal. septembris, ... anno IV.

123. Iohannem de Montemartino O. F. M. instituit episcopum Rossien. (Rhosus in Cilicia, episcopatus titularis) (1).

1434, septembris 1, Florentiae

Dilecto filio Iohanni de Montemartino, electo Rossien.

Inter sollicitudines varias *etc.* Dudum siquidem Iohanne episcopo Rossien. regimini Rossien. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praedicta ecclesia per obitum ipsius Iohannis episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit *etc.* demum ad te ordinem fratrum Minorum expresse professum et in sacerdotio constitutum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* Volumus autem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, kal. septembris, ... anno IV.

124. Bartholomaeo Michaelis, perpetuo capellano in ecclesia Lucan., reservat maioris ecclesiae Lucan. necnon SS. Iohannis et Reparatae Lucan. canonicatus et praebendas, necnon plebanatum S. Georgii

(1) Reg. Lat. t. 328, f. 202v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 58.

de Vicopelago extra muros Lucan., quos Angelus Bertini maioris ecclesiae Lucan. canonicus, domum extra muros Florentin. ordinis fratrum Minorum ingressus, obtinebat (1).

1434, septembris 5, Florentiae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, nonis septembris, ... anno IV.

125. Iohannem episcopum Abelonen. transfert ad ecclesiam Silvanecten. (Senlis, suffrag. Remen.) (2).

1434, septembris 6, Florentiae.

Venerabili fratri Iohanni episcopo Silvanecten.

Romani Pontificis *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Guillelmo episcopo Silvanecten. regimini Silvanecten. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum dicti Guillelmi episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi *etc.* demum ad te episcopum Abelonen. consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum largitor Dominus insignivit, et quod tu, qui regimini Abelonen. ecclesiae laudabiliter hactenus praefuisti, eamdem Silvanecten. ecclesiam scies et poteris auctore Domino feliciter regere et salubriter gubernare, convertimus oculos Nostrae mentis. Intendentes igitur *etc.* te a vinculo, quo praefatae ecclesiae Abelonen., cui tunc praeeras, tenebaris, ... absolventes, te licet absentem ad eamdem Silvanecten. ecclesiam auctoritate apostolica transferimus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, illius curam *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, VIII idus septembris, ... anno IV.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Silvanecten.; Clero civitatis et dioecesis Silvanecten.; Populo civitatis et dioecesis Silvanecten.; Universis vasallis ecclesiae Silvanecten.;* praeterea *Carolo regi Francorum* (Gratiae divinae).

126. Fratribus O. F. M. de observ. in regno Castellae et Legion. confirmat communicationem privilegiorum cum fratribus de observ. in Gallia et alias concessiones iam obtentas (3).

1434, septembris 13, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Apostolicae Sedis *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Martinus papa V, praedecessor Noster, ut universi et singuli Metinae de Campo, de Valleoleto, de Cuellar, S. Dominici de Silis, S. Michaelis de Monte, S. Francisci de la Salceda, S. Francisci de Arevalo et S. Francisci de Constantina, Salamant., Segobien., Burgen., Palentin., Conchen., Corduben., Toletan., Abulen. et Hispalen. dioec. (4) ac aliorum infra Castellae et Legionis provincias regnorum Castellae et Legionis consistentium domorum ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupati, iuxta morem ipsius ordinis institutarum, guardiani et fratres praesentes et futuri omnibus et singulis exemptionibus ... necnon statutis et ordinationibus, tunc per generalem synodum Constantien. (5) ante et post adiunctionem sive unionem Hispanicae nationis eidem synodo, quam etiam deinde per eum in suae ad summi apostolatus apicem assumptionis primordiis dilectis filiis universis de S. Audomaro, de Varennis et de Dola, Morinen., Remen. et Bisuntinae dioec. et aliarum infra Franciae, Burgundiae et Turonen. provincias consistentium domorum dicti ordinis, iuxta morem praedictum institutarum, guardianis et fratribus seu in eorum favorem sub quavis forma et expressione verborum concessis et editis, quorum omnium tenores suis haberi litteris voluit pro expressis, ex tunc in antea uti et gaudere libere et licite possent, ac si illa eis et in eorum favorem specialiter et expresse concessa et edita fuissent, eisdem Castellae et Legionis regnorum et provinciarum domorum huiusmodi fratribus per quasdam primo et deinde ad supplicationem charissimi in Christo filii Nostri Iohannis, Castellae et Legionis regis illustris, per alias suas litteras omnibus dumtaxat sub regulari observantia pro tempore degentibus in Hispa-

(1) Reg. Lat. t. 326, f. 183 v.

(2) Reg. Lat. t. 324, f. 296. De Iohanne Raffanelli cf. *Bull. Franc.* t. VII n. 1588, p. 600 et ibidem notam 2.

(3) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 61: « e l. 1 de regular. a. IV, f. 44 ».

(4) Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1126, p. 387; n. 1166, p. 405; n. 1365, p. 497; n. 1802, p. 693. (Medina del Campo, dioec. Salamanca), — n. 1363, p. 496 (Valladolid, d. Palencia), — n. 1115, p. 382 (Cuellar, d. Segovia), — n. 1159, p. 402; n. 1802, p. 694 (S. Domingo de Silos, d. Burgos), — n. 976, p. 322; n. 1122, p. 385; n. 1802, p. 694 (S. Miguel del Monte, d. Cuenca), — n. 1546, p. 582 (ubi legitur la Sazeda, d. Toledo sed videtur esse Salceda, d. Segovia), — n. 1166, p. 405 (Arevalo, d. Segovia), — n. 1117, p. 383 (Constantina, d. Sevilla). In enumeratione dioecesium erronee ponuntur Corduben. et Abulen.

(5) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1362, p. 493.

niarum partibus consistentibus dicti ordinis fratribus, ut quondam Pacificus Hispanus, eiusdem ordinis professor, pro prima vice et successive ipsi seu ex eis ad hoc pro tempore deputati generale capitulum eiusdem ordinis, ubi, quando et quoties eis videretur, indicere, tenere et ad hoc alios de observantia huiusmodi fratres convocare in ipsisque capitulis ex dictis fratribus partium praedictarum secundum morem dicti ordinis singulos provinciales vicarios ac una cum illis fratres de observantia praedicti unum, qui etiam provincialibus huiusmodi praeesset, dicti ordinis professorem in generalem vicarium, qui ab aliquibus ordinis de observantia huiusmodi fratribus et etiam per ipsos de capitulo pro tempore deputatis confirmari deberent et tenerentur ipsosque de observantia fratres et eorum domos et loca in dictis partibus dumtaxat pro tempore consistentia visitandi, et quae secundum Deum et regularis observantiae huiusmodi instituta ibidem corrigenda et emendanda cognoscerent, servata tamen forma eis in capitulis huiusmodi pro tempore tradita, corrigendi et reformandi ... potestatem haberent, per se vel per alios, quos ad hoc deputandos ducerent, eligere, deputare et ad vicariatuum huiusmodi officia assumere in dictisque capitulis tam circa vacationem et absolutionem huiusmodi vicariorum et aliorum quorumcumque officialium suorum officiorum, domorum et locorum quorumlibet, electionem quoque, institutionem et confirmationem, quam circa definitores et ipsorum domorum et locorum huiusmodi visitatores in quolibet capitulo deputandos et alia, quae circa observantiae huiusmodi conservationem, regimen et provisionem eis quomodolibet necessaria et opportuna viderentur, facere, statuere, ordinare et exsequi, contradictores per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia per se vel alios compescere valerent, constitutionibus ... ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, plenam et liberam facultatem auctoritate apostolica concessit, decernens irritum *etc.* Nos igitur earumdem litterarum omnium tenores praesentibus pro expressis haberi volentes, charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae, Castellae et Legionis reginae illustris, eiusdem regis consortis, in hac parte supplicationibus inclinati, tam exemptionum, privilegiorum, praerogativarum concilii in eo quod guardianorum et fratrum provinciarum regnorum Castellae et Legionis domorum favorem dumtaxat concernunt, quam praedecessoris concessiones huiusmodi necnon omnia et singula litteras praedictas et per illas, ut praefertur, concessa ac in eis contenta necnon quaecumque inde secuta auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, idibus septembris, ... anno IV.

127. Lucam Mudatium (Mudazzo) O. F. M. instituit episcopum Caprulen. (Caorle in Italia superiore) (1).

1434, septembris 13, Florentiae.

Dilecto filio Lucae Mudatio electo Caprulen.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem provisiones *etc.* Postmodum vero ecclesia Caprulen. ex eo, quod Nos nuper venerabilem fratrem Nostrum Andream, Auximan., tunc Caprulen. episcopum, licet absentem a vinculo, quo ecclesiae Caprulen. praedictae ... tenebatur, ... absolventes, eum ad ecclesiam Auximan., tunc pastore carentem, auctoritate apostolica transtulimus, ... vacante, Nos ad provisionem eiusdem ecclesiae Caprulen. *etc.;* demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, idibus septembris, ... anno IV.

Simili modo eadem die scribit *Populo civitatis et dioecesis Caprulen.;* praeterea *Patriarchae Graden.* (Ad cumulum).

128. Matthaeum de Sirinno O. F. M. instituit episcopum Coronen. (Coron in Graecia) (2).

1434, septembris 22, Florentiae.

Dilecto filio Matthaeo de Sirinno, electo Coronen.

Attentae considerationis intuitu *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Francisco episcopo Coronen. regimini Coronen. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Francisci episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, Nos vacatione huiusmodi *etc.* demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem et in theologia baccalaurium ac in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, X kal. octobris, ... anno IV.

Simili modo eadem die scribit *Clero civitatis et dioecesis Coronen.* et *Populo civitatis et dioecesis Coronen.*

(1) Reg. Lat. t. 328, f. 290; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 60.

(2) Reg. Lat. t. 324, f. 290. Cf. infra n. 185, not. 2.

129. Iohannem de Baeza O. F. M. instituit episcopum Libarien. (in Asia minore, episcopatus titularis) (1).

1434, octobris 1, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni de Baeza, electo Libarien.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Alphonso episcopo Libarien. ecclesiae Libarien. regimini praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero ecclesia praedicta per obitum ipsius Alphonsi episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit *etc.*; demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, ordinem ipsum expresse professum ac in insulis Canarien. dicti ordinis vicarium auctoritate apostolica deputatum, in sacerdotio constitutum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, kal. octobris, ... anno IV.

130. Concedit licentiam fundandi duas domos O. F. M. de observantia in regno Hungariae (2).

1434, octobris 13, Florentiae.

Dilecto filio praeposito monasterii de Priper Vesprimen.

Piis fidelium votis gratum *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Gregorii de Hetes, ordinis fratrum Minorum professoris, petitio continebat, copiosus christifidelium regni Hungariae numerus ad fratres ordinis praedicti de observantia nuncupatos singularis gerat devotionis affectum summeque desideret, quod in ipso regno, in quo aliquae, praeterquam ad vicarium Bosnae spectantes, dicti ordinis domus non sunt et pauci reperiuntur theologi † verbi, et ut amplior inde succedat salus animarum, loca sunt aliqua dictis fratribus assignata, pro parte ipsius Gregorii, asserentis se in praedicto regno Hungariae natum fore, Nobis exstitit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus si est ita, Gregorio praedicto necnon aliis eiusdem ordinis fratribus in ipso regno Hungariae duo, quae alias iuste conquisiverint, loca, in quibus conventualiter Altissimo deserviant et a personis, prout congruerit, regularis per ipsos fratres emitti solita professio recipi admittique possit, pro eorum necnon aliorum dicti ordinis fratrum usu et habitatione recipiendi ac in eis ecclesias cum campanis ... et aliis necessariis officinis construendi ... auctoritate Nostra licentiam largiaris, iure tamen *etc.* Nos enim ... universis et singulis fratribus eiusdem ordinis, quos in ipsis recipiendis locis sive domibus pro tempore residere continget, ut omnibus privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, III idus octobris, ... anno IV.

131. Concedit indulgentias pro ecclesia B. Mariae de Angelis, dioec. Asten., ad ripam Ghezii, in Pedemontium ad fratres III O. S. Fr. pertinente (3).

1434, octobris 16, Florentiae.

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis.

Dum praecelsa meritorum insignia *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia B. Mariae de Angelis in Pedemontium iuxta ripam Ghezii, Asten. dioec., per nonnullos fratres tertii ordinis B. Francisci ex christifidelium eleemosynis noviter constructa, in qua Salvator noster Iesus Christus ob merita ipsius B. Mariae suae genitricis quamplurima miracula suo populo dignatur saepissime ostendere, nondum iuxta votum fratrum eorumdem et prout etiam consideratis illius structurarum fundamentis conveniret, fuerit adimpleta neque absque dictorum fidelium eleemosynis compleri valeret et in statu prospero conservari; cupientes igitur *etc.* omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, resurrectionis et ascensionis necnon Corporis Domini nostri Iesu Christi, pentecostes et purificationis ac nativitatis, annuntiationis et assumptionis B. Mariae et nativitatis B. Iohannis Baptistae, ... apostolorum Petri et Pauli et ipsius ecclesiae dedicationis festivitatibus ac celebritate omnium sanctorum, per octavas nativitatis, epiphaniae, resurrectionis et ascensionis, Corporis Domini necnon nativitatis, assumptionis B. Mariae et nativitatis B. Iohannis et apostolorum Petri et Pauli praedictorum festivitatum et per sex dies dictum festum pentecostes immediate sequentes praefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, videlicet festivitatum earumdem duos annos et totidem quadragenas et octavarum ipsarum et praedictis sex diebus, quibus praedictam ecclesiam visitaverint et ad praemissa manus porrexerint adiutrices, ut praefertur, centum dies de iniunctis eis poenitentiis in Domino misericorditer relaxamus, praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, XVII kal. novembris, ... anno IV.

---

(1) Reg. Lat. t. 328, f. 267; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 62. De Iohanne de Baeza cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1144, p. 395; n. 1145, p. 396; n. 1568, 1569, p. 591; n. 1572, p. 592.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 63: « e l. 1 de div. form. etc. a. IV, f. 38 ».

(3) Reg. Lat. t. 325, f. 27.

132. Petrum Gather O. F. M. instituit episcopum Sambarien. (titularem) (1).

1434, octobris 18, Florentiae.

Dilecto filio Petro Gather electo Sambarien.

Attentae considerationis intuitum *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Iohanne episcopo Sambarien. regimini Sambarien. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius Iohannis episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum *etc.;* demum ad te ordinis fratrum Minorum, in theologia professorem ac in sacerdotio constitutum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* Volumus autem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1424, XV kal. novembris, ... anno IV.

133. Iohannem Slechter O. F. M. instituit episcopum Vencomporien. (titularem) (2).

1434, octobris 27, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni Slechter electo Vencomporien.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Conrado episcopo Vencomporien., regimini Vencomporien. ecclesiae praesidente *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Conradi episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum *etc.;* demum ad te ordinis fratrum Minorum, in theologia professorem ac in presbyteratus ordine constitutum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* Volumus autem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, VI kal. novembris, ... anno IV.

134. Mandat, ut Gabrieli de Ancona O. F. M. de observantia, provinciae Anconitanae vicario, concedat monasterium S. Mariae sub monte extra muros terrae Sancti Severini et duos alios locos pro usu et habitatione O. F. M. de observantia (3).

1434, novembris 3, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii B. Mariae Vallisfossinae, Camerinen. dioeces.

Honestis personarum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Gabrielis de Ancona, ordinis fratrum Minorum professoris, petitio continebat, quod idem Gabriel, qui fratrum de observantia nuncupatorum dicti ordinis in Nostra provincia Anconitana vicarius exsistit ac opus et operam efficaces adhibere proponit, quod in aliquibus ipsius provinciae locis ad id congruis et honestis, quae alias iustis titulis eidem ordini concederentur, tres domus pro usu et habitatione perpetuis fratrum ipsius ordinis, qui inibi residendo pro tempore possent eorum doctrinis et exemplis salutaribus animas Christo lucrifacere, de novo erigerentur, si ad id Apostolicae Sedis auctoritas suffragetur, quodque monasterium monialium S. Mariae sub monte extra muros terrae S. Severini, secundum quosdam S. Benedicti, secundum alios vero S. Augustini ordinis, Camerinen. dioec., cuius duae dumtaxat, quarum una senio confracta et altera ex contractione membrorum infirma exsistunt, moniales supervivunt, et quae in ipso monasterio, utpote in structuris et aedificiis suis quasi dirupto et propter guerrarum hostiles incursus penitus derelicto, minime resident, sed in quadam domo infra terram praedictam consistente et ad dictum monasterium legitime pertinente, in qua quoddam oratorium habentes se reduxerunt, habitare noscuntur, et de cuius quidem monasterii reformatione ob temporum malignitatem spes nulla subsistit, pro una ex huiusmodi tribus domibus aptum et accommodum satis esset. Quare pro parte dicti Gabrielis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi et aliis ordinis de observantia fratribus huiusmodi monasterium praefatum, eius abbatissali dignitate ac in eo dicto proprio ordine, necnon, si ab aliquo monasterio seu alio regulari loco dependeat, dependentia huiusmodi suppressis, cum quibusdam ipsius monasterii horto et silva illi contiguis, in quo quidem monasterio unam, et quod alibi infra dictam provinciam duas alias domos huiusmodi cum earum ecclesiis, campanilibus, ... et aliis necessariis officinis erigendi ... illasque pro usu et habitatione praedictis recipiendi et perpetuo retinendi licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur, ... de praemissis expositis certam notitiam non habentes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis dictis monialibus et aliis, qui fuerint evocandi, de ipsis expositis et eorum circumstantiis universis auctoritate Nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi reppereris ita esse, in dicto monasterio abbatissalem dignitatem ac ordinem proprium et dependentiam, si qua sit huiusmodi, eadem auctoritate omnino supprimens pariter et exstinguens, eisdem Gabrieli et fra-

(1) Reg. Lat. t. 328, f. 301 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 64. Apud Eubel *Hier. cath.* II², p. 229, idem electus vocatur Petrus Gracet.

(2) Reg. Lat. t. 328, f. 280; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 65. Apud Eubel *Hier. cath.* II², p. 264, idem episcopus dicitur Ioh. Sleeter de Tremonia (Dortmund).

(3) Reg. Lat. t. 324, f. 20.

tribus, qui in loco dicti monasterii unam ac in singulis duobus aliis, quae ipsi ordini de observantia iustis titulis concessa fuerint, locis praefatis singulas alias domus huiusmodi cum ecclesiis, ... officinis praedictis erigendi ... illaque pro usu et habitatione praefatis recipiendi, ... dioecesani loci et cuiuscumque alterius licentia vel assensu super hoc minime requisitis, fel. record. Bonifatio PP. VIII *etc.* nequaquam obstantibus, auctoritate praedicta licentiam largiaris, iure tamen *etc.* Nos enim ... singulis guardianis et fratribus dicti ordinis de observantia, qui in singulis erigendis domibus praedictis ... pro tempore deguerint, ut omnibus privilegiis *etc.* Volumus autem, quod universum residuum bonorum ad dictum monasterium pertinentium, monasterio ipso ac horto et silva praedictis dumtaxat exceptis, eisdem monialibus quoad vixerint pro earum sustentatione relinquantur, eis vero cedentibus vel decedentibus praefatum residuum bonorum huiusmodi dilectis filiis priori et capitulo saecularis et collegiatae ecclesiae S. Severini dictae terrae integre cedant, et ad eos et ipsam ecclesiam ex tunc perpetuis futuris temporibus pertineant pleno iure, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Datum Florentiae, anno ... 1434, III non. novembris, ... anno IV.

135. Franciscum de Moya O. F. M. loco Iohannis de Baeza O. F. M. ad episcopatum Libarien. promoti instituit vicarium generalem domorum O. F. M. in insulis Canariis eique concedit facultates (1).

1434, novembris 10, Florentiae.

Dilecto filio Francisco de Moya, ordinis fratrum minorum professori.

Ad ea, quae catholicae fidei augmento *etc.* Nuper siquidem pro parte dilecti filii Iohannis de Baeza, eiusdem ordinis professoris, nunc vero episcopi Libarien., Nobis exposito, quod olim ipse de licentia Petri de Luna, in sua obedientia, de qua partes Hispaniae tunc erant, Benedicti XIII nuncupati, necnon quondam ordinis praedicti generalis ministri ad insulas Canariae, Rubicen. dioec., in quibus aliqui utriusque sexus a paucis temporibus citra infidelitate relicta ad fidem praedictam conversi fuerant, se transferens, ibidem verbum Dei fidelibus et nonnullis infidelibus ad eamdem fidem converti cupientibus praedicaverat, quodque idem Petrus, tunc Benedictus XIII, eidem Iohanni fundandi ... in qualibet ex quatuor de praefatis insulis unum locum dicti ordinis licentiam et facultatem concesserat, ac fel. rec. Martino papae V, praedecessori Nostro, humiliter supplicato, ut, cum ipse Iohannes opus huiusmodi continuare desideraret, ut illud eo libentius perficere valeret, quo maiore foret auctoritate munitus, licentiam et facultatem huiusmodi confirmare, necnon eumdem Iohannem in ipsis insulis vicarium generalem secundum morem dicti ordinis cum simili potestate, quam idem minister generalis habet, et prout in Corsicae et Sardiniae insulis vicarii eiusdem domus deputati habere consueverunt et habent, per quasdam suas litteras fecit, constituit et etiam deputavit eidem Iohanni et cuilibet vicario inibi pro tempore exsistenti quoscumque fratres idonèos ipsius ordinis ad easdem insulas transire et inibi moram trahere volentes recipiendi eosque ad partes christifidelium eleemosynas pro necessariis suis et aliorum fratrum in eisdem insulis pro tempore commorantium petituros destinandi praefatisque fratribus, quos ad praemissa destinaret, huiusmodi eleemosynas, cuiuscumque ordinarii ... licentia petita licet non obtenta, petendi necnon fratribus eiusdem ordinis ibidem, ut praemittitur, commorantibus, quod christifidelibus in eisdem insulis exsistentibus et in futurum ad eamdem fidem convertendis, si clerici saeculares, ad quos pertineat, non forent, ecclesiastica sacramenta ministrare valerent, licentiam et facultatem concessit, prout in eisdem litteris plenius continetur (2), eorumdemque fratrum in eisdem insulis pro tempore commorantium, ne propter haec cogerentur ad Romanam curiam veniendo personaliter laborare, volentes parcere laboribus et expensis, auctoritate apostolica per quasdam alias suas litteras statuit et etiam ordinavit, quod cedente vel decedente dicto Iohanne vel alio in eisdem insulis vicario pro tempore exsistente liceat praefatis fratribus, qui fuerint et erunt pro tempore, alium vicarium in eisdem insulis eligere, qui sic electus per dilectum filium ministrum provincialem in provincia Castellae secundum morem dicti ordinis, ad quem confirmatio electionis huiusmodi per ministrum generalem supradictum eidem provinciali ministro concessa perpetuo pertineret, confirmaretur et officium vicariatus huiusmodi valeret licite gerere et exercere in insulis memoratis: et nihilominus vicario et fratribus huiusmodi pro tempore exsistentibus in insulis

(1) Reg. Vat. t. 373, f. 121 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 66. Cf. sup. n. 129, p. 67.

(2) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1568, 1569, p. 591.

praelibatis omnibus privilegiis eidem per Apostolicam Sedem concessis gaudere et uti valerent, quibus alii fratres in aliis domibus ubicumque commorantes gaudent, ... eadem auctoritate concessit, quodque episcopi seu praelati in eisdem insulis pro tempore exsistentes nullatenus plus iurisdictionis in vicarium et fratres huiusmodi habere possint vel valeant, quam habeant alii praelati seu episcopi in aliis mundi partibus in fratres eiusdem ordinis, sive habere consueverunt. Et insuper vicario praedicto, et qui pro tempore erit, deputandi unam vel plures personam vel personas idoneam seu idoneas saecularem vel saeculares et per ipsam aut ipsas ea, quae pro tempore eidem vicario exsistenti pro tempore et dictis fratribus a christifidelibus erogabuntur et donabuntur, recipi et pro necessitatibus, utilitatibus et commodis ecclesiarum aedificandarum in eisdem insulis vicarii fratrum praedictorum distribui faciendi benigne concessit cum clausulis opportunis: ac per eumdem Iohannem Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus, cum per cessionem ipsius seu promotionem ad episcopatum praefatum praefatus in Nostra curia vacaverit vicariatus, te in praefatis insulis cum simili ac eadem plenaria potestate vicarium generalem instituere dignaremur. Nos igitur ... te in praefatis insulis omnibus et singulis vicarium generalem cum omnibus et singulis concessionibus, exemptionibus, privilegiis, gratiis et indultis per praefatum praedecessorem praedicto Iohanni de Baeza concessis tenore praesentium ex certa scientia apostolica auctoritate instituimus et institutum denuntiamus cum potestate etiam praedictae vicariae cedendi seu ei renuntiandi necnon alium sive alios ex fratribus ipsis in vicarium sive vicarios substituendi in praefatis insulis et in qualibet ipsarum cum simili potestate, quoties, sicut et quando tibi placuerit et pro pace et quiete animae tuae aliorumque fratrum in praefatis insulis pro tempore commorantium salute seu negotii expeditione videbitur expedire; addentes insuper et volentes, quod si electum huiusmodi alio canonico non obstante minister Castellae praefatus ultra decem dies, postquam sibi electio ipsa per fratres ipsos vel alios nomine ipsorum exstiterit praesentata, confirmare distulerit, auctoritate apostolica ipso facto sit confirmatus ac gaudeat et cum fratribus et locis eiusdem curae commissis gaudere valeat et possit omnibus et singulis privilegiis ... ordini, ut praemittitur, necnon fratribus et conventibus sive locis eiusdem ordinis in regnis Castellae et Legionis consistentibus per Sedem Apostolicam iam concessis et in posterum concedendis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, IV idus novembris, ... anno IV.

136. Iohannem Iohannis O. F. M. instituit episcopum Naturen. (Athyra in Thracia, titularem) (1).

1434, novembris 30, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni Iohannis, electo Naturen.

Suscepti cura regiminis *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Erasmo episcopo Naturen. regimini ecclesiae Naturen. praesidente *etc.* Postmodum vero praedicta ecclesia per obitum eiusdem episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum *etc.*, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in theologia baccalaureum et in sacerdotio constitutum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* Volumus autem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, pridie kal. decembris, ... anno IV.

137. Suspendit causas appellationum Rogeri de Betona laici et Lucae Cionis O. F. M., inquisitoris in provincia S. Antonii, donec de eodem Rogero negotium fidei ab episcopo Castellan. et dicto inquisitore sit terminatum (2).

1434, novembris 30, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Castellan.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Lucae Cionis, ordinis fratrum Minorum et in theologia professoris, petitio continebat, quod olim, postquam ipse, tunc in provinciae S. Antonii partibus haereticae pravitatis inquisitor exsistens, contra Rogerum de Betona laicum, qui tunc in eisdem partibus moram traxerat, haeresis labe et diversis aliis fidem catholicam concernentibus erroribus respersum, super praemissis ex officio ad inquisitionem descendit et deinde dictus laicus a quodam insufficienti conficto sibi ab eodem inquisitore, postquam in causa huiusmodi ad nonnullos actus inter partes ipsas processerat, ut minus veraciter praetendebat, illato gravamine ad Sedem Apostolicam appellavit et super appellatione sua huiusmodi apostolicas ad vicarium in spiritualibus generalem venerabilis fra-

(1) Reg. Lat. t. 328, f. 308; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 67.

(2) Reg. Vat. t. 373, f. 100. De Luca Cioni cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1586, p. 599; n. 1587, p. 600; n. 1734, p. 665.

tris Nostri Blasii Hierosolymitan., tunc Graden. patriarchae, in partibus illis residentem, sub certa forma litteras impetravit ac dictum inquisitorem fecit illarum praetextu coram eodem vicario ad iudicium evocari, et successive praefatus inquisitor a quodam sufficienti sibi ab eodem vicario, postquam in causa huiusmodi ad nonnullos actus inter partes ipsas processerat, illato gravamine ad sedem appellavit eamdem, et super appellatione sua huiusmodi Nostras ad te sub certa forma litteras reportavit. Interim quoque Nos causam appellationis laici huiusmodi dilecto filio magistro Petro Martini de Caveis rubris, capellano Nostro et auditori causarum palatii apostolici, audiendam commisimus et fine debito terminandam, qui in ea ad nonnullos actus inter partes ipsas dicitur processisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, occasione litis coram auditore pendente huiusmodi negotii fidei discussio differatur et ex ulteriori dilatione huiusmodi gravia possent scandala et pericula suboriri, pro parte dicti inquisitoris Nobis fuit humiliter supplicatum, ut iniuriarum suspendere necnon fidem contingentem causas huiusmodi tibi, frater episcope, una cum dicto inquisitore audiendam remittere et alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, status causarum huiusmodi pro sufficienter habentes expressis illasque ad Nos praesentium serie advocantes, iniuriarum, donec et quousque quaestio fidei terminata fuerit, penitus suspendimus ac in ea interim procedi districtius inhibemus, necnon fidei causas huiusmodi tibi praesentium serie remittimus, fraternitati tuae per apostolica scripta mandantes, quatenus vocatis dicto Rogero necnon aliis, qui fuerint evocandi, causam fidei huiusmodi unacum dicto inquisitore in statum debitum resumas, in illa tu, frater episcope, et dictus inquisitor ulterius procedatis ac ea summarie, simpliciter et de plano ... audiatis necnon fine debito decidatis, facientes, quod decreveritis, ... firmiter observari. Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, pridie kal. decembris, ... anno IV.

138. Abbati monasterii S. Crucis de Monçon, Palentin. dioec., mandat, ut dispenset cum Therasia de Fermosa, moniali monasterii S. Clarae, Palentin. dioec., O. S. Cl., defectum natalium patiente, ut quaecumque beneficia per moniales dicti ordinis gubernari consueta recipere necnon ad abbatissalem dignitatem eiusdem ordinis assumi valeat (1).

1434, decembris 4, Florentiae.

Solet Apostolicae Sedis exuberans *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, pridie nonas decembris, ... anno IV.

139. Committit reformationem monasterii B. Mariae de Monticellis aliorumque monasteriorum O. S. Cl. in civitate et dioecesi Florentin. (2).

1434, decembris 5, Florentiae.

Dilectis filiis Bartholomaeo, magistro hospitalis de Altopassu, et Lucae ordinis Minorum, magistro in sacra pagina ac ministro conventus Florentin. eiusdem ordinis.

Desiderantes statum ecclesiarum et monasteriorum *etc.* Sane nuper ad notitiam Nostram pervenit, quod S. Mariae de Monticellis, ordinis S. Clarae, Florentin. dioec., praecipue, necnon omnia alia et singula monasteria monialium eiusdem ordinis, tam civitatis, in qua ad praesens cum Nostra curia residemus, quam etiam dioec. Florentin. praefatae, satis evidenter in spiritualibus et temporalibus multipliciter detrimenta sustineant et tam in capitibus quam etiam in membris reformationibus et correctionibus non modicis indigeant, adeo quod de ipsorum ad meliorem statum reductione et ad observantiam regularem spes aliqua minime exsistat, nisi super his per Apostolicae Sedis providentiam S. Mariae et aliis monasteriis praefatis salubriter provideatur. Nos igitur, prout ex pastoralis officii debito Nobis incumbit, super his providere volentes, discretioni vestrae, de qua in his et aliis praefatis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos omnes, aut duo ex vobis, ad S. Mariae et omnia alia et singula monasteria praefata personaliter accedentes et prae oculis Deum solum habentes, illa omnia et singula tam in capitibus quam in membris hac vice visitetis. Et nihilominus vobis ea, quae in S. Mariae ac aliis omnibus et singulis monasteriis reformationis seu correctionis ministerio noveritis indigere, super quo vestram conscientiam oneramus, tam in capitibus quam in membris eadem auctoritate reformandi, corrigendi, puniendi, incarcerandi, privandi et aliam seu alias abbatissam seu abbatissas loco sic privatae seu privatarum in S. Mariae et aliis monasteriis praefatis instituendi aut illi vel illis, si magis visum fuerit, coadiutricem seu coadiutrices dandi et in ceteris tam ad clausuram quam alias regularis observantiae partes pertinentibus providendi, disponendi et ordinandi

(1) Reg. Lat. t. 334, f. 235 v.

(2) Reg. Vat. t. 373, f. 102 v. Cf. sup. n. 98, p. 53.

tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, nonis decembris, ... anno IV.

140. Cassat suppressionem ordinis Humiliatorum in monasterio S. Christophori, Venetiis, Castellan. dioec., et translationem ad ordinem fratrum Minorum de observ. illudque fratribus Humiliatis restituit (1).

1434, decembris 11, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta *etc.* Sane dudum pro parte dilectorum filiorum universorum confratrum fraternitatis scholae mercatorum S. Christophori, loci de Venetiis, Castellan. dioec., Nobis exposito, quod monasterium sancti et loci praedictorum B. Mariae « dell' Orto » nuncupatum, ordinis Humiliatorum, cuius ecclesiam ipsi fratres suis sumptibus aedificari fecerant, ex incuria et negligentia ac malo regimine illorum, qui ipsi monasterio praefuerant pro tempore, non modica in spiritualibus et temporalibus detrimenta sustineret, ac divinus cultus in eo negligeretur, quodque generalis ipsius ordinis inter alias personas minime idoneas et utiles, quas eidem monasterio hactenus praefecisset, tunc quemdam Iacobellum, pluribus vitiis et criminibus diffamatum, illi praefecerat, ex quibus plura erant ibidem scandala et damna monasterio subsecuta, ac pro parte ipsorum fratrum Nobis humiliter supplicato, ut ad removendum scandala huiusmodi ac pro divini cultus augmento fratribus ipsis ad alia loca translatis et ipso ordine suppresso, alium ordinem in dicto monasterio surrogare et alias personas introducere mandaremus. Nos, de praemissis certam notitiam non habentes, venerabili fratri Nostro episcopo Castellanen. per Nostras litteras dedimus in mandatis, quatenus habita ab eo super praemissis informatione diligenti, si reperiret praemissa veritate fulciri, praefatum ordinem in ipso monasterio supprimeret et exstingueret ac ipsius fratres ad alia loca certo modo transferret ac alium in ipso monasterio ordinem, de quo sibi videretur, institueret et illius personis regendum et gubernandum applicaret et appropriaret. Qui quidem episcopus ad earumdem litterarum exsecutionem procedens ac diligenti super his, ut asserit, inquisitione praehabita, tandem ordinem ipsum in praefato monasterio, quantum in eo erat, suppressit et exstinxit ac ut fratres ipsius ad alia loca se transferrent, mandavit ac ordinem fratrum Minorum de observantia instituit in eodem fratresque dicti ordinis ibidem deputavit ac ipsis tenendum, regendum et gubernandum concessit ac alia instituit et ordinavit, prout in Nostris et ipsius episcopi desuper confectis litteris, quarum tenorem habemus praesentibus pro sufficienter expressis, plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Francisci Foscarii, ducis Venetiarum, petitio continebat, in dicto loco Venetiarum sint alia monasteria praefati ordinis de observantia, et si suppressio, translatio, institutio, deputatio et concessio huiusmodi effectum sortiretur, plura et gravia scandala verisimiliter provenire possent et hoc etiam in magnum dedecus ipsius ordinis Humiliatorum cedat et per aliam viam speretur, quod ipsum monasterium poterit auctore Domino reformari, cum generale capitulum dicti ordinis de proximo instare noscatur, pro parte ipsius ducis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... suppressionem ... revocamus ... ac ipsum monasterium eiusque fratres in pristinum et illum statum reponimus, in quo erant ante litteras Nostras praefatas, volentes nihilominus et etiam statuentes, quod monasterium et fratres praedicti regimini et gubernationi et administrationi dilecti filii nostri Antonii, tit. S. Marcelli presbyteri cardinalis, quoad praefatum capitulum celebretur, subiecti exsistant ac per ipsum regantur ac gubernentur, ac inibi praepositus et alii fratres per ipsum cardinalem interim instituatur et destituatur, ac alias ipsum monasterium gubernetur, ... constitutionibus *etc.* non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, III idus decembris, ... anno IV.

141. Concedit fratribus confraternitatis S. Nicolai in domo O. F. M. Barchinonen. institutae facultatem recipiendi personas utriusque sexus in confratres usque ad numerum 30 quolibet anno (1).

1434, decembris 15, Florentiae.

Dilectis filiis confratribus confratriae fraternitatis S. Nicolai nuncupatae Barchinonen.

Gregi dominico licet immeriti *etc.* Sane cum, sicut pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, vos, quorum confratria in domo Barchinonen. ordinis fratrum Minorum laudabiliter instituta exsistit, certis diebus dominicis et festivis in ecclesia dictae domus insimul convenientes missas et alia divina officia ad omnipotentis Dei et totius coelestis curiae laudem

(1) Reg. Lat. t. 325, f. 78 v.

(1) Reg. Lat. t. 325, f. 91 v.

magna cum devotione celebrari necnon alias plurima erga infirmos et pauperes ceterasque calamitosas personas recreationis et charitatis auxilia aliaque diversa pietatis opera sollerti quidem studio faciatis, quae si huiusmodi confratria forte deficeret, consequenter cessarent opera supradicta. Nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, ut devotio et opera huiusmodi ferventius augeantur et vigeant, quod usque ad triginta utriusque sexus personas ad hoc voluntarias anno quolibet ad huiusmodi confratriam recipere et admittere ipsasque illi ac vestro consortio et numero aggregare, ita etiam quod receptae personae huiusmodi omnibus et singulis indulgentiis ac gratiis spiritualibus vobis et dictae confratriae pro tempore ab Apostolica Sede concessis gaudeant et utantur, libere et licite valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, XVIII kal. ianuarii, ... anno IV.

142. Magistro Nicolao Conilli, archidiacono ecclesiae Valentin., notario apostolico, mandat, ut Agnetem Constantz, monialem monasterii S. Clarae Valentin., O. S. Cl., quae extra monasterium in saeculo evagaverat et a ministro provinciae Aragoniae O. F. M. in monasterio S. Iuliani extra muros Valentin. O. S. Aug. in emendam posita erat, absolvat a censuris et poenis eique concedat licentiam in praedicto monasterio S. Iuliani et ordine S. Augustini remanendi (1).

1434, decembris 18, Florentiae.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, XV kal. ianuarii, ... anno IV.

143. Mandat, ut male ablata incerta et relicta ad pias causas etc. in regnis Castellae et Aragoniae convertantur in emptionem alicuius navigii pro missione in insulis Canariis (2).

1434, decembris 28, Florentiae.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis ac eorum officialibus in Aragoniae et Castellae regnis consistentibus ac dilectis filiis abbati monasterii de Populeto ac priori de Conis, Terraconen. et Hispalen. dioecesium.

Piis et honestis supplicum votis *etc.* Sane pro parte venerabilis fratris Nostri Fernandi, episcopi Rubicen., Nobis nuper exhibita petitio continebat quod olim, cum fama publica laboraret quosdam incolas insularum Canariae, quorum antea nullus Deum agnoverat, ad fidem catholicam Deo inspirante et christifidelium episcoporum, eremitarum, nobilium et laicorum ac quorumdam religiosorum ordinis fratrum Minorum industria et diligentia procurante, fuisse conversos, ob eam causam ac praefatorum praedicationes et instructiones evangelicas, piis huiusmodi fidelium subsidiis adiutas, plures alii ex ipsis incolis ad eamdem fidem favente divina gratia similiter sunt conversi, quodque episcopus, eremitae et nobiles ac religiosi praedicti ipsius zelo fidei magis atque magis accensi, ut reliqui ex incolis praefatis in viae veritatis ignorantia et caecitate restantes ad fidem ipsam cooperante Domino similiter convertantur, solertia indefessa etiam personarum suarum periculis non parcendo laborare proponunt ac huiusmodi propositum et desiderium ipsorum propitiante Domino et mediantibus similibus subsidiis sperant feliciter adimplere, dummodo pro marino de Castellae et Aragoniae, in quibus, utpote ceteris christianis regnis dictis insulis propinquioribus, huiusmodi subsidia commodius habere sperant, ad illas indeque de singulis ad singulas earumdem, ad invicem satis remotarum, transitu, quoties et quando expedierit, aliquod ad haec sufficiens navigium cum nautis et rebus ad illius directionem, regimen, gubernationem et conservationem opportunum promptum et paratum habeatur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ad habendum huiusmodi navigium cum nautis et rebus praedictis celeriter, prout tanti boni necessitas exigit, ampla et velox dictorum fidelium requiratur impensa, circa quam eis nullae suppetunt facultates, pro parte dicti episcopi fuit Nobis humiliter supplicatum, ut pro eodem navigio habendo, dirigendo, regendo, gubernando et conservando, ut praefertur, summam duorum millium florenorum auri de camera de et super legatis et relictis ad pias incertas causas et male ablatis incertis ac usuris restituendis in Castellae et Aragoniae regnis praedictis, per exsecutores testamentorum seu ultimarum voluntatum defunctorum aut illos, ad quos legatorum et relictorum distributio seu male ablatorum et usurarum restitutio huiusmodi pertinet, exsolvendam, concedere et assignare ... dignaremur. Nos igitur ... discretioni vestrae ... committimus ac districte in virtute s. obedientiae praecipimus et mandamus, quatenus vos... in Aragoniae et Castellae regum, charissimorum in Christo filiorum Nostro-

(1) Reg. Lat. t. 328, f. 149.

(2) Reg. Vat. t. 367, f. 46 v., inclusa in alia d. Florentiae 1435, id ian. an. 5: *Ad ea libenter attendimus.* Hac bulla modus procurandi dictam summam pecuniariam aliqualiter mutatur. De insulis Canariis cf. supra, n. 135, p. 69.

rum, ditioni subiectis civitatibus et dioecesibus citra mare consistentibus de et super legatis et relictis ad pias incertas causas seu de male ablatis incertis et usuris restituendis huiusmodi summam duorum millium florenorum huiusmodi, videlicet ex ea in qualibet civitatum et dioecesium tantum, quantum iuxta illius qualitates et facultates exigentiam pro celeriori, velut necessitas tam laudabilis negotii postulat, dictae summae levatione et collectione ad opus ipsius navigii in usum et utilitatem dumtaxat conversionis dictorum infidelium habendi, regendi et dirigendi auctoritate Nostra, ** (1) postquam pro parte dicti episcopi Rubicen. vel ipsius procuratoris ad hoc specialiter constituti seu dilectorum filiorum vicarii fratrum ordinis Minorum ac Iohannis Gundisalvi, clerici Bracharen. dioec., fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, de consensu et voluntate dicti episcopi vel eius procuratoris infra quinque dies immediate sequentes post requisitionem huiusmodi nominetis, eligatis et ordinetis unum vel duos dictarum pecuniarum receptores, collectores et levatores probos et fideles, prout necessarium fuerit et videbitur expedire. Alioquin lapsis dictis 5 diebus volumus et mandamus, quatenus vos filii abbas in regno Aragoniae et prior in regno Castellae et quilibet vestrum in solidum auctoritate Nostra simili modo facere, eligere, nominare et ordinare dictos collectores seu receptores de consensu et voluntate dicti Rubicen. episcopi vel ipsius procuratoris seu vicarii et Iohannis praedictorum tencamini, facientes eadem auctoritate ... per vos vel alium seu alios summam praedictam ab exsecutoribus testamentorum seu ultimarum voluntatum praedictorum aut ab illis, ad quos legatorum et relictorum distributio seu male ablatorum et usurarum earumdem restitutio huiusmodi et alia ad rei exsecutionem necessaria pertineant, ut praefertur, seu quibusvis aliis, penes quos legata et relicta vel male ablata et usurae ipsae consistant, vos videlicet archiepiscopi, episcopi, officiales, abbas et prior praefati, ** in qua facilius, commodius et celerius venale navigium huiusmodi inveniri et haberi posse dicitur, ad hoc fide dignis deputandis personis integraliter et cum effectu persolvi ac notarios et tabelliones publicos, apud quos testamenta horum fore dicatur, ad illa in publicum exhibenda compelli, ita quod tota summa Castellae priori et tota summa Aragoniae regnorum praedictorum abbati, vobis dilectis filiis, tradatur per receptores et levatores praedictarum pecuniarum, et illas conserves et custodias (!) dictaeque pecuniae levatae et receptae venerabilibus fratribus Iohanni Gadicen. et praefato Rubicen. episcopis simul vel eorum procuratoribus ad hoc specialiter constitutis, ** quam ipsum episcopum Rubicen. ad ipsius navigii directionem, regimen, gubernationem et conservationem huiusmodi necessarias convertendas deputavimus, ne persecutio tanti boni propterea impediri quomodolibet vel differri valeat, libere et realiter tradantur et etiam assignentur, tu vero fili prior de Conis summam mille ducatorum Castellae ad manus tuas recipias et eam episcopis praedictis realiter tradas, ita tamen quod huiusmodi navigium, postquam emptum fuerit, ut praefertur, a quoquam vendi seu alienari aut distrahi, sive ipsum navigium ac residuum summae huiusmodi, si quod ipso navigio et eius opportunis et necessariis munitionibus persolutis superesse contigerit, ad alios, quam praefatos usus, videlicet gubernationis, sustentationis, reparationis navigii et munitionum suarum et utilitatem converti vel applicari aut deputari non possit nec debeat quoquomodo, sed per episcopum gubernatorem navigii antedictum, si ei videbitur, apud aliquam tutam et fidelem personam deponatur in praemissis exponendum temporibus opportunis. Si quis autem huiusmodi residuum summae aut partem ipsius aliquam sibi appropriare aut in alios usus convertere seu aliis rebus vel usibus applicare praesumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, a qua praeterquam in mortis articulo constitutus, nisi prius et ante omnia tantumdem ad praemissa realiter et cum effectu reddiderit, absolutionis beneficium nequeat obtinere, sed ipsum navigium ac residuum summae florenorum huiusmodi, si quid superesse contigerit, ad alios quam praefatos usus et utilitatem deputari vel applicari non possit et debeat quoquomodo. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Nos quascumque alias litteras apostolicas super hoc hactenus emanatas tenore praesentium revocamus ac volumus, quod post annum a tempore, quo ipsum navigium ad insulas praedictas declinaverit, aliquis ex Canariis ad fidem conversis ad hoc idoneus ad regendum ipsum navigium per ipsum episcopum Rubicen. eligatur et etiam deputetur, quodque transsumpto praesentium litterarum Nostrarum manu publica notarii signato sive sigillo alicuius ordinarii roborato sicuti originalibus litteris plenaria fides adhibeatur. Et insuper ex nunc irritum decernimus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, V kal. ianuarii, ... anno IV.

(1) Hoc loco quaedam intercidisse videntur. Ea etiam, quae sequuntur, tam mendose scripta sunt, ut genuina forma textus vix restitui possit.

144. Concedit remissionem plenariam pro fratribus hospitalis III O. S. Franc. de Cerezal, Astoricen. dioec. (1).

1435, ianuarii 5, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Magnae devotionis affectus, quem dilectus filius Iohannes de Oviedo, laicus Oveten. ad Nos *etc.* Sane pro parte dicti Iohannis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipse ... pie considerans, quod propter asperitatem loci de Cerezal, Astoricen. dioec., qui plurimum solitarius et ... remotus exsistit, peregrini, ad S. Iacobum de Compostella accedere volentes, in eorum per ipsum locum transitu et reditu plurima suscipiebant incommoda, de bonis sibi a Deo collatis quamdam inibi domum pro usu et habitatione nonnullorum fratrum de tertia regula S. Francisci de poenitentia nuncupatorum cum ecclesia, campana, ... necessariis officinis, necnon prope illam unum hospitale ad subventionem et refocillationem pauperum et infirmorum inde transeuntium erexit ... necnon Domino concedente de aliis suis bonis et quorumdam fidelium mediante suffragio ipsum hospitale sufficientibus redditibus dotare atque in dicta domo sub religionis habitu perpetuo manere et Altissimo deservire proponit et intendit. Nos igitur, huiusmodi Iohannis propositum condignis in Domino laudibus commendantes, et ut eo libentius erga dictam domum se devotiores exhibeant, quo ex hoc ibidem animarum commodum se speraverint adipisci; charissimi quoque in Christo filii Nostri Iohannis regis ac charissimae in Christo filiae Nostrae Blanchae reginae Navarrae illustrium necnon ipsius Iohannis de Oviedo in hac parte supplicationibus inclinati, fratribus in dicta domo pro tempore degentibus, ut sacerdos idoneus, quem, postquam hospitale praedictum dotatum fuerit, ... ad hoc duxerint eligendum, christifidelibus, quos dumtaxat tam in domo, quam in hospitali praedictis pro tempore degere contigerit, ac fratrum domus et hospitalis huiusmodi servientibus, si tunc servitiis huiusmodi institerint, necnon donatis etiam extra domum et hospitale praedicta decedentibus ipsisque fratribus omnibus et singulis peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem ... concedere valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, nonis ianuarii, ... anno IV.

145. Confirmat locationem possessionis Poderectum nuncupatae in parochia S. Marci in loco dicto *La turricella,* ad monasterium B. Mariae de Monte Domini prope Florentiam O. S. Cl. pertinentis, a conventu dicti monasterii factam Meo Antonii Bambagarii, civi Florentin., et Magdalenae eius uxori ad tempus vitae (2).

1435, ianuarii 7, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Mariae Florentin.

Sincerae devotionis affectus, quem dilectus filius Meus Antonii Bambagarius, civis Florentin., ad Nos et Romanam gerit ecclesiam *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dicti Mei petitio continebat, quod, cum olim dilectae in Christo filiae Simona abbatissa et conventus monialium monasterii B. Mariae de Montedomini, prope et extra muros Florentin., ordinis S. Clarae, essent pluribus debitis pecuniariis et aliis oneribus praegravatae, ad quae solvenda et satisfacienda non habentes pecunias vel res alias mobiles, ad quas possent habere recursum, ac earum et dicti monasterii indemnitatibus et instantibus periculis obviare cupientes, ad sonum campanae loco et more solitis conventualiter congregatae, tractatibus ac matura deliberatione et consiliis praeviis quamdam possessionem Poderectum nuncupatum, ad dictum monasterium legitime pertinentem, in parochia sive populo S. Marci loco dicto « La turricella », prope et extra muros praedictos consistentem, cum domo pro domino et laboratione ac terris laboraturis, vineis et canneto omnibusque aliis suis iuribus, iurisdictionibus et pertinentiis universis eidem Meo pro se ac suo et dilectae in Christo filiae Magdalenae, uxoris suae, nominibus, per eos, quoad viverent vel alter eorum superviveret, et eorum altero decedente per superviventem ex eis toto tempore vitae suae dumtaxat et non aliter aut ultra vel alio modo tenendam, gubernandam, possidendam et usufruendam, pro pretio et nomine pretii totius in totum septuaginta florenorum ad rationem quatuor librarum monetae in civitate Florentin. currentis eisdem abbatissae et monialibus per ipsum Meum nominibus quibus supra integraliter pro toto tempore supradicto persolutis ac certis aliis pactis, promissionibus et obligationibus hinc inde intervenientibus dederunt, locaverunt et affictarunt sive affictus nomine concesserunt, prout apparere dicitur publico instrumento. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Meus pro eo, quod ad praemissa licentia vel consensus

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 50: « e l. 2 de div. form. a. IV f. 112 ». De hospitali de Cerezal cf. sup. n. 89 p. 50.

(2) Reg. Lat. t. 325, f. 172 v. De monasterio Montis-Domini cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1307, p. 470; n. 1337, p. 483.

dilecti filii generalis sive provincialis ministri ordinis fratrum Minorum, cui monasterium praedictum subesse dignoscitur, non intercesserit, et ex certis aliis causis dubitet locationem et concessionem huiusmodi et inde secuta viribus non subsistere, seque et dictam eius uxorem super dicta possessione et eius occasione procedente tempore posse molestari, pro parte ipsius Mei Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, locationem et concessionem huiusmodi ac omnia et singula in dicto instrumento contenta habentes praesentibus pro expressis, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si vocatis abbatissa et conventu praedictis et aliis, qui fuerint evocandi, per diligentem informationem per te super hoc auctoritate Nostra habendam praedicta inveneris fore vera, super quo tuam conscientiam oneramus, locationem et concessionem huiusmodi ac omnia in dicto instrumento contenta, omissione licentiae seu consensus huiusmodi ac constitutionibus ... nequaquam obstantibus, eadem auctoritate Nostra approbes et confirmes. Volumus autem, quod dicta possessio post ipsorum Mei et Magdalenae obitum ad dictum monasterium absque difficultate et contradictione aliqua ipso facto libere revertatur et ad illud spectare omnimode dignoscatur.

Datum Florentiae, anno ... 1434, VII idus ianuarii, ... anno IV.

146. Nobili mulieri Gevenerae (?) de Polenta, consorti Ostasii de Polenta, vicarii in civitate Ravennaten. pro pontifice et Romana ecclesia in temporalibus generalis, concedit facultatem ingrediendi quaecumque tam inclusarum quam non inclusarum monialium O. S. Cl. seu sororum sub cura fratrum Minorum viventium monasteria, domos sive loca in civitate Ravennaten. vel eius dioecesi aut in Romandiolae partibus consistentia cum duabus honestis matronis sex vicibus in anno (1).

1435, ianuarii 8, Florentiae.

Magnae devotionis affectus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, VI idus ianuarii, ... anno IV.

147. Tidemannum Nicolai O. F. M. instituit episcopum Tranquillien. (2).

1435, ianuarii 17, Florentiae.

Dilecto filio Tidemanno Nicolai electo Tranquillien.

Romani Pontificis *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Martinus papa V, praedecessor Noster, provisiones *etc.* Postmodum vero ecclesia Tranquillien. ex eo vacante, quod idem praedecessor venerabilem fratrem nostrum Severinum, Faren. tunc Tranquillien. episcopum, ... ad ecclesiam Faren. tunc vacantem auctoritate apostolica duxit transferendum, praeficiendo eum illi in episcopum et pastorem, et deinde praefato praedecessore, per eum de dicta Tranquillien. ecclesia aliter non disposito, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto, Nos *etc.* Cum itaque secundum praemissa dicta Tranquillien. ecclesia adhuc ... vacare noscatur, ... Nos ad provisionem ipsius Tranquillien. ecclesiae *etc.* demum ad te ordinis fratrum Minorum et in theologia professorem *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* Volumus autem quod *etc.* Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, XVI kal. februarii, ... anno IV.

148. Iohannem Scheffchin O. F. M. instituit episcopum Pharen. (al. Fareyen., i. e. insulae Faröer) (3).

1435, ianuarii 31, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni Scheffchin electo Pharen.

Attentae considerationis intuitum *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Iohanne episcopo Pharen. regimini Pharen. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius Iohannis episcopi, qui extra Romanam curiam *etc.*, Nos vacatione *etc.* demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, minorem poenitentiarium Nostrum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, pridie kal. februarii, ... anno IV.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Pharen.; Clero civitatis et dioecesis Pharen.; Populo civitatis et dioecesis Pharen.; Universis vasallis ecclesiae Pharen.;* praeterea *Archiepiscopo Nidrosien.* (Ad cumulum); et *Erico Daciae regi* (Gratiae divinae).

149. Mandat ut Iacobo de Bononia O. F. M. concedat licentiam recipiendi a Delphino, episcopo Parmen., monasterium monialium « La vecchia Religione » nuncupatum extra muros Parmen., ad mensam episco-

(1) Reg. Lat. t. 327, f. 103.

(2) Reg. Lat. t. 324, f. 283; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 51. Exstat in Suecia locus Trankil, ubi tamen numquam sedes episcopi fuisse videtur; probabilius agitur de Dannepilt (Pilten) in Curlandia, ubi fuit aliquamdiu episcopatus suffraganeus archiepiscopi Lunden.

(3) Reg. Lat. t. 324, f. 298 v.; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 52. De Iohanne Scheffchin cf. sup. n. 114.

palem Parmen. pertinens et monialibus destitutum, pro usu et habitatione fratrum O. F. M. de observantia (1).

1435, februarii 9, Florentiae.

Dilecto filio Hermanno Lusco canonico Parmen.

Piis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Iacobi de Bononia, ordinis fratrum Minorum professoris, petitio continebat, quod venerabilis frater Noster Delphinus episcopus Parmen. ob singularem, quam ad ordinem fratrum Minorum gerit devotionem, quoddam monasterium monialium, « la vecchia Religione » nuncupatum, extra muros Parmen., mensae episcopali Parmen. canonice unitum, in quo a quadraginta annis citra nulla monialis resedit, pro usu et habitatione nonnullorum dicti ordinis fratrum, qui inibi sub regulari observantia ac vitae castimonia Altissimo famulentur, dare et concedere, et ipse Iacobus inibi cum nonnullis dicti ordinis fratribus in huiusmodi observantia vivere proponunt pariter *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, abbatiali praedicti monasterii dignitate necnon ordine quocumque inibi hactenus instituto per te auctoritate Nostra prius suppressis penitus et exstinctis, episcopo dandi et concedendi pro usu et habitatione huiusmodi, necnon Iacobo praedictis recipiendi dictum monasterium cum eius ecclesia ac structuris, hortis et aedificiis dumtaxat, ita quod ex tunc domus B. Mariae nuncupetur, quodque ipse Iacobus et qui pro tempore inibi residebunt praedicti ordinis fratrum Minorum religiosi, inibi claustra, refectoria et alias necessarias officinas construere ... licite possint, iure tamen parochialis *etc.* salvo, auctoritate praedicta licentiam largiaris: fel. rec. Bonifacii papae VIII *etc.* non obstantibus quibuscumque. Nos enim ... guardiano et fratribus, qui in huiusmodi domo pro tempore morabuntur, ut ipsi omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Florentiae (2), anno ... 1434, V idus februarii, ... anno IV.

150. Prohibet ingressum fratrum Minorum in clausuram monasteriorum O. S. Cl. in civitate et dioecesi Florentin. (3).

1435, februarii 17, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Ut inter aeternae beatitudinis amatrices *etc.* Nuper siquidem veridica Nobis informatione relato, quod nonnulli fratres ordinis B. Francisci loca monialium S. Clarae de Florentia et illius dioecesis ac eorum septa sive clausuras temeritate propria intrare et scandala inhonestatesque committere non formidarunt hactenus nec formidant, Nos, attendentes, quod mulierum sexus fragilis, lubrica pudicitia et tenera fama est, et huiusmodi erroribus ac periculis de salubri remedio subvenire cupientes, auctoritate apostolica praesenti perpetua et irrefragabili constitutione statuimus et etiam ordinamus, quod de cetero nullus frater ordinis Minorum cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis exsistat, septa et clausuras dictorum locorum S. Clarae de Florentia et illius dioecesis sub excommunicationis poena, quam secus agens incurrat ipso facto, et a qua, nisi per Sedem Apostolicam praeterquam in mortis articulo non possit absolvi, quovis quaesito colore vel causa, exercitio vel officio aut commissione alicuius Sede Apostolica inferioris quoquo modo ingredi aut illis appropinquare praesumat, propterea venerabili fratri Nostro Iordano, episcopo Sabinen., ordinis praedicti Minorum protectori, et ipsius in eo protectionis officio successoribus stricte inhibentes, ne praedictis fratribus aut alicui ipsorum licentiam, mandatum aut commissionem praedicta loca, clausuras et septa quavis ratione, colore et causa aliqualiter ingrediendi dent, faciant vel concedant, quin potius diligenter caveant, ne fratres praedicti, aut eorum aliquis in dictorum locorum gubernatione ullum habeant aut exerceant tam in temporalibus quam spiritualibus officium sive administrationem. Alioquin tam proprio ausu quam superiorum negligentia contra facientes praeter excommunicationis poenam, quam, ut supra diximus, ipso facto incurrant, ab officio, gradu et dignitate, si quam obtinent, suspendantur et nihilominus capi, spoliari et ligati usque ad carceres Nostros etiam a saecularibus sine alicuius ecclesiasticae censurae periculo duci possint. Ne autem moniales praedictae aut earum loca in spiritualibus et temporalibus detrimentum aliquod patiantur, committimus et mandamus visitatoribus per Nos deputandis hac vice dumtaxat, ut supradictis in suo robore manentibus opportune provideant. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, XIII kal. martii, ... anno IV.

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 53: « e l. 1 de regular. a. IV f. 304 ». De Iacobo de Bononia cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1720, p. 657.

(2) Wadd. erronee *Romae ap. S. Petrum.*

(3) Reg. Vat. t. 366, f. 44.

151. Laurentium de Neapoli O. F. M. instituit episcopum Puteolan. (1)

1435, februarii 18, Florentiae.

Dilecto filio Laurentio de Neapoli electo Puteolan.

Recte siquidem ecclesiarum utilitati *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Dominico episcopo Puteolan. regimini Puteolan. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius Dominici, qui extra Roman. curiam *etc.* demum ad te ordinis fratrum Minorum et in theologia professorem ac in sacerdotio constitutum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, XII kal. martii, ... anno IV.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Puteolan.; Clero civitatis et dioecesis Puteolan.; Populo civitatis et dioecesis Puteolan.;* praeterea *Archiepiscopo Neapolitan.* (Ad cumulum).

152. Cassat mandatum reformandi monasterium B. Mariae de Monticellis, O. S. Cl., Florentin. dioec., Lucae ministro conventus Florentin. O. F. M. datum illudque committit episcopo Fesulano (2).

1435, februarii 18, Florentiae

Venerabili fratri episcopo Fesulano et dilecto filio Bartholomaeo, magistro hospitalis de Altopassu.

Romani pontificis providentia circumspecta *etc.* Sane nuper magistro hospitalis de Altopassu et ministro conventus Florentin. ordinis Minorum eorum propriis expressis nominibus B. Mariae de Monticellis Florentin. dioec. ac omnia alia monasteria monialium ordinis S. Clarae tam civitatis, in qua ad praesens cum Nostra curia residemus, quam dioecesi Florentin. accedendi illaque singula tam in capitibus quam in membris ea vice visitandi et quae reformationis seu correctionis ministerio noscerent indigere, reformandi, puniendi ac corrigendi, incarcerandi, privandi et aliam sive alias abbatissam seu abbatissas in loco sic privatae vel privatarum in praefatis monasteriis instituendi et ordinandi aut illi vel illis coadiutricem seu coadiutrices dandi et deputandi ceterisque tam ad clausuram quam ad regularem observantiam spectantibus auctoritate apostolica providendi per alias Nostras litteras concessimus facultatem, prout in ipsis seriosius continetur. Nos igitur, prout ex pastoralis officii debito Nobis incumbit, huiusmodi monasteriorum et praesertim in iisdem degentium personarum dispendiis et ipsarum conservandis pudicitiis providere cupientes, ex certis et rationabilibus causis animum Nostrum moventibus concessam facultatem huiusmodi ex certa Nostra scientia cassantes, revocantes et annullantes, discretioni vestrae, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos aut unus vestrum B. Mariae et alia monasteria praedicta personaliter accedatis, huiusmodi facultatis iugum et visitationis exercitium in omnibus et per omnia iuxta ipsarum aliarum litterarum continentiam atque formam assumentes necnon ea, quae in dictis monasteriis vel eorum aliquo tam in capitibus quam in membris difformia reppereritis, reformantes, corrigentes et punientes ac de uno monasterio ad aliud eiusdem ordinis monasterium, si videbitur, tam moniales, quam abbatissas tranferendi, et per te, frater episcope, abbatissas institutas benedicendi alia quoque circa praemissa quaelibet necessaria et opportuna faciendi, prout vobis visum fuerit expedire, super quibus omnibus vestras conscientias oneramus ipsasque moniales simpliciter vel ad cautelam, si opus fuerit, eadem auctoritate absolvendi ac contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione remota coercendi plenam et liberam earumdem tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus *etc.* Seu si *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, XII kal. martii, ... anno IV.

153. Concedit facultatem secum habendi unum fratrem O. F. M. (3).

1435, februarii 22, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Libarien.

Probata devotionis sinceritas *etc.* Tuis itaque supplicationibus inclinati, tibi, qui ordinis fra-

(1) Reg. Lat. t. 324, f. 264; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 54. Apud Eubel, *Hier. cath.* II², p. 219, praedecessor nominatur Matthaeus. Praeterea haec bulla nullam facit mentionem translationis. Sed in litteris *Romani pontificis* eadem die 18 febr. 1435 datis Laurentio episcopo Ravellen., antea episcopo Insulano, ecclesia Ravellen. dicitur vacare, ex eo, quod Laurentius Puteolan., tunc Ravellen. episcopus ad ecclesiam Puteolan. sit translatus (Reg. Lat. t. 324, f. 293).

(2) Reg. Vat. t. 366, f. 43 v., t. 373, f. 126 v. Cf. supra, n. 139, p. 71.

(3) Reg. Vat. t. 367, f. 9. Agitur de Iohanne de Baeza, die 1 octobris 1434 instituto episcopo tit. Libarien., de quo cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1144, 1145, p. 395 s.; n. 1568, 1569, p. 591; n. 1572, p. 592 et in hoc tomo n. 129, p. 67.

trum Minorum professor exsistis et ad insulas Canariae pro illorum habitatorum animabus Deo lucrifaciendis de mandato Nostro proficisci intendis, apostolica auctoritate concedimus, ut ex nunc unum dicti ordinis fratrem professum, quoad vixeris, ubicumque resideas, in tua societate habere possis superioris ipsius licentia minime requisita, ita quod illum, si incorrigibilis fiat, ad dicti ordinis superiores corrigendum remittere valeas. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, VIII kal. martii, ... anno IV.

154. Eidem concedit facultatem possidendi crucem auream cum particula S. Crucis et paramentum sacerdotale (1).

1435, februarii 22, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Libarien.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Hinc est, quod Nos ... tibi, qui ordinis fratrum Minorum professor exsistis et quem ad insulas Canariae pro illarum habitatorum animabus Deo lucrifaciendis destinare intendimus, ut quamdam crucem auream parvam cum particula, ut creditur, de ligno vivificae crucis ac sacerdotale paramentum pro celebrandis missis tibi a fidelibus gratiose concessa, quoad vixeris, possidere ac de illis in vita tua vel in morte monasteriis seu domibus praedicti ordinis dictarum insularum disponere valeas auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus, quod praedicti ordinis, ut praefertur, professor exsistis *etc.* Nulli ergo *etc.* Datum ut supra. (*n. praec.*).

155. Confirmat institutionem inquisitoris et facultates concessas per Alexandrum V et Martinum V (2).

1435, februarii 24, Florentiae.

Dilecto filio Pontio Feugeyronis, ordinis fratrum Minorum et in theologia professori necnon in provinciis, civitatibus, dioecesibus, comitatibus, principatu ac terris et locis infrascriptis haereticae pravitatis inquisitori.

Pastor ille caelestis et episcopus animarum *etc.* Nos igitur, qui dicti pastoris vices licet insufficientibus meritis gerimus in terris, pias eius admonitiones desuper amplectentes, summis desideramus affectibus oviculas per abrupta et scopulos infidelium errantes ad ovile dominicum reducere necnon illuminatis errorum praecipitiis inter salvandos greges in Nostrae villicationis redditione patrifamilias fideliter annotare. Sane dudum ad quondam Alexandri, in eius obedientia V nominati, auditum deducto, quod in Arelaten., Aquen. et Ebredunen. provinciis necnon in Lugdunen., Viennen., Bellicen., Gratianopolitan., Maurianen., Gebennen., Valentin., Vivarien., Dien., Tarantasien. et Augusten. civitatibus et dioecesibus et in omnibus terris atque locis infra dictarum provinciarum et dioecesium terminos constitutis ac in Delphinatu comitatibusque provinciae Folcalquerii et Venayssini ac in principatu Auraicen. necnon in civitate Nostra et dioecesi Avinionen. plerique nescientes in semitis iustitiae dirigere gressus suos, sed per diversa catholicae fidei ac etiam sacris canonibus adversa seu contraria, per quae se et multos simplices secum trahebant damnabiliter in gehennam, conabantur dogmatizare, quodque nonnulli christiani et perfidi iudaei, infra eosdem terminos constituti, novas sectas et prohibitos ritus eidem fidei repugnantes inveniebant, quos saltem in occulto dogmatizabant, docebant, praedicabant et affirmabant erantque etiam infra ipsos terminos multi christiani et iudaei sortilegi, divinatores, daemonum invocatores, criminatores, coniuratores, superstitiosi, augures, utentes artibus nefariis et prohibitis, quibus christianum populum seu plerosque simplices illarum partium maculabant et pervertebant, praeterea quidam praefatorum iudaeorum nonnullos neophytos seu ad eamdem fidem noviter de iudaica caecitate conversos ad reiudaizandum seu ad ritus iudaicos exsecrabiles resumendum directe vel indirecte, mediate vel immediate inducere satagebant necnon ipsorum, quem Talmud appellabant, aliisque libris suis plures tam scriptos quam etiam alios damnatos errores publice adstruebant, quibus utique corda simplicium etiam saepe maculabant et confundebant, invehentes contra fidem catholicam et doctrinam veritatis atque etiam in sua lege Mosaica multifarie deficientes, demum etiam quidam christiani et iudaei illarum partium non verebantur asserere, quod usura non esset peccatum aut recipere decem pro centum mutuo datis seu quidquam aliud ultra sortem; in his et similibus atque in nonnullis aliis spiritualibus et gravibus peccatis multipliciter excedebant et plerosque deludebant: idem Alexander tunc V (3) nominatus, volens eiusdem fidei cultum ampliare necnon hu-

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 9. Cf. num. praec.

(2) Wadd. *Ann.* ad a. 1434, n. 3: « e l. 1 de regular. et div. form. a. IV, f. 114 ».

(3) Litteras Alexandri V *Ab exordio nascentis* d. 30 aug. 1409 ad eumdem vide *Bull. Franc.* t. VII n. 1181, p. 413.

iusmodi errores et pravitates exstirpare, tibi per quasdam commisit, primo ut ad exstirpationem omnium huiusmodi pravitatum et errorum ab eisdem terminis et partibus vigilanter insistens, tibi ipsos christianos et iudaeos, qui huiusmodi errorem fovere seu adstruere, defendere aut alias sequi praesumerent, atque eorum fautores, receptatores, defensores ac sequaces inquirendi eosque citandi, examinandi et contra ipsos usque ad definitivam sententiam inclusive procedendi, prout iuris foret et rationis, summarie et de plano necnon absque iudiciorum et advocatorum strepitu et forma iudicii, illosque, quos per inquisitionem huiusmodi dictos errores committere aut fovere seu alias in aliquo praemissorum culpabiles aut etiam pravitates exercere reppereris, iuxta eorumdem delinquentium excessus et demerita puniendi, per censuram ecclesiasticam et alia tam iuris quam consuetudinis remedia opportuna appellatione postposita compescendi, invocato ad hoc, si opus foret, auxilio brachii saecularis, ac omnia alia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna exsequendi, statuendi et ordinandi iuxta datam tibi a Domino prudentiam plenam et liberam concessit facultatem. Et deinde fel. rec. Martinus papa V [1], praedecessor Noster, per alias suas litteras facultatem praefatam ac omnia in ipsis prioribus litteris contenta auctoritate apostolica approbans et confirmans, te inquisitorem haereticae pravitatis in omnibus et singulis terminis supradictis iuxta praefatarum priorum litterarum tenorem atque formam auctoritate praefata deputavit aliisque plerisque tunc adiectis, prout in ipsis litteris plenius continetur. Nos itaque super eo, quod tu, quem Dominus, charismatum largitor omnium, diversis gratiarum donis insignivit, ad huiusmodi exercendum officium sufficiens et idoneus exsistis, fide dignorum plurimorum relatibus informati, necnon deputationem, facultatem et alias litteras praefatas, ut uberioris apostolici muniminis praesidio solidentur, eadem auctoritate approbamus, illas et quaecumque inde secuta subsistere debere decernentes robore firmitatis; et nihilominus te in provinciis, civitatibus, dioecesibus, comitatibus, principatu ac terris et locis praemissis eiusdem pravitatis inquisitorem auctoritate praefata constituentes atque deputantes, simili te facultate fulcimus, universis et singulis districtius inibi mandantes christifidelibus, ut tibi in his omnibus, quae ad officium huiusmodi pertinent, efficaciter pareant et intendant, et quoties eos requisieris, auxiliis, consiliis et favoribus assistant opportunis. Non obstantibus omnibus, quae dictus praedecessor in ipsis suis litteris non obstare voluit ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Florentiae, anno ... 1434, VI kal. martii, ... anno IV.

156. Concedit liberationem a sententia lata, iuxta quam in domo B. Mariae de Podio, alias de Todio, O. F. M., Caurien. dioec., remanere debuisset [2].

1435, martii 1, Florentiae.

Dilecto filio Alphonso de Mella, ordinis fratrum Minorum professori.

Exigit tuae devotionis et sinceritatis affectus *etc.* Dudum siquidem per alias Nostras litteras te a quadam sententia per dilectos filios Nostros Iohannem tit. S. Laurentii in Lucina et Iohannem tit. S. Sixti presbyteros ac Ardicinum SS. Cosmae et Damiani diaconum cardinales contra te lata necnon in ea contentis poenis et per illam tibi iniunctis ac impositis poenitentiis perpetuo absolvimus, ... liberavimus ... necnon ad illos honorem, famam et statum, in quibus, antequam contenta in oblatis articulis coram eisdem cardinalibus producerentur, fueras, plenarie restituimus et reintegravimus omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per te praemissorum occasione quomodolibet contractam penitus abolevimus tibique, quod domum B. Mariae de Monte, civitatis Perusinae, ubi vigore dictae sententiae degere per decennium adstrictus exstiteras, quando tibi placeret, exire et ad domum B. Mariae de Podio, alias de Todio, Caurien. dioec., dicti ordinis, transire et in illa novem annis remanere eleemosynas petendo et omnia alia cum obedientia guardiani faciendo sicut ceteri fratres eiusdem domus et in omnibus sacris ordinibus post annum a die latae sententiae huiusmodi computandum ministrare et personarum dumtaxat regularium confessionem audire illisque debitam absolutionem impendere ac salutarem poenitentiam iniungere posses et deberes, licentiam plenariam concessimus, ... prout in eisdem litteris ... plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu pro adimplendis efficaciter praemissis in litteris Nostris contentis tuos a dicta domo b. Mariae de Monte versus domum de Podio, alias de Todio, praedictam direxeris gressus et ad partes regni Castellae, infra cuius limites

(1) Litteras Martini V *Licet ubilibet* d. 3 febr. 1418 vide l. cit. n. 1371, p. 500.

(2) Reg. Vat. t. 373, f. 130 v.

praefata domus de Podio, alias de Todio, consistit, personaliter applicuisti et inibi revolvens, quod cum animi tui quiete et conscientiae pace in dicta domo de Podio, alias de Todio, remanere non posses, relictis partibus illis ad eamdem Sedem accessisti Nobisque humiliter supplicasti *etc.* Nos itaque, ... absolutionem ... et quaecumque inde secuta apostolica auctoritate confirmantes ... ac volentes tibi, ut tua devotio apud Nos et Sedem Apostolicam ferventius augeatur, benigne providere, te denuo ad cautelam a sententia praedicta poenisque et coercitionibus in ea contentis eadem auctoritate tenore praesentium perpetuo absolvimus et totaliter liberamus tecumque ad cautelam super irregularitate ... dispensamus ac te ad honorem, famam et statum pristinos plenarie restituimus et reintegramus tibique, quod nedum in de Podio, alias de Todio, praedicta iuxta dictarum litterarum Nostrarum arctationem, sed etiam quavis alia dicti ordinis domo pro tempore absque praedicationis officio, quod tibi inibi et alias ubilibet in publico interdicimus, commorari ac quarumlibet personarum tibi confiteri volentium confessiones audire et pro commissis illis debitae absolutionis beneficium impendere ac salutarem poenitentiam iniungere libere et licite valeas, eadem auctoritate concedimus, inhibentes districtius quibuslibet Apostolicae Sedis legatis et delegatis, locorum quoque ordinariis ac haereticae pravitatis inquisitoribus, generali quoque et provincialibus dicti ordinis ceterisque quavis auctoritate fungentibus sub poena excommunicationis latae sententiae, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto, ne te de cetero occasione criminum, excessuum et perpetratorum in dicta sententia contentorum ... quomodolibet vexare ... aut perturbare seu eorum vel dictae sententiae vigore aut praetextu contra te aliquid innovare aut de novo inquirere seu procedere quoquomodo praesumant, decernentes irritum *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, kal. martii, ... anno IV.

157. Mandat, ut monasterio S. Petri de Rasina O. S. Ben., Nucerin. dioec., praeficiat Iacobum de Altavalle, monachum monasterii S. Iohannis de Marzano eiusdem ordinis, dioec. Civitatis Castelli, olim ab O. F. M. ad O. S. Ben. transgressum [1].

1435, martii 7, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Petri Perusin.

Summi dispositione rectoris *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, monasterium S. Petri de Rasina, ordinis S. Benedicti, Nucerin. dioec., cui quondam Christophorus, ipsius monasterii abbas, dum viveret, praesidebat, per obitum ipsius Christophori abbatis, qui extra Romanam curiam decessit, abbatis regimine destitutum existat, Nos cupientes eidem monasterio ... utiliter providere ac de meritis et idoneitate dilecti filii Iacobi de Altavalle, monachi monasterii S. Iohannis de Marzano, praedicti ordinis, Civitatis Castelli dioec., qui, ut asserit, dudum de ordine fratrum Minorum, cuius frater expresse professus exsistebat, etiam post et contra quamdam constitutionem per fel. rec. Martinum papam V, praedecessorem Nostrum, super hoc editam ad ordinem S. Benedicti et monasterium S. Iohannis huiusmodi transivit, quique, ut asserit, ab omnibus excommunicationis sententiis ac censuris et poenis, quas praemissorum occasione quomodolibet incurrerat, auctoritate quarumdam aliarum litterarum Nostrarum exstitit absolutus, et cui, ut in praedicto ordine S. Benedicti perpetuo libere et licite remanere valeret, fuit apostolica auctoritate concessum, alias apud Nos de religionis zelo ... commendati, certam notitiam non habentes, discretioni tuae ... mandamus, quatenus de ipsius Iacobi meritis et idoneitate huiusmodi auctoritate Nostra te diligenter informes, et si per informationem eamdem dictum Iacobum ad regimen et administrationem ipsius monasterii S. Petri utilem et idoneum esse reppereris, ... de persona eiusdem Iacobi eidem monasterio S. Petri, cuius fructus, redditus et proventus 40 florenorum auri secundum communem aestimationem valorem annuum ... non excedunt, ... auctoritate Nostra provideas ipsumque illi praeficias in abbatem, curam *etc.* contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.* Et nihilominus dicto Iacobo, ... quod munus benedictionis a quocumque maluerit catholico antistite ... recipere ... possit, plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem. Volumus autem quod idem antistes *etc.*, quodque per hoc venerabili fratri Nostro episcopo Nucerino, cui praetatum monasterium S. Petri ordinario iure subesse dignoscitur, nullum imposterum praeiudicium generetur.

Datum Florentiae, anno ... 1434, nonis martii, ... anno IV.

158. Episcopo Sarsenaten. mandat, ut monasterio S. Salvatoris de Simano O. S. Ben., per obitum Benedicti abbatis extra curiam vacanti, — cuius possessionem, regimen et administrationem bonorum Franciscus de

[1] Reg. Lat. t. 324, f. 289.

Bardis, O. F. M. professor, habitu et ordine dictorum fratrum nulla per eum desuper canonica dispensatione obtenta dimisso, temeritate propria apprehendens, de illis per quatuor annos vel circa indebite se ingesserat, — post diligentem informationem provideat de persona Matthaei Petri, abbatis monasterii S. Mariae de Truno ordinis et dioec. praedictorum (1).

1435, martii 9, Florentiae.

Sollicitae considerationis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1434, VII idus martii, ... anno IV.

159. Francisco Francisci de Avernia, III O. S. Franc. de poen., in oratorio S. Caeciliae Fesulan. moram trahenti indulget, quod possit facere celebrari missam ante diem (2).

Florentiae.

Sincerae devotionis affectus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1430 (!)

160. Instituit iudices pro causa Iohannis episcopi Caturcen. contra monasterium O. S. Cl. Montisalban. de Cossio aliosque indebite detinentes bona ad mensam episcopalem Caturcen. pertinentia (3).

1435, aprilis 22, Florentiae.

Dilectis filiis abbati monasterii Moisiaci, Caturcen. dioec. et Montisalban. ac Caturcen. dioec. officialibus.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte venerabilis fratris Nostri Iohannis episcopi Caturcen. petitio continebat, quod dilectae in Christo filiae abbatissae et conventus monasterii S. Clarae Montisalban. de Cossio et dilecti filii prior et domus Caturcen., S. Clarae praedictae et Cartusien. ordinum, de Biolio necnon S. Martialis Tolosan. de Picacossio et etiam Caturcen. de Pelegrino nuncupatorum collegiorum scholares, ** de Calciata ac Pontius de Gauleiaco, canonicus Caturcen. de Salvitate prope Montempensatum, et Raymundus Pica, presbyter S. Iuliani de Ladotz, Caturcen. dioec. saeculares prioratus, ad episcopalem mensam Caturcen. legitime spectantes, detinent indebite occupatos et capitulum Caturcen. super quibusdam annuis redditibus iniuriantur episcopo memorato. Quare dictus episcopus Nobis humiliter supplicavit, ut omnes et singulas causas, quas praemissorum occasione contra abbatissam, capitulum, priorem, fratres, conventum, scholares, canonicum et presbyterum praedictos movere intendit, aliquibus in partibus illis committere et alias ei super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ... discretioni vestrae etiam de capituli huiusmodi procuratoris assensu ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, vocatis abbatissa ... dictas causas audiatis debitoque fine decidatis, facientes quod decreveritis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, X kal. maii, ... anno V.

161. Episcopo Paduan. et prioribus prioratuum B. Mariae de Avantio ac S. Sophiae Paduan. ad instantiam capituli, cleri civitatis et dioec. Paduan., contra fratres mendicantes conquerentium, mandat, ut decretalem « Super cathedram » ab utraque parte firmiter observari faciant (4).

1435, maii 6, Florentiae.

Frequentes hactenus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, pridie nonas maii, ... anno V.

162. Concedit facultatem legendi sententias in universitate approbata et recipiendi insignia magisterii pro Andrea Malvenda, O. F. M. provinciae Castellae (5).

1435, maii 8, Florentiae.

Dilecto filio fratri Guillelmo de Casali, magistro in sacra theologia, generali ministro ordinis Minorum.

Dil. fili, sal. *etc.* Propter laudabilem famam, quae per te et alios refertur Nobis de litterarum scientia et probitate vitae dilecti filii Andreae de Malvenda, ordinis Minorum, provinciae Castellae, qui litterarum studiis plurimum insudavit, discretioni tuae eidem Andreae, postquam per te et quatuor alios in sacra theologia magistros, quos duxeris eligendos, examinatione idoneus et sufficiens repertus fuit, ut aliquam universitatem approbatam, prout tibi videbitur expedire, in qua sententias pro cursu magisterii, ut moris est, in praedicta facultate legere et complere et ibidem peractis, ut decet, suis cursibus gradum magisterii ac eius solita insignia auctoritate Nostra recipere possit, eadem auctoritate assignandi, ac ut omnibus et singulis privilegiis ... ceteris magistris in studiis generalibus aut alibi gradum huiusmodi recipientibus concessis praefata auctoritate potiri et gaudere valeat, concedendi, constitutionibus apostolicis quibuscumque, Assisii aut alibi factis, ... necnon praedictis ordinis statutis et consuetudinibus ...

(1) Reg. Lat. t. 324, f. 295.

(2) Reg. Lat. t. 394, f. 278 v. Deest datum. Cf. supra, n. 13, p. 16.

(3) Reg. Lat. t. 330 bis, f. 236 v. De monasterio Montisalban. cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 808, p. 281; n. 1303, p. 469, ubi nota 1 originem huius litis explicat.

(4) *Bull. ord. fr. Praed.* t. III, p. 34, n. 48.

(5) Reg. Vat. t. 359, f. 249.

non obstantibus quibuscumque, plenam et liberam eadem auctoritate concedimus tenore praesentium facultatem.

Datum Florentiae, die 8 mensis maii, anno V.

163. Episcopo Clusin. (Chiusi) mandat, ut hospitale S. Petri extra muros terrae Montis Politiani (Montepulciano), Clusin. dioec., ab Angelo Danesii, laico Aretino, olim fundatum, cuius rector iuxta dispositionem testamenti ipsius Angeli per priorem domus O. F. Praed. de Urbe veteri (Orvieto) et guardianum O. F. M. eiusdem civitatis et communem terrae Montis Politiani eligi debebat, committat priori et fratribus O. Praed., quibus praefata communitas et guardianus O. F. M. libere vices suas cesserant (1).

1435, iunii 2, Florentiae.

Gerentes in desideriis cordis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, IV nonas iunii, ... anno V.

164. Praeposito ecclesiae Mirapicen. mandat, ut Iohannem Butini, O. F. M. professum, domus de Nyorto (Niort), Pictavien. dioec., qui cum sola sui provincialis licentia ad monasterium de Bassaco O. S. Ben. transgressus erat, absolvat a censuris et irregularitate eique concedat licentiam remanendi in dicto monasterio et eiusdem monasterii prioratum claustralem retinendi (2).

1435, iunii 7, Florentiae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VII idus iunii, ... anno V.

165. Mandat, ut Franciscum de Pistorio O. F. M., s. theol. professorem, instituat ministrum provinciae Orientis (3).

1435, iunii 13, Florentiae.

Dilecto filio Guillelmo de Casali, magistro in sacra pagina ac ordinis Minorum generali ministro.

Dil. fili, sal. *etc.* Intelleximus officium ministeriatus tui ordinis provinciae orientalis vacare ad praesens. Expedit autem habere illic virum doctum ac prudentem, et qui exemplo Domini possit facere et docere, quoniam quo remotiora sunt a Nobis illa loca, eo maiorem curam adhibere te convenit, ut ad illa mittantur viri idonei, qui sciant verbo et opere vineam Domini excolere et plantare. Ad hoc autem maxime videtur esse aptus et idoneus dilectus filius Franciscus de Pistorio, dicti ordinis, sacrae theologiae professor, qui et ibidem diutius fuit et de litterarum scientia, probitate morum et integritate vitae plurimum commendatur, cuius tamen virtus, ut existimamus, satis nota est tibi. Exhortamur igitur in Domino tuam devotionem, ut propter bonum et honorem ordinis ac etiam ut sermo Domini latius diffundatur in illis partibus, velis facere ibidem ministrum praefatum Franciscum. Nam a certo tenemus, quod per suam bonitatem erit plurimum utilis et fructuosus ad salutem fidelium, qui in illis locis commorantur.

Datum Florentiae, die 13 mensis iunii, anno V.

166. Matthaeo de Sicilia O. F. M. concedit speciales facultates pro exstirpatione simoniae in insula Trinacriae (Siciliae) (4).

1435, iunii 18, Florentiae.

Dilecto filio Matthaeo de Sicilia ordinis Minorum.

Pastoralis officii *etc.* Sane ad Nos pervenit, Trinacriae insulam quadam inveterata corruptela adeo fore respersam, ut a multis nullum pene ecclesiasticum beneficium, nullum spirituale ministerium nullumque divinum sacramentum absque labe simoniaca conferatur vel etiam ministretur, quodque magis dolendum est, corruptelam illam pessimam sic invaluisse, ut pro consuetudine ecclesiarum praefatae insulae suscepta esse videatur, ita ut superiori tempore pene nemo corde perceperit, quantum cedat in divinae maiestatis offensam, neque ad censuras et poenas, quas Nos et praedecessores Nostri his hominibus profanis intulimus, aliquando respexerit, sed veluti amentes et caeci post huiusmodi profanos usus et temerata, quantum in eis est, divina sacramenta, sic concatenati et compediti alios etiam catervatim secum trahentes, in aeternae mortis barathrum dilabuntur. Volentes igitur huic pesti paterne consulere, ... tibi, de cuius fide, religione et prudentia longa apud diversas partes, praesertim praefatam insulam, experientia comprobatis plenam in Domino fiduciam obtinemus, omnes et singulas ecclesiasticas personas utriusque sexus tam saeculares quam regulares, cuiuscumque status, gradus, praeeminentiae et conditionis exsistant, etiamsi pontificali praefulgeant dignitate, quae tibi infra annum, postquam in dictam insulam te contuleris, confessae fuerint, a dicta simoniae labe tam dando quam recipiendo vel alias quomodocumque commissa et omnibus et singulis censuris etiam auctoritate aposto-

(1) *Bull. ord. fr. Praed.* t. III, p. 39, n. 58.
(2) Reg. Lat. t. 334, f. 78 v.
(3) Reg. Vat. t. 359, f. 248. De eodem Francisco cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1866, p. 726.
(4) Reg. Vat. t. 366, f. 52; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 69. De B. Matthaeo de Sicilia (alias de Agrigento) cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1640, p. 623; n. 1842, p. 713, not. 4.

lica contra huiusmodi simoniacos promulgatis absolvendi omnemque inhabilitatis et infamiae maculam abolendi, super irregularitatibus etiam ex dictis censuris aut immiscendo se divinis vel alio modo contractis, necnon super ordinum aut beneficiorum seu officiorum per huiusmodi labem acquisitorum exsecutione et retentione dispensandi, omnibus et singulis praedictis imposita pro modo culpae poenitentia salutari, de fructibus etiam et aliis quibuscumque per huiusmodi labem vel eius occasione male habitis seu perceptis, prout tibi secundum Deum visum fuerit, disponendi, insuper omnia et singula, quae in praemissis et circa praemissa fuerint necessaria et tibi videbuntur quomodolibet opportuna, gerendi, faciendi et disponendi auctoritate apostolica plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem.

Datum Florentiae, anno ... 1435, XIV kal. iulii, ... anno V.

167. Concedit licentiam libros superfluos aliis domibus O. F. M. commodandi (1).

1435, iunii 27, Florentiae.

Dilecto filio guardiano domus ordinis fratrum Minorum de Arevalo, Abulen. dioec., impraesentiarum exsistenti.

Religiosorum praesertim mendicantium *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod domus fratrum Minorum de Arevalo, Abulen. dioec., in observantia regulae S. Francisci viventium, copiosa librorum atque voluminum ad eruditionem christiani populi maxime utilium multitudine referta est, quorum quamplures absque domus huiusmodi dispendio aliis dicti ordinis domibus illis indigentibus ministrari possent, si certa per fel. rec. Martinum papam V, praedecessorem Nostrum, quae libros ipsos extra eamdem domum portari prohibet, ordinatio non obstaret. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Castellae et Legionis reginae illustris ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi partem librorum ipsorum, de qua domus ipsa de Arevalo absque dispendio pro tempore carere poterit, aliis domibus huiusmodi, in quibus observantia vigebit antedicta, ad tempus, de quo tibi videbitur, data tamen primitus de libris ipsis propterea non alienandis cautione idonea, commodare libere et licite valeas, praefati praedecessoris *etc.* nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, V kal. iulii, ... anno V.

168. Concedit facultatem praedicandi verbum Dei (2).

1435, iunii 29, Florentiae.

Dilecto filio Emmanueli de Valleoleti, ordinis fratrum Minorum professori.

Super cathedram praeeminentiae pastoralis *etc.* Sane pro parte communitatum diversarum civitatum et aliorum christifidelium in Castellae et Legionis regnis consistentium Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet tu verae devotionis zelo succensus pro illustrandis, imbuendis et in orthodoxae fidei catholicae, sine qua nemo salvari potest, veritate eorumdem christifidelium mentibus ac illorum devotione propaganda ad evangelizandi in regnis praedictis partibus finitimis ministerium desiderio adspires necnon coram fidelibus eisdem ad illorum aedificationem ac infidelibus pro ipsorum ad dictam fidem reductione pluries verbum Dei praedicaveris, plerique tamen ipsorum regnorum praelati ... te in tam salubri opere, quominus libere praedicare posses, impedire et ab inde retrahere multipliciter sunt conati. Cum autem ... tu, cooperante Altissimo virtute constantiae roboratus, ad praedicandum verbum ipsum omni creaturae stabilem geras animum et a praelatis ecclesiasticis et religiosis huiusmodi tibi difficultates et impedimenta invehi teque a tam bono proposito retrahi posse trepides et formides, pro parte communitatum et christifidelium praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos autem ... tibi, ut in quibusvis cathedralibus et metropolitanis seu collegialibus et parochialibus dioecesani loci interveniente consensu, aliis autem monasteriorum ecclesiis, capellis, oratoriis et locis tui ordinis necnon plateis communibus omni tempore omnique hora, illa excepta, qua illarum praelati praedicaverint aut coram illis fecerint solemniter praedicari, ubi, quando et quoties tibi expedire visum fuerit seu pro parte dictorum christifidelium fueris requisitus, verbum ipsum ad populum vel ad clerum publice proponere et praedicare, dioecesani eiusdem et cuiusvis alterius super hoc licentia minime requisita, libere et licite possis et valeas, auctoritate apostolica concedimus per praesentes, inhibentes venerabilibus fratribus Nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis necnon di-

(1) Reg. Lat. t. 334, f. 134. De domo de Arevalo cf. supra n. 126 p. 65.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 70: « e l. 2 de regular. etc. a. V, f. 191 ».

lectis filiis praelatis ac rectoribus ecclesiarum quarumlibet clericisque ac religiosis ordinum quibuscumque in virtute sanctae obedientiae, ne te in exercitio ministerii evangelizationis huiusmodi et studiis ad hoc congruentibus per se vel alios directe vel indirecte quovis quaesito colore impediant quomodolibet vel molestent, eos in Domino exhortantes, ut te in praemissis favoribus, consiliis et patrociniis prosequantur; omnes quoque et singulos processus necnon excommunicationis, suspensionis et interdicti aliasque ecclesiasticas sententias, censuras et poenas, quos et quas occasione praemissorum per quemcumque ex patriarchis, archiepiscopis ... contra te vel alias personas praemissorum occasione ferri vel promulgari, necnon totum id et quidquid in eo contrarium a quoquam ... attentari contigerit, nullius subsistere roboris vel momenti praesentium serie decernimus et declaramus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, III kal. iulii, ... anno V.

169. Committit audiendam et terminandam causam inter Rogerium de Betona, laicum Venetianum, et Lucam de Senis, O. F. M., inquisitorem haereticae pravitatis (1).

1435, iulii 7, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Castellan.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Rogerii de Betona, laici in loco de Venetiis, tuae dioec., commorantis, petitio continebat, quod olim dilectus filius Lucas de Senis, ordinis fratrum Minorum professor, asserens se inquisitorem haereticae pravitatis in partibus illis a Sede Apostolica deputatum falsoque praetendens dictum Rogerium haeresis labe respersum et aliis diversis criminibus irretitum fore, contra ipsum, quem propterea ad sui praesentiam evocari fecerat, super praemissis ex officio ad inquisitionem descendens, in huiusmodi inquisitionis negotio ad nonnullos actus processit, ac dictus Rogerius a quodam sufficienti gravamine sibi per praefatum Lucam illato ad Sedem praedictam appellavit et super appellatione sua huiusmodi apostolicas ad vicarium in spiritualibus generalem venerabilis fratris Nostri ... patriarchae Graden., in dicto loco residentem, eius proprio nomine non expresso sub certa forma litteras reportavit ac dictum Lucam coram praefato vicario ipsarum vigore litterarum fecit ad iudicium evocari, dictusque vicarius in causa ipsa procedens legitime per suam definitivam sententiam praefatum Rogerium ab impetitione et processu dicti Lucae absolvit, quodque licet postmodum tam appellationis per dictum Lucam ab huiusmodi sententia interpositae quam quaslibet alias causas inter ipsos Lucam et Rogerium super praemissis ubicumque pendentes ex certis causis ad Nos advocantes, illas tibi et dicto Lucae coniunctim audiendas et fine debito terminandas per alias Nostras litteras commiserimus, tamen cum ipse Lucas ab eisdem partibus ut plurimum se absentet ac nihilominus huiusmodi durante absentia eumdem Rogerium super praemissis molestare, vexare et inquietare non cesset, tuque super illis ex forma dictarum aliarum litterarum solus procedere nequeas, oportet dictum Rogerium, qui mercaturae ministerio deditus est ac varia negotia expedire et ad diversas mundi partes saepenumero se conferre habet, molestationes, vexationes et inquietationes huiusmodi, si non personali detentione luere, saltem proprio aere redimere et nihilominus pene immortales casus huiusmodi non sine scandalorum et dissensionum periculis pati in non parvam ipsius Rogerii ignominiam et iacturam. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefatus Rogerius in dicto loco de Venetiis per plures annos ut verus et fidelis christicola legalisque mercator moram traxerit optetque in illo cum quiete et tranquillitate animi ulterius posse morari, pro parte sua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, causas ipsas ... ad Nos harum serie advocantes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus vocatis dicto Luca et aliis, qui fuerint evocandi, omnes et singulas causas huiusmodi in eo statu, in quo ultimo coram te et eodem Luca remanserunt, auctoritate Nostra resumens, illas et quascumque alias dictum Rogerium in negotio fidei concernentes causas praesentes et futuras solus deinceps audias et debito fine decidas, faciens *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, nonis iulii, ... anno V.

170. Mandat, ut absolvat Iacobum Ronnatum O. F. M. ad Cluniacen. ordinem transgressum eique concedat, ut in ord. Cluniacen. perpetuo remanere valeat (2).

1435, iulii 19, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Honorati, insulae Lirinen., Grassen. dioec.

Sedes Apostolica pia mater *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Iacobi Ronnati, presbyteri Ebredunen. dioec., baccalaurei in theo-

(1) Reg. Lat. t. 329, f. 140v. Cf. supra n. 137, p. 70.

(2) Reg. Lat. t. 330, f. 248v.

logia, petitio continebat, quod olim ipse in octavo vel circa suae aetatis anno, blandimentis nonnullorum circumventus, ordinem fratrum Minorum B. Francisci in conventu Ebredunen. ingressus, decimo quoque huiusmodi aetatis anno nondum lapso professionem ibidem expressam emisit et antequam decimum septimum annum totaliter peregisset, ad sacerdotium promotus, missam pluries celebravit, quodque, postquam in dicto ordine aliquibus annis continuaverat, et fel. rec. Martinus papa V, praedecessor Noster, sententiam excommunicationis in quoscumque fratres de quocumque ordine mendicantium ad quemvis ordinem monasticum Cartusiensium dumtaxat excepto etiam quavis auctoritate se transferrent, protulerat, ipseque Iacobus diversis laboribus, quasi sibi tam propter quaestas quam mutationes crebras de conventu in conventum ordinis Minorum huiusmodi intolerabilibus et alias non mediocriter fatigatus, in ipsorum ordine fratrum Minorum cum animi sui quiete ulterius commode nequiens commorari, ab illo superioris sui tamen licentia petita licet non obtenta recessit et illius habitum relinquens ad prioratum conventualem de Ganagobia, Cluniacen. ordinis, Sistaricen. dioec., in quo benevolos receptores invenit, auctoritate propria se transtulit ac illius habitum recipiens ibidem similem professionem, per monachos tamen ipsius Cluniacen. ordinis emitti consuetam, emittens, in eo postmodum per certum tempus fuit commoratus, excommunicationis sententiam ... incurrendo. Quare pro parte dicti Iacobi *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus eumdem Iacobum ... ab apostasia necnon sententiis et censuris huiusmodi ... auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesiae consueta, iniunctis *etc.*, ac secum, ut in omnibus suis ministrare ac in Cluniacen. ordinibus huiusmodi remanere valeat, ... dispensare procures *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, XIV kal. augusti, ... anno V.

171. Annullat incorporationem ecclesiae S. Crucis de Mugello prope Fagnam cum monasterio S. Francisci, O. S. Cl. Florentin. eamque ecclesiam restituit monasterio S. Petri de Muscheto, ord. Vallumbrosan., Florentin. dioec. (1).

1435, iulii 27, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Mariae Florentin.

Universalis ecclesiae regimini *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii S. Petri de Muscheto, ordinis Vallisumbrosae, Florentin. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet ab olim collatio et provisio ac omnimoda dispositio ecclesiae S. Crucis de Mugello prope Fagnam, dictae dioec., ad eosdem abbatem et conventum legitime pertinerent, ipsique in pacifica possessione vel quasi iuris illam personae idoneae, quoties vacabat, conferendi exsisterent, nihilominus tamen dudum pro parte dilectorum filiorum prioris artium et vexilliferi iustitiae civitatis Florentin., quondam Alexandro, qui V in sua obedientia, de qua partes illae tunc erant, nuncupabatur, exposito, quod ecclesia ipsa solum quatuor parochianos habebat ac libris, calicibus et aliis ornamentis ecclesiasticis ad divinum cultum in ea peragendum omnino carebat, quodque inibi vix semel in anno, videlicet in festo praedictae crucis, divina officia celebrabantur, et ad tantam devenerat ruinam, quod effractis eius foribus bestiis et animalibus brutis introitus patebat in eamdem, praeterea quod dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii S. Francisci Florentin., ordinis S. Clarae, non habeant, unde commode sustentari valerent nec, nisi eis de opportunae provisionis remedio succurreretur, possent inibi commode diutius remanere, idem nominatus Alexander bonae mem. Benosio, episcopo Fesulano, tunc canonico Florentin., suis dedit litteris in mandatis, ut si esset ita, eamdem ecclesiam dicto monasterio S. Francisci incorporaret, uniret et annecteret (2). Et subsequenter pro parte ipsarum abbatissae et conventus bonae mem. Baldassari, episcopo Tusculan., qui tunc Iohannes XXIII in eadem obedientia dicebatur, exposito, quod licet idem Benosius episcopus, tunc canonicus ad exsecutionem ipsarum litterarum procedens, dictam ecclesiam ipsi monasterio S. Francisci iuxta litterarum continentiam annexuisset, incorporasset et univisset, quia tamen annexio et incorporatio huiusmodi, eo quod suum, antequam dictus Baldassar eidem obedientiae praesideret, non fuerant effectum sortitae, iuxta quamdam per ipsum Baldassarem, tunc Iohannem, ut praefertur, nominatum, factam constitutionem revocatae censebantur, ipse nominatus Iohannes eamdem ecclesiam cum omnibus iuribus et pertinentiis praefato monasterio S. Francisci denuo incorporavit, annexuit et univit, prout in ipsius nominati Iohannis litteris dicitur plenius contineri. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, annexio, unio et incorporatio huiusmodi,

(1) Reg. Lat. t. 330, f. 206.

(2) Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1197, p. 425.

quarum praetextu abbatissa et conventus monasterii S. Francisci huiusmodi possessionem eiusdem ecclesiae apprehenderunt ac illam ex tunc detinuerunt, prout adhuc detinent, ipsiusque fructus, redditus et proventus in suos usus converterunt et convertunt, ex falsis seu minus veris causis ac in magnum eorumdem abbatis et conventus monasterii S. Petri praeiudicium et offensam processerunt, pro parte eorumdem abbatis et conventus S. Petri Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque attendentes indignum fore, ut fraus et dolus cuicumque patrocinentur, eorumdem abbatis et conventus S. Petri in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis praefata abbatissa et conventu S. Clarae aliisque, qui fuerint evocandi, de praemissis omnibus ... te diligenter informes et si per informationem huiusmodi unionem, incorporationem et annexionem praedictas ex falsis aut minus veris causis, ut praemittitur, super quo tuam conscientiam oneramus, processisse repperéris, illas eadem auctoritate dissolvas ac iuribus prorsus evacues ipsasque ac desuper confectas litteras praedictas casses et irrites nulliusque exsistere firmitatis decernas ac monasterio S. Francisci et ecclesia praedictis ab invicem separatis abbatem et conventum necnon monasterium S. Petri praedicta ad ius et proprietatem, quae ipsis in eadem ecclesia ante annexionem, incorporationem et unionem huiusmodi competebant, eadem auctoritate restituas et reponas, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VI kal. augusti, ... anno V.

172. Iohannem (de Cursola) O. F. M. instituit episcopum Waradien. (Nagy-Várad, Grosswardein in Hungaria) (1).

1435, Iulii 27, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni electo Waradien.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Dionysio episcopo Waradien. regimini Waradien. ecclesiae praesidente *etc.* Postmodum vero praedicta ecclesia per obitum dicti Dionysii episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, vacante *etc.* demum ad te ordinis fratrum Minorum *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VI kal. augusti, ... anno V.

173. Concedit facultatem erigendi domum sororum III O. S. Fr. de observantia nuncupati in villa de Chierve, (Chièvres) Cameracen. dioec. (2).

1435, augusti 1, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii de Cambrone, Cameracen. dioec.

Sincerae devotionis affectus, quem dilecta in Christo filia Quentina de Mastaing, domicella Cameracen. dioec., ad Nos *etc.* Sane pro parte ipsius Quentinae Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsa singulari zelo, quem ad B. Franciscum constitutumque per eum tertium ordinem, qui de observantia nuncupatur, gerit, incensa, de propria etiam salute recogitans terrenaque in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare cupiens, in villa de Chierve, dictae dioec., in loco ad hoc congruo et honesto unam domum cum capella sive oratorio necnon campanili, campana ... et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione nonnullarum sororum ordinis et observantiae huiusmodi inibi Altissimo perpetuo famulaturarum, quarum una priorissa sit, de bonis a Deo sibi collatis de novo construere et aedificare ac sufficienter dotare proponit, si ad hoc sibi Sedis Apostolicae suffragetur auctoritas. Quare pro parte ipsius Quentinae Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus eidem Quentinae domum huiusmodi, si eam ... pro priorissa et sororibus inibi instituendis sufficienter dotare velit, pro usu et habitatione huiusmodi sororum, quarum una priorissa sit, ut praefertur, iure tamen parochiali ... salvo, cum capella sive oratorio necnon campanili ... et aliis officinis huiusmodi fundandi, construendi et dotandi auctoritate Nostra licentiam largiaris, non obstantibus *etc.* Nos enim ... priorissae et sororibus, quas pro tempore in eadem domo morari contigerit, ... ut omnibus et singulis privilegiis ... illis etiam, quibus reliquae in domibus ordinis et observantiae praedictorum in partibus Flandriae constitutis habitantes sorores ... gaudent, ... uti etiam et gaudere valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Florentiae, anno ... 1435, kalendis augusti, ... anno V.

174. Approbat erectionem domus sororum III Ord. S. Franc. in villa de Murcia, Carthaginen. dioec. (3).

1435, augusti 5, Florentiae.

Dilectis in Christo filiabus Antoniae Roderici Mercadera et Uzendae, eius natae, soro-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 71: « e l. 1 de exhib. etc. a. V, f. 225 ».

(2) Reg. Lat. t. 329, f. 188.

(3) Reg. Lat. t. 334, f. 21 v.

ribus de tertia regula S. Francisci de poenitentia nuncupatis, Carthaginen. dioec.

Devotis petentium desideriis *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim, postquam habitum sororum ordinis de regula tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupatarum ob melioris vitae frugem assumentes, in domo vestra propria in villa de Murcia, Carthaginen. dioec., virtutum Domino sub ipsius regulari dicti ordinis observantia aliquamdiu laudabiliter et honeste conversatae fueratis, tu filia Antonia, considerans in villa praedicta aliquam seu aliquem pro cohabitatione huiusmodi sororum domum sive locum non exsistere, certas per te illic tunc repertas huius ordinis sorores ad praefatam domum pie invitasti et in ea recollegisti eisdem sororibus de bonis tibi desuper ministratis iuxta ipsarum indigentiam subveniendo, quodque licet regula huiusmodi per Sedem Apostolicam rite approbata confirmataque fuerit, vosque cum dictis sororibus in praefata domo sub observantia huiusmodi decenter honesteque cohabitaveritis, quia tamen plerique, minus consulte earumdem sororum bonae vitae invidentes, contra vos et ipsas pro eo, ut verisimiliter creditur, quod vitam solitariam ducitis, etiam regulam ipsam approbatam non fore adstruentes, murmurare ac alias vobis et eis varia detractionum iacula inferre conantur: pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis ac huiusmodi recollectis sororibus in praefata domo remanendi inibique sub regularis disciplinae speculo Altissimo perpetuo famulandi necnon alias quascumque honestae conversationis et approbatae vitae mulieres in eiusdem regulae sorores in dicta domo assumendi et recipiendi licentiam concedere ac alias vobis et illis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... vobis et aliis in dicta domo pro tempore degentibus sororibus in illa remanendi ac alias mulieres in sorores huiusmodi assumendi necnon unam ex huiusmodi sororibus ad hoc magis utilem et idoneam in earum et dictae domus gubernatricem, per dictae regulae ministrum approbandam, eligendi ac aliquem presbyterum idoneum, qui vestris et dictarum sororum confessionibus diligenter auditis pro commissis eis debitam poenitentiam iniungere ac ipsis etiam singula ecclesiastica sacramenta ministrare possit, habendi licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium elargimur, vobis et sororibus, quas in dicta domo pro tempore degere contigerit, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* iure parochialis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, nonis augusti, ... anno V.

175. Bartholomaeo de Padilla O. F. M. ad domum O. SS. Trin. Toletan. transgresso concedit absolutionem a censuris et facultatem in dicto ordine remanendi [1].

1435, augusti 13, Florentiae.

Venerabili fratri Iacobo episcopo Narnien. in Romana curia residenti.

Solet Apostolicae Sedis clementia *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Bartholomaei de Padilla, fratris domus Hispalen. ordinis fratrum Minorum, petitio continebat, quod olim ipse in puerili tunc aetate constitutus, adulationibus suorum parentum inductus, domum praedictam intravit ac illius fratrum huiusmodi habitum suscepit et, licet ipse tunc in dicta domo nullatenus remanere velle continuo assereret, tamen dum inibi aliquamdiu stetisset et in decimoquarto vel circa suae aetatis anno constitutus ac in proposito inibi remanendi de parentum huiusmodi speciali mandato, quibus tunc contradicere plurimum dubitabat, professionem per eosdem fratres emitti solitam emisit regularem et successive, cum ipse etiam decimum octavum praedictae aetatis annum attigerat et ad omnes etiam sacros ordines, non tamen a praedicto proposito recedendo, simili causa causante mandato promotus fuisset, tandem opportunitate captata habitu per eum dimisso huiusmodi de domo praedicta illicentiatus recessit et ad saeculum transvolavit, in quo aliquamdiu saecularibus se immiscendo permanens, postmodum ... domum Toletan. ordinis S. Trinitatis et redemptionis captivorum auctoritate propria ingressus fuit ac in ea sub habitu dicti ordinis S. Trinitatis regularem illius professionem emittendo per duodecim annos et ultra laudabiliter permansit, ... poenas necnon apostasiae notam damnabiliter incurrendo. Cum autem ... praefatus Bartholomaeus de praemissis doleat ab intimis ac in domo et ordine fratrum Minorum huiusmodi ex certis causis cum sana conscientia remanere nequeat necnon alias ad domum Toletan ... ac ad ordinem S. Trinitatis huiusmodi singularem gerat devotionem, ... pro parte dicti Bartholomaei Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus eumdem Bartholomaeum, si hoc humiliter petierit, ab apostasiae ac omnibus et singulis sententiis, censuris et poenis huiusmodi auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absol-

(1) Reg. Lat. t. 330, f. 222.

vas *etc.* Et nihilominus cum praefato Bartholomaeo, ... quod in praefatis per eum susceptis ordinibus ministrare necnon in domo Toletan. et ordine S. Trinitatis huiusmodi perpetuo remanere libere et licite valeat, eadem auctoritate dispenses *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, idibus augusti, ... anno V.

176. Aldoncae Manrique, moniali monasterii de Astudillo O. S. Cl., concedit facultatem transeundi cum alia moniali ad aliud monasterium eiusdem ordinis (1).

1435, augusti 18, Florentiae.

Dilectae in Christo filiae Aldoncae Manrique, moniali monasterii S. Clarae de Astudillo, ordinis eiusdem sanctae, Palentin. dioec.

Humilibus supplicum votis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu, quae, ut asseris, de regali prosapia procreata, in monasterio S. Clarae de Astudillo, ordinis eiusdem sanctae, Palentin. dioec., cuius monialis et, ut etiam asseris, ordinem ipsum expresse professa exsistis, cum quiete animi tui et sana conscientia ex certis causis morari nequeas et propterea cupias cum alia moniali dicti monasterii, quam ad hoc duxeris eligendam et quae in hoc tibi consentiet, ad aliquod aliud monasterium dicti ordinis te transferre; Nos igitur, ... ut de dicto monasterio S. Clarae ad aliquod aliud eiusdem ordinis paris vel arctioris observantiae monasterium, in quo benevolas reperies receptrices, dilectae filiae abbatissae dicti monasterii S. Clarae vel alterius superioris tui petita licet non obtenta licentia, constitutionibus ... nequaquam obstantibus transire ac in eo remanere libere et licite valeas tibi et eidem moniali auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, XV kal. septembris, ... anno V.

177. Dionysium de la Loyerie O. F. M. instituit episcopum Laodicen. (2).

1435, augusti 22, Florentiae.

Dilecto filio Dionysio de Laloyerie electo Laodicen.

Pastoralis officii debitum *etc.* Dudum siquidem provisiones omnium cathedralium ecclesiarum *etc.* Postmodum vero ecclesia Laodicen. ex eo pastoris solatio destituta, quod Nos venerabilem fratrem Nostrum Iulianum Bosanen., tunc Laodicen. episcopum, licet absentem, ... ad ecclesiam Bosanen., tunc pastore carentem, auctoritate apostolica duximus transferendum, praeficiendo eum illi in episcopum et pastorem, prout in Nostris litteris inde confectis plenius continetur. Nos igitur ad provisionem ipsius ecclesiae Laodicen. *etc.* demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, XI kal. septembris, ... anno V.

178. Concedit facultatem fundandi domum O. F. M. de observ. in villa Montispessulani, (Montpellier) Magalonen. dioec. (3).

1435, augusti 23, Florentiae.

Dilecto filio officiali Magalonen.

Sincerae devotionis affectus, quem dilecti filii gubernator et consules communis villae Montispessulani, Magalonen. dioec., ad Nos *etc.* Sane pro parte ipsorum gubernatoris et consulum nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi ob Dei reverentiam ... cupiunt de bonis sibi a Deo collatis infra septa eiusdem villae aut extra eam infra spatium unius milliaris in loco ad hoc congruo et honesto unam domum cum capella sive oratorio necnon campanili, ... officinis pro usu et habitatione unius guardiani et nonnullorum fratrum ordinis S. Francisci, qui de observantia nuncupantur, ... fundare *etc.* Quare pro parte consilii, gubernatoris et consulum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus eisdem gubernatori et consulibus domum huiusmodi cum capella sive oratorio et campanili, ... officinis huiusmodi absque tamen parochialis aut alterius iuris praeiudicio fundandi et construendi necnon fratribus ordinis et observantiae praedictorum illam, postquam constructa fuerit, recipiendi ... auctoritate Nostra licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.* Nos enim ... guardiano et fratribus, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, X kal. septembris, ... anno V.

179. Confirmat pactum locationis, sub quo Damianus episcopus Assisinat. monasterium S. Agnetis Assisien. O. S. Ben. concesserat sororibus III Ord. S. Franc. domus S. Mariae de Valfabrica de Perusio (4).

1435, augusti 23, Florentiae.

Dilecto filio .. priori ecclesiae Assisinaten.

Piis fidelium votis *etc.* Sane pro parte dilec-

(1) Reg. Lat. t. 330, f. 211.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 72: « e l. 1 de exhib. etc. a. V, f. 317 ». Eubel, *Hierarch. cath. med. aevi*, II, p. 171 Dionysius, conv. Nanneten., dicitur promotus ad supplicationem ducis Britanniae.

(3) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 73: « e l. 2 de exhib. etc. a. V, f. 178. Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 692, p. 249.

(4) Reg. Lat. t. 330, f. 163. Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1850, p. 719.

tarum in Christo filiarum .. ministrae domus S. Mariae de Valfabrica de Perusio et nonnullarum sororum eiusdem loci de tertio ordine S. Francisci nuncupatarum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim venerabilis frater Noster Damianus episcopus Assisinaten., provide considerans monasterium monialium S. Agnetis de Assisio, ordinis S. Benedicti, quod sibi ordinario iure subesse dignoscitur, et in quo a longo iam tempore moniales aliquae praeter unam tantummodo residentiam non fecerunt, in structuris diruptum et ruinosum exsistebat ac timens ipsum ulterius venturum verisimiliter in collapsum nec de reparatione ipsius, frequentatione divini cultus aut regularis observantiae norma spes haberetur, pro ipsius reparatione et conservatione ac etiam, ut divinus cultus ibidem melius et devotius frequentaretur, praevia deliberatione matura monasterium ipsum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ministrae et sororibus praedictis sub annuo censu unius floreni de camera, per ipsas ministram et sorores tam praesentes quam futuras episcopo Assisinaten., qui foret pro tempore, in certo termino persolvendo, in perpetuum donavit atque concessit, iuribus ad se et suam ecclesiam pertinentibus semper salvis, hac conditione adiecta, quod ministra et sorores praefatae ad huiusmodi reparationem intenderent, et certae ex dictis sororibus in dicto monasterio continuam residentiam facere tenerentur, prout in quodam instrumento publico exinde confecto, cuius tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ministra et sorores huiusmodi intendant ad reparationem et reformationem eiusdem monasterii cupiantque omnia et singula in dictae concessionis instrumento contenta Domino praestante complere, pro parte ipsarum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut praefatum monasterium eidem tertio ordini annectere, unire et incorporare ac praefatis conventionibus, donationibus et pactis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere et alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de praemissis omnibus et singulis et eorum circumstantiis universis auctoritate Nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse repereris, ... praemissa omnia et singula, prout rite et provide facta sunt, auctoritate praefata approbes pariter et confirmes, supplendo omnes defectus *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, X kal. septembris, ... anno V.

180. Concedit facultatem recipiendi tria loca infra provinciam Calabriae pro usu et habitatione fratrum O. F. M. de observ. (1).

1435, augusti 25, Florentiae.

Dilecto filio Antonio de Valentia, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum in provincia Calabriae secundum morem dictorum fratrum vicario.

Admonet nos suscepti cura regiminis *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod plerique christifideles pro terrenis coelestia complecti gestientes ob singularem, quem ad ordinem fratrum Minorum de observantia nuncupatorum gerunt devotionis affectum, de bonis desuper eis collatis aliqua dictis fratribus pro eorum usu et habitatione perpetuis loca infra provinciam Calabriae secundum morem fratrum praedictorum pie donare proponunt, si fratribus ipsis, quod illa pro usu et habitatione praefatis recipere possint, Apostolicae Sedis adminiculum suffragetur. Nos ... tibi necnon aliis, qui in ipsa provincia secundum dictum morem vicarii pro tempore fuerint, ac eisdem fratribus tria infra praedictam provinciam consistentia loca, si alias vobis canonice conferantur, cum ecclesiis, campanilibus, ... si talia tunc inibi fuerint, alioquin quod ea, prout congruerit, per vos et alios ibidem construi ac aedificari possint, dioecesanorum locorum et ipsius ordinis superiorum seu cuiusvis illorum aut alterius super hoc licentia minime requisita, pro usu et habitatione praemissis recipiendi perpetuoque retinendi auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur. Et insuper universis fratribus dicti ordinis, quos in ipsis locis pro tempore residere contigerit, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VIII kal. septembris, ... anno V.

181. Antonium de Ipsigio O. F. M. instituit episcopum Catacen. (Catanzaro) (2).

1435, augusti 26, Florentiae.

Dilecto filio Antonio de Ipsigio electo Catacen.

Ad exsequendum pastoralis officii debitum *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Petro episcopo Cata-

(1) Reg. Lat. t. 334, f. 106.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 74: « e l. 1 de exhib. etc. a. V, f. 233 ».

cen. regimini Catacen. ecclesiae praesidente *etc.* Postmodum vero praedicta ecclesia per obitum ipsius Petri episcopi, qui extra Romanam *etc.* demum ad te ordinis Minorum professorem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VII kal. septembris, ... anno V.

182. Archidiacono de Reyna in ecclesia Hispalen. mandat, ut Nunio Fernandi de Benavides, fratri ordinis tertiae regulae S. Francisci de poenitentia nuncupati, ex utroque parente de nobili genere procreato, Legionen. dioec., conferat eremitorium B. Mariae Albae, Hispalen. dioec. (1).

1435, augusti 26, Florentiae.

Ad ea ex Apostolicae Sedis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VII kal. septembris, ... anno V.

183. Approbat introductionem observantiae vigentis in monasterio S. Clarae Mantuan. in monasterium Corporis Christi, Ferrarien. O. S. Cl. (2).

1435, augusti 30, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Humilibus supplicum votis *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Viridis de Piis de Carpo, domicellae nullius dioec., Nobis fuit expositum, quod ipsa quoddam monasterium monialium sub vocabulo Corporis Christi pro una abbatissa et nonnullis monialibus ordinis S. Clarae, quae sub perpetua clausura et secundum eiusdem sanctae regulam vivere deberent, cum ecclesia, campanili, ... officinis in civitate Nostra Ferrarien. fundare et dotare proponebat: Nos ad ipsius Viridis supplicationis instantiam dilecto filio abbati monasterii de Gavello, Adrien. dioec., eius proprio nomine non expresso per alias Nostras litteras dedimus in mandatis, ut praedictae Viridi monasterium huiusmodi cum ecclesia, campanili ... fundandi ... in loco ad id congruo licentiam concederet ac eidem abbati quascumque mulieres dictum monasterium ... intrare volentes, si alias essent idoneae et aliquod canonicum non obsisteret, in dicto monasterio recipiendi eisque regularem habitum exhibendi ac professionem regularem huiusmodi ab eis recipiendi necnon pro earum instructione de quocumque monasterio dicti ordinis aliquas moniales, vita laudabili et moribus commendatas ad id tamen voluntarias, tot quot iuxta eiusdem monasterii facultates sustentari et incumbentia eis pro tempore onera supportare valerent, superiorum suorum petita licet non obtenta licentia ad huiusmodi novum monasterium transferendi ac unam ex eis pro ea vice in abbatissam dicti novi monasterii praeficiendi concessimus facultatem, prout in dictis litteris plenius continetur (3). Cum autem, sicut accepimus, ipsa Viridis earumdem litterarum vigore monasterium ipsum Corporis Christi fundaverit et construxerit seu construi et fundari fecerit in civitate memorata, et post consummationem ipsius nonnullae mulieres inibi in moniales receptae fuerint ac professionem huiusmodi emiserint regularem cupiantque in ipso monasterio Corporis Christi sub regulari observantia degere et perpetuo ad instar monialium monasterii S. Clarae Mantuan. dicti ordinis Altissimo famulari, pro parte ipsius Viridis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... monialibus ipsius monasterii Corporis Christi tam praesentibus quam futuris in perpetuum, ut in huiusmodi regulari observantia, quae in praefato monasterio S. Clarae Mantuan. geritur et habetur, se conformare eamdemque observantiam tenere et secundum illam vivere et degere valeant, constitutionibus ... nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur, quodque quoties ipsum monasterium Corporis Christi abbatissae regimine destitui contigerit, abbatissam iuxta morem dicti ordinis moniales huiusmodi pro tempore exsistentes in dicto monasterio Corporis Christi eligere valeant, ipsis ac earum successoribus in perpetuum eadem auctoritate concedimus per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, III kal. septembris, ... anno V.

184. Concedit facultatem recipiendi tria loca pro usu et habitatione fratrum O. F. M. de observ. in provincia Apuliae (4).

1435, septembris 11, Florentiae.

Dilecto filio Antonio de Andria, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum professori, in provincia Apuliae secundum morem dictorum fratrum vicario.

Admonet nos suscepti cura *etc.* (*ut supra* n. 180, p. 90).

Datum Florentiae, anno ... 1435, III idus septembris, ... anno V.

(1) Reg. Lat. t. 330, f. 177v.

(2) Reg. Lat. t. 330, f. 184; Waill. *Reg. pont.* Eug. IV. n. 75. — De monasterio O. S. Cl. Mantuan. cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1462, p. 543; n. 1578, p. 595; n. 1603, p. 603; n. 1669, p. 637.

(3) Cf. sup. n. 5, p. 12.

(4) Reg. Lat. t. 330, f. 178.

185. Iacobum de Varenis O. F. M. instituit episcopum Sareptan. (1).

1435, septembris 12, Florentiae.

Dilecto filio Iacobo de Varenis electo Sareptan.

Ex susceptae servitutis officio *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Iohanne episcopo Sareptan. regimini ecclesiae Sareptan. praesidente *etc.* Postmodum vero praedicta ecclesia per obitum ipsius Iohannis episcopi, qui extra Romanam curiam *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum, in theologia professorem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, prid. idus septembris, ... anno V (2).

186. Concedit indulgentias pro ecclesia fratrum III O. S. Fr. sub vocabulo S. Mariae Magdalenae de Capesal, Astoricen. dioec. (3).

1435, septembris 26, Florentiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, quaedam domus fratrum de tertia regula S. Francisci sub vocabulo B. Mariae Magdalenae del Capesal, sita infra limites parochiae parochialis ecclesiae S. Eulaliae del Tremor, Astoricen. dioec., ex pia christifidelium largitione pro habitatione dictorum fratrum noviter cum ecclesia et aliis officinis fundata, in huiusmodi officinis reparatione plurimum indigeat non modicum sumptuosa, ad quam faciendam christifidelium suffragia noscuntur necessario opportuna, Nos cupientes *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis et Corporis Domini nostri Iesu Christi, pentecostes, necnon in nativitatis, annuntiationis, purificationis et assumptionis B. Mariae Virginis, nativitatis B. Iohannis Baptistae, dictorum apostolorum [Petri et Pauli] ac in ipsius ecclesiae dedicationis festivitatibus necnon in celebritate omnium sanctorum ac per ipsarum nativitatis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis, Corporis Domini necnon nativitatis et assumptionis B. Mariae ac nativitatis B. Iohannis ac apostolorum praedictorum festivitatum octavas et per sex dies dictam festivitatem pentecostes immediate sequentes necnon ipsius B. Mariae Magdalenae ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad reparationem et conservationem praemissas manus adiutrices porrexerint, singulis videlicet festivitatum ac celebritatum tres annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum praedictorum diebus, quibus ecclesiam huiusmodi visitaverint et ad conservationem et reparationem praemissas manus adiutrices porrexerint, ut praefertur, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus post viginti annis minime valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VI kal. octobris, ... anno V.

187. Mandat, ut fratribus domus S. Francisci O. F. M. de Monte Florentino, Feretran. (Montefeltro) dioec., concedat licentiam alienandi quamdam domum in castro S. Sixti eiusdem dioec. (4).

1435, octobris 5, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Feretran.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Francisci guardiani et fratrum domus S. Francisci de Monte Florentino, ordinis eiusdem sancti, Feretran. dioec., petitio continebat, quod olim guardianus, lector et fratres dictae domus, qui tunc erant, de licentia bon. mem. Benedicti episcopi Feretran., praedecessoris tui, quamdam domum in castro S. Sixti dictae dioec. de eleemosynis christifidelium fundarunt cum campanili et campana in qua quidem domo missas et alia divina officia quandoque celebrarunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dicta domus ex certis causis a longo tempore citra per eosdem fratres derelicta et inhabitata fuerit, dubiteturque ipsam, nisi aliter disponatur, tendere verisimiliter ad ruinam et propterea esse ipsis guardiano et fratribus penitus inutilem, cupiantque pro satisfaciendo nonnullis eorum debitis, quae pro reparatione domus S. Fran-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 76: « e l. 1 de exhib. etc. a. V, f. 232 ».

(2) Immediate post hanc bullam Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 77, invenitur bulla supra posita sub n. 128, p. 66; d. d. 22 sept. 1435. Cum eo in indicatione anni concordat Eubel, *Hier. cath. med. aevi* II², p. 138. Sed in codice, unde Wadd. hanc bullam deprompsit (l. 1 de exhib. etc. a. IV f. 290. Reg. Lat. t. 324, f. 290) legitur Dat. anno 1434, X kal. octobris, anno IV. Apud Eubel, l. cit. episcopatus Coronen. vacasse dicitur obitu Iacobi.

(3) Reg. Lat. t. 364, f. 210.

(4) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 78: « e l. 3 de regular. etc. a. I, f. 23 ». Eadem prorsus bulla legitur Reg. Vat. t. 366, f. 342, ubi tamen inscribitur: Dilecto filio Ancharano, decretorum doctori, vicario venerabilis fratris episcopi Ariminen. In fine deest annus incarnationis et dies: Datum Florentiae, augusti anno IX. De domo Montisflorentin. cf. Flamin. Annibali da Latera, *Ad Bullarium Franciscanum supplementum,* Romae 1780, p. 20.

cisci de Monte Florentino praedicto contraxerunt, dictam domum, sicut praefertur, in dicto castro constructam vendere et alienare eiusque pretium in satisfactionem debitorum huiusmodi convertere, pro parte guardiani et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praedictis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, ... guardiano et fratribus praedictis domum huiusmodi vendendi et alienandi pretiumque pro satisfactione debitorum praedictorum convertendi et alia faciendi, quae in praemissis et circa praemissa necessaria fuerint et etiam opportuna, auctoritate Nostra licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, III non. octobris, ... anno V.

188. Monasterium S. Ursulae monialium O. S. Ben. Florentin. tradit Magdalenae Maffucii de Perusio, ministrae sororum III Ord., uniendo cetera bona et possessiones eiusdem monasterii cum monasterio S. Agathae O. S. B. Florentin. (1).

1435, octobris 7, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii debitum *etc.* Nuper siquidem venerabili fratre Nostro Thoma, episcopo Tragurien., generali administratore ecclesiae Florentinae ac ad visitationem quorumlibet civitatis Florentinae monialium monasteriorum ordinum quorumcumque a Nobis tunc specialiter deputato et nonnullis dictae civitatis fide dignis civibus referentibus et insinuantibus per Nos accepto, quod monasterium S. Ursulae Florentin., ordinis S. Benedicti, ex negligentia et malo regimine regulari observantia et quasi divino cultu penitus destitutum erat, quodque etiam in religionis vilipendium et malum exemplum etiam plurimorum plura in spiritualibus et temporalibus patiebatur detrimenta, Nos, tunc ex praemissis et aliis tunc expressis rationabilibus causis dignitatem abbatissalem ac praefatum ordinem in eodem monasterio supprimentes ac illius abbatissam tunc exsistentem regimine et administratione praefati monasterii privantes et ab illis realiter amoventes eamque et singulas illius moniales ad monasterium S. Agathae Florentin. dicti ordinis transferentes, omnia et singula earum ac dicti monasterii S. Ursulae et ad illa pertinentia terras, vineas et immobilia bona ac census et redditus praefato monasterio S. Agathae perpetuo concessimus, donavimus, appropriavimus et applicavimus, monasterium S. Ursulae praefatum seu illius ecclesiam ac infra eius septa dumtaxat consistentia domos, habitationes, curias, hortos et hortalitia a concessione et aliis praemissis dumtaxat excipiendo ac ordinationi et dispositioni Nostrae specialiter reservando, prout in Nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Nos, ne monasterium ipsum S. Ursulae ob gubernatoris carentiam corrui et ad profanos usus deduci contingat, providere volentes ac sperantes, quod illud sub bono et felici regimine dilectarum in Christo filiarum Magdalenae Maffucii de Perusio ministrae et aliarum sororum seu religiosarum ordinis sororum de poenitentia tertii ordinis S. Francisci nuncupati, quae sub suavi religionis iugo et vitae castimonia suum Altissimo exhibent famulatum, plura in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa, motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, monasterium S. Ursulae praedictum seu ecclesiam, domos ... huiusmodi tam ministrae quam universis aliis dicti ordinis sororibus de poenitentia in illius regulari observantia dumtaxat degentibus praesentibus et futuris religiosis et sororibus praedictis ac eidem ordini sororum de poenitentia, ita quod de cetero domus sororum S. Francisci nuncupetur, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, damus, perpetuo appropriamus et etiam applicamus, ita quod liceat ministrae dicti ordinis sororum de poenitentia pro tempore exsistenti ac praefatis sororibus seu religiosis per se vel alium seu alios corporalem ecclesiae, domorum, habitationum, curiarum, hortorum et hortalitiorum praedictorum possessionem auctoritate propria libere apprehendere et pro earum perpetuis usu et habitatione retinere alicuius super hoc licentia minime requisita. Volumus autem, quod abbatissa dicti monasterii S. Agathae pro tempore exsistens ac illius conventus quoddam palatium seu quamdam domum cum illius horto et pertinentiis, muris et aedificiis dicto monasterio S. Ursulae contiguum seu contigua, et quod seu quam ipsae abbatissa et conventus monasterii S. Agathae huiusmodi vigore donationis, concessionis et aliorum praemissorum eis factorum huiusmodi possidere et ad eas praesentialiter pertinere noscuntur, ad omnem ipsarum ministrae ac religiosarum seu sororum in monasterio S. Ursulae seu earum domo huiusmodi pro tempore degentium

(1) Reg. Lat. t. 334, f. 1, et iterum f. 17.

requisitionem et voluntatem pro convenienti pretio vendere et venditionis titulo eis libere concedere et dare teneantur et ad huiusmodi venditionem faciendam ex nunc adstrictae penitus censeantur. Et insuper ministrae et aliis sororibus seu religiosis in earum domo huiusmodi pro tempore degentibus illarumque servientibus et personis, ut ipsae ac earum singulae omnibus et singulis dicti ordinis sororum de poenitentia in civitate Perusin. et alias ubilibet consistentibus sororibus et religiosis locis generaliter vel specialiter a Sede Apostolica vel alias concessis privilegiis ... uti valeant pariter et gaudere, auctoritate praefata harum serie indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, nonis octobris, ..., anno V.

189. Concedit licentiam recipiendi tria loca infra provinciam Romanam consistentia pro usu et habitatione fratrum O. F. M. de observ. (1).

1435, octobris, 9 Florentiae.

Dilecto filio Nulfo de Viterbio, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum professori, in provincia Romana secundum morem dictorum fratrum vicario.

Admonet nos suscepti cura regiminis *etc.* (*ut supra* n. 180, p. 90).

Datum Florentiae, anno ... 1435, VII idus octobris, ... anno V.

190. Concedit licentiam fundandi duas domos O. F. M. de observ. intra provinciam Mediolani (2).

1435, octobris 11, Florentiae.

Dilecto filio Christophoro de Monza ordinis fratrum Minorum professori.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod tu, qui, ut asseris, ordinem fratrum Minorum expresse professus exsistis ac sub illius regulari observantia hactenus laudabiliter vixisti, prout vivis etiam de praesenti, pro religionis incremento ac cultus augmento huiusmodi infra provinciam Mediolanensem duas domus cum ecclesiis, campanilibus, campanis, claustris, dormitoriis, refectoriis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione perpetuis nonnullorum dicti ordinis fratrum sub huiusmodi observantia dumtaxat degentium etiam fidelium mediante suffragio construere et erigere seu construi et erigi facere ferventius concupiscis pariter et intendis. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi in duobus locis infra dictam provinciam consistentibus ad id tamen congruis et honestis, quae ad hoc duxeris eligenda, duas domus praedictas cum ecclesiis, campanilibus, ... officinis perpetuis pro usu et habitatione praefatis etiam cum suffragio huiusmodi construendi et erigendi ... illasque seu duas alias similes domos infra dictam provinciam consistentes pia eorumdem fidelium largitione forsan in parte vel in toto constructas recipiendi et retinendi iure parochialis ecclesiae ... salvo auctoritate apostolica plenam et liberam tenore praesentium licentiam elargimur. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, V idus octobris, ... anno V.

191. Guardiano et fratribus conventus Toletan. O. F. M. concedit remissionem plenariam in articulo mortis (3).

1435, octobris 11, Florentiae.

Provenit *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, V idus octobris, ... anno V.

192. Alphonsum de Guadafagaria (Guadalajara) O. F. M., theol. professorem, qui sine debita facultate fundaverat domum O. F. M. in loco S. Mariae de la Oliva, Toletan. dioec., absolvit a censuris et fundationem dictae domus approbat (4).

1435, octobris 13, Florentiae.

Dilecto filio archidiacono ecclesiae Toletan.

Solet Apostolicae Sedis clementia *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte fratris Alphonsi de Guadafagaria, ordinis fratrum Minorum ac sacrae theologiae professoris, petitio continebat, quod olim ipse in loco S. Mariae de la Oliva, Toletan. dioec., quamdam domum cum ecclesia, campanili, ... officinis pro usu et habitatione nonnullorum dicti ordinis fratrum, qui inibi sub sacro religionis iugo ac regulari observantia sua Altissimo vota redderent, de quorumdam fidelium bonis et de licentia ordinarii dicti loci construi et aedificari fecit licet de facto ac illam sic constructam, credens illam ad id sibi sufficere, postmodum tenuit et in ea cum pluribus praefati ordinis fratribus in obser-

(1) Reg. Lat. t. 330, f. 161 v.
(2) Reg. Lat. t. 328, f. 152v. (3) Reg. Vat. t. 373, f. 283.
(4) Reg. Vat. t. 373, f. 278 v.; Wadd. *Reg. Pont.* Eug. IV, n. 79. — De Alphonso cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1010, p. 345; n. 1149, p. 397; n. 1157, p. 401; n. 1163, p. 404; n. 1364, p. 496; n. 1802, p. 693a, 694b.

vantia huiusmodi laudabiliter habitavit, prout illam nonnulli ex eis etiam inhabitant de praesenti etiam de facto. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ad ipsius fratris Alphonsi notitiam nuper pervenerit, quod praemissa absque speciali dictae Sedis licentia fieri non poterant, pro parte dicti fratris Alphonsi Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus Alphonsum et omnes ac singulos, qui in dicta domo hactenus habitarunt et hodie habitant, fratres praedictos, si id humiliter petierint, ab excommunicationis sententia ... auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesiae consueta ... ac insuper cum ipsis super irregularitate ... dispenses. Et nihilominus postmodum Alphonso et fratribus praedictis in domo praefata remanendi illamque pro usu et habitatione perpetuis huiusmodi retinendi ... contrariis nequaquam obstantibus plenam et liberam eadem auctoritate licentiam largiaris. Nos enim insuper, ut guardianus et fratres in dicta domo pro tempore degentes ... omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, III idus octobris, ... anno V.

193. Fratres eremitorii S. Iuliani de la Cabrera O. F. M., sine licentia apostolica erecti, absolvit a censuris et fundationem dicti conventus approbat (1).

1435, octobris 13, Florentiae.

Dilecto filio archidiacono de Guadalfagara, in ecclesia Toletan.

Romani Pontificis providentia *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte fratrum domus seu eremitorii conventus S. Iuliani de la Cabrera, ordinis fratrum Minorum, Toletan. dioec., petitio continebat, quod olim ipsi a triginta annis et ultra iam elapsis domum sive eremitorium praedicta cum ecclesia, campanili, ... officinis pro usu et habitatione nonnullorum sui ordinis fratrum, qui inibi ... de licentia et auctoritate cuiusdam officialis Toletan. Sede ipsa vacante, construi et aedificari fecerunt ac illam sic constructam, credentes illam ad id sibi sufficere, de facto postmodum tenuerunt *etc.* [*fere ut in bulla praecedenti*].

Datum Florentiae, anno ... 1435, III idus octobris, ... anno V.

194. Garsiam de Toleto, O. F. M., domus S. Francisci del Monte, Corduben. dioec., presbyterum, dispensat a defectu natalium, ut ad quaecumque ordinis officia assumi possit (2).

1435, octobris 13, Florentiae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, III idus octobris, ... anno V.

195. Concedit facultatem recipiendi quinque loca ubicumque exsistentia pro usu et habitatione fratrum O. F. M. de observantia (3).

1435, octobris 13, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni de Capistrano, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum professori.

Inter ecclesiasticos ordines in domo Domini militantes id ex benedictione coelesti ordini tuo et illius fratribus magis adscribitur, ut efficax testatur experientia rerum, quod ubicumque degunt, populos ad salutis gratiam evocant, sibi proficientes per vitae meritum et aliis nihilominus per exemplum. Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, saepe contingat nonnullos christifideles ex devotione, quam ad dictum ordinem habent, tuisque sermonibus allici ad terrena in coelestia commutandum, qui pro ipsorum maiorumque suorum animarum salute loca quaedam pro usu et habitatione tui ordinis fratrum fundarent ... vel fundata ... concederent, si ad id Sedis Apostolicae suffragaretur auctoritas. Et sicut eadem petitio subiungebat, si quinque loca pro usu et habitatione huiusmodi fundandi ... aut fundata ... recipiendi a Sede praedicta facultatem haberes, profecto plurimorum animas Deo lucrifacere posse sperares. Nos igitur ... tibi necnon pro tempore exsistentibus quarumcumque provinciarum iuxta morem fratrum Minorum de observantia nuncupatorum vicariis quinque loca ubicumque consistentia cum ecclesiis, campanilibus, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis, si tibi aut illis alias canonice consignentur vel in locis ad id congruentibus et honestis vobis per eosdem christifideles forsitan assignandis domibus cum ecclesiis, campanilibus, ... officinis huiusmodi fundari, construi et aedificari faciendi ac recipiendi et perpetuo retinendi dioecesanorum locorum, in quibus huiusmodi loca fuerint, aut eiusdem ordinis superiorum licentia minime requisita eadem auctoritate tenore praesentium concedimus facultatem. Et insuper ... fratribus, quos in locis huiusmodi pro tempore residere contigerit, ut om-

(1) Reg. Vat. t. 373, f. 280; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 80.
(2) Reg. Vat. t. 373, f. 282v.
(3) Reg. Lat. t. 330, f. 162v; Wadd. *Ann.* t. XI, ad a. 1441, n. 5.

nibus et singulis indulgentiis *etc.* iure tamen *etc.* non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, III idus octobris, ... anno V.

196. Committit causam appellationis monasterii S. Clarae de Bethlehem oppidi Brugen. et multorum oppidanorum contra Symonem ministrum provincialem O. F. M. in regno Franciae (1).

1435, octobris 15, Florentiae.

Dilectis filiis praeposito et decano ecclesiae S. Donatiani Brugen., Tornacen. dioec. ac officiali Tornacen.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Clarae de Bethlehem, oppidi Brugen., ordinis eiusdem sanctae, Tornacen. dioec., petitio continebat, quod olim dilectus filius Symon, provincialis domorum regni Franciae eiusdem ordinis minister, nulla subsistente causa rationabili, sed pro suae voluntatis libito abbatissae et conventui praedictis per suas certi tenoris litteras mandavit, ut sub excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis tunc expressis dilectos filios Petrum Mercerii et Thomam Fabri, ordinis fratrum Minorum professores, in ipsius abbatissae et eiusdem monasterii sororum confessores infra ipsius monasterii septa reciperent et admitterent ac eis de vitae necessariis providerent, quodque abbatissa et conventus praedictae ex tunc in antea nullam, nisi duodecimum aetatis annum attingeret, in praefato monasterio sororem admitterent, a quo quidem mandato abbatissa et conventus praedictae, quamprimum ad earum notitiam pervenerat, sentientes exinde indebite se gravari, ad Sedem Apostolicam appellarunt. Et deinde pro parte dilectorum filiorum Iacobi Brelloos, Balduini Maerscale, Petri Maerscale, Thomae Bonin, Iacobi Heldebolle, Tidemanni Bonin, Iohannis de Messem, Ludovici de Roden, Andreae de Roden, Iacobi de Bursa, Eligii de Cassele, Nicolai Calkere, Iacobi Hagelsteen, Iacobi de Teemseke, Walteri Metteneye, Iacobi Bonin, Ioseph Reyfin, Iacobi Biese senioris, Iacobi Biese iunioris, Iohannis Wyaert, Livini Poltus, Petri le Cuer, Iohannis de Mimte, Dionysii de Mimte, Colardi Lamendeur, Andreae Dynaert, Dionysii Pluumcopere, Iacobi Heste, Arnoldi de Wilde, Wilhermi de Ghisen, Petri Numann, Adriani Diserm, Ludovici Halle, Iohannis de Niwenhove, Rolandi Haghelinc, Egidii Hagheling, Petri Vander Mane, Cornelii Boit et Iohannis Smeekaert, oppidanorum dicti oppidi, rem ipsorum in ea parte agi conspicientium, fuit ab eodem ministro humiliter postulatum, ut mandatum praedictum, quatenus ipse minister ad illud de facto processerat, revocaret. Et quia praefatus minister id facere contra iustitiam recusavit, super hoc pro parte dictorum oppidanorum loco et tempore congruis requisitus, praefati oppidani, sentientes exinde indebite se gravari, etiam ad Sedem appellarunt eamdem, ipsique abbatissa et conventus ac oppidani Nobis humiliter supplicarunt, ut causas appellationum huiusmodi et negotii principalis aliquibus in partibus illis committere et alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum vocatis dicto ministro necnon aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hincinde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.* Seu ne iudices *etc.* Aut si ministro *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, idibus octobris, ... anno V.

197. Iohannae Garsiae de Palentia, moniali professae monasterii S. Clarae Palentin., ordinis eiusdem sanctae, concedit plenariam remissionem in articulo mortis (2).

1435, octobris 19, Florentiae.

Provenit *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, XIV kal. novembris, anno V.

198. Committit causam appellationis prioris domus S. Dominici, O. Praed., et guardiani domus S. Francisci O. F. M., Nicien. (Nizza) contra Iohannem de Valli, officialem Nicien. circa exemptionem a iurisdictione episcopi Nicien. (3).

1435, octobris 27, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Grassen. et dilecto filio priori prioratus de Pilia, Nicien. dioec.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum prioris S. Dominici et guardiani S. Francisci domorum Nicien., fratrum Praedicatorum et fratrum Minorum ordinum, et ipsarum domorum fratrum petitio continebat, quod licet dictae domus ac personae degentes in eisdem fuerint, prout sunt, ab omni iurisdictione, dominio et potestate venerabilis fratris Nostri epi-

(1) Reg. Lat. t. 330, f. 160v. (2) Reg. Lat. t. 334, f. 285v. (3) Reg. Lat. t. 330, f. 170v.

scopi Nicien. ac dilectorum filiorum suorum officialium necnon quorumcumque ordinariorum iudicum per specialia Apostolicae Sedis privilegia prorsus exemptae et eidem Sedi immediate subiectae, ita quod etiam ratione delicti, contractus aut rei, de qua agitur, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus aut res ipsa consistat, episcopus, officiales et iudices praedicti non possint in domos et personas praefatas, utpote prorsus exemptas, iurisdictionem, potestatem seu dominium aliquod exercere ipsaeque domus et personae fuissent in pacifica possessione vel quasi exemptionis et libertatis huiusmodi a tempore concessionis privilegiorum praedictorum, et etiam cuius contrarii memoria non exsistit, tamen dilectus filius Iohannes de Valli, canonicus Vencien., officialis Nicien., minus veraciter praetendens domos et personas praedictas praefato episcopo fore subiectas, priori, guardiano et fratribus praefatis per suas certi tenoris litteras inhibuit sub excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis tunc expressis, ne deinceps in civitate Nicien. aliquos actus citra curam animarum, vel per quos illa exerceri videretur, quomodolibet facerent nec etiam pro tumulandis defunctorum corporibus dictas domos stola induti exirent, alioquin eos sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse declararet ac mandaret et faceret excommunicatos publice nuntiari, pro parte vero prioris, guardiani et fratrum praedictorum fuit coram eodem officiali excipiendo propositum, quod cum domus et personae praedictae forent, prout sunt, ab omni iurisdictione, dominio et potestate episcopi, officialium et iudicum praedictorum per specialia dictae Sedis privilegia prorsus exemptae et eidem Sedi immediate subiectae, ita quod etiam ratione delicti, contractus aut rei, de qua agitur, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus aut res ipsa consistat, episcopi, officiales et iudices praedicti non possint in domos et personas praefatas, utpote penitus exemptas, iurisdictionem, dominium aut potestatem aliquam exercere, ipsaeque domus et personae fuissent in pacifica possessione vel quasi exemptionis et libertatis huiusmodi a tempore concessionis privilegiorum praedictorum, et etiam cuius contrarii memoria non exsistit, prout prior, guardianus et fratres praedicti erant legitime probare parati, praefatus officialis ad inhibitionem huiusmodi procedere de iure non poterat neque debebat, ac illi prior, guardianus et fratres praedicti parere minime tenebantur. Et quia dictus officialis eos super his contra iustitiam audire recusavit, prior, guardianus et fratres praedicti, sentientes exinde indebite se gravari, ad Sedem appellarunt eamdem Nobisque humiliter supplicarunt, ut causam appellationis huiusmodi et negotii principalis aliquibus in partibus illis committere *etc.* Nos itaque ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel alter vestrum vocatis dicto officiali necnon aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hincinde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.* Seu ne iudices *etc.* Aut si officiali *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VI kal. novembris, ... anno V.

199. Iohannam, filiam Alphonsi comitis de Gion, monialem O. S. Cl. dispensat a defectu natalium, ut ad quascumque dignitates et officia assumi possit (1).

1435, octobris 31, Florentiae.

Digna reddimur attentione *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, pridie kal. novembris, ... anno V.

200. Beatrici Suarez, O. S. Cl., monasterii S. Clarae de Carrione, Palentin. dioec., in abbatissam eiusdem monasterii postulatae, concedit dispensationem a defectu natalium (2).

1435, octobris 31, Florentiae.

Romani pontificis praecellens auctoritas *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, pridie kal. novembris, ... anno V.

201. Nicolaum del Neno O. F. M. instituit episcopum Tripolitan. (in Syria) (3).

1435, novembris 14, Florentiae.

Dilecto filio Nicolao del Neno, electo Tripolitan.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Petro, episcopo Tripolitan., regimini Tripolitan. ecclesiae praesidente *etc.* Postmodum vero praedicta ecclesia per obitum eiusdem Petri episcopi, qui extra Romanam *etc.* demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, XVIII kal. decembris, ... anno V.

---

(1) Reg. Lat. t. 330, f. 168 v.
(2) Reg. Lat. t. 330, f. 169 v.
(3) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 81: « e l. 1 de exhib. etc. f. 257 ». — Apud Eubel, *Hier. cath. med. aevi*, II², 256, dicitur Nicolaus de Rheno de Onidia.

202. Concedit fratribus domus B. Mariae de Iesu O. F. M., Messanen dioec., exemptionem, ne de bonis relictis pro prosecutione suae ecclesiae solvere teneantur portionem canonicam sive quartam partem (1).

1435, novembris 17, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Ad ea ex iniuncto Nobis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum conventus domus B. Mariae de Iesu, ordinis fratrum Minorum, Messanen. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet plures illarum partium fideles ob singularem, quem ad ordinem necnon conventum et domum praedictos gerunt devotionis affectum, in ultimis per eos voluntatibus ordinandis certam suorum bonorum seu pecuniarum partem pro fabrica et ulteriori constructione ecclesiae praefatae domus, quae ad sui perfectionem nondum deducta est, legare et relinquere proponant pariter et intendant; tamen quia archiepiscopus Messanen. pro tempore exsistens quartam similium relictorum aut legatorum partem, communiter canonicam portionem nuncupatam, detrahere et ad se recipere nititur, ipsi propterea fideles in huiusmodi propositi exsecutione plurimum retardantur in ordinis ac conventus necnon domus praedictorum praeiudicium non modicum et gravamen. Quare pro parte dictorum conventus *etc.* Nos igitur ... volumus et auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, decernimus et ordinamus, quod omnia et singula de quibuscumque pecuniis, rebus et bonis mobilibus et immobilibus ad ulteriorem prosecutionem et perfectionem structurarum et aedificiorum ecclesiae huiusmodi legata et relicta facienda et ordinanda absque eo, quod illorum quarta pars per archiepiscopum praedictum aliqualiter detrahatur, in fabricam et perfectionem ecclesiae huiusmodi integre de cetero convertantur et exponantur, quodque archiepiscopus praedictus vigore alicuius consuetudinis seu iuris ordinarii, cui dumtaxat quoad hoc specialiter derogamus, nullatenus ipsam quartam exigere seu ad se recipere, sed illam ut praemittitur, convertendam libere dimittere debeat, districtius inhibentes eidem archiepiscopo, ut contra voluntatem, statutum et ordinamentum huiusmodi quoquo modo venire aut facere audeat vel praesumat, decernentes ex nunc irritum et inane, quidquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, XV kal. decembris, ... anno V.

203. Sororibus domus S. Hieronymi III O. S. Fr. Senen. concedit absolutionem a censuris et facultatem eligendi sibi ministram (2).

1435, novembris 26, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Senen.

Gloriae perennis et aeternae beatitudinis *etc.* Sane pro parte universarum sororum domus S. Hieronymi Senen., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsae prorsus tunc ignarae cuiusvis apostolicae constitutionis id prohibentis, ob melioris vitae frugem cupientes in humilitatis et paupertatis spiritu devotum et sedulum sub regulari observantia famulatum Altissimo impendere, praefatam domum, infra limites parochiae parochialis ecclesiae S. Stephani Senen. consistentem ac tunc eis rite donatam, pro ipsarum usu et habitatione receperunt et acceptarunt inibique sub observantia praemissa fuerunt aliquamdiu laudabiliter conversatae. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, sorores ipsae timeant, quod occasione receptionis et acceptationis huiusmodi per quasvis apostolicas constitutiones excommunicationis vel aliis ecclesiasticis sententiis, censuris sive poenis forsitan ligatae sint, et, ut eiusdem domus sorores pro tempore exsistentes ad huiusmodi observantiam ferventius animentur atque constringantur, ex eis unam, sub cuius regimine et directione ibidem reliquae degere possint, ipsis reliquis praefici concupiscant, pro parte dictarum sororum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus dictas sorores, si hoc humiliter petierint, ab eisdem sententiis, censuris et poenis ... auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesiae consueta iniunctis eis *etc.* Et insuper dictis sororibus, ut sub tua ac successorum tuorum episcoporum Senen. necnon rectoris eiusdem, qui pro tempore fuerint, obedientia persistentes ipsam domum pro praemissis usu et habitatione retinere, quodque ex eis unam, quae reliquis huiusmodi praesit ac ipsas regere et gubernare necnon eiusdem domus negotia dirigere debeat, et cuius salubribus monitis et mandatis praefatae reliquae sorores parere et obedire teneantur, iuxta ritum et consuetudinem dicti ordinis in ministram eligere, et quam suis demeritis exigentibus visitator ipsius ordinis, quem dictae reliquae sorores iuxta regularia praefati ordinis instituta pro tempore duxerint eligendum, de consilio et assensu reliquarum sororum earumdem

(1) Reg. Lat. t. 334, f. 70v.

(2) Reg. Lat. t. 331, f. 31.

deponere necnon eius loco seu dicta ministra decedente aliam idoneam ex eis in ministram ibidem assumere, quodque dicta ministra mulieres de saeculo fugientes et in dicta domo residere volentes in sorores inibi recipere ipsisque habitum per praefatas sorores gestari solitum exhibere necnon ab illis professionem per dictas sorores emitti consuetam, si eam sponte emittere voluerint, etiam recipere, quodque visitator ipse, quotiens ei visum fuerit expedire, ministram, sorores et domum praedictas ipsius tamen septa domus non intrando visitare ac inibi reformationis ministerium impendere possit et valeat, auctoritate concedas antedicta. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VI kal. decembris, ... anno V.

204. Nicolao episcopo Tripolitan., O. F. M., concedit facultatem exercendi pontificalia in regno Cypri (1).

1435, decembris 6, Florentiae.

Sincerae devotionis affectus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VIII idus decembris, ... anno V.

205. Eidem concedit facultatem secum habendi socium fratrem O. F. M. (2).

1435, decembris 6, Florentiae.

Venerabili fratri Nicolao episcopo Tripolitan.

Ad apostolicae dignitatis apicem *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu ad infidelium et schismaticorum terras et loca, ut inibi aliquorum mentes orthodoxae fidei catholicae intelligentia illustrare et ad dictam fidem reducere valeas, intendas personaliter proficisci et propterea aliquorum, qui tibi in praemissis ac aliis ingruentibus negotiis, consiliis et auxiliis assistere possint, socialis praesentia tibi fore noscatur plurimum opportuna et ad fratres ordinis fratrum Minorum, quem etiam expresse professus exsistis, singularem geras devotionis affectum, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, ... ut unum ex eiusdem ordinis professoribus, quem ad hoc elegeris, tecum habere ac tenere libere et licite possis et valeas eiusdem professoris superioris licentia non petita, tibi ac eidem professori auctoritate apostolica concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VIII idus decembris, ... anno V.

206. Concedit fratribus domus S. Francisci extra muros castri Montisgranarii, O. F. M., ut possint transferre domum suam ad oratorium S. Mariae *delle Grazie* intra dictum castrum data recompensatione fratribus domus S. Augustini, O. Eremit. S. Aug., ad quos illud oratorium pertinere asseritur (3).

1435, decembris 12, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Firmani de Monte-Lupone, Firman. dioec.

Humilibus supplicum votis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Francisci extra muros castri Montis-Granarii, ordinis Minorum, Firman. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet Nos dudum eis, ne propter guerras, quae in illis partibus viguerunt, dicta domus, quae extra dictum castrum exsistit, receptaculum inimicorum fieret, ex quo dicti castri destructio sequi verisimiliter potuisset, ut dicta domo dimissa alium locum infra dictum castrum ad eorum habitationem ac ecclesiae cum campanili, ... officinis aedificationem congruum recipere liceret, per alias Nostras litteras concessimus, prout in eisdem litteris plenius continetur. Nihilominus, postquam ipsi quoddam oratorium S. Mariae « de le Grazie » nuncupatum et per dilectos filios populum dicti castri fundatum ac ad praemissa congruum reppererunt, a nonnullis asseritur in ipsius oratorii solo domum fratrum eremitarum S. Augustini fundatum antiquitus, seu dictum oratorium domui eorumdem eremitarum fratrum unitum, annexum et incorporatum auctoritate apostolica exstitisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praedicti ordinis Minorum fratres parati sint ab ipsius castri habitatoribus, qui ad rem huiusmodi afficiuntur, dari facere eisdem S. Augustini fratribus debitam recompensam, maxime cum eisdem alius locus infra dictum castrum auctoritate apostolica concessus exstiterit, quem commode inhabitant de praesenti, pro parte dictorum Minorum fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut oratorium praedictum eis cum omnibus hortis, hortalitiis, adiacentiis, iuribus et

(1) Reg. Lat. t. 330, f. 74v. Cf. sup. n. 201, p. 97. Secundum Eubel, *Hier. cath. med. aevi*, II², p. 256, idem Nicolaus fuit suffraganeus episcopi Basileen. — Eadem die 6 decembris 1435 litteris *Personam venerabilis fratris Nostri Nicolai episcopi Tripolitan.* etc. Eugenius IV mandat episcopis Anteraden. et Agien. ac priori S. Georgii Nicosien., ut eidem Nicolao episcopo conferant capellas S. Catharinae prope plateam lanae et S. Blasii Nicosien. Reg. Lat. t. 330, f. 124.

(2) Reg. Lat. t. 329, f. 73v.

(3) Reg. Lat. t. 334, f. 26v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 82. — Cf. sup. n. 25, p. 20.

pertinentiis suis, in quo profecto quietius exhibebunt Domino famulatum et maxima exinde eisdem habitatoribus in spiritualibus et temporalibus poterit utilitas provenire, concedere ... dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus et committimus, quatenus, si est ita, data prius eisdem S. Augustini fratribus recompensa debita, ut praefertur, guardiano et fratribus Minoribus praedictis oratorium cum hortis, hortalitiis ac omnibus iuribus et pertinentiis huiusmodi apprehendendi inibique domum cum ecclesia, campanili, ... officinis fundandi ... domumque eorum extra muros huiusmodi existentem ad fundandam domum huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis transferendi fel. rec. Bonifacii Papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus licentiam auctoritate apostolica concedas, iure *etc.*, proviso, quod ecclesia extra muros praedictos sita, postquam translatio huiusmodi facta fuerit, ad profanos usus non revertatur.

Datum Florentiae, anno ... 1435, pridie idus decembris, ... anno V.

207. Antonium de Boccabellis (de Urbe), O. F. M. instituit episcopum Ferentin. (1).

1435, decembris 19, Florentiae.

Dilecto filio Antonio de Boccabellis, electo Ferentinat.

Romani pontificis *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Sixto episcopo Ferentinat. regimini Ferentinat. ecclesiae praesidente *etc.* Postmodum vero praedicta ecclesia per obitum eiusdem Sixti episcopi, qui extra Romanam curiam *etc.* Demum ad te ordinis Minorum professorem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, XIV kal. ianuarii, ... anno V.

208. Monialibus monasterii S. Clarae extra muros Cusentin. (Cosenza) O. S. Cl., quae propter guerras etc. iam a 50 annis inhabitaverant certas domos cum oratorio intra dictam civitatem, ad monasterium S. Cl. legitime pertinentes, concedit facultatem transferendi monasterium S. Cl. ad dictas domos (2).

1436, ianuarii 9, Florentiae.

Venerabili fratri archiepiscopo Cusentin.

Ex supernae providentia maiestatis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Clarae extra muros Cusentin., ordinis eiusdem sanctae, petitio continebat, ipsae, quae olim pro eo, quod propter guerras et alia mala, quae partes illas saepius oppresserant et tunc opprimebant, in praefato monasterio ob ipsius solitudinem tute residere non poterant, se ad quasdam domos in civitate Cusentin. consistentes et ad dictum monasterium legitime pertinentes transtulerunt illasque ex tunc per quinquaginta annos et ultra cum quodam inibi oratorio sub ipsius S. Clarae vocabulo ac regulari habitu conventualiter inhabitarunt, prout inhabitant de praesenti, non sperent rebus adhuc in sinistrum euntibus saltem his temporibus, in eodem monasterio posse tute residere ac propterea desiderent in dictis domibus et oratorio unum aliud monasterium sub eisdem vocabulo et ordine cum abbatissali dignitate et aliis insigniis necnon privilegiis et indultis ac ecclesia, campanili, campana ceterisque necessariis officinis ad instar dicti monasterii extra muros reservatis etiam ac translatis et applicatis ad huiusmodi aliud monasterium omnibus et singulis possessionibus, grangiis, terris et quibuslibet aliis immobilibus bonis ad dictum monasterium extra muros quomodolibet pertinentibus et tam iuxta illud, quam alibi ubilibet constitutis eorumque fructibus, redditibus et proventibus, in quo quidem alio, dimisso per eas dicto monasterio extra muros, cum eius aedificiis et structuris infra ipsius clausuram dumtaxat exsistentibus possint perpetuis futuris temporibus sub earum vita et ordine regularibus remanere suaque Altissimo quietius vota reddere, de novo erigi et creari: pro parte ipsarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et si per informationem huiusmodi ita esse necnon erectionem et creationem alterius monasterii huiusmodi, si fiant, ad regularem statum honestatemque dictarum abbatissae et conventus secundum Deum pertinere cognoveris, ... eis in praefatis domibus et oratorio huiusmodi aliud monasterium cum dignitate abbatissali ac insigniis, privilegiis, indultis, necnon ecclesia, ... officinis ac reservatione, translatione et applicatione possessionum et immobilium bonorum iuriumque et iurisdictionum huiusmodi sub praedictis vocabulo et ordine S. Clarae et alias ad instar dicti monasterii extra muros de novo creandi et erigendi ac in eo sub regularibus vita et habitu remanendi et virtutum Domino perpetuo famulandi auctoritate Nostra licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, V idus ianuarii, ... anno V.

---

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 83: « e l. 1 de exhib. etc. a. V, f. 210 ».

(2) Reg. Lat. t. 331, f. 26. De monasterio Cusentin. O. S. Cl. cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1648, p. 626; n. 1842, p. 713.

209. Monasterium S. Clarae extra muros Cusentin. O. S. Cl. sub vocabulo domus S. Mariae Magdalenae tradit fratribus O. F. M. de observ. provinciae Calabriae (1).

1436, ianuarii 9, Florentiae.

Venerabili fratri archiepiscopo Cusentin.

Sacrae religionis, sub qua dilecti filii Antonius de Valentia, vicarius, et alii fratres ordinis Minorum de observantia nuncupati provinciae Calabriae secundum ipsius ordinis morem devotum et sedulum in spiritu humilitatis exhibent Altissimo famulatum *etc.* Hodie siquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Clarae extra muros Cusentin., ordinis eiusdem sanctae, Nobis exposito, quod cum ipsae, quae olim pro eo, quod propter guerras *etc. (fere ut in bulla praecedenti)*, Nos tibi per alias litteras Nostras mandavimus, ut si per diligentem informationem *etc. (ut in praecedenti)*. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum vicarii et fratrum petitio continebat, in civitate praedicta et dioecesi Cusentin. fratres dicti ordinis de observantia nullum habeant locum praeter domum principalem, quam ex ordinatione Sedis Apostolicae et generalis ministri ad praesens inhabitant, ipsique vicarius et fratres, ut in agro militantis ecclesiae uberiores fructus afferre valeant, etiam dilectorum filiorum communis et hominum dictae civitatis suasionibus et precibus provocati, desiderent dicta principali domo dimissa unam ex huiusmodi domibus de observantia ibidem habere, pro parte ipsorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis dictum monasterium extra muros, si et postquam per praefatas abbatissam et conventum dimissum fuerit, ut praefertur, ad hoc, ut in eo una domus sive locus pro huiusmodi usu et habitatione aliquorum fratrum dicti ordinis de observantia erigatur, concedere ... dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita et ad hoc, quorum intererit, si qui fuerint, accedat assensus, praedictum monasterium exstinctis prius atque suppressis in eo abbatissali dignitate et monasterii nomine necnon vocabulo et ordine S. Clarae huiusmodi, praefato vicario et fratribus per eos sub vocabulo S. Mariae Magdalenae et dicto ordine de observantia pro usu et habitatione aliquorum ex ipsis cum ecclesia, campanili ... et aliis officinis infra huiusmodi illius clausuram dumtaxat exsistentibus, perpetuo tenendum, habendum et gubernandum eadem auctoritate concedas. Non obstantibus *etc.* iure tamen parochialis *etc.* Nos enim omnibus et singulis fratribus dicti ordinis Minorum, ... quod omnibus et singulis privilegiis *etc.* Volumus autem quod, quamprimum dicti vicarius et fratres possessionem praefati monasterii fuerint assecuti, dictam principalem domum omnino dimittere teneantur.

Datum Florentiae, anno ... 1435, V idus ianuarii, ... anno V.

210. Committit reformationem monasteriorum O. S. Cl. in dioec. Florentin. cassatis litteris episcopo Fesulan. et auditori camerae apostolicae datis (2).

1436, ianuarii 26, Florentiae.

Dilecto filio Guillelmo, generali ministro ordinis Minorum.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta nonnumquam acta et gesta per eam, ne altercationes et scandala pariant, corrigit, revocat et annullat, prout emergentium negotiorum seu personarum qualitate pensata salubriter expedire cognoscit. Dudum siquidem, cum ad Nostrum non sine gravi molestia pervenisset auditum, quod monasteria monialium ordinis S. Clarae Florentin. ac nonnulla alia Florentin. dioec. sub cura et protectione fratrum ordinis Minorum consistentia, ad quorum reformationem, cum tu coepisses intendere enormesque excessus corrigere statuisses, negotiis gravioribus Sedis Apostolicae ac universalis ecclesiae evocatus, tuum reformationis et correctionis propositum implere nequivisses, ex quo, cum dicta monasteria ad procliviores lascivosque ac scandalosos excessus declinassent, dubitareturque de ceteris eiusdem ordinis in dicta dioecesi, nisi de celeris provisionis remedio eisdem succurreretur, quod gravioribus subicerentur incommodis et iacturis, Nos igitur, quorum intererat, super his tunc salubriter providere volentes, cum tu, fili generalis, in remotis, ut praemittitur, pro dictarum Sedis et ecclesiae ac tui ordinis negotiis tunc exsisteres, venerabili fratri Nostro episcopo Fesulan. et dilecto filio auditori camerae apostolicae per Nostras certi tenoris litteras dedimus in mandatis, quatenus ad praefata monasteria personaliter accedentes ac habentes prae oculis solum Deum, ea necnon in ipsis degentes personas auctoritate Nostra hac vice dumtaxat visitarent ac tam in capite quam in membris corrigerent et etiam reformarent, prout in litteris Nostris superinde confectis (3) plenius continetur.

(1) Reg. Lat. t. 331, f. 26 v. Cf. num. praec.
(2) Reg. Vat. t. 374, f. 38. Cf. Reg. Vat. t. 370, f. 251, et iterum f. 261, ubi tamen deest data et forma exhibetur in multis valde mendosa.
(3) Cf. supra n. 152, p. 78.

Cum autem, prout accepimus, episcopus et auditor praefati, licet inceperint, tamen nondum ad dictarum litterarum et commissionis Nostrae exsecutionem processerint, tu vero, fili generalis, ad civitatem Florentin. personaliter nunc accesseris et idcirco decens et congruum videatur, ut capta opportunitate ad visitationem et reformationem huiusmodi per te vel alium, cui commiseris, intendere debeas, discretioni tuae necnon venerabili fratri Nostro Iordano episcopo Sabinen., dicti ordinis ac monasteriorum protectori, de quibus in his et aliis singularem in Domino fiduciam obtinemus, episcopum et auditorem praefatos omnesque alios et singulos ad visitationem huiusmodi deputatos revocantes, praefata dictae dioecesis sub cura et protectione ordinis Minorum consistentia monasteria monialium omniaque alia et singula ubique consistentia alias curae et protectioni tui ordinis commissa ac in eis consistentes personas proque earumdem servitiis deputatas visitandi, corrigendi et emendandi ac omnia et alia singula, quae inibi correctionis seu reformationis officio noveris indigere, auctoritate Nostra corrigendi et reformandi omniaque alia et singula, quae in praemissis et circa ea pro dictorum monasteriorum statu prospero, honesto et tranquillo necessaria seu opportuna fuerint, faciendi, statuendi et ordinandi, contradictores ... compescendi et coercendi plenam et liberam tenore praesentium de cetero remittimus, relinquimus et etiam concedimus facultatem, tibi vero, generalis, ut monasteria praefata, prout secundum Deum ac dictorum monasteriorum salubrem reformationem discretioni tuae visum fuerit, quamprimum commode potueris, visitandi officium exerceas, districte mandantes, volentes etiam, ut omnibus et singulis privilegiis, facultatibus et immunitatibus, tibi generali per Nos seu praedecessores Nostros circa hoc concessis plene uti valeas et gaudere ac omnes successores tui, quibus eadem auctoritate concedimus; ita ut ex tuis laudabilibus operibus apud Nos et Sedem Apostolicam merito venias commendandus; constitutionibus apostolicis, illa praesertim, qua nuper omnibus et singulis fratribus ordinis Minorum sub gravibus censuris et poenis inhibuimus, ne ad claustra dictorum monasteriorum ullo pacto auderent accedere ac etiam appropinquare [1], cuius tenorem hic habere volumus pro expresso, et aliis in contrarium facientibus quibuscumque nequaquam obstantibus.

Datum Florentiae, anno ... 1435, VII kal. februarii, ... anno V.

211. Concedit facultatem reaedificandi antiquam domum O. F. M. extra muros civitatis Clugien. (Chioggia) per guerras etc. destructam [2].

1436, ianuarii 26, Florentiae.

Venerabili fratri .. episcopo Castellan.

Ad ea, per quae ecclesiarum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum ministri generalis et fratrum domus Clugien., ordinis Minorum, petitio continebat, quod, cum olim ipsi fratres domum sive conventum eiusdem ordinis extra muros Clugien. haberent, temporum causante malitia propter guerras ac hostium et inimicorum validos incursus, qui partes illas et maxime civitatem Clugien. afflixerunt, domus ipsa, extra civitatem, ut praemittitur, constituta, totaliter et funditus destructa exstitit ac solo miserabiliter coaequata, ita quod in loco, in quo dicta domus consistebat, vix aliqua vestigia discernuntur, ex quo guardianus tunc exsistens et fratres dictae domus sive conventus propter certum statutum per dominum Venetorum tunc super hoc editum, quo cavebatur nihil de novo extra muros dictae civitatis aedificari aut dirutum reparari posse, coacti fuerunt intra muros eiusdem civitatis se reducere ac novam domum sive conventum ex apostolico indulto constituere et aedificare, in quo ex tunc guardianus et fratres huiusmodi cum omnibus ad praefatam olim domum sive conventum iuribus et pertinentiis se transferentes inhabitaverunt, prout inhabitant etiam de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, domus nova huiusmodi adeo arcta exsistat, quod in illa fratres pro tempore commorantes vix se locare valeant vel se etiam gubernare, ex quo domum illam omnino relinquere coacti, iam domum huiusmodi dirutam extra muros sitam christifidelium piis eleemosynis et dicto statuto de non aedificando, ut praemittitur, per idem dominium edito, omnino sublato reaedificare et reparare coeperunt. Quare pro parte dictorum ministri et fratrum, asserentium quondam Bartholomaeum, olim civem Clugien., pro huiusmodi reaedificatione et antiquae domus reparatione, dum tamen domus fratrum huiusmodi intra muros sita, nomine domus et ordine fratrum Minorum omnino suppressis pariter et exstinctis, in hospitale pauperum erigeretur et per suos fidei commissarios aedificaretur et fieret, quingentos florenos auri in quodam suo testamento reliquisse pariter et legasse, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut tam ipsis fratribus pro huiusmodi eleemosyna assequenda et in

[1] Vide supra n. 150, p. 77.

[2] Reg. Lat. t. 334, f. 23v.; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 84.

opus reaedificationis huiusmodi convertenda, quam pio proposito testatoris praedicti ad divini nominis laudem ac pauperum et infirmorum necnon miserabilium personarum relevamen et commodum, providere *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... eisdem fratribus domum huiusmodi de novo reaedificandi, erigendi et instituendi cum ecclesia ... officinis ac domum ipsam, postquam reaedificata, reparata et constructa fuerit, pro usu et habitatione fratrum huiusmodi iuxta instituta ordinis antedicti recipiendi et inhabitandi cum omnibus privilegiis ... licentiam largiaris. Et nihilominus, si praemissa per te fieri contigerit, ut praefertur, domum novam intra muros huiusmodi sitam nomine domus et ordine per te in illa penitus et omnino eadem auctoritate Nostra suppressis ad nutum commissariorum huiusmodi eisdem commissariis iuxta testatoris voluntatem in hospitale pauperum erigendi, ... constitutionibus apostolicis ... nequaquam obstantibus eadem auctoritate Nostra concedas, iure *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VII kal. februarii, ... anno V.

212. Priori conventus Rhodi hospitalis S. Iohannis Ierosolymitan. mandat, ut capellam S. Marci in burgo Rhodi, Colocen. dioec., a fratre Laurentio de Candia, O. F. M., illegitime detentam, conferat Stephano de Vulterris, priori claustralis domus Rhodi O. Eremit. S. Aug. Colocen. dioec. (1).

1436, februarii 4, Florentiae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, pridie nonas februarii, ... anno V.

213. Annullat promotiones ad gradum magisterii vel lectoratus Parisien. per Petrum Gracet, episcopum Sambarien., praesidentias perpetuas conventuum O. F. M. vel monasteriorum O. S. Cl. et illegitimas facultates praedicandi et confessiones audiendi, maxime fr. Alphonsi de Mella et Emmanuelis de regno Castellae (2).

1436, februarii 7, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Dum uberes fructus, quos sacer ordo fratrum Minorum in agro militantis ecclesiae in propagationem religionis et fidei catholicae uberrime produxit, assidue diligenter attendimus, dignum reputamus et congruum, ut ad constitutionum et ordinationum ac statutorum ipsius ordinis, illorum praesertim, per quae professoribus eius ambitionis via praecluditur, ac quae status quieti eorumdem respiciunt conservationem, paternis et salutaribus studiis intendamus. Sane, cum sicut Nobis nuper relatibus fide dignis innotuit, nonnulli dicti ordinis professores et praesertim magister Petrus Gracet, episcopus Sambarien., asserentes se praefati ordinis religiosos usque ad certum numerum in sacra theologia habilitandi, licentiandi et magistrandi, alii quoque lectores Parisienses creandi habere per litteras apostolicas facultatem, aliquos ex huiusmodi professoribus, etiam indignos, contra statuta et ordinationes praefata insigniis magistralibus in ipsa theologia decorare praesumpserint, alii etiam lectores Parisien. creaverint seu saltem magistrare et creare nitantur, nonnulli insuper praesidentias tam conventuum et locorum fratrum Minorum quam etiam monasteriorum ordinis S. Clarae et Minorissarum, quae per generalem et provinciales ministros ac eorum capitula conceduntur et auferuntur ad nutum, tamquam saeculares clerici perpetuo retinere cupientes, super illis ab eadem Sede confirmationes, nonnulli etiam super confessionibus christifidelium audiendis et praedicationibus eisdem libere faciendis specialem licentiam auctoritate apostolica se habere contendant, Nos, qui litteras facultatum et confirmationum huiusmodi non credimus concessisse, ordinationes et statuta praedicta inviolabiliter observari ac ordinis professorum eius praedictorum statui consulere cupientes, litteras facultatum et confirmationum huiusmodi quascumque ad instar apostolicarum factas, etiamsi per praeoccupationem vel alias ad importunam petentium instantiam a Nobis emanaverunt, quarum tenorem praesentibus habere volumus pro expresso, ac processus habitos vel habendos per easdem et quaecumque inde secuta auctoritate apostolica praefata penitus revocamus et viribus vacuamus ac nullius roboris vel momenti esse volumus et declaramus, decernentes professores eosdem, si qui illarum vigore magistrati seu lectores creati forsan hactenus fuerint seu magistrari aut creari quomodolibet contigerit in futurum, honore magistrali ac lectoratus gradu aut privilegiis, immunitatibus et indultis, quibus alii magistri et lectores utuntur et gaudent, minime uti et gaudere nec magistros aut lectores Parisienses esse aut dici et reputari, sed in eo statu, in quo ante creationem et magisterii seu gradus huiusmodi susceptionem erant, censeri et haberi debere.

---

(1) Reg. Lat. t. 334, f. 124v.

(2) Reg. Vat. t. 374, f. 37. De Petro Gracet, O. F. M. cf. sup. n. 132, p. 68 not. 1; de Alphonso de Mella sup. n. 156, p. 80.

Officia vero et confirmationes tam fratrum quam ipsarum sororum, cuiuscumque status exsistant, necnon etiam facultates praedicandi, confessiones audiendi, maxime cuiusdam fratris Alphonsi de Mella et alterius fratris, Emmanuelis de regno Castellae, quorum alter sine licentia suorum superiorum praedicare, alter audire confessiones vigore litterarum praefatarum praesumunt, cassamus, etiamsi de ipsis facultatum et confirmationum litteris esset de verbo ad verbum in praesentibus Nostris litteris habenda mentio specialis et eos libere in manibus suorum superiorum secundum formam regulae ipsorum reponimus. Per hoc autem eis, quominus, si iuxta eiusdem ordinis consuetudines et statuta idonei reperti fuerint et cursum seu solemnitates in huiusmodi actibus servari consuetos servaverint, magistrari valeant, non intendimus praeiudicium generari. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VII idus februarii, ... anno V.

214. Abbatissae et monialibus monasterii S. Clarae, villae Castri de Urdiales, O. S. Cl., Burgen. dioec., concedit remissionem plenariam in articulo mortis (1).

1436, februarii 8, Florentiae.

Provenit *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VI idus februarii, ... anno V.

215. Mandat, ut Bartholomaeo de Reate O. F. M. in reformatione fratrum ordinis Minorum insulae Corsicae auxilium praestent (2).

1436, februarii 12, Florentiae.

Universis et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, presbyteris, conventibus et capitulis aliisque clericis cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis exsistant necnon nobilibus viris ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, primatibus, universitatibus et populis ceterisque christifidelibus, quacumque dignitate praefulgeant et cuiuscumque praeeminentiae, status et facultatis exsistant, in insula Corsicae constitutis praesentes litteras inspecturis.

Movemur ex cura pastoralis officii *etc.* Quapropter, cum pro reformatione fratrum Minorum, quorum ordo inter christifideles famosus exsistit complectiturque magnum numerum fratrum, ad praefatae insulae partes dilectus filius Bartholomaeus de Reate, eiusdem ordinis professor ac vicarius, per dilectum filium Guillelmum de Casali, ipsius ordinis generalem ministrum, in eadem insula specialiter deputatus, de eiusdem ministri mandato ad ipsam insulam se conferat de praesenti et plerumque nonnulli *etc.* (*ut sup. n. 57, p. 35*).

Datum Florentiae, anno ... 1435, pridie idus februarii, ... anno V.

216. Fratribus domus III Ord. Florentin. concedit facultatem habendi sacerdotes, qui in capella dictae domus missas celebrare et pauperibus et infirmis ecclesiastica sacramenta administrare valeant (3).

1436, februarii 23, Florentiae.

Dilectis filiis Carolo Angeli, rectori et fratribus domus Florentin. tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati.

Piis fidelium votis *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos, qui in domo Florentin. tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati Domino famulari delegistis, in eadem domo, ad quam copiosa dietim christifidelium, quorum etiam pluribus alimenta vitaeque necessaria iuxta vestras facultates ministrare satagitis, multitudo confluit, ut salus ipsa divinae quoque praeconium laudis amplius inde succedant, missas et alia divina officia celebrari facere ferventer optatis, apostolici desuper favoris patrocinium suppliciter implorantes. Nos igitur ... vobis, ut in capella dictae domus sacerdotes idonei, qui inibi pro tempore resederint, missas et alia divina officia celebrare ac personarum domus eiusdem, qui in illo pro tempore fuerint, infirmorum pauperumque confessiones audire necnon eos a suis peccatis, criminibus et excessibus, nisi talia sint, propter quae Sedes Apostolica merito consulenda exsistat, absolvere ac salutarem ipsis poenitentiam iniungere, eucharistiae quoque et alia ecclesiastica sacramenta et sacramentalia ministrare necnon personarum pauperum et infirmorum praedictorum decedentium ibidem corpora ecclesiasticae sepulturae in capella vel cimiterio dictae domus tradere cuiusvis super hoc licentia minime requisita libere liciteque valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, iure tamen *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VII kal. martii, ... anno V.

---

(1) Reg. Lat. t. 334, f. 48.
(2) Reg. Lat. t. 331, f. 29.
(3) Reg. Lat. t. 334, f. 127 v. Cf. sup. n. 121, p. 63 et *Bull. Franc.* t. VII, n. 1288, p. 463.

217. Consules artis lanae Florentin. instituit protectores et defensores domus S. Francisci de Verna, Arretin. dioec. (1).

1436, martii 1, Florentiae.

Dilectis filiis consulibus et universitati artis lanae civitatis Florentin.

Quamvis de cunctis orbis ecclesiis, monasteriis et religiosis domibus, prout ex debito iniuncti Nobis officii pastoralis tenemur, pro eorum statu salubriter dirigendo sollicite cogitemus, inter ceteras tamen religiosas domos, in quibus fratrum ordinis Minorum viget observantia regularis, domum S. Francisci « de la Vernia » vulgariter nuncupatam, Arretinae dioec., in qua venerabilis confessor B. Franciscus admirandae eius vitae sanctimoniae fundamenta iecit, quibus catholicae fidei aedificia, veluti solidissimis columnis, usque in hodiernum diem fulciri noscuntur, considerationis Nostrae intuitum dirigimus, ut, quemadmodum de speciali praerogativa a B. Francisco illic peractae poenitentiae stigmatibusque Salvatoris nostri miraculose in suo corpore receptis illustratur, ita eo amplius concedente Domino augeatur et conservetur incrementis, quo maiore protectorum et defensorum eiusdem munimine fuerit roborata. Sane attendentes, quod vos ad ordinem Minorum, et praesertim ad ipsam domum de la Vernia, specialem geritis devotionis affectum et singulari zelo desideratis domum ipsam in aedificiis et ceteris ornamentis ecclesiasticis augmentari et conservari, ut ex hoc magis ad ipsam domum fidelium zelus devotionis accrescat, et fratres ipsi in eadem Altissimo famulantes commodius servare possint regularis observantiae disciplinam, vos et universitatem vestram ac successores vestros, qui pro tempore fuerint, de quorum discretione specialem in Domino fiduciam obtinemus, praefatae domus de la Vernia protectores et defensores facimus, constituimus et etiam deputamus, vobis in omnibus et singulis praemissis et ad ea pertinentibus ac fabricae ipsius domus et ecclesiae cum omnibus membris suis et omnium et singulorum iocalium, librorum, ornamentorum ad cultum divinum ac ipsam fabricam pertinentium gubernatores et defensores auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem et potestatem plenariam concedentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, kal. martii, ... anno V.

218. Confirmat ea, quae pro sororibus III Ord. S. Franc. Fulginaten., Tudertin., Florentin., Aesculan., Assisinat. et Viterbien. vigore litterarum Martini V gesta erant (2).

1436, martii 2, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Aeternae beatitudinis amatricum *etc.* Sane dudum pro parte dilectarum in Christo filiarum Angelinae S. Annae Fulginaten. (3), Catherinae S. Iohannis Tudertin., Cecchae S. Onufrii Florentin., Paulae S. Margaritae Aesculan., Thomasiae S. Quirici Assisinaten. et Clarae S. Agnetis Viterbien. et aliarum domorum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati sororum fel. rec. Martino papa V, praedecessori Nostro exposito, quod alias ipsae spe ea ab Apostolica Sede obtinendi ob melioris vitae frugem et, ut sub debito obedientiae utpote sub gubernaculo aliquorum capitum honestius vivendo earum conversatio Deo fieret acceptior et quietius salubriusque in eo proficere valerent, in singulis dictis domibus aliquas religiosas sorores dicti ordinis in suas et domorum earumdem ministras sive gubernatrices concorditer elegerant et assumpserant, desiderantes sub obedientia et gubernatione dictarum ministrarum, sic assumptarum et in posterum assumendarum, vitam continuare religiosam, dictus praedecessor venerabili fratri Nostro episcopo Tudertin., eius proprio nomine non expresso, per alias suas litteras dedit in mandatis, ut de praemissis ... se diligenter informaret et ... sororibus praesentibus et futuris dictarum domorum ministras eligendi ac tunc electis et in antea eligendis ministris domos et earum sorores praefatas regendi et gubernandi necnon a mulieribus ad hoc idoneis dictum ordinem profiteri volentibus professionem per sorores dictarum domorum emitti consuetam ac eas in dictas domos recipiendi et admittendi necnon generalem ministram huiusmodi eligendi, ipsique generali ministrae delinquentes sorores visitandi, corrigendi et puniendi ac sorores dictarum partium ad eius curam et administrationem sponte venire volentes etiam admittendi, necnon ministris et visitatoribus praefatis generalem, et ceteras mi-

(1) Reg. Vat. t. 374, f. 77; Wadd. *Ann.* ad a. 1436, n. 29. Cf. sup. n. 12, p. 16 et n. 95, p. 51.

(2) Reg. Lat. t. 331, f. 86; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 86. Litteras Martini V *Sacrae religionis* d. d. 19 aug. 1428 cf. ap. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1826, p. 706.

(3) Est B. Angelina de Corbara sive de Marsciano. Ex hac et seq. bulla patet Angelinam non obiisse anno 1435, ut post Waddingum communiter asseritur. Neque tamen teneri potest sententia Arturi a Monasterio, qui in *Martyrol. Francisc.* (sub VIII kal. ian.) mortem Angelinae ponit anno 1459; nam in litteris Eug. IV *Sacrae religionis* d. d. 4 iul. 1439 iam mortua supponitur.

nistras huiusmodi dumtaxat similiter visitandi licentiam largiretur; ac ministris et sororibus domorum huiusmodi necnon eisdem domibus, quod omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere valerent, concederet. Postmodum vero, sicut exhibita Nobis nuper pro parte Angelinae, Catherinae, Cecchae, Paulae, Thomasiae et Clarae praedictarum petitio continebat, bon. mem. Antonius episcopus Tudertin., ad ipsarum litterarum exsecutionem procedens, quia per diligentem per eum desuper habitam informationem exposita huiusmodi comperit veritate subniti, largitionem et concessionem fecit easdem, prout in praedecessoris et authenticis episcopi praedictorum desuper confectis litteris latius continetur. Quare pro parte Angelinae, Catherinae, Cecchae, Paulae, Thomasiae et Clarae praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... licentiam, largitionem et concessionem praedictas necnon omnia alia et singula in eisdem litteris contenta ac quaecumque inde secuta rata habentes et grata, ea omnia apostolica auctoritate confirmamus et approbamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VI nonas martii, ... anno V.

219. Ministrae generali sororum III O. S. Franc. concedit facultatem deputandi vicariam generalem et pro singulis domibus sibi subiectis vicariam specialem (1).

1436, martii 2, Florentiae.

Dilectae in Christo filiae ministrae generali pro tempore exsistenti domorum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati sororum.

Ad ea ex Apostolicae Sedis *etc.* Hodie siquidem ad instantiam dilectarum in Christo filiarum Angelinae S. Annae Fulginaten., Catherinae S. Iohannis Tudertin., Cecchae S. Honofrii Florentin., Paulae S. Margaritae Aesculan., Thomasiae S. Quirici Assisinat. et Clarae S. Agnetis Viterbien. et aliarum domorum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati sororum nonnulla indulta in favorem ipsius ordinis per fel. rec. Martinum papam V, praedecessorem Nostrum, concessa per alias Nostras litteras gratiose confirmavimus, prout in illis plenius continetur. Nos insuper, ut praefata concessiones et indulta robore potiori subsistant ac ipsis sororibus in praemissis salubrius consulatur, providere volentes, Angelinae, Catherinae, Cecchae, Paulae, Thomasiae et Clarae praedictarum in hac parte supplicationibus inclinati, ministrae generali pro tempore exsistenti domorum praefatarum, cum qualitas negotiorum exegerit, ut officio sui ministeriatus durante auctoritate propria unam ex dictis sororibus, quam duxerit eligendam, in ipsius vicariam generalem vel specialem domorum earumdem, quae similem vel limitatam in praemissis habeat potestatem ad tempus, de quo eidem ministrae generali videbitur, loco sui substituere ac deputare libere et licite valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia indulgemus, constitutionibus ... non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VI nonas martii, ... anno V.

220. Sororibus III Ord. domus S. Ursulae Florentin. et B. Mariae de Vallefabrica Perusin. concedit exemptionem a solutione impositionum, datiorum etc. (2).

1436, martii 2, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Perusin.

Apostolicae Sedis copiosa benignitas *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Magdalenae Maffuccii ministrae et nonnullarum sororum de poenitentia nuncupatarum, tertii ordinis B. Francisci, in S. Ursulae Florentin., ac B. Mariae de Vallefabricae Perusin. domibus commorantium, petitio continebat, quod licet ipsae abiectis mundi illecebris sub regulari observantia Altissimo famulentur, tamen dubitant tempore procedente occasione impositionum et onerum, quae imponuntur religiosis personis et piis locis illarum partium, molestari et etiam perturbari. Quare pro parte Magdalenae et sororum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ministra et sorores, quae sunt et quae pro tempore erunt, necnon domos praefatas cum iuribus et pertinentiis suis a solutione impositionum, datiorum, collectarum et onerum quorumcumque, apostolica vel ordinaria aut alia quacumque auctoritate impositorum et imponendorum quacumque occasione vel causa, auctoritate Nostra eximas atque liberes et exceptas atque liberas esse pronunties et declares, non permittens eas occasione impositionum et onerum huiusmodi quomodolibet molestari, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VI nonas martii, ... anno V.

(1) Reg. Lat. t. 331, f. 85; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 87. Cf. n. praec.

(2) Reg. Vat. t. 374, f. 67. De Magdalena Maffuccii et domo S. Ursulae Florentin. cf. sup. n. 188, p. 92; de domo S. Mariae de Valfabrica cf. sup. n. 179, p. 89.

221. Mandat, ne vigore concessionis recipiendi sex loca infra provinciam Marchiae Anconitanae novum locum capiat sine consensu speciali ministri generalis (1).

1436, martii 7, Florentiae.

Dilecto filio Gabrieli de Ancona, ordinis fratrum Minorum professori, vicario fratrum dicti ordinis de observantia nuncupatorum in provincia Marchiae Anconitan.

Dil. fili sal. *etc.* Concessimus tibi nuper certam facultatem aedificandi sex loca in provincia Marchiae Anconitan. pro usu et habitatione fratrum de observantia inibi ponendorum, prout in facultate tibi concessa latius continetur. Cum ergo dilectus filius Guillelmus de Casali, generalis dicti ordinis, qui vir est prudens et bene ordinem dirigit, sit ad praesens in curia, cumque etiam in ipsa provincia sint quamplura loca iam exaedificata et fere habitantibus vacua, in quibus observantia institui et teneri potest, volumus et praesentium tenore districte mandamus tibi, ut nullum locum de novo aedificare seu capere praesumas, nisi de dicti generalis licentia et consensu speciali. Cognoscimus enim prudentiam suam et a certo tenemus, quod aget omnia, quae ordinis et religionis vestrae pacem et bonum incrementum ac honorem Dei concernunt.

Datum Florentiae, die 7 mensis martii, anno V.

222. Bernardo episcopo Montisalban. O. F. M. concedit facultatem disponendi de bonis suis (2).

1436, martii 7, Florentiae.

Quia praesentis vitae conditio *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, nonis martii, ... anno V.

223. Episcopo Fernen. (Ferns in Hibernia) mandat, ut procedat ad exsecutionem litterarum Iohannis XXIII (3).

1436, martii 9, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Fernen.

Dudum bon. mem. Balthasar, episcopus Tusculan., tunc in sua obedientia, de qua civitas et dioeces. Fernen. tunc erant, Iohannes XXIII nuncupatus, suas tibi direxit litteras tenoris subsequentis:

Humilibus et honestis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, nonis octobris anno III *(vide Bull. Franc. t. VII, n. 1276, p. 458).*

Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte superioris et universitatis praedictorum petitio continebat, ipsae litterae nondum tibi fuerint praesentatae ac per consequens minime exsecutae ipsique superior et universitas cupiant pro exoneratione conscientiarum suarum litteras ipsas exsecutioni debitae demandari, Nos ... fraternitati tuae ... demandamus, quatenus ad ipsarum litterarum exsecutionem auctoritate Nostra procedas *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, VII idus martii, ... anno V.

224. Approbat concessionem capellae B. Mariae in ecclesia S. Mariae maioris Anconitan. O. F. M. factam Laelio Freduccii de Fulgineo, civi Anconitano (4).

1436, martii 11, Florentiae.

Dilecto filio Laelio Freduccii de Fulgineo, civi Anconitano.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in ecclesia S. Mariae maioris, domus Anconitan. ordinis fratrum Minorum, nonnullae capellae sunt per dilectos filios guardianum et fratres dictae domus civibus et aliis laicalibus personis pro sepulturis suis et audiendis inibi divinis officiis in perpetuum assignari consuetae, et cum alias dilectus filius nobilis vir Franciscus de Ferettis, miles Anconitan., capellam B. Mariae in dicta ecclesia sitam, quae redditus aliquos non habet et quae quondam Marchisanae, uxori suae, per guardianum et fratres, qui tunc erant ipsius domus, assignata fuerat et iure successionis ad ipsum militem pervenerat, coram guardiano et eiusdem domus fratribus praedictis sponte et libere resignasset, ipsi guardianus et fratres eamdem capellam tibi pro te necnon tuis successoribus et haeredibus, ut ibidem officia huiusmodi audire sepelirique possitis, habendam, tenendam et possidendam perpetuo concesserunt, ac subsequenter dilectus filius Guillelmus, generalis dicti ordinis minister, concessionem huiusmodi approbavit atque concessit, quod tu ac dicti successores et haeredes unum ex ipsis fratribus ad celebranda praemissa officia in dicta capella valeatis deputare, prout in confectis inde litteris, quarum tenorem praesentibus haberi voluimus pro expresso, dicitur plenius contineri, tuque de bonis tuis praefatam capellam in eius structuris ornari facere necessariisque fulcire ac multipliciter meliorare pro-

(1) Reg. Vat. t. 359, f. 317v. De B. Gabriele Ferretti cf. supra n. 134, p. 68.

(2) Reg. Lat. t. 331, f. 176v. - Cf. sup. n. 4, p. 11b, et not. 1.

(3) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 68, ubi bulla Iohannis XXIII integra habetur.

(4) Reg. Lat. t. 342, f. 52v.

ponis tempore procedente. Quare pro parte tua *etc.* Nos itaque ... concessionem et approbationem praefatas ac quaecumque inde secuta rata et grata habentes illa auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.*, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, V idus martii, ... anno VI.

225. Iacobum de Suessa de Neapoli, O. F. M. monasterio S. Trinitatis, Militen. O. S. Ben. praeficit abbatem [1].

1436, martii 14, Florentiae.

Venerabilibus fratribus Militen. et Nicoteren. ac Neo-Castren. episcopis.

Inter sollicitudines varias *etc.* Dudum siquidem quondam Roberto, abbate monasterii S. Trinitatis Militen., ordinis S. Benedicti, Romanae ecclesiae immediate subiecti, regimini eiusdem monasterii praesidente Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefato monasterio per obitum dicti Roberti abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, abbatis regimine destituto ac hodie pro parte dilecti filii Iacobi de Suessa de Neapoli, ordinis fratrum Minorum professoris, Nobis exposito, quod ipse de ordine fratrum Minorum huiusmodi ad praefatum monasterium transferri cupiebat, Nos tunc per alias Nostras litteras sub certis modo et forma tunc expressis, vobis inter cetera dedimus in mandatis, ut eumdem Iacobum de dicto ordine fratrum Minorum ad monasterium huiusmodi transferretis ipsumque inibi in monachum et fratrem ac ab eo regularem professionem per monachos ipsius monasterii emitti solitam reciperetis et admitteretis habitum monachorum eorumdem sibi nihilominus exhibendo, prout in dictis litteris plenius continetur. Nos vacatione huiusmodi *etc.*, demum ad praefatum Iacobum, ordinem ipsum fratrum Minorum expresse professum et in sacerdotio constitutum, cui apud nos de religionis zelo *etc.* Quibus omnibus debita meditatione pensatis fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus ... de persona dicti Iacobi, postquam vigore priorum litterarum translatus ac in monachum receptus fuerit et professionem emiserit, ut praefertur, eidem monasterio auctoritate Nostra praedicta provideatis ipsumque illi praeficiatis in abbatem, curam, regimen et administrationem praefati monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo.

Datum Florentiae, anno ... 1435, prid. idus martii, ... anno VI.

Simili modo eadem die scribit: *Dilectis filiis conventui monasterii S. Trinitatis Militen., ordinis S. Benedicti, Romanae ecclesiae immediate subiecti.*

226. Mandat, ut Petrum Grazet, episcopum Sambarien., qui nonnullos fratres O. F. M. ad magisterii gradus sine debita facultate promoverat, capiant et pecunias horum occasione extortas exigant et pro sustentatione fratrum O. F. M. in concilio Basileensi exponant [2].

1436, martii 18, Florentiae.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Caesaraugustan. et Valentin. ac Ilerden. episcopis.

Apostolicae Sedis aequa et circumspecta provisio *etc.* Sane ad Nostrum non sine gravi displicentia pervenit auditum, quod venerabilis frater Noster Petrus Grazet, episcopus Sambarien., maligni spiritus arbitrio ductus, praetextu quarumdam litterarum subreptitiarum, per quas sibi magistrandi in theologica facultate personas idoneas asserit esse concessam potestatem, nonnullos ad honorem magisterii dictae facultatis praesumpsit assumere. Nos igitur, quorum interest super his, quae scandala pariunt, salubriter providere, vobis communiter et vestrum cuilibet vestrisque vicariis, de quibus in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, decernentes ipsas litteras falsas esse et numquam de Nostra voluntate aut scientia processisse, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si per diligentem informationem inveneritis dictum episcopum vigore talium litterarum praesumpsisse aliquos ad magisterii seu licentiaturae gradus promovere, eumdem capi faciatis et carceretis mancipatum, donec ad restitutionem omnium et singulorum bonorum, quae ab illis extorsit, quos ad praefatum magisterii gradum dictae potestatis vigore promovere praesumpsit, per se vel per alium plenam et integram satisfactionem fecerit, ipsaque bona, quae ab eodem episcopo per vos exacta fuerint, ad instantiam dilecti filii Guillelmi, ordinis Minorum generalis ministri, detineatis pro sustentatione fratrum dicti ordinis in sacro concilio Basileen. per praefatum generalem pro bono universalis ecclesiae deputatorum convertenda.

Datum Florentiae, anno ... 1435, XV kal. aprilis, ... anno VI.

---

[1] Reg. Lat. t. 346, f. 76.

[2] Reg. Vat. t. 374, f. 70. Cf. supra n. 132, p. 68; n. 213, p. 103.

227. Henrico episcopo Papien. concedit licentiam recipiendi in domo sua et retinendi duos monachos sive fratres, etiam si de O. F. M. de observantia exsistant (1).

1436, martii 23, Florentiae.

Personam tuam *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, X kal. aprilis, ... anno VI.

228. Martino de Basozabal O. F. M. concedit plenariam remissionem in articulo mortis (2).

1436, martii 26, Florentiae.

Provenit *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1436, VII kal. aprilis, ... anno VI.

229. Mandat, ne deinceps in monasterio de Monticellis O. S. Cl. reformato, ad quod sorores Minorissae ex monasterio S. Ludovici Bononien. translatae erant, moniales recipiantur, nisi eisdem sororibus sese conforment et earumdem sororum accedat consensus (3).

1436, martii 28, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Officii Nostri debitum exposcit *etc.* Cum itaque venerabilis frater Noster Iordanus, episcopus Sabinen. et dilectus filius Guillelmus de Casali, ordinis fratrum Minorum generalis minister, ad reformationem monasterii de Monticellis extra muros Florentin., ordinis S. Clarae iuxta eis a Nobis iniunctum mandatum procedentes, nonnullas sorores dicti ordinis, quae a norma recte vivendi declinaverant, ex praefato monasterio licentiaverint et removerint ac in eodem certas honestas et devotas sorores Minorissas ex monasterio S. Ludovici Bononien. advocantes introduxerint et alias monasterium ipsum de Monticellis reformaverint, prout eis secundum Deum et earum regulam visum fuit expedire, Nos, cupientes, ut praefatae sorores in ipso monasterio de novo introductae et quae eis in futurum succedent, cum animi tranquillitate in illo perseverent, ac institutionem abbatissae et monasterii concessionem et reformationem huiusmodi ac cetera inde secuta auctoritate apostolica approbantes et confirmantes, eadem auctoritate tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod nulla deinceps mulier saecularis vel religiosa, cuiuscumque ordinis vel professionis fuerit, etiamsi in eodem per antea recepta et post professionem per ipsam emissam inibi nutrita exstiterit, monasterium ipsum de Monticellis ingredi seu in illo recipi quoquomodo possit, nisi eisdem sororibus in habitu et ordine per omnia sit conformis et ad hoc etiam dilectarum filiarum modernarum et pro tempore futurarum abbatissae et sororum ipsius monasterii de Monticellis vel maioris partis earumdem consensus accedat. Nos enim, si secus actum fuerit, tam in receptas quam in recipientes necnon quascumque personas ecclesiasticas seu saeculares vel regulares cuiuscumque status, gradus, praeeminentiae vel conditionis exsistant, quae contra ordinationem Nostram huiusmodi abbatissas et sorores praefatas contra praemissa inquietare seu quomodolibet molestare praesumpserint, excommunicationis sententiam, nisi moniti resipiscant, incurrere volumus ipso facto, a qua praeterquam in mortis articulo, ab alio quam a Romano pontifice absolvi non possint. Per hoc autem, quin abbatissa et sorores praedictae, quae pro tempore fuerint dicti monasterii de Monticellis, iuxta instituta dictae regulae ipsarum superioribus obedientiam et reverentiam debitas et consuetas exhibere teneantur, aliquatenus derogare non intendimus, eiectas vero ex huiusmodi monasterio de Monticellis de bonis eiusdem monasterii, prout ipsius facultates sufficient, quod totum ipsorum episcopi, protectoris ac Guillelmi et, qui pro tempore fuerit, protectoris et generalis dicti ordinis S. Francisci discretioni committimus, nutriri volumus. Prohibemus insuper sorores illas, quae de monasterio S. Iacobi Florentin. ordinis S. Clarae absque superioris licentia temeritate propria exivisse noscuntur, in illo ulterius recipi, sed pro culpa castigari et in alio loco honesto collocari volumus. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1436, V kal. aprilis, ... anno VI.

230. Reginaldum Polet O. F. M. instituit episcopum Aeginen. (Aegina, insula Graeciae) (4).

1436, martii 28, Florentiae.

Dilecto filio Reginaldo Polet electo Aeginen.

Pastoralis officii debitum *etc.* Dudum siquidem Iohanne episcopo Aeginen. regimini ecclesiae Aeginen. praesidente *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per obitum dicti Iohannis episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit *etc.*; demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.* Volumus autem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1436, V kal. aprilis, ... anno VI.

(1) Reg. Lat. t. 342, f. 196v.
(2) Reg. Lat. t. 346, f. 272v.
(3) Reg. Vat. t. 374, f. 76; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 91. Cf. sup. n. 98, p. 53; n. 139, p. 71; n. 152, p. 78; n. 210, p. 101.
(4) Reg. Lat. t. 346, f. 102v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 102.

231. Capitulo generali concedit facultatem reformandi breviarium (1).

1436, aprilis 14, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani pontificis, quem princeps ille coelestis potestatis sibi plenitudine tradita ecclesiae praetulit militanti, plena vigiliis sollicitudo requirit, ut circa ipsius ecclesiae partes singulas, praesertim illas, quae divini cultus caerimonias concernunt, excogitet vigilanter sicque prospiciat diligenter, quod per eius diligentiam circumspectam illa, quae dudum in ecclesia laudabiliter ordinata sunt, ab omnibus observentur, et quae per negligentiam aut errorem a debito ordine deflexerunt, in melius reformentur. Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Guillelmi de Casali, ordinis Minorum generalis ministri petitio continebat, quod in ordine suo circa divinum officium et usum breviarii Romani quandoque innovationes fiunt, ex quibus breviarii ipsius vetusta ordinatio perturbatur (2), unde minuitur populorum frequentia, qui pro dandis Deo laudibus impetrandisque vivorum et mortuorum suffragiis consueverunt dictis officiis interesse; plura insuper ad caerimonias et instituta ordinis praedicti pertinentia pro locorum et temporum conditione debitis reformatione et provisione exposuit indigere. Quare humiliter supplicavit, ut super praedictis de salubri remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi iustis et honestis supplicationibus inclinati, universis et singulis praedicti ordinis Minorum generali et provincialibus ministris ceterisque fratribus in proximo futuro generali capitulo congregandis omnia et singula, quae in praedictis ac circa praedicta pro honore Dei et debita officiorum (3) caeremoniarumque et regulae ipsius ordinis observantia videbuntur quomodolibet necessaria ac utilia, instituendi et ordinandi (4) et alias male instituta destituendi ac in melius reformandi non obstantibus quibuscumque apostolicis et dicti ordinis constitutionibus aut aliis provisionibus sub quavis verborum forma conceptis ... auctoritatem et plenariam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Volumus autem et praesenti perpetua et irrefragabili constitutione auctoritate praedicta statuimus et etiam ordinamus, omnia et singula, quae per praedictum capitulum generale in praedictis facta fuerint et postmodum per duo alia immediate subsequentia capitula generalia approbata et confirmata fuerint, vim apostolicae constitutionis perpetuam et irrevocabilem obtinere. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1436, XVIII kal. maii, ... anno VI.

232. Concedit facultatem recipiendi domum S. Nicolai in loco Arenarum (Arena) a Nicolao de Arenis, comite Arenarum et Mileti, erigendam (5).

1436, maii 5, Bononiae.

Dilectis filiis ministro provinciali et fratribus ordinis Minorum provinciae Calabriae secundum morem dicti ordinis.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Sane petitio pro parte vestra Nobis nuper exhibita continebat, quod dilectus filius nobilis vir Nicolaus de Arenis, Arenarum et Mileti comes, ... iuxta capellam olim per eum in loco Arenarum sub nomine S. Nicolai canonice fundatam et constructam, unam domum cum campanili supra eamdem cappellam necnon coemeterio, domibus, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione unius guardiani et fratrum vestri ordinis inibi Domino serviturorum de bonis a Deo sibi collatis de novo construere et aedificare proponit, si sibi ad id Apostolicae Sedis suffragetur auctoritas. Quare pro parte vestra et eiusdem comitis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... praefato comiti in loco praedicto, si ad id congruus est et honestus, sumptibus propriis fundandi et construendi domum praedictam vobisque illam ... recipiendi, ... dioecesani ... licentia minime requisita ... contrariis non obstantibus quibuscumque, iure tamen parochialis ecclesiae ... salvo, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur. Et nihilominus vobis, quod fratres vestri ordinis, qui in domo ipsa pro tempore morabuntur, omnibus privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, III nonas maii, anno VI.

---

(1) Reg. Vat. t. 366, f. 145 v. (ubi deest annus); t. 374, f. 75 v. (ubi sub V kal. aprilis); t. 382, f. 2; Wadd. *Ann.* t. XI², ad a. 1437, n. 32.

(2) *In Cod. 382 sequentia verba leguntur hoc modo:* minuiturque divinus cultus minoraque fiunt et extenuantur suffragia, quae pro vivis et mortuis in ipsorum ecclesiis devotius celebrari [consueverunt]; plura insuper *etc.*

(3) *In Cod. 382:* ceremoniarum et constitutionum ac conscientiarum fratrum ipsius ordinis serenitate et pace videbuntur *etc.*

(4) *In Cod. 382:* et alias etiam instituta et ordinata moderandi, reformandi *etc.*

(5) Reg. Lat. t. 342, f. 46 v.; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 92.

233. Concedit facultatem recipiendi domum O. F. M. in loco Quinque-frondium (Cinquefrondi) dudum fundatam, sed propter guerras relictam, tum vero per Iohannem Carazolum comitem Guatii restauratam (1).

1436, maii 5, Bononiae.

Dilectis filiis ministro provinciali et fratribus ordinis Minorum provinciae Calabriae secundum morem dicti ordinis.

Exigit vestrae devotionis affectus *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilectus filius nobilis vir Iohannes Carazolus, comes Guatii, pro suae ac parentum suorum et aliorum christifidelium animarum salute quamdam domum vestri ordinis, in loco seu territorio Quinque–frondium dudum fundatam et constructam ac per eosdem fratres occasione guerrarum et aliarum adversitatum partes illas tunc affligentium per sexaginta annos et amplius derelictam, cum illius ecclesia, campanili, ... officinis pro usu et habitatione unius guardiani et aliorum fratrum dicti ordinis de bonis a Deo sibi collatis debite restauravit. Quare pro parte vestra ac ipsius comitis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur vobis domum ipsam sic restauratam, aut quam primum per dictum comitem, cui de bonis a Deo sibi collatis restaurationem huiusmodi, si nondum completa sit, faciendi licentiam concedimus, restaurata fuerit, libere recipiendi et licite retinendi, dioecesani ... licentia minime requisita, ... contrariis non obstantibus quibuscumque, iure tamen parochialis ecclesiae ... salvo, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur; et nihilominus vobis, quod fratres vestri ordinis, quos in domo praedicta pro tempore morari contigerit, omnibus privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, III nonas maii, anno VI.

234. Decano ecclesiae de Sedeloco, (Saulieu) Aeduen. dioec. mandat, ut Aimericum Silvestri O. F. M., qui 15 anno aetatis suae domum de Loudun (Loudun) eiusdem ordinis, Pictavien. dioec., intraverat et in ea per vigintiquinque vel circiter annos remanserat, postea ad monasterium S. Leonardi de Corbigneyo, (Corbigny) O. S. Ben., Aeduen. dioec., transierat, absolvat ab excommunicatione et irregularitate eique concedat facultatem in monasterio et ordine S. Ben. remanendi et beneficia regularia accipiendi (2).

1436, maii 5, Bononiae.

Solet Apostolicae Sedis clementia *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, III nonas maii, anno VI.

235. Abbati monasterii S. Mariae de Petroyo, Civitatis Castelli dioec., mandat, ut Petrum a Vinea, O. F. M., qui ad monasterium S. Michaelis de Medicina de Ganzenigo, O. S. Ben., Bononien. dioec., se transtulerat et per Paulum illius monasterii abbatem receptus erat, postea inde cum licentia abbatis secedens, prioratum S. Iacobi de Crispignaca eiusdem ordinis, Tervisin. dioec., auctoritate apostolica obtinuerat quidem, sed non ad illius possessionem pervenerat, absolvat a censuris et irregularitatibus eique facultatem concedat in dicto ordine S. Benedicti perpetuo remanendi et unum beneficium ecclesiasticum eiusdem ordinis recipiendi (3).

1436, maii 11, Bononiae.

Apostolicae Sedis circumspecta benignitas *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, V idus maii, anno VI.

236. Mandat, ut absolvat a censuris et irregularitate Antonium Verre et Dominicum de Contraguerra O. F. M., domus de Contraguerra, Aprutin. dioec. (Teramo), excommunicatos per Donatum de Cellino O. F. M. ministrum provinciae Pennen. (4).

1436, maii 18, Bononiae.

Dilecto filio .. praeposito ecclesiae S. Iohannis ad Mulinarium de Camplo Aprutin. dioec.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.* Sane pro parte Antonii Verre et Dominici de Contraguerra, ordinis fratrum Minorum professorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilectus filius Donatus de Cellino, etiam dicti ordinis professor, tunc provinciae Pennen. secundum morem dicti ordinis minister, Antonium pro eo, quod contra specialia et expressa ipsius ministri inhibitionem et mandatum de domo loci Contraguerrae praefati ordinis, Aprutin. dioec., ad alium locum se transtulerat, primo et deinde Dominicum praefatum ex eo, quod tamquam simplex et iuris ignarus Antonium tunc excommunicatum in sua societate recepit, sententialiter excommunicavit, ac successive Franciscus, canonicus Aprutin., vicarius tunc exsistens venerabilis fratris Nostri Iacobi episcopi Aprutin. in spiritualibus generalis, praefatos Antonium et Dominicum excommunicatos fore publice denuntiavit, quodque ipsi praemissis non obstantibus missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrarunt et se illis immiscuerunt. Quare pro parte dictorum Antonii et Dominici Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus praefatos Antonium et Dominicum, si id humiliter petierint, pro praemissis

(1) Reg. Lat. t. 342, f. 47; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 93.
(2) Reg. Lat. t. 336, f. 198.
(3) Reg. Lat. t. 345, f. 135.
(4) Reg. Vat. t. 374, f. 88.

a sententia praedicta hac vice dumtaxat auctoritate Nostra absolvas *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, XV kal. iunii, ... anno VI.

237. Concedit indulgentias pro ecclesia S. Francisci Villae de Carrione O. F. M., Palentin. dioec. (1).

1436, maii 21, Bononiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere *etc.* Cum itaque ... ecclesia domus S. Francisci Villae de Carrione, ordinis fratrum Minorum, Palentin. dioec., in illius ecclesiae ac aliis suis structuris et aedificiis reparatione non modicum sumptuosa indigere noscatur, ... Nos ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis et corporis Domini nostri Iesu Christi ac pentecostes necnon nativitatis, annuntiationis, purificationis et assumptionis B. Mariae Virginis et nativitatis B. Iohannis Baptistae ac ... Petri et Pauli apostolorum et in S. Francisci festivitatibus necnon in celebritate omnium sanctorum et per ipsarum ... festivitatum octavas et per sex dies dictum festum pentecostes immediate sequentes ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim et ad reparationem et conservationem praedictas manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis quatuor annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum praedictorum diebus ... centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus post viginti annis minime valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, XII kal. iunii, ... anno VI.

238. Gasparino, abbati monasterii S. Andrèae de Buscho, O. S. Ben., Ceneten. (Ceneda in Italia superiore) dioec., olim ordinem fratrum Minorum professo, qui cum licentia bon. mem. Landulphi, S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, tunc in civitate Perusina Apostolicae Sedis legato, ad ordinem S. Benedicti transierat et postea monasterio S. Andreae praefato abbas praefectus, eidem per viginti annos praefuerat, approbat et ratificat transitum de ordine fratrum Minorum ad ordinem S. Benedicti et quaecumque inde secuta eumque absolvit a censuris et irregularitate (2).

1436, maii 29, Bononiae.

Voto religionis adstrictis *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, IV kal. iunii, ... anno VI.

239. Episcopo Nonen. et archidiacono ecclesiae Iaderen. ad petitionem abbatissae et conventus monasterii B. Mariae Nonen. O. S. Cl. mandat, ut Nicolottam Philippi, monialem praefati monasterii, quae sine licentia superioris ad monasterium S. Nicolai Iadren. dicti ordinis se transtulerat, ad prius monasterium redire compellant (3).

1436, iunii 9, Bononiae.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, V idus iunii, ... anno VI.

240. Mandat, ut Mariam de Pimi O. S. Cl. instituat abbatissam monasterii Baionen. (Bayonne) O. S. Cl. (4).

1436, iunii 18, Bononiae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Severi de Sancto Severo, Aduren. dioec.

Inter sollicitudines varias *etc.* Sane pro parte dilectae in Christo filiae Mariae de Pimi, monialis monasterii Minorissarum Baionen., ordinis S. Clarae, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim monasterio praedicto, cui quondam Stephana de Chiessa, ipsius monasterii abbatissa, dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Stephanae abbatissae, quae extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante dilectae in Christo filiae priorissa et conventus eiusdem monasterii seu maior illarum pars, ad electionem futurae ipsius monasterii abbatissae procedentes, vocatis omnibus, quae electioni huiusmodi debuerunt, voluerunt ac potuerunt commode interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris est, convenientes in unum, praefatam Mariam, ordinem ipsum expresse professam et in aetate legitima constitutam, in earum necnon dicti monasterii abbatissam concorditer elegerunt, ipsaque Maria praefatae electioni illius sibi praesentato decreto consensit, in his omnibus statutis a iure temporibus observatis. Nos igitur, cupientes eidem monasterio, sicut accepimus, adhuc, ut praefertur, vacanti ... de persona utili et idonea ... providere ac de meritis et idoneitate dictae Mariae, quae apud Nos de religionis zelo, vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque virtutum donis multipliciter commendatur, certam notitiam non habentes, discretioni tuae ... mandamus, quatenus de huiusmodi meritis et idoneitate te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi Mariam praedictam ad regimen et administrationem ipsius monasterii utilem et idoneam fore reppe-

(1) Reg. Lat. t. 345, f. 98.
(2) Reg. Lat. t. 338, f. 56.
(3) Reg. Lat. t. 345, f. 130v. — De monasterio Nonen. O. S. Cl. cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 393, p. 135; n. 443, p. 159.
(4) Reg. Lat. t. 346, f. 129.

reris, ... de persona eiusdem Mariae monasterio praedicto, cuius fructus, redditus et proventus triginta librarum Turonen. parvorum secundum communem aestimationem valorem annuum ... non excedunt, ... auctoritate Nostra provideas ipsamque Mariam illi praeficias in abbatissam, eius curam et administrationem *etc.* necnon a dilectis filiis vasallis et aliis subditis ipsius monasterii debita et consueta servitia exhiberi, contradictores *etc.* Et insuper eidem Mariae, si per te de illius persona ipsi monasterio provideri contigerit, munus benedictionis impendas vel per aliquem catholicum antistitem ... impendi facias et procures. Volumus autem, quod ille ex te et ipso antistite, qui huiusmodi munus dictae Mariae impendet, postquam illud sibi impenderit, ab ipsa Maria Nostro et Romanae ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla Nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod ipsa Maria praestabit, Nobis de verbo ad verbum per suas patentes litteras eius sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procuret.

Datum Bononiae, anno ... 1436, XIV kal. iulii, ... anno VI.

241. Concedit, ut se subiicere possint generali ministrae et statutis domorum Fulginaten., Tudertin., Florentin., Aesculan., Assisinaten. et Viterbien. sororum III O. S. Fr. (1).

1436, iunii 20, Bononiae.

Dilectis in Christo filiabus S. Elisabeth et S. Antonii Aquilan. ac Perusin. tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati domorum sororibus.

Sacrae religionis zelus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod vos pro vestra ac domorum conservatione et directione huiusmodi in illis ad instar aliarum in aliis S. Annae, S. Iohannis ac S. Onofrii necnon S. Margaritae et S. Quirici ac S. Agnetis, Fulginaten., Tudertin., Florentin., Aesculan., Assisinat. et Viterbien. tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati domibus degentium ministrarum et sororum ac secundum earum ritus, mores, statuta, consuetudines et ipsis concessa privilegia etiam mendicando vivere illarumque generali ministrae pro tempore exsistenti cum vestris domibus praedictis subiici et eis applicari necnon in singulis domibus vestris praedictis singulas ministras eligere ac privilegiis praedictis gaudere ferventius desideratis, si super hoc vobis apostolica suffragetur auctoritas *etc.* Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... statuimus, decernimus et declaramus, quod vos et aliae in praefatis domibus vestris pro tempore exsistentes ministrae et sorores in illis ad instar ac iuxta mores, statuta et consuetudines aliarum domorum huiusmodi etiam vitae necessaria per mendicata suffragia quaerendo vivere et illarum vos regularibus institutis conformes reddere, et quod singulae conventus singularum domorum vestrarum huiusmodi in singulis domibus vestris praedictis singulas ministras, quae earum capita et rectrices exsistant, quotiens opus fuerit, eligere perpetuo possitis, debeatis pariter et valeatis, quodque vos et aliae pro tempore sorores necnon vestrae domus huiusmodi generali ministrae praedictae ac illius correctioni, necnon ministrae vestrarum domorum huiusmodi visitationi visitatorum dicti ordinis pro tempore deputatorum, prout aliae domus et illarum ministrae huiusmodi exsistunt, subiectae sitis et etiam censeamini. Et nihilominus domibus vestris praedictis et in illis pro tempore degentibus ministris, sororibus, servientibus et personis, ut ipsae omnibus et singulis privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, XII kal. iulii, ... anno VI.

242. Petro de Camazarino O. F. M. confert curam animarum in capella S. Lazari leprosorum extra muros civitatis Caffen. (2).

1436, iulii 7, Bononiae.

Dilecto filio Petro de Camazarino, ordinis fratrum Minorum professori.

Benigno sunt illa tibi *etc.* Cum itaque ... dilectus filius Antonius, modernus rector, ordinis fratrum Praedicatorum professor, qui ob carentiam saecularium sacerdotum in partibus illis apud capellam S. Lazari leprosorum extra muros civitatis Caffen. residere ac fidelium in dicta civitate pro tempore commorantium animarum curam exercere consuevit, adeo senio confractus exsistat, quod curae huiusmodi de cetero sicut congrueret et deceret, intendere non potest, quodque tu alias inibi plurimum notus exsistas, Nos ... tibi, ut in praefata capella missam publice celebrare ac omnium et singulorum utriusque sexus fidelium in civitate praedicta et illius suburbiis pro tempore commorantium

(1) Reg. Lat. t. 345, f. 166v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 94. Cf. supr. n. 218, p. 105; n. 219, p. 106.

(2) Reg. Lat. t. 345, f. 91. De Caffa cf. sup. n. 3, p. 2, not. 1.

animarum curam exercere confessionesque audire et pro commissis, dummodo talia non sint, propter quae sit Sedes Apostolica consulenda, debitam absolutionem impendere et salutarem poenitentiam iniungere possis et valeas, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et etiam facultatem, iure parochialis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, nonis iulii, ... anno VI.

243. Theresiae Roderici, moniali monasterii S. Clarae Palentin. dioec. O. S. Cl., concedit dispensationem a defectu natalium, ut ad quamlibet (praedicti vel alterius) eiusdem ordinis in regno Castellae et Legionis constituti monasterii dignitatem etiam abbatissalem assumi valeat (1).

1436, iulii 23, Bononiae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, X kal. augusti, ... anno VI.

244. Ludovicum de Pirrano O. F. M. instituit episcopum Signen. (Zengg in Croatia) (2).

1436, augusti 6, Bononiae.

Dilecto filio Ludovico de Pirrano, electo Signen.

Ecclesiarum utilitati *etc.* Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum cathedralium *etc.* Postmodum vero ecclesia Signen. ex eo vacante, quod Nos nuper venerabilem fratrem Nostrum Iohannem Anconitan., tunc Signen. episcopum, licet absentem, ... ad ecclesiam Anconitanam tunc vacantem auctoritate apostolica duximus transferendum *etc.* Nos ad provisionem ipsius Signen. ecclesiae celerem *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum, in theologia professorem, in sacerdotio constitutum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, VIII idus augusti, ... anno sexto.

Eadem die simili modo scribit: *Capitulo ecclesiae Signen.; Clero civitatis et dioec. Signen.; Populo civitatis et dioec. Signen.; Universis vasallis ecclesiae Signen.;* praeterea *Archiepiscopo Spalatin.* (Ad cumulum).

245. Concedit indulgentias pro capella confraternitatis de Charitate in ecclesia O. F. M. de observ. Paduan. (3).

1436, augusti 13, Bononiae.

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis.

Dum praecelsa meritorum *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, infra ecclesiam sive conventum fratrum Minorum de observantia Paduan. quaedam capella confraternitatis de Charitate communiter nuncupata, per nonnullos christifideles ad honorem B. Mariae Virginis instituta et deputata exsistat, ad quam fideles ipsi utriusque sexus singulis secundis dominicis diebus singulorum mensium et praesertim in festo nativitatis eiusdem Virginis causa devotionis convenire inibique missam et alia divina officia celebrari facere necnon diebus praefatis ibidem eleemosynas erogare et alia pietatis opera circa Christi pauperes exercere consueverunt, Nos cupientes, ut fideles ipsi eo promptius et devotius ad ipsam capellam ex causa praedicta confluant et opera huiusmodi frequentius exerceant, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui secundis dominicis diebus huiusmodi missis et aliis divinis officiis interfuerint, centum dies, qui vero in festo praedicto capellam ipsam devote visitaverint annuatim, tres annos ac totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem *etc.* Per hoc autem confraternitatem huiusmodi non intendimus alias approbare. Praesentibus post viginti annos minime valituris.

Datum Bononiae, anno ... 1436, idibus augusti, ... anno VI.

246. Iacobum de Marchia O. F. M. instituit inquisitorem haereticae pravitatis in regno Hungariae et Austriae (4).

1436, augusti 22, Bononiae.

Dilecto filio Iacobo de Marchia, ordinis fratrum Minorum professori, in regno Hungariae ac Austriae partibus secundum morem dicti ordinis inquisitori haereticae pravitatis per Sedem Apostolicam deputato.

Licet ubilibet Apostolicae Sedis providentia *etc.* in regno tamen Hungariae et Austriae partibus, ad quas et eorum incolas affectum gerimus specialem, praecipue cupimus, ut negotia

(1) Reg. Lat. t. 345, f. 141.

(2) Reg. Lat. t. 346, f. 59 v.; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 95. Iuxta Eubel, *Hier. cath. med. aev.* II², p. 237, not. 2, translatio Iohannis ad ecclesiam Anconitan. non habuit effectum, et Ludovicus d. 18 februarii 1437 translatus est ad Forolivien.

(3) Reg. Lat. t. 338, f. 307 v.

(4) Wadd. *Ann.* ad a. 1436, n. 3: « ex ipso autographo ».

fidei iugi profectu, elisis omnino et eradicatis erroribus prosperentur, fidesque catholica fortius invalescat. Affectantes igitur ad huiusmodi negotium fidei in regno et partibus praedictis efficaciter promovendum talem deputare personam, cuius honesta conversatio exempla tribuat puritatis eiusque labia erudita doctrinam fundant scientiae salutaris, ut eius ministerio omne fermentum exinde labis huiusmodi expurgetur, tandem ad personam tuam, quam religionis et fidei sinceritate et maturitate morum et litterarum scientia multarumque aliarum virtutum donis earum largitor Dominus insignivit, dirigentes intuitum Nostrae mentis, te, quem ex multarum personarum notabilium Nobis facta relatione fideli ad huiusmodi officium sufficientem et idoneum reputamus, inquisitorem haereticae pravitatis in regno Hungariae et Austriae partibus auctoritate apostolica usque ad Nostrum beneplacitum facimus, constituimus et deputamus. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, tibi in remissionem peccatorum iniungentes, quatenus in charitate Dei hominum timore postposito spiritum fortitudinis induens, praedictum inquisitionis officium in regno et partibus praedictis, prout tanti negotii utilitas suadebit, sub spe mercedis aeternae sic efficaciter prosequi ac exsequi studeas diligenter, ut per sollicitudinis tuae diligentiam radix pravitatis praedictae penitus evellatur et vinea Domini Sabaoth exterminatis exinde vulpeculis fructus uberes afferat catholicae puritatis, in huiusmodi negotio processurus tam secundum indulgentias et privilegia inquisitoribus pravitatis eiusdem praefata auctoritate apostolica deputatis seu officio huiusmodi inquisitionis ab eadem Sede concessa quam etiam secundum canonicas sanctiones. Per huiusmodi autem deputationem de tua persona in huiusmodi officio per Nos factam locorum ordinariis, quominus ipsi inquisitionis officium super labe praedicta, prout volunt dictae canonicae sanctiones, exercere valeant, et praedictis vel quibuscumque aliis privilegiis tuo ordini vel inquisitoribus vel officio memoratis, si quae sunt eis a dicta Sede concessa, nullum volumus praeiudicium generari.

Datum Bononiae, anno ... 1436, XI kal. septembris, ... anno VI.

247. Concedit indulgentias pro ecclesia B. Mariae de Spinarano prope locum Ciriaci, Taurinen. dioec., apud quam Dominicus Pasii, III O. S. Fr., eremiticam vitam agit (1).

1436, augusti 23, Bononiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Dum praecelsa meritorum *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia B. Mariae de Spinarano prope locum Ciriaci, Taurinen. dioec., ad quam ingens christifidelium circumstantium devotio geritur, et quae dudum eximia eius vetustate et aliis sinistris eventibus pene funditus collapsa erat, per dilectum filium Dominicum Pasii de loco praedicto, fratrem tertii ordinis B. Francisci de poenitentia nuncupati, qui apud eam sub eremitica vita degit, de bonis a Deo sibi collatis in maxima parte reaedificata fuerit, et ad huiusmodi reaedificationem debite perficiendam ipsamque ecclesiam ornamentis, quibus caret, congrue restaurandam eius facultates minime suppetant, sed ad id dictorum et aliorum fidelium suffragia sint plurimum opportuna, Nos ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis et Corporis Domini nostri Iesu Christi ac pentecostes necnon nativitatis, annuntiationis, purificationis et assumptionis B. Mariae virginis et nativitatis B. Iohannis Baptistae, ... apostolorum Petri et Pauli ac ipsius ecclesiae dedicationis festivitatibus et celebritate omnium sanctorum necnon per ipsarum ... festivitatum octavas ac per sex dies dictam festivitatem pentecostes immediate sequentes eamdem ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad huiusmodi reaedificationis perfectionem, ornamentorum restaurationem ac conservationem manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis duos annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum praedictorum diebus ... centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, X kal. septembris ... anno VI.

248. Iacobo de Marchia O. F. M. concedit licentiam recipiendi 2 domus in Bohemia, 3 in Hungaria, 3 in Austria pro fratribus O. F. M. et alia privilegia (2).

1436, augusti 25, Bononiae.

Dilecto filio Iacobo de Marchia, ordinis fratrum Minorum professori.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Hinc est, quod Nos, tuis in hac parte devotis supplicationibus inclinati, tibi, quod in Bohemiae duo, in Hungariae regnis tria, in Austria tria etiam loca

(1) Reg. Lat. t. 336, f. 69.

(2) Reg. Lat. t. 345, f. 145 v.; Wadd. *Ann.* ad a. 1436, n. 14.

cum distantia per Sedem Apostolicam ordinata, si tibi pia largitione fidelium concedantur, vel alias iustis modis illa poteris adipisci, dummodo alia tui ordinis loca ibidem non exsistant, recipere et retinere et in quolibet ipsorum locorum ecclesiam seu oratorium cum campanili et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione tua et aliquorum fratrum tui ordinis construere et aedificare necnon quoscumque fratres dicti ordinis, etiam de vicaria Bosnae exsistentes, ad id voluntarios, de superiorum suorum licentia transferre et recipere ac inibi una cum eisdem fratribus sub regularibus institutis dicti ordinis Altissimo famulari necnon missas et alia divina officia celebrare ac verbum Dei populo praedicare libere et licite valeas, ordinarii loci super hoc consensu minime requisito, iuribus tamen parochialium ecclesiarum et quorumlibet aliorum in omnibus semper salvis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et nihilominus tibi et universis fratribus in eisdem domibus et locis pro tempore moraturis, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, VIII kal. septembris, ... anno VI.

249. Iacobo de Marchia O. F. M. concedit amplas facultates (1).

1436, augusti 26, Bononiae.

Dilecto filio Iacobo de Marchia etc.

Ad ea, quae propagationem et incrementum catholicae fidei *etc.* Cum itaque, sicut fideli relatione percepimus, tu exemplo vitae et praedicatione verbi Dei hominum terrore deposito salutares continuo fructus in Dei ecclesia parere studeas, Nos, qui catholicam fidem nostris potissime temporibus augeri desideramus, cumque a partibus illis ad Sedem Apostolicam accessus valde difficilis exsistat, ut omnes utriusque sexus, qui Spiritus S. lumine illustrati depositis haeresum erroribus ad cognitionem veritatis fidei et gremium Romanae ecclesiae reducuntur, sive reducti fuerint, sive hoc a te vel a sociis tuis per te eligendis humiliter petierint et articulos, quos dicta Romana ecclesia tenet, indubie professi fuerint, a poenis et sententiis spiritualibus et temporalibus etiam schismatis et haeresis crimen sapientibus necnon a casibus Sedi Apostolicae reservatis, dummodo vota transmarina et matrimoniales casus in gradibus a iure prohibitis non exsistant, iuxta formam dictae Romanae ecclesiae consuetam iniuncta personis ipsis pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, et recepto ab eis iuramento, quod in pristinos errores non relabentur nec persistentibus aut relabentibus in errores praedictos praestabunt auxilium, consilium vel favorem ac dictas personas ad Nostram et ipsius Romanae ecclesiae unitatem recipiendi necnon catholicas personas etiam a casibus episcopis reservatis in praedicta ecclesiae forma absolvendi auctoritate apostolica tibi ac sociis tuis fratribus dicti ordinis, idoneis tamen, quos ad id, quando tibi expediens videbitur, duxeris eligendos, in omnibus partibus, in quibus inquisitionis officium tibi per Nos commissum se extendit, tenore praesentium indulgemus.

Datum Bononiae, anno ... 1436, VII kal. septembris, ... anno VI.

250. Concedit facultatem deputandi summam mille ducatorum auri super legatis ad pias causas et male ablatis incertis pro constructione pontis trans flumen Sturae in Pedemontio, a Dominico Pasii III O. S. Fr. iam incepti (2).

1436, augusti 29, Bononiae.

Dilectis filiis abbati monasterii S. Iusti de Secusia et plebano plebis S. Petri de Laynico, Taurinen. dioec.

Ad ea iuxta iniuncti Nobis desuper *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum Amedei, ducis Sabaudiae, et Ludovici, eius filii, principis Pedemontium, nobilium virorum, necnon universitatis loci Ciriaci, Taurinen. dioec., ac Dominici Pasii de dicto loco, fratris tertii ordinis B. Francisci de poenitentia nuncupati, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum plurimi christicolae utriusque sexus tam de Taurinen., Yporien. et Augusten. civitatibus earumque dioecesibus, ipsorum ducis et principis dominio temporali subiecti, quam diversis aliis mundi partibus ad locum praedictum pro tempore declinantes, in quodam flumine Stura nuncupato, prope locum ipsum defluente, propter illius excrescentiam cursusque velocitatem ex defectu pontis, per quem flumen ipsum valeant praeterire, singulis annis praesertim imbrioso tempore miserabiliter suffocentur, praefati dux, princeps, universitas et Dominicus ad obviandum in futurum tantae hominum stragi pie desiderant super eodem flumine unum pontem lapideum congruente opere fabricari et, sicut eadem pe-

(1) Wadd. *Ann.* ad a. 1436, n. 4: « ex ipso autographo ». Cf. sup. n. 246, p. 114; n. 248, p. 115. (2) Reg. Lat. t. 336, f. 142v. Cf. sup. n. 247, p. 115.

titio subiungebat, ad peragendum celeriter, prout expedit, huiusmodi fabricam praeter illi eroganda per eos et nonnullos alios pia suffragia magnae pecuniarum quantitates sunt necessario opportunae, quarum subsidium ex legatis ad pias causas, in civitatibus et dioecesibus praedictis, ad quarum incolarum et habitatorum profectum et salutem pons ipse non mediocriter redundare speratur, consistentibus, agiliter et commode impendi posset, si hoc de largifluo apostolici praesidii ministerio proveniret. Quare pro parte ducis, principis, universitatis et Dominici praedictorum, qui inter se, ut asserunt, ordinarunt, quod ipse Dominicus eiusdem fabricae, cui per eum iam inceptae certam bonorum suorum partem libere contribuit, et cuius prosecutionis onus in se sponte suscepit, perpetuus director et procurator exsistat, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque discretioni vestrae ... mandamus, quatenus, si est ita, vos vel alter vestrum eidem fabricae summam mille ducatorum auri dumtaxat, super legatis ad pias causas incertis, videlicet tam his, quae occasione male ablatorum incertorum facta sunt, quam eis, in quibus causae ipsae minime exprimuntur, in civitatibus et dioecesibus eisdem consistentibus, per personas, quas ad id deputaveritis, fide et facultatibus idoneas, ab huiusmodi legatorum debitoribus exigendam, auctoritate Nostra concedere et assignare curetis, facientes illam in ipsius fabricae usus fideliter integreque converti pariter et exponi, contradictores *etc.* Nos enim, si concessionem et assignationem huiusmodi per vos ... fieri contingat, personis praedictis legata huiusmodi usque ad praefatam summam tantum praedictis usibus, ut praefertur, exigendi, levandi et recipiendi necnon singulos debitorum eorumdem solventes de receptis et in eosdem usus convertendis dumtaxat perpetuo quietandi, liberandi et absolvendi plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem. Non obstantibus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, IV kal. septembris, ... anno VI.

251. Henrico episcopo Christopolitan. (Christopolis in Graecia) O. F. M. dat facultatem disponendi de bonis suis ([1]).

1436, septembris 1, Bononiae.

Quia praesentis vitae conditio *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, kal. septembris, ... anno VI.

252. Mandat, ut legata et relicta a Catharina Ruellerin, muliere Argentinen., exponat pro necessitatibus Iohannis Rueller O. F. M. et domus Argentin. O. F. M. ([2]).

1436, septembris 7, Bononiae.

Dilecto filio decano ecclesiae S. Thomae Argentinen.

Regularem vitam professis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus Argentin. ordinis fratrum Minorum petitio continebat, licet quondam Catharina Ruellerin, mulier Argentinen. dioec., fructus quarumdam possessionum in dicta dioecesi consistentium, ad septuaginta florenorum Rhenen. summam vel circa ascendentes, quos olim, dum viveret, pro se et dilecto filio Iohanne Rueller, fratre dictae domus, eius nato, etiam tunc ordinem praedictum expresse professo, emerat, necnon quaedam bona mobilia eidem Iohanni reliquerit et legaverit, ita quod huiusmodi fructus sibi quoad viveret cedere et de eis suis necessitatibus subveniri deberent, tamen nonnullae utriusque sexus personae dictae Argentinen., Spiren. et Meten. dioec., se attinentes praefatae mulieris dicentes seu verius confingentes, ipsos guardianum et fratres, quominus ipsi fructus eidem Iohanni cedere et de ipsis huiusmodi suis necessitatibus libere subvenire valeant, totis conatibus et viribus impedire praesumunt in ipsorum guardiani et fratrum praeiudicium non modicum et gravamen, propter quod etiam pia dictae Catharinae intentio defraudatur. Nos, volentes eisdem guardiano et fratribus super his de opportuno remedio providere, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si ita esse reppereris, tu per te vel alium probum et fidelem, ad hoc a te specialiter deputandum, bona et singulis annis fructus praedicta auctoritate Nostra integraliter recipias ac eis receptis de illis necessitatibus praefati Iohannis, quamdiu ipse vixerit, sufficienter subvenias et, si quid de eis supercreverit, id in luminaribus, paramentis seu reparatione dictae domus, prout iuxta conscientiam tuam, quam super hoc oneramus, melius expedire perspexeris, exponas et expendas. Et nihilominus personas praedictas, ut ab huiusmodi impedimentis desistant ac etiam contradictores quoslibet ... compescas et compellas. Non obstantibus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, VII idus septembris, ... anno VI.

---

[1] Reg. Lat. t. 336, f. 290. Iuxta Eubel. *Hier. cath. med. aevi*, I², p. 186, Henricus de Villacolor O. F. M. institutus est episcopus 1422, maii 20. [2] Reg. Lat. t. 345, f. 48v.

253. Guillelmo de Casali, ministro generali O. F. M. concedit licentiam exsequendi testamentum (1).

1436, septembris 13, Bononiae.

Dilecto filio Guillelmo de Casali, ordinis fratrum Minorum ministro generali.

Ex debito pastoralis officii *etc.* Cum itaque, sicut accepimus bon. mem. Iohannes de Stagossis de Castelletto, nuncupatus Forestus, laicus, in sua ultima voluntate te in universis suis bonis mobilibus et immobilibus de eis post eius obitum pro animae suae salute per te disponendis universalem exsecutorem instituerit ac multa in foro conscientiae et secreto pro dictae suae animae remedio tibi commiserit, quae absque exercitio huiusmodi exsecutionis voluntatis per te fiendae dirigi et perfici nequeant, Nos volentes et affectantes, quod huiusmodi exsecutio ad effectum salutarem deducatur, discretioni tuae, ut piam voluntatem praefatam exsequi et huiusmodi exsecutiones aere alieno et aliis a iure deducendis deductis constitutionibus apostolicis, et quod ordinis Minorum professor exsistas, atque aliis contrariis nequaquam obstantibus, adimplere libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem.

Datum Bononiae, anno ... 1436, idibus septembris, ... anno VI.

254. Concedit indulgentias pro constructione pontis trans flumen Sturae in Pedemontio (2).

1436, septembris 15, Bononiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Ad constructionem, aedificationem et conservationem pontium, per quos multorum hominum periculis obviatur et necessitatibus providetur, manus porrigere adiutrices pium apud Deum et meritorium reputantes, frequenter christifideles ad impendendum talibus opportunum auxilium Nostris litteris exhortamur et, ut ad id eo fortius animentur, quo maius ex hoc animarum commodum se speraverint adipisci, nonnumquam pro his temporalibus suffragiis spiritualia eis munera, indulgentias videlicet et remissiones, elargimur. Cum itaque, sicut accepimus, flumen Sturae, quod prope locum Ciriaci Taurinen. dioec. labitur, ponte inibi careat et ob id plurimi ex christicolis utriusque sexus, quos de diversis regionibus tam cum animalibus, mercantiis aliisque rebus et bonis oneratis, quam sine illis et tam ad dictum locum eundo quam ab eo recedendo per flumen ipsum pro tempore transire contingit, in huiusmodi transitu propter eiusdem fluminis maximam inundationem et cursus velocitatem singulis annis, praesertim imbrioso tempore, miserabiliter suffocentur, et propterea ad obviandum huiusmodi malis et periculis in futurum unum pontem lapideum super dicto flumine prope ipsum locum construi et aedificari de necessitate oporteat et ad constructionem aedificationemque huiusmodi faciendas, utpote non modicum sumptuosas, pro quarum subsidio aliquo dilectus filius Dominicus Pasii de dicto loco, frater tertii ordinis B. Francisci de poenitentia nuncupati, nonnulla bona sua pie erogavit, uberiora aliorum suffragia christifidelium necessario requirantur, Nos, qui salutem quaerimus singulorum, cupientes, quod dictus pons ad evitanda huiusmodi pericula construatur et aedificetur constructusque et aedificatus conservetur, universitatem vestram monemus et hortamur in Domino, vobis in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis ad constructionem, aedificationem et conservationem pontis huiusmodi pias eleemosynas et grata charitatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram huiusmodi praefatus pons construi et aedificari et conservari valeat, vosque per haec et alia bona opera, quae Deo inspirante feceritis, possitis ad aeternae felicitatis gaudia pervenire. Nos enim ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad constructionem, aedificationem et conservationem pontis huiusmodi manus porrexerint adiutrices, duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus post viginti annos minime valituris, quas mitti per quaestuarios districtius inhibemus, eas si secus actum fuerit, carere viribus decernentes.

Datum Bononiae, anno ... 1436, XVII kal. octobris, ... anno VI.

255. Moniales monasterii Burdigalen. O. S. Cl. absolvit a iuramento, ut libere procedere valeant in lite exorta inter ipsas et fratres domus O. F. M. Burdigalen. circa legata a Seguino et Helia Carpentey laicis dioec. Burdigalen. (3).

1436, septembris 24, Bononiae.

Dilecto filio .. officiali Burdegalen.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in

(1) Reg. Vat. t. 366, f. 171 v. (sine loco et anno), t. 374 f. 131 v.

(2) Reg. Lat. t. 336, f. 68 v. Cf. n. 250, p. 116.

(3) Reg. Lat. t. 338, f. 144 v.

Christo filiarum abbatissae et sororum domus S. Clarae Burdegalen. ordinis eiusdem sanctae petitio continebat, quod olim quondam Seguinus et Helias dicti Carpentey, laici, in eorum ultimis testamentis per eos conditis ipsis annuum censum quadraginta librarum monetae Burdegalen., super quibusdam terris et vineis, quas tunc in loco appellato Alascumbas dictae dioec., percipere consueverant, imperpetuum pro suarum necnon pro genitorum suorum animarum salute legaverunt ac voluerunt, quod abbatissae et sorores praedictae de praefatis fructibus fratribus domus ordinis fratrum Minorum Burdegalen. quadraginta libras dictae monetae annis singulis pro pitantia darent et solverent. Postmodum vero inter abbatissam et sorores ex una necnon fratres praedictos ex alia partibus super solutione librarum fratribus facienda huiusmodi materia quaestionis exorta tandem partes ipsae super praemissis quamdam firmarunt et iniverunt compositionem, super cuius observantia abbatissa et sorores praedictae corporale praestiterunt iuramentum, videlicet, quod amplius ad praefatas possessiones habere non deberent neque petere regressum, prout in litteris authenticis desuper confectis, ipsorum abbatissae et sororum necnon fratrum sigillis munitis, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, abbatissa et conventus praedictae ex huiusmodi compositione enormiter sint laesae et super praemissis necnon eorum occasione inter abbatissam et sorores necnon fratres praedictos lis coram te pendeat, non ex delegatione apostolica, indecisa, pro parte abbatissae et sororum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis dictis fratribus necnon aliis, qui fuerint evocandi, super praemissis omnibus ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi tibi de praemissis legitime constiterit, abbatissae et sororibus praedictis iuramentum huiusmodi ad effectum agendi eadem auctoritate relaxes et, si relaxationem huiusmodi per te fieri contigerit, in causa, quae super praemissis coram te, ut praefertur, indecisa pendet, ulterius praevia ratione procedas ac debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem *etc.* Non obstante *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, VIII kal. octobris, ... anno VI.

256. Franciscum O. F. M. instituit episcopum Rubicen. (Rubicon in insulis Canariis) [1].

1436, septembris 26, Bononiae.

Dilecto filio Francisco electo Rubicen.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Fernando, episcopo Rubicen., regimini Rubicen. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius Fernandi episcopi, qui extra Romanam curiam decessit, vacante *etc.* demum ad te, ordinem fratrum Minorum expresse professum et in sacerdotio constitutum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, VI kal. octobris, ... anno VI.

Eadem die simili modo scribit: *Capitulo ecclesiae Rubicen.; Clero civitatis et dioec. Rubicen.;* praeterea *Archiepiscopo Hispalen.* (Ad cumulum) et *Iohanni regi Castellae et Legionis* (Gratiae divinae).

257. Monialibus O. S. Cl. Veronen. concedit facultatem eligendi confessarium et remissionem plenariam in articulo mortis [2].

1436, septembris 29, Bononiae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et monialibus monasterii S. Clarae Veronen. ordinis eiusdem sanctae praesentibus et futuris regularem vitam ducentibus.

Eximiae devotionis *etc.* Hinc est, quod Nos, devotis vestris supplicationibus inclinati, ut quousque sub observantia regulari vixeritis, aliquem probum et discretum presbyterum possitis et de licentia abbatissae monasterii praedicti pro tempore exsistentis quaelibet vestrum necnon etiam mulieres ac duo laici cum eorum uxoribus vobis extra monasterium vestrum praesentialiter servientes, et qui vel quae tempore procedente serviverint, ac illorum et illarum quilibet possint et possit eligere confessorem, qui, quotiens volueritis vel voluerint confiteri, confessionibus diligenter auditis pro commissis, nisi talia fuerint, propter quae sit Sedes Apostolica merito consulenda, debitam absolutionem impendat et iniungat poenitentiam salutarem ac eucharistiam et in mortis articulo extremam unctionem et alia tribuat ecclesiastica sacramenta, fel. rec. Clementis papae V praedecessoris Nostri et alia quacumque constitutione

---

[1] Reg. Lat. t. 346, f. 72; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 96. Forsitan est Franciscus de Moya, de quo cf. supra n. 135, p. 69.

[2] Reg. Lat. t. 346, f. 289.

contraria non obstante, quodque eodem instante articulo omnium peccatorum vestrorum ... plenam remissionem vobis et illis ... concedere valeat, devotioni vestrae ... indulgemus *etc.* Ceterum, ut capellanus vester decedentium corpora servitorum et servientium praedictorum in ecclesia vel coemeterio monasterii vestri ecclesiasticae tradere valeat sepulturae iure parochialis ecclesiae ... salvo, licentiam potestatemque liberam vobis et illis auctoritate praedicta concedimus per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, III kal. octobris, ... anno VI.

258. S. Iustinae Paduan. et S. Danielis in Monte ac S. Mariae de Pratalia, Paduan. dioec., abbatibus ad instantiam Francisci de Lignamine, canonici Paduan., scriptoris et familiaris papae, contra fratres mendicantes conquerentis, mandat, ut decretalem « Super cathedram » ab utraque parte firmiter observari faciant (1).

1436, octobris 15, Bononiae.

Frequentes hactenus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, idibus octobris, ... anno VI.

259. Priori monasterii S. Pauli de Campo, Barchinonen. dioec., mandat, ut Mariae de Mediavilla O. S. Cl. monasterii S. Clarae Villaefranchae de Penades, Barchinonen. dioec., in quadragesimo quinto vel circa aetatis anno constitutae, a pluribus annis citra morbo cancri et aliis corporis infirmitatibus gravatae, pro eo, quod infra ipsius monasterii clausuras liber medicorum non patet ingressus, licentiam concedat a praefato monasterio se transferendi ad monasterium de Montealegre, Barchinonen. dioec., aut quodcumque aliud monasterium O. S. Aug. (2).

1436, octobris 15, Bononiae.

Sacrae religionis zelus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, idibus octobris, ... anno VI.

260. Episcopo Perusino mandat, ut Ludovicum Pauli de Pisauro O. F. M., qui ad monasterium S. Iohannis de Martiano, Romanae ecclesiae immediate subiectum, O. S. Ben., Civitatis Castelli dioec., transierat, absolvat a censuris et irregularitatibus eique concedat licentiam in altero ex Montis Cassini et Sublacen. eiusdem ordinis monasteriis, nullius ac Tiburtin. dioec., in quo benevolos receptores invenerit, perpetuo sub observantia regulari remanendi (3).

1436, novembris 3, Bononiae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, III nonis novembris, ... anno VI.

261. Concedit facultatem fundandi domum O. F. M. de observantia in insula Krapan (Crapanno) dioec. Sibenicen. (Sebenico in Dalmatia) (4).

1436, novembris 15, Bononiae.

Dilecto filio archidiacono ecclesiae Sibenicen.

Votis fidelium illis praesertim *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Danielis, Petri, Iacobi, Michaelis et Iohannis, fratrum, ac quondam Thomae Iurich, domicelli Sibenicen., natorum, petitio continebat, quod licet olim dictus Thomas insulam Crapan, Sibenicen. dioec., ad archidiaconatum ecclesiae Sibenicen. et illius pro tempore archidiaconum tunc pertinentem, ex concessione aliarum litterarum Nostrarum per viam permutationis de aliis ipsius Thomae bonis eidem archidiaconatui magis utilibus et illis tunc assignatis acquisiverit, tamen in bonis ipsis praedictus Thomas in dicta insula quamdam capellam seu oratorium construere seu construi facere proponebat, prout expressum exstitit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Thomas huiusmodi suo proposito exsecutioni minime demandato postmodum decessit, ac loco dictae capellae praedicti nobiles, qui eiusdem Thomae bonorum haeredes et successores remanserunt, de praedictis bonis ac etiam mediantibus dilecti filii Georgii Radoslamchic, etiam domicelli Sibenicen., qui ad id contribuere intendit, ... unam domum cum ecclesia, campanili, ... officinis in praedicta insula pro usu ... religiosorum ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum vicariae Bosnae iuxta morem dicti ordinis construere ... proponunt. Quare pro parte nobilium et Georgii praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si per diligentem informationem ... repereris, quod locus, in quo praedicta domus construi debet, honestus, ad id aptus et commodus exsistat, Danieli, Petro, Iacobo, Michaeli, Iohanni et Georgio ac eorum cuilibet domum cum ecclesia, campanili ... fundandi ... necnon religiosis praedictis illam sic constructam ... recipiendi ac retinendi licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.* Nos enim ... vicariis, guardianis, fratribus praedicti ordinis et aliis in domo ipsa pro tempore degentibus personis ac dictae domui, ut ... quibuscumque privilegiis *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, XVII kal. decembris, ... anno VI.

(1) Reg. Vat. t. 366, f. 182.

(2) Reg. Lat. t. 338, f. 31 v. De monasterio de Villafranca cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 973, p. 331.

(3) Reg. Lat. t. 338, f. 117.

(4) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 97: « e l. 2 de regular. a. VI, f. 225 ».

262. Fratribus domus Ariminen. O. F. M. concedit, ut curam parochianorum exercere possint per sacerdotem ipsius ordinis (1).

1436, novembris 15, Bononiae.

Dilectis filiis guardiano et conventui domus Ariminen. ordinis fratrum Minorum.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum oporteat vos ratione curae animarum parochianorum ecclesiae dictae domus, quae parochialis est, tenere unum sacerdotem saecularem ad nutum vestrum pro tempore ponendum et deponendum, cui de vitae necessariis et certo annuo salario providere habetis ac propter paupertatem vestram hoc vobis admodum reddatur onustum, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis, quod de cetero curam ipsam per aliquem vestrum exerceri facere possitis, concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ... vobis ac guardianis et aliis fratribus posteris vestris, qui in praefata domo pro tempore versabuntur, quod huiusmodi curam per aliquem ex eisdem fratribus idoneum, in sacerdotalibus constitutum, usque ad Apostolicae Sedis beneplacitum exercere libere et licite valeatis, ita ut ex nunc ad tenendum propterea huiusmodi sacerdotem saecularem minime teneamini, nec ad id a quoquam inviti coarctari possitis, plenam et liberam auctoritate apostolica concedimus tenore praesentium facultatem. Non obstantibus *etc.*, iure tamen dioecesani ... salvo. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, XVII kal. decembris, ... anno VI.

263. Iohannem O. F. M. instituit episcopum Darien. (in Mesopotamia) (2).

1436, novembris 28, Bononiae.

Dilecto filio Iohanni, electo Darien.

Regimini universalis ecclesiae *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Henrico episcopo Darien. regimini Darien. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum dicti Henrici, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, IV kal. decembris, ... anno VI.

264. Confirmat et extendit litteras Martini V d. d. 19 iunii 1430 pro fratribus et sororibus III O. S. Fr. dioec. Morinen. ad alias domos eiusdem ordinis Morinen., Tornacen., Cameracen. et Leodien. dioec. (3).

1436, decembris 1, Bononiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad apostolicae dignitatis apicem *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Martinus papa V, praedecessor Noster, suas concessit litteras tenoris subsequentis:

Martinus episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Apostolicae Sedis providentia *etc. (ut in Bull. Franc. t. VII, n. 1891, p. 736).*

Datum Romae apud SS. Apostolos, XIII kal. iulii, ... anno XIII.

Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictorum fratrum et sororum petitio continebat, ipsi, quod nonnulli christifideles in eisdem Morinen. ac Tornacen., Cameracen. et Leodien. civitatibus et dioecesibus pro habitatione et usu perpetuis fratrum et sororum eiusdem ordinis aliquas domos sive aliqua loca liberaliter donabunt seu relinquent, vel alias iusto titulo ipsi aut alii dicti ordinis fratres et sorores conquirere sperent, pro parte fratrum et sororum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictas litteras eiusdem Martini praedecessoris ac in eis contenta necnon quaecumque inde secuta confirmare et approbare ac litteras et contenta huiusmodi ad fratres et sorores domorum civitatum et dioecesium praedictarum extendere et alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, ... litteras et contenta huiusmodi necnon quaecumque inde secuta rata habentes et grata, ea omnia apostolica auctoritate et ex certa scientia confirmamus, ... supplentes *etc.* Et nihilominus litteras praedictas ad praefatas domos dictarum civitatum et dioecesium necnon illorum fratres et sorores, ... prout in eisdem litteris continetur, vivere necnon regulam, ordinationes et dispositiones in dictis litteris contentas observare ac omnibus et singulis privilegiis ... libere ac licite in omnibus ad instar dictorum fratrum et sororum uti et gaudere possint et valeant, eadem auctoritate concedimus per praesentes, decernentes irritum et inane *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, kalendis decembris, ... anno VI.

(1) Reg. Lat. t. 335, f. 242.

(2) Reg. Lat. t. 346, f. 153; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 99. Apud Eubel, *Hier. cath. med. aevi*, II², p. 143, dicitur Iohannes Anguli, al. Winkelmann, baccal. form. in theol., cui conceditur fac. exerc. pontif. in civ. et dioec. Hildeshemen. de consensu episcopi Hildeshemen.

(3) Reg. Lat. t. 339, f. 16v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 98, sed erronee VI kal. decembris.

265. Fratribus et sororibus III O. S. Fr. dioec. Morinen. concedit licentiam habendi sacerdotem pro celebratione missae et administratione sacramentorum (1).

1436, decembris 1, Bononiae.

Dilectis filiis fratribus et dilectis in Christo filiabus sororibus domorum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupatis per civitatem et dioecesim Morinen. constitutis, praesentibus et futuris sal. etc.

Iniunctum Nobis desuper apostolicae servitutis officium *etc.* Hinc est, quod Nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis praesentibus et futuris, ut quotiens necessitatis casus ingruerit, aut alias vobis seu alicui vestrum visum fuerit, quicumque sacerdos idoneus vobis et vestrum cuilibet de vestrorum superiorum licentia in vestris oratoriis et domibus, praeterquam in festo paschae, eucharistiae sacramentum conferre et tradere, vosque et vestrum quilibet illud recipere libere et licite possitis et valeatis apostolica auctoritate concedimus per praesentes, iure tamen parochialis ecclesiae ... salvo; non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, kalendis decembris, ... anno VI.

266. Lumbardum de Salis O. F. M. instituit episcopum Andrien. (Andros, insula) (2).

1436, decembris 12, Bononiae.

Dilecto filio Lumbardo de Salis, electo Andrien.

Ad exsequendum pastoralis officii *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Andreae episcopo Andrien., regimini Andrien. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius Andreae episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam, regimen *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, prid. idus decembris, ... anno VI.

Eadem die simili modo scribit: *Capitulo ecclesiae Andrien.; Clero civitatis et dioec. Andrien.; Populo civitatis et dioec. Andrien.;* praeterea *Archiepiscopo Athenien.* (Ad cumulum).

267. Fratribus domus S. Audomari de S. Audomaro (Saint-Omer) O. F. M. de observantia, Morinen. dioec., concedit licentiam recipiendi domum in oppido Dunkerken, comitatus Flandriae, eiusdem. dioec. (3).

1436, decembris 16, Bononiae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum domus S. Audomari de Sancto Audomaro, Morinen. dioec.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, domus dicta S. Audomari de Sancto Audomaro, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, Morinen. dioec., in qua degitis, in numero fratrum sub huiusmodi observantia viventium admodum Domino benedicente excreverit, ac in dicta dioecesi locus alius seu domus fratrum huiusmodi non exsistat, necnon dilecti filii universitas oppidi Dunkerken, comitatus Flandriae, eiusdem dioec., spiritu devotionis accensi, quemdam locum pro guardiano et nonnullis fratribus dicti ordinis in eorum solo, loco ad id congruo et honesto, infra dictum oppidum cum ecclesia, campanili ... officinis construere et aedificare ac illum vobis pro huiusmodi guardiani et fratrum habitatione perpetua, si ad id Apostolicae Sedis accedat assensus, concedere et assignare proponant, pro parte vestra et praedictorum fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, universitatem praedictam in huiusmodi laudabili proposito confovere volentes, eis locum seu domum huiusmodi construendi et erigendi vobisque illum pro ipsorum guardiani et fratrum habitatione et usu recipiendi et perpetuo retinendi, fel. rec. Bonifatii papae VIII ... nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica licentiam tenore praesentium elargimur, parochialis ecclesiae ... iure salvo, vobis nihilominus de uberioris dono gratiae, quod guardianus et fratres huiusmodi ... omnibus privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, XVII kal. ianuarii, ... anno VI.

268. Decernit, ut fratres III O. S. Fr. in partibus Flandriae habeant caputia uniformia (4).

1436, decembris 29, Bononiae.

Dilectis filiis universis fratribus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupatis in partibus Flandriae, Morinen. dioec., commorantibus.

(1) Reg. Lat. t. 335, f. 235v. Cf. n. praec.
(2) Reg. Lat. t. 337, f. 262.
(3) Reg. Lat. t. 339, f. 41; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 100. Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 756, p. 266; n. 1776, p. 682; n. 1779, p. 683.
(4) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 101: « e l. 4 de regular. etc. a. VI, f. 69 ». Cf. supra n. 264, p. 121.

Devotionis augmentum vobis *etc.* Cum itaque ... vos longa et dilecti filii fratres vestri ordinis villae de S. Audomaro, Morinen. dioec., alterius formae caputia, licet sitis unius et eiusdem ordinis, deferatis, vosque, qualis vestrorum forma caputiorum in vestra provincia vobis data fuerit in prima institutione, sitis immemores et incerti, cumque etiam congruat utique et deceat, quod, cum vos dictique fratres eiusdem esse religionis noscamini et observantiae regularis, uniformia uniusque dispositionis caputia inter vos in antea habeatis, Nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, tam vobis quam aliis futuris domorum vestrarum fratribus omnibus et singulis, ut vos et illi eiusdem dispositionis sive formae, cuius fratres villae praedictae deferre solent, caputia vestris penitus derelictis perpetuo habere et gestare libere liciteque possitis atque debeatis, dicta institutione ac vestrarum praedictarum et fratrum dictae villae domorum dictique ordinis ... statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, IV kal. ianuarii, ... anno VI.

269. Ministro generali et domorum superioribus fratrum et sororum III O. S. Fr. in partibus Flandriae concedit facultatem dispensandi in regula, absente visitatore dicti ordinis (1).

1436, decembris 29, Bononiae.

Dilectis filiis fratribus et dilectis in Christo filiabus sororibus universis tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupatis in partibus Flandriae et Morinen. dioec. commorantibus.

Exposcit vestrae devotionis sinceritas *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod, licet vos omnes ex singulis vestrarum professionum votis vestram in omnibus et singulis de illius rigore regulam teneamini firmiter observare, tamen quotiens contingit, quod aliqua ipsius regulae puncta vobis per infirmitates seu alias debilitates nimis rigorosa et difficulter tolerabilia reddantur, visitator personarum domorumque vestrarum iuxta regularia vestri ordinis instituta potest et consuevit vobiscum super eisdem punctis dictum mitigando rigorem opportuno tempore de gratia dispensare. Sed quia idem visitator saepe a vobis et dictis domibus se solet absentare diuque agere in remotis, magnum in dispensationibus vobis necessariis noscimini defectum nonnumquam sustulisse. Quare pro parte vestra fuit Nobis humiliter supplicatum, ut super hoc tam vobis quam aliis futuris praefatarum domorum fratribus et sororibus pro potiori vestrarum ac illorum et illarum conscientiarum quiete atque pace salubriter et opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... ut generalis minister vestri ordinis et ipsarum domorum superiores coniunctim vel divisim in absentia dicti visitatoris super omnibus et singulis praefatae regulae punctis, super quibus idem visitator, si praesens esset, ob corporalem defectum virium sive ex aliis causis rationabilibus vobiscum et cum fratribus et sororibus praedictis dispensare posset, ob talem defectum sive ex causis similibus cum vobis et illis omnibus et singulis, quotiens expedire viderint, super quo eorum conscientias oneramus, quamdiu et quandocumque perpetuis futuris temporibus ipse visitator ex nunc in antea absens fuerit, vice eiusdem dispensare possint et debeant, super eis plenam et liberam harum serie facultatem concedimus vobis et eisdem fratribus et sororibus futuris, dictis institutis ac quibusvis statutis et consuetudinibus domorum et ordinis praefatorum ... ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, IV kal. ianuarii, ... anno VI.

270. Alphonso de Mella et Francisco de Castello fratribus O. F. M. concedit licentiam transeundi ad ordinem Cartusien. vel S. Benedicti (2).

1437, ianuarii 5, Bononiae.

Dilecto filio Alfonso de Mella, fratri ordinis fratrum Minorum.

Illa quotidiana nos pulsat instantia *etc.* Cum autem, sicut intelleximus tibi, qui annis plerisque religionis ordinis fratrum Minorum iugum arctius pertulisti, pro animi tui quiete ac salubri tui status directione, ut etiam sub aliqua alterius ordinis observantia commendabili Creatori omnium offerres sacrificium, plurimum accommodum foret et tuae saluti animae multipliciter profuturum, Nos illius, qui pro nostra vita mori dignatus est, vices licet immeriti gerentes in terris, tuis saluti animae et statui apostolicis favoribus et praesidiis opportune consulere cupientes, tibi ut infra mensem, a tempore, quo praesentium notitiam habueris, computandum, tu ac dilectus filius Franciscus de Ca-

(1) Reg. Lat. t. 335, f. 236. Cf. n. praec. et n. 264, p. 121.

(2) Reg. Vat. t. 366, f. 187v. Cf. supra n. 156, p. 80 et n. 213, p. 103.

stello, eiusdem ordinis frater, de praefato ordine fratrum Minorum, quem expresse professi exsistitis, vestrorum superiorum aut cuiuscumque alterius super hoc non petita licentia ad aliquam vel aliquod Cartusien. vel S. Benedicti, in quo tamen regularis vigeat observantia ordinum, quarumcumque civitatum vel dioecesium domum vel monasterium, in qua seu quo benevolos receptores inveneritis, transire et inibi sub regularibus habitu et observantia perpetuo remanere libere possitis ac valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, nonis ianuarii, ... anno VI.

271. Committit decisionem causae quoad haereditatem a fratribus domus S. Francisci Bononien. O. F. M. repudiatam (1).

1437, ianuarii 11, Bononiae.

Venerabili fratri Bartholomaeo, archiepiscopo Spalaten. in Romana curia residenti.

Ex assuetae pietatis officio *etc.* Sane pro parte dilectae in Christo filiae Placiliae, relictae quondam Iacobi de Sanctogeorgio laici in civitate Nostra Bononiensi commorantis, petitio continebat, quod olim quondam Iohannes Vannucci, etiam de Sanctogeorgio laicus, condens de suis bonis, inter quae nonnullae petiae terrae aratoriae, arboratae et prativae quinquaginta tornaturarum vel circa cum quadam turri et aliis superexstantibus in guardia terrae Galeriae, in loco dicto La Torre de Lambertini, Bononien. dioec., consistentes erant, in eius voluntate ultima testamentum, in illo dilectos filios conventum et fratres domus S. Francisci Bononien. ordinis Minorum in huiusmodi bonis eius universales haeredes instituit, quondam Thesiae eius uxori, quoad viveret et vidualem et honestam vitam duceret, ipsorum bonorum usufructu relicto. Et deinde Thesia vita functa necnon de bonis et haereditate huiusmodi per quondam Dominicum de Sancto Isaia, fratrem ac tunc syndicum seu procuratorem domus eiusdem, repudiatione facta, praefatus Iacobus, nepos ipsius Iohannis, tunc in humanis agens, haereditatem sic repudiatam cum beneficio inventarii ab intestato adivit et bona huiusmodi adeptus, illa fere vigintiquinque annis possedit. Postmodum vero dictus Iacobus in suo, quod in eius voluntate ultima condidit, testamento, et cuius dilectos filios Clementem de Manzolia, ipsius Placiliae fratrem, Bononien., ac Philippum de Mediolano, Mediolanen. cives, exsecutores deputavit, eidem Placiliae petiarum terrarum cum turri et superexstantibus huiusmodi proprietatem necnon aliorum, quamdiu dicta Placilia in humanis ageret, suorum bonorum usumfructum legati iure reliquit, tali conditione adiecta, quod, si haeredes dicti Iacobi petias terrae praefatas cum turri et aliis superexstantibus praedictis ab eadem Placilia emere vellent, ipsa pro pretio per Clementem et Philippum praefatos aestimando illa dictis haeredibus eiusdem Iacobi vendere teneretur, ac etiam ipse Iacobus dilectos filios Vannuccium et Franciscum, suos fratres, necnon Carolum, dicti Vannuccii natum, cives Bononienses, in eisdem suis bonis haeredes instituit, prohibens omnino, ne per ipsorum aliquem dicta Placilia super proprietate et usufructu huiusmodi quomodolibet molestaretur, alioquin ex illis secus agentem omni per eum sibi relicto privavit. Interim vero ad instantiam Vannuccii, Francisci et Caroli praefatorum, dicta bona sive aliqua ex eis ad se pertinere minus veraciter praetendentium, venerabilis frater Noster Daniel, episcopus Concordien., civitatis eiusdem per Nos Gubernator deputatus, causam, quam ipsi propterea contra dictam Placiliam movere intendebant, dilecto filio magistro Onofrio Francisco, notario Nostro, etiam tunc in Romana curia residenti, auctoritate deputationis huiusmodi audiendam commisit et fine debito terminandam, Nosque in ea te dicto notario, postquam in illa ad aliquos actus inter partes ipsas processerat, duximus adiungendum, necnon conventus et ipsius domus fratres praedicti quoad terras cum turri et superexstantibus huiusmodi pro suo venerunt interesse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ipsa Placilia, quae praefata bona post mortem dicti Iacobi per triennium possedit ac de praesenti possidet, illorum occasione diutius timeat litibus implicari, pro parte sua Nobis fuit supplicatum *etc.* Nos itaque ... fraternitati tuae de utriusque partis procuratorum consensu ... mandamus, quatenus, si et postquam vocatis, qui fuerint evocandi, tibi de repudiatione et aliis praemissis legitime constiterit, huiusmodi repudiationem auctoritate Nostra approbes et confirmes, et si approbationem necnon confirmationem praedictas per te fieri contigerit, omne ius, si quod ecclesiae Romanae in eisdem petiis terrarum cum turri ac superexstantibus vel ad illa quomodolibet occasione institutionis per Iohannem factae huiusmodi competat, ipsi Placiliae praefata auctoritate dones. Non obstantibus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, III idus ianuarii, ... anno VI.

(1) Reg. Lat. t. 339, f. 136.

272. Concedit indulgentias pro capitulo generali in domo O. F. M. Tolosan. celebrando (1).

1437, Ianuarii 13, Bononiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, in civitate Tolosan. in domo ecclesiae S. Francisci, ordinis fratrum Minorum, in festo pentecostes proxime futuro fratres dicti ordinis generale capitulum celebraturi sint, Nos ordinem praedictum, qui in Dei ecclesia fructus salutares continuo parit, paterna charitate complectentes ac volentes, ut eo devotius ad Dei laudem et religionis incrementum iuxta ipsius ordinis instituta capitulum huiusmodi celebretur, et fidelium mentes tanto ferventius ad opem pietatis et devotionis incitentur et ad conservationem ecclesiae et domus praedictarum manus promptius porrigant adiutrices ac charitativa subsidia fratribus in dicto capitulo moraturis erogare studeant, quo ex hoc dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui a primis vesperis in vigilia pentecostes proxime futura inchoandis usque ad alios vesperos immediate sequentes ecclesiam praedictam devote visitaverint et ad conservationem ecclesiae manus porrexerint adiutrices ac dictis fratribus eleemosynas ac charitativa subsidia erogaverint, necnon dictis fratribus in praefato capitulo moraturis, vere etiam poenitentibus et confessis, qui in dicto pentecostes festo ecclesiam praedictam devote visitaverint, illam indulgentiam et remissionem peccaminum hac vice dumtaxat concedimus, quam visitantes ecclesiam B. Mariae de Portiuncula, dictam de Angelis, extra muros Assisinat., primo et secundo die mensis augusti consequuntur.

Datum Bononiae, anno ... 1436, idibus ianuarii, ... anno VI.

273. Mandat, ut cassata donatione hospitii pro mulieribus III O. S. Fr. in civitate Neapolitan. illud donet canonicis regularibus O. S. Aug. (2).

1437, Ianuarii 15, Bononiae.

Venerabili fratri Iacobo episcopo Luceriae Christianorum in civitate Neapolitan. commoranti.

Ad ea, per quae divini cultus augmentum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Bannellae Pincellae, domicellae Neapolitan., petitio continebat, quod olim ipsa ... ob singularem, quem ad tertium ordinem S. Francisci gerebat, devotionis affectum, quoddam hospitium in civitate Neapolitan. ad hoc, ut illud in domum seu locum conventualem pro quorumdam dicti ordinis utriusque sexus personarum perpetuis usu et habitatione erigeretur ac earum exsisteret, necnon quamdam petiam terrae seu possessionem, in pertinentiis praefatae civitatis consistentem et ad dictam Bannellam tunc legitime pertinentem, ad sustentationem et utilitatem personarum earumdem dilecto filio Matthaeo de Neapoli, eiusdem ordinis professori, vice et nomine praefati ordinis ac illius religiosorum tunc illa recipienti, necnon eidem ordini libere donavit et titulo donationis dedit et concessit necnon de illis donationem inter vivos fecit, prout in quodam publico instrumento desuper confecto dicitur plenius contineri. Et deinde, licet praefata Bannella unum altare in praefato hospitio fundari fecisset inibique cum duodecim vel circa mulieribus praefati ordinis etiam professis sub religionis insigniis aliquamdiu permansisset, tamen postea inter mulieres ipsas diversae dissensiones et discordiae subsecutae fuerunt, ac maior earum pars pudicitiae laxatis habenis omnique Dei timore postposito non solum personas suspectas in domo seu loco huiusmodi admittere sed etiam quaedam ex ipsis illam seu illum exeuntes aliorum effici concubinas non erubuerunt, prout non erubescunt etiam de praesenti, in religionis opprobrium et perniciosum exemplum etiam plurimorum. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefata Bannella cum duabus seu tribus ex praefatis mulieribus in domo seu loco huiusmodi remanserit ac provide consideret, quod in erectione domus seu loci necnon fundatione altaris huiusmodi alicuius ad id potestatem habentis auctoritas non intervenerit, quodque de cetero nulla spes exsistit, quod in domo seu loco huiusmodi similes mulieres absque dissensionibus et scandalis stare possint, ac propterea hospitium praedictum in domum conventualem canonicorum regularium ordinis S. Augustini de observantia erigi et reduci ipsamque possessionem seu terram eis perpetuo assignari desideret, pro parte dictae Bannellae etiam asserentis, quod ipsa donationem et concessionem praedictas tamquam invalidas et ab eius simplicitate et ignorantia emanatas, in quantum potuit, revocavit et annullavit, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes necnon terrae seu possessionis huiusmodi qua-

(1) Reg. Lat. t. 339. f. 271.

(2) Reg. Lat. t. 347. f. 12 v.

litates, loca, vocabula, confines et valores praesentibus pro expressis haberi volentes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis omnibus et singulis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ea fore vera reppereris, concessionem, donationem, erectionem et fundationem praedictas ac omnia inde secuta auctoritate Nostra praedicta casses, irrites et annulles nulliusque decernas exsistere roboris vel momenti. Et nihilominus hospitium cum terra seu possessione huiusmodi ad usum et habitationem nonnullorum canonicorum regularium ordinis S. Augustini seu aliorum cuiusvis alterius ordinis religiosorum sub regulari observantia degentium, quos ad id duxeris eligendos auctoritate praedicta deputes et assignes, et illis pariter dones *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, XVIII kal. februarii, ... anno VI.

274. Rodericum Reganna O. F. M. instituit episcopum Dimitrien. (Dimitri in Graecia) (1).

1437, februarii 4, Bononiae.

Dilecto filio Roderico Reganna, electo Dimitrien.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Georgio episcopo Dimitrien. regimini Dimitrien. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius Georgii episcopi, qui extra Romanam curiam decessit *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.* Volumus autem *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, pridie nonas februarii, ... anno VI.

275. Eximit moniales monasterii S. Clarae de Xativa O. S. Cl., Valentin. dioec., a solutione quarumdam pecuniarum ratione testamenti solvendarum (2).

1437, februarii 21, Bononiae.

Dilectis filiis Vallisdignae et S. Bernardi prope muros Valentin. monasteriorum abbatibus ac praecentori ecclesiae B. Mariae de Xativa, Valentin. dioec.

Apostolicae Nobis iniunctae officium servitutis *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Clarae loci Xativae, ordinis eiusdem sanctae, Valentin. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim quondam Saurina de Entenza mulier, singularem ad ordinem praedictum devotionis gerens affectum et ad reddendum vota, quae saepius de construi et aedificari faciendo monasterium dicti ordinis intra se conceperat et emiserat, inducta condensque de bonis sibi desuper collatis in eius voluntate ultima testamentum, in illo pro religionis propagatione divinique cultus augmento necnon suae et progenitorum suorum animarum salute praedictum monasterium S. Clarae construi et aedificari mandavit ac pro illius dote super ipsorum bonorum redditibus sexdecim millium solidorum regalium summam singulis annis perpetuo legavit atque reliquit et quondam Margaritam, ipsius filiam, tunc in humanis agentem, in omnibus aliis bonis universalem instituit haeredem, volens inter alia, quod ipsa abbatissa et conventus annis praedictis Valentinae mille, ac praedicti loci ordinis fratrum Minorum domibus quingentos necnon pro orphanis maritandis similes quingentos et pro captivis redimendis totidem pro pauperibusque vestiendis etiam totidem et pro sex presbyteris sive clericis idoneis, missas et alia divina officia in dicto monasterio celebraturis necnon per ipsam abbatissam ponendis et amovendis pro tempore, trecentos pro quolibet solidos regalium huiusmodi dare solvereque tenerentur, et si dicta Margarita sine liberis decederet, omnia bona praedicta ad ipsum monasterium S. Clarae devolverentur; sed ex tunc abbatissa et conventus praedictae pro domibus, orphanis, captivis, pauperibus necnon presbyteris et clericis praedictis solidos huiusmodi duplicare sive illorum duplum persolvere deberent. Postmodum vero dicta Margarita, quae legitimam, sibi iure naturae in eisdem bonis debitam, quondam Nicolao de Ianvilla, comiti Terrae novae, suo marito, dimisit, absque liberis huiusmodi vita functa, praedictus comes, se de dictis bonis intromittens, ea totaliter vel quasi pro se retinuit sibique vindicavit, necnon abbatissa et conventus praedictae, super illis contra eum propter ipsius potentiam iudicialiter experiri pertimescentes, desuper in bon. mem. Hugonem episcopum Valentin. compromiserunt, qui per suam arbitralem sententiam bonorum eorumdem tertiam abbatissae et conventui, necnon alias duas comiti praefatis, qui dictae sententiae acquieverunt, partes adiudicavit. Cum

(1) Reg. Lat. t. 346, f. 162; Wadd. XI², *Reg. pont.* Eug. IV, n. 24.

(2) Reg. Lat. t. 339, f. 44; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 102. De Saurina de Entenza, Petri IV regis Aragoniae consanguinea, uxore Rogerii de Lauria, admiralli regnorum Siciliae et Aragoniae cf. *Bull. Franc.* t. V, n. 611, p. 301; t. VI, n. 48, p. 25; n. 77, p. 52. De filia eius Margarita et Nicolao de Jamilla cf. t. VI, n. 194, p. 121.

autem, sicut eadem petitio subiungebat, tertiae partis huiusmodi, deductis, quae circa castrorum, domorum, necnon olei molendinorum reparationes illorumque custodes et conservatores inde proferenda sunt, et propter quae abbatissa et conventus praedictae singulis annis mille et octingentos similes solidos exponere habent, oneribus, fructus, redditus et proventus ultra summam sexdecim millium solidorum huiusmodi minime frequentius et aliquando modicum ultra valeant annuatim, et si abbatissa necnon conventus praedictae ad faciendam, quam hactenus non fecerant, duplicationem sive solutionem huiusmodi dupli cogerentur, id in earum, necnon similis monasterii S. Clarae magnum cederet damnum pariter et gravamen: pro parte dictarum abbatissae et conventus, asserentium post ipsius promulgationem sententiae quinquaginta annos effluxisse, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam vobis de praemissis legitime constiterit, abbatissam et conventum praedictas ad faciendam duplicationem sive solutionem dupli huiusmodi etiam perinde, ac si nulla desuper in ipso testamento facta mentio foret, aliquatenus non teneri, auctoritate apostolica decernatis, non permittentes ipsam abbatissam et conventum vel aliquam ex eis contra decretum sive constitutionem huiusmodi, si illud vel illam feceritis, a quoquam impeti indebite vel quomodolibet molestari, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, IX kal. martii, ... anno VI.

276. Revocat unionem domus S. Hieronymi extra muros Eugubin. O. F. M. de observ. cum domo S. Francisci Eugubin. O. F. M. ([1]).

1437, martii 7, Bononiae.

Ad futuram rei memoriam.

Ad ea, per quae piorum locorum statui *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum vicarii locorum provinciae S. Francisci necnon guardiani et fratrum domus S. Hieronymi extra muros Eugubin., ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, petitionis series continebat, quod olim, postquam ipsa domus S. Hieronymi per quemdam fratrem Hugolinum et certos alios religiosos viros, ordinis S. Augustini professores et sub eiusdem ordinis S. Augustini regulari observantia viventes, charitativis christifidelium eleemosynis atque suffragiis constructa et aedificata fuerat, ac deinde bon. mem. Balthassarus episcopus Tusculan., tunc Iohannes XXIII in sua obedientia, de qua partes illae tunc erant, nuncupatus, ex certis tunc expressis causis suppresso in ea praedicto S. Augustini ordine, domum ipsam universitati seu fraternitati S. Augustini Eugubin. nuncupatae submiserat, ipsaque fraternitas dictam domum cum eius pertinentiis apprehendens, ecclesiastica necnon alia aedificia domus eiusdem, tunc pro parte ruinam minantia, cum ea intentione et proposito, ut ipsam domum fratribus ordinis fratrum Minorum de observantia praedictis assignaret atque donaret, prout postmodum in effectu fecerat, reparaverat atque reformaverat, ac fratres huiusmodi locum ipsum ceperant et inhabitaverant, reddentes inibi Altissimo continuum famulatum, fel. rec. Martinus papa V, praedecessor Noster, ad dilecti filii nobilis viri Guidantonii comitis Montisferetri supplicationis instantiam, submissionem factam de dicta domo universitati seu fraternitati praedictae cassans, irritans et annullans, domum ipsam S. Hieronymi domui S. Francisci Eugubin. dicti ordinis Minorum univit, annexuit et incorporavit ac voluit, decrevit ac declaravit ipsam domum S. Hieronymi praedictae domui S. Francisci Eugubin. in perpetuum ita subesse debere, quod guardianus et fratres in dicta domo S. Hieronymi pro tempore degentes correctioni, punitioni et superioritati eiusdem domus S. Francisci perpetuo immediate subessent, prout in litteris dicti praedecessoris exinde confectis, quarum tenorem hic haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continetur ([2]). Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, domus et loca ordinis fratrum Minorum de observantia praedictorum necnon guardiani et fratres in eis pro tempore degentes ex institutionibus regularibus dicti ordinis nullis aliis, praeterquam dilectis filiis generali totius ordinis et aliis provinciarum ministris et vicariis, subiici consueverint nec subesse debeant ** ([3]). Quare pro parte comitis necnon vicarii provinciae ac guardiani et fratrum loci S. Hieronymi praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut incorporationem, annexionem et unionem necnon et submissionem huiusmodi per eumdem praedecessorem contra instituta Minorum huiusmodi

([1]) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 89: « e l. 4 de regular. et div. form. a. VI, f. 13 »; sed erronee legitur Datum Florentiae.

([2]) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1444, p. 532.

([3]) Hoc loco quaedam intercidisse videntur.

factas revocare, irritare ... dignaremur. Nos igitur ... unionem, annexionem et incorporationem necnon submissionem huiusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium cassantes, irritantes, ... decernimus, quod domus ipsa S. Hieronymi sub illis obedientia et superioritate ex nunc sit ac esse teneatur et debeat, sub qua cetera domus et loca ordinis Minorum de observantia huiusmodi infra provinciam S. Francisci praefatam sita et consistentia subsunt et etiam immediate subesse tenentur *etc.*, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, nonis martii, ... anno VI.

277. Imponit silentium fratribus O. S. Aug. castri Montisgranarii super oratorio S. Mariae « delle Grazie » ([1]).

1437, martii 7, Bononiae.

Ad futuram rei memoriam.

Sacrae religionis, sub qua dilecti filii guardianus et fratres domus S. Francisci extra muros castri Montis Granarii ordinis Minorum, Firman. dioec. *etc.* Olim siquidem accepto, quod cum dudum antea domus eorumdem fratrum infra moenia ipsius castri cum eius ecclesia consisteret, et temporum causante malitia universitas dicti castri eadem moenia ad minorem circuitum, ut securius vivere et ab hostium insidiis et insultibus se commodius tueri possent, restrinxissent adeo, quod domus et ecclesia praedictae extra huiusmodi moenia remanserant, ex quo in ipsa ecclesia divinus cultus exstiterat plurimum diminutus, ac fratribus, qui in ea pro tempore resederant, scandala secuta fuerant atque damna. Nos eisdem fratribus mutandi domum eamdem et aliam illius loco cum ecclesia, campanili ... officinis in loco ad id congruo et honesto infra eadem moenia construendi et aedificandi ipsamque pro usu et habitatione eorum recipiendi per quasdam primo ([2]) auctoritate apostolica licentiam concessimus, et deinde pro parte dictorum guardiani et fratrum Nobis exposito, quod, postquam ipsi quoddam oratorium, S. Mariae « delle Grazie » nuncupatum et per dilectos filios populum dicti castri fundatum et ad praemissa congruum, reppererant, a nonnullis asserebatur, in ipsius oratorii solo domum fratrum eremitarum S. Augustini antiquitus fundatam seu dictum oratorium domui eorumdem S. Augustini fratrum unitum, annexum et incorporatum auctoritate apostolica exstitisse, quodque praefati ordinis Minorum fratres parati erant ab eiusdem castri habitatoribus, qui ad rem ipsam afficiebantur, dari facere eisdem eremitarum fratribus debitam recompensam, maxime cum eis alius infra dictum castrum locus eadem auctoritate concessus exstitisset, quem tunc commode inhabitabant, Nos dilecto filio abbati monasterii S. Firmani, dictae dioec., eius proprio nomine non expresso, per quasdam alias Nostras litteras ([3]) dedimus in mandatis, ut si foret ita, data prius eisdem S. Augustini fratribus recompensa, guardiano et fratribus ordinis Minorum praedictis oratorium praedictum cum hortis, hortalitiis et omnibus iuribus et pertinentiis suis apprehendendi inibique domum cum ecclesia, campanili, ... officinis fundandi ... eamque pro eorum usu recipiendi domumque eorumdem extra muros praedictos exsistentem ad fundandum domum in oratorio huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis transferendi, fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* contrariis nequaquam obstantibus licentiam apostolica auctoritate concederet, iure parochialis ecclesiae ... salvo. Voluimus autem, quod ecclesia ipsa extra muros sita praedictos, postquam huiusmodi translatio facta foret, ad profanos usus nullatenus reverteretur. Cum autem postmodum dictus abbas vocatis dicti S. Augustini fratribus et aliis, qui fuerant evocandi, ac oblata eisdem per guardianum et fratres Minores praedictos debita recompensa servatis servandis praefatis guardiano et ordinis Minorum fratribus oratorium praedictum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis recipiendi inibique domum cum ecclesia, campanili ... fundandi ... eaque pro eorum usu et habitatione recipiendi domumque eorum extra muros praefatos exsistentem ... cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis transferendi concesserit auctoritate apostolica facultatem, iure petendi recompensam debitam, ut praefertur, quam eatenus recipere recusaverant, priori et conventui domus S. Augustini huiusmodi in posterum reservato, et nihilominus idem abbas dilecto filio Andreae abbati monasterii S. Rosilli Forolivien., dicti ordinis, dederit, ut ex praedictarum ad se directarum litterarum forma poterat, in mandatis, ut guardianum et fratres S. Francisci huiusmodi in possessionem dicti oratorii iuriumque et pertinentiarum praedictorum induceret corporalem; cumque idem Andreas abbas guardianum et syndicos procuratores per dictos S. Francisci

([1]) Reg. Lat. t. 352, f. 244, inclusa in litteris *Apostolicae Sedis providentia circumspecta* d. d. 15 augusti 1437; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 88.

([2]) Vide supra n. 25, p. 20.

([3]) Vide supra n. 206, p. 99.

fratres legitime constitutos nomine dictorum S. Francisci fratrum in oratorii iuriumque et pertinentiarum praedictorum huiusmodi possessionem induxerit iuxta traditam, ut praemittitur, sibi formam, ipsique guardianus et syndici oratorii iuriumque et pertinentiarum huiusmodi possessionem receperint corporalem, prout in dictis litteris et instrumentis inde confectis plenius continetur, nihilominus syndicus eorumdem S. Augustini fratrum a processibus et exsecutionibus huiusmodi ipsorum S. Augustini fratrum nomine ad Sedem Apostolicam appellavit, Nosque causam appellationis huiusmodi dilecto filio magistro Iohanni Loyer, capellano Nostro et causarum palatii apostolici auditori, ad instantiam dicti syndici audiendam commisimus et fine debito terminandam, in qua idem auditor ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter dictas partes dicitur processisse. Quare pro parte dictorum S. Francisci fratrum, cum sint in altissima paupertate fundati, ne contra eorum morem et honestatis debitum litigare cogantur, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, litem huiusmodi, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, exstinguentes, eisdem S. Augustini fratribus super oratorio, iuribus et pertinentiis supradictis perpetuum silentium auctoritate apostolica ex certa scientia imponimus per praesentes ac decernimus oratorium praefatum cum iuribus et pertinentiis supradictis ad eosdem S. Francisci fratres tantummodo pertinere, reservata eisdem S. Augustini fratribus debita, ut praefertur, recompensa, quam eis per eosdem S. Francisci fratres dari volumus, quandocumque fuerint requisiti *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, nonis martii, anno VI.

278. Concedit indulgentias pro domo S. Hieronymi III O. S. Fr. de Montepolitiano, Arretin. dioec. (1).

1437, martii 14, Bononiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia domus S. Hieronymi de Montepolitiano, Arretin. dioec., ordinis fratrum S. Francisci de tertia regula nuncupatorum, quae denuo aedificata et nondum perfecta est, congruis honoribus frequentetur *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in festo eiusdem S. Hieronymi a primis vesperis usque ad secundos devote visitaverint annuatim, duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1436, pridie idus martii, ... anno VII.

279. Concedit pro ecclesia domus S. Francisci O. F. M. Alboregalis (Székesfejérvár, Stuhlweissenburg), Vesprimen. dioec., indulgentias 3 annorum et 3 quadragenarum annuatim in festo S. Francisci lucrandas ab illis qui rite confessi visitaverint ipsam ecclesiam et pro conservatione fabricae manus porrexerint adiutrices (2).

1437, aprilis 5, Bononiae.

Licet is *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, nonis aprilis, ... anno VII.

280. Mandat, ut Alphonsum Santii de Areo, presbyterum Abulen., qui ex devotione gestaverat habitum O. F. M., ab omni observantia ordinis liberum declaret (3).

1437, aprilis 19, Bononiae.

Dilecto filio Onufrio Francisco, electo Melfien., in Romana curia residenti.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Alphonsi Santii de Areo, presbyteri Abulen. dioec., petitio continebat, quod olim ipse, tunc in decimo octavo suae aetatis anno constitutus, quadam devotione ductus habitum ordinis fratrum Minorum ad certum tempus, animo tamen ac intentione huiusmodi ordinem minime profitendi, gestare proposuit illumque ex tunc usque ad vicesimum tertium eiusdem aetatis annum, interim etiam singulis annis, quod frater ipsius ordinis censeri sive regularem professionem per dictos fratres emitti solitam emittere non vellet, protestatione sufficienti facta deferebat ac ex post habitum per eum assumptum huiusmodi penitus dimisit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, occasione dimissionis habitus huiusmodi plerique ipsum Alphonsum apostasiae notae subiacere satagant adstruere, pro parte dicti Alphonsi Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui praemissorum certam notitiam non habemus, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis et eorum circumstantiis auctoritate Nostra te diligenter informes et, prout ... iuxta informationem eamdem canonica quoque sanctiones et instituta congruere

(1) Reg. Lat. t. 353, f. 91v. (2) Reg. Lat. t. 353, f. 289. (3) Reg. Lat. t. 353, f. 141v. Forsitan Alphonsus Sancii idem est, qui *Bull. Franc.* t. VII, n. 1713, p. 655 simul dicitur clericus Corduben. et professus O. F. M.

prospexeris, ipsum Alphonsum a praedictae et cuiuslibet alterius religionis observantia absolutum fore vel ad illam non teneri eadem auctoritate declares, faciens atque decernens in praemissis et circa ea, quae iuris dictaverit ordo et ipsius Alphonsi animae videris expedire saluti.

Datum Bononiae, anno ... 1437, XIII kal. maii, ... anno VII.

281. Suspendit prohibitionem ministri generalis, ne fratres vicariae Bosnae mendicent certis diebus in civitate Iaderen. (Zara, Zadar in Dalmatia) (1).

1437, aprilis 25, Bononiae.

Ad futuram rei memoriam.

Pastoralis officii cura pervigilis personarum quarumlibet commoditatibus intendens, illa praesertim, quibus pauperum mendicantium tenuis victus ac necessaria sustentatio perstringitur, ne ob hoc religionis et divini nominis cultus maxime cum scandalo plurimorum detrimentum suscipiat, nonnumquam suspendit et immutat, prout id in Domino conspicit salubriter expedire. Sane ex fide digna nuper relatione accepimus, quod dilectus filius Guillelmus de Casali, ordinis Minorum generalis minister, mandatum fecisset nonnullis eiusdem ordinis fratribus in dicto mandato contentis tenoris subsequentis:

In Christo sibi charissimis fratribus, custodibus et guardianis locorum Passinam, Ugliam, et sanctae Catherinae de Subnan (2) *necnon ceteris fratribus dictorum locorum vicariae Bosnae tam praesentibus quam futuris Fr. Guillelmus de Casali, sacrae theologiae magister ac ordinis fratrum Minorum generalis minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.*

Cum fratres conventus Iadren. provinciae Dalmatiae mihi quaerulosas litteras destinaverint, quod praeterito anno videlicet 1435 fratres dictorum locorum contra statuta, constitutiones et antiquas consuetudines velle facere praesumpserint in civitate Iaderae, videlicet panem mendicare diebus dominicis et feriis sextis et bladum seu triticum tempore quaestae dicti conventus ac vinum tempore vindemiarum ac oleum circa tinacia (3) iuxta mare cum auxilio saecularium in non modicum detrimentum et scandalum fratrum dicti conventus atque totius ordinis confusionem, hinc est, quod ad obviandum huiusmodi inconvenientibus et scandalis possibilibus mando vobis per obedientiam salutarem in virtute Spiritus sancti sub poena excommunicationis latae sententiae, quam trina canonica monitione profero in his scriptis et sub poena carceris et inobedientiae contumacis, quam quemlibet transgredientem ipso facto denuntio incurrisse, quatenus nullatenus praesumatis diebus dominicis et feriis sextis nec in vigiliis nativitatis Domini, circumcisionis et epiphaniae et in festo omnium sanctorum per civitatem Iaderae mendicare panem nec frumentum tempore quaestae dicti conventus usque ad festum assumptionis Dominae nec vinum tempore vindemiarum usque ad finem earum per civitatem praedictam causa reponendi nec oleum circa tinacia prope mare, cum praeparatur. Quibus quaestis dicti conventus perfectis tam in dicta civitate quam extra vobis necessaria iuxta conscientiam vestram petere valeatis. Ceterum sub eisdem poenis vobis iniungo, quatenus, cum ad memoratam civitatem Iaderae vos intrare contigerit, ministri, custodis et guardiani conventus Iaderae obedientiae subesse debeatis iuxta Nostri ordinis statuta et laudabiles sanctiones. Praesentes autem litteras ad perpetuam rei memoriam mando vobis praesidentibus saepedicti conventus per obedientiam salutarem assidue in eodem conventu stare debere et de cetero per omnia diligentius observari. Et ne ignorantia aliquibus sit causa delinquendi, praecipio custodi et guardianis praedictorum trium locorum sub poenis gravioribus praetaxatis, quatenus in unoquoque locorum habeant huiusmodi litterae copiam, quam omni diligentia faciant inviolabiliter observari. Valete in Christo Iesu et orate pro me. Datum Bononiae, die 19 mensis augusti 1436.

Cum autem, sicut eadem insinuatio subiungebat, si fratres dictorum locorum mandatum praeinsertum, per dictum generalem ipsis factum, observare deberent, maxima ipsis et eorum conventibus et insupportabilia incommoda tam quoad victum quam alia ipsis necessaria etiam cum divini cultus diminutione ex hoc redundarent ac alia plurima et gravia scandala in partibus illis succederent. Quare considerantes, quod, si dictus generalis minister de praemissis fuisset, ut fieri oportebat, plene informatus, ad huiusmodi inhibitionem et mandatum nullatenus

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 18.

(2) Loca hic commemorata Pašman, Ugljan (de quo cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1891a, p. 737) et S. Catharinae « circa Iaderam exsistentia » etiam nominantur in actis capituli generalis Mantuan. d. 24 maii 1467 ap. Fermendžin, *Acta Bosnae*, Zagabriae 1892, p. 270.

(3) Tinacia significat vas in olei confectione adhibitum = lacus torcularius.

processisset, attendentesque ipsum generalem ministrum ad partes ita remotas se nuper transtulisse, ut pro salubri remedio in praesenti ad eum non facilis sit accessus, volentes etiam his praemissis opportune consulere, inhibitionem et mandata huiusmodi ad Nostrum et Apostolicae Sedis beneplacitum auctoritate apostolica tenore praesentium suspendimus. Et ne dictorum inhibitionis et mandatorum a quoquam quavis auctoritate aliquid innovetur, penitus inhibemus, decernentes ex nunc irritum et inane, quidquid in contrarium scienter vel ignoranter forsitan contigerit attemptari. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VII kal. maii, ... anno VII.

282. Priori monasterii S. Maioli Papien. mandat, ut audiat et decidat causam circa praebendam in ecclesia B. Mariae de Bremide inter Iohannem Martini de Aymis canonicum Papien. et Iohannem Petrum de Coys, alias de Collis, qui se gerit pro presbytero Novarien. et praeter alia delicta etiam in quemdam religiosum, tunc domus S. Francisci de Viglevano, Novarien. dioec., O. F. M. guardianum, in sacerdotio constitutum, manus cum sanguinis effusione iniecerat temere violentas (1).

1437, aprilis 26, Bononiae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VI kal. maii, ... anno VII.

283. Mandat, ut decernat litem fratrum O. Pr., O. Erem. S. Aug., atque O. F. M. Reatin. contra rectores parochialium ecclesiarum eiusdem civitatis supra quarta parte (2).

1437, maii 3, Bononiae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Angeli in Massa extra muros Narnien.

Ad ea, per quae monasteriorum *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum priorum S. Dominici et S. Augustini ac guardiani S. Francisci, Reatin. domorum fratrum Praedicatorum ac eremitarum ipsius S. Augustini et Minorum ordinum eorumque conventuum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet a tanto tempore citra, cuius initii seu contrarii memoria hominum non exsistit, pro singulis fidelium utriusque sexus decedentium corporibus in ecclesiis domorum huiusmodi, in quibus corpora huiusmodi sepulta fuerint, unum castratum seu aliarum carnium, aut dum illarum esus ab ecclesia interdicitur, piscium necnon vini et panis certas quantitates pia largitione donare et concedere consueverint, tamen nonnulli rectores parochialium ecclesiarum, infra quarum parochiarum metas dictae domus consistunt, a duobus mensibus citra supra quarta parte donatorum et concessorum huiusmodi, asserentes falso illa ad eos de iure pertinere, praefatos exponentes multipliciter molestarunt et molestant ac fecerunt et faciunt, quominus ipsi conventus donata et concessa eis huiusmodi integre percipere potuerint et possint. Quare pro parte dictorum exponentium Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni tuae, cum ipsi exponentes, potentiam dictorum rectorum perhorrescentes, in civitate et dioecesi Reatin. non sperent consequi posse iustitiae complementum, ... mandamus, quatenus, si vocatis dictis rectoribus et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de consuetudine huiusmodi legitime constiterit, tu illam perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observandam fore, et quod iuxta eam ex nunc inantea dicti conventus et eorum singuli castratos ac carnium et piscium necnon panis et vini quantitates huiusmodi integre et cum effectu absque alicuius quartae partis de illis rectoribus ipsis et eorum successoribus vel eorum alicui facienda assignatione perpetuo percipere possint, auctoritate apostolica statuas, ordines et declares necnon rectoribus et successoribus praedictis, ne de cetero praefatos conventus aut eorum aliquos contra consuetudinem praedictam super hoc impedire praesumant, eadem auctoritate inhibeas, ipsis etiam super molestiis et inquietationibus supradictis perpetuum silentium imponendo. Non obstantibus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, V nonis maii, ... anno VII.

284. Monasterio de Basico, Messanen., O. S. Cl. concedit exemptionem a solutione quartae partis ad decennium (3).

1437, maii 6, Bononiae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii S. Mariae de Basico, Messanen., ordinis S. Clarae.

Sacrae religionis zelus ... non indigne meretur, ut votis vestris, illis praesertim, per quae vestro et monasterii vestri B. Mariae de Basico, Messanen. dioec., ordinis S. Clarae, statui et indemnitati consulitur, quantum cum Deo possu-

(1) Reg. Lat. t. 354, f. 92 v.
(2) Reg. Lat. t. 351, f. 30 v.
(3) Wadd. XI², *Reg. pont.* Eug. IV, n. 1. Abhinc in citationibus Wadd. respicitur vol. XI ed. 2, nisi aliter notetur. De monasterio de Basico cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1422, p. 524.

mus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet vos a quinque annis citra in monasterio praedicto sub regulari dicti ordinis observantia laudabiliter permanseritis ac in monialium numero multiplicatae permaneatis etiam de praesenti et alias in ecclesiis ac aliis structuris et aedificiis reformaveritis ac ad perfectionem reformationis huiusmodi intendatis, tamen quia ad illam faciendam ac pro sustentatione vestra ac aliis inibi oneribus supportandis ipsius monasterii facultates suppetere posse non videntur, vos plura incommoda de cetero pati plurimum dubitatis et a receptione plurium mulierum, quae una vobiscum in praedicto monasterio sub regulari habitu vivere desiderant, vos retrahitis. Et, sicut eadem petitio subiungebat, si omnium pecuniarum, rerum ac bonorum mobilium et immobilium, vobis ac dicto monasterio pia largitione vel alias quomodolibet ex nunc in antea legandorum seu relinquendorum aut alias a vobis acquirendorum, quarta pars, loci ordinario tunc debita, vobis libere dimitteretur, ex hoc etiam plures fidelium eorumdem ad exhibendum vobis et dicto monasterio plura charitatis subsidia facilius invitarentur ipsumque monasterium in spiritualibus et temporalibus plura susciperet incrementa. Nos igitur ... vos, si est ita, ac alias futuram abbatissam et moniales sub huiusmodi observantia dumtaxat in praedicto monasterio degentes ipsumque monasterium a quibuscumque solutionibus quartae partis omnium et singulorum pecuniarum, rerum et bonorum hinc ad decennium, a data praesentium computandum, vobis et dicto monasterio a fidelibus legandorum, relinquendorum seu alias per vos acquirendorum huiusmodi, archiepiscopo Messanen. pro tempore exsistenti faciendis et debendis auctoritate apostolica tenore praesentium eximimus pariter et liberamus necnon vobis dictisque abbatissae et monialibus in huiusmodi observantia persistentibus eadem auctoritate concedimus, quod ad solvendum quartam partem seu alias aliquid illius ratione de pecuniis, rebus ac bonis infra decennium relinquendis, legandis seu acquirendis huiusmodi archiepiscopo praedicto minime teneamini nec ab eodem vel alio quomodolibet ad id invitae compelli possitis, decernentes ex nunc omnes et singulos processus, quascumque excommunicationum, suspensionum et interdicti sententias, censuras et poenas in se continentes, quos contra exemptionem, liberationem et concessionem praedictas haberi seu fulminari contigerit, irritos *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, pridie nonas maii, ... anno VII.

285. Guillelmum O. F. M. instituit episcopum Abelonen. (in insulis Nigripontis, suffr. Athenien. tit.) (1).

1437, maii 13, Bononiae.

Dilecto filio Guillelmo, electo Abelonen.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem venerabili fratre Nostro Iohanne, Silvanecten., tunc Abelonen. ecclesiae regimini praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia ex eo, quod Nos, eumdem Iohannem, licet absentem, a vinculo, quo eidem ecclesiae tenebatur, de fratrum Nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ipsum de dicta ecclesia ad ecclesiam Silvanecten., tunc vacantem, transtulimus *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio et aetate legitima constitutum, cui de litterarum scientia *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, eius curam *etc.* Volumus autem, quod quamprimum *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, III idus maii, ... anno VII.

286. Concedit licentiam fundandi domum O. F. M. in loco « los Sanctos » nuncupato apud locum de Pinto, Toletan. dioec. (2).

1437, maii 26, Bononiae.

Dilecto filio nobili viro Fernando Alvari de Toleto, militi Toletan.

Piis fidelium votis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu ex singulari, quem ad ordinem fratrum Minorum geris, devotionis affectum, quamdam de bonis desuper collatis domum in loco los Sanctos nuncupato apud locum de Pinto, Toletan. dioec., loco ad id utique apto et idoneo, pro usu et habitatione aliquorum dicti ordinis fratrum unacum christifidelium suffragiis erigere et fundare ... proponas et intendas, apostolici desuper praestolans praesidium favoris. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi domum praefatam cum ecclesia ... pro usu et habitatione praemissis in loco praefato erigendi et construendi ... necnon fratribus eisdem domum huiusmodi pro dictis habitatione et usu, quodque in observantia vivant et conventualiter Domino famulentur ibidem, recipiendi et acceptandi ac retinendi auctoritate apostolica tenore praesentium elargimur.

(1) Reg. Lat. t. 354, f. 282.

(2) Reg. Lat. t. 351, f. 233.

Et insuper universis et singulis fratribus, quos in ipsa domo pro tempore residere sive degere contigerit, ut omnibus privilegiis *etc.* Non obstante *etc.* iure tamen *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VII kal. iunii, ... anno VII.

287. Iohanni de Capistrano O. F. M. committit reformationem monasterii S. Guillelmi extra muros Ferrarien. O. S. Cl. (1).

1437, maii 27, Bononiae.

Dilecto filio Iohanni de Capistrano, ordinis Minorum.

Ad monasteriorum et aliorum religiosorum locorum *etc.* Sane ad audientiam Nostram nonnullorum fide dignorum relatione non sine cordis Nostri displicentia deductum exstitit monasterium monialium S. Guillelmi, ordinis S. Clarae, extra muros Ferrarien., propter incuriam et negligentiam ac malum regimen sororum in eo degentium ac alias ex nonnullis causis divino cultu et regulari observantia in illo postpositis tam in capite quam in membris deformationi non modicae subiacere pluraque propterea etiam cum religionis opprobrio divinique cultus diminutione et fidelium scandalo suscipere detrimenta *etc.* Nos igitur ... devotioni tuae ... mandamus, quatenus, ad monasterium praedictum personaliter te conferens, ipsum auctoritate Nostra visitare necnon de vita et moribus ac regimine abbatissae et sororum in eo degentium te diligenter informare cures; Nos enim tibi monasterium ipsum tam in capite quam in membris visitandi et in eo reformationis officium iuxta sanctiones canonicas et praefati ordinis regularia instituta exercendi, exsequendi et adimplendi necnon omnes et singulas personas dicti monasterii pro earum excessibus, criminibus et delictis, prout tibi visum fuerit, alias iuxta sanctiones et instituta praedicta, corrigendi, puniendi, carcerandi et alias a regimine et administratione tam spiritualium quam temporalium dicti monasterii in perpetuum amovendi vel ad tempus suspendendi necnon personas monasterii praedicti, de quibus tibi videbitur, ad alia monasteria eiusdem ordinis, prout tibi expediens videbitur, transferendi aliaque omnia et singula, quae ad praedicti monasterii et personarum huiusmodi salutem et commodum necnon eorumdem spiritualium et temporalium administrationem, religionis et cultus praefatorum conservationem necnon morum, vitae et honestatis regularem ampliationem tibi expedire videbitur, reformandi, ordinandi et exsequendi, contradictores ... compescendi aliaque, ut praefertur, gerendi, faciendi ... invocato ... auxilio brachii saecularis plenam ... concedimus facultatem. Non obstantibus statutis *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VI kal. iunii, ... anno VII.

288. Episcopo Recanaten. et Maceraten. mandat, ut Gregorio Michaelis de Pola, O. F. M., qui sine licentia superiorum a dicto ordine ad monasterium S. Michaelis de Medicina, O. S. Ben., Bononien. dioec., transierat, professionem emiserat et Paulo abbati quatuor florenos auri et duo cochlearia argenti, quae habebat, tradiderat, concedat absolutionem a censuris et opportunam dispensationem (2).

1437, maii 31, Bononiae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, pridie kal. iunii, ... anno VII.

289. Monasterio SS. Ludovici et Alexii Bononien., O. S. Cl., confirmat exemptionem a solutione datiorum (3).

1437, iunii 3, Bononiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decens reputamus et debitum *etc.* Cum itaque dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii SS. Ludovici episcopi et Alexii confessoris, Bononien., ordinis S. Clarae, Nobis nuper exponi fecerint, fel. rec. Innocentium papam IV, praedecessorem Nostrum, per suas litteras (4), quas etiam adhuc integras exhibuerunt, eis de liberalitate apostolica concessisse, ut a solutionibus datiorum et gabellarum et aliarum exactionum, tam pro molitura bladorum quam etiam aliis de causis imponendarum, in civitate Bononiae eximerentur et pro ipsis gravaminibus numquam imposterum molestarentur, et proinde supplicaverunt, ut Nos etiam, earum paupertati et laboribus compatientes, praedictam exemptionis gratiam confirmare et de novo facere dignaremur. Nos igitur, praedictarum abbatissae et monialium in hac parte supplicationibus inclinati, volentes illas prosequi favoribus gratiosis, huiusmodi exemptionis litteras et gratiam auctoritate apostolica confirmantes easdem abbatissam et moniales a praedictis solutionibus et gravaminibus de novo eximimus et exemptas fore futuris perpetuis temporibus auctoritate praedicta volumus et mandamus. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, III nonis iunii, ... anno VII.

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 18v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 2.

(2) Reg. Lat. tom. 352, f. 218.

(3) Reg. Lat. t. 352, f. 211.

(4) Litteras Innocentii IV *Religiosam vitam eligentibus* vide *Bull. Franc.* t. I, n. 394, p. 596.

290. Inter alia requirit favorem imperatoris contra haereticos et contra clericos concubinas tenentes (1).

1437, iunii 5, Bononiae.

Charissimo in Christo filio Sigismundo Romanorum imperatori et Hungariae ac Bohemiae regi illustri.

Cum proximis diebus venissent Bononiam ad Nos dilecti filii Iohannes Bassipatus et Emmanuel Tracagnoti Vulotis, oratores charissimi in Christo filii imperatoris Graecorum, et venerabilis fratris patriarchae Constantinopolitani *etc.*

Ceterum summa cum displicentia audivimus quosdam haereticos in regno tuo Hungariae per haec tempora pullulasse et sacerdotes regni ipsius nullo modo absterreri aut induci posse a dilectis filiis fratribus ordinis B. Francisci in observantia regulari degentibus, qui in illo verbum Dei praedicant, ut concubinas, quas publice tenent, dimittant et aliter honeste vivant, quae res maxime facit populos regni illius a bene vivendo se retrahere et a fratrum praedictorum monitionibus retrogrados esse, necessariumque iudicatur fore, ut aliquis praelatus in eo regno deputetur cum Nostra auctoritate et favoribus tuis, qui et haereses exstirpet et clericos sacerdotesque honeste curet vivere, quod, ut consentire velit tua Celsitudo, hortamur, suademus ac etiam stricte requirimus.

Datum nonis iunii, ... anno VII.

291. Iacobo de Marchia O. F. M. concedit facultatem instituendi inquisitores haereticae pravitatis et alia privilegia (2).

1437, iunii 11, Bononiae.

Dilecto filio Iacobo de Marchia, ordinis fratrum Minorum professori, in regno Hungariae et in Austriae et Sclavoniae aliisque partibus secundum morem dicti ordinis inquisitori haereticae pravitatis per Sedem Apostolicam deputato.

Personam tuam, Nobis et Apostolicae Sedi devotam, paterna benevolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, quibus in his, quae ad verum catholicae fidei cultum et incrementum spectant, te utilem et fructuosum aliis exhibere valeas. Cum itaque per alias Nostras certi tenoris litteras (3), te in regno Hungariae et Austriae partibus haereticae pravitatis inquisitorem constituerimus atque deputaverimus, partesque regni et provinciarum praedictorum ita latae et amplae sint, ut aliquando, cum necessitas postulaverit, in locis, ubi venenum haereticae pravitatis pullulat, adesse et remedia iuxta sanctorum patrum instituta adhibere non possis, Nos, ad quos praecipue spectat, ut tam nefarii et pestiferi errores et vepres a vinea Domini evellantur et penitus exstirpentur, ne defectu virorum catholicorum, circa exstirpationem huiusmodi haeresis facultatem habentium, venenum huiusmodi convalescat, tibi, de cuius integritate et ardore erga fidem catholicam plene in Domino confidimus, in illis regni et Austriae partibus, in quibus et quando tibi expediens esse videbitur, unum aut plures haereticae pravitatis inquisitores et dicti ordinis, viros siquidem honestos et verbo et exemplo potentes, pro tempore, quod tibi videbitur opportunum, cum omnimoda potestate et iurisdictione tibi a Nobis et Sede Apostolica concessa deputandi, constituendi et ordinandi; et insuper, si te a vicariatu Bosnae absolutum et liberum esse contigerit, ne defectu vacationis huiusmodi vicariatus negotia ad religionem et fidem catholicam spectantia retardari sive quovis modo impediri possint, tibi fratres tam interpretes quam confessores, quos necessarios esse putaveris, vocandi, ad fidei praedictae usum habendi et exercendi, ac si in vicariatu praedicto exstiteris, concedimus facultatem. Et insuper, cum novi erroris abusus apud aliquos illarum partium invaluerit, ut ad pulsum salutationis angelicae, quasi B. Virginem despicientes, praetermissa Ave Maria, aliud quid dicant, volentes errorem huiusmodi exstirpare et ad laudabilem consuetudinem et honorem genitricis Dei et Domini nostri Iesu Christi donis spiritualibus provocare, omnibus utriusque sexus vere poenitentibus et confessis, infra limites tuae iurisdictionis exsistentibus, ad pulsum campanarum Ave Maria sive in sero sive in aurora, seipsos devote genuflectentibus et orationem angelicam devote dicentibus, singulis vicibus, quoties hunc devotum actum eos efficere contigerit, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis concedendi et relaxandi, necnon quemdam Andream de Hungaria, dudum saecularem sacerdotem a te, ut accepimus, tamquam pertinacem haereticum degradatum et iudici saeculari dimissum, cum, ut pro parte tua asseritur, satis contritus appareat et paratus sit haeresim illam pestiferam et omnes articulos contra catholicam fidem sentientes deponere et ceteras alias personas

(1) Wadd. *Ann.* ad a. 1437, n. 7, « e registro Vaticano ».

(2) Wadd. *Ann.* ad a. 1437, n. 13 « ex bullis originariis in patria B. Iacobi ad Minores asservatis » (nunc in archivo municipali oppidi Montis Prandonis).

(3) Vide supra n. 246, p. 114.

simili errore pollutas ad gremium ecclesiae reducere et humaniter confovere, si id humiliter et devote petierit et omnes suos errores abiuraverit ac sacramento se etiam adstrinxerit in similes errores de cetero non incurrere nec incurrentibus auxilium, consilium vel favorem exhibere, dicti ordinis statutis et consuetudinibus ac constitutionibus apostolicis ceterisque contrariis non obstantibus, in statum, in quo antequam in huiusmodi errores pestiferos incidisset, praeterquam ad officia et beneficia ac ordinum exsecutionem restituendi, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem.

Datum Bononiae, anno ... 1437, III idus iunii, ... anno VII.

292. Concedit facultatem benedicendi calices etc. (1).

1437, iunii 11, Bononiae.

Dilectis filiis custodibus et vicario ordinis fratrum Minorum professoribus in vicariatu Bosnae constitutis.

Piis supplicum votis *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod propter locorum distantiam et discrimina, quae sine magnis difficultatibus adire non potestis, corporalia, vestes, calices et cetera ad usum sacerdotum et altarium pertinentia in partibus vicariatus Bosnae ab episcopis iuxta sacrorum canonum dispositionem plerumque benedici non possunt, et sicut eadem petitio continebat, ne divini officii cultus, qui in partibus illis plurimum necessarius dignoscitur, diminuatur sive retardetur, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... vobis et cuilibet vestrum, quando episcopi praesentia sine magno incommodo a vobis haberi non poterit, ut corporalia, vestes, calices et cetera ad usum sacerdotum et altarium pertinentia solitis cerimoniis adhibitis benedicere valeatis, constitutionibus apostolicis ceterisque contrariis non obstantibus ... indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, III idus iunii, ... anno VII.

293. Vicario in spiritualibus generali Alphonsi episcopi Burgen. mandat, ut Sanciae Roderici, O. S. Cl., quae olim post contracta sponsalia a quodam familiari patris sui impraegnata et ob id a patre erubescente non sponso tradita, sed contra propriam voluntatem in monasterio posita erat ibique professionem emiserat, ad saeculum reversae, concedat absolutionem a censuris et facultatem transeundi ad aliquod monasterium O. Cisterc. (2).

1437, iunii 24, Bononiae.

Votis Domino sub regulari castimonia *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VIII kal. iulii, ... anno VII.

294. Concedit facultatem erigendi monasterium O. S. Cl. in loco de Hesdin, Morinen. dioec. (3).

1437, iunii 27, Bononiae.

Dilecto filio officiali Morinen.

Eximiae devotionis affectus, quem dilecta in Christo filia, nobilis mulier Isabella, ducissa Burgundiae, ad Nos et Romanam gerit ecclesiam *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dictae ducissae petitio continebat, quod ipsa ... ob singularem, quam ad ordinem S. Clarae gerit, devotionem ... unum monasterium cum ecclesia, campanili, ... officinis in loco de Hesdino, Morinen. dioec., pro usu et habitatione quarumdam dicti ordinis monialium, quarum una illius abbatissa exsistat, quae inibi sub regulari observantia dicti ordinis ac perpetua clausura et arctissima paupertate vivere deberent, de novo construere et aedificare seu quoddam in eodem loco per dilectum filium Guidonem Guilbaut, dilecti filii nobilis viri Philippi, ducis Burgundiae, thesaurarium, ad similes usum et habitationem inchoatum monasterium ulterius perficere ... intendit *etc.* Quare pro parte dictae ducissae Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, ... praefatae ducissae unum in loco praefato cum ecclesia, campanili, ... officinis praedictis de novo construendi et erigendi seu iam inceptum monasterium huiusmodi ad debitam perfectionem deducendi, ... pro usu tamen et habitatione perpetuis abbatissae et monialium praedictarum, quae inibi sub observantia, clausura et paupertate huiusmodi perpetuo vivere debeant, necnon ipsis monialibus illud recipiendi ... licentiam largiaris. Nos enim, si licentiam per te vigore praesentium concedi et monasterium huiusmodi perfici contingat, abbatissae et monialibus in dicto monasterio pro tempore degentibus earumque servientibus, ut ipsae et earum singulae quibuscumque privilegiis ... uti valeant, ... indulgemus.

Datum Bononiae, anno ... 1437, V kal. iulii, ... anno VII.

---

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 3 « e l. 1 de regular. a. VII f. 270 ».

(2) Reg. Lat. t. 352, f. 97.

(3) Reg. Lat. t. 353, f. 47; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 5.

295. Commendat Iacobum de Primaditiis de Bononia, vicarium O. F. M. ad partes Orientis proficiscentem (1).

1437, iunii 29, Bononiae.

Universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, plebanis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum praelatis eorumque vices gerentibus ac capitulis et conventibus et aliis personis ecclesiasticis, Cistercien., Cluniacen., Praemonstraten., SS. Benedicti et Augustini ac aliorum quorumcumque ordinum, necnon magistris et praeceptoribus ac fratribus hospitalis S. Iohannis Ierusalemitani et B. Mariae Theutonicorum, dilectis quoque filiis nobilibus viris marchionibus, comitibus et baronibus ac aliis nobilibus potentibus, insuper capitaneis, rectoribus, consulibus, antianis, populis, communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum, ad quos praesentes advenerint, christifidelibus ac universis et singulis.

Cum ob salutem fidelium christianorum et conversionem infidelium, haereticorum et schismaticorum et aliarum nationum, quae sanctum nomen Domini et fidei catholicae veritatem non agnoscunt, dilectum filium fratrem Iacobum de Primaditiis de Bononia, ordinis Minorum, vicarium in partibus omnibus orientalibus, cum multis fratribus suis sociis ordinis Minorum ad partes praedictas orientales et cetera dictae peregrinationis loca praesentialiter transmittamus, Nos, cupientes eos et quemlibet eorum in locis, civitatibus et terris, ubi fructum in ecclesia Dei afferre posse cognoverint, verbum Dei praedicare, domos seu monasteria erigere et alia, quae pro honore Dei, religionis observantia et fidei christianae augmento necessaria et opportuna erunt, facere posse, universitati vestrae et vestrum singulis stricte mandamus, quatenus praedictos fratres simul et divisim, prout ipsi deliberaverint, in civitatibus, terris et locis vestris et quae gubernatis, benigne receptantes et morari aut transire, praedicationi etiam dominici verbi, cum voluerint, insistere, monasteria erigere et alia, quae ipsi voluerint laudabilia opera facere permittentes, auxilia, favores et patrocinia eis praestetis, quemadmodum ab eisdem eritis requisiti, nihilominus permittentes ipsos in eiusmodi accessu, transitu et discessu cum eorum libris, pannis et rebus omnibus libere pertransire et de passagio tuto, navigiis opportunis et guidis ac scorta eis providentes, si opus fuerit et ipsi duxerint requirendum, ut taliter in praemissis gerentes, quod praeter aeternae beatitudinis praemia, quae huiusmodi bonorum operum fautores consequuntur, Nostram etiam benedictionem et Sedis Apostolicae gratiam mereamini.

Datum Bononiae, anno ... 1437, III kal. iulii, ... anno VII.

296. Confirmat erectionem capellae B. Mariae Magdalenae infra limites ecclesiae parochialis S. Eulaliae de Trevio, Astoricen. dioec., et traditionem eiusdem ad fratres III. O. S. Franc. (2).

1437, iunii 30, Bononiae.

Venerabili fratri episcopo Legionen.

Exigit dilecti filii Iohannis de Oviedo, civis Oveten., devotionis sinceritas *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte ipsius Iohannis petitio continebat, quod, cum olim ipse ... de bonis a Deo sibi collatis quamdam capellam in honorem B. Mariae Magdalenae infra limites parochialis ecclesiae S. Eulaliae de Trevio, Astoricen. dioec., pro loco oratorii et mansionis unius perpetui eremitae inibi Altissimo servituri, pro sua et suorum animarum salute instituisset, fundasset et erigi ab ordinario loci obtinuisset illamque de bonis suis huiusmodi sufficienter dotasset, postmodum tamen ipse Iohannes, zelo devotionis accensus, quem ad fratres de tertio ordine S. Francisci gerere comprobatur, capellam ipsam sive oratorium de consensu et auctoritate venerabilis fratris Nostri Sanctii episcopi et dilectorum filiorum capituli Astoricen. in locum ipsorum fratrum de tertio ordine erigi, deputari et institui procuravit et cetera ad hoc necessaria fecit et ordinavit, prout in instrumento publico, dicti episcopi sigillo vallato, plenius continetur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Iohannes cupiat pro suae devotionis incremento et ipsorum fratrum statu et pace erectionem, institutionem et deputationem praedictam apostolico munimine roborari, pro parte ipsius Iohannis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis omnibus ... te diligenter informes ... et, si ad id, quorum interest, accedat assensus, ... institutionem et ... omnia in praefato instrumento contenta ... confirmes, supplendo omnes defectus, si qui forte intervenerint in eisdem, ac ipsis fra-

(1) Reg. Vat. t. 366, f. 217 v (sine loco et anno), et t. 374, f. 182 (cum data). De Iacobo de Bononia cf. supra n. 149, p. 77.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 4 « e l. 2 de div. form. a. VII, f. 8 ». Indicatio diei mendum continet. De Iohanne de Oviedo cf. supra n. 89, p. 50; n. 144, p. 75.

tribus, quantum opus sit, pro usu et habitatione ipsorum in perpetuum tradas, dones etiam et consignes, constitutionibus apostolicis *etc.* Nos enim ... omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Bononiae, anno, ... 1437, II(?) kal iulii, ... anno VII.

297. Commendat Iacobum de Primaditiis de Bononia, vicarium generalem O. F. M. de observantia, pro reformatione domus O. F. M. Caffen. et aliis negotiis missum ad partes Caffen. (1).

1437, iulii 2, Bononiae.

Dilectis filiis consulibus et rectoribus civitatis Caffen.

Cum proximis temporibus Nobis esset renuntiatum, vestram devotionem cupere, quod monasterium vestrum Caffen. ordinis Minorum reformetur pro vestra et aliorum fidelium catholicorum consolatione, gavisi sumus de vestra huiusmodi bona dispositione et, quod sponte Nostra libenter facimus ac ubique pro viribus fieri curamus, vestris precibus et intercessione apud Nos fieri debere disposuimus. Quamobrem considerantes dilectum filium Iacobum de Primaditiis de Bononia, vicarium generalem fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, virum esse vita, zelo, charitate et in praedicando divinum verbum singularem, qui fideles confirmare et consolari infidelesque Domino adiuvante ad fidei salutem invitare atque attrahere poterit, eumdem cum aliis confratribus sui ordinis, in regulari observantia vivere consuetis, ad vos mittere decrevimus, non obstante, quod a plurimis Italiae civitatibus magna cum instantia peterentur. Visum namque est Nobis fratres praedictos in civitate illa, quae multas nationum continet varietates et regionibus infidelium est vicina, maximos simul animarum fructus allaturos et vestro desiderio abunde satisfacturos. Quocirca devotionem vestram in Domino requirimus et hortamur, ut fratres Iacobum et socios antedictos tam pro reformatione praedicta in illo conventu fienda quam pro aliis sanctis operibus, quae inspirante Domino facere pro viribus insudabunt, possibilibus auxilio et favore prosequamini illaque omnia pro posse faciatis, quae pro conservatione et amplitudine sui conventus aliorumque operum bonorum consummatione a vobis duxerint postulanda. Nam si ea, ut optamus atque etiam speramus, facietis, praeter aeternae beatitudinis praemia Nostram et Apostolicae Sedis benedictionem reportabitis.

Datum Bononiae, anno ... 1437, VI nonas iulii, ... anno VII.

298. Committit institutionem abbatissae pro monasterio S. Guillelmi Ferrarien. O. S. Cl. (2).

1437, iulii 10, Bononiae.

Dilecto filio Iohanni de Capistrano ordinis Minorum professori.

Dudum de providentia et integritate ceterisque virtutibus, quibus te earum largitor Dominus insignivit, praecipuam in Domino fiduciam obtinentes, cum multa Nobis enormia et abominanda tam circa dissolutionem vitae monialium quam malum regimen tam in spiritualibus quam in temporalibus monasterii S. Guillelmi extra muros Ferrarien. Nostris fuissent saepius auribus intimata, discretioni tuae per Nostras certi tenoris litteras (3) commisimus et mandavimus, quatenus, ad dictum monasterium personaliter accedens, ipsum prout tibi secundum Deum et ipsius monasterii regularia instituta videretur, visitares et tam in capite quam in membris reformares omniaque faceres, disponeres et ordinares, quae tibi pro bono statu ac reformatione eiusdem monasterii necessaria visa fuissent *etc.* Demum, cum tu mandata Nostra diligenter, quantum tibi Altissimus condonavit, fueris exsecutus multaque pro bono statu dicti monasterii salutaria disposueris et ordinaveris, quae, nisi nova in dicto monasterio abbatissa eligatur, non videntur successum efficacem fore habitura, ac, si in moniales seu capitulum dicti monasterii electio huiusmodi conferatur, propter voluntatum varietatem et diversitatem morum verisimiliter huiusmodi electio non poterit pacifice et canonice celebrari, quocirca Nos, de sinceritate et integritate tuis firmam in Domino spem gerentes, devotioni tuae, familiari experientia multipliciter Nobis notae, apostolica auctoritate tenore praesentium committimus et mandamus, quatenus ad monasterium memoratum iterum et, quoties pro actu isto opus fuerit, personaliter accedens, personam aliquam de capitulo dicti monasterii, prout tibi melius visum fuerit, et ad id idoneam in abbatissam dicti monasterii dicta auctoritate eligas, eidem curam regimen et administrationem ipsius monasterii in ipsis spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Nos enim tibi huiusmodi sic

(1) Reg. Vat. t. 366, f. 222; Wadd. *Ann.* ad a. 1437, n. 7. De Caffa cf. sup. n. 3, p. 2; n. 242, p. 113; de Iacobo de Primaditiis cf. supra n. 295, p. 136 et *Bull. Franc.* t. VII, n. 1720, p. 657.

(2) Reg. Vat. t. 367, f. 21; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 6.

(3) Vide supra, n. 287, p. 133.

electam abbatissam confirmandi, consecrandi, in possessionem ipsius monasterii ac bonorum et rerum dicti monasterii secundum ipsius regularia instituta per te vel alium inducendi omniaque alia et singula circa hoc faciendi et gerendi, quae ad id necessaria fore videris seu etiam opportuna, facultatem et potestatem plenam et liberam dicta auctoritate tenore praesentium concedimus.

Datum Bononiae, anno ... 1437, VI idus iulii, ... anno VII.

299. Committit visitationem et reformationem monasterii S. Guillelmi extra muros Ferrarien. O. S. Cl. (1).

Venerabili fratri Iohanni episcopo Ferrarien. ac dilecto filio eius vicario in spiritualibus generali.

Dudum monasterii monialium S. Guillelmi extra muros Ferrarien., ordinis S. Clarae, reformationem, curam, protectionem et visitationem dilecto filio Iohanni de Capistrano ordinis Minorum ex certis rationabilibus et honestis causis pro ea vice commisimus, prout in Nostris certis litteris superinde confectis plenius continetur (2). Cum autem praefatus Iohannes ad huiusmodi litterarum exsecutionem procedens plura valde bona et salubria ad utilitatem dicti monasterii et religiosarum in eo degentium laudabiliter instituerit, Nos, ea omnia debite conservari et, quantum possibile fuerit, ad Dei honorem et regularis observantiae incrementum augeri cupientes, propterea discretioni vestrae, de quorum integritate, fide et honestate ac prudentia singularem in Domino fiduciam obtinemus, committimus et mandamus tenore praesentium, quatenus vos vel alter vestrum monasterium ipsum S. Guillelmi auctoritate Nostra visitetis, protegatis, defendatis et si opus fuerit et vobis visum fuerit expedire, reformetis tam in capite, quam in membris, quotiens opus fuerit, donec aliud duxerimus ordinandum. Nos enim vobis et cuilibet vestrum, ut praemittitur, moniales et personas ipsius monasterii visitandi, corrigendi, puniendi et reformandi, contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia compescendi invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis et omnia alia agendi et exsequendi, quae vobis pro bono statu et quiete dicti monasterii et personarum in eo degentium quiete, pace et honestate ac bono regimine utilia visa fuerint seu etiam opportuna, plenam et liberam tenore praesentium dicta auctoritate damus et concedimus facultatem, volentes, quod ad visitationem praefati monasterii et alia supradicta praeter Nos ac dilectum filium generalem ministrum ordinis Minorum, si hoc personaliter facere voluerit, nullus alius cuiuscumque status, ordinis vel conditionis exsistat, quavis auctoritate se ullatenus intromittat. Non obstantibus *etc.;* praesentibus usque ad Nostrum beneplacitum duraturis.

Datum *etc.*

300. Iacobo de Primaditiis O. F. M. de observantia vicario in regionibus Orientalibus concedit facultates (3).

1437, Iulii 11, Bononiae.

Dilecto filio Iacobo de Primaditiis de Bononia, ordinis Minorum, in Caffae et Perae necnon Saracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Syrorum, Persarum, Medorum, Zizorum, Ruthenorum, Russiorum, Sissorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Turcorum, Stelitorum, Tatarorum, Cardorum (4), *Polonorum, Hungarorum maioris Hungariae et aliarum quarumcumque nationum et gentium, quae nondum sacramentum orthodoxae fidei perceperunt, regnis, provinciis, civitatibus, terris et locis dilecti filii generalis ministri ordinis praedicti vicario generali.*

Dum onus universalis gregis dominici superna Nobis dispositione iniunctum diligenter attendimus et Nostram prospicimus imperfectionem, videntes, quod nequimus circa singula per Nosmetipsos exsolvere debitum apostolicae servitutis, nonnumquam viros, vitae sanctimonia et scientiae fulgore praeclaros, in quibus fervor orthodoxae fidei ac timor Domini sanctus permanet, in partem laboris Nostri assumimus, ut ipsorum salubri cooperatione ministerium Nobis iniunctum favente divina gratia facilius et efficacius exsequi valeamus. Sane, licet cunctorum christifidelium salutem intentae mentis acie prosequi et curare ex apostolicae servitutis officio teneamur, divinis tamen edocti sermonibus ex

(1) Reg. Vat. t. 370, f. 257 v. (sine loco, die et anno). Hanc bullam hoc loco inseruimus propter relationem eius ad praecedentem.

(2) Vide supra n. 287, p. 133.

(3) *Bullarium peculiare Terrae Sanctae,* Romae 1727, p. 40. Cf. supra n. 295, p. 136; n. 297, p. 137.

(4) Circa haec nomina geographica cf. Golubovich, *Biblioteca bio-bibliogr.* t. II, p. 316. Pro Sissorum forsitan legendum Scytharum, pro Cardorum lege Curdorum. Loco Stelitarum in aliis bullis anterioribus legitur Moselitarum, vel Mesolitarum. Cf. etiam *Bull. Franc.* t. I, p. 269 s, not. *c* et *f*, et supra n. 109, p. 58, nota 1 et 2.

centum ovibus unam amissam ceteris fere neglectis reducendam praecipue curare debemus, cum et ad oves, quae perierant, missam se Sapientia ipsa declaret. Attendentes itaque, quod ex omni genere humano multi sub dominici gregis titulo et nomine non requiescunt, sed per devia quaeque longe a lucis veritate aberrantes per tenebras evagantur, et sic in magna messe paucissimos operarios esse videamus, ad personam tuam, quae quidem potens opere et sermone in magnis et arduis Nobis est familiari experientia comprobata, dirigentes aciem mentis Nostrae ac sperantes, quod ea, quae tibi committenda duxerimus, pro honore Dei et propagatione christiani nominis diligenter et fideliter prosequeris, te in regnis, provinciis, civitatibus, terris et locis supradictis dilecti filii generalis ministri ordinis Minorum vicarium generalem facimus, constituimus et etiam deputamus, tibi nihilominus Nostro et Romanae ecclesiae nomine omnes et singulos conventus dicti ordinis in praefatis regnis, provinciis, civitatibus, terris et locis exsistentes visitandi et reformandi tam in capite quam in membris, puniendi et corrigendi secundum constitutiones et ordinationes dicti ordinis, necnon alium vel alios substituendi et delegandi atque ad alias mundi partes, ubi opus fore videris, seu successores tui, qui pro tempore fuerint, viderint, transmittendi omniaque alia et singula, quae dictus generalis minister facere posset, si personaliter in locis praedictis interesset, faciendi et agendi tenore praesentium apostolica auctoritate damus et concedimus facultatem, volentes ac tenore praesentium statuentes, quod tu et, qui pro tempore fuerit in dictis partibus vicarius, super conventus et personas dictorum conventuum illam potestatem, facultatem et arbitrium habeatis, quam generalis ipse minister, si adesset, habere dignoscitur, sic tamen quod tu et vicarius praefati et vobis subiecti fratres per omnia dicto generali obedire et subesse teneantur, praeterquam in his, quae huic mandato et commissioni Nostrae derogare et obviare censeantur. Insuper officium vicariatus huiusmodi tam quoad te quam alios pro tempore vicarios triennio dumtaxat duret, quo finito ipso iure ab officio praedicto intelligatur absolutus et fratres dictorum locorum sub observantia regulari degentes alium eligere possint, cui praedicta facultas et auctoritas superioris sui commissa proculdubio censeatur. Et nihilominus, si minus sufficientem, et qui iniunctum sibi officium perficere non posset, fratres memorati se elegisse perspexerint, ipsum privare et destituere et alium eligere possint idoneum; quodque tu et fratres illi, quibus tu ac successores tui id commiserint, saeculares personas utriusque sexus ad habitum et professionem tertii ordinis recipere possis et possint, eisque ministros et ministras instituere, prout noveritis expedire; fraternitates insuper seu societates, si quas pietati idoneas esse prospexeritis, cum opportunis constitutionibus ordinare valeatis, quarum omnium tam dicti tertii ordinis quam congregationum singulis personis in dictis congregationibus perseverantibus omnium peccatorum remissionem in mortis articulo ac vere poenitentibus et confessis auctoritate apostolica impendere valeas et valeant. Insuper tibi, et qui pro tempore fuerint in partibus praefatis vicarii, cum personis natalium et in vigesimo tertio aetatis suae anno constitutis aetatis defectus patientibus, ut ad omnes sacros ordines usque ad sacerdotium inclusive et ad singulas dicti ordinis praelaturas promoveri [possint], dispensandi, necnon fratribus, de quibus [tibi] aut eis videbitur, ut ad partes praedictas vadant, qui etiam tibi et illis obedire teneantur, praecipiendi et mandandi ipsosque ad alias quascumque mundi partes cum facultatibus et auctoritatibus supradictis locis Terrae Sanctae minime exceptis dirigendi ac notarios ad actus publicos in favorem fidei conscribendos creandi et instituendi potestatem et facultatem; quodque tu et, qui pro tempore fuerit vicarius, seu per aliquem vestrum deputandus super omnia monasteria curae fratrum Minorum hactenus commissa vel committenda eamdem potestatem habeatis, quam generalis ipsius ordinis minister habere dignoscitur, tenore praesentium concedimus. Volumus autem, quod per quascumque litteras apostolicas generali ministro dicti ordinis seu aliis quoquomodo concessas vel concedendas imposterum gratiae, indulta et alia supradicta nullatenus intelligantur revocata. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, V idus iulii, ... anno VII.

301. Concedit facultates Iacobo de Primaditiis et aliis fratribus O. F. M. vicariae Orientalis [1].

1437, Iulii 12, Bononiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastor bonus, qui propter nimiam charitatem suam ad ima terrarum a coelorum summitate descendit, factus pro nobis obediens usque ad mortem et mortem crucis, ad oves, quae

[1] *Bullarium peculiare Terrae Sanctae,* Romae 1727, p. 43. Alia eiusdem formae bulla exstat Reg. Lat. t. 370, f. 288 v., d. d., 7 iul. 1440. Cf. num. praec.

perierant domus Israel, personaliter ipse perveniens, cum et alias haberet oves, quae de illo ovili non erant, illasque adducere oporteret, ut fieret unum ovile et unus pastor, apostolos suos per universum direxit mundum, ut omni praedicarent evangelium creaturae, quatenus qui crediderint et baptizati fuerint, salutis gloriam reportarent. Nunc autem hora instante novissima sacrum Minorum ordinem produxit in lucem, ut imbre divini verbi micantiumque exemplo virtutum coelestis agricolae plantulas irriget perfectoque more evellat, destruat et dissipet plantas atque zizania, quae Pater suus minime complantavit. Cum igitur charitate frigescente iniquitas perabundet dormientibusque hominibus malus homo divino bonoque semini erroris zizaniam superseminare non desinat, adeo ut in plerisque mundi partibus crescentibus loliis pene sint semina suffocata, Nos ad nostri Redemptoris pium affectum amoremque mentis Nostrae aciem erigentes, cuius vicem licet immeriti in terris gerimus, ea potissimum agere cupimus toto corde, per quae non modo fidelium pietas augeatur, verum etiam velata gentium corda ignorantiae caecitate veritatis lumen agnoscant. Quam ob rem, cum ordo Minorum, potissime vos in eo sacrae observantiae zelatores, et exemplo vitae ac scientiae lumine perficere illa desiderent, quae Nostra cupit intentio et eorum professio persuadet, eoque ferventius perfectiusque ea ipsos adimplere posse credamus, quo magis apostolicis privilegiis et gratiis reddiderimus praemunitos, hinc est, quod Nos, qui per alias Nostras certi tenoris litteras [1] dilectum filium Iacobum de Primaditiis de Bononia, ordinis Minorum, eiusdem ordinis generalem super omnes fratres praesentes et futuros in partibus infrascriptis vicarium instituimus ipsisque Iacobo successoribusque suis ac fratribus, qui per ipsum Iacobum vel successores praefatos ad hoc electi fuerint, ut in omnibus partibus orientis, septentrionis tam fidelium quam infidelium constitutis, maxime in civitatibus Caffae et Perae ac in terris Saracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Syrorum, Persarum, Medorum, Zizorum, Ruthenorum, Sissorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Turcorum, Stelitorum, Tatarorum, Cardorum, Polonorum [2], Hungarorum maioris Hungariae et aliorum quorumcumque, qui nondum sacramentum fidei perceperunt, possit et possint singulorum christifidelium civitatum quarumcumque dioecesium et locorum ad ipsos pro tempore confluentium confessionem audire et pro commissis, etiam si talia fuerint, propter quae Sedes Apostolica esset merito consulenda, poenitentiam salutarem iis iniungere ac beneficium absolutionis impendere necnon a quibuscumque sententiis excommunicationis tam a iure quam ab homine latis et aliis censuris et poenis ecclesiasticis, quomodocumque illas incurrerint, absolvere necnon a quibuscumque irregularitatibus exceptis casibus homicidii voluntarii, bigamiae ac mutilationis membrorum dispensare, necnon eucharistiae, baptismatis ac extremae unctionis aliaque ecclesiastica sacramenta ministrare; insuper quod singuli confessores praesentes et futuri, quos vicarius et fratres praedictarum partium dicti ordinis pro tempore exsistentes duxerint eligendos, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, plenariam remissionem in mortis articulo invicem necnon aliis fratribus dicti ordinis impendere valeant, aut si vicarius seu fratres ipsi confessoris copiam habere nequiverint, dummodo contriti exsistant, eamdem indulgentiam consequantur, ordinisque confessores ipsi singulorum fratrum confessionem audire et pro commissis, quoties ipsis videbitur, etiam si talia sint, propter quae foret Sedes Apostolica consulenda, debitam absolutionem impendere ac poenitentiam iniungere salutarem necnon ipsorum fratrum singulos a quibuscumque sententiis, censuris et poenis, in ipsos quavis auctoritate a iure vel iudice promulgatis absolvere ac praedictis tribus casibus exceptis super irregularitate per ipsos quomodolibet contracta dispensare possint et valeant; quodque fratres ipsi schismaticos, excommunicatos seu interdictos quoscumque quantumcumque notorios, nisi quos vicarius seu per eum deputati evitari mandaverint, evitare in quibuscumque eorum negotiis minime teneantur; insuper, ut ipsorum fratrum bonorum operum fructus valeant amplius propagari, ut vicarius cum discretorum fratrum consilio, vel quibus ipse commiserit, nova loca in partibus illis acquirere pro habitatione et usu fratrum dicti ordinis et in illis domos, ecclesias, campanilia cum campanis, dormitoriis, hortalitiis et aliis necessariis officinis erigere necnon loca et conventus alios dicti ordinis recipere, quae omnia et nova et antiqua ac fratres in eis pro tempore exsistentes omnibus et singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus et libertatibus per omnia gaudeant, quibus utuntur et gaudent reliqui conventus et fratres ordinis praelibati nec solum illis, sed quibuscumque gratiis, quibus gaudent vicarius et fratres dicti ordinis Bosnae et

(1) Vide n. praec.

(2) Cf. n. praec., p. 138, not. 4.

Terrae Sanctae et conventus eorum, et ipsi similiter possint per omnia frui et gaudere (1); insuper omnibus et singulis christifidelibus, qui de bonis sibi a Deo collatis unum pro centenario, idest centesimam partem bonorum suorum, pro liberatione fidelium captivorum de manibus infidelium seu pro erectione seu manutentione domorum vel sustentatione vitae ipsorum fratrum vel altera quavis spirituali subventione erogaverint, possint sibi eligere confessores idoneos, qui confessionibus eorum diligenter auditis eos possint ab omnibus eorum peccatis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, semel tantum et deinde quoties fuerit opportunum, dummodo talia non sint, propter quae merito foret Sedes Apostolica consulenda, absolvere et poenitentiam iniungere salutarem necnon plenariam omnium in mortis articulo remissionem peccatorum impendere valeant, auctoritate apostolica singulis praedictis, prout eos contingit, tenore praesentium indulgemus; insuper quod fratres, qui sunt et pro tempore erunt idonei ad pronuntiandum verbum Dei, cum licentia tamen vicarii pro tempore exsistentis, qui eos instituere possit atque suspendere, possint verbum Dei publice absque cuiusque praelati licentia vel confirmatione tam in eorumdem ecclesiis quam aliis locis publicis civitatum atque terrarum publicare, proponere, sic tamen, quod in cathedralibus et metropolitanis et parochialibus ecclesiis vel alterius ordinis locis sine consensu praelatorum eorumdem praedicare non praesumant, simili auctoritate concedimus per praesentes. Nos enim singulis fidelibus, qui praedicationi dictorum fratrum devote intererint, singulis vicibus, quibus eos interesse contigerit, unius anni indulgentiam elargimur. Insuper concedimus, quod fratres praesentes et futuri, qui secundum eorum fragilitatem regulam observare conantur, ex transgressione quarumcumque constitutionum ordinis praefati peccatum mortale minime incurrant. Volumus autem, quod per quascumque litteras apostolicas generali ministro dicti ordinis seu aliis quoquomodo concessas vel concedendas in posterum gratias indulta et alia supradicta nullatenus intelligantur revocata; non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae anno ... 1437 IV idus iulii, ... anno VII.

302. Bona conventuum in partibus Orientalibus in dominium S. Sedis suscipit (2).

1437, Iulii 12, Bononiae.

Ad futuram rei memoriam.

Exsultantes in Domino, quod sacri ordinis Minorum professores, in Dei beneplacitis confirmati, promptitudine devotionis et operis illius student imitari vestigia eiusque vias summopere custodire, qui, descendens a Patre luminum et formam servi accipiens, se in laudis sacrificium placabilem hostiam immolavit, cogitare inducimur honesta remedia, quibus dicti ordinis pura observantia in sui vigore servetur, iidemque fratres pro nulla re temporali possint in iudicio exponere nec ordini proprium acquirere

(1) Hoc loco in Reg. Lat. t. 370, f. 258v. inseritur: « Quodque vicarius praefatus praesens et qui pro tempore erit, vota emissa visitandi sepulchrum dominicum, limina apostolorum, SS. Iacobi et Antonii necnon et alia vota exceptis votis castitatis et religionis in alia pietatis opera commutare eamdemque potestatem et permutandi licentiam fratribus eorum, prout ipsorum vicariorum discretioni videbitur, necnon omnibus et singulis tam saecularibus quam religiosis praefatum dominicum sepulchrum visitandi concedere possint ac etiam in partibus illis, in quibus dicti fratres soliti sunt habere inquisitores et loca, aut ubi alii religiosi habent inquisitionem et non loca, seu haberent loca et non inquisitores vel vicarios, vicarii huiusmodi inquisitoris officium exercere seu alios deputare inquisitores; et insuper instituere et destituere alios quoscumque officiales dicti ordinis similiterque illos, qui forte mitterentur per generalem ministrum, quos idem vicarius iudicaret non esse idoneos et utiles reformationi factae vel fiendae in illis partibus, etiam guardianum locorum Terrae Sanctae privare et alios ipsorum loco ponere, quin etiam licentiam concedere fratribus canendi in ecclesia tantummodo in divinis officiis cantum figuratum possint et valeant vicarii supradicti, decernentes quod omnia loca et conventus huiusmodi Terrae Sanctae praefatae vicariae et vicariis sint subiecta. Non obstantibus quibuscumque litteris apostolicis concessis vel concedendis guardiano facto seu fiendo per Sedem Apostolicam, etiamsi de eis earumque totis tenoribus praesentibus habenda esset mentio specialis. Si vero necesse foret, ut minister in praefatis orientalibus provinciis crearetur, possint iidem vicarii cum consilio discretorum fratrum de observantia illum eligere et mittere debent generali ad confirmandum, quem praefatus generalis minister infra octo dies a die praesentationis sibi fiendae currendos confirmare teneatur, quodsi forte confirmationem huiusmodi infra dictum terminum facere distulerit, ut praefertur, ipso iure talis minister intelligatur esse et sit auctoritate apostolica confirmatus; eximentes omnia et quaecumque loca et conventus in dictis partibus orientalibus constituta sub gubernatione praefati vicarii ab omnibus et singulis dicti ordinis gravaminibus et oneribus quibuscumque necnon subiicientes vicariis huiusmodi omnes et singulos fratres ordinis praefati, stantes extra ipsum ordinem licentia aut praetextu litterarum apostolicarum, venerabilium fratrum Nostrorum S. Romanae ecclesiae cardinalium aut generalis ministri, quos omnes fratres compellere valeant ad redeundum ad ordinem, nec dictae litterae quoad praemissa eis ullatenus suffragentur, sed potius sint nullius roboris vel momenti ».

(2) *Bullarium peculiare Terrae Sanctae*, Romae 1727, p. 46.

nec acquisitum retinere, attendentes maxime conventus constitutos vel constituendos in partibus orientis septentrionis et maxime Caffae et Perae et terris Saracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Syrorum, Persarum, Medorum, Zicorum, Ruthenorum, Sissorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Turcorum, Stelitorum, Tatarorum, Cardorum, Polonorum, Hungarorum maioris Hungariae et aliorum quorumcumque, qui nondum sacramentum fidei perceperunt, commode sine proprio vivere [non posse], et ut liberius et quietius et secura conscientia vivere possint et divinis vacare officiis, et ne offerentium, donantium, concedentium et in ultima voluntate relinquentium ordini praedicto vel fratribus eiusdem ordinis aliquid propter Deum pia intentio defraudetur. Cum enim, prout ad Nostrum devenit auditum, in partibus supradictis sint nonnulli conventus dicti ordinis, qui, sacrorum canonum circa institutionem regulae ipsorum constitutorum dispositioni minime inhaerentes, bona propria tam mobilia quam immobilia tenere et possidere dicuntur ac propter magnam locorum distantiam et nationum ac sectarum diversitatem minime ad praesens conveniens reformatio fieri possit: Nos, volentes de opportuno, quatenus cum Deo possumus, remedio providere, ne huiusmodi transgressionem damnationi personarum de dictis conventibus esse contingat, praedecessorum Nostrorum, videlicet fel. rec. Martini IV et V, vestigiis inhaerentes, omnium et singulorum conventuum, aedificiorum, possessionum ac bonorum omnium tam in ornamentis sacristiarum quam aliorum quorumcumque consistentium, tam mobilium quam immobilium ad huiusmodi conventus quomodocumque et qualitercumque pertinentium et spectantium, dominium, proprietatem et possessionem necnon protectionem, administrationem et regimen Nostro et ecclesiae Romanae et Apostolicae Sedis nomine auctoritate apostolica tenore praesentium suscipimus et sub Nostro dominio et proprietate, protectione, administratione et regimine declaramus, nihilominus dilectis filiis vicario dilecti filii generalis ministri dicti ordinis in dictis partibus ac etiam guardianis dictorum conventuum praesentibus et, qui pro tempore erunt, nominandi et eligendi Nostro et dictae ecclesiae et Apostolicae Sedis nomine aliquas personas ecclesiasticas vel saeculares ad hoc idoneas in syndicos et procuratores conventuum praedictorum, quae omnes et singulos redditus, proventus necnon eleemosynas et obventiones quascumque percipere easque exponere et distribuere tam in reparatione dictorum locorum quam in victu et vestitu fratrum dictorum conventuum possint et debeant, prout secundum Deum et ipsius ordinis regularia instituta eis visum fuerit expedire, cum plena potestate agendi, defendendi, exigendi, solvendi, quietandi de receptis dumtaxat omniaque alia et singula faciendi, quae huiusmodi syndici seu procuratores posse noscuntur de consuetudine vel de iure, plenam et liberam dicta auctoritate tenore praesentium facultatem et potestatem concedentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, IV idus iulii, ... anno VII.

303. Concedit indulgentias pro reparatione ecclesiae O.F.M. Aldenarden (Oudenaarde), Tornacen. dioec. (1).

1437, iulii 12, Bononiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Ecclesiarum fabricis *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia domus oppidi Aldenarden. ordinis fratrum Minorum, Tornacen. dioec., reparatione indigeat non modicum sumptuosa, ac eius dormitorium totaliter corruerit, pro cuius ac etiam dictae ecclesiae reparatione huiusmodi christifidelium eleemosynae sint plurimum opportunae, universitatem igitur vestram rogamus et hortamur attente in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, ut de bonis vobis a Deo collatis dictae domui pias eleemosynas et grata charitatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram ecclesia et dormitorium praedicta reparari et refici valeant, vosque per haec et alia bona, quae Domino inspirante facietis opera, ad aeterna possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim ... tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, quas mitti per quaestuarios districtius inhibemus *etc.* Praesentibus post viginti annis minime valituris.

Datum Bononiae, anno ... 1437, IV idus iulii, ... anno VII.

304. Iohannae, marchionissae Montisferrati, concedit licentiam secum retinendi Iohannem Hectoris de Valentia O. F. M. confessarium et capellanum (2).

1437, iulii 18, Bononiae.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Iohannae marchionissae Montisferrati, Vercellen. dioec.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio con-

(1) Reg. Lat. t. 350, f. 190v.

(2) Reg. Lat. t. 350, f. 16v.

tinebat, quod propter singularem devotionem, quam ad ordinem fratrum Minorum etiam ab antiquo gerere dignosceris, unum ex fratribus dicti ordinis in tuum confessorem et capellanum tenere consuevisti, quodque ille ex dictis fratribus, quem de licentia Sedis Apostolicae aliquamdiu in confessorem et capellanum, ut praemittitur, tenuisti, exstitit nuper vita functus. Tuis itaque in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, cui, ut asseris, dilectus filius Iohannes (!) de Casali, dicti ordinis generalis minister, etiam plures ex dictis fratribus tecum recipiendi et retinendi ac ipsis tecum remanendi per suas patentes litteras dedit facultatem, ut dilectum filium fratrem Iohannem Hectoris de Valentia, dicti ordinis, tibi in exsecutione divini officii ac vita et moribus non mediocriter acceptum, et eo fortassis decedente seu ex infirmitate aut alio impedimento legitimo praepedito quemcumque alium fratrem dicti ordinis, quotiens tibi videbitur opportunum, in tuum confessorem et capellanum recipere et tecum retinere valeas, ac dicto Iohanni Hectoris et cuicunque alteri ex dictis fratribus, ut tecum, alias tamen iuxta dictam concessionem praefati generalis seu alias de ipsius licentia in huiusmodi officio confessoris et capellani perpetuo tecum remanere possint, quodque per alium, quam per dictum generalem a te seu tuo servitio nequeant evocari, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, XV kal. augusti, ... anno VII.

305. Iohannem de Bousyes O. F. M. instituit episcopum Gebelden. (Dschebail in Syria) (1).

1437, Iulii 19, Bononiae.

Dilecto filio Iohanni de Bousyes, electo Gebelden.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Iohanne episcopo Gebelden., regimini Gebelden. ecclesiae praesidente Nos *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius Iohannis episcopi, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, Nos *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.*, teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, eius curam *etc.* Volumus autem *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, XIV kal. augusti, ... anno VII.

306. Mandat, ut Andream Michaelis, dioec. Bacien., propter haeresim omnibus ordinibus degradatum, si vere sit emendatus, ad omnes sacros ordines restituat (2).

1437, Iulii 22, Bononiae.

Dilecto filio Iacobo de Marchia, ordinis fratrum Minorum professori, in regno Hungariae et nonnullis aliis locis inquisitori haereticae pravitatis a Sede Apostolica delegato.

Etsi antiquus hostis humano invidens generi, non cessans quaerere, quos devoret, quamplures inducat saepe ad laqueum peccatorum, Redemptor noster tamen Iesus Christus nonnullos fide deceptos quotidie de ipsius faucibus eripit et ad se revocat poenitentes. Sane exhibita Nobis pro parte dilecti filii Andreae Michaelis, dioec. Bacien., nuper petitio continebat, quod licet ipse olim maligni spiritus instigante versutia nonnullos articulos erroneos et a vera fide discrepantes ac alias per sanctam matrem ecclesiam prohibitos cum nonnullis aliis regni Bohemiae personis firmiter crediderit illosque, quantum in eo fuit, defensare conatus fuerit ac propterea omnibus ordinibus actualiter degradatus exstiterit, licet e manibus curiae saecularis, cui traditus fuerat, ad preces nonnullorum religiosorum misericorditer liberatus: quae omnia considerans, cum ab intimis doleat paratusque sit omnes huiusmodi errores abiurare, prout etiam abiuravit, et ipsos errores ad confusionem aliorum haereticorum, quos antea secutus fuerat, publice detestari ac in illorum faciem exprobrare iuxta consilium tuum et alia facere pro fidei augmento, quae sibi mandaveris, Nobis humiliter supplicavit, ut ipsum ad ecclesiae gremium misericorditer suscipientes, ipsum ad exsecutionem ordinum, quibus, ut praemittitur, degradatus fuerat, restituere misericorditer dignaremur. Nos, qui humiliter petentibus post excessum libenter Nos benignos exhibemus ac de praemissis certam notitiam non habentes, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus de vita et moribus aliisque circumstantiis dicti Andreae te diligenter informes et si per informationem huiusmodi ipsum Andream inveneris laudabilis vitae ac a ritu sanctae matris ecclesiae non discrepare aliasque de per eum commissis erroribus huiusmodi ab intimis dolere et ad ea, de quibus supra praemittitur, paratum et alias pro fidei defensione utilem esse conspexeris, aliudque canonicum non obsistere et alias tibi videatur, ipsum, si hoc humiliter petierit, ad

(1) Reg. Lat. t. 354, f. 301.

(2) Reg. Vat. t. 366, f. 242v; Wadd. *Ann.* ad a. 1437, n. 15, « ex originali in patria B. Iacobi ad Minores asservato ». Cf. supra n. 291, p. 134.

omnes etiam sacros ordines et eorum exsecutionem restituas, aboliens omnem inhabilitatis et infamiae maculam per eum praemissorum occasione contractam iniuncta sibi pro modo culpae poenitentia salutari. Et nihilominus, si huiusmodi restitutionem per te fieri contigerit, ipsi Andreae, ut in huiusmodi ordinibus ministrare libere et licite valeat, licentiam largiaris; quod si taliter restitutus, si dicta restitutio fieri contingat, ad dictam vel aliam haeresim, quod absit, relabatur, in omnes poenas et inhabilitates pristinas ipso facto volumus reincidere.

Datum Bononiae, anno ... 1437, XI kal. augusti, ... anno VII.

307. Nicolaum Thomae O. F. M. instituit episcopum Sarreptan. (Sarepta in Palaestina) (1).

1437, Iulii 26, Bononiae.

Dilecto filio Nicolao Thomae electo Sarreptan.

Pastoralis officii debitum *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Iacobo episcopo Sarreptan. regimini Sarreptan. ecclesiae praesidente *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per obitum praefati Iacobi episcopi, qui extra Romanam curiam diem vitae clausit extremum, vacante *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, baccalaurium in theologia, in sacerdotio constitutum, religionis zelo *etc.*, teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Volumus autem *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VII kal. augusti, ... anno VII.

308. Concedit indultum, quo libri fratrum defunctorum domus S. Francisci a Vinea de Venetiis, O. F. M., ad praedictam domum devolvuntur (2).

1437, augusti 2, Bononiae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus conventus S. Francisci a Vinea de Venetiis, Castellan. dioec., ordinis Minorum de observantia nuncup. praesentibus et futuris.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.* Sane exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod, cum nonnullos fratres de vestro conventu nonnumquam emptionis seu alio quovis titulo libros de eleemosynis pia fidelium Venetorum iisdem largitione collatis procurare eosdemque, postquam ipsos ad eorum usum toto tempore vitae suae tenuerunt, ipsis viam universae carnis ingressis, ad manus personarum a dicto conventu extranearum saepius venire contingat in praedicti conventus grave praeiudicium et iacturam; quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos, vestris opportunitatibus providere cupientes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni vestrae, ut praedicti libri, postquam fratres, qui illos, ut praemittitur, obtinuerint, defuncti fuerint, ad praedictum conventum vestrum ipso facto devolvantur ac eidem pleno iure censeantur acquisiti, ita ut vos seu per vos deputati propria auctoritate veluti res ipsius conventus capere et ad ipsum conventum deferre ac in usum ipsius deputare valeatis, tenore praesentium indulgemus, privilegiis, constitutionibus seu statutis vel indultis ipsi ordini seu eius personis quoquomodo concessis ceterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, IV nonas augusti, ... anno VII.

309. Mandat, ut Ceccho Cecchi Guidonis, civi Romano, confirmet concessionem cuiusdam casalis « Vagnolo » prope castrum Gallesii, ad monasterium S. Silvestri in Capite O. S. Cl. in Urbe pertinentis, in emphyteusin (3).

1437, augusti 3, Bononiae.

Venerabili fratri Andreae episcopo Auximan., Nostro in Urbe vicario in spiritualibus generali.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.* Sane pro parte dilecti filii Cecchi, quondam Cecchi Guidonis, civis Romani, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales monasterii S. Silvestri « de lo Capo », de Urbe, ordinis S. Clarae, attente considerantes, quod quoddam casale, vulgariter « Vagnolo », cum eius tenimento, prope castrum Gallesii de districtu dictae Urbis situm, necnon quaedam domus et petiae terrae prope castrum Gallesii et casale huiusmodi sitae, ad dictum monasterium legitime pertinentia, propter loci distantiam ac habitatorum et incolarum dicti loci paucitatem remanserant inculta, et ex eis modicus dicto monasterio fructus proveniebat, dicto Ceccho, quamdiu in humanis ageret, casale, domum et petias huiusmodi in emphyteusin perpetuam, casale sub viginti quinque florenorum ad rationem quadraginta septem solidorum in dicta Urbe currentium pro floreno quolibet, domum vero ac petias huiusmodi sub vigintiquatuor petittorum (4) boni et puri olei ad mensuram senatus dictae Urbis ac

(1) Reg. Lat. t. 349, f. 286 v.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 7 « c l. 1 de regular. a. VII, f. 263 ».

(3) Reg. Lat. t. 357, f. 149. De monasterio S. Silvestri cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 152, p. 46; n. 280, p 96; n. 1239, p. 442.

(4) Petitum, mensurae liquidorum species apud Romanos (Du Cange).

unius librae cereae annuis censibus in festivitate annuntiationis B. Mariae V. annis singulis persolvendis concesserunt cum certis aliis pactis et conditionibus, prout in instrumentis publicis desuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti Cecchi Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi praemissa vera esse necnon concessionem praedictam in evidentem dicti monasterii utilitatem, super quo tuam conscientiam oneramus, cedere reppereris, tu locationem et alia in instrumentis contenta huiusmodi ac quaecumque inde secuta eadem auctoritate approbes et confirmes, supplendo *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, III nonis augusti ... anno VII.

310. Mandat, ut confirment traditionem ecclesiae S. Birgittae extra muros Messanen. et hospitalis pauperum S. Martini prope dictam ecclesiam, a Bartholomaeo archiepiscopo Messanen. factam Antonio Scactaretica, presbytero III. O. S. Franc. aliisque fratribus eiusdem ordinis (1).

1437, augusti 7, Bononiae.

Dilectis filiis monasterii S. Mariae Rochae-amatoris, Messanen. dioec., et Henrico de Avellino, canonico Messanen.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.* Sane pro parte dilecti filii Antonii Scactaretica, fratris tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim venerabilis frater Noster Bartholomaeus, archiepiscopus Messanen., attendens, quod ecclesia sine cura S. Brigidae extra muros Messanen. et hospitale pauperum S. Martini prope dictam ecclesiam consistens in suis structuris et aedificiis deformationi subiacebant illaque tunc certis modis vacarunt, cum omnibus suis iuribus et pertinentiis Antonio praedicto, qui etiam tunc presbyter erat, necnon aliis fratribus ipsius ordinis pro eorum usu et habitatione in perpetuum auctoritate ordinaria concessit atque donavit, necnon Antonius praedictus et aliqui alii fratres dicti ordinis vigore concessionis et donationis huiusmodi corporalem ecclesiae et hospitalis praefatorum possessionem apprehendentes, illa ex tunc tenuerunt, prout tenent, in usus proprios eorumdem. Quare pro parte dicti Antonii asserentis, quod ecclesiae trium et hospitalis eorumdem septem florenorum auri de camera fructus, redditus et proventus secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus ..., si et postquam vobis de concessione et donatione legitime constiterit, vos illas ac quaecumque inde secuta auctoritate apostolica approbetis et confirmetis, supplentes *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Bononiae ... 1437, VII idus augusti, ... anno VII.

311. Dat mandatum et facultates circa inquisitionem certorum excessuum Venetiis commissorum (2).

1437, augusti 9, Bononiae.

Venerabili fratri .. episcopo Castellano (3) *ac dilecto filio Iohanni de Capistrano ordinis Minorum professori.*

Ad ea, quae pacem et quietem populorum *etc.* Dudum siquidem, cum non sine magna animi Nostri displicentia ad Nostram audientiam pervenisset, aliqua Venetiis ac in tua Castellana dioecesi contigisse, ex quibus nonnullarum personarum utriusque sexus tam ecclesiasticarum quam saecularium fama et opinio graviter denigratur, pro quorum quidem pleniori informatione veritatis tu, frater episcope, ut accepimus, diligentibus super his habitis processibus sollicite intendisti, neque tamen, ut Nobis delatum est, praeter plebanum quemdam ea, quae obiiciebatur, haeresis labe aliquos alios infectos reperire potuisti, nihilominus tamen non parva personas huiusmodi, licet insontes et innoxias, ut asseritur, famae ac aestimationis earumdem iactura prosequitur, quae etiam in dies, ut dicitur, vehementius invalescit. Nos igitur, qui ex debito pastoralis officii et scandalis obviare et, ne boni et innocentes famae ipsorum detrimento mulctentur, quantum cum Deo possumus, procurare debemus, horum consideratione inducti, dilectum filium Iohannem de Capistrano supra memoratum ad fraternitatem tuam duximus cum praesentibus dirigendum eique commisimus et mandavimus, quatenus eodem tibi assistente vos simul de huiusmodi excessibus et personis diligenter inquirere et investigare curetis; perutile enim fore et negotio huiusmodi conveniens esse putamus, virum vitae sanctimonia, famae integritate scientiaque litterarum et doctrina praestantem tibi in hac re associare, cuius consilio et auctoritate veritate comperta et excessus

(1) Reg. Lat. t. 352, f. 299v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 8.

(2) Reg. Vat. t. 367, f. 20; Wadd. *Ann.* ad a. 1437, n. 26.

(3) Episcopus tunc fuit S. Laurentius Iustiniani.

huiusmodi corrigere, bonos atque innoxios, si qui ob hanc causam notati sunt, eorum famae et aestimationi reddere et restituere possitis. Nos enim vobis de huiusmodi excessibus inquirendi atque eorum occasione carcerandi, puniendi, corrigendi et emendandi, innoxios autem atque indebite infamia notatos ad famam et honores restituendi et in statum pristinum reponendi, excommunicatos seu irregularitatis vinculo huiusmodi ex causis irretitos absolvendi et liberandi omniaque alia et singula faciendi et exsequendi, quae in praedictis et circa praedicta necessaria fuerint vel etiam opportuna, contradictores *etc.* invocato *etc.*, plenam et liberam damus et concedimus auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem. Vos igitur negotium huiusmodi sic sollicite et diligenter amplectamini, ut ex vestris bonis et proficuis operibus post aeterna praemia apud Nos et Sedem Apostolicam non merito commendari possitis.

Datum Bononiae, anno ... 1437, V idus augusti, ... anno VII.

312. Revocat concessionem oratorii B. Mariae delle Grazie castri Montis Granarii, fratribus O. F. M. factam (1).

1437, augusti 15, Bononiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae Sedis providentia circumspecta *etc.* Dudum siquidem ad instantiam dilectorum filiorum guardiani et fratrum S. Francisci extra muros castri Montisgranarii, ordinis Minorum, Firman. dioec., a Nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis:

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio abbati monasterii S. Firmani de Montelupone, Firman. dioec.

Humilibus supplicum votis *etc. (Vide supra n. 206, p. 99).*

Datum Florentiae, anno ... 1435, pridie idus decembris, ... anno V.

Eugenius episcopus etc.

Ad futuram rei memoriam.

Sacrae religionis, sub qua *etc. (Vide supra n. 277, p. 128).*

Datum Bononiae, anno ... 1436, nonis martii ... anno VI.

Cum autem, sicuti accepimus, dictus abbas S. Firmani, ad exsecutionem dictarum litterarum procedens, nullam debitam ac convenientem recompensationem ipsis priori et fratribus ordinis eremitarum S. Augustini propterea dari fecerit, Nosque postmodum plenius informati dicerimus, quod locus B. Mariae de le Grazie praedictae primo et postmodum oratorium in eo fundatum a tanto tempore, cuius contrarii memoria non exsistit, sint eiusdem ordinis eremitarum S. Augustini et ad illius priorem et fratres legitime pertineant, sitque locus et titulus originalis dictorum fratrum S. Augustini in ipso castro, a quo etiam ibidem vulgariter denominantur, et ex titulo ac nomine illius loci S. Mariae de gratiis vel oratorii fructus et proventus ad praefatos priorem et fratres dicti ordinis eremitarum provenientes, qui in oblationibus christifidelium, legatis et eleemosynis ex maiori parte consistunt, incerti quodammodo esse dicuntur, prout personarum et temporum ingruentium qualitates ferunt, ac propterea debita recompensatio nullatenus fieri possit, cumque etiam ex dicta concessione, si effectum sortiretur, maximum et evidens praeiudicium fieret praefatis priori et fratribus S. Augustini, et iura eorum in hoc plurimum laederentur, ex quibus multa varia ac gravia scandala, dissensiones et rixae inter utriusque ordinis fratres huiusmodi possent verisimiliter provenire, ac propterea fidelium devotio tepesceret et ipsi ordines non modicum detrimentum exinde et etiam scandala paterentur ac infamiam et derisionem incurrerent: Nos, qui ante concessionem dictarum litterarum Nostrarum de huiusmodi recompensationis difficultate, praeiudicio, scandalis, dissensionibus et periculis propter non veram supplicantium suggestionem nequaquam eramus informati, volentes circa haec debito remedio providere, ad omnem dissensionum et scandalorum huiusmodi, praesertim inter tam praecipuos ordines, materiam removendam et ad quoslibet, maxime servitio Dei deditos, in suis iuribus conservandos praefatas superius insertas litteras et omnia in eis contenta et quaecumque inde secuta ex certa scientia, auctoritate apostolica tenore praesentium revocamus, cassamus, annullamus et irritamus ac nullius esse decernimus roboris vel momenti seu etiam firmitatis illasque pro infectis haberi volumus et mandamus ac ipsos fratres ordinis S. Augustini de dicto castro ad statum pristinum, in quo erant, antequam aliquae ex litteris praedictis emanassent, eisdem scientia et auctoritate restituimus, reponimus et reintegramus necnon dictis guardiano et fratribus ordinis Minorum et cuilibet alteri ipsius ordinis super iure, quod vigore dictarum ac quarumcumque litterarum Nostra-

(1) Reg. Lat. t. 352, f. 244.

rum super concessione dicti oratorii usque in praesentem diem emanatarum illis potuisset competere in oratorio ac ipsius ecclesia et pertinentiis praedictis, silentium imponimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, XVIII kal. septembris, ... anno VII.

313. Concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observantia in loco congruo sub regimine vicarii Bosnae (1).

1437, augusti 21, Bononiae.

Dilecto filio nobili viro Georgio Voivodae marchioni partium inferialium Bosnae.

Apostolicae Nobis licet immeritis iniunctae *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu, zelo devotionis accensus ac de tuis terrenis ope et facultatibus coelestes gestiens cumulare thesauros necnon ad fratres ordinis Minorum de observantia nuncupatorum singularem gerens devotionis affectum, unum in honorem et sub vocabulo B. Mariae Virginis monasterium cum ecclesia, campana, ... officinis pro nonnullis fratribus dicti ordinis, inibi virtutum Domino iuxta regularia eiusdem ordinis instituta conventualiter perpetuo servituris, de novo fundari et erigi facere desideras *etc.* Nos igitur ... tibi monasterium praefatum in loco alias ad hoc idoneo et accommodo et sub regimine vicarii Bosnae consistente cum ecclesia, campana, campanili ... pro fratribus ipsis iuxta instituta praemissa ibidem sua Domino vota directuris de bonis tibi a Deo collatis fundandi ... licentiam impertimur. Et nihilominus ... fratribus, ut privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, XII kal. septembris, ... anno VII.

314. Mandat, ut pro ministro, fratribus et sororibus III. O. S. Fr. districtus Aquilan. declaret statuta eiusdem ordinis, praesertim circa contractionem matrimonii (2).

1437, augusti 23, Bononiae.

Venerabili fratri Iordano episcopo Sabinen.

Ex iniuncto Nobis pastoralis officii debito *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum ministri et fratrum necnon dilectarum in Christo filiarum sororum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia communiter nuncupati civitatis et dioec. ac districtus Aquilan. Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet fratribus ordinem ipsum intrantibus et etiam profitentibus, quem gloriosus Christi confessor B. Franciscus instituit, et in eodem ordine receptis neque ex regulari dicti ordinis observantia neque ex privilegiis et indultis per fel. rec. Nicolaum IV, qui normam et modum vivendi in eodem ordine professoribus ipsis regulares instituit, necnon Coelestinum V, Romanos pontifices, praedecessores Nostros, iisdem professoribus concessis, in eorum ingressu votum aliquod sive castitatis sive continentiae reperiatur indictum, per quod ad secunda et alia matrimonialia vota, sicut aliis christifidelibus saecularibus et in mundanis commerciis se gerentibus licere dignoscitur, transire non possint, nihilominus tamen diversi illarum partium saeculares, privilegiorum huiusmodi penitus ignari, non considerantes, quod huiusmodi fratres, ordinem ipsum ingressi et in matrimonio constituti, eodem matrimonio iuxta ipsius ordinis regularia instituta licite uti possunt, ad fidelium aures, quod religiosi huiusmodi ad secunda et alia vota praedicta transire non possunt, deducere non verentur in ministri, fratrum et sororum non modicum praeiudicium, ordinis huiusmodi scandalum, vilipendium et iacturam. Quare pro parte eorumdem ministri, fratrum et sororum asserentium, quod propter personarum huiusmodi taliter detrahentium malitiam eidem ordini et professoribus scandala plurima possent verisimiliter exoriri, nisi per Sedem Apostolicam dubium huiusmodi declaretur, ac ipsorum exponentium Nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro scandalis huiusmodi succidendis proque soliditate status et observantiae regularis ordinis antedicti et, ut etiam ipsi professores religionis eiusdem ordinis huiusmodi consuetudines et statuta clarius et attentius complectantur, quo per eorum semitas (facilius) gradientur, et eum quem voverint, quietius reddere possint sedulum famulatum, alicui probo viro committere, per quem consuetudines et statuta dilucidari et declarari possint et debeant, ad perpetuam rei memoriam de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui more pii patris paci et tranquillitati religiosarum personarum et aliorum christifidelium libenter occurrimus, circumspectioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, necnon adiunctis tibi, prout videbitur, aliquibus ex professoribus antedictis, bonestis viris et Deum timentibus, privilegia, consuetudines et statuta huiusmodi auctoritate Nostra recenseas et examines diligenter; ac quidquid pro regulari observantia proque ipsius ordinis honestate necnon religiosorum huiusmodi statu utiliter et rationabiliter expedire et

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 21 v. (sed sine data); Reg. Lat. t. 350, f. 84; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV. n. 9.

(2) Reg. Lat. t. 352, f. 258; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 10.

etiam congruere videbitur, super quo tuam conscientiam oneramus, iuris et aequitatis observato tramite, praesertim circa huiusmodi matrimonia ac secunda et alia vota, ad quae religiosi huiusmodi, ut praefertur, aspirant, apostolica auctoritate dilucides et declares, prout secundum Deum et rectam conscientiam videbitur faciendum, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Bononiae, anno ... 1437, X kal. septembris, ... anno VII.

315. Crucettum (de Monte S. Petri) O. F. M. instituit episcopum Insulen. (Isola in Italia inf.) (1).

1437, augusti 26, Bononiae.

Dilecto filio Crucetto, electo Insulen.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Nicolao episcopo Insulen. regimini ecclesiae Insulen praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum dicti Nicolai episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, Nos *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem et in theologia baccalaurium ac in sacerdotio constitutum, cui de vitae munditia *etc.*, teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam ac administrationem *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VII kal. septembris, ... anno VII.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Insulen.; Clero civitatis et dioec. Insulen.; Populo civitatis et dioec. Insulen.;* praeterea *Archiepiscopo Sancti Severini* (Ad cumulum); et *Regi Siciliae illustri* (Gratiae divinae).

316. Abbati monasterii S. Emmerani et maioris ac B. Mariae veteris capellae ecclesiarum decanis Ratisbonen. mandat, ut Nicolao episcopo Magionen., qui apud suam ecclesiam Magionen. residere ac illius mensae episcopalis fructus percipere non potest, commendet prioratum « ad consecratum Petrum » extra muros Ratisbonen. O. S. Ben., per monachos monasterii S. Iacobi ad Scotos Ratisbonen. dicti ordinis gubernari consuetum, cuius fructus 16 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, non obstante quod dictus Nicolaus episcopus ordinis fratrum Minorum professor exsistat (2).

1437, augusti 27, Bononiae.

Personam venerabilis fratris Nostri Nicolai episcopi Magionen. *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VI kal. septembris, ... anno VII.

317. Nicolao de Tragurio O. F. M. committit negotium exstirpandi certam haeresim in partibus inferioribus Bosnae (3).

1437, septembris 1, Bononiae.

Dilecto filio Nicolao de Tragurio, ordinis Minorum professori.

Ad audientiam Nostram pervenit non sine magna mentis Nostrae displicentia, in partibus inferioribus Bosnae detestandam quamdam haeresim pullulare, cui, nisi celeriter opportunis remediis occurratur, periculum imminere videmus, ne se morbi contagio ita late effundat, ut sincerae partes circumvicinarum regionum eadem labe contaminentur. Quare, cum de aliquibus ad hoc opportunis remediis duxerimus providendum, ad quae exsecutioni mandanda sollicitudinem, operam et diligentiam tuam multum utilia et necessaria fore existimamus, propterea devotioni tuae, de qua specialem in Domino fiduciam obtinemus, committimus et mandamus tenore praesentium, quatenus circa ea, quae ad exstirpationem haeresis huiusmodi ordinanda et disponenda curavimus, aliaque omnia, quae ad id necessaria videris seu etiam opportuna, sollicitanda, promovenda atque effectui mancipanda dicas, facias, intendas, quidquid tibi pro tam salubri et necessario opere effectui mancipando necessarium vel expediens visum fuerit seu etiam opportunum; Nos enim tibi circa praemissa omnia et singula dicendi, agendi, instandi, sollicitandi et operandi cum omnibus et apud omnes, quidquid in praefatis et circa praefata utile, expediens et necessarium tibi visum fuerit vel opportunum, plenam tenore praesentium auctoritate apostolica damus et concedimus facultatem, volentes, ut sine Nostro speciali mandato vel vicarii de vicaria Bosnae et obedientia vicarii eiusdem ** (4), necnon a sollicitatione dictorum negotiorum nullatenus recedas.

Datum Bononiae, anno ... 1437, kalendis septembris, ... anno VII.

318. Concedit indultum, quod imposterum non possit molestari ab inquisitoribus (5).

1437, septembris 8, Bononiae.

Dilecto filio Angelo Ursino mercatori Tranen. Venetiis Castellan. dioec. commoranti.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet olim dilecti filii Franciscus de Castroflorentino et deinde Lucas de Senis, ordinis fratrum Minorum ac sacrae theologiae

(1) Reg. Lat. t. 354, f. 308v. (2) Reg. Lat. t. 355, f. 243.
(3) Wadd. *Ann.* ad 1437, n. 23 e l. 1. de regular. f. 315. De Nicolao de Tragurio cf. supra n. 68, p. 42.
(4) Hoc loco pauca interciderunt.
(5) Reg. Lat. t. 350, f. 160. De Luca de Senis cf. supra n. 137 p. 70; n. 169 p. 85.

professores, tunc haereticae pravitatis inquisitores a Sede Apostolica seu illius auctoritate specialiter deputati, nonnullos processus excommunicationis et alias diversas sententias, censuras et poenas in se continentes, vigore deputationis huiusmodi contra te fulminassent, tamen postmodum te a sententiis, censuris et poenis praedictis ac aliis in dictis processibus contentis successive plenarie absolverunt, prout in ipsorum inquisitorum, eorum sigillis munitis, litteris dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tu Venetiis, Castellan. dioec., per viginti sex annos vel circa moram traxeris, prout de praesenti trahis, ac ulterius inibi habitare necnon Nostris et Sedis Apostolicae ac Romanae ecclesiae monitis et mandatis parere et intendere proponas et alias dubites ad quorumdam aemulorum tuorum suggestionem per similes inquisitores de cetero molestari posse, Nos, super hoc statui tuo consulere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod nulli per Nos vel Sedem praedictam seu alias quomodolibet deputati hactenus vel in posterum deputandi eiusdem pravitatis inquisitores, Venetiis huiusmodi pro tempore commorantes, de cetero occasione quorumcumque criminum haeresis, si qua forsan commisisti aut in illa vel ipsorum aliquod incidisti hactenus aut in posterum committere seu incidere contigerit, contra te vigore litterarum aut privilegiorum apostolicorum quorumcumque ipsis vel eorum alicui aut praedicto ordini vel eius religiosis concessorum hactenus vel in posterum concedendorum, nisi de consensu episcopi Castellan. pro tempore exsistentis et simul cum ipso, procedere possint sive debeant, decernentes ex nunc *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VI idus septembris, ... anno VII.

319. Constituit iudicem in partibus in causa Bernardi Cathelani praeceptoris et fratrum O. B. Mariae de Mercede, monasterii S. Eulaliae, dioec. Magalonen., contra guardianum et fratres O. F. M. domus Montispessulan. eiusd. dioec. (1).

1437, septembris 12, Bononiae.

Dilecto filio vicario in spiritualibus generali venerabilis fratris Nostri episcopi Magalonen.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus oppidi Montispessulan., ordinis Minorum, Magalonen. dioec., petitio continebat, quod alias pro parte dilectorum filiorum Bernardi Cathelani, praeceptoris, et conventus monasterii S. Eulaliae, ordinis B. Mariae de mercede captivorum, eiusdem dioec., Nobis exposito, quod alias dictus praeceptor ac ipsius monasterii fratres in ecclesia dictae domus quaestas et eleemosynas petentes per eosdem fratres dictae domus abinde turpiter expulsi et, quominus quaestas et eleemosynas petere possent, multipliciter impediti, et collectae per praeceptorem ac monasterii fratres huiusmodi in ipsa ecclesia eleemosynae a fratribus domus huiusmodi violenter receptae et diversae aliae iniuriae in dicta ecclesia ab eisdem fratribus ipsius domus irrogatae fuerunt, contra certa eis concessa a Sede Apostolica privilegia et indulta, Nos causam, quam praeceptor et ipsius monasterii fratres praedicti contra dictos guardianum et eiusdem domus fratres super praemissis movere intendebant, non obstante, quod de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta ac apud eam tractanda et finienda non esset, dilecto filio magistro Francisco de Cruylles, capellano Nostro et auditori causarum palatii apostolici, audiendam commisimus et fine debito terminandam, qui in ea ad partium citationem contra guardianum et ipsius domus fratres praedictos in forma solita dicitur devenisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ipsis guardiano et dictae domus fratribus propter eorum paupertatem prosequi praefatam in dicta curia causam grave foret, pro parte ipsorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut illam ad Nos advocare et alicui in partibus illis committere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, statum causae huiusmodi praesentibus pro expresso habentes ac illam ad Nos praesentium serie advocantes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis praeceptore et conventu praedictis necnon aliis, qui fuerint evocandi, causam ipsam in statu debito resumens, illam ulterius audias et appellatione remota debito fine decidas, faciens *etc.* Testes autem *etc.* Non obstante *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, pridie idus septembris, ... anno VII.

320. Iohannem (de Pragino) O. F. M. constituit episcopum Lausanen. (Lausanne in Helvetia) (2).

1437, septembris 13, Bononiae.

Dilecto filio fratri Iohanni electo Lausanen.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem bonae mem. Guillelmo episcopo Lausa-

(1) Reg. Lat. t. 352. f. 301. (2) Wadd., *Reg. pont.* Eug. IV, n. 11. « e l. I de praebendis etc. a. VI. f. 239 ».

nen. regimini Lausanen. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praedicta ecclesia per obitum eiusdem Guillelmi, qui extra Romanam *etc.* Nos *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, idibus septembris, ... anno VII.

321. Gundisalvum de Vallebona O. F. M. instituit episcopum Granaten. (1).

1437, septembris 13, Bononiae.

Dilecto filio Gundisalvo de Vallebona, electo Granaten.

Apostolatus officium *etc.* Cum itaque ecclesia Granaten., cui bonae mem. Cecilius, episcopus Granaten., dum viveret, praesidebat, per obitum ipsius episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris ad praesens sit solatio destituta, Nos *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum et theologiae professorem ac in sacerdotio constitutum, cui apud Nos de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Iugum igitur *etc.* Volumus autem *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, idibus septembris, ... anno VII.

322. Guillelmo de Casali, ministro generali O. F. M., mandat, ut veniat cum 12 magistris O. F. M. ad concilium Ferrariense (2).

1437, septembris 23, Bononiae.

Dilecto filio Guillelmo de Casali, ordinis Minorum ministro generali, sacrae theologiae magistro.

Cum Basileense concilium ad civitatem Ferrariensem pro oecumenico concilio inibi celebrando tam propter occidentalis et orientalis ecclesiarum unitatem quam reformationem ecclesiae et pacem christiani populi et aliis rationabilibus causis totis viribus auctore Domino procurandas duxerimus transferendum, prout vestra devotio videre poterit per copiam litterarum praesentibus interclusam, eidem devotioni vestrae in virtute sanctae obedientiae iniungimus et mandamus, quatenus, cum per Dei gratiam speremus, imo certi reddamur, quod charissimus in Christo filius Noster Iohannes, Graecorum imperator illustris, ac venerabilis frater Noster patriarcha Constantinopolitanus cum eorum praelatis et clericis, pro quibus iamdudum cum galeis et aliis necessariis et conventis misimus, circa kalendas novembris proxime futuras accedent, ad concilium memoratum, quantocius poteris, te conferas atque una tecum duodecim magistros tui ordinis perducas, de quibus devotioni tuae per alias Nostras litteras intimavimus, ut in ipso concilio Altissimi cooperante misericordia per tuam, illorum et aliorum prudentiam et virtutem tractentur et agantur ea, quae cedant ad laudem Dei, pacem christianorum ac statum et exaltationem ecclesiae suae sanctae.

Datum Bononiae, anno ... IX kal. octobris, ... anno VII.

323. Declarat moniales monasterii B. Mariae de Petraalba (Pedralbes), O. S. Cl., Barchinonen. dioec., non posse disponere de bonis per eas ad monasterium delatis vel post ingressum eis collatis et cassat omnia indulta contraria (3).

1437, octobris 2, Bononiae.

Ad futuram rei memoriam.

Ex iniuncto Nobis *etc.* Sane nuper pro parte dilectae in Christo filiae Margaritae, abbatissae monasterii B. Mariae de Petraalba, ordinis S. Clarae, Barchinonen. dioec., Nobis exhibita petitio continebat, quod licet omnia et singula bona, quae per moniales dicti monasterii tam in earum ingressu offeruntur quam sibi ex legato vel successione seu alias quovis modo provenientia pro tempore obtinent, eidem monasterio de iure et laudabili consuetudine pertinere debeant ac pertineant, neque aliqua ex eisdem monialibus possit seu debeat habere quid proprium, licet etiam aliqualis usus seu custodia bonorum huiusmodi monialibus illa deferentibus ex quadam benevolentia abbatissae et aliarum monialium permittatur, nonnullae tamen ex huiusmodi monialibus nedum huiusmodi bona etiam in dicto monasterio obtinere et sibi contra voluntatem ac permissionem dictae abbatissae totaliter appropriare nituntur et, ut eo liberius ipsa bona retineant et, quibus eis placet, personis distribuant, quo aliquali umbra cuiusvis auctoritatis conspiciunt se fore fulcitas, diversis coloribus ac figmentis per eas exquisitis indulta, licentias seu facultates de bonis huiusmodi causa mortis seu ex donatione inter vivos ad suum beneplacitum disponendi a Sede Apostolica extorserunt, quorum indultorum seu licentiarum aut facultatum praetextu moniales huiusmodi obtinentes bona supradicta illa con-

(1) Reg. Lat. t. 354, f. 264 t.

(2) Reg. Vat. t. 367, f. 107 v; Wadd. *Ann.* ad a. 1437, n. 2.

(3) Reg. Lat. t. 352, f. 7. De eodem monasterio cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1005, p. 343; n. 1053, 1054, p. 363; n. 1550, p. 583.

sanguineis, servitoribus, amicis ac aliis personis, de quibus sibi videtur, conferre et distribuere moliuntur in eiusdem monasterii praeiudicium non modicum et gravamen necnon contra votum et institutionem ordinis antedicti. Quare pro parte ipsius abbatissae Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, in praemissis opportune providere cupientes, ... hac praesenti constitutione perpetuo valitura ... constituimus et ordinamus, omnia et singula bona huiusmodi, absque aliquali conditione iuri consona per dictas moniales ad dictum monasterium pro tempore delata et post ipsarum ingressum eis collata et sibi alias quocumque titulo pertinentia, eidem monasterio taliter et adeo spectare et pertinere debere, quod moniales ipsae postmodum de illis disponere seu ordinare non possint quoquomodo. Et nihilominus quaecumque indulta seu facultates, quibusvis ex dictis monialibus super dictis bonis, per ipsas in vita seu causa mortis contra institutionem dicti ordinis a Sede Apostolica forsan concessa, disponendis seu distribuendis, cassamus, revocamus nulliusque decernimus exsistere roboris vel momenti. Volumus tamen, quod, si aliqua ex monialibus per abbatissam pro tempore monasterii huiusmodi ab illo expelleretur, bona tunc per eam secum delata et alias sibi pertinentia eidem moniali restitui debeant et plenarie relaxari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VI nonis octobris, ... anno VII.

324. Gundisalvo de Matercali, O. S. Hier., ad O. F. M. transgresso concedit licentiam permanendi in O. F. M. (1).

1437, octobris 2, Bononiae.

Dilecto filio Gundisalvo de Matecali(?) fratri ordinis fratrum Minorum.

Ad ea ex susceptae servitutis *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim tu ob melioris vitae frugem de ordine S. Hieronymi, quem tunc expresse professus fueras et in quo aliquamdiu sub regulari illius habitu Altissimo vota tua exsolveras, tui superioris petita licet non obtenta licentia ad ordinem fratrum Minorum de observantia transivisti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tu in dicto ordine fratrum Minorum propter diversa ac illa praesertim, quibus cavetur, quod nullus de illo ad quemcumque alium etiam strictiorem ordinem absque Sedis Apostolicae necnon sui superioris licentia transire valeat, ac alia dicto ordini S. Hieronymi concessa privilegia et indulta non posse dubitas manere, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... tibi, ut in dicto ordine fratrum Minorum sub regularibus illius habitu et observantia perpetuo remanere libere et licite valeas, ... concedimus per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VI nonis octobris, ... anno VII.

325. Abbati monasterii de Regali villae de Perpiniano, Elnen. dioec., et archidiacono Confluentis in ecclesia Elnen. mandat, ut Clarae Satorra, O. S. Cl. monasterii S. Clarae Castelionis Impuriarum, (Castellón de Ampurias) Gerunden. dioec., quae postquam per 20 annos in praefato monasterio vixerat et ad sanitatem recuperandam de superiorum licentia per aliqua tempora in domibus consanguineorum permanserat, concedat absolutionem a censuris et facultatem transeundi ad aliquod monasterium O. S. Aug. vel Cisterc. (2).

1437, octobris 2, Bononiae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VI nonis octobris, ... anno VII.

326. Petro Theici, fratri domus Albinganen. (Albenga in Liguria) O. F. M., concedit licentiam transeundi ad aliquod monasterium O. S. Ben. exclusa facultate ad obtinendum beneficium ecclesiasticum (3).

1437, octobris 8, Bononiae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VIII idus octobris, ... anno VII.

327. Mandat, ut defendant ministrum, fratres et sorores III O. S. Fr. Venetiarum contra praetensiones ministri et guardiani O. F. M. loci de Venetia (4).

1437, octobris 10, Bononiae.

Venerabilibus fratribus .. Castellanen. et Tervisin. episcopis.

Ad sacram Petri Sedem divina dispositione vocati *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Nicolaus papa IV, praedecessor Noster, inter cetera statuit, quod ministri et fratres ac sorores tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati civitatis et loci cuiuslibet ad visitationem communem in aliquo loco religioso vel ecclesia, ubi locum huiusmodi contingeret deesse, convenirent et visitatorem haberent sacerdotem, qui alicuius approbatae religionis exsisteret ac illis de commissis excessibus iniungeret poeni-

(1) Reg. Lat. t. 357, f. 44. (2) Reg. Lat. t. 352, f. 3.
(3) Reg. Lat. t. 352, f. 175 v.
(4) Reg. Lat. t. 352, f. 86; Wadd., *Reg. pont.* Eug. IV, n. 12.

tentiam salutarem, nec quivis alius posset eis huiusmodi visitationis officium exhibere, prout in ipsius praedecessoris inde confectis litteris (1) plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum ministri et fratrum ac dilectarum in Christo filiarum ministrae et sororum domorum loci de Venetiis, dicti ordinis, Castellan. dioec., petitio continebat, generalis et provincialis ministri necnon guardianus domus eiusdem loci de Venetiis, ordinis fratrum Minorum, contra statutum et litteras huiusmodi, quorum verisimiliter ignari non sunt, ipsis ministro et fratribus necnon ministrae et sororibus domorum tertii ordinis huiusmodi, etiam renitentibus et invitis, praefatum visitationis officium conentur impendere necnon eos desuper praesumpserint hactenus multipliciter molestare, plurimis inde scandalis inconvenientiisque subortis et aliis, nisi desuper apostolicae provisionis adminiculum succedat, verisimiliter emersuris, ipsique minister et fratres necnon ministra et sorores domorum tertii ordinis huiusmodi, quominus eis ac dicto tertio ordini concessis privilegiis et libertatibus uti gaudereque pacifice possint, progressu temporis timeant impediri, Nos igitur ... fraternitati vestrae ... mandamus, quatenus vos ... statutum praedictum, cui auctoritatem apostolicam quoad ministrum et fratres necnon ministram et sorores domorum tertii ordinis huiusmodi, ut ipsum visitatorem de consilio et assensu alicuius vestrum, quoties opus fuerit, eligant et assumant, per praesentes adiicimus, ubi et quando expedire videbitis, auctoritate apostolica sollemniter publicantes ac ipsis ministro et fratribus necnon ministrae et sororibus domorum tertii ordinis huiusmodi, quoties super hoc pro parte sua desuper requisiti fueritis, efficacis praesidio defensionis assistentes, non permittatis aliquem ex eis per generalem et provincialem ministros ac guardianum praedictos vel quempiam ipsorum vel quosvis alios contra statutum, privilegia vel libertates huiusmodi seu super eorum iuribus et bonis impeti quomodolibet indebite vel molestari aut ipsis gravamina, damna vel iniurias irrogari, facturi ministro et fratribus ac ministrae et sororibus domorum tertii ordinis huiusmodi super praemissis omnibus, in illis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout eorum qualitas exegerit, iustitiae complementum. Contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.* Volumus insuper et eadem auctoritate decernimus, quod quibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico praepeditus, quodque a data [praesentium] sit vobis et cuilibet vestrum in praemissis omnibus et eorum singulis coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, perpetua potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in praemissis omnibus coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris et pro praedictis procedere, ac si praemissa omnia coram vobis coepta fuissent, ac iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in praemissis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum exstitisset, constitutione praedicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstantibus; praesentibus perpetuo valituris.

Datum Bononiae, anno ... 1437, VI idus octobris, ... anno VII.

328. Mandat, ut Ritam monialem O. S. Cl. instituat abbatissam monasterii O. S. Cl. Cusentin. (Cosenza) (2).

1437, octobris 26, Bononiae.

Venerabili fratri episcopo Marturanen.

Sollicitae considerationis indagine *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Ritae de Cusentio, monialis monasterii S. Clarae, ordinis eiusdem sanctae, petitio continebat, quod olim dicto monasterio, cui quondam Eustochia illius abbatissa, dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Eustochiae (3), quae extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, dilectae in Christo filiae conventus dicti monasterii pro celebranda electione futurae inibi abbatissae vocatis omnibus, quae electioni huiusmodi voluerunt, potuerunt et debuerunt commode interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris est, convenientes in unum, praefatam Ritam, ordinem ipsum expresse professam ac in aetate legitima constitutam in earum et dicti monasterii abbatissam concorditer elegerunt, ipsaque Rita, electioni huiusmodi illius sibi praesentato decreto consentiens, se a dilecto filio Guillelmo, ordinis fratrum Minorum generali ministro, sub quorum cura moniales dicti monasterii degunt, obtinuit auctoritate ordinaria confirmari, in his omnibus statutis a iure temporibus observatis. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ab ali-

(1) Litteras Nic. IV *Supra montem catholicae fidei* d. 18 aug. 1289 vide ap. *Bull. Franc.* t. IV, n. 150; Eubel, *Suppl.* p. 302, n. 51; *Seraph. legisl. text. orig.* p. 77-94. Locus citatus ib. c. 16, p. 91.

(2) Reg. Lat. t. 349, f. 295.

(3) De Eustochia abbatissa et monasterio O. S. Cl. Cusentin. cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1648, p. 626; n. 1842, p. 713.

quibus de electionis et confirmationis huiusmodi viribus haesitetur, ac, sicut accepimus, praedictum monasterium adhuc vacare noscatur, Nos, cupientes praefato monasterio ... de persona utili et idonea ... providere ac de meritis et idoneitate ipsius Ritae, apud Nos de religionis zelo, vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque virtutum donis multipliciter commendatae, certam notitiam non habentes, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de huiusmodi meritis et idoneitate auctoritate Nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi praefatam Ritam ad regimen et gubernationem dicti monasterii utilem et idoneam esse reppereris et aliud canonicum non obsistat, ... de persona praedictae Ritae praefato monasterio, cuius fructus, redditus et proventus octuaginta florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipsa Rita asserit, non excedunt, ... eadem auctoritate Nostra provideas ipsamque illi praeficias in abbatissam, curam, regimen et administrationem *etc.* ac faciendo sibi ab eisdem conventu obedientiam et reverentiam debitas ac a dilectis filiis vasallis et subditis aliis eiusdem monasterii consueta servitia exhiberi. Contradictores *etc.* Non obstante *etc.* Et nihilominus praefatae Ritae, ... ut a quocumque maluerit catholico antistite ... munus benedictionis recipere valeat *etc.* Volumus autem, quod praefatus antistes, qui praefatae Ritae huiusmodi munus impendet, postquam sibi illud impenderit, ab ipsa Nostro et Romanae ecclesiae nomine iuxta formam, quam sub bulla Nostra mittimus interclusam, fidelitatis debitae solitum recipiat iuramentum ac formam iuramenti quod ipsa Rita abbatissa praestabit, Nobis de verbo ad verbum per suas patentes litteras suo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procuret.

Datum Bononiae, anno ... 1437, VII kal. novembris, ... anno VII.

329. Committit cognitionem et decisionem causae fratrum domus Castri Novi, (Castelnuovo Scrivia), O. F. M. dioec. Terdonen. (Tortona in Italia superiore) contra Iohannem, Petrum et Stephanum, nepotes Bartholomaei episcopi Arien. O. F. M., qui eis bona quaedam conventus testamento reliquerat (1).

1437, novembris 2, Bononiae.

Venerabili fratri episcopo Terdonen.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum ordinis Minorum domus Castri-Novi, Terdon. dioec., petitio continebat, quod olim bon. mem. Bartholomaeus (2) episcopus Arien., qui dicti ordinis professor et de nobili genere procreatus exsistens, a guardiano et fratribus domus et aliis superioribus ordinis praedictorum, ipsum tam ratione dignitatis quam nobilitatis personae suae honorare volentibus, gubernationis dictae domus obtinuit potestatem et illius vigore legata, eleemosynas aliaque charitatis subsidia eidem domui obvenientia recipiens, illa dispensavit et pro libito disposuit de eisdem necnon quasdam domos infra ambitum loci huiusmodi consistentes et ad illum legitime pertinentes reparavit et pro usu suo retinuit, quoad vixerit, et demum infirmitate, qua mortuus exspiravit, infirmus exsistens, nulla, ut creditur, saltem idonea potestate suffultus, condidit testamentum et nonnullis per eum legatis tam ad pias quam alias causas factis in certis suis bonis Iohannem, Petrum et Stephanum nepotes suos universales sibi haeredes instituit, qui ex domibus reparatis huiusmodi nonnulla bona mobilia, pecunias et res alias receperunt et contra voluntatem dictorum fratrum exportarunt, eos illis indebite spoliando. Cum igitur spoliatis iniuste sit restitutionis beneficio succurrendum, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si per diligentem informationem per te super iis auctoritate Nostra habendam inveneris ita esse, vocatis dictis nepotibus et aliis, qui fuerint evocandi, ipsisque guardiano et fratribus, prout iustum fuerit, [in integrum] restitutis omnes et singulas causam et causas, quam et quas fratres contra nepotes, et nepotes huiusmodi contra fratres eosdem hic inde movent seu movere intendunt, summarie, simpliciter et de plano audias et fine debito decidas, faciens *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, IV nonas novembris, ... anno VII.

330. Concedit indulgentias pro perfectione ecclesiae S. Iohannis domus O. F. M. Campi S. Petri (Camposampiero), Tervisin. dioec. (3).

1437, novembris 5, Bononiae.

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cum itaque ... in domo oppidi Campi S. Petri, ordinis fratrum Minorum, Tarvisin. dioec., quaedam in honore et sub vocabulo S. Iohannis ecclesia de novo erecta, sed

(1) Reg. Lat. t. 352, f. 124; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 14.

(2) In *Bull. Franc.* t. VII, n. 1340, p. 484; n. 1390, p. 509 et n. 1391, p. 510 idem episcopus vocatur *Bertraminus.*

(3) Reg. Lat. t. 357, f. 295; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 13. Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1671, p. 637.

nondum perfecta exsistat, ipsaque domus claustro, dormitorio et aliis, quae fratribus ibidem necessaria forent, careat locis, pro quibus perficiendis christifidelium suffragia fore noscuntur plurimum opportuna, Nos cupientes *etc.* [*concedit indulgentias 3 ann. et 3 quadrag. iisdem diebus, quibus in alia supra n. 11, p. 15* et 100 dierum infra octavas]. Praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, nonis novembris, ... anno VII.

331. Constituit iudices in partibus in causa appellationis Mariae Pereira, electae abbatissae monasterii O. S. Cl. in Villa de Conde, (Villa do Conde) Bracharen. dioec., contra Alfonsum ministrum provincialem, qui electionem dictae Mariae confirmare nolens eam excommunicaverat (1).

1437, novembris 13, Bononiae.

Venerabili fratri episcopo Lamacen. et dilectis filiis abbati B. Mariae de Boyro ac priori B. Marinae de Costa per priorem soliti gubernari, Bracharen. dioec., monasteriorum.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Mariae Pereira, monialis monasterii S. Clarae de Villa de Conde, ordinis eiusdem sanctae, Bracharen. dioec., petitio continebat, quod, licet olim ipsa in abbatissam dicti monasterii, tunc per obitum quondam Leonoris Pereira, illius abbatissae, quae extra Romanam curiam decessit, abbatissae regimine destituti, per dilectas in Christo filias conventum dicti monasterii electa fuisset canonice, quia tamen dilectus filius Alfonsus, minister provincialis ordinis fratrum Minorum, cum ad ministrum provincialem dicti ordinis fratrum Minorum pro tempore exsistentem confirmatio electionum personarum idonearum in abbatissam dicti monasterii, dum vacat, hactenusque pacifice observata consuetudine pertineat, electionem huiusmodi confirmare nulla subsistente causa rationabili de facto recusavit, super hoc pro parte dictae Mariae loco et tempore congruis requisitus, praefata Maria sentiens exinde indebite se gravari, ad Sedem Apostolicam appellavit, sed praefatus minister appellatione huiusmodi, cuius non erat ignarus, et infra cuius prosecutionis tempus, de quo non modicum supererat, dicta Maria exsistebat contempta, praefatam Mariam nulla subsistente causa rationabili, sed ex abrupto et de facto excommunicationis sententia innodavit ac mandavit et fecit excommunicatam publice nuntiari, propter quae dicta Maria, sentiens exinde indebite se gravari, denuo ad Sedem appellavit eamdem Nobisque humiliter supplicavit, ut causas appellationum huiusmodi aliquibus in partibus illis committere ipsamque Mariam ab eadem excommunicationis sententia ad cautelam absolvi mandare et alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum vocatis dicto ministro necnon aliis, qui fuerint evocandi, dictae Mariae, si hoc humiliter petierit, recepta ab ipsa prius cautione idonea super eo, quod excommunicata habetur, quod si praefatam excommunicationis sententiam in ea latam vobis constiterit fore iustam, vestris et ecclesiae mandatis parebit, absolutionis ad cautelam ab excommunicationis sententia huiusmodi, si et prout iustum exstiterit, auctoritate Nostra hac vice dumtaxat impendatis, super aliis vero auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota decernatis, facientes *etc.* Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.* Seu ne iudices *etc.* Aut si Alfonso praedicto *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, idibus novembris, ... anno VII.

332. Confirmat exemptionem a solutionibus concessam a Iohanne XXII pro monialibus monasterii S. Clarae de Medina de Pumar (Medina del Pomar), O. S. Cl. Burgen. dioec. (2).

1437, novembris 15, Bononiae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii S. Clarae de Medina de Pumar, ordinis eiusdem sanctae, Burgen. dioec.

Digna reddimur attentione solliciti *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Iohannes papa XXII, praedecessor Noster, universis abbatissis et conventibus monialium inclusarum, sive ordinis S. Clarae sive S. Damiani sive Minorissae dicerentur, auctoritate litterarum suarum indulsit, ut ad praestationem decimarum de quibuscumque possessionibus et aliis bonis earum, quae tunc habebant et iustis modis acquirerent in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet ordinariorum aut etiam legatorum et nuntiorum Sedis Apostolicae et quibuslibet talliis ac collectis et ad exhibendum pedagia, telonia et alias exactiones quibusvis

(1) Reg. Lat. t. 352, f. 190 v. cf. *Bull. Franc.* t. VI n. 646, p. 276.

(2) Reg. Lat. t. 352, f. 189. De monasterio O. S. Cl. Medinae de Pomar

regibus, principibus vel aliis personis saecularibus minime tenerentur nec ad id compelli aliquatenus valerent, prout in ipsis litteris plenius continetur (1). Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos, quae sub clausura et in huiusmodi observantia vivitis, quod indulto necnon litteris praedictis derogatum fuerit, plurimum timeatis, Nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, quod, quamdiu in observantia praedicta fueritis, indultum et litterae huiusmodi quoad vos in omnibus et per omnia viribus subsistere vobisque suffragari debeant, auctoritate apostolica concedimus per praesentes. Non obstante derogatione huiusmodi, si qua sit *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, XVII kal. decembris, ... anno VII.

333. Iohanni de Paradinas III O. S. Fr. mandat conferri eremitorium B. Mariae de Sanzelles, Abulen. dioec., pro ipso et 2 vel 3 fratribus eiusdem ordinis (2).

1437, novembris 15, Bononiae.

Dilecto filio abbati collegiatae et saecularis ecclesiae B. Mariae Vallisoleti, Palentin. dioec.

Ad ea ex Apostolicae Sedis officio *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis de Paradinas, fratris tertii ordinis S. Francisci, petitio continebat, structurae et aedificia eremitorii B. Mariae de Sanzelles, Abulen. dioec., plurimum ruinosa exsistant, ipsumque eremitorium congruis ecclesiasticis careat ornamentis, ac praefatus Iohannes structuras et aedificia huiusmodi reparari facere et ornamenta congrua inibi procurare affectat, si dictum eremitorium sibi pro se ac duobus vel tribus aliis eiusdem ordinis fratribus pro ipsorum usu et habitatione perpetuo concedatur, Nos, eumdem Iohannem in suo proposito confovere cupientes, discretioni tuae ... mandamus, quatenus dictum eremitorium, cuius fructus, redditus et proventus septem librarum Turonen. parvorum secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipse Iohannes asserit, non excedunt, si et in quantum ad praesens illud habitatore carere inveneris, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dicto Iohanni pro suis ac duorum vel plurium eiusdem ordinis, quos ipse Iohannes ad hoc eligendos duxerit, fratribus inibi sub regularibus eiusdem ordinis habitu et observantia Altissimo perpetuo famulaturis pro eorum usu et habitatione perpetuis auctoritate Nostra concedas, faciens dicto Iohanni de ipsius eremitorii fructibus, redditibus, proventibus iuribus et obventibus universis integre responderi; contradictores *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, XVII kal. decembris, ... anno VII.

334. Nobili mulieri Elisabeth de Clivis, ducissae Bavariae, concedit facultatem cum quatuor honestis matronis sexies in anno ingrediendi in quaecumque monasteria religiosarum inclusarum S. Clarae et aliorum quorumcumque ordinum (3).

1437, novembris 15, Bononiae.

Devotionis tuae sinceritas *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, XVII kal. decembris, ... anno VII.

335. Mandat, ut adiuvent moniales monasterii S. Rosae Viterbien. O. S. Cl. in percipiendis fructibus beneficii S. Eugenii Viterbien., cuius possessiones sitae sunt in territorio Civitatis Vetulae (Civitavecchia) (4).

1437, novembris 18, Bononiae.

Universis et singulis provinciae Nostrae patrimonii gubernatoribus et rectoribus castellanis quoque et aliis officialibus arcis et terrae Nostrarum Civitatis Vetulae dioc. Viterbien. praesentibus et futuris.

Ad ea, quae felicem et prosperum statum *etc.* Sane cum monasterio monialium S. Rosae de Viterbio, ordinis S. Clarae, pridem unitum fuerit beneficium S. Eugenii Viterbien. dioec., cuius possessiones sunt in territorio terrae Nostrae Civitatis Vetulae, easque possessiones, quas certo tempore occupaverant olim praefectus de Vico primo et postmodum castellani in arce praedicta Civitatis Vetulae pro Nobis deputati, eidem monasterio fecerimus restitui et libere dimitti, idcirco cupientes, ne aliqui sint in posterum, qui talia attentare praesumant, vobis mandamus, quatenus praedictas beneficii S. Eugenii possessiones a nullo alio praeterquam a dilectis filiabus praedicti monasterii abbatissa, monialibus et conventu teneri et possideri aliqualiter permittatis, quin potius easdem abbatissam, moniales et conventum in conservanda possessione et illius fructibus percipiendis, quantum oporteat, censuris ecclesiasticis auctoritate Nostra effectualiter adiuvetis.

Datum Bononiae, anno ... 1437, XIV kal. decembris, ... anno VII.

---

(1) Litteras *Sacra vestra religio* d. 17. sept. 1317 v. ap. *Bull. Franc.* t. V, n. 283, p. 125.

(2) Reg. Lat. t. 352, f. 291v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 15.

(3) Reg. Lat. t. 359, f. 185.

(4) Reg. Lat. t. 355, f. 233, et t. 366, f. 259v. (sine loco, die et anno).

336. Mandat, ut pro necessitate mitiget rigorem vitae quoad abstinentiam a carnibus, calceamenta etc. monialibus monasterii S. Clarae de Medina de Pumar, O. S. Cl. (1).

1437, novembris 19, Bononiae.

Dilecto filio generali ministro ordinis Minorum.

Regulari castimoniae deditis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium S. Clarae monasterii de Medina de Pumar ordinis eiusdem sanctae, Burgen. dioec., petitio continebat, licet ipsae, quae sub clausura et observantia regulari vivunt, ab esu carnium abstinere necnon certis et determinatis vestimentis ac calceamentis et in lectulis earum raupis uti consueverant, tamen propter infirmitates, debilitates ac plures passiones, quibus illae frequenter affliguntur, ab esu carnium huiusmodi abstinere et ob frigiditates, quae in partibus illis plerumque vigent, absque vestibus, calceamentis et raupis (2), adversus frigiditates huiusmodi necessariis, in dicto monasterio sine gravi ipsarum periculo commorari non possunt, pro parte earum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et ... circa singula, quae abbatissae necnon monialibus praedictis de vestibus, calceamentis et in lectulis earum raupis, quodque diebus, in quibus alias esus carnium prohibitus non est ab ecclesia, ipsae dictis carnibus vescantur, necessaria fore prospexeris, auctoritate apostolica provideas, prout tibi melius videbitur expedire. Non obstantibus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, XIII kal. decembris, ... anno VII.

337. Concedit indulgentias pro capella eremitorii B. Mariae V. de Sangelles (?), Abulen. dioec., in quo nonnulli fratres III O. S. Fr. degunt (3).

1437, novembris 25, Bononiae.

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis.

Dum praecelsa *etc.* Cupientes igitur, ut capella eremitorii B. Mariae Virginis de Sangelles, Abulen. dioec., in quo nonnulli ex tertiae regulae ordinis S. Francisci professoribus sub habitu et observantia regularibus, sicut accepimus, degunt, in honorem dictae Virginis confecta, congruis honoribus frequentetur, ... omnibus vere poenitentibus *etc. (ut supra n. 11, p. 15).*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VII kal. decembris, ... anno VII.

338. Bernardum Faiardi O. F. M. instituit episcopum Caracen. (in Armenia) (4).

1437, novembris 27, Bononiae.

Dilecto filio Bernardo Faiardi, electo Caracen.

Suscepti cura regiminis *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Petro episcopo Caracen. regimini Caraten. ecclesiae praesidente *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum, litterarum scientia praeditum, *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Volumus autem, quod postquam *etc.* Quocirca *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, V kal. decembris, ... anno VII.

339. Heliae de Bordelia, electo Petragoricen., in vicesimo septimo vel circa aetatis anno constituto, concedit dispensationem a defectu aetatis (5).

1437, novembris 27, Bononiae.

Divina supereminens largitas *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, V kal. decembris, ... anno VII.

340. Heliam O. F. M. praeficit ecclesiae Petragoricen. (Perigueux) (6).

1437, novembris 27, Bononiae.

Dilecto filio Heliae, electo Petragoricen.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Berengario episcopo Petragoricen. regimini Petragoricen. ecclesiae praesidente *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius Berengarii episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.*, teque

(1) Reg. Lat. t. 352, f. 188 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 16. Cf. supra n. 332, p. 154.

(2) Raupa s. rauba (ital. roba), = supellex, instrumentum.

(3) Reg. Lat. t. 357, f. 292 v. Cf. supra n. 333, p. 155, ubi legitur Sanzelles.

(4) Reg. Lat. t. 349, f. 306 v.

(5) Reg. Lat. t. 357, f. 295. Cf. n. seq. et opus *Le saint cardinal Hélie de Bourdeille* par B. Th. Poüan, Neuville-sous-Montreuil, 1900, t. II, p. 156.

(6) Reg. Lat. t. 349, f. 298. Cf. n. praec.

illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, V kal. decembris, ... anno VII.

Eadem die simili modo scribit: *Capitulo ecclesiae Petragoricen.; Clero civitatis et dioec. Petragoricen.; Populo civitatis et dioec. Petragoricen.; Universis vasallis ecclesiae Petragoricen.;* praeterea *Archiepiscopo Burdegalen.* (Ad cumulum) et *Carolo regi Francorum* (Gratiae divinae).

341. Mandat reformationem monasteriorum O. S. Cl., S. Damiani et Minorissarum (1).

1437, decembris 1, Bononiae.

Dilecto filio generali ministro ordinis Minorum.

Ad statum singulorum fidelium *etc.* Sane, sicut ex fide dignorum relatione percepimus, nonnulla monasteria monialium ordinis S. Clarae, S. Damiani et Minorissarum in diversis locis consistentia propter nonnullarum abbatissarum ac in eis degentium culpam monialium, quae plerumque a iugo regularis observantiae deviantes laxiorem, quam deceat, vitam ducunt ac propter varia dissensiones et scandala, quae in eisdem monasteriis quotidie oriuntur, non modica reformatione indigere noscuntur. Nos igitur, in praemissis debite providere cupientes ac sperantes, quod tu propter impositum tibi dicti ordinis gubernandi et regendi opus ad eius et monasteriorum praedictorum reformationem et ad debitum statum reductionem eo diligentius incumbes, quo maiore fueris per Nos auctoritate munitus, tibi omnia et singula huiusmodi monasteria eorumque personas tam in capite quam in membris auctoritate Nostra visitandi ac ea, de quibus tibi videbitur, aperta monasteria sub debita clausura ponendi necnon ipsorum abbatissas secundum demerita earum de ponendi et alias de novo instituendi et destituendi, moniales quoque cum rebus et bonis suis de uno monasterio ad aliud transferendi, bona insuper unius monasterii ad aliud applicandi ac omnia alia et singula agendi, faciendi et statuendi, quae in ipsis monasteriis secundum Deum pro eorumdem et personarum huiusmodi statu utilitate, reformatione et quiete ac divini cultus observantia de consilio tamen et assensu discretorum correctionis et reformationis officio noveris indigere, contradictores etiam *etc.* invocato *etc.* facultatem concedimus et etiam potestatem, constitutionibus ... non obstantibus quibuscumque. Seu si eisdem abbatissis *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, kal. decembris, ... anno VII.

342. Confirmat reformationes monasteriorum O. S. Cl., S. Damiani et Minorissarum in provinciis Provinciae et Aquitaniae per Guillelmum ministrum generalem factas et varias dat ordinationes pro conservatione clausurae etc. (2).

1437, decembris 7, Bononiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad ea, quae felicem et prosperum statum *etc.* Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii fratris Guillelmi, sacrae paginae professoris, ordinis Minorum generalis ministri, petitio continebat, quod, cum ipse ad generale capitulum, Tolosae nuper celebratum, proficiscens tam ex incumbente sibi officio quam ex Nostro mandato deformationes et abusus monasteriorum ordinum S. Clarae, S. Damiani et Minorissarum, sibi et provincialibus ministris sui ordinis immediate auctoritate plenaria a Sede Apostolica commissorum, reformare tam in eundo quam redeundo temptaverit et quibusdam in locis provinciarum Provinciae et Aquitaniae secundum modum sui ordinis conatus fuerit ordinationibus et reformationibus et necessariis clausuris ipsa monasteria ad regularem observantiam revocare, vectes etiam in exterioribus portis ipsorum monasteriorum apponendo cum seris, ut clausura, quae in quibusdam male ordinata, in quibusdam nulla penitus erat, de cetero servaretur, sicque mandaverat a ministris postea in ceteris monasteriis fieri et servari, tamen ipsorum quamplurium monasteriorum sorores, praesertim Avenionis, Montispessulani et Marsiliae (3) et aliorum reformari nolentium, ab ipsis institutis et ordinationibus appellarunt, quibusdam ex ipsis amoventibus seras et vectes vel facientibus amoveri, aliis recusantibus ipsas apponi, aliis etiam clausurae, quae sub voto regulae praedictarum continetur, sub frivolis et repellendis omnino exceptionibus, quas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, contradicentibus (4), huiusmodi reformationes ab ipso factas confirmare et facultatem insuper rebelles quascumque puniendi et ad observantiam earumdem compellendi sibi dare et concedere

(1) Reg. Lat. t. 352, f. 283 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 17.

(2) Reg. Vat. 366, f. 300 (sine loco et data); Reg. Lat. t. 357, f. 26 v.; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 18.

(3) De monasterio Massilien. O. S. Cl. cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 650, p. 239; p. 293 nota 3; de mon. Avenionen. ib. n. 583, p. 216; n. 592, p. 220; n. 737, p. 260; n. 814, p. 282; n. 1457, p. 539; n. 1503, p. 564; de mon. Montispessulan. ib. n. 781, p. 274; n. 978, p. 332.

(4) Hoc loco quaedam interciderunt.

dignaremur. Nos autem, volentes ipsa monasteria et cetera dictorum ordinum ubicumque consistentia penitus reformari tam circa divinum cultum quam alias regulares observantias et praesertim circa clausuram, quae est clypeus honestatis, ad quam, ut praefertur, tam ex voto professionis quam ex provisionibus fel. rec. Benedicti XII, praedecessoris Nostri, tenentur, praedicti generalis supplicationibus inclinati, omnes et singulas reformationes monasteriorum supradictas per eum, ut praefertur, factas auctoritate apostolica approbantes ac inviolabiliter observari mandantes, sibi insuper ac praefatis ministris provincialibus rebelles et fautores quoscumque compescendi etiam per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia cum invocatione brachii saecularis et cum facultate etiam dictas moniales privandi, si rebelles fuerint, bonis temporalibus ad earum usum deputatis ac aliis monasteriis eorumdem ordinum observanter viventium vel ecclesiis cathedralibus aut hospitalibus applicandi licentiam auctoritate praedicta et plenariam concedimus tenore praesentium facultatem. Volumus autem, quod, sicut abbatissae et aliae sorores ex earum professionibus ad hoc deputatae tenent claves, quibus ad intra portae monasteriorum praefatorum clauduntur, sic per confessores aut alias honestas personas per ipsos generalem et ministros deputandas claves ex parte exteriori teneantur et conserventur. Et nihilominus praecipientes omnibus et singulis tam clericis quam religiosis et saecularibus personis, cuiuscumque conditionis, gradus, praeeminentiae vel dignitatis exsistant, sub poena excommunicationis, quam transgredientes ipso facto incurrant, et a qua nisi a Romano pontifice non possint absolvi, praeterquam in mortis articulo constituti, quatenus nec praefata monasteria nec aliquod ipsorum ingredi praesumant praeter formam regulae et provisionum apostolicarum super hoc specialiter editarum; unumquemque insuper ordinum praedictorum, qui ordines quandoque sub nomine Minorissarum, quandoque S. Damiani, quandoque S. Clarae nominantur, sub unico S. Clarae vocabulo iuxta veteres apostolicas sanctiones decernimus appellari et per vos, ut praefertur, in regulari observantia gubernari. Contradicentes autem moniales excommunicationis sententiam, et si fuerint abbatissae, praeter hoc privationem suorum officiorum ipso facto incurrere et ceteras ad electionem alterius secundum formam iuris procedendum teneri volumus, nisi essent omnes vel maior pars earum etiam excommunicationis vinculo innodatae, quo casu et in aliis, in quibus circa praedicta opportunum esse videbitur, praedictos generalem et ministros iuxta eorum conscientias etiam cum invocatione brachii saecularis, si opus esse videbitur, procedere etiam volumus et mandamus, praemissis appellationibus et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo etc.

Datum Bononiae, anno ... 1437, VII idus decembris, ... anno VII.

343. Fratribus vicariae Bosnae concedit facultates pro confessionibus audiendis infirmorum [1].

1437, decembris 7, Bononiae.

Dilectis filiis fratribus vicariae Bosnae ordinem Minorum profitentibus.

Piis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod fratres vicariae Bosnae dicti ordinis, dum pro eleemosynis ad sustentandam eorum vitam accedunt, aliquando personas utriusque sexus reperiunt senio aut aliis passionibus ita debiles et oppressas, ut pro commissis delictis ad ordinariorum suorum praesentiam pro obtinendo debitae absolutionis beneficio ire non possint nec a rectoribus parochialium ecclesiarum in certis criminibus et delictis per eas commissis debitam absolutionem assequi valeant; propterea, ne nonnullae personae illarum partium decedant debitae absolutionis beneficio minime obtento in animarum suarum periculum et gravamen, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, qui ex debito pastoralis officii Nobis iniuncti animarum saluti paterno studio consulere tenemur, huiusmodi supplicationibus inclinati, fratribus dictae vicariae in sacerdotio dumtaxat constitutis, qui ad hoc per vicarium fuerint pro tempore deputati, huiusmodi debilium personarum, ad praesentiam ordinariorum suorum accedere non valentium, in ecclesiis et sacris locis et, cum tempus requireret, et suadente gravi eorum infirmitate, etiam in huiusmodi personarum domibus confessiones audiendi et confessionibus ipsis auditis pro commissis debitam absolutionem, quotiens opportunum fuerit, impendendi iniunctis personis eisdem pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, plenam vobis auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem.

Datum Bononiae, anno ... 1437, VII idus decembris, ... anno VII.

---

[1] Reg. Vat. t. 366, f. 261 (sine loco et anno incarnationis); Reg. Lat. t. 352, f. 191 v.

344. Iacobo de Marchia O. F. M. concedit facultatem deputandi confessarios (1).

1437, decembris 7, Bononiae.

Dilecto filio Iacobo de Marchia.

Inter ceteras curas et cogitationes *etc.* Cum itaque vicariatus Bosnae, cuius cura tam a Sede Apostolica quam a dilecto filio generali ministro ordinis Minorum tibi commissa est, valde a curia Romana remôtus sit, et personae in partibus illis et aliis circumvicinis locis non sine magnis difficultatibus et periculis pro obtinendo debitae absolutionis beneficio pro delictis et criminibus commissis ad ordinarios accedere possint, Nos volentes devotioni tuae ea concedere, per quae animarum saluti providere valeas, tibi ac in vicariatu huiusmodi successoribus per vos, et cum necessitas postulaverit, per socium vestrum idoneum, quem ad id duxeritis tu et successores praedicti deputandum, confessiones personarum in partibus illis exsistentium audiendi et confessionibus ipsis auditis pro commissis debitam absolutionem toties, quoties opportunum fuerit, impendendi iniunctis personis iisdem pro modo culpae poenitentia salutari ac aliis, quae de iure fuerint iniungenda, plenam tenore praesentium concedimus facultatem. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VII idus decembris, ... anno VII.

345. Fratribus vicariae Bosnae concedit licentiam recipiendi 7 loca in regno Hungariae (2).

1437, decembris 7, Bononiae.

Dilectis filiis fratribus vicariae Bosnae, ordinis fratrum Minorum professoribus.

Sacrae religionis, sub qua mundanis *etc.* Hinc est, quod Nos, dilecti filii Iacobi, ordinis Minorum professoris, vicarii Bosnae, asserentis circa 16 ecclesias et domos fratrum dicti ordinis spatio duorum annorum ab immanissimis Turcis, Christi nominis inimicis, destructas et combustas fuisse, supplicationibus inclinati, vobis, ut in regno Hungariae septem loca, si vobis pia largitione fidelium concedantur, vel alias iustis modis illa poteritis adipisci, recipere et retinere in quolibet ipsorum locorum ecclesiam seu oratorium cum campanili ... et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione vestra et fratrum dicti ordinis servata debita distantia construere et aedificare necnon quoscumque fratres dicti ordinis, etiam [non] de vicaria Bosnae exsistentes, ad id voluntarios de superiorum suorum licentia transferre et recipere ac inibi una cum eisdem fratribus sub regularibus institutis dicti ordinis Altissimo famulari necnon missas et alia divina officia celebrare ac verbum Dei praedicare libere et licite valeatis, ordinarii loci super hoc consensu minime requisito, iuribus tamen parochialium ecclesiarum et quorumlibet aliorum in omnibus semper salvis, licentiam et plenariam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et nihilominus vobis et universis fratribus in eisdem domibus et locis pro tempore moraturis, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere valeatis et valeant, auctoritate praedicta harum serie indulgemus, fel. rec. Bonifatii papae VIII ... et aliis constitutionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus dicti ordinis ... non obstantibus quibuscumque.

Datum Bononiae, anno ... 1437, VII idus decembris, ... anno VII.

346. Concedit permutationem domus in civitate Senen. relictae Cartusianis de Maggiano per testamentum Agnetis Iacobi sub onere solvendi certam summam fratribus domus O. F. M. Senen., cum bonis quibusdam immobilibus monasterii monialium B. Mariae Angelorum O. S. Aug. eiusdem civitatis (3).

1437, decembris 10, Bononiae.

Venerabili fratri episcopo Senen.

Ad decorem sacrae religionis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum prioris et fratrum domus de Maggiano extra muros Senen., Cartusien. ordinis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim quondam Agnes Iacobi mulier, condens de bonis sibi a Deo collatis in eius voluntate ultima testamentum, in illo inter alia quamdam domum, tunc ad eam legitime pertinentem, in civitate Senen., in contrata S. Angeli Amontane, cum horto ei contiguo necnon omnibus iuribus et pertinentiis suis priori et fratribus praedictis reliquit et legavit sub ea tamen conditione, quod prior et fratres praefati domum cum horto huiusmodi nullatenus venderent aut alienarent, sed dicta domus cum horto priori et fratribus praedictis pro eorum usu perpetuo remaneret et, si prior et fratres praefati contrarium facerent, ex tunc omni iure ipsis in praefata domo cum horto competenti privati exsisterent ipso facto, et illud dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii S. Clarae extra dictos muros ordinis eiusdem sanctae acquireretur, et si abbatissa et conventus praefatae domum cum horto huius-

(1) Reg. Vat. t. 366, f. 261 v; Reg. Lat. t. 352, f. 191 v; Wadd. *Ann.* ad a. 1437. n. 14 «ex originali in patria B. Iacobi ad Minores asservato».

(2) Reg. Vat. t. 366, f. 260; t. 367, f. 62 v; t. 370, f. 253 v; Reg. Lat. t. 352, f. 24; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 19.

(3) Reg. Lat. t. 352, f. 287.

modi venderent vel alienarent, dicta domus cum horto ad dilectos filios guardianum et fratres domus Senen. ordinis fratrum Minorum pervenirent; et si dicta domus cum horto per priorem et fratres domus de Maggiano huiusmodi ac quosvis alios possideri contingeret, possessores ipsi usque ad nonaginta annorum ex tunc computandorum spatium annis singulis guardiano et fratribus ordinis Minorum huiusmodi de dicta legata domo trium ducatorum auri summam solvere tenerentur, prout in litteris antedictis desuper confectis dicitur latius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praedicta domus legata monasterio monialium B. Mariae angelorum Senen., ordinis S. Augustini, vicina sit et propterea plurimum congruat, quod dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus dicti monasterii B. Mariae angelorum ipsius legatae domus habeant proprietatem, et si prior et fratres domus de Maggiano huiusmodi praefatam domum cum horto cum eisdem abbatissa et monasterii B. Mariae angelorum conventu pro aliis bonis immobilibus permutare possent, exinde ipsorum domus de Maggiano et monasterii B. Mariae angelorum statui et indemnitatibus multipliciter consuleretur: pro parte prioris et domus de Maggiano fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... priori et domus de Maggiano fratribus praedictis legatam domum cum horto huiusmodi ac omnibus suis iuribus et pertinentiis cum abbatissa et B. Mariae angelorum conventu praedictis pro aliis designatis bonis praefatis, ita tamen quod illi, ad quos legata domus cum horto huiusmodi pervenerit, seu qui eam pro tempore possederint, durante nonaginta annorum spatio huiusmodi ad supportationem oneris solvendi praedictam summam adstricti censeantur, permutandi ... licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, IV idus decembris, ... anno VII.

347. Alanum de l'Espervier O. F. M. instituit episcopum Dolen. (Dol.) (1).

1437, decembris 11, Bononiae.

Dilecto filio Alano de l'Espervier, electo Dolen.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Iohanne episcopo Dolen. regimini Dolen. ecclesiae praesidente *etc.* Postmodum vero praedicta ecclesia per obitum ipsius Iohannis episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacra theologia baccalaurium formatum, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdotio constitutum, *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, III idus decembris, ... anno VII.

Simili modo eadem die scribit: *Capitulo Dolen.; Clero civitatis et dioec. Dolen.; Populo civitatis et dioec. Dolen.; Universis vasallis ecclesiae Dolen.;* praeterea *Archiepiscopo Turonen.* (Ad cumulum).

348. Solvit dubium circa facultatem deputandi confessarios Iacobo de Marchia O. F. M. concessam (2).

1437, decembris 28, Bononiae.

Dilecto filio Iacobo de Marchia.

Romani pontificis providentia circumspecta *etc.* Dudum siquidem tibi, ad partem regni et provinciarum praedictarum (3) pro exstirpatione haeresum ac fundatione fidei orthodoxae ob bonorum plantationem morum ituro, inter cetera pro tui officii commodiori expeditione, ut quorumcumque peccata sua confiteri volentium per te seu per sacerdotes fratres tui ordinis ad id idoneos audire posses atque absolutionis beneficium impendere, dummodo non talia forent, de quibus Sedes Apostolica esset merito consulenda, plenam concessimus facultatem, prout in litteris superinde confectis plenius continetur (4). Ceterum, cum, prout fide digna relatione percepimus, messis plurima ibidem esset, de ordine vero tuo operarii admodum pauci invenirentur, tu, saluti animarum personarum illarum partium consulere intendens, tam sacerdotibus aliis quam de ordine tuo huiusmodi confessionis officium commisisti, quod utrum recte et rationabiliter factum fuerit, cum a nonnullis in dubium revocetur, postulasti a Nobis, ut super his, quid mentis et intentionis Nostrae exstiterit, declarare vellemus. Ad quod tibi breviter respondemus, quod fuit intentionis Nostrae, ut, si tibi ad tam salutare opus fratres tui ordinis sufficere non valerent, posses per quoscumque alios sacerdotes idoneos religiosos aut saeculares huiusmodi officium adimplere, volentes ac tenore

(1) Reg. Lat. t. 349, f. 296v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 20. (2) Wadd. *Ann.* ad a. 1437, n. 16 « ex originali in patria B. Iacobi ad Minores asservato ».

(3) Scil. in inscriptione a Waddingo abbreviata.

(4) Cf. supra n. 344, p. 159.

praesentium auctoritate apostolica decernentes huiusmodi per te commissiones factas de audiendis confessionibus per alios, quam per tui ordinis fratres, perinde valere ac robur obtinere firmitatis, ac si plene et specifice illud in tuis litteris fuisset expressum, constitutionibus apostolicis ac aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, V kal. ianuarii, ... anno VII.

349. Commendat Iacobum de Marchia O. F. M. (1).

1437, decembris 28, Bononiae.

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis.

Ad regimen universalis ecclesiae, licet insufficientibus meritis, suprema dispositione vocati, cum non valeamus singula incumbentia Nobis onera per Nos ipsos rerum repugnante natura particulariter expedire, viros nonnumquam scientia claros, vita et morum probitate insignes, zelo fidei orthodoxae fervidos, et in quibus timor Dei sanctus permanet, in partem oneris dominici gregis assumimus, ut ipsorum cooperatione salutis ministerium Nobis iniunctum facilius et efficacius exsequi valeamus. Dudum siquidem, cum ad notitiam Nostram non sine gravi cordis amaritudine pervenisset, quod in partibus regnorum Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Siriniae aliisque nonnullis provinciis, terris et locis dictis regnis adiacentibus aliqua pestifera haeresum et gravium in fide catholica errorum germina pullularent, Nos, cupientes tantis personarum animarum illarum partium periculis, quantum cum Deo possumus, salubrem medelam afferre, dilectum filium Iacobum de Marchia, fratrem ordinis Minorum, exhibitorem praesentium, cum plena facultate, potestate et mandato Nostris ad ipsam rem necessariis et opportunis ad illas partes transmisimus, eidem iniungentes, ut ipsa nefanda germina haeresum exstirparet ac bonorum fructuum semina plantare curaret, per omnia ad normam orthodoxae fidei christianae personas ipsas reducendo, prout in litteris Nostris superinde confectis plenius continetur. Sed dum memoratus frater Iacobus ministerium sibi a Nobis iniunctum fideliter, devote et efficaciter exsequitur, nonnulli veritatis aemuli et tam piis operibus adversantes in ipsum insurrexerunt, diversis illum conviciis, iurgiis, opprobriis et infamatoriis sermonibus afficientes, in grave scandalum personae ipsius ac perturbationem sancti operis et iniuncti eidem ministerii ac periculum illarum partium animarum. Cum autem, prout familiari de eodem fratre Iacobo notitia, etiam dum essemus in minoribus constituti, necnon aliorum fide dignorum et praesertim charissimi in Christo filii Nostri Sigismundi, Romanorum imperatoris semper augusti, ac nonnullorum praefatorum ex maioribus regni Hungariae relatione percepimus, dictus frater Iacobus habeatur, reputetur et sit homo honestae conversationis, vitae laudabilis et religiosae ac optimae famae, nedum catholicus et christianus fidelissimus, sed etiam acerrimus et vigorosus haeresum exstirpator et ob eius integritatem vitae, laudabiles verbi Dei praedicationes et salutares bonorum operum fructus praeclarissimus fidei catholicae praedicator et instructor rectissimus, in omni fere Italia et extra inter ceteros famosos evangelizatores verbi Dei praesentis aetatis probatus et notus communiter referatur, nec umquam fuerit de haeresis crimine apud bonos et graves, ut praeponitur, diffamatus, quinimo repertus traditionibus et mandatis sacrosanctae Romanae ecclesiae eiusque summorum pontificum, doctorum et SS. Patrum totis viribus inhaerere ac profiteri et praedicare, quidquid eadem sancta mater ecclesia iubet et docet, nec ab eis in aliquo deviare, proponatque Nostris et dictae ecclesiae, sicut semper assolet, humiliter et devote praeceptis et iussionibus protinus obedire, Nos igitur, cupientes eumdem Iacobum salutiferis praedicationibus et aliis divinis obsequiis eo liberius intendere, quo fuerit ab antedictis odiosis impugnationibus absolutus, ut ex eius virtuosis operibus incrementa fidei christianae et salutaria proveniant documenta, ipsum fratrem Iacobum, quem pro sancto et necessario proposito aliisque nonnullis piis operibus adimplendis iterum ad partes regnorum et provinciarum praedictorum duximus destinandum, ut commodius et perfectius tam salutare opus valeat adimplere, pro Nostra et Apostolicae Sedis reverentia, universitati vestrae et vestrum singulis per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi specialiter facimus recommendatum, ut recipientes eumdem in visceribus charitatis eidem impendatis auxilium, consilium et favorem, ut post aeterna praemia coram Nobis et dicta Sede dignis laudibus merito commendari possitis.

Datum Bononiae, anno ... 1437, V kal. ianuarii, ... anno VII.

(1) Wadd. *Ann.* ad a. 1437, n. 17 « ex originali in patria B. Iacobi ad Minores asservato ».

350. Gregorio de Hungaria O. F. M. concedit facultates pro liberatione Iohannis archiepiscopi Colocen. in captivitate detenti (1).

Bononiae.

Dilecto filio Gregorio de Hungaria, ordinis Minorum professori.

Cum tu dudum, ut asseritur, multiplices labores sponte subieris pro liberatione venerabilis fratris Nostri Iohannis archiepiscopi Colocen., et adhuc pro ipsius liberatione obtinenda diligenter insistere intendas et proponas, si tibi super hoc debita licentia concedatur, Nos, tuam voluntatem in Domino commendantes ac volentes, ut liberationem huiusmodi iuxta datam a Deo tibi prudentiam facilius prosequi valeas, tibi usque ad decem menses a data praesentium computandos cum uno socio ordinis Minorum, quem elegeris, ad quaecumque provincias, civitates, terras et loca et quascumque curias tam spirituales quam temporales pro prosequenda liberatione dicti archiepiscopi accedere et in eis, prout opus fuerit, commorandi, alicuius alterius super hoc licentia minime requisita, in contrarium editis non obstantibus quibuscumque, auctoritate apostolica facultatem plenariam elargimur, mandantes quibuscumque personis ecclesiasticis et saecularibus, ne [te] contra huiusmodi Nostrae concessionis tenorem aliquo modo molestare vel inquietare quovis quaesito colore audeant vel praesumant. Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae.

351. Michaelem Angeli, O. F. M. instituit episcopum Lavellen. (Lavello in Italia inferiore) (2).

1438, ianuarii 8, Bononiae.

Dilecto filio Michaeli Angeli, electo Lavellen.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Francisco episcopo Lavellen. regimini praesidente *etc.* Postmodum vero praedicta ecclesia per obitum dicti Francisci episcopi, qui extra Romanam curiam *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VI idus ianuarii, ... anno VII.

352. Confirmat conventionem circa testamentum Christophori de Valeriis factam inter Andream de Valeriis, comitem Baghanzolae, eiusdem Christophori filium haeredemque universalem, et Ludovicum de Bononia, guardianum O. F. M., Baldasarem de Parma, eremitarum S. Augustini, Marcum de Ferraria, servorum B. Mariae, Nicolaum Opizo de Regio Praedicatorum et Blanco etiam de Parma, B. Mariae de Monte Carmelo ordinum fratrum professores necnon Rolandinum Cassaila et Zanottum Ferrerii, laicos Parmen. praefati testamenti exsecutores (3).

1438, ianuarii 8, Bononiae.

Ad futuram rei memoriam.

Illius, qui rex est pacificus *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, VI idus ianuarii, ... anno VII.

353. Declarat conventum S. Spiritus in termino Muri veteris (Murviedro=Sagunto), in valle de Trillo, dioec. Valentin., provinciae Aragonen. et conventum Parisien. ministro generali esse subiectos (4).

1438, ianuarii 9, Bononiae.

Dilecto filio fratri Guillelmo de Casali, sacrae paginae professori, ordinis Minorum generali ministro.

Ad ea, quae religionis augmentum *etc.* Sane, cum ex institutione regulae B. Francisci uni-

(1) Reg. Vat. t. 359, f. 152v. Has litteras, quibus in codice deest data, in fine huius anni collocavimus, cum ad illum pertinere videatur. De eadem re agunt litterae sequentes: « *Dilecto filio nobili viro Friderico comiti Ciliae.* Intelleximus a dilecto filio Gregorio de Hungaria, ordinis Minorum professore, quod tua magnificentia libenter intendebat ad liberationem venerabilis fratris Nostri Iohannis archiepiscopi Colocen., de quo voluntatem tuam merito commendamus. Ceterum, cum ad liberationem suam cupiamus ab intimis, — nimis enim diu contra Deum et iustitiam detentus iam fuit, — devotionem tuam requirimus et in Domino exhortamur, ut velis liberare praefatum archiepiscopum et ipsum reponere in libertatem suam. Offenditur enim in sua detentione divina maiestas, quae praecipit: « Nolite tangere Christos meos »; animae vero detrimentum et perditionem incurrunt et apud homines summam infamiam acquirunt, qui talia operantur. Igitur pro honore tuo proque salute animae cum etiam ob Nostri contemplationem velis relaxare ipsum archiepiscopum et liberum dimittere, prout cupimus. In quo Nobis maxime complacebis. Datum Bononiae ». Reg. Vat. l. cit.; sine die et anno). — *Dilecto filio nobili viro Stephano de Arani sal. etc.* Cognovimus a dilecto filio Gregorio de Hungaria, ordinis Minorum professore, quod tua nobilitas multum operata est apud imperatoriam serenitatem pro liberatione venerabilis fratris Nostri Iohannis archiepiscopi Colocen., ex quo te merito in Domino commendamus. Verum, cum ipse adhuc captus detineatur contra iustitiam et aequitatem, Nos cupientes ab intimis, ut ipse a diuturna captivitate liberetur, devotionem tuam exhortamur in Domino, ut ob Nostram et Sedis Apostolicae reverentiam velis ita operari cum imperatoria celsitudine et ubi opus fuerit, ut ipse archiepiscopus reddatur incolumis pristinae libertati tuo favore et intercessione mediante, quod reputabimus Nobis ad complacentiam singularem. Datum *etc.* Reg. Vat. t. 359, f. f. 152.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 21 « e libr. 1 de praebendis etc. a. VI, f. 259 ». Apud Eubel, *Hier. cath. med. aevi*, II², p. 174, appellatur Michael Angeli de Nerulis de Civitate Castelli. (3) Reg. Lat. t. 351, f. 193.

(4) Reg. Lat. t. 352, f. 162v; Wadd. *Ann.* ad a. 1437: Suppl. Melissani n. 1; *Reg. pont.* Eug. IV, n. 22. De conventu Muriveteris cfr. *Bull. Franc.* t. VII n. 947, p. 321; n. 1129, p. 390; n. 1432, p. 528; n. 1660, p. 632; de conventu Parisiensi ibid. n. 755, p. 265; n. 962, p. 327.

versi eiusdem ordinis fratres unum ex fratribus dictae religionis teneantur habere generalem ministrum et illi firmiter obedire, et fide digna relatione intellexerimus quosdam dicti ordinis conventus praetensis quibusdam privilegiis aliisque excusationibus, praesertim conventus S. Spiritus in termino Muri veteris, in valle, quae dicitur de Trillo, dioec. Valentin., et iuxta dicti ordinis morem provinciae Aragoniae, se a tua obedientia subtrahere, prout idem conventus certo tempore se subtraxit; atque de conventu Parisiensi intellexerimus, quod nonnulli in eo degentes praetextu privilegiorum apostolicorum universitati Parisiensi concessorum, se de corpore studii esse dicentes, ab ministrorum et aliorum officialium ipsius ordinis obedientia se retrahere conentur, decensque et rationabile existimemus, nullum fore, qui a regula tam salubriter instituta, et quam omnes tenentur observare, se subtrahat, idcirco omnes et singulos dicti ordinis fratres, cuiuscumque gradus et conditionis exsistant et quibuscumque nominibus censeantur, domus et loca, ubicumque instituta, necnon personas ipsorum, ubicumque reperiantur, vel in suis conventibus vel locis vel extra et praesertim conventus praedictos S. Spiritus in termino Muri veteris et Parisiensis, obedientiae, subiectioni et iurisdictioni tuae secundum formam regulae et professionis ipsorum statutorumque eiusdem ordinis, tam a pontificibus Romanis quam a generalibus emanatorum submittentes, plenariam tibi et per te deputandis obedientiam in cunctis iuxta praedictam regulae formam exhibere volumus et praesentium tenore mandamus, consuetudinibus quibuscumque et privilegiis apostolicis, cuicumque universitati, collegio vel personis particularibus, sub quacumque verborum forma concessis, ... indultis etiam, praesertim Benedicti XIII in sua obedientia nominati, quae quantum ad hoc tantum, ceteris immunitatibus praedicto conventui S. Spiritus reservatis, cassamus et revocamus ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, tibi nihilominus et per te deputandis omnes et singulos supradictos obedire recusantes et contradictores quoscumque per censuram ecclesiasticam *etc.* invocato *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, V idus ianuarii, ... anno VII.

354. Ianuccium Paschasii O. F. M. instituit episcopum Nuscan. (Nusco in Italia inferiore) (1).

1438, ianuarii 11, Bononiae.

Dilecto filio Ianuccio Paschasii, electo Nuscan.

Ecclesiarum utilitati tunc recte consulitur et indemnitati salubriter praecavetur, cum providis et discretis earum cura committitur et vacantium regimini pastores idonei praeponuntur. Hinc est, quod Romanus pontifex, cui ex apostolatus incumbit officio, de universis ecclesiis sollicite considerare, ad id propensius vigilat et intendit, ut ecclesiae ipsae pastoribus talibus committantur, per quorum industriam praeserventur a noxiis ac felicibus in spiritualibus et temporalibus proficiant incrementis. Dudum siquidem bon. mem. Carlutio episcopo Nuscan. regimini Nuscan. ecclesiae, eidem Romanae ecclesiae immediate subiectae, praesidente *etc.* Postmodum vero praefata Nuscan. ecclesia per obitum eiusdem Carlutii episcopi, qui extra Romanam curiam *etc.* demum ad te ordinis fratrum Minorum, ordinem ipsum expresse professum, *etc.*

Datum Bononiae, anno ... 1437, III idus ianuarii, ... anno VII.

355. Concedit indulgentias pro capitulo generali Tolosae celebrando (2).

1438, ianuarii 13, Bononiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, in civitate Tolosana, in domo seu ecclesia S. Francisci, ordinis fratrum Minorum, in festo pentecostes proxime futuro fratres dicti ordinis generale capitulum celebraturi sint, Nos ordinem praedictum, qui in Dei ecclesia fructus salutares continuo parit, paterna charitate complectentes ac volentes, ut eo devotius ad Dei laudem et religionis incrementum iuxta ipsius ordinis instituta capitulum huiusmodi celebretur et fidelium mentes tanto ferventius ad opem pietatis et devotionis incitentur et ad conservationem ecclesiae et domus praedictarum manus prompte porrigant adiutrices et charitatum subsidia fratribus in dicto capitulo moraturis erogare studeant, quo ex hoc dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui a primis vesperis in vigilia pentecostes proxime futura inchoandis usque ad alias vesperas immediate sequentes ecclesiam praefatam devote visitaverint et ad conservationem ecclesiae et domus praedictarum manus porrexerint adiutrices ac dictis fratribus

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 23 « e l. 1 de praebendis etc. a. VI f. 228 ». Apud Eubel, *Hier. cath. med. aevi*, II², p. 206, dicitur Ioannucius Pasquali. (2) Wadd. *Ann.* ad a. 1437, n. 33.

eleemosynas ac charitatum subsidia erogaverint, necnon fratribus in praefato capitulo moraturis, vere etiam poenitentibus et confessis, qui in dicto pentecostes festo ecclesiam praedictam devote visitaverint, illam indulgentiam et remissionem peccatorum hac vice dumtaxat concedimus, quam visitantes ecclesiam B. Mariae de Portiuncula, dictam de Angelis extra muros Assisien., primo et secundo die mensis augusti consequuntur.

Datum Bononiae, anno ... 1437, idibus ianuarii, ... anno VII.

356. Constituit iudicem in partibus in causa prioris domus Cortonen. O. Praed. contra fratres domus S. Margaretae O. F. M. et moniales monasterii de Targia O. S. Cl. Cortonen. ([1]).

1438, februarii 15, Ferrariae.

Dilecto filio Iohanni abbati monasterii S. Pauli extra muros Urbis in civitate Nostra Perusin. residenti.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum prioris et fratrum domus Cortonen. ordinis Praedicatorum petitio continebat, quod dilecti filii guardianus et fratres domus S. Margarethae necnon dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii de Targia etiam Cortonen, Minorum et S. Clarae ordinum, ac eorum procuratores sive syndici et quidam alii clerici et laici civitatis et dioec. Cortonen., super quibusdam pecuniarum summis et rebus aliis, quae dictis priori et ipsius domus ordinis Praedicatorum fratribus de haereditate quondam Iohannis Gori Fucci laici et alias in eleemosynam erogatae sunt, iniuriantur eisdem. Quare pro parte priorum et domus ordinis Praedicatorum fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut omnes et singulas causas, quas praemissorum occasione contra guardianum ac domus S. Margarethae fratres et abbatissam, conventum, clericos laicosque praedictos movere intendunt, alicui in partibus illis committere ... dignaremur. Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit appellatione remota decernas, faciens *etc.* Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.* Seu ne iudices *etc.* Aut si guardiano et ipsius domus S. Margarethae fratribus, necnon abbatissae, conventui, clericis et laicis praedictis *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1437, XV kal. martii, ... anno VII.

357. Concedit indulgentias pro reparatione domus B. Mariae de la Rabida, O. F. M. de observ., Hispalen. dioec. ([2]).

1438, februarii 17, Ferrariae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, plurimi christicolae pro tempore transfretantes, plerumque pelagi tempestates et navigantium infidelium Saracenorum hostiles incursus evadendo, ad domum B. Mariae de la Rabida, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupati, Hispalen. dioec. iuxta litus maris sitam, tamquam ad tutum refugium declinent ac ibidem charitativae refectionis commodis recreentur, aliique fideles ingenti devotione permoti ad ecclesiam dictae domus ex eo praesertim, quod pius et misericors Dominus sua ineffabili operante virtute fratres inibi sub observantia regulari degentes saepenumero a nefariis dictorum Saracenorum eos potenter invadentium ac capere satagentium ausibus mirabiliter praeservavit, confluant in multitudine copiosa, necnon domus et ecclesia praedictae in suis structuris et aedificiis reparatione non modicum sumptuosa indigeant nullasque ad illam faciendam, cum iidem fratres de eleemosynis dumtaxat vivere noscantur, habeant facultates, *etc.* Nos cupientes, ut ecclesia congruis honoribus frequentetur, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis *etc. (ut supra n. 11 p. 15)* eamdem ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad huiusmodi reparationem et conservationem manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis quatuor annos et totidem quadragenas; octavarum vero et sex dierum praedictorum diebus ... centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus: praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1437, XIII kal. martii, ... anno VII.

358. Iohanni Sulger O. F. M. concedit licentiam transeundi ad monasterium Augiae maioris (Reichenau), Constantien. dioec. ([3]).

1438, februarii 21, Ferrariae.

Dilecto filio Iohanni Sulger, fratri ordinis fratrum Minorum.

Humilibus supplicum votis *etc.* Cum itaque ... tu, qui in ordine fratrum Minorum per multos annos virtutum Domino famulando deguisti, pro

([1]) Reg. Lat. t. 357, f. 14v.

([2]) Reg. Lat. t. 351, f. 207v.; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 25. De domo O. F. M. de la Rabida cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1108, p. 378; n. 1163, p. 404; n. 1548, p. 582; n. 1836, p. 711.

([3]) Reg. Lat. t. 351, f. 10v.

eo quod debilis complexionis sis et de plerumque ad diversa dicti ordinis loca, etiam huiusmodi tuae complexioni ut plurimum inconvenientia, transferri ac mitti contigit, necnon propter diversas alias causas in ipso ordine cum tui quiete animi nequeas remanere, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi de dicto ordine ad monasterium Augiae maioris, ordinis S. Benedicti, Constantien. dioec., in quo regularis viget observantia, ... transeundi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... tibi de praefato ordine fratrum Minorum ad dictum monasterium Augiae maioris, si inibi voluntarios inveneris receptores, licentia tui superioris aut alterius cuiuscumque super hoc minime obtenta et in eo sub habitu conversorum illius perpetuo remanendi, fel. rec. Martini papae V *etc.* nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam impertimur. Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1437, IX kal. martii, ... anno VII.

359. Confirmat electionem Iohannis Vasci O. F. M. in guardianum domus B. Mariae de la Rabida O. F. M., Hispalen. dioec. (1).

1438, februarii 27, Ferrariae.

Dilecto filio thesaurario ecclesiae Hispalen.

Ea quae pro monasteriorum ac religiosorum locorum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Ioannis Vasci, ordinis fratrum Minorum professoris, petitio continebat, quod olim officio guardianatus domus B. Mariae de la Rabida dicti ordinis, Hispalen. dioec., per obitum quondam Iohannis Roderici, olim praefatae domus guardiani, extra Romanam curiam defuncti, vacante dilecti filii conventus praefatae domus, habentes ad id ex speciali Sedis Apostolicae privilegio, cui non est in aliquo derogatum, potestatem, praefatum Iohannem Vasci in eorum et dictae domus guardianum praefatae potestatis vigore concorditer elegerunt, ipseque Iohannes Vasci, electioni huiusmodi consentiens, eum a dilecto filio magistro Iohanne de S. Anna, tunc ministro provinciae regni Castellae iuxta morem dicti ordinis, auctoritate privilegii huiusmodi confirmari obtinuit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ab aliquibus de huiusmodi electionis et confirmationis viribus ex certis causis haesitetur, pro parte dictorum conventus et Iohannis Vasci Nobis fuit super hoc humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus electionem et confirmationem praedictas ac omnia inde secuta, prout rite facta sunt, auctoritate apostolica approbes et confirmes suppleasque omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Non obstantibus *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1437, III kal. martii, ... anno VII.

360. Concedit indulgentias pro reparatione et conservatione locorum sancti sepulchri dominici, B. Mariae de Bethlehem et Montis Sion (2).

1438, martii 2, Ferrariae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, ecclesiae, structurae et aedificia sacrorum locorum sancti sepulchri dominici Hierosolymitan., B. Mariae in Bethlehem et Montis Sion per nonnullos fratres ordinis S. Francisci custodiri solitorum, miserabili ruinae subiaceant, Nos ... omnibus vere poenitentibus et confessis ecclesias dictorum locorum devote visitantibus et ad illarum structurarum et aedificiorum huiusmodi reparationem et conservationem manus adiutrices porrigentibus septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Ferrariae, anno ... 1437, VI nonas martii, ... anno VII.

361. Praecipit, ne quis pecunias colligat sub praetextu et nomine conventus sancti sepulchri dominici Hierosolymit., nisi a fratribus ipsius conventus sit specialiter deputatus, et ut pecuniae sic collectae restituantur Antonio de Tervisio O. F. M. eiusdem conventus procuratori (3).

1438, martii 2, Ferrariae.

Universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, capitulis et tam collegiatarum quam aliarum ecclesiarum rectoribus ceterisque locorum ordinariis, ad quos praesentes litterae pervenerint.

Ad Nostram nuper non sine animi Nostri displicentia gravi exstitit audientiam deductum,

(1) Reg. Vat. t. 365, f. 289. Cf. supra n. 357, p. 164. De Iohanne Roderici O. F. M. cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 388, p. 134; n. 1108, p. 378; n. 1548, p. 582; n. 1836, p. 711; de Iohanne de S. Anna, ministro provinciae Castellae ibid. n. 1802, p. 692; n. 1858, p. 723 et supra n. 67, p. 41.

(2) Reg. Lat. t. 351, f. 159; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 26.

(3) Reg. Lat. t. 351, f. 27.

quod nonnulli iniquitatis filii suarum animarum salutis immemores, praetextu litterarum falsarum seu alias sub nomine fratrum et conventus loci sancti sepulchri dominici Hierosolymitani fraudulenter et dolose in diversis mundi partibus quaestas faciunt et maximas pecuniarum summas aliaque subsidia recipere et accumulare illaque sibi absque etiam scitu et consensu guardiani et conventus dicti loci appropriare praesumunt in animarum suarum periculum, dictorum fratrum et conventus praeiudicium non modicum et gravamen. Nos igitur, attendentes praemissa absque speciali Dei offensione ac dicti conventus iactura perpetrari non posse ac cupientes, prout ex iniuncto Nobis desuper officio pastorali incumbit, super hoc salubriter providere, vobis omnibus et singulis ac vestrum cuilibet auctoritate apostolica tenore praesentium stricte praecipiendo mandamus, quatenus de cetero nullum cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis exsistat praetextu quarumcumque etiam litterarum apostolicarum nomine dicti conventus quaestas seu collectas facere aut aliquid exigere praesumentem in vestris dioecesibus, provinciis, terris, castris, civitatibus, villis et locis necnon ecclesiis recipiatis vel admittatis seu recipi vel admitti permittatis, nisi super hoc a dictis guardiano et conventu, ut huiusmodi facere possit, specialem licentiam et plenam habeat facultatem. Et nihilominus, cum, prout accepimus, sint etiam nonnulli quamplurima res et bona per christifideles fratribus conventus sancti sepulchri Terrae Sanctae in suis testamentis legata et relicta ac dimissa detinentes et occultantes, vobis simili auctoritate districte praecipimus et mandamus, quatenus publice omnes et singulos huiusmodi res, bona et legata detinentes et occupantes sub excommunicationis aliisque censuris et poenis, ut huiusmodi res, bona et legata infra certum terminum ad hoc per vos vel aliquem vestrum statuendum restituant, moneatis seu moneri faciatis ac eos, ut huiusmodi res, bona et legata dilecto filio Antonio de Tarvisio, procuratori unico dicti loci, seu alteri dicti ordinis fratri ad hoc a guardiano et conventu praedictis speciale mandatum habenti, restituat, sub dictis censuris et poenis effectualiter compellere curetis, non obstante, si alicui vel aliquibus ab Apostolica sit Sede indultum, quod ad restitutionem rerum et bonorum huiusmodi minime teneatur *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1437, VI nonas martii, ... anno VII.

362. Mandat, ut fructus monasterii monialium B. Mariae de Casarota extra muros Veronen., olim O. S. Ben., quod fratribus O. F. M. de observantia traditum erat, deputet monasterio S. Clarae Veronen., O. S. Cl., pro beneficio presbyteri saecularis ut capellano monialium (1).

1438, martii 3, Ferrariae.

Dilecto filio Donino de Burgo S. Donini, canonico Veronen.

Sacrae religionis, sub qua dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii S. Clarae Veronen., ordinis eiusdem sanctae *etc.* Sane pro parte abbatissae et conventus praedictarum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum ipsae, quae quadraginta numero exsistunt, sub regulari observantia in eodem monasterio degentes et nihil in bonis temporalibus possidentes, tantummodo ex eleemosynis ac labore manuum suarum inopem vitam ducunt, ita ut neque eis tantum supersit, quod capellano, qui presbyter saecularis est, pro tempore exsistenti, et qui in missis et aliis divinis officiis ecclesiae dicti monasterii deservire consuevit, pro vitae sustentatione et aliis sibi necessariis aliquid valeant ministrare, ac propterea dubitant in divinis servitiis pati posse defectum tempore procedente, quodque si certae possessiones et bona stabilita dudum ad olim monasterium monialium beatae Mariae de Casarota extra muros Veronen., ordinis S. Benedicti, quod tunc abbatissa et monialibus carens cum ecclesia, territorio, hortis et hortalitiis suis certis fratribus ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, ut ipsi inibi domum cum claustro, dormitorio, refectorio et aliis necessariis officinis ... pro habitatione fratrum huiusmodi erigerent et fundarent, ordinaria primo et deinde apostolica auctoritatibus concessum exstitit, pertinentia et spectantia, et quorum bonorum fructus, redditus et proventus, quousque domus huiusmodi fundaretur et construeretur, fratribus ipsis fuerant specialiter reservati, et quos fructus huiusmodi pro opere huiusmodi perficiendo, illis ulterius non egentes, libere dimiserunt et ulterius habere recusant, pro uno perpetuo capellano saeculari presbytero, qui apud ecclesiam ipsius monasterii S. Clarae missas et alia divina officia celebrare teneretur, in titulum perpetui beneficii ecclesiastici ac pro huiusmodi servitio et non alias assignanda ecclesiae dicti monasterii in perpetuum applicarentur et donarentur, capellanus pro tempore exsistens et in eadem ecclesia monasterii deserviens se posset commodius sustentare et ibi-

(1) Reg. Lat. t. 351, f. 57 v.

dem in divinis etiam deservire. Quare pro parte abbatissae *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae .. mandamus, quatenus de praemissis ... auctoritate Nostra te diligenter informes et ... possessiones et bona huiusmodi, quaecumque, qualiacumque et ubicumque fuerint, quorumque fructus, redditus et proventus septem ducatorum auri secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipsae abbatissa et conventus asserunt, non excedunt, ecclesiae monasterii S. Clarae praedictae presbytero saeculari per abbatissam et conventum praefatas inibi deputando, pro tempore in eadem ecclesia in divinis perpetuo servituro, et non alias in titulum perpetui beneficii ecclesiastici assignanda auctoritate Nostra praefata applices, constituas et assignes. Et nihilominus, postquam possessiones et bona huiusmodi eidem ecclesiae applicaveris ac fructus eorum pro capellano huiusmodi deputaveris, ut praefertur, si post diligentem examinationem dilectum filium Guillelmum Iohannis, presbyterum Cremonen., ... ad hoc idoneum fore reppereris, ... fructus, redditus et proventus possessionum ac bonorum huiusmodi in titulum beneficii huiusmodi assignandos eidem Guillelmo auctoritate Nostra conferre et assignare procures, inducens per te vel alium seu alios eumdem Guillelmum *etc.* Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Aut si *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1437, V nonas martii, ... anno VII.

363. Mandat, ut litem decidat inter priorem O. Praed., priorem O. Erem. S. Aug. et guardianum O. F. M. Reatin. ex una et rectores parochialium ecclesiarum ex altera parte circa donationes occasione sepulturarum acceptas (1).

1438, martii 3, Ferrariae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Angeli in Massa extra muros Narnien.

Ad ea, per quae monasteriorum *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum priorum S. Dominici et S. Augustini ac guardiani S. Francisci Reatin. domorum fratrum Praedicatorum ac Eremitarum ipsius S. Augustini et Minorum ordinum eorumque conventuum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet a tanto tempore citra, cuius initii seu contrarii memoria hominum non exsistit, pro singulis fidelium utriusque sexus decedentium corporibus in ecclesiis domorum huiusmodi aut earum coemeteriis pro tempore sepultis, ipsorum haeredes et consanguinei singulis conventibus domorum huiusmodi, in quibus corpora huiusmodi sepulta fuerint, unum castratum seu aliarum carnium aut, dum illarum esus ab ecclesia interdicitur, piscium necnon vini et panis certas quantitates pia largitione donare et concedere consueverint, tamen nonnulli rectores parochialium ecclesiarum, infra quarum parochiarum metas dictae domus consistunt, a duobus mensibus citra super quarta parte donatorum et concessorum huiusmodi, asserentes falso illa ad eos de iure pertinere, praedictos exponentes multipliciter molestarunt et molestant ac fecerunt et faciunt, quominus ipsi conventus donata et concessa eis huiusmodi integre percipere potuerint et possint. Quare ... Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae, cum ipsi exponentes, potentiam dictorum rectorum perhorrescentes, in civitate et dioecesi Reatin. non sperent consequi posse iustitiae complementum, per apostolica scripta mandamus, quatenus, si vocatis dictis rectoribus et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de consuetudine huiusmodi legitime constiterit, tu illam perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observandam fore, et quod iuxta eam ex nunc in antea dicti conventus et eorum singuli castratos ac carnium et piscium necnon panis et vini quantitates huiusmodi integre et cum effectu absque alicuius quartae partis de illis rectoribus ipsis et eorum successoribus praedictis assignatione perpetuo percipere possint et valeant, auctoritate apostolica statuas, ordines et declares necnon rectoribus et successoribus praedictis, ne de cetero praedictos conventus aut eorum aliquos contra consuetudinem praedictam super hoc impedire praesumant, eadem auctoritate inhibeas, ipsis etiam super molestiis et inquietationibus supradictis perpetuum silentium imponendo. Non obstantibus *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1437, V nonas martii, ... anno VII.

364. Concedit facultatem fundandi domum O. F. M. de observ. in burgo de Moilleron, dioec. Lucionen. (Luçon) (2).

1438, martii 3, Ferrariae.

Dilecto filio nobili viro Arthuro comiti Richemondiae.

Eximiae tuae devotionis sinceritas *etc.* Cum itaque ... in burgo de Moilleron, Lucionen. dioec., tuo temporali dominio subiecto, unam domum cum ecclesia, campanili, ... officinis pro usu ... quorumdam religiosorum praedicti ordinis, ...

(1) Reg. Lat. t. 351, f. 30v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 28.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 27 « e l. 1 de regular. a. VII, f. 158 ».

fundari ... concupiscas, Nos ... tibi, qui etiam comes stabularius Franciae exsistis, necnon, si forte te interim ab hac luce migrare contigerit, haeredibus et successoribus tuis domum praedictam cum ecclesia, campanili ... et aliis officinis in burgo praedicto pro usu et habitatione perpetuis quorumdam religiosorum de observantia ordinis huiusmodi fundandi ... necnon religiosis praedictis et eorum singulis domum praedictam recipiendi ... contrariis nequaquam obstantibus ... licentiam, iure *etc.*; necnon omnibus et singulis guardianis et fratribus in dicta domo sub huiusmodi observantia pro tempore degentibus, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant, ... indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1437, V nonas martii, ... anno VII.

365. Mandat, ut uniat monasterium monialium S. Apollinaris de Arcuto O. S. B. monasterio S. Apollinaris extra muros Mediolan. O. S. Cl. (1).

1438, martii 11, Ferrariae.

Dilecto filio archipresbytero ecclesiae S. Mariae de Monte, Mediolanen. dioec.

Sacrae religionis, sub qua dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii S. Apollinaris extra muros Mediolanen., ordinis S. Clarae, devotum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte abbatissae et conventus praedictarum petitio continebat, quod, licet monasterium S. Apollinaris de Arcuto, ordinis S. Benedicti, Mediolanen. dioec., fuisset dudum pro abbatissa et certo numero monialium constructum et sufficienter dotatum, nihilominus tamen temporum causante malitia et etiam ex mala gubernatione et incuria praesidentium in eodem adeo in suis structuris et aedificiis dirutum et quasi collapsum possessionesque eius et bona neglectui data et inculta exsistant, quod propter fructuum exilitatem, qui viginti florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, nedum abbatissa et monialibus a nonnullis citra temporibus caruerit, prout caret, quinimo divinus cultus in eo penitus cessaverit *etc.*, si monasterium novum de Arcuto cum omnibus iuribus et pertinentiis praefato monasterio S. Apollinaris extra muros huiusmodi, in quo abbatissa et moniales in notabili numero conventum inibi facientes sub perpetua clausura ibidem Altissimo famulantur, perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, abbatissa et conventus praefati monasterii S. Apollinaris devotius Deo servire et commodius se sustentare valerent, pro parte earumdem abbatissae et conventus monasterii extra muros huiusmodi Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... monasterium de Arcuto praefatum ... ordine S. Benedicti praedicto in eo penitus per te suppresso eidem monasterio S. Apollinaris, cuius ducentorum florenorum auri similium secundum eamdem aestimationem valorem annuum, ut eaedem abbatissa et conventus asserunt, non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate Nostra praefata in perpetuum unias, incorpores et annectas, ita quod liceat praefatae abbatissae et conventui per se vel alium vel alios corporalem dicti monasterii de Arcuto possessionem iuriumque et pertinentiarum praedictorum libere apprehendere et perpetuo retinere ac huiusmodi illius fructus, redditus et proventus in earum et monasteriorum praedictorum usus et utilitates convertere, disponere *etc.* dioecesani *etc.* minime requisita. Non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod propter annexionem, unionem et incorporationem praedictas praefatum monasterium de Arcuto debitis non fraudetur obsequiis, sed eius onera consueta debite supportentur *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1437 (2), V idus martii, ... anno VIII.

366. Confirmat ea, quae a Bonifatio IX circa unionem maioris monasterii, alias Montissancti, O. S. Dam. et S. Mariae de Paragnano O. S. Cl. et circa translationem monialium eorumdem monasteriorum ad monasterium S. Francisci Tudertin. et ab Antonio episcopo Tudertin. circa revocationem monialium evagantium gesta erant (3).

1438, martii 21, Ferrariae.

Dilecto filio priori prioratus S. Nicolai Tudertin. etc.

Iniunctum Nobis desuper apostolicae servitutis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium monasterii S. Francisci Tudertin., ordinis S. Clarae, petitio continebat, quod, licet olim abbatissa et moniales monasterii maioris, alias Montissancti, extra muros Tudertin., ordinis S. Damiani, propter guerras et alias calamitates, quibus partes illae diutius afflictae fuerant et tunc etiam affligebantur, dictum mona-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 30 « e l. 1 de regular. et div. form. a. VIII ». De monasterio S. Apollinaris cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 416, p. 145; n. 1639, p. 622.

(2) Wadd. l. cit. erronee habet 1438.

(3) Reg. Lat. t. 362, f. 163v.; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 31. De monasterio Montissancti cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1283, p. 461.

sterium reliquissent ac se infra civitatem Tudertin. in monasterio S. Mariae de Paragnano, ordinis S. Clarae, sito prope arcem dictae civitatis, una cum abbatissa et monialibus eiusdem monasterii S. Mariae transtulissent habitumque et religionem dictae S. Clarae recepissent ac morarentur inibi, in humilitatis spiritu Domino servientes, nihilominus tamen Bonifatius papa IX, sic in sua obedientia, de qua partes illae tunc erant, nominatus, accepto per eum, quod locus dicti monasterii S. Mariae pro defensione dictae civitatis ac munimine et succursu arcis eiusdem accomodus imo necessarius exsistebat, monasterium ipsum S. Mariae pro fortalitio ibidem erigendo communitati dictae civitatis dari, concedi et assignari statuit et mandavit, volens inter cetera, quod abbatissa et moniales tam maioris quam S. Mariae monasteriorum invicem unitorum et sub professione et ordine dictae S. Clarae viventes ad monasterium monialium, S. Francisci nuncupatum, ordinis S. Benedicti, episcopo Tudertin. ordinario iure subiectum, et in quo abbatissa et moniales maioris et S. Mariae monasteriorum una cum abbatissa et monialibus monasterii S. Francisci huiusmodi commode morari poterant et sub habitu et ordine dictae S. Clarae Altissimo famulari, praefato ordine S. Benedicti in praefato monasterio S. Francisci motu suo proprio penitus et omnino suppresso omnique iure patronatus ad quoscumque in dicto monasterio S. Francisci spectante et pertinente omnique perceptione, subiectione et iurisdictione episcopo praefato quomodolibet competentibus etiam omnino sublatis se transferrent, ipsumque monasterium S. Francisci ad ordinem dictae sanctae reducens, praefato monasterio maiori auctoritate apostolica in perpetuum cum omnibus membris, iuribus, pertinentiis et iurisdictionibus suis univit, annexuit et etiam incorporavit, decernens abbatissam et moniales dicti monasterii S. Francisci, postquam ordinem dictae S. Clarae professae fuissent et professionem per sorores dicti ordinis S. Clarae emitti solitam emisissent, omnibus privilegiis, immunitatibus et libertatibus uti posse ac gaudere, quibus cetera loca ordinis dictae sanctae gaudent et utuntur ac gaudere solitae sunt et debent, prout in litteris dicti Bonifatii exinde confectis, quarum tenores hic haberi volumus pro sufficienter expressis, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, licet postmodum unio, annexio et incorporatio ac translatio praedictae suum sortitae fuissent effectum et per nonnulla tempora abbatissa et moniales dictorum monasteriorum in charitate et quietudine in dicto monasterio S. Francisci insimul habitassent patronorum ipsius monasterii S. Francisci accedentibus consensu pariter et assensu, nihilominus tamen, cum inimici humani generis procurante nequitia moniales dicti monasterii maioris de dicto monasterio S. Francisci temeritate propria exivissent et se ad loca alia transtulissent alicuius super hoc licentia non obtenta, bonae mem. Antonius episcopus Tudertin., ad id more pii patris intendens, religiosas huiusmodi errabundas ad dictum monasterium S. Francisci reduxit et una cum aliis reintegravit ac in earum primo bono proposito confirmavit, prout in instrumentis super huiusmodi reductione et unione confectis, quorum etiam tenores haberi volumus praesentibus pro expressis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte abbatissae et sororum omnium dicti monasterii S. Francisci Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus unionem, annexionem et incorporationem per dictum Bonifatium factas necnon renovationem, reductionem et unitatem ipsarum religiosarum per dictum episcopum procuratas, factas et ordinatas necnon litteras et instrumenta huiusmodi cum omnibus in eis contentis clausulis pro earum subsistentia firmiori robur apostolicae firmitatis adiicere et alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis omnibus ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi praemissa reppereris veritate subniti, ... suppressionem, reductionem, incorporationem, unionem et annexionem necnon vocationem et reintegrationem per dictum episcopum, ut praemittitur, factas et procuratas auctoritate Nostra approbes pariter et confirmes, constitutionibus apostolicis *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1437, XII kal. aprilis, ... anno VIII.

367. Mandat, ut approbet transactiones inter fratres domus S. Francisci Caesaraugustan. O. F. M. et Iohannem Mur, dominum baroniae Alfagiarim [1].

1438, martii 24, Ferrariae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Fidei, Caesaraugustan. dioec.

Ea, quae pro monasteriorum *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et conventus domus S. Francisci Caesaraugustan., ordinis

[1] Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 32 « e l. 1 de regular. et div. form. a. VIII, f. 11 ».

fratrum Minorum, petitio continebat, quod olim ipsi provide considerantes, quod nonnulla ad summam mille quingentorum solidorum Iaccen. monetae illarum partium annis singulis ascendentia ratione certarum capellaniarum in ecclesia praedictae domus institutarum ac pro divinorum officiorum inibi propterea per eos celebratione facienda, super loco de Laetux, Caesaraugustan. dioec., necnon per quondam Eximium Cornelium et successive quemdam Ludovicum, eius filium, olim loci praedicti ac baroniae Alfagiarim dominos, super baroniae praedictae seu quorumdam illius locorum iuribus, redditibus et introitibus, quaedam iura et emolumenta ac redditus et proventus tunc expressa, etiam ex testamentis eis ac dictae domui dudum relicta et legata, pro eo, quod baronia et loca praedicta diversis sinistris causantibus in eorum fructibus et introitibus ad magnam declinationem ac diminutionem tunc devenerant, integre percipere et habere non poterant, ac volentes super eo conditionem ipsius domus efficere meliorem, ex praemissis et aliis tunc expressis rationabilibus causis omnia et singula iura, emolumenta ac fructus, introitus sive redditus ad eos in baroniis et locis praedictis tunc pertinentia, quae etiam ex tunc in antea ratione capellaniarum ac legatorum et relictorum praedictorum ac alias quomodolibet ipsis et dictae domui provenire poterant, ministri tunc existentis provinciae Aragoniae iuxta morem dicti ordinis ad id consensu et voluntate tunc specialiter accedentibus in dilectum filium Iohannem Mur, praedictorum baroniae et locorum temporalem dominum, et sibi necnon praedictus Iohannes pro illis tam super quatuor millibus et super regno Aragoniae quam super decem et septem millibus solidis similibus censualibus ipsius proprietatis sibi singulis annis debitis censuum annuum mille solidorum similium per ipsos guardianum et conventum annuatim integre percipiendorum in praedictos guardianum et conventum ac eis transtulerunt, donarunt et addiderunt, concesserunt et assignarunt ac desuper nonnulla pacta, concordiam, transactiones, promissiones, obligationes, cessiones ac remissiones et quaedam alia tunc expressa etiam sub certis modis, formis et conditionibus tunc expressis fecerunt et ordinarunt, prout in quodam instrumento desuper confecto plenius dicitur contineri. Quare pro parte conventus et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis omnibus ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ea fore vera ac in evidentem dictae domus utilitatem cessisse et cedere reppereris, ... translationes, donationes, assignationes, transactiones, pacta, concordiam, conditiones, ordinationes, obligationes, promissiones, cessiones et remissiones huiusmodi ac alia omnia et singula in dicto instrumento contenta et inde secuta auctoritate praedicta approbes et confirmes suppleasque omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, non obstantibus *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, IX kal. aprilis, ... anno VIII.

368. Instituit praesidentes in capitulo generali ordinis Humiliatorum Mediolani celebrando eisque concedit facultates (1).

1438, aprilis 5, Ferrariae.

Dilectis filiis Thaddaeo de Robiate, sacrae theologiae ac Coelestinorum, et Bernardino de Massa, fratrum Minorum ordinum professoribus.

Ad circumspectionis et probitatis aliarumque multiplicium virtutum dona, quibus illarum largitor dominus vos specialiter insignivit, Nostrae dirigentes considerationis intuitum, illa libenter vobis committimus *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, generale capitulum religiosorum ordinis Humiliatorum in civitate Mediolanen. vel alio quocumque loco ad id canonice deputato de proximo celebrari debeat, Nos ad religiosorum eorumdem ac ipsorum monasteriorum, domorum atque locorum directionem statumque prosperum et felicem paternis affectibus intendentes ac sperantes, quod ea, quae vobis committenda duxerimus, exacta diligentia ac moderatione provida persequemini, vos huiusmodi capituli quamdiu illud durabit, praesidentes et definitores auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus et etiam deputamus. Et nihilominus vobis statuta, ordinationes et decreta dicti ordinis per duo capitula praefati ordinis ultimo successive celebrata et auctoritate Nostra confirmata etiam denuo eadem auctoritate confirmandi, immutandi, addendi, minuendi, corrigendi, tollendi, irritandi et alia denuo condendi, faciendi et edendi necnon omnes et singulos dicti ordinis praelatos, praepositos, officiales et fratres, quos statutorum, ordinationum et decretorum praedictorum ac regulae et aliorum institutorum dicti ordinis aut alicuius eorum transgressores seu generali magistro prae-

(1) Reg. Vat. t. 365, f. 196 v. De S. Bernardino de Massa sive de Senis cf. sup. n. 40, p. 27.

fati ordinis vel aliis illius praelatis inobedientes aut etiam quibusvis criminibus, excessibus vel delictis irretitos aut alias quomodolibet culpabiles fuisse hactenus et tunc esse inveneritis, necnon quoscumque dicti ordinis statum ac huiusmodi capitulum, ne libere iuxta statuta et ordinationes praedicta fieri possit, seu alias quomodolibet per se vel alium perturbantes et impedientes puniendi, corrigendi, carcerandi ac excommunicationis sententia et aliis poenis, de quibus vobis videbitur, innodandi et innodatos declarandi ac quaecumque, quotcumque et qualiacumque ordinis, religiosorum, monasteriorum, domorum et locorum huiusmodi negotia, discussione et provisione indigentia, pertractandi, audiendi, definiendi et terminandi ac per vos tunc definita et terminata etiam cum adiectione poenarum, de quibus vobis videbitur, observari mandandi aliaque faciendi, gerendi, exercendi, statuendi, ordinandi, exsequendi, prout pro salubri statu, directione, conservatione praefatis vobis videbitur expedire, plenam et liberam auctoritate praedicta concedimus facultatem et etiam potestatem. Volumus autem, quod si tu, fili Bernardine, his peragendis interesse non potueris, tu, fili Thaddaee, alium cuiusvis ordinis professorem eius loco in praemissis exsequendis tibi socium eligere possis et debeas, cui ex nunc harum serie similem concedimus potestatem. Praeterea statuimus et decernimus, quod quibuscumque dicti ordinis statutis ... non obstantibus illi ex praepositis domorum praefati ordinis, qui huiusmodi capitulo commode per seipsos interesse non possent, procuratores suos praefati ordinis professores ad dictum capitulum transmittere possint et debeant, qui quidem procuratores in dicto capitulo admitti, voces et loca in eo habere et alia facere et exercere valeant, prout ipsi praepositi non interessentes, si personaliter inibi essent, facere et exsequi possent.

Datum Ferrariae, anno ... 1438, nonis aprilis, ... anno VIII.

369. Gratulatur Iacobo de Marchia de rebus in Hungaria bene gestis ([1]).

1438, aprilis 14, Ferrariae.

Dilecto filio fratri Iacobo de Marchia, ordinis Minorum, nuntio apostolico.

Dilecte fili etc. Laetanter audivimus, quod nuperrime Nobis fuit renuntiatum, tuam devotionem multa dirigente Domino Deo nostro laudabiliter pro Nostro et Romanae ecclesiae honore operatam fuisse, praesertim in praedicationibus apud nationes Hungariae et circumstantium partium habitis, in quibus concedente bonorum omnium datore et in os tuum verba ponente magnam diceris utilitatem fecisse. Benedicentes itaque Dominum tuam virtutem laudamus, eamdem hortantes, ut, quod tamen te libenter facere credimus, constanter perseveres et coeptum opus bonum indesinenter perficere coneris.

Datum Ferrariae, sub annulo Nostro secreto, die 14 aprilis 1438, ... anno VIII.

370. Concedit indulgentias pro capella S. Andreae in ecclesia S. Francisci Chien. (Chios, insula archipelagi) O. F. M. ([2]).

1438, aprilis 29, Ferrariae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Andraeolus Iustinianus, domicellus Ianuen., ex dominis Maonensibus insulae Chien., de bonis sibi a Deo collatis quamdam capellam sub vocabulo S. Andreae apostoli in ecclesia domus S. Francisci Chien., ordinis fratrum Minorum operoso opere construi et aedificari fecerit ac illi de libris, calicibus, paramentis et aliis ad divini cultus decorem necessariis ornamentis providerit, Nos ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo S. Andreae ecclesiam cum capella huiusmodi devote visitaverint annuatim et ad conservationem praedictam manus porrexerint adiutrices, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, III kal. maii, ... anno VIII.

371. Concedit facultatem habendi aliud coemeterium in civitate Polen. (Pola in Istria) praeter illud, quod erat apud ecclesiam O. F. M. ([3]).

1438, aprilis 30, Ferrariae.

Venerabili fratri Dominico episcopo et dilectis filiis capitulo Polen.

Iniunctum Nobis *etc.* Cum itaque in civitate Polen. unicum dumtaxat ecclesiae domus fra-

([1]) Wadd. *Ann.* ad a. 1438, n. 13 « ex autographo ».
([2]) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 33 « e l. 1 de regular. et div. form. a. VIII, f. 233 ».
([3]) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 34 e « l. 1 de regular. et div. form. a. VIII, f. 130 ».

trum Minorum coemeterium exsistat et in statutis dictae civitatis caveatur expresse, quod nullus ibi decedens sub poena confiscationis omnium bonorum suorum possit extra dictum coemeterium sepeliri, ac plurimum congrueret, quod ecclesia Polen. etiam coemeterium pro decedentium inibi ac sepulturam ibidem eligentium corporibus tumulandis habeat, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... vobis, ut coemeterium in aliquo congruo loco et honesto dictae ecclesiae Polen. propinquo et contiguo pro fidelium in eodem coemeterio sepulturas eligentium corporibus sepeliendis habere possitis ac illud ibidem sit, necnon tu, frater episcope, etiam illud dedicare sive consecrare possis aut illud per alium catholicum antistitem ... consecrari facere valeas absque hoc, quod confiscationi huiusmodi aut cuicumque alteri poenae locus sit, ... indulgemus, iure *etc.*, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, pridie kal. maii, ... anno VIII.

372. Iohanni de Bearnio, perpetuo capellano in ecclesia monasterii extra muros castri Montis Marsani (Mont-de-Marsan), O. S. Cl., concedit dispensationem a defectu natalium (1).

1438, maii 5, Ferrariae.

Vitae ac morum *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, III nonis maii, ... anno VIII.

373. Concedit licentiam recipiendi fratres et sorores III O. S. Fr. pro servitio pauperum et infirmorum in hospitali domus Dei nuncupato Forolivien. (2).

1438, maii 7, Ferrariae.

Dilectis filiis antianis et consilio civitatis Nostrae Forolivien.

Eximiae devotionis affectus *etc.* utilitatem hospitalis pauperum domus Dei nuncupati Forolivien., cuius protectionem ac ius patronatus habere videmini, respicientibus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod Nos ... rectori, qui erit pro tempore dicti hospitalis, ut ex nunc in antea quoscumque fratres et sorores seu mulieres tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in hospitalis praedicti ac pauperum etiam infirmorum et aliarum miserabilium personarum inibi pro tempore exsistentium servitiis insistere volentes in praedicto hospitali ad servitia huiusmodi recipere necnon ipsis fratribus et sororibus seu mulieribus et eorum cuilibet, ut sui superioris per eos petita et obtenta licentia in hospitali praedicto ad servitia praefata permanere libere et licite valeant, ... indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, nonis maii, anno VIII.

374. Concedit indulgentias pro ecclesia domus S. Francisci O. F. M. de Casali S. Evasii (Casale), Vercellen. dioec. (3).

1438, maii 15, Ferrariae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia et domus S. Francisci de Casali S. Evasii, ordinis fratrum Minorum, Vercellen. dioec., in suis structuris et aedificiis, ne in collapsum decidant, reparatione non modicum sumptuosa indigere noscantur, ad quam faciendam ipsius domus non suppetunt facultates, sintque propterea eis christifidelium suffragia plurimum opportuna, Nos ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festivitate assumptionis beatae Mariae Virginis praedictam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad reparationem ac conservationem ecclesiae et domus huiusmodi manus porrexerint adiutrices, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, XVIII kal. iunii, ... anno VIII.

375. Concedit Antonio de Montepolitiano III O. S. Fr., quod ipse et socii eius retinere valeant ecclesias S. Hieronymi intra, et S. Mariae Magdalenae extra dictam civitatem (4).

1438, iunii 2, Ferrariae.

Ad futuram rei memoriam.

Benignitas Sedis Apostolicae gratiosa *etc.* Sane pro parte dilecti filii Antonii de Montepolitiano tertii ordinis beati Francisci sub habitu pauperum eremitarum degentium nuper exhibita petitio continebat, quod dudum ipse Antonius, cupiens in coelestibus thesaurum colligere, unam sub S. Hieronymi intra erexit et aedificavit et

(1) Reg. Lat. t. 367, f. 242v. De monasterio Montis Marsani cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1346, p. 485.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 35 « e l. 1 de regular. et div. form. a. VIII, f. 273 ».

(3) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 36 « e l. 1 de regular. et div. form. a. VIII, f. 248 ». Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1750, p. 670.

(4) Reg. Lat. t. 359, f. 141v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 37.

aliam sub S. Mariae Magdalenae extra muros dicti Montispolitiani, Clusin. et Arretin. dioec. cum hortis et aliis pro usu et habitatione ipsius et sociorum eius ordinis huiusmodi necessariis ex pia fidelium largitione, prout melius potuit, instauravit ecclesias, in quibus ipse Antonius, ut asserit, cum iisdem sociis Altissimo famulatur, et, sicut eadem petitio subiungebat, Antonius et socii praedicti dubitant, praesertim si loca huiusmodi, quae nondum perfecta sunt, compleantur et plene aedificata fuerint, per apostolicas vel alias provisiones ab ipsis ecclesiis amoveri, ex quo ipsis per mundum vagandi praeberetur occasio divinique cultus diminutio sequeretur. Quare pro parte praefati Antonii Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, eiusdem Antonii in eisdem ecclesiis cum praedictis sociis religiosam vitam ducere cupientis et asserentis se velle virtutum Domino perpetuo famulari propositum in Domino plurimum commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Antonio et sociis huiusmodi et aliis praesentibus et futuris in ecclesiis et vita praedictis pro tempore degentibus, quod deinceps praefatae ecclesiae sub quibuscumque litteris apostolicis contrariis sive concessionibus, sub quacumque verborum forma conceptae reperiantur, nullatenus comprehendantur, sed Antonius, socii et successores, qui pro tempore erunt, illas retinere libere et licite valeant, auctoritate apostolica praesentium tenore concedimus et confirmamus, inhibentes nihilominus locorum ipsorum ordinariis et aliis quibuscumque, ne huiusmodi, quamdiu Antonius, socii et successores praefati in eisdem sub vita huiusmodi et humilitatis spiritu vixerint, conferre seu alias de illis quoquomodo in praeiudicium Antonii, sociorum et successorum praefatorum disponere quovismodo praesumant, decernentes ex nunc irritum *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, IV nonis iunii, ... anno VIII.

376. Mandat, ut fratribus III O. S. Franc. dioec. Pisan. confirmet gubernationem domus et oratorii B. Mariae gratia plenae in territorio Liburnii eiusdem dioec. ([1]).

1438, iunii 14, Ferrariae.

Dilecto filio .. priori S. Pauli ad hortum Pisan.

Sub experientia paupertatis extremae dilecti filii .. minister et fratres tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati ad hoc vigilant et intendunt, ut coelestis gratia ipsis et proximis ex divinae proveniat indulgentia pietatis. Hinc enim vitae sanctitas eos apud Sedem Apostolicam dignos facit, ut in omnibus, quae a Nobis digne postulant, prompti favoris gratia prosequantur (!). Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum ministri et fratrum domus oratorii « beatae Mariae plenae gratia » nuncupati petitio asserebat, ad locum ipsum, quod in territorio terrae Liburnii Pisan. dioec. situm est, quodque ministro et fratribus dicti ordinis pia fuit dudum fidelium largitione concessum, et quod fratres eiusdem ordinis inhabitant de praesenti, magna populi utriusque sexus confluat multitudo, nonnullique extranei, sicut ipsi minister et fratres asserunt, etiam per inexquisitas vias potius affectionis quam devotionis causa etiam cum temporali favore oratorium huiusmodi anhelent gubernare, pro parte ministri et fratrum praedictorum ac universitatis et hominum dictae terrae Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsius oratorii gubernationem et regimen pro illius conservatione et augmento devotionis huiusmodi ministro et fratribus dicti oratorii de civitate Pisan. vel dicta dioec. tantummodo oriundis perpetuis futuris temporibus concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, regimen et gubernationem oratorii huiusmodi praedictis de civitate vel dioec. oriundis fratribus absque tamen praeiudicio aliorum dicti ordinis fratrum perpetuo auctoritate Nostra concedas. Non obstantibus *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, XVIII kal. iulii, ... anno VIII.

377. Dispensat a defectu natalium, ut possit accipere episcopatum Aesculan. (Ascoli Piceno) ([2]).

1438, iunii 18, Ferrariae.

Dilecto filio Petro Sforciae de Attendolis, ordinis fratrum Minorum professori.

Divina supereminens largitas *etc.* Cum itaque Nos ecclesiae Esculan. pastoris ad praesens regimine destitutae de persona tua propter grandia virtutum merita, quibus personam ipsam novimus multipliciter insignitam, intendamus hodie providere, tuque natalium, cum de coniugato et coniugata procreatus ac etiam aetatis patiaris defectum, cum in vicesimoseptimo vel circa tuae aetatis anno constitutus exsistas, Nos sperantes, quod tu propter huiusmodi merita et alia tibi affutura suffragia eidem ecclesiae esse poteris dante Domino multipliciter fructuosus,

([1]) Reg. Lat. t. 359, f. 12; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 38.

([2]) Reg. Vat. t. 365, f. 205.

tecum ut defectibus praemissis, necnon Pictavien. et Lateranen. conciliorum et quibuscumque aliis ... nequaquam obstantibus, curam, regimen et administrationem dictae ecclesiae recipere illaque in spiritualibus et temporalibus regere et exercere libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus, tibi de speciali gratia nihilominus concedentes, quod in quibuscumque gratiis per te de cetero a Nobis vel Sede Apostolica impetrandis nullam de defectu natalium huiusmodi tenearis facere mentionem. Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, XIV kal. iulii, ... anno VIII.

378. Mandat ut amoto Gregorio de Almania O. F. M. substituat Gasparum in officio poenitentiariae in basilica S. Petri Urbis (1).

1438, iunii 26, Ferrariae.

Andreae episcopo Auximan.

Venerabilis frater, sal. Cum pro parte dilectorum filiorum capituli basilicae principis apostolorum fuisset Nobis alias supplicatum, ut in dicta basilica substitutum poenitentiarium minorem confirmare vellemus, cum tempus suae facultatis iam exspirasset, Nos, volentes illorum supplicationibus annuere, aliquo tamen circa personam deputandam ducti errore ex relationum defectu, cum de persona unius ** sentiremus, alterum tamen, videlicet quemdam Gregorium de Almania, ordinis Minorum, imponi per ipsum breve Nostrum mandavimus. De quo quidem, cum multa Nobis ab honestate devia per ipsum in officio poenitentiariae perpetrata esse et quotidie perpetrari intellexerimus, fraternitati tuae committimus et mandamus tenore praesentium, quatenus de praedictis te diligenter informes, et si vera huiusmodi esse reppereris, ipsum ab huiusmodi officio Nostra auctoritate amoveas atque ipsum breve, quod super huiusmodi officio habet, auferas atque in locum suum dilectum filium Gasparem antedictum substituas eique dicta auctoritate audiendi confessiones et absolvendi iuxta formam et auctoritatem aliis minoribus poenitentiariis Nostris dari solitam facultatem iuxta Nostrum beneplacitum duraturam concedas, de exercitatione et exsecutione dicti officii fideliter et honeste iuxta formam commissionis aliis poenitentiariis dari solitam, dicta auctoritate praestito eidem solito iuramento.

Datum Ferrariae, die XXVI iunii, ... anno VIII.

379. Cassat facultates recipiendi fratres O. F. M. episcopis aliorumque ordinum praelatis concessas (2).

1438, iunii 30, Ferrariae.

Ad futuram rei memoriam.

Ad conservationem ordinis fratrum Minorum, qui in vinea Domini multiplices fructus edere dignoscuntur, iugiter intendentes, sic per Nos quandoque concessa in rectitudinis normam revocare decet, ut nulli sub religionis alterius obtentu detur causa evagandi, sed in eo quod vovit religionis vinculo continuis proficiat incrementis. Sane ex parte dilecti filii Guillelmi de Casali, generalis dicti ordinis ministri, nuper fuit Nobis expositum, quod nonnullis episcopis ac abbatibus aliisque diversorum ordinum praelatis tam per Nos quam etiam per praedecessores Nostros Romanos pontifices concessum esse dicitur, ut ipsi dicti ordinis Minorum fratres ad monasticum ordinem transferre seu ad suorum monasteriorum et ordinum professionem et habitum recipere et in dictis monasteriis retinere valeant, quorum plurimi postea vagare dicuntur, in ipsius ordinis diminutionem et praeiudicium ac scandalum plurimorum. Quare pro parte ipsius ministri Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, volentes dicti ordinis et in eo degentium personarum profectui consulere, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas facultates et concessiones episcopis, abbatibus et praelatis huiusmodi de transferendis seu recipiendis ad sua monasteria dicti ordinis Minorum fratribus sub quacumque forma vel expressione verborum hactenus quomodolibet concessas, etiam si de eis eorumque totis tenoribus praesentibus habenda esset mentio specialis, auctoritate apostolica ex certa scientia revocamus, cassamus et annullamus nulliusque esse decernimus roboris vel momenti, volentes ac mandantes, ut omnes et singuli fratres, qui vigore facultatum et concessionum praedictarum sub colore arctioris regulae suum habitum dimiserunt et monachalem habitum assumpserunt iis, qui ad Cartusien. se ordinem vel ad aliam regularem observantiam transtulerunt quique aliqua dignitate essent insigniti ac illis etiam, qui aliquorum praelatorum servitio ex speciali privilegio insisterent, dumtaxat exceptis sub excommunicationis poena, quam ipso facto incurrant, et a qua praeterquam a Romano pontifice absolvi nequeant, nisi in mortis articulo constituti, ad praefatum ordinem revertantur, concedentes nihilominus generali praefato ac etiam provincialibus ministris aut aliis, quibus id duxerint committendum,

(1) Collectionis bullarum brevium etc. sacrosanctae basilicae Vaticanae t. 2, p. 95. (2) Reg. Lat. t. 359, f. 1.

ut ipsos sic translatos fratres, si extra monasteria, ad quae sunt translati, vagi reperiantur, post secundam monitionem eis faciendam capere, arrestare et incarcerare ac omnimodam in eos iurisdictionem exercere possint secundum sui ordinis instituta, contradictores auctoritate Nostra *etc.*, invocato *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, pridie kal. iulii, ... anno VIII.

380. Aegidium de Tavira O. F. M. instituit capellanum pontificium eique concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium etiam abbatialem dignitatem O. S. Ben. (1).

1438, iulii 7, Ferrariae.

Dilecto filio Aegidio de Tavira, ordinis fratrum Minorum professori, licentiato in theologia, capellano Nostro.

Virtutibus clarens et meritis *etc.* Et insuper tecum, ut quodcumque beneficium ... per monachos ordinis S. Benedicti gubernari solitum ... recipere et retinere necnon in abbatem et ad abbatialem dignitatem cuiuscumque monasterii dicti ordinis eligi et assumi ac illi praefici ipsumque monasterium, cui in abbatem praefectus fueris, in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare vel etiam quamcumque parochialem ecclesiam quoad vixeris in commendam retinere ac illa tibi in huiusmodi commendam conferri possit, tuque de ipsius ecclesiae, debitis illius supportatis oneribus fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare libere et licite valeas, ... alienatione tamen *etc.* piae mem. Innocentii VI et Gregorii XI ... restrictionibus et constitutionibus apostolicis atque Nostris, ... quodque ordinem fratrum Minorum expresse professus exsistis, necnon statutis et consuetudinibus maiorum et ordinis praedicti ... nequaquam obstantibus ... de specialis dono gratiae dispensamus. Sic igitur de bono *etc.* Volumus autem, quod, si de persona tua alicui monasterio dicti ordinis S. Benedicti provideri aut et in illius abbatem eligi vel assumi seu ei in abbatem praefici vel te aliquod per eiusdem S. Benedicti monachos regi solitum beneficium assequi contigerit, ex tunc per ipsius ordinis monachos gestari solitum habitum gestes ac illius institutis regularibus te conformes. Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, nonis iulii, ... anno VIII.

381. Concedit facultatem fundandi domum B. Mariae O. F. M. iuxta Pontem Lacuscuri (Pontelagoscuro), Ferrarien. dioec. (2).

1438, iulii 17, Ferrariae.

Venerabili fratri archiepiscopo Ravennaten.

Cognita devotionis constantia fideique integritate, quibus dilectus filius nobilis vir Hugucio de Contineriis, domicellus Ferrarien., erga Nos et Romanam ecclesiam *etc.* Hinc pro parte dicti Hugucionis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse ... quamdam domum cum ecclesia ... et aliis necessariis officinis ecclesiae inibi, ulterius ampliandis, sub vocabulo beatae Mariae, iuxta pontem Lacuscuri, Ferrarien. dioec., pro usu et habitatione fratrum ordinis Minorum ... de novo construi et erigi fecit, quam cum ecclesia, campanili ... officinis huiusmodi ipsis fratribus ... donare desiderat *etc.* Quare pro parte dicti Hugucionis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, praefato Hugucioni domum praedictam cum ecclesia, campanili ... huiusmodi eisdem fratribus donandi ac ipsis illam pro eorum usu et habitatione recipiendi ... licentiam elargiaris, non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod, postquam Hugucioni et fratribus praedictis huiusmodi licentiam concesseris, ipsi fratres, qui pro tempore in dicta domo residebunt, omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, XVI kal. augusti, ... anno VIII.

382. Mandat, ut Constantiam Arie O. S. Cl. instituat abbatissam monasterii S. Clarae Villae Comitis (Villa do Conde) O. S. Cl. Bracharen dioec. (3).

1438, iulii 25, Ferrariae.

Dilecto filio priori monasterii S. Crucis Colimbrien., per priorem soliti gubernari, ordinis S. Augustini.

Inter sollicitudines varias *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Chri-

(1) Reg. Lat. t. 311, f. 187 et iterum Reg. Vat. t. 382, f. 121. In aliis litteris *Venerabiles fratres Nostri* ad Eduardum regem Portugalliae datis, Bononiae, sine die, mense et anno, quibus Eugenius IV declarat esse suae intentionis numquam instituere in regno Eduardi episcopos regi suspectos vel non gratos et acceptos, negat autem petitionem applicationis et unionis bonorum ecclesiarum Tuden. et Pacen. regni ipsius cum ecclesia Cepten., idem Aegidius de Tavira O. F. M. commemoratur inter oratores regis Portugalliae (cum Antonio Portugalen. et Ludovico Vicen. episcopis, nobili viro Alphonso, Iohannis quondam Portugalliae regis nepote, comite Douren., Gundisalvo Mendi, O. Praed., Didaco Alphonsi utr. iur. doctore, Velasco Fernandi, legum doctore). Reg. Vat. t. 359, f. 305. De Aegidio de Tavira (Gil Lobo) cf. Manoel da Esperança, *Historia serafica da ordem dos frades menores de S. Francisco na provincia de Portugal*, Lisboa 1666, part. II, p. 693.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 39 « e l. 3 de regular. et div. form. a. VIII, f. 156 ». (3) Reg. Lat. t. 359, f. 21.

sto filiae Constantiae Arie, monialis monasterii S. Clarae Villae Comitis, ordinis eiusdem sanctae, Bracharen. dioec., petitio continebat, quod cum alias quondam Leonore, abbatissa dicti monasterii, tunc infirmitate detenta et in lecto decumbente, quaedam moniales ipsius monasterii dilectam in Christo filiam Mariam Perera, etiam monialem praefati monasterii, in illius abbatissam eligere de facto attemptassent, dilectus Alphonsus de Paradiso (1), minister ordinis Minorum provinciae Portugalliae secundum morem ordinis Minorum huiusmodi, asserens se sufficientem desuper potestatem habere, in vim illius ipsa Leonore interim extra Romanam curiam vita functa regimen et administrationem dicti monasterii tunc per obitum ipsius Leonoris vacantis eidem Constantiae, etiam tunc ordinem ipsum expresse professae, commisit, unde praedicta Maria, quae tamen ad huiusmodi regimen et administrationem minus idonea exsistit, ad Sedem Apostolicam appellavit ipsaque Constantia praetextu commissionis eiusdem dictis regimini et administrationi se ingessit. Cum itaque, sicut accepimus, ipsum monasterium adhuc, ut praefertur, vacare noscatur, Nos omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per eamdem Constantiam occasione ingestionis huiusmodi quomodolibet contractam auctoritate apostolica penitus abolentes ac cupientes eidem monasterio, ne longae vacationis exponatur incommodis, de utili et idonea, per quam circumspecte regi ac salubriter gubernari valeat, persona provideri necnon de meritis et idoneitate dictae Constantiae, apud Nos de religionis zelo ... multipliciter commendatae, certam notitiam non habentes, discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis Maria et aliis ... causam appellationis huiusmodi audias et debito fine decidas, faciens quod decreveris *etc.* Testes autem *etc.* Et nihilominus de meritis et idoneitate praemissis auctoritate Nostra te diligenter informes, et si ... Constantiam ad regimen et administrationem huiusmodi utilem et idoneam fore reppereris, ... de persona sua monasterio praedicto, cuius fructus redditus et proventus octingentarum librarum Turonen. parvorum secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipsa Constantia asserit, non excedunt, ... praedicta auctoritate provideas ipsamque Constantiam illi in abbatissam praeficias, eius curam *etc.* Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Aut si conventui et subditis praedictis *etc.* Nos enim praefatae Constantiae, si de ipsius persona eidem monasterio provideris, ut praefertur, ut a quocumque maluerit catholico antistite munus benedictionis recipere valeat, ... concedimus. Volumus autem, quod idem antistes *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, VIII kal. augusti, ... anno VIII.

383. Declarat suam intentionem circa facultatem recipiendi 7 loca (2).

1438, augusti 17, Ferrariae.

Dilecto filio Iacobo de Marchia ordinis fratrum Minorum professori.

Alias, de tua sincera in Domino devotione ... confisi, tibi per alias Nostras litteras inter alia septem loca pro conventibus tui ordinis, cum ecclesiis, campanilibus, ... necessariis officinis recipiendi ... et perficiendi facultatem concessimus *etc.* Cum autem, sicut accepimus, ex eo, quod loca recipienda huiusmodi per eorum nomina, circumstantias et vicinia descripta et specificata non sint, a nonnullis cavillatur litteras Nostras huiusmodi vires non habere teque, qui illarum vigore duo iam loca recipisti, ad illa aliaque loca recipiendi potestatem non habuisse, Nos ... declaramus Nostrae intentionis fuisse et esse te loca septem quaecumque alias commoda ubicumque in partibus regnorum charissimi in Christo filii Hungariae regis pro tempore exsistentis consistentia recipere inibique conventus secundum tenorem dictarum litterarum Nostrarum erigere potuisse et posse in omnibus et per omnia, ac si loca huiusmodi per eorum nomina, vicinia et confinia specifice in dictis litteris descripta et denominata fuissent, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, XVI kal. septembris, ... anno VIII.

384. Francisco de Soria O. F. M. confert potestatem reformandi conventum O. F. M. Segobien. (3).

1438, septembris 1, Ferrariae.

Ad futuram rei memoriam.

Eximiae devotionis affectus, quo charissimus in Christo filius Noster Iohannes, rex Castellae et Legionis illustris, erga Nos et Romanam ecclesiam splendere dignoscitur, fidei quoque constantia ac devotionis sinceritas promeretur, ut votis suis, illis praesertim, per quae religionis decor et regularis observantiae vigor exquiritur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter

(1) Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1830, p. 708.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 40 « e l. 1 de beneficiis etc. a. VIII et IX. f. 304 ». Cf. supra n. 345, p. 159.

(3) Reg. Lat. t. 359, f. 141. De Francisco de Soria cf. sup. n. 84, p. 47 nota 4.

annuamus. Sane pro parte dicti regis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilectus filius Franciscus de Soria, ordinis fratrum Minorum professor necnon charissimi in Christo filii Nostri Iohannis, regis Navarrae illustris, confessor, obtentu potestatis alias ad hoc sibi a Sede Apostolica per litteras apostolicas concessae plurima dicti ordinis domus et loca deformationis opprobrio tunc subacta, et in quibus omnium malorum seminante satore vita monastica prorsus calcata nulla penitus observantia regularis disciplinae viguit, eorumque personas debite reformavit et ad regularis observantiae normam salubriter reduxit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus rex domum sive conventum Segobien., ordinis dictorum fratrum, in qua seu quo quaedam perversae conversationis infamia pullulare dignoscitur, ut in illa vel illo monasticae vitae et regularis disciplinae huiusmodi speculum resplendeat, ad debitum statum reduci propensius exoptet, spem fiduciamque gerens, quod domus seu conventus huiusmodi per ipsius Francisci industriam et studium fructuosum ad salutaris reformationis continget modulum et votiva in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quare pro parte regis Castellae et Legionis praedicti Nobis fuit humiliter supplicatum, ut huiusmodi eius desiderium ad effectum perduci mandare ac alias *etc.* Nos igitur ... praefato Francisco domum seu conventum huiusmodi accedendi necnon illam vel illum et eius fratres tam in capite quam in membris opportunis temporibus visitandi, corrigendi et reformandi ac iuxta dicti ordinis statuta regularia monasticis disciplinis instruendi, contradictores quoque et rebelles per censuram ecclesiasticam ac alia iuris remedia compescendi necnon singula circa haec necessaria seu etiam quomodolibet opportuna faciendi et exsequendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus potestatem. Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, kalendis septembris, ... anno VIII.

385. Confirmat litteras Guillelmi de Casali, ministri generalis, quibus Bernardinum de Senis O. F. M. instituerat vicarium generalem observantium (1).

1438, septembris 1, Ferrariae.

Ad futuram rei memoriam.

Fratrum ordinis Minorum in vinea Domini Sabaoth Altissimo iugiter famulantium merita promerentur, ut eis in his, quae divini cultus et religionis ac regularis observantiae augmentum respiciunt, praecipuos favores et specialia praesidia, quantum cum Deo possumus, impendamus. Sane ad notitiam Nostram nuper deducto, quod dilectus filius Guillelmus de Casali, sacrae theologiae professor et generalis minister ipsius ordinis, ex certis rationabilibus causis animum eius moventibus dilectum filium Bernardinum de Senis, eiusdem ordinis professorem, omnium et singularum domorum et conventuum Italiae dicti ordinis sub sacro observantiae nomine constitutarum ipsius vicarium fecit, constituit et deputavit, prout in litteris praefati generalis ministri plenius continetur, quarum tenor sequitur de verbo ad verbum et talis est:

In Christo sibi charissimo fratri Bernardino de Senis, provinciae Thusciae, frater Guillelmus de Casali, sacrae theologiae magister ac eiusdem ordinis generalis minister et servus, salutem ac pacem in Domino sempiternam.

Cum ita sit, quod ad sacram indulgentiam Portiunculae, ad quam summopere desiderabam accedere, propter detentionem aegritudinis ire non possim, ubi quamplurima providenda ad augmentum divini cultus et amplioris observantiae regularis ac desideriorum spiritualium quietationem omnium familiarum Italiae sub sacro nomine observantiae nominatarum, quarum magna pars fratrum ad eamdem sacratissimam indulgentiam convenire solet, et praeterea, cum ex hac mea debilitate aegritudinis non possim pro meo desiderio plurimis negotiis occurrere in eorumdem fratrum familiis, quibus esset salubriter providendum: ne propter hanc personalem invaletudinem ipsae familiae et fratres sub eisdem degentes opportunis provisionibus careant, te, de cuius vita laudabili, ordinis et iustitiae zelo, conversatione honesta, prudentia circumspecta, discretione praecipua, experientia magna et multiplici probitate virtutum, quibus, ut informatus exsisto, te insigniter decoravit Altissimus, et nihilominus de multorum ministrorum et sacrae theologiae doctorum aliorumque proborum nostri ordinis fratrum concordi consilio pariter et assensu meum vicarium et commissarium quoad fratres omnes et singulos in eisdem familiis degentes, et qui degent etiam in futurum, institui et institutum denuntio per praesentes, plenam tibi conferens potestatem ac auctoritatem pro ipsarum et fratrum in eisdem exsistentium reformatione visitandi, vocandi, ci-

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 237 (secundo) v; Wadd. *Ann.* ad a. 1438, n. 6 « ex ipso autographo ». De S. Bernardino Senensi cf. sup. n. 368, p. 170.

tandi, admonendi, corrigendi, puniendi, praelatos et officiales quoslibet privandi et suspendendi aliosque ipsorum loco subrogandi ac ipsos praelatos et fratres ut supra visitandi publice et private tam in capitibus quam in membris etiam in his, in quibus mandatum speciale requireretur, substituendi quoque commissarios in provinciis et familiis supradictis ac destituendi, quotiens tibi videbitur opportunum, omniaque alia et singula faciendi et exercendi quoad fratres praedictos, quae ego facere et exercere possem ex officio mihi iniuncto, si ibi personaliter interessem, contradictores vero per censuram ecclesiasticam et alias poenas in nostro ordine infligi consuetas compellendi et compescendi. Quocirca discretioni tuae ad meritum obedientiae salutaris districte praecipio et iniungo, quatenus dictum vicariatus et commissariatus officium per me tuis humeris impositum sic provide, sic sollicite, sic vigilanter quoad praemissa studeas exercere, quod nequaquam de negligentia argui sed de diligentia valeas merito commendari. Et per eamdem obedientiam districte praecipio et iniungo omnibus et singulis fratribus in dictis familiis et provinciis commorantibus et moraturis et sub poena carceris et excommunicationis, quam trina monitione canonica praemissa ex tunc prout ex nunc profero in scriptis, quod tibi tamquam mihi in omnibus, quae ad dictum tuum officium vicariatus et commissariatus spectare noscuntur, toto tui vicariatus et commissariatus tempore sine contradictione quacumque firmiter obediant, quos tibi teque illis charius in Domino recommendo. Vale in Christo Iesu et ora pro me. Datum Senis, die 22 iulii 1438.

Nos, huiusmodi salubrem, necessariam et plurimum fructuosam ipsi ordini et observantiae regulari dispositionem a praefato generali ministro de dicto Bernardino factam attendentes ac ipsam apostolicis favoribus et praesidiis stabilire cupientes, vicariatus huiusmodi constitutionem et deputationem de dicto Bernardino, ut praemittitur, factam motu proprio, non ad ipsius Bernardini vel alicuius super hoc Nobis oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate et ex certa scientia, supplendo omnes et singulos defectus, si qui intervenerint in eadem, auctoritate apostolica confirmamus et approbamus ac praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, kalendis septembris, ... anno VIII.

386. Sororibus monasterii S. Onuphrii, III O. S. Franc. Florentin., concedit privilegium, quod non possint per ministram generalem ad alias domos transferri (1).

1438, septembris 4, Ferrariae.

Dilecto filio priori eremi Camaldulen., Arretin. dioec.

Humilibus supplicum votis *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Francischinae gubernatricis et sororum monasterii S. Onuphrii Florentin., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupatarum, petitio continebat, quod, cum ipsae, quae sub regulari observantia dicti ordinis Deo dedicatae in dicto monasterio Altissimo famulantur, cupiant inibi in dicta earum observantia Altissimo devotum exhibere famulatum, et dilecta in Christo filia generalis ministra eiusdem ordinis, quae praefato et nonnullis aliis monasteriis ipsius ordinis secundum earum consuetudinem praeest, tentaverit atque tentet nonnullas ex ipsis monialibus seu sororibus ipsius monasterii S. Onuphrii ad alia eiusdem ordinis loca transferre, ipsaeque verisimiliter timeant, quod, si huiusmodi fiat translatio, tam in desolationem dicti monasterii S. Onuphrii cedat quam conscientiae ipsarum perturbationem et animarum suarum periculum et iacturam: pro parte Francischinae et aliarum sororum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis omnibus et singulis auctoritate Nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, dummodo requisitis aliis sororibus praedictis maior pars earum in huiusmodi translationem non consenserit, ... Francischinae et sororibus praefatis, quod per praefatam ministram et quoscumque alios de dicto monasterio S. Onuphrii ad alia monasteria seu loca praedicta vel alterius ordinis transferri nequeant, auctoritate Nostra concedas. Non obstantibus *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, pridie nonis septembris, ... anno VIII.

387. Confirmat unionem et incorporationem hospitalis pauperum, vulgo *de flumicello* nuncupatum, extra muros oppidi de Mercatello, cum monasterio S. Mariae Magdalenae de Collevallis, Civitatis Castellae, O. S. Damiani, factam olim a Neapolione diacono cardinali tit. S. Adriani, Apostolicae Sedis legato (2).

1438, septembris 6, Ferrariae.

Dilecto filio .. abbati monasterii S. Petri de Massa, Callien. dioec.

His, quae pro monasteriorum et regularium locorum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper

(1) Reg. Lat. t. 359, f. 142. De monasterio S. Onuphrii Florentin. cf. sup. n. 241, p. 113. (2) Reg. Lat. t. 362, f. 202.

pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Mariae Magdalenae de Collevallis, ordinis S. Damiani, Civitatis Castelli dioec., petitio continebat, quod olim bonae mem. Neapolio, S. Adriani diaconus cardinalis, tunc in illis partibus Apostolicae Sedis legatus, provide considerans, quod fructus, redditus et proventus dicti monasterii, in quo abbatissa et moniales, quae tunc erant, sub perpetua clausura et regulari observantia degebant, prout degunt etiam de praesenti, adeo tenues et exiles exsistebant, quod ex illis abbatissa et conventus eiusdem se sustentare non poterant, ut earum necessitati subveniretur, ne cogerentur ostiatim propter inopiam mendicare, hospitale pauperum extra muros oppidi Mercatelli dictae dioec., « de flumicello » vulgariter nuncupatum, prioris dicti hospitalis et conversorum eiusdem expressis voluntate accedentibus et consensu cum omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate legationis suae in perpetuum uniri, annecti et incorporari mandavit certis super hoc exsecutoribus deputatis, qui in causa commissionis huiusmodi procedentes hospitale praedictum cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis auctoritate praefata univerunt, annexuerunt et incorporaverunt, prout in litteris et processibus desuper confectis, quorum tenores haberi volumus pro sufficienter expressis, dicitur plenius contineri, quarum quidem unionis, annexionis et incorporationis vigore abbatissa et conventus praefatae hospitale praedictum cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis assecutae, illud per centum et triginta annos vel circa pacifice tenuerunt et etiam possederunt, prout tenent et possident de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, quia in unione huiusmodi cautum fuit et etiam expressum, quod abbatissa et conventus monasterii praefati tenerentur et deberent hospitalitatem inibi consuetam et solitam observare, et propter illarum partium indispositiones et calamitates, quibus diversis temporibus afflictae fuere, prout etiam saepe vexantur, hospitalitas huiusmodi continue, ut solebat, tenta non fuerit, licet multarum miserabilium mulierum refugium aliquando exstiterit, pro parte abbatissae et conventus praefati monasterii Nobis fuit humiliter supplicatum, ut unioni, annexioni et incorporationi praefatis pro earum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere et alias statui ipsarum in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, de praemissis certam notitiam non habentes ac cupientes ipsarum abbatissae et conventus indemnitatibus providere, discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi praemissa reppereris fore vera, ... unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi et alia inde secuta auctoritate Nostra confirmare et approbare procures, supplendo omnes defectus tam ex non tenta continue hospitalitate huiusmodi quam ob sollemnitates omissas, quae a iure in talibus requiruntur, intervenerint forsitan in eisdem, constitutionibus ... ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Ferrariae, anno ... 1438, VIII idus septembris, ... anno VIII.

388. Mariae Sancii de Castello et Mariae de Aguilar concedit facultatem erigendi domum B. Mariae de Camesa, Burgen. dioec., in monasterium O. S. Cl. (1).

1438, septembris 13, Ferrariae.

Dilectis filiis abbati beatae Mariae de Aquilari ac priori S. Catharinae de Cornejo per priorem solitum gubernari, Burgen. dioec.

Sedis Apostolicae benignitas circumspecta *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Mariae Sancii de Castello et Mariae Aguilar mulierum, in ecclesia sive domo beatae Mariae de Camesa, Burgen. dioec., commorantium et reddentium Altissimo vota sua, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsae devotionis fervore, quem ad ordinem S. Clarae gerere dignoscuntur, ecclesiam ipsam sive domum, in qua sub clausura virtutum Domino famulantur, in monasterium sive domum ordinis dictae sanctae erigi et nonnullas mulieres inibi sub dicto ordine et sub perpetua clausura ac ipsius ordinis regularibus institutis servituras institui ac deputari desiderant et affectant, si eis apostolicae benignitatis ad id suffragetur auctoritas. Quare pro parte ipsarum mulierum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut domum sive ecclesiam beatae Mariae in monasterium sive domum praedicti ordinis cum campanili, campana, coemeterio, claustro, refectorio, domibus et aliis necessariis officinis erigere et inibi sorores iuxta loci convenientiam, quarum una abbatissa et aliarum gubernatrix exsistat, sub regula dictae sanctae iuxta laudabilem observantiam in monasterio de Oterdesillas, eiusdem ordinis, Palentin. dioec., servari solitam viventes instituere, quodque sorores huiusmodi sub dilecti filii Francisci de Soria,

(1) Reg. Lat. t. 359, f. 183; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 41.

ordinis fratrum Minorum professoris, quamdiu ille vitam duxerit in humanis, et post eius obitum sub illius, sub quo dictum monasterium de Oterdesillas pro tempore fuerit, esse debeant regimine, concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel alter vestrum ecclesiam sive domum praedictam pro usu et habitatione sororum huiusmodi cum campanili, campana et aliis officinis praefatis in monasterium dicti ordinis S. Clarae auctoritate Nostra erigatis ac in eo numerum totidem sororum ipsius ordinis S. Clarae, sicuti ecclesiae sive domus huiusmodi et, quae pro illius uberiore dotatione ante huiusmodi erectionem pia largitione fidelium forsan donata et assignata fuerint, bona pro earum vitae et victus necessariis rationabiliter sufficere perspexeritis, praefata auctoritate instituatis, quodque sorores pro tempore degentes in erigendo monasterio huiusmodi per unam ex eis, quae abbatissa nuncupetur et aliis praesit, cuique etiam praefatae aliae sorores obedientiam et reverentiam debitas et devotas iuxta instituta praedicta praestare tenebuntur, regi ac sub Francisci praedicti eo vivente et post eius obitum sub illis, qui sororum monasterii de Oterdesillas huiusmodi curam geret pro tempore, cura et directione iuxta eadem instituta, prout in ipso monasterio de Oterdesillas etiam ex cura et directione dicti Francisci observantur, vivere teneantur et debeant, ac alias statuatis et ordinetis, prout secundum Deum pro felici regimine dicti erigendi monasterii et religionis stabili firmitate ac cultus huiusmodi incremento in eodem videbitur expedire, ordinarii loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, iure tamen parochialis ecclesiae, sub qua ipsum erigendum monasterium consistit, ac cuiuslibet alterius alias in omnibus semper salvo. Non obstantibus *etc.* Et insuper ... omnibus et singulis sororibus in dicto erigendo monasterio degentibus, quod cum earum rebus et bonis mobilibus et immobilibus praesentibus et futuris omnibus et singulis monasteriis et locis ac personis praefati ordinis S. Clarae in illius favore quovis modo concessis et etiam in antea concedendis ac illis prorsus similibus privilegiis, praerogativis, indulgentiis, immunitatibus, libertatibus et exemptionibus uti, frui et gaudere possint et debeant, auctoritate concedatis memorata.

Datum Ferrariae, anno ... 1438, idibus septembris ... anno VIII.

389. Concedit indulgentias pro liberatione Iohannis et Bartholomaei, filiorum Ambrosii de Martenengho, e captivitate infidelium, quarum publicatio iniuncta erat Alberto de Sarteano O. F. M. (1).

1438, septembris 27, Ferrariae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Inter cetera pietatis opera *etc.* Cum itaque tempore, quo civitas Thessalonicen. ab infidelibus capta fuit, inter ceteras calamitates, quas christiani in illis partibus degentes in illo horribili casu passi sunt, dilectus filius Ambrosius de Martenengho cum uxore ac Iohanne et Bartholomaeo filiis suis ab infidelibus capti et ad partes ulteriores ipsorum infidelium transmissi ac compedibus mancipati fuerint, ipseque Ambrosius cum ipsius uxore ex eleemosynis pia fidelium largitione collatis iam redempti fuerint, Iohanne et Bartholomaeo filiis praedictis adhuc in captivitate remanentibus, cumque pro liberatione Iohannis et Bartholomaei praedictorum ac expensis in ea concurrentibus summa ducentorum viginti florenorum auri de camera necessaria sit, praefatique Iohannes et Bartholomaeus ob ipsorum ac praefati Ambrosii patris eorum inopiam ab huiusmodi captivitate liberari non possint, nisi fidelium suffragia et eleemosynae piarum personarum eisdem subministrentur, Nos, pericula tam animarum quam corporum dictorum Iohannis et Bartholomaei considerantes cupientesque propterea, ut per suffragia catholicarum personarum ab huiusmodi calamitate liberentur, omnibus, qui pro redemptione dictorum Iohannis et Bartholomaei tantum erogaverint, quantum facultates patiuntur iuxta eorum discretionem, cunctorum peccatorum, de quibus corde contriti et ore professi fuerint, in sinceritate fidei et Nostra ac successorum Nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium obedientia persistentibus, plenam tantum in mortis articulo remissionem auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, praesentibus post annum minime valituris. Nos igitur, ne in exsecutione huiusmodi Nostri indulti et exactione dictae summae fraus committatur, quantum in Nobis est, providere intendentes, volumus et harum serie ordinamus, ut ille fide et facultatibus idoneus mercator, quem dilectus filius Albertus de Sartiano, frater ordinis Minorum, cui litterarum huiusmodi publicationem iniunximus per se vel per alium faciendam, duxerit eligendum, a quo etiam super huiusmodi receptione pecuniarum et custodia fideliter fiendam in debita forma

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 42v.

iuramentum recipiat, et quod ipsas pecunias praefato Ambrosio de mandato dicti Alberti assignet per eumdem Ambrosium modis et formis, quae praefato Alberto opportunae videbuntur, in huiusmodi receptione convertendas. Volumus, quod, si forsitan Iohannes et Bartholomaeus praefati tempore, quo dictus Ambrosius ad partes illas cum pecuniis huiusmodi pro eorum redemptione pervenerit, mortui fuissent, pecunias huiusmodi in aliorum redemptionem captivorum de manibus infidelium dictus Ambrosius erogare teneatur, ad quod etiam per te dilectum filium Albertum praefatum dictum Ambrosium iurisiurandi delatione volumus obligari. Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, V kal. octobris, ... anno VIII.

390. Eremitis III O. S. Fr. terrae Montispolitiani concedit electionem confessarii pro administratione sacramentorum etc. (1).

1438, octobris 12, Ferrariae.

Dilecto filio Antonio de Montepolitiano, tertii ordinis sub habitu pauperum eremitarum degenti.

Probatae fidelitatis integritas *etc.* Hinc est, quod Nos, tuis supplicationibus inclinati, tibi et fratribus tuis in S. Hieronymi intra et beatae Mariae Magdalenae extra muros terrae Montispolitiani Clusin. et Arretin. dioec. ecclesiarum domibus residentibus praesentibus et futuris, ut aliquem ex fratribus vel aliis in dictis domibus in sacerdotio constitutis, quem quilibet vestrum duxerit eligendum, in suum possit et valeat eligere confessorem, qui quotiens sibi vel illis videbitur, confessionibus diligenter auditis pro commissis, nisi talia fuerint, propter quae sit Sedes Apostolica merito consulenda, beneficium absolutionis impendat et iniungat poenitentiam salutarem, quodque idem sacerdos eucharistiam et extremam unctionem, ecclesiasticam sepulturam et alia quaecumque ecclesiastica sacramenta administrare tibi et fratribus praedictis, in sinceritate fidei, unitate S. Romanae ecclesiae ac obedientia et devotione Nostra persistentibus, libere et licite valeat, iure tamen parochialis ecclesiae semper salvo, quodque tu et fratres praedicti in domibus eisdem commorantes, praesentes, et qui pro tempore fuerint, in humilitatis spiritu Altissimo servientes vitamque eremiticam ducentes, ut domos easdem pro usu et habitatione vestra retinere ac celebrare missas et alia divina officia in capellis seu oratoriis domorum ipsarum et altaribus inibi constitutis, et quae construi contigerit in futurum, per vos vel alios sacerdotes libere et licite valeatis, nec domus ipsae a vobis subtrahi, seu ab illis licentiari seu amoveri possitis inviti, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, IV idus octobris, ... anno VIII.

391. Iacobo de Marchia praecipit, ut quamprimum veniat Ferrariam (2).

1438, octobris 15, Ferrariae.

Iacobo de Marchia ordinis Minorum.

Dil. fil. sal. etc. Audivimus te nuper per loca huic civitati Ferrariae propinqua usque Bononiam iter fecisse, forsitan ad dilectum filium generalem ordinis tui profecturus. Mirati sumus plurimum, ut tu de Hungaria veniens, ad quam de mandato Nostro pro honore Dei et salute animarum accessisti, Nobis praetermissis ad quemvis alium te conferre festines. Qua de re tibi in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, quatenus visis praesentibus subito retrocedens, ad Nos quamprimum venias omni excusatione postposita. Nam et te grate recipiemus et in his, quae tibi opportuna fuerint, devotioni tuae, prout non dubitamus, bene et utiliter consulemus.

Datum Ferrariae, 15 octobris, ... anno VIII.

392. Mandat, ut monasterium S. Clarae de Carrione (Carrion de los Condes), O. S. Cl. Palentin. dioec., Francisco de Soria O. F. M. subiiciant, si moniales ab Aldonza de Castannada plura bona mobilia et notabilem summam pecuniae receperint sub ea conditione, ut observantiam regularem, prout in monasterio B. Mariae Regalis de Oterdesillas viget, assumant (3).

1438, octobris 21, Ferrariae.

Dilectis filiis monasterii S. Catharinae de Cornejo per priorem soliti gubernari ac saecularis et collegiatae ecclesiae SS. Emeterii et Clenidonii de S. Anderio, Burgen. dioec., prioribus.

Eximiae devotionis affectus, quem dilecta in Christo filia nobilis mulier Aldonza, comitissa de Castanneda, ad Nos et Romanam gerit ecclesiam, promeretur, ut petitiones suas, quae profectum et laudabilem directionem monasteriorum et in eis pro tempore sub regulari habitu degentium personarum respiciunt, quantum cum Deo pos-

(1) Reg. Lat. t. 359, f. 308; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 42.

(2) Reg. Vat. t. 367, f. 122 v.

(3) Reg. Lat. t. 359, f. 271 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 43.

sumus, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Sane pro parte dictae Aldonzae Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsa, zelo devotionis accensa, cupiens seminare in terris, unde multiplicatum fructum recolligere posset in coelestibus, et in monasterio S. Clarae de Carrione ordinis dictae sanctae Palentin. dioec. observantiam regularem iugiter vigere, sicut illa in monasterio beatae Mariae Regalis de Oterdesillas, ordinis et dioecesis praedictorum, sub perpetua clausura laudabiliter servatur, pro uberiori provisione dilectarum in Christo filiarum sororum praefati monasterii de Carrione, si regularis vitae disciplinam sub huiusmodi clausura assumpserint et in illa permanserint, plura bona immobilia, et ut similia pro eis acquirantur, notabilem pecuniarum summam, quae acceptarunt, perpetua donatione consignavit. Quare pro parte ipsius Aldonzae sperantis, ut asserit, quod observantia huiusmodi in eodem monasterio de Carrione in perpetuum stabilietur, si dilecto filio Francisco de Soria, ordinis fratrum Minorum professori, quoad vixerit, et post ipsius obitum illi, qui curam praefati monasterii beatae Mariae pro tempore geret, eius regimen committatur, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut regimen monasterii de Carrione huiusmodi eidem Francisco et pro tempore curam dicti monasterii de Oterdesillas gerenti committere et alias in praemissis salubriter providere paterna sollicitudine providere dignaremur. Nos igitur, qui devotionem et pium desiderium dictae comitissae plurimum in Domino commendamus, cupientes, ut sorores in praefato monasterio de Carrione pro tempore degentes ademptis omnibus, quae dissolutionis occasionem aliquatenus praestare possent, illi, cui spontanea voluntate devoverint suam integritatem, commendabiliter conservare valeant, et de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi quoque supplicationibus inclinati, discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel alter vestrum super praemissis ... vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi inveneritis Aldonzam praedictam eidem monasterio de Carrione, ut illius sorores praedictae observantiam huiusmodi acceptent et in illa permaneant, praefata bona consignasse ac ipsas sorores cum proposito dictam observantiam assumendi eadem bona acceptassent, ut praefertur, ... regimen monasterii de Carrione huiusmodi Francisco et curam gerenti praedictis auctoritate in perpetuum committas antedicta. Nos enim ... Francisco et curam gerenti praedictis et cuilibet ipsorum monasterium de Carrione huiusmodi eiusque personas, quotiens expedire videbitur, tam in capite quam in membris visitandi et in illo, quidquid reformationis et correctionis ministerio indigere cognoverint, iuxta regularia dicti ordinis S. Clarae instituta corrigendi, emendandi et reformandi ac excedentes et delinquentes iuxta ipsarum excessus et demerita puniendi, necnon personas praedictas ad regularis disciplinae observantiam sub clausura huiusmodi reducendi aliaque faciendi, disponendi et ordinandi, quae pro decentia et honestate monasterii de Carrione et personarum pro tempore degentium ac stabilitate et conservatione observantiae huiusmodi in eodem secundum Deum viderint expedire, contradictores ... compescendi, invocato *etc.* plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus licentiam et etiam facultatem. Non obstantibus *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, XII kal. novembris, ... anno VIII.

393. Mandat, ut confirmet unionem monasterii S. Mariae de Ponte O. S. Cl. extra muros oppidi de Mercatello, dioec. Civitatis Castelli, unacum hospitali de *Flumicello* cum monasterio S. Mariae de Presangulo eiusdem loci et ordinis factam a Guillelmo de Casali, ministro generali (1).

1438, novembris 7, Ferrariae.

Abbati monasterii S. Petri de Massa, Callien. dioec.

Ad ea ex iniunctae Nobis desuper *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Mariae de Presangulo, loci de Mercatello, ordinis S. Clarae, Civitatis Castelli dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilectus filius magister Guillelmus de Casali, sacrae theologiae professor, ordinis fratrum Minorum generalis minister, provide considerans, quod monasterium S. Mariae Magdalenae de Ponte, ordinis et dioec. eorumdem, quod extra muros dicti loci situatum exsistit, dudum notabili conventu et monialium numero sub ipsius ordinis observantia Altissimo sua vota reddentium refertum fuerat et ornatum, et quod tunc causantibus epidemiis et calamitatibus ac nonnullis aliis turbinibus et molestiis necnon calamitosis eventibus, quae tam monasterium ipsum quam partes illas diutius attriverant, ad hoc redactum exstiterat, ut ceteris monialibus

(1) Reg. Lat. t. 359, f. 121 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 45. Cf. sup. n. 387. De monasterio de Presangulo cf. *Bull. Franc.* t. I, p. 62, n. 51, nota e.

inibi ex hac vita sublatis in eo non remansisset, nisi una tantummodo monialis, pro evitandis scandalis, quae propter gentes armigeras per partes illas plurimum discurrentes et alios discolos homines contingere poterant, quam etiam, ne bona ipsius monasterii taliter monialibus destituti per personas alias Altissimum non verentes occuparentur, habens ad hoc plenam, ut dicebat, a Sede Apostolica facultatem, praefata moniali ad dictum monasterium de Presangulo translata atque locata monasterium de Ponte praefatum cum omnibus bonis tam mobilibus quam immobilibus necnon redditibus et proventibus ac iuribus suis quibuslibet unacum hospitali de Flumicello extra locum Mercatelli praedictum sito et eidem monasterio de Ponte iamdudum canonice annexo cum ea conditione, qua ipsi monasterio annexum exstiterat, praefato monasterio de Presangulo in vim facultatis huiusmodi univit, annexuit et incorporavit, prout in ipsius ministri litteris super huiusmodi unione confectis, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, licet praefatae exponentes unionis et litterarum huiusmodi vigore possessionem monasterii de Ponte et hospitalis praefatorum fuerint pacifice consecutae illaque teneant et possideant de praesenti, nihilominus tamen dubitantes huiusmodi unionem ex eo viribus non subsistere, quod in praefato hospitali a centum et triginta annis nulla hospitalitas tenta fuit, prout abbatissa et moniales ipsius monasterii de Ponte tenebantur et erant adstrictae, ac certis aliis de causis viribus non subsistere posseque propterea super hoc procedente tempore molestari ac etiam perturbari, pro parte abbatissae et conventus praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut translationi monialis necnon unioni, annexioni et incorporationi huiusmodi pro earum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere necnon, ut hospitale praedictum ad aliquem alium locum convenientem et honestum intra muros dicti loci de Mercatello transferendi et construi et reaedificari faciendi pro tenenda ac servanda hospitalitate intra dictum locum pro pauperibus mulieribus concedere et alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis omnibus ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi praemissa reppereris fore vera, ... reductionem seu translationem necnon unionem et incorporationem huiusmodi ac alia inde secuta auctoritate Nostra approbes et confirmes suppleasque omnes defectus, si qui forsan ob sollemnitates iuris omissas intervenissent quomodolibet in eisdem, ac etiam quatenus id expedire videris, dictum monasterium de Ponte cum dicto hospitali praefato monasterio de Presangulo eadem auctoritate de novo unias, incorpores et annectas. Et nihilominus, si approbationem, confirmationem et suppletionem seu de novo unionem, incorporationem et adnexionem huiusmodi per te fieri contigerit, ut praefertur, translationem, constructionem et reaedificationem huiusmodi intra muros dicti loci pro servanda et tenenda hospitalitate ad usum pauperum mulierum huiusmodi per abbatissam et moniales dicti monasterii de Presangulo faciendi et procurandi auctoritate praedicta plenam et liberam licentiam tribuas et etiam facultatem, constitutionibus *etc.* non obstantibus quibuscumque, proviso, quod monasterium de Ponte et hospitale praedicta propterea ad profanos usus minime redigantur neque debitis fraudentur obsequiis, sed eorum debite supportentur onera consueta.

Datum Ferrariae, anno ... 1438, VII idus novembris, ... anno VIII.

394. Abbati monasterii S. Florentii prope Salmurum, Andegaven. dioec., mandat, ut Francisco Godillon, professo O. F. M., qui ad monasterium de Campobono O. S. Ben., Pictavien. dioec., transgressus, ibi professionem emiserat et post biennium de consensu sui abbatis ad monasterium S. Florentii transierat, concedat absolutionem a censuris, dispensationem ab irregularitate et facultatem remanendi in dicto monasterio et ordine (1).

1438, novembris 7, Ferrariae.

Indefessa Apostolicae Sedis clementia *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, VII idus novembris, ... anno VIII.

395. Mandat, ut conventui de Bettonia O. F. M., Assisinat. dioec., provideat de sufficienti numero fratrum O. F. M. de observ. et, ut fr. Benedictum de Spoleto O. F. M. in gratiam recipiat (2).

1438, novembris 7, Ferrariae.

Dilecto filio Guillelmo de Casali, ordinis Minorum generali ministro.

Cum sit debitum et consonum rationi *etc.* Cum igitur dilecti filii universitas et homines terrae Nostrae Bettoniae, dioec. Assisinat., ecclesiam habeant et conventum tui ordinis *etc.* et qui, ut asserunt, certis ex causis iam ferme fratribus

(1) Reg. Lat. t. 359, f. 43v. (2) Reg. Vat. t. 367, f. 125v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 44.

destitutus est in non parvum detrimentum, iacturam et scandalum animarum terrae praedictae, et quod sine aliqua aestimationis totius ordinis ac principaliter tuae devotionis iactura transire non potest, propterea Nobis instanter supplicari fecerunt *etc.* Igitur ... devotioni tuae iniungimus et mandamus in virtute obedientiae, ... quatenus diligenter curare velis, ne inconveniens huiusmodi procedat ulterius, ipsi conventui de sufficienti numero fratrum de observantia, postquam ita desiderant homines, illi celeriter providere, mandando dilecto filio Bernardino de Senis, tui ordinis et eiusdem devotionis tuae vicario, quatenus fratres aliquos, quot et quales eidem videbitur opportunum, pro satisfactione pii dictorum hominum desiderii ad dictum conventum quantocius destinare ac deinceps, ut fratres huiusmodi, quot eidem loco satisfacere possint, in eodem loco permaneant, disponere et ordinare procuret. Volumus etiam ac tuam in Domino requirimus et hortamur charitatem, quatenus dilectum filium Benedictum de Spoleto, fratrem eiusdem tui ordinis, qui fere solus in eodem conventu remansit, ad gratiam et clementiam tuam in visceribus charitatis recipias, et si qua in re tibi non plene obediens fuisse visus sit, quod etiam de mandato quorumdam officialium Nostrorum fecit, eidem pro Nostra et Apostolicae Sedis reverentia indulgeas. Si enim tibi illisque propositum est, ut certe esse debet, animas fidelium Deo lucrifaciendi, idque sit insigne opus et officium charitatis, nisi ex machinatione humani generis inimici procedat, nescimus, unde inter vos possit huiusmodi intervenire dissensio. Ne igitur ipsum inimicum gloriari contingat, danda opera est, ut demolita omni dissensionis huiusmodi machinatione charitas ipsa, quae Deus est, praevaleat, cuius instinctu omnia in pacis et concordiae vinculo conservantur: quod sane faciendo gratam ipsi Deo rem et Nobis valde acceptam animabus etiam illis valde utilem efficies.

Datum Ferrariae, VII (?) novembris, ... anno VIII.

396. Commendat Iacobum de Marchia O. F. M. in Hungariam destinatum (1).

1438, novembris 15, Ferrariae.

Charissimo in Christo filio Alberto Romanorum ac Hungariae regi illustri.

Dudum dilectum filium Iacobum de Marchia, ordinis Minorum, latorem praesentium, inquisitorem ad praefatum regnum Hungariae destinavimus, qui disponente Domino iniunctum sibi officium huiusmodi pro exaltatione fidei catholicae ad Dei gloriam et animarum salutem diligenti studio et puritate exsecutus est, ita ut multa mala semina et venenosas radices sustulerit et exstinxerit multasque novas plantationes ex divini verbi semine in domo Domini succrescere fecerit, sicut et serenitati tuae etiam innotescit. Hic tamen ob nonnullas molestias ab aliquibus impiis hominibus, qui se etiam catholicos profitentur, sibi illatas pene constringi videtur ab hoc opere sancto dudum incoepto desistere. Nos autem, considerantes, quid spei ex praedictis huius servi Dei operibus in futurum concipere debeamus, compatientesque illi regno, quod, antequam illam fidei Nostrae puritatem inibi maculare videamus, decrevimus ipsum ad praefatum regnum omnino remittere ad illud opus Dei, prout optime incoeperat, prosequendum, ea praecipue spe ducti, ut sub protectione tua in hac Christi militia se valeat exercere. Cum enim regnum illud in veritate et iustitia a te regendum ab omnipotente Deo tibi creditum sit nihilque tibi iustius sit, quam catholicam fidem defendere, ad sublimitatem tuam primum pertinet, ut in huiusmodi fidei negotio militantibus, qualis vir iste est, opem feras. Quare serenitatem tuam hortamur in Domino, ut ipsum Iacobum ad praefatum regnum revertentem solita humanitate suscipias et ab aliis, prout opus fuerit, suscipi iubeas illique auxiliis et favoribus opportunis assistas. Quod si facies, ut de te plene confidimus, speramus profecto magnum fidei et religionis christianae augmentum illi patriae futurum, multa etiam tibi feliciter successura, dum per ipsius doctrinam exstirpatis haeresibus subditi tui in rectitudine fidei et timore Domini eruditiores effecti ad debitam tibi obedientiam et reverentiam exhibendam promptiores reddentur. Neque sublimitati tuae difficile erit huic veritatis praeconi opportune succurrere. Nam, si paucos ex iis, qui illi molestias ingerunt, tua virtute represseris, timentibus ceteris nihil obstabit, quo ad evangelizandam Christi doctrinam latissimus sibi se campus aperiat, ex quo pro Dei gloria omni illi patriae fructus uberes afferantur, qui etiam nomen et meritum tuum apud Deum et homines maiorem in modum efferant, et quidem haec, fili charissime, pro tua religione et fide animo ista complectere et, quantum consideranti tibi Christus illuxerit, illa prosequi studeas, sicut de tua serenitate, ut supra diximus, plene speramus. Nos etiam, si quid pro implendis huiusmodi

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 59; Wadd. *Ann.* ad a. 1438, n. 20.

rebus ex parte Nostra faciendum fuerit, id libenti animo semper impendemus.

Datum Ferrariae, ... XVII kal. decembris, ... anno VIII.

397. Commendat Iacobum de Marchia in Hungariam destinatum (1).

1438, novembris 15, Ferrariae.

Archiepiscopo **

Ven. fr. sal. etc. Dudum dilectum filium *etc. (ut in bulla praecedente usque ad)* succrescere fecerit. Cumque intelligamus eum, ne in talento sibi commisso negotietur, ab aliquibus impiis hominibus, qui etiam se catholicos audent profiteri, molestias multas fuisse perpessum, profecto tecum condolere compellimur. Non enim dubitamus et te moleste laturum, cum animo plene perceperis, quantam Dei offensam talia pariant, quantumque ipsius antiquae puritatis et rectitudinis fidei verae nomen obnubiletur, atque te adhibiturum, quantum in te fuerit, opportuna subsidia. Quod, ut facias, fraternitatem tuam hortamur et obsecramus in Domino. Ad te siquidem praecipue pertinere dubium non est, quem pastorem dedit Dominus super gregem suum et custodem super muros Ierusalem te posuit, ut die et nocte non cesses laudare nomen eius. Quid enim amplius pro Dei gloria, quidve salubrius pro populo tibi credito, quid deinde pro animae tuae merito magis afferre potes, quam hominem a Nobis, Christi vicario, ad evangelizandam fidei veritatem ac revincendos impios ad te destinatum suscipere, fovere et omni consilio et auxilio illi assistere, quo uno verae fidei cultorem esse te comprobas. Quae cum ita sint, prout etiam recto corde et volenti animo ea percipere te confidimus, ipsum Iacobum et omne negotium sibi commissum fraternitati tuae magnopere commendamus. Neque tibi deerit clementissimus Deus, sed quod pro his a te faciendum fuerit, ministrabit de coelo. Nos etiam et ipsam Apostolicam Sedem ad opportunos favores atque ad gratiam et benevolentiam in te invenies semper propitios et paratos.

Datum Ferrariae, XV novembris, ... anno VIII.

398. Eidem concedit privilegium, quod a nullo possit excommunicari sine speciali mandato apostolico (2).

1438, novembris 15, Ferrariae.

Dilecto filio Iacobo de Marchia, ordinis Minorum, in partibus regnorum Hungariae, Bosnae et locis confinibus haereticae pravitatis inquisitori.

Cum te ad partes dictorum regnorum pro exstirpandis haeresibus, quae proh dolor! temporibus istis in illis partibus pullulare coeperunt, plantandaque catholicae fidei veritate duxerimus destinandum, ac prout accepimus, quandoque contingat nonnullos livoris zelo accensos, ut officii tui exsecutionem impediant, excommunicationis in te sententias fulminare ac propterea te ab ipsius officii tui exercitio retardari, propterea Nos, qui de tua integritate et sinceritate singularem in Domino fiduciam obtinemus, cupientes te, quominus libere in officio tuo valeas versari, nullatenus impediri, devotioni tuae, ut nullus, cuiuscumque dignitatis, ordinis vel conditionis exsistat, etiamsi archiepiscopali, episcopali vel alia quavis praefulgeat dignitate, in te sententiam excommunicationis aut alterius cuiusvis censurae vel poenae ferre vel fulminare aut te excommunicatum denuntiare aut locum, in quo te esse vel morari contingat, ratione tui vel sociorum tuorum ecclesiastico subiicere interdicto absque speciali commissione et mandato Nostris et Apostolicae Sedis te nominatim expresso audeat vel praesumat, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus; quod si quis facere praesumpserit, huiusmodi sententiam excommunicationis seu interdicti aut alterius censurae vel poenae decernimus irritam et inanem esse nulliusque prorsus roboris vel momenti ac te et socios tuos ad observationem interdicti huiusmodi penitus non teneri; praesentibus durante officii tui huiusmodi inquisitionis penitus valituris; sed et tales, ut graviter delinquentes, decernimus puniendos.

Datum Ferrariae, anno ... 1438, XVII kal. decembris, ... anno VIII.

399. Eidem concedit *a)* facultatem a crimine homicidii absolvendi illos, qui senio vel alias impediuntur ab adeundo Sedem Apostolicam (3) *b)* absolvendi nobiles a casibus Sedi Apostolicae reservatis (4).

1438, novembris 15, Ferrariae.

Eidem.

Cum te ad partes regnorum *etc., (ut in praecedenti usque ad)* destinandum, Nos volentes ea tibi concedere, per quae animarum illarum partium saluti possit salubriter provideri, devotioni tuae ac aliis tui ordinis per te eligendis fratribus in sacerdotio constitutis personas dictorum regnorum, quae propter senium seu

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 126v. Nomen archiepiscopi, ad quem hae litterae diriguntur, in codice deest.

(2) Reg. Vat. t. 367, 58v et 59v; Wadd. *Ann.* ad a. 1438, n. 17 « ex autographo », sed kalendis decembris.

(3) Reg. Vat. t. 367, f. 59v; Wadd. *Ann.* ad a. 1438, n. 18 « ex autographo ».

(4) Reg. Vat. l. cit.; Wadd. l. cit. n. 19.

infirmitatem vel paupertatem aut alia legitima impedimenta ad Apostolicam Sedem pro absolutione obtinenda venire non possunt, ab homicidiis, quae non tamen in presbyteros commiserunt, et aliis peccatis et excessibus suis, etiamsi talia forent, de quibus Sedes Apostolica esset merito consulenda, semel dumtaxat, si hoc humiliter petierint, auctoritate Nostra absolvendi ac poenitentiam salutarem iniungendi, addito, quod de cetero similia non committant nec committere volentibus praestent auxilium, consilium, vel favorem, eadem auctoritate tenore praesentium concedimus facultatem.

Datum *ut supra.*

Eidem.

Cum te ad partes regnorum *etc., (ut in praecedente usque ad)* in sacerdotio constitutis, singulos nobiles regni Hungariae, qui hoc humiliter petierint, ab omnibus et singulis peccatis, criminibus et excessibus suis, quae tibi aut fratribus praedictis confitebuntur, etiamsi talia forent, propter quae Sedes praedicta foret merito consulenda, semel dumtaxat auctoritate Nostra absolvendi ac poenitentiam pro commissis salutarem iniungendi eadem auctoritate tenore praesentium concedimus facultatem.

Datum *ut supra.*

400. Mandat, ut in officio suo permaneat (1).

1438, novembris 15, Ferrariae.

Fratri Iacobo Delfino, guardiano Montis Sion.

Dil. fil. sal. Nonnullorum fide dignorum relatione comperto, quod tu in tui guardianatus officio, quod geris a Deo, prudenter et laudabiliter te geris, ut ex tuis operibus et honoris Dei et conventuum tui ordinis, quorum curam geris, augmentum et exaltatio consequantur, eapropter devotionem tuam in Domino commendantes et, ut in talibus operibus in dies ferventior ac sollertior exsistas, exhortantes, mandamus tibi tenore praesentium, ut in exercitio eiusdem officii permaneas, quousque per Nos seu per dilectum filium generalem ministrum tui ordinis in futuro generali capitulo fuerit aliter ordinatum.

Datum Ferrariae, XV novembris, ... anno VIII.

401. Mandat, ut Sedem Apostolicam certiorem faciat, utrum legatum Nicolai Chesis de Montepolitiano pro pauperibus sine dissensione civium possit converti in favorem locorum Terrae Sanctae (2).

1438, novembris 16, Ferrariae.

Gubernatori Perusii.

Dil. fil. sal. Dilectus filius Antonius de Tervisio, ordinis Minorum, procurator conventuum montis Sion et aliorum, qui Hierosolymis sunt, eiusdem ordinis, Nobis exponi curavit legatum a quodam olim Nicolao Chesis de Montepolitiano, in civitate Nostra Perusii commorante, dilectae in Christo filiae Iacobae, eius filiae, de certis possessionibus seu immobilibus bonis factum sub certis modis et conditionibus, prout in instrumento dicti Nicolai Chesis dicitur latius contineri. Secundum quas quidem conditiones, cum praedicta bona post mortem dictae mulieris inter pauperes Christi distribuenda essent, tamen praedicta Iacoba, fervore devotionis, quam ad loca et conventus, qui Hierosolymis sunt, dicti ordinis Minorum, gerit, inducta, praefata bona cum omnibus iuribus et pertinentiis eorum omni modo et via, quibus melius poterit, dictis conventibus seu praefato Antonio procuratori recipienti nomine dictorum conventuum donavit, prout in quodam instrumento publico super ipso contractu donationis confecto plenius continetur. Quare, cum pro parte Iacobae et Antonii praedictorum esset Nobis supplicatum, ut super huiusmodi commutatione legati dispensantes auctoritatem Nostram interponere dignaremur, licet id Nobis satis iustum et rationabile videatur, cum utrumque in piam causam factum negari non possit, tamen, cum intelligamus bona huiusmodi a nonnullis civibus maioris etiam in civitate Perusinae aestimationis detineri, non vellemus ex huiusmodi dispensatione aliquibus inter cives dissensionibus aut scandalis ex tali dispensatione viam aperire. Quocirca devotioni tuae, de qua singularem in Domino fiduciam obtinemus, committimus et mandamus tenore praesentium, quatenus te de praedictis diligenter informes et, si sine dissensione aut scandalo civium videas dispensationem huiusmodi fieri posse, quod tamen volumus, ut cum omni diligentia procures cum civibus memoratis, tunc Nos in omnem eventum facias certiores, ut super huiusmodi negotio melius et salubrius providere ac deliberare possimus.

Datum Ferrariae, XVI novembris, ... anno VIII.

402. Iubet, ne fratres provinciae Apuliae O. F. M. molestent conventum B. Andreae de Barulo eiusdem ordinis (Barletta) circa libros a Guillelmo quondam de Venusio (Venosa) O. F. M. donatos (3).

1438, novembris 26, Ferrariae.

Ministro et ceteris omnibus fratribus provinciae Apuliae et fratribus conventus Venusin. ordinis Minorum.

Dil. filii sal. Cum, prout alias ad notitiam Nostram pervenit, Guillelmus quondam de Ve-

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 127. Cf. supra n. 120, p. 63. (2) Reg. Vat. t. 367, f. 127 v. (3) Reg. Vat. t. 367, f. 129 v.

nusio, ordinis Minorum, libros quosdam seu res alias, quos ex fidelium piis eleemosynis ac diversis in locis et temporibus acquisiverat, ex speciali affectu charitatis, quam ad domum et conventum S. Andreae de Barulo gerebat, [eidem domui] donasse diceretur, pro parte fratrum et conventus praedictorum fuit Nobis humiliter supplicatum, quatenus donationem huiusmodi pro ipsius firmiori subsistentia ratificare et acceptare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, tunc attendentes, quod ex donatione huiusmodi nullum ipsi ordini praeiudicium fieret, cum nihilominus libri ipsi in ordine remanerent, et quod ex industria et gratia, quam eidem Guillelmo in praedicatione verbi Dei Altissimus dederat, libros ipsos et res sibi paravisset, ac etiam dictorum fratrum et conventus supplicationibus inclinati, donationem praedictam ratam habuimus ac voluimus habere perpetuam roboris firmitatem, prout in litteris Nostris superinde confectis plenius continetur. Eapropter devotioni vestrae in virtute sanctae obedientiae iniungimus et mandamus tenore praesentium, quatenus praetextu librorum seu rerum praedictorum dilectos filios vicarium et conventum S. Andreae de Barulo praefatos nullatenus deinceps molestare velitis librosque ipsos et res apud praefatos conventum et fratres perpetuo esse et remanere permittatis, prout praefati quondam Guillelmi ultimae voluntati convenire et consonare dignoscitur; absolventes tamen ad cautelam dictos vicarium et fratres ab omni excommunicationis vinculo, si quo per te, dilecte fili vicari, huiusmodi librorum praetextu fuerint innodati.

Datum Ferrariae, XXVI novembris, ... anno VIII.

De eadem re eodem die scribit (1) *Archiepiscopo Tranen.*

Ven. frater sal. Cum Nos dudum donationem quorumdam librorum factam fratribus et conventui S. Andeae de Barulo, ordinis Minorum, per quondam G. de Venusio, dicti ordinis, per quasdam Nostras certi tenoris litteras duxerimus approbandam, prout in litteris Nostris superinde confectis plenius continetur, ac, prout accepimus, dilectus filius minister provinciae Apuliae eiusdem ordinis necnon alii fratres eiusdem provinciae praefatis fratribus et conventui super dictis libris molestiam inferre non desinant, asserentes ad conventum et fratres de Venusio, eiusdem ordinis, libros pertinere, cui Nos breve scribimus tenoris praesentibus interclusi, propterea fraternitati tuae committimus et mandamus tenore praesentium, quatenus vicarium et fratres S. Andreae praedictos in possessione dictorum librorum protegas et defendas, si forte a praefato ministro vel aliis quibuscumque dicta occasione eis super praedictis libris molestia actualiter inferretur. Datum *ut supra.*

403. Mandat, ut moniales monasterii S. Clarae de Medina de Pumar, O. S. Cl., et Franciscum de Soria O. F. M. ab excommunicatione et irregularitate absolvat idemque monasterium reducat sub regimen dicti Francisci (2).

1438, decembris 10, Ferrariae.

Dilecto filio decano ecclesiae Oveten.

Ex debito pastoralis officii *etc.* Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Petri Fernandi de Velasco, comitis de Haro, Calaguritan. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim, postquam pro parte sua fel. rec. Martino papae V, praedecessori Nostro, fuerat expositum, quod monasterium S. Clarae de Medina de Pumar, ordinis eiusdem sanctae, Burgen. dioec., quod per ipsius comitis progenitores fundatum exstiterat, et in quo per prius retroactis temporibus sub debita et laudabili conversatione vita monastica et regularis observantia teneri consueverat, licet succedente malitia temporis certa in eo succrevisset infamia, ipseque comes desideraret monasterio eiusdem sanctae de Oterdesillas, eiusdem ordinis, Palentin. dioec., in quo speculum vitae monasticae omni cum integritate relucet, in vita, institutis et moribus conformari ac sub cura et gubernatione dilecti filii Francisci de Soria, ordinis fratrum Minorum professoris, sub cuius regimine ac sana doctrina, visitatione, correctione et instructione monasterium de Oterdesillas praefatum ex indulto apostolico commissum exsistebat, monasterium ipsum de Medina constitui et etiam deputari, praefatusque praedecessor, ipsius comitis supplicationibus inclinatus, dilecto filio priori monasterii B. Mariae de Fresdelnal per priorem soliti gubernari, ordinis S. Hieronymi, dictae Burgen. dioec., eius proprio nomine non expresso per suas certi tenoris litteras, ut, si praemissa reperiret vera fore et sibi expediens videretur, praefatum monasterium de Medina eidem monasterio de Oterdesillas quoad vitam monasticam et regularem observantiam in eodem monasterio de Medina servandas auctoritate apostolica con-

(1) Reg. Vat. l. cit. f. 130. In fine leguntur verba: In eodem tenore scribatur civibus et universitati Barulae.

(2) Reg. Lat. t. 352, f. 281. Cf. sup. n. 336 p. 156. De Petro Fernandi de Velasco cf. supra n. 67, p. 41, nota 2.

formaret necnon potestatem eidem Francisco quoad monasterium de Oterdesillas, ut praefertur, concessam etiam ad monasterium de Medina praefatum eiusque abbatissam et sorores extenderet ceteraque faceret et concederet, prout in iisdem praedecessoris litteris per praefatum priorem ad omnimodum ipsarum effectum executioni debitae demandatis, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, dicitur plenius contineri (1), dederat in mandatis: dilectus filius Noster Iohannes, tit. S. Petri ad vincula presbyter cardinalis, contra huiusmodi concessa veniens, apostolica tamen, ut dicitur, auctoritate suffultus, statuit et ordinavit, quod omnes et singuli fratres dicti ordinis Minorum non obstantibus quibuscumque privilegiis, concessionibus et indultis quomodocumque, qualitercumque, generaliter vel specialiter in Romana curia, etiam in concilio Constantiensi concessis generalibus et provincialibus ministris, custodibus, guardianis et quibusvis aliis praelatis eiusdem ordinis fratrum Minorum obedire tenerentur et deberent, omnia et singula privilegia et indulta huiusmodi cassando, irritando et annullando ac nullius etiam roboris decernendo, quodque, si monasteria monialium aliqua ex indulto apostolico quibusvis particularibus fratribus commissa forent, fratres particulares huiusmodi sub poena inobedientiae provincialibus inibi ministris illa resignare deberent, aliaque ordinavit et fecit, prout in eiusdem cardinalis litteris, quas etiam praesentibus haberi volumus pro expressis, dicitur plenius contineri (2). Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, si abbatissa et sorores dicti monasterii de Medina, quae sub regimine et gubernatione dicti Francisci de Soria aliquamdiu cum animi quiete et laudabiliter perstiterunt, praetextu statutorum et ordinationum per dictum cardinalem factorum sub regimine et gubernatione ministrorum et custodum huiusmodi subderentur, magna possent progressu temporis detrimenta subire seque dicta occasione multipliciter aggravari, quare pro parte dicti comitis, qui ad idem monasterium de Medina magnum gerit devotionis affectum, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut statui eiusdem monasterii necnon quieti et paci abbatissae et sororum praedictarum opportune providere de Apostolicae Sedis clementia dignaremur. Nos itaque, qui scandalis christifidelium obviantes, libenter ipsarum animarum quieti consulimus, de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si per diligentem informationem super his per te sollerter habendam praemissa reppereris veritate subniti, super quo tuam conscientiam oneramus, abbatissam et sorores monasterii de Medina necnon Franciscum praedictos ab omnibus excommunicationum, suspensionum et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, si quas forsan occasione praemissa contra abbatissam et sorores ac Franciscum praefatos latas inveneris seu etiam promulgatas, auctoritate praefata absolvas in forma ecclesiae consueta iniunctis eis *etc.* Et nihilominus cum ipsis et eorum quolibet super irregularitate ... eadem auctoritate dispenses ... praefatumque monasterium de Medina eiusque abbatissam et sorores sub gubernatione, directione et regimine dicti Francisci et suorum in potestate huiusmodi successorum iuxta ipsius praedecessoris litteras, seriem atque formam praefata auctoritate reducas, constituas et submittas in omnibus et per omnia perinde, ac si statuta, ordinationes, cassationes, revocationes et decretum per ipsum cardinalem facta et ordinata nullatenus emanassent, praemissis ac constitutionibus ... non obstantibus quibuscumque.

Datum Ferrariae, anno ... 1438, IV idus decembris, ... anno VIII.

404. Mandat, ut domum Pensaurien. quarumdam religiosarum mulierum certam regulam non habentium, a nobilibus de Malatestis assignatam, erigat in monasterium O. S. Cl. sub vocabulo Corporis Christi et vicario O. F. M. de observantia subiiciat (3).

1438, decembris 10, Ferrariae.

Venerabili fratri episcopo Pensaurien.

Ad apostolicae dignitatis apicem *etc.* Sane pro parte dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Baptistae de Malatestis, domicellae in civitate Nostra Pensaurien. commorantis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias in dicta civitate per nonnullas nobiles de Malatestis quibusdam devotis mulieribus in dicta civitate moram trahentibus, non tamen aliquam de approbatis regulis expresse professis, pro ipsarum usu et habitatione perpetuis certa domus exstitit assignata, in qua orationibus et aliis piis operibus intendere possent, ipsaeque mulieres longis temporibus in dicta domo ex ipsorum nobilium eleemosynis et aliorum christifidelium adminiculis vitam duxerunt commendabilem et honestam, ac dicta Baptista devotionis zelo succensa pro suae ac suorum progenitorum animarum remedio dictae domui subvenire proponit, affec-

(1) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1788, p. 686. (2) Vide supra n. 4, p. 5a. (3) Reg. Lat. t. 363, f. 117.

tans, quod in eadem ordo S. Clarae, ad quem ipsa Baptista singularem devotionis gerit affectum, erigatur et instituatur ac in dicta domo sub vocabulo Corporis Christi moniales sive sorores sub eiusdem ordinis regularibus habitu et observantia perpetuo degant. Quare pro parte dictae Baptistae *etc.* Nos igitur, ... tam pium ipsius Baptistae propositum in Domino multipliciter commendantes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, in dicta domo praefatum ordinem erigas et instituas ac dictae Baptistae domum, quae deinceps monasterium sit, et ecclesiam cum altari, campanili, campana, dormitorio ac aliis necessariis officinis necnon structuris et aedificiis ampliandi et decorandi pro usu et habitatione perpetuis priorissae ac monialium sive sororum, quae dilecto filio vicario ordinis fratrum Minorum de observantia pro tempore exsistenti immediate subsint, inibi sub regularibus habitu et observantia praemissis Altissimo famulantium perpetuo permaneant, auctoritate Nostra licentiam largiaris. Et insuper, si erectionem et institutionem praedictas per te fieri contigerit, dictae domui ac priorissae, monialibus sive sororibus et personis, quas ibidem pro tempore residere contigerit, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* iure tamen *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, IV idus decembris, ... anno VIII.

405. In lite de haereditate Iohannis Sancii de Sibilia inter certos haeredes et monasterium O. S. Cl. Vallisoleti committit auditionem causae de natalibus Petri Sancii de Sibilia (1).

1438, decembris 13, Ferrariae.

Dilectis filiis cantori Zamoren. et Alfonso Roderici de Valentia ac Didaco Sancii de Soria, canonicis Salamantin. ecclesiarum.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Fernandi Roderici de Sibilia necnon Iohannis laicorum ac Maioris, Iohannae, Catharinae et Mariae mulierum dictorum de Porres, Salamantin. et Zamoren. dioec., petitio continebat, quod, licet quaedam haereditates et bona per quondam Iohannem Sancii de Sibilia laicum tempore sui obitus relicta iure successionis ad ipsos Fernandum, Iohannem et mulieres legitime pertineant, tamen dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii S. Clarae Vallisoleti, ordinis eiusdem sanctae, necnon Ysabel Sancii et Maria Roderici Bonifaz, quondam Petri Sancii de Sibilia natae, etiam mulieres Palentinae dioec., minus veraciter praetendentes dicta haereditates et bona ad se spectare, super illis ac eorum occasione praedictos Fernandum, Iohannem, Maiorem, Iohannam, Catharinam et Mariam coram quibusdam saecularibus iudicibus curiae charissimi in Christo filii Iohannis, Castellae et Legionis regis illustris, traxerunt in causam, in qua ad aliquos actus inter partes ipsas est processum. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, in huiusmodi processu natalium dicti Petri, ex cuius persona abbatissa, conventus et natae praedictae sibi haereditates ac bona huiusmodi vindicare conantur, quod illegitimus erat et in praedictis haereditatibus ac bonis ius propterea non habuerat, causa sit delata: Nos attendentes, quod illa, si quae sit, ad ecclesiasticum forum pertinet, ac priusquam causa successionis huiusmodi debeat terminari, necnon ipsius successionis causae statum praesentibus habentes pro expresso dictorumque Fernandi, Iohannis, Maioris, Iohannae, Catharinae et Mariae in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam vocatis abbatissa, conventu et natis praedictis necnon aliis, qui fuerint evocandi, vobis de praemissis expositis legitime constiterit, causam natalium huiusmodi audiatis debitoque fine decidatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem *etc.* Rursus curiae huiusmodi et aliis quibuslibet saecularibus iudicibus sub censuris et poenis ecclesiasticis, de quibus vobis videbitur, auctoritate Nostra inhibeatis, ne in dicta causa successionis praefatae, donec huiusmodi natalium causa terminata fuerit, procedere quoquomodo praesumant, decernentes irritum *etc.* Non obstantibus fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* Aut si abbatissae, conventui et natis praedictis vel quibusvis aliis *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, idibus decembris, ... anno VIII.

406. Confirmat incorporationem monasterii S. Silvestri O. S. Cl. Urbinat. ad monasterium S. Luciae eiusdem civitatis (2).

1438, decembris 15, Ferrariae.

Venerabili fratri episcopo Fanen.

Ad ea, quae pro commodo et utilitate monasteriorum *etc.* Dudum siquidem pro parte dilecti

(1) Reg. Lat. t. 361, f. 106 v.
(2) Reg. Lat. t. 362, f. 278; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 46. De monasterio S. Silvestri cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1403, p. 516, nota 3.

filii nobilis viri Guidantonii, comitis Montisferetri (1), Feretran. dioec., fel. rec. Martino papae V, praedecessori Nostro, exposito, quod monasterium S. Silvestri, ordinis S. Clarae Urbinaten. dioec., in loco campestri situm, et in quo abbatissa et nonnullae moniales in castimoniae puritate sub religionis habitu vota sua Altissimo exsolvere consueverant, a nonnullis citra temporibus laxato pudicitiae freno, Dei timore postposito et ad carnis lubricitatem prolapsae, vitam ducebant per omnia dissolutam in religionis contemptum, suarum animarum periculum et scandalum plurimorum, quodque ad huiusmodi scandala submovenda, si monasterium ipsum abbatissali in eo dignitate suppressa monasterio S. Luciae Urbinaten., cuius abbatissa et moniales sub regulari observantia et vitae puritate Altissimo sua reddunt vota, uniretur, incorporaretur et annecteretur, domus ipsius monasterii melius gubernari monialesque inibi degentes ad monasticam vitam reduci in divini nominis laudem, ordinis eiusdem incrementum et illarum animarum salutem et exemplum laudabile plurimorum valerent, et demum per eumdem comitem pro huiusmodi unione humiliter supplicato eidem praedecessori, idem praedecessor dilecto filio praeposito ecclesiae Urbinaten. eius proprio nomine non expresso suis dedit litteris in mandatis, ut, si vocatis abbatissa et conventu dicti monasterii S. Silvestri et aliis, qui forent evocandi, per diligentem informationem super praemissis habendam ea vera fore reperiret, abbatissali dignitate in ipso monasterio S. Silvestri suppressa penitus et exstincta, illud cum omnibus iuribus et pertinentiis suis praefato monasterio S. Luciae auctoritate apostolica incorporaret, uniret et annecteret, prout in litteris eiusdem praedecessoris, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Luciae praefati petitio continebat, idem praepositus, ad litterarum dicti praedecessoris exsecutionem procedens, abbatissalem dignitatem in dicto monasterio S. Silvestri suppressit ac ipsum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis monasterio S. Luciae praefato in perpetuum annexuit, univit et incorporavit, quarum unionis, annexionis et incorporationis vigore abbatissa et conventus praedictae possessionem dicti monasterii S. Silvestri assecutae, illud tenuerunt et possederunt, prout tenent et possident de praesenti pacifice et quiete. Quare pro parte abbatissae et conventus praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi reppereris ita esse, ... suppressionem, annexionem, unionem et incorporationem ac assecutionem praedictas et omnia alia inde secuta, prout rite et provide facta sunt, auctoritate Nostra approbes et confirmes, supplendo omnes defectus *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, XVIII kal. ianuarii, ... anno VIII.

407. Concedit facultatem denuo acceptandi septem alios conventus (2).

1438, decembris 24, Ferrariae.

Dilectis filiis fratribus vicariae Bosnae, ordinis fratrum Minorum professoribus.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Dudum siquidem Nos, dilecti filii Iacobi, ordinis Minorum professoris, vicarii Bosnae, asserentis circa sedecim ecclesias et domos fratrum dicti ordinis spatio duorum annorum a Turcis destructas et combustas fuisse, supplicationibus inclinati, vobis per alias Nostras litteras in regno Hungariae septem loca, si vobis pia largitione fidelium concederentur vel alias iustis modis illa possetis adipisci, recipere et retinere et in quolibet ipsorum locorum ecclesiam sive oratorium cum campanili, campana, coemeterio, domibus et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione vestra et fratrum dicti ordinis servata debita distantia construere et aedificare necnon quoscumque fratres dicti ordinis etiam de vicaria Bosnae exsistentes, ad id voluntarios, de superiorum suorum licentia transferre et recipere ac inibi una cum eisdem fratribus sub regularibus institutis dicti ordinis Altissimo famulari necnon missas et alia divina officia celebrare ac verbum Dei praedicare libere et licite valeatis, ordinarii loci super hoc consensu minime requisito licentiam et plenariam facultatem concessimus. Et nihilominus vobis et universis fratribus in eisdem domibus et locis pro tempore moraturis, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis et gratiis quibuscumque, generalibus et specialibus, quorumcumque tenorum exsisterent, fratribus eiusdem ordinis per Sedem Apostolicam concessis et in posterum concedendis uti et gaudere valeretis et valerent auctoritate praedicta indulsimus, prout in ipsis litteris plenius continetur (3). Cum autem, sicut exhibita

(1) De eo cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1444, p. 532 et supra n. 276, p. 127.

(2) Reg. Lat. t. 362, f. 228.

(3) Cf. supra n. 345, p. 159 et n. 383, p. 176.

Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos nonnulla praedicti regni loca praefatae concessionis vigore licite acquisiveritis inibique regularem observantiam institueritis, propter quod christifidelium illarum partium animos ad devotionem, prout vobis a Deo concessum est, incitastis et, si alia vobis loca pro ipso ordine recipiendi daretur facultas, uberem speratis Altissimo reddere animarum fructum, quare pro parte vestra fuit Nobis humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, intendentes religionem nostris potissime temporibus ampliare, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis alia septem loca in regno praedicto, si vobis pia fidelium largitione concedantur vel alias iustis modis illa possitis adipisci, recipiendi et retinendi et in quolibet ipsorum locorum ecclesiam sive oratorium cum campanili, campana, coemeterio, domibus et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione vestra et fratrum dicti ordinis debita servata distantia construendi et aedificandi necnon quoscumque fratres dicti ordinis, etiam de vicaria Bosnae exsistentes, ad id voluntarios, de superiorum suorum licentia transferendi omniaque alia et singula faciendi et agendi, quae in praemissis litteris Nostris circa primo dicta septem loca huiusmodi vobis quomodolibet sunt concessa, concedimus facultatem. Nos enim vobis et universis fratribus in eisdem ultimis domibus et locis pro tempore moraturis, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.*, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, IX kal. ianuarii ... anno VIII.

408. Mandat, ut Nicolaum rectorem parochialis ecclesiae impediat a molestatione fratrum O. F. M. circa quamdam capellam prope oppidum Rivaedominarum Agrien. dioec., fratribus concessam per Georgium despotam Hungariae (1).

1438, decembris 24, Ferrariae.

Venerabili fratri episcopo Agrien.

Decet Romanum pontificem *etc.* Dudum siquidem dilecto filio Iacobo, ordinis Minorum professori, vicario Bosnae, et illius fratribus septem loca in regno Hungariae, si eis pia christifidelium largitione concederentur, recipiendi et retinendi ac in quolibet illorum locorum ecclesiam sive oratorium cum necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis, qui inibi sub regulari observantia viverent, construendi et aedificandi aliaque faciendi per alias Nostras litteras (2), prout in ipsis, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro sufficienter expresso, plenius continetur, facultatem concessimus. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Iacobi petitio continebat, nonnulli fratres dicti ordinis vigore concessionis praedictae et ex assignatione dilecti filii nobilis viri Georgii despotae regni Hungariae inter cetera prope oppidum Rivadominarum, Agrien. dioec., quamdam capellam ruinosam omnibus iuribus et pertinentiis illius dilecto filio Nicolao rectori parochialis ecclesiae, sub cuius limitibus ipsa capella exsistit, dimissis obtinuerunt ipsamque capellam ex voluntate et consensu tuo et Nicolai praedicti aedificare inceperunt, eamdem pro oratorio pro usu et habitatione suis reformare et reparare intendentes, et, sicut eadem petitio subiungebat, rector praedictus, dolens forsitan, ut creditur, de populi devotione erga ipsos fratres, opus inceptum perficere non permittit, eos perturbans diversis modis, quominus cum quiete Altissimo valeant in ipso acquisito loco famulari, quare pro parte dictorum Iacobi et fratrum fuit Nobis humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, cupientes fratribus praedictis inquietudinis cuiusvis materiam subtrahi, eorum supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus tibi constito de praedictis praefato rectori sub excommunicationis et privationis suorum beneficiorum sententiis et poenis praecipias et mandes, ne ipsos fratres quovis modo inquietare seu perturbare praesumat, simili poena quosvis alios in praedicto opere ipsis fratribus, quominus illud perficere et ibi Altissimo famulari possint, se opponentes et ipsis quo ad hoc impedimentum afferentes plectendo, invocato *etc.*, non obstante, si rectori praedicto vel quibusvis aliis *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, IX kal. ianuarii, ... anno VIII.

409. Innovat litteras Benedicti XI (3).

Ferrariae.

Ad futuram rei memoriam.

Ex Apostolicae Sedis provisione *etc.* Hinc est, quod Nos ad instantiam dilectorum filiorum ministri provincialis et fratrum ordinis Minorum provinciae Turonen. quasdam fel. rec. Benedicti papae XI, praedecessoris, litteras in cancellaria inspici examinarique diligenter et earum, cum incipiant vetustate consumi, tenorem praesentibus de verbo ad verbum characteribus ac sub-

(1) Reg. Lat. t. 362, f. 227; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 47. (2) Vide supra n. 345 p. 159 et n. 383, p. 176. (3) Reg. Vat. t. 367, f. 62. In cod. deest indicatio diei et mensis.

scriptionibus dumtaxat exceptis inseri fecimus, quae talis est:

Benedictus *etc.*

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Turonen. ac Trecoren. et Aurelianen. episcopis etc.

Super egenum nuper intendentes et pauperem *etc. (ut in Bull. Franc. t. V, n. 32, p. 18).*

Datum Romae, apud S. Petrum, IV nonas aprilis, ... anno I.

Nos igitur, ipsorum ministri et fratrum in hac parte supplicationibus inclinati, litteras ac tenorem huiusmodi auctoritate praedicta innovamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Propter hoc autem nullum ius ipsis ministro et fratribus de novo acquiri volumus, sed antiquum, seu quod sit, tantummodo conservari. Nulli ergo *etc.*

Datum Ferrariae, anno ... 1438, ... anno VIII.

410. Concedit indulgentias pro conservatione capellae SS. Trinitatis in ecclesia O. F. M. Ferrarien. (1).

1439, ianuarii 8, Ferrariae.

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir, Iohannes de Gualengiis, domicellus Ferrarien., de bonis a Deo sibi collatis pro se ac suorum parentum et amicorum animarum saluti quamdam in ecclesia domus fratrum Minorum Ferrarien. capellam, qua ipsius domus fratres pro sacristia utuntur, sub vocabulo S. Trinitatis sumptuoso opere construi et aedificari fecerit, Nos cupientes, ut capella ipsa debite conservetur ac congruis honoribus frequentetur, et ut fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem, quo ex hoc dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in singulis nativitatis et resurrectionis Domini nostri Iesu Christi ac pentecostes singulisque cuiuslibet septimanae sanctae diebus capellam ipsam annis singulis visitaverint, quinque annos et totidem quadragenas singulis diebus praedictis de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus futuris perpetuis temporibus in suo robore duraturis.

Datum Ferrariae, anno ... 1438, VI idus ianuarii, ... anno VIII.

411. Gandulphum de regno Siciliae O. F. M. instituit guardianum Montis Sion (2).

1439, ianuarii 15, Ferrariae.

Dilecto filio Gandulfo de regno Siciliae, ordinis fratrum Minorum, in conventu Montis Sion et aliis omnibus locis Terrae Sanctae ac totius Syriae guardiano.

Exigunt religionis zelus et alia honestatis ac vitae merita, quibus personam tuam fide dignorum testimonio novimus insignitam, ut illa tibi committamus, per quae cum honori Dei et multorum aedificationi salutique consulatur, tum ipse in bonorum exercitio maioribus proficias incrementis. Cum itaque in loco fratrum ordinis tui Montis Sion dudum consueverint guardiani de triennio in triennium deputari et dilectus filius Iacobus Delphinus (3), per Nos deputatus, suum triennium in eo loco finiverit, Nos cupientes eidem loco et ceteris, quae sub illo gubernantur, salubriter providere sperantesque, quod ea, quae tibi ex officio incumbent aut Nos duxerimus committenda, laudabiliter exsequeris, te praedicti loci Montis Sion et aliorum omnium locorum in Terra Sancta et Syria constitutorum guardianum pro triennio futuro, quamprimum illuc applicueris, inchoando et ulterius ad Nostrum beneplacitum tenore praesentium facimus, constituimus atque etiam deputamus, tibi nihilominus omnia et singula ad praedictum guardianatus officium spectantia et pertinentia, tam circa institutionem et destitutionem officialium et omnium procuratorum et fratrum, quam circa ipsorum locorum reformationem, ac quae alii praedecessores tui quomodolibet facere potuerunt, faciendi, gerendi et exercendi, fratres quoque, quos duxeris pro locis illis necessarios, sponte venire volentes, ex omnibus provinciis ordinis tui accipiendi et quotienscumque volueris, per litteras vocandi exsistentesque in illis partibus, quo volueris transmittendi, litteris Nostris, quae in contrarium apparerent et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque licentiam, auctoritatem et plenariam facultatem tenore simili concedentes ac mandantes omnibus et singulis, ad quos spectat, quatenus te ad dictum guardianatus officium admittant tibique in cunctis illud concernentibus obediant cum effectu. Tu itaque, dilecte fili, iniunctum tibi a Nobis in virtute sanctae obedientiae munus istud acceptare et taliter exercere cures, quod

(1) Reg. Lat. t. 359, f. 169v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 48.

(2) Reg. Lat. t. 362, f. 269; iterum Reg. Vat. t. 366, f. 302v, sed: Datum Florentiae VII idus martii, anno VIII. Wadd. *Ann.* ad a. 1438, n. 25, sed certo erronee: Datum Ferrariae (!), anno 1438, XVIII (!) kal. aprilis, anno VIII.

(3) Cf. supra n. 400 p. 186.

sperati exinde fructus proveniant et Nos ad maiora tibi committenda imposterum invitemur.

Datum Ferrariae, anno ... 1438, XVIII kal. februarii, ... anno VIII.

412. Concedit facultatem reformandi monasterium S. Guillelmi extra muros Ferrarien. O. S. Cl. per se vel per alium (1).

1439, februarii 25, Florentiae.

Dilecto filio Guillelmo de Casali, generali ministro ordinis Minorum.

Romani pontificis providentia circumspecta *etc.* Dudum siquidem, cum Ferrariae essemus cum Nostra curia constituti, fuissemus etiam longe antea advisati, quod monasterium monialium S. Guillelmi, ordinis S. Clarae extra muros Ferrarien., visitationis et reformationis officio indigeret, tu vero tunc in remotis nec etiam corpore valens, sed aliqualiter infirmus exsisteres, ne monasterium debito visitationis ac reformationis destitueretur officio, venerabili fratri Nostro episcopo Ferrarien. atque eius in spiritualibus vicario dedimus in mandatis, ut monasterium ipsum ac personas in ipso degentes visitarent, reformarent atque omnia operarentur et agerent, quae ad honorem Dei et augmentum divini cultus ac salutem animarum personarum dicti monasterii pertinerent, nisi tu per teipsum monasterium huiusmodi visitandi velles alioquin officium exercere, prout in litteris Nostris superinde confectis, quarum tenorem hic pro expresso haberi volumus, plenius continetur. Cum autem tu ad praesens, licet corpore sanus effectus, tamen pro negotio unionis Graecorum hic valde utilis et necessarius sis et propterea ad dictam civitatem Ferrarien. impraesentiarum non possis accedere, Nos volentes, ut ipsum visitationis dicti monasteri officium per te vel alium idoneum tui ordinis fratrem, quem ad hoc duxeris eligendum, valeas integraliter exercere, non obstantibus praefatis litteris, quas cessare omnino decernimus et declaramus, tibi visitandi, corrigendi et reformandi per te vel alium, ut praemittitur, dictum monasterium in eoque degentes personas, prout tibi competere de iure non ambigitur, ac Nos tibi per alias Nostras certi tenoris litteras, quarum tenorem hic pro expresso haberi volumus, dudum in civitate Nostra Bononiae concessimus, plenam et liberam apostolica auctoritate tenore praesentium damus et concedimus facultatem.

Datum Florentiae, anno ... 1438, V kal. martii, ... anno VIII.

413. Confirmat unionem monasterii S. Petri de Muralto O. S. Cl., Camerin. dioec., cum monasterio S. Salvatoris de Sancto Severino, eiusdem ordinis et dioec., factam a Guillelmo de Casali, ministro generali (2).

1439, martii 3, Florentiae.

Dilecto filio plebano plebis Turriti, Spoletan. dioec.

Apostolicae Nobis iniunctae desuper *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Salvatoris de Sancto Severino, ordinis S. Clarae, Camerinen. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilectus filius magister Guillelmus de Casali, sacrae theologiae professor, ordinis fratrum Minorum generalis minister, provide considerans, quod monasterium S. Petri de Muralto, ordinis et dioecesis praedictorum, in quo dudum laudabilis monialium coetus Altissimo famulatum exhibere consuevit, causantibus guerris, epidemiis et aliis diversis calamitatibus, quae in illis partibus diutius viguerunt, abbatissa et monialibus remanserat penitus destitutum, ne bona et iura eiusdem monasterii de Muralto indebite ab aliis occuparentur, habens ad hoc plenam, ut dicebat, a Sede Apostolica facultatem, monasterium de Muralto, cuius vigintiquinque, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis monasterio S. Salvatoris huiusmodi, cuius triginta quinque florenorum auri fructus, reditus et proventus secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, in vim facultatis huiusmodi univit, annexuit et incorporavit, prout in instrumento publico desuper confecto, ipsius generalis sigillo munito, dicitur plenius contineri, ipsaeque abbatissa et conventus unionis, annexionis et incorporationis praedictarum vigore possessionem praefati monasterii de Muralto fuerunt pacifice assecutae ac tenent et possident de praesenti. Quare pro parte abbatissae et conventus praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, ... unionem, annexionem et incorporationem praedictas et quaecumque inde secuta auctoritate Nostra praedicta approbes et confirmes suppleasque omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1438, V nonis martii, ... anno VIII.

(1) Reg. Vat. t. 375, f. 49; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 49. Cf. supra n. 183, p. 91; n. 287, p. 133 et n. 298, p. 137.

(2) Reg. Lat. t. 362, f. 267; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 29, sed erronee: Datum Bononiae *etc.* De monasterio S. Salvatoris (Colpresseti) cf. *Bull. Franc.* t. I, p. 73, n. 62, nota g; t. VII, n. 1501, p. 564.

414. Innovat et confirmat litteras Alexandri IV (1).

1438, martii 7, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Apostolicae Sedis providentia *etc.* Hinc est, quod Nos ad dilecti filii Guillelmi de Casali, generalis ministri ordinis fratrum Minorum, instantiam quasdam fel. rec. Alexandri papae IV, praedecessoris Nostri, litteras in cancellaria apostolica diligenter inspici et examinari earumque tenorem, cum incipiant vetustate consumi, de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, qui talis est:

Alexander episcopus *etc.*

Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, praepositis, archipresbyteris, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum praelatis praesentes litteras inspecturis.

Benigna divinae operatio voluntatis *etc. (ut in Bull. Franc. t. II, n. 120, p. 85).*

Datum Anagniae, IV nonis novembris (2), ... anno I.

Nos itaque, dicti generalis in hac parte supplicationibus inclinati, litteras et tenorem huiusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium innovamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum ius alicui de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod sit, tantummodo conservari. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1438, nonis martii, ... anno VIII.

415. Confirmat Iacobum de Ipsigio O. F. M. ministrum provinciae Calabriae et mandat, ut Robertus ministeriatum iniuste detinens amoveatur (3).

1439, martii 9, Florentiae.

Universis et singulis fratribus ordinis minorum provinciae Calabriae.

Ad ea, per quae religiosorum honori consulitur *etc.* Cum itaque alias contendentibus inter se quibusdam ordinis Minorum fratribus provinciae Calabriae de ipsius provinciae ministeriatu et aliis pluribus scandalis et demeritis exigentibus, dilectus filius frater Guillelmus de Casali, eiusdem ordinis Minorum generalis minister, ex mandato Nostro constituisset ac deputasset in dicta provincia ministrum dilectum filium Iacobum de Ipsigio eiusdem ordinis amotis aliis quibuscumque pro dicto ministeriatu contendentibus, et nunc intellexerimus quemdam fratrem Robertum eiusdem ordinis non obstante praedicta provisione per generalem facta in ministeriatus intrusione, in qua prius erat, adhuc perseverare ac se pro ministro ipsius provinciae Calabriae abiecto obedientiae iugo fraudulenter gerere, quodque enormius est, dicatur idem frater Roberti litteras praefati generalis pro hoc ministeriatu cum auctoritate administrando falsificasse et fratres sui ordinis sibi obedire recusantes armata manu aggressum fuisse: Nos, cupientes huiusmodi scandalis obviare et ordinis honori ac fratrum illius provinciae quieti providere, suprascriptam fratris Iacobi de Ipsigio ad ministeriatum deputationem et aliorum quorumcumque amotionem a dicto generali factam auctoritate apostolica confirmantes, vobis omnibus et singulis tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae etiam sub excommunicationis poena mandamus, quatenus praedicto fratri Iacobo tamquam vero vestro ministro in omnibus et per omnia obediatis et debitis ex forma constitutionum ordinis favoribus assistatis, praefato autem fratri Roberto neque obediatis neque auxilium praestetis aut consilium vel favorem, quin potius ipsum pro posse curetis in manus et potestatem supradicti fratris Iacobi provincialis ministri ponere et consignare pro demeritis emendandum; insuper omnibus et singulis dictae provinciae Calabriae locorum dominis et officialibus praesenti tenore mandantes, quatenus praedicto fratri Iacobo de Ipsigio provinciali, ut praefertur, constituto et aliis provinciae ipsius fratribus ab eodem deputatis tam in reformatione et gubernatione dictae provinciae quam in detinendo et puniendo antedictum fratrem Robertum, quotiens per dictum generalem vel provincialem fuerint requisiti, necessarios praestent auxilium et favores.

Datum Florentiae, anno ... 1438, VII idus martii, ... anno VIII.

416. Extendit facultates olim concessas (4).

1439, aprilis 11, Florentiae.

Dilectae in Christo filiae Magdalenae de Perusio, generali ministrae tertii ordinis S. Francisci.

Deo devotarum et religiosarum personarum *etc.* Dudum siquidem tibi etiam tunc generali ministrae ac omnibus aliis tunc exsistentibus sororibus tertii ordinis beati Francisci de poenitentia nuncupati, ut confessor, quem singulae vestrum eligerent, omnium peccatorum ve-

(1) Reg. Lat. t. 362, f. 298.

(2) Ap. *Bull. Franc.* l. cit. legitur IV kal. novembris; ap. Eubel. *Suppl.* p. 80, n. 822: XIV (non: IV) kal. nov.

(3) Reg. Vat. t. 366, f. 303 et iterum t. 375, f. 59.

(4) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 50 «e l. 1 de regular. et exhib. a. IX, f. 46». Cf. supra n. 220, p. 106; n. 241, p. 113.

strorum, de quibus corde contritae et ore confessae essetis, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem sub certis tunc expressis conditionibus ac modis et formis vobis auctoritate apostolica concedere valeret, per alias Nostras litteras duximus indulgendum, prout in illis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, post indultum huiusmodi nonnullae aliae mulieres diversas domus eiusdem ordinis ingressae sint et in dies ingrediantur, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut etiam ad illas indultum ipsum extendere *etc.* Nos itaque ... indultum et litteras praedicta cum conditionibus ac modis et formis in eis contentis huiusmodi etiam ad omnes et singulas sorores ordinem ipsum expresse professas, quae post ipsum indultum quasvis dicti ordinis domos fuerint ingressae et inantea ingredientur ac in illis sub regularibus ipsius ordinis institutis perpetuo remanebunt, extendimus per praesentes. Et nihilominus tibi et singulis sororibus dicti ordinis praesentibus et futuris, ut a quocumque saeculari vel regulari sacerdote idoneo eucharistiae et alia sacramenta ecclesiastica, quoties fuerit opportunum, recipere eidemque sacerdoti, ut illa vobis ministrare, necnon tibi, ut omnes et singulas sorores, quae pro tempore fuerint, propter excessus, crimina et delicta, si quae commiserint, debite corrigere eisque poenas condignas infligere ac omnia et singula desuper necessaria et opportuna peragere valeatis, plenam et liberam harum serie licentiam elargimur et facultatem. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, III idus aprilis, ... anno IX.

417. Hieronymum de Tragurio O. F. M. instituit episcopum Dulmen. (Duvno in Hercegovina) (1).

1439, aprilis 22, Florentiae.

Dilecto filio Hieronymo de Tragurio, electo Dulmen.

Pastoralis officii, cui disponente domino *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Martinus papa V., praedecessor Noster, bon. mem. Georgium Faren., olim Dulmen. episcopum, licet absentem, a vinculo, quo Dulmen. ecclesiae, cui tunc praeerat, tenebatur, ... absolvens, ipsum ad ecclesiam Faren., tunc vacantem, transtulit eique praefecit in episcopum et pastorem. Cum autem dictus praedecessor de praefata Dulmen. ecclesia aliter non disposuerit illaque adhuc per translationem huiusmodi vacare noscatur, Nos ad provisionem *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* de persona tua ... eidem ecclesiae Dulmen ... providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Volumus autem *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, X kal. maii, ... anno IX.

418. Confirmat sententiam Andreae Iohannis episcopi Perusin. circa certas domus relictas inter Franciscam de Perusio O. S. Dominici de poenitentia et Bianciam quondam Bobii III O. S. Francisci (2).

1439, aprilis 30, Florentiae.

Dilectae in Christo filiae Franciscae de Perusio, sorori de poenitentia beati Dominici nuncupatae.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod inter te et dilectam in Christo filiam Bianciam, quondam Bobii, mulierem Perusin. tertii ordinis beati Francisci, occasione cuiusdam dimidiae domus relictae per quondam Nicolam Puctiarelli, etiam mulierem Perusin., pauperibus mulieribus Perusii commorantibus pro earum habitatione quaedam contentiones exortae fuissent, venerabilis frater Noster Andreas Iohannis, episcopus Perusin., volens huiusmodi contentiones et lites inter vos vigentes terminare, per suas litteras decrevit et declaravit dictam medietatem a summo usque ad deorsum cum supellectilibus in ea exsistentibus per te et socias tuas praesentes et futuras mulieres de poenitentia beati Dominici perpetuo tenendam et possidendam, et quamdam aliam domum relictam per quondam Iacobam Andreucioli, etiam mulierem Perusin., per dictam Bianciam et eius socias similiter praesentes et futuras dicti ordinis beati Francisci perpetuo teneri et possideri debere, loco tamen seu crypta cisternam colligente pro comuni usu aquae tam pro de poenitentia beati Dominici quam pro eisdem beati Francisci communiter manente, prout in dictis litteris plenius continetur. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos ... decretum et declarationem praefati episcopi et alia in dictis litteris contenta et quaecumque inde secuta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.*, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, pridie kal. maii, ... anno IX.

(1) Reg. Lat. t. 365, f. 249 v.

(2) E *Bull. ord. fr. Praed.* t. III, p. 101, n. 188.

419. Monialibus monasterii S. Guillelmi extra muros Ferrarien. O. S. Cl. praecipit, ut abbatissam monasterii Corporis Christi Mantuan. eiusdem ordinis cum quinque monialibus pro regimine sui monasterii humiliter recipiant (1).

1439, maii 1, Florentiae.

Abbatissae et conventui S. Guillelmi extra muros Ferrarien.

Dilectae in Christo filiae sal. Cum dilectus filius Guillelmus de Casali, generalis minister ordinis Minorum, monasterium S. Guillelmi extra muros Ferrarien., ordinis S. Clarae et sub cura et protectione eiusdem ordinis constitutum, reformare et ad normam regularis observantiae reducere magnopere cupiat videatque peracta huiusmodi reformatione regimini et conservationi ipsius non parvis diligentia et laboribus ac bonorum operum exemplis opus esse, eapropter dilectas in Christo filias abbatissam cum quinque monialibus monasterii Corporis Christi de Mantua evocari fecimus, quae ad moram in ipso monasterio vestro trahendam venientes, in laborem oneris, curae et regiminis vestri monasterii succedant, ipsaque abbatissa monasterii Mantuani abbatissa S. Guillelmi sit, aliae vero diversa in monasterio gerant ministeria, prout ipsi abbatissae Mantuan. visum fuerit in Domino salubrius expedire. Quare devotioni vestrae praecipimus et mandamus in virtute sanctae obedientiae, quatenus memoratam abbatissam monasterii Mantuan. pro nunc cum praefatis quinque monialibus benigne recipiatis et ei sicut vestrae legitimae abbatissae devote et humiliter pareatis, prout memoratus generalis duxerit ordinandum, ut de vestra humilitate et obedientia, quas principaliter confitemini, post aeterna praemia digne possitis apud Nos et Sedem Apostolicam commendari.

Datum Florentiae, die I maii.

420. Abbatissae Corporis Christi Mantuan. O. S. Cl. praecipit, ut cum quinque monialibus sui monasterii se transferat ad monasterium S. Guillelmi extra muros Ferrarien. dicto monasterio praefutura (2).

1439, maii 1, Florentiae.

Abbatissae monasterii Corporis Christi Mantuan.

Dil. in Christo filia sal. Cum dilectus filius Guillelmus de Casali, generalis minister ordinis Minorum, monasterium S. Guillelmi extra muros Ferrarien., ordinis S. Clarae ac sub cura et protectione eiusdem ordinis constitutum, reformare et ad normam observantiae regularis reducere pio desiderio intendat, odoreque laudabilis famae tuae provocatus, putet devotionem tuam ei tam pio perficiendo negotio plurimum et utilem et necessariam fore, eapropter devotioni tuae in virtute sanctae obedientiae iniungimus et mandamus, ut cum quinque monialibus monasterii tui, quas eligendas duxeris, accedendi ad praefatum monasterium S. Guillelmi, quam primum tibi et illis opportunum fuerit, iter arripias, praefutura dicto monasterio, prout memoratus generalis seu ipsius commissarius circa id duxerit disponendum.

Datum Florentiae, I maii *etc.*

421. Mandat, ut Guillelmo de Casali, ministro generali O. F. M., auxilium praestet in reformatione monasterii S. Guillelmi extra muros Ferrarien. O. S. Cl. (3).

1439, maii 1, Florentiae.

Leonello Hesten.

Dil. fil. sal. Dilectus filius Guillelmus de Casali, generalis minister ordinis Minorum, monasterium S. Guillelmi extra muros Ferrarien., ordinis S. Clarae sub cura et protectione eiusdem ordinis constitutum, reformare et ad normam regularis observantiae reducere, prout eius officii debito incumbit, magnopere desiderat. Sed tam pii desiderii ac laudabilis operis consummationi putat favores et praesidia tuae nobilitatis sibi valde opportuna ac necessaria fore. Quare nobilitatem tuam, cuius honori ac dignitati religionis et honestatis cultus et augmentum non parum conducit, in Domino requirimus et hortamur, quatenus Guillelmo generali memorato tam pio operi perficiendo iuxta ipsius requisitionem impendas opportune auxilium et favorem, tuae nobilitati declarantes, quod Nostrae efficacis intentionis est, ut ipsum monasterium per eumdem generalem tuis favoribus reformetur.

Datum Florentiae, I maii.

422. Mandat, ut monasterium monialium S. Catharinae de Betona, O. S. B., dioec. Assisien., concedat Doniae et aliis sororibus III O. S. Fr. (4).

1439, maii 1, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Perusin.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Doniae, quondam Iohannis Crispolti de Betona natae, mulieris Assisinat. dioec., tertii

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 140, sine anno, sed invenitur inter brevia anni IX. Cf. supra n. 412, p. 193.

(2) Reg. Vat. t. 367, f. 140v. Cf. num. praec.

(3) Reg. Vat. t. 367, f. 140v. Cf. supra nn. 420 et 421.

(4) Wadd *Reg. pont.* Eug. IV, n. 51 « e l. 2 de regular. a. IX, f. 162 ».

ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, petitio continebat, quod, cum Damianus episcopus Assisinas, provide considerasset monasterium S. Catharinae de Betona, ordinis S. Benedicti, dictae dioec., diu fuisse, prout tunc erat, abbatissa et monialibus destitutum, nec spem aliquam fore ipsum ad statum pristinum reduci posse quoquo modo, idem episcopus monasterium ipsum, ne ad profanos usus converti valeret, pro ipsius conservatione et manutentione tenendum et inhabitandum praedictae Doniae auctoritate ordinaria dedit, concessit et assignavit, ipsaque Donia ex tunc donationis, concessionis et assignationis praefatarum vigore monasterium ipsum adivit et in eo moram fecit ipsumque habitavit et tenuit, prout etiam tenet et inhabitat de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, nonnullae devotae dicti tertii ordinis mulieres in dicto loco exsistant, quae in eodem monasterio una cum dicta Donia perpetuum desiderent Altissimo reddere famulatum, dummodo monasterium ipsum ordine S. Benedicti et abbatissali dignitate suppressis in eo eis per Sedem Apostolicam concederetur et perpetuo pro ipsis et aliis huiusmodi sororibus in eo pro tempore successuris donaretur, pro parte ipsius Doniae Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, ... ordinem et dignitatem huiusmodi in dicto monasterio auctoritate Nostra in perpetuum supprimas et exstinguas, ac postquam illos suppresseris et exstinxeris, ut praefertur, monasterium ipsum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Doniae et sororibus huiusmodi per eas in perpetuum tenendum ... concedas, constitutionibus apostolicis *etc.* non obstantibus.

Datum Florentiae, anno ... 1439, kalendis maii, ... anno IX.

423. Mandat, ut sororibus III O. S. Fr. domus S. Hieronymi Florentin. concedat licentiam eligendi sibi ministram etc. (1).

1439, maii 4, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Florentin.

Sacrae religionis, sub qua Lisa, Clara, Elisabeth, Magdalena, Maria, Iohanna, Nicola, Gerarda et Birgitta ceteraeque sorores impraesentiarum exsistentes domus S. Hieronymi Florentini, tertii ordinis S. Francisci, « Continentes » seu de poenitentia nuncupatae, sedulum *etc.* Sane petitio pro parte earumdem sororum Nobis nuper exhibita continebat, quod dudum ipsae, id sibi licere putantes et tamquam iuris ignarae, ob frugem melioris vitae et ut sub debito obedientiae gubernaculo alterius earumdem honestius vivendo conversatio ipsarum acceptior Deo fieret et quietius salubriusque proficere in eo valerent, eamdem domum intrarunt, unam sibi ex eis ministram concorditer eligendo absque Sedis Apostolicae auctoritate, excommunicationis sententiam ac nonnullas alias censuras et poenas propterea forsitan incurrentes. Quare pro parte dictarum sororum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus omnes et singulas sorores praedictas ab excommunicationis sententia aliisque censuris, ... ut praefertur, si id a te humiliter petierint, absolvas hac vice dumtaxat in forma ecclesiae consueta iniuncta eis et earum cuilibet pro modo culpae poenitentia salutari et eis, quae de iure fuerint iniungenda. Et nihilominus de praemissis omnibus et singulis ac eorum circumstantiis universis auctoritate Nostra te diligenter informes *etc.* ... eisdem sororibus praesentibus et futuris dictae domus ministram eligendi ac ministrae sic electae domum et sorores huiusmodi regendi et gubernandi ac mulieres e saeculo fugientes in domum ipsam et ab eis professionem iuxta consuetudines dicti ordinis recipiendi et admittendi, necnon visitatori, ut praemittitur, eligendo ministram suis demeritis exigentibus, de consilio tamen et assensu sororum huiusmodi privandi illamque et sorores easdem, cum sibi visum fuerit, visitandi earumque excessus corrigendi auctoritate apostolica licentiam largiaris. Et nihilominus ministrae et sororibus pro tempore exsistentibus ac domui praedictis, quod omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, IV nonis maii, ... anno IX.

424. Mandat, ut concedat fratribus domus S. Simonis Spoletan. O. F. M. facultatem recipiendi ecclesiam parochialem S. Sani eiusdem civitatis (2).

1439, maii 8, Florentiae.

Dilecto filio priori S. Felicis de Valle Narcen. Spoletan. dioec.

Sacrae religionis, sub qua dilecti filii guardianus et fratres domus S. Simonis, ordinis fratrum Minorum, Spoletan., devotum *etc.* Exhibita

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 52 « e l. 2 de regular. a. IX, f. 22 ».

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 53 » e l. 1 de regular. et exhib., a. IX f. 92 ».

siquidem Nobis nuper pro parte praedictorum guardiani et fratrum petitio continebat, quod, cum domus S. Simonis praedictae, in qua fratres ordinis Minorum consueverunt olim conventualiter vivere, ... propter guerras ... ecclesia ceteraque illius aedificia ... diruta et collapsa exsistant, quod fratres ulterius inibi morari nequeant quovis modo, ac propterea opus sit eis, nisi aliunde provideatur, domum huiusmodi ex toto deserere, ... quod non libenter facerent, si in civitate praefata aliquis locus eis accommodus concederetur, quodque quaedam parochialis ecclesia S. Sani Spoletan., a monasterio S. Iuliani extra muros Spoletan., ordinis S. Benedicti, dependens, quae ex fructibus et redditibus propriis nullius annui valoris exsistit, cuique animarum cura per conductitium gubernari solita imminet, et in qua pro sacerdote huiusmodi nulla habitatio exsistit, nullique vel pauci inhabitant circa eam, eisdem fratribus concederetur, cum sit in aptissimo loco sita, fratres ipsi circa ipsam ecclesiam domum cum claustro, dormitorio, refectorio, aedificiis congruentibus et aliis necessariis officinis ... aedificari ex christifidelium suffragiis procurarent. Quare pro parte guardiani et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, ... eisdem guardiano et fratribus, dummodo locus ipse congruus et honestus exsistat, et in eo habitatio pro sacerdote huiusmodi aedificari et construi per fratres eosdem debeat, ecclesiam ipsam recipiendi et circa illam domum cum dormitorio, ... officinis pro eorum usu et habitatione de novo construi et aedificari faciendi ac inibi perpetuo remanendi dioecesani loci ac cuiuslibet alterius licentia ad hoc minime requisita auctoritate Nostra licentiam largiaris, ... non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, quod praedicti ordinis fratres, qui in eadem domo, postquam, ut praefertur, constructa fuerit et aedificata, pro tempore residebunt, omnibus et singulis privilegiis *etc.* iure tamen *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, VIII idus maii, ... anno IX.

425. Commendat Iohannem de Waya, O. F. M., commissarium ministri generalis in vicaria Bosnae et inquisitorem haereticae pravitatis (1).

1439, maii 9, Florentiae.

Universis et singulis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, regibus, reginis, ducibus, baronibus, comitibus ceterisque, ad quos praesentes litterae pervenerint.

Ex iniuncto *etc.* Sane, cum dudum dilectus filius Iohannes de Waya, ordinis fratrum Minorum professor et commissarius in vicaria Bosnae dilecti filii Guillelmi de Casali, dicti ordinis generalis ministri, haereticae pravitatis sit ibi inquisitor constitutus favoribusque pro ipsa exstirpanda pravitate christifidelium plurimum opus habeat, Nos cupientes, ut ipse Iohannes officio sibi iniuncto quietius incumbere excessusque a fide discrepantium commodius corrigere valeat, quo uberioribus fuerit favoribus communitus, fraternitatem et devotionem vestram in Domino requirimus et hortamur per praesentes, quatenus ob Nostram et Apostolicae Sedis reverentiam in his, quae dictum inquisitionis officium quovis modo concernunt, praefato Iohanni consiliis, auxiliis et favoribus opportunis et efficacibus assistatis eumque defendatis, protegatis, ut fretus vestris patrocinio et favore per huiusmodi inquisitionis officii exercitium salutares, prout optamus, in christifidelibus et Dei ecclesia fructus parere possit, vosque apud Deum gratiam, apud Nos vero et dictam Sedem commendationem et laudem consequi mereamini.

Datum Florentiae, anno ... 1439, IX maii (!), anno IX.

426. Fratres domus S. Francisci de Vallebona (Valbom), O. F. M., antea III O. S. Fr., Ulyssiponen. dioec., absolvit a censuris etc. (2).

1439, maii 22, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii de Alcobatia, Ulyssiponen. dioec.

Sacrae religionis, sub qua guardianus et fratres domus sive oratorii S. Francisci de Vallebona, ordinis Minorum, Ulyssiponen. dioec., devotum *etc.* Sane pro parte dilecti filii Guillelmi de Casali, ministri generalis praedicti ordinis, ac dictorum guardiani et fratrum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim fel. rec. Bonifatius papa VIII, praedecessor Noster, expresse prohibuerat, ne quis ex mendicantium *etc.*, ac piae mem. Clemens papa V, praedecessor Noster, transgressores prohibitionis huiusmodi excommunicationis sententiae ipso facto subiacere decreverat: quondam Iohannes de Riparia, tunc minister provincialis provinciae Portugalliae fratrum tertii ordinis dicti sancti de poenitentia nuncupatorum, provide considerans, quod domus sive oratorium huiusmodi per ipsius tertii or-

(1) Wadd. *Ann.* ad a. 1439, n. 26 « e l. 1 de benef. et curial. a. VIII et IX, f. 312 ».

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 54 « e l. 1 de regular. a. IX, f. 253 ».

dinis fratres dudum constructa et aedificata ac temporum causante malitia derelicta, ruinae multipliciter subiacebat, et quod tertii ordinis fratres huiusmodi illam seu illud reparare non curabant, ut in ea vel in eo nomen Domini iugiter invocaretur, ad illius laudem et gloriam dilecto filio Petro Alvari et nonnullis aliis dicti ordinis Minorum fratribus de voluntate, consilio et assensu dilectorum filiorum capituli provincialis fratrum tertii ordinis provinciae huiusmodi pure et libere concessit et donavit; necnon Petrus et alii fratres praedicti simplices et iuris ignari, credentes eis hoc licere, domum sive oratorium huiusmodi concessionis et donationis praedictarum praetextu de facto acceptantes, illam seu illud in suis aedificiis et structuris fidelium suffragiis repararunt *etc.* Quare pro parte ipsorum Guillelmi ministri, guardiani, ... Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus Petrum et fratres domus sive oratorii huiusmodi, si hoc humiliter petierint, ab eadem excommunicationis sententia auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesiae consueta iniunctis ... quae de iure fuerint iniungenda, et cum illis super irregularitate ... dispenses aboleasque omnem inhabilitatis et infamiae maculam *etc.* Et insuper, si concessionem vigore praesentium per te fieri contigerit, ut praefertur, fratribus ordinis Minorum in domo vel oratorio huiusmodi sub dicta observantia pro tempore degentibus, ut ipsi omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, XI kal. iunii, ... anno IX.

427. Concedit facultatem recipiendi locum in terra Milionici, Acherontin. dioec., et tria alia loca in provincia Apuliae pro fratribus O. F. M. de observantia (1).

1439, maii 23, Florentiae.

Dilectis filiis ministro et fratribus domorum ordinis Minorum in provincia Apuliae consistentium.

Merita vestrae religionis exposcunt *etc.* Hinc est, quod Nos ... unum vobis in terra Milionici, Acherontin. dioec., pro fratribus sub regulari observantia et tria alia loca infra provinciam Apuliae ... pro fratribus vestri ordinis etiam sub regulari observantia huiusmodi inibi deputandis recipiendi, ... ecclesiam cum campanili, ... officinis pro usu et habitatione fratrum huiusmodi fundandi, construendi, ... contrariis nequaquam obstantibus ... licentiam elargimur. Et insuper fratribus in domibus sive locis deputandis huiusmodi, ... ut singulis gratiis ... uti et gaudere valeant, ... concedimus per praesentes, iure tamen *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno 1439, X kal. iunii, ... anno IX.

428. Confirmat unionem ecclesiae S. Michaelis extra muros novos oppidi de Cuneo, Montis-Regalis (Mondovì) dioec., cum domo S. Mariae de Angelis, O. F. M. de observ. a loci ordinario factam (2).

1439, maii 27, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii SS. Victoris et Constantii, dioec. Taurinen.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum syndicorum et communitatis oppidi loci de Cuneo, Montis-Regalis dioec., petitio continebat, quod alias venerabilis frater Noster Albertus Astensis, tunc dicti loci ordinarius, attente considerans, quod in domo sive cappella S. Mariae de Angelis nuncupata, pro usu et habitatione fratrum ordinis S. Francisci de observantia nuncupatorum deputata, in qua plures fratres eiusdem ordinis in divinis laudabiliter Deo serviebant et ad illam christifideles in multitudine copiosa causa devotionis affluebant in dies, propterea et ex certis aliis rationabilibus causis ecclesiam S. Michaelis extra muros novos dicti oppidi, quae licet olim parochialis foret, tamen successu et malitia temporis causante in suis structuris et aedificiis, utpote pro magna parte ad aream prostrata, collapsa et ruinae supposita ac cultu et divinis officiis penitus et diutius destituta erat, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dictae domui sive ecclesiae S. Mariae in perpetuum auctoritate ordinaria univit, annexavit et incorporavit ac illam pro usu et habitatione eorumdem fratrum ac per eos reparandam, tenendam et possidendam concessit et donavit, prout in quibusdam litteris authenticis desuper confectis, ipsius Alberti episcopi sigillo munitis, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut dicta petitio subiungebat, quamvis ipsi fratres in dicta domo degentes eamdem ecclesiam S. Michaelis in eiusmodi aedificiis sumptuoso opere reparare inceperint, de viribus tamen unionis, annexionis, incorporationis necnon concessionis et donationis huiusmodi haesitantes ac super illis in futurum molestari posse formidantes, opus in-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 55 « e l. 1 de regular. a. IX, f. 164 ».

(2) Wadd. *Ann.* ad a. 1439, *Supplementum Melissani*, n. 2.

ceptum perficere et ad effectum perducere distulerunt et defecerunt, pro parte syndicorum et communitatis praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui de praemissis notitiam non habemus, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, ... unionem, annexionem, incorporationem necnon concessionem et donationem praedictas et quaecumque inde secuta auctoritate Nostra approbes pariter et confirmes supplendo *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, VI kal. iunii, ... anno IX.

429. Declarat, quod fratres domus S. Fructuosi, Astoricen. dioec., III O. S. Franc., non teneantur de fructibus dictae domus solvere decimas etc. ordinariis et parochis (1).

1439, iunii 9, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad ea, per quae fidelium *etc.* Hinc est, quod Nos, dilectorum filiorum ministri et fratrum domus S. Fructuosi, tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Astoricen. dioec., in hac parte supplicationibus inclinati, ut ipsi et, qui pro tempore fuerint, ministri et fratres dictae domus, cuius fructus, redditus et proventus quindecim librarum Turonensium parvorum secundum communem aestimationem valorem annuum, ut dicti supplicantes asserunt, non excedunt, ratione quorumcumque fructuum ex terris sive praediis ad eos ac dictam domum pro tempore pertinentibus, quae per ipsos vel eorum sumptibus excoli contigerit pro tempore, excrescentium et provenientium necnon etiam animalium suorum in domibus seu pascuis eorumdem pro tempore nutritorum quibusvis locorum ordinariis ac parochialium ecclesiarum rectoribus, in quorum videlicet ordinariorum dioecesibus et ecclesiarum huiusmodi parochiarum limitibus terrae, praedia ac pascua praedicta consistunt, decimas solvere et alias in talliis ac subsidiis quibuslibet apostolica vel alia quavis auctoritate impositis hactenus et inantea imponendis contribuere minime teneantur nec ad solutionem decimarum ac contributionem, talliorum et subsidiorum huiusmodi vel alicuius eorumdem aliqualiter ab ordinariis et rectoribus praedictis vel eorum aliquo seu aliis quibuscumque quavis auctoritate ullo umquam tempore cogi neque compelli possint nec debeant, quibuscumque constitutionibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica ... indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, V idus iunii, ... anno IX.

430. Mandat, ut sororibus domus S. Margaritae Senen., III O. S. Fr., concedat facultatem eligendi sibi ministram et confessarium, audiendi missam diebus dominicis et festis tantum, recipiendi legata (2).

1439, iulii 4, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Senen.

Sacrae religionis, sub qua Benedicta de Perusio ceteraeque sorores domus S. Margaritae Senen. tertii ordinis S. Francisci *etc.* Sane pro parte earumdem sororum *etc. (ut supra n. 423, p. 197. Additur autem in expositione):* ipsaeque sorores sibi confessorem eligere, qui earum confessionibus auditis eas absolvere eisque ecclesiastica sacramenta ministrare et vota per eas emissa in alia pietatis opera commutare valeat, quodque ipsae, quae missam et alia divina officia iuxta instituta dicti ordinis diebus singulis audire tenentur, ne praesertim iuvenibus mulieribus ibidem exsistentibus, et quae de cetero erunt Domino concedente, vagandi occasio praebeatur, ad audienda illa diebus dominicis et festivis tantummodo teneantur ac legata eis in ultimis voluntatibus aut alias quovis modo relicta absque diminutione exigere et recipere valeant, licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur *etc. (ut supra n. 423, quibus in fine additur):* Et insuper, ut ministra et sorores praedictae tam praesentes quam quae pro tempore erunt, in eadem domo votivis auctore Domino proficiant incrementis, eis, ut aliquem idoneum et discretum presbyterum in suum possint eligere confessorem, qui, quoties eis fuerit opportunum, earum confessionibus diligenter auditis pro commissis eis debitam absolutionem impendat et iniungat poenitentiam salutarem, nisi talia forent, propter quae esset merito Sedes Apostolica consulenda; quodque eisdem sororibus ministrare valeat ecclesiastica sacramenta, vota autem per easdem sorores forsan emissa et imposterum emittenda (religionis, obedientiae, continentiae et castitatis votis dumtaxat exceptis) eadem auctoritate in alia pietatis opera commutare, prout secundum Deum animarum earum saluti viderit expedire. Volumus quoque, quod diebus dominicis et festivis missis et aliis divinis officiis per easdem sorores devote auditis ad id diebus aliis minime

(1) Reg. Lat. t. 370, f. 21; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 56. De domo S. Fructuosi cf. supra n. 65, p. 40.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 57 « e l. 1 de regular. a. IX, f. 100 ».

teneantur. Et demum sororibus ipsis recipiendis perpetuo pia legata ipsis seu earum alteri per quoscumque christifideles quorumcumque locorum in eorum ultima voluntate vel alias relicta aut in posterum relinquenda ordinarii loci ac parochialis ecclesiae et cuiusvis alterius iure salvo exigendi et recipiendi ... concedimus facultatem, fel. rec. Clementis V, Iohannis XXII et Bonifatii VIII *etc.* nequaquam obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, IV nonas iulii, ... anno IX.

431. Concedit indultum, ut diebus dominicis et festis tantum missas audire teneantur et facultatem eligendi sibi confessarium necnon recipiendi legata (1).

1439, iulii 4, Florentiae.

Dilectis in Christo filiabus universis sororibus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia in domibus erectis per dilectam olim in Christo filiam Angelinam degentibus praesentibus et futuris.

Sacrae religionis *etc.* Nos igitur ... vobis, inter quas, ut asseritis, nonnullae iuvenes mulieres exsistunt, quibus periculum esset singulis diebus pro audiendis missis, ut tenentur, de domo, in qua degunt, exire, ut aliquem discretum presbyterum in vestrum possitis eligere confessorem, qui, quoties fuerit opportunum *etc. (fere ut in bulla praecedente).* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, IV nonas iulii ... anno IX.

432. Annuntiat unionem ecclesiae Graecae cum Latina in concilio Florentino peractam (2).

1439, iulii 7, Florentiae.

Dilectis filiis .. guardiano et conventui ordinis Minorum ac ceteris christifidelibus apud Montem Sion in Syria convenientibus.

Gloria in Altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Iuvat, dilecti filii, in vocem exsultationis erumpere et gestiente animo cum angelis miscere laetitiam, quandoquidem ineffabile gaudium, quod erit in omni christiano populo, nuntiamus. Tantum quippe mens Nostra divinae consolationis rore perfunditur, ita et hilaratur cor Nostrum, ut quod sentimus, explicare nequaquam valeamus solaque in gratiarum actione et voce laudis requiescant affectus Nostri. Ecce enim, quod ardentissimo studio et indefessa pietate olim et longe antequam ad apostolatus apicem assumeremur, optavimus: orientalis et occidentalis ecclesiae diuturnum perniciosumque dissidium post quadringentos quinquaginta annos divina tandem miseratione sublatum est; in qua re, licet omnem pro viribus diligentiam adhibuerimus, quantum Ille donare dignatus est, totum tamen infinitae illius bonitati adscribimus, sine cuius ope totum est inane, quod geritur. Namque ab ipsis Nostri apostolatus initiis omni studio elaboravimus, ut utriusque ecclesiae unio felicissima sequeretur et post multas hinc inde legationes missas advenerunt ad Nos anno praeterito adducti et hactenus sumptibus Nostris sustentati, charissimus in Christo filius Noster Iohannes Palaeologus, Romanorum imperator illustris, et bon. mem. venerabilis frater Noster Ioseph, patriarcha Constantinopolitanus, et loca tenentes Alexandrini, Antiocheni et Hierosolymitani patriarcharum legatique Trapezuntii imperatoris, Iberorum, Ruthenorum et Valachorum cum metropolitis et clericis ac nobilibus plurimis et multitudine copiosa. Avidi quippe huius sacratissimae unionis, laboribus plurimis marisque periculis sese exponere nequaquam cunctati sunt, sacro oecumenico concilio, quod intra Italiam, et ubi Nos commode interesse possemus, fieri magna cum instantia postularunt, adesse cupientes. Advenerunt autem ad disputandum parati, sine contentionis tamen vitio aut pertinaciae studio. Nos itaque divini humanique iuris professores omni ex parte congregare curavimus, qui cupientibus veritatem aperirent, Deoque largiente, postquam eis tam ex scripturis divinae sapientiae quam ex sanctis patribus Latinis pariterque Graecis veritas per omnia est patefacta, libentissime consenserunt inventae veritati Spiritumque sanctum ex Patre simul et Filio procedere professi sunt summamque Romanae ecclesiae et S. Sedis Apostolicae auctoritatem, quam improbe nimium quidam opprimere nituntur, grate recognoverunt atque in reliquis consenserunt, prout ex decreto inde confecto, Latinis pariter et Graecis litteris scriptum vobis mittimus (3), vestra devotio apertius discet. Audemus sane in Domino gloriari atque confidentissime dicere id Nostra aetate patratum esse, quo nihil maius nihilque dignius ab ipso apostolicae praedicationis tempore catholica vidit ecclesia. Nec vero hic erit finis divinorum mirabilium, sed divinae miserationis latior campus aperietur, ut sol ille iustitiae,

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 58 « e l. 1 de regular. et exhib. a. IX, f. 24 ». De B. Angelina cf. supra n. 218, p. 105, nota 3.

(2) Ex originali in archivo Hierosolym. apud *Diarium Terrae Sanctae,* III,. Hierosolymis 1909, p. 114-6.

(3) In exemplaribus Cophtis destinato hoc loco legitur: « prout ex decreto inde confecto, quod vobis ostendet dilectus filius Albertus de Sarteano, ordinis Minorum, lator huius, vestra devotio » etc.

qui in oriente iam ortus, ad ipsas quoque infidelium tenebras radios suae lucis extendat fiatque salus Domini usque ad extremum terrae omnesque uno ore et uno spiritu glorificent Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi. Expectantur ecce in dies cum Nostris nuntiis ad id missis et iam fere pro foribus adesse nuntiantur Armeni, gens magna et celebris, parati se per omnia Romanae ecclesiae et S. Sedi Apostolicae subdere eiusque mandatis et doctrinis incunctanter obedire. Merito itaque, dilecti filii, cum in re iam tam multa, in spe etiam plura teneamus, omnipotenti Deo hostiam obtulimus iubilationis et laudis vobisque ista insinuanda putavimus, ut Nostrorum in Domino gaudiorum participes facti divinae pietati Nobiscum gratias referatis. Hortamur itaque devotionem vestram, ut christianae devotionis affectu litanias et processiones [1] faciatis, partim referendo gratias pro acceptis a Deo muneribus, partim orando, ut complere dignetur Omnipotens opus suum [2] et barbaras nationes in sua feritate gloriantes sub sacratissimae christianae fidei iugum mittere. Et quoniam spes adeo laeta sese undique aperit, pio monemus affectu, ut ad eripiendos ab infidelibus, a quibus indignissime opprimuntur, illarum partium christianos perpetuis orationibus Nos adiuvetis. Iam enim Deo inspirante classem terrestresque copias proximo vere parare intendimus, sperantes, quod, qui incepit in nobis opus bonum, ipse perficiet ac per huiusmodi studia Nostra a iugo miserabilis servitutis catholicum gregem propitius ac benignus eripiet. Confidimus autem negotium facillime felicissimeque successurum per christianorum principum praelatorumque opem atque operam et vestrarum orationum suffragia. Accingimini itaque, dilecti filii, ardentique animo concurrite in ieiunio et orationibus ad haec studia pietatis, ex quibus et in hoc saeculo gloriam consequemini et in futuro cum piis fidelibusque, qui ab initio Deo placuerunt, conscribi merebimini.

Datum Florentiae, anno ... 1439, nonis iulii, ... anno IX.

Simili modo eodem die scribit: *Dilectis filiis Cophtis et eorum praelatis Hierosolymis et ubique in partibus orientalibus congregatis.*

Datum ut supra [3].

433. Indulget, ut indulgentias visitantibus ecclesias Neapolitan. concessas etiam intra clausuram lucrari valeant [4].

1439, iulii 11, Florentiae.

Dilectis in Christo filiabus universis sororibus domus S. Francisci de Eleemosynis Neapolitan., tertii ordinis eiusdem sancti.

Odor bonae famae et vitae regularis observantia *etc.* Cum itaque, sicut Nobis nuper exhibita petitio continebat, vos, quae sub perpetua clausura et regulari observantia continetis *etc.* cupiatis indulgentiis et remissionibus adiuvari: ne extra vestram clausuram exeundi ulla de causa vobis occasio praebeatur, ... vobis vere poenitentibus et confessis, quamdiu in clausura et regulari observantia vos ipsas servabitis, ut visitando ecclesiam vestrae domus in diebus et festivitatibus, quibus christifidelibus reliquas ecclesias in civitate Neapolitan. consistentes visitantibus indulgentiae et peccatorum remissiones sunt concessae, illas indulgentias et peccatorum remissiones consequamini, in eadem ipsa clausura et observantia viventes, quas consequeremini, si praedictas ecclesias tempore festivitatum et visitationis huiusmodi visitaretis et speciales Altissimo pro bono statu S. Romanae ecclesiae preces *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439 V idus iulii, anno IX.

434. Concedit perinde valere pro actis negotiis et facultatem ad triennium exercendi negotia procuratoris pro Gundisalvo episcopo Granaten. in administratione monasterii B. Mariae de Trianos, O. S. Aug. Legionen. [4].

1439, iulii 11, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni de Sanctoio, ordinis fratrum Minorum professori.

Apostolicae Sedis circumspecta benignitas *etc.* Sane pro parte venerabilis fratris Nostri Gundisalvi, episcopi Granaten., perpetui administratoris monasterii B. Mariae de Trianos, ordinis S. Augustini, Legionen., auctoritate apostolica deputati, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipse te procuratorem suum ad recipiendum possessionem dicti monasterii et quaedam alia suo nomine peragendum constituit et etiam deputavit, tuque mandati dicti episcopi vigore ad praefatum monasterium accedens eius possessionem recepisti et quaedam

---

(1) In exemplari pro Cophtis: « affectu orationes publicas fieri faciatis ».

(2) In exemplari pro Cophtis hoc modo terminatur: « opus suum, quod per Nos inchoare dignatus est ».

(3) Wadd. *Ann.* ad a. 1439, n. 16 « ex autographo ».

(4) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 59 « e l. 1 de regular. et exhib. a. IX, f. 72 ». De domo S. Francisci cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1862, p. 725. (4) Reg. Lat. t. 370, f. 30.

alia ipsius nomine gessisti et administrasti ac geras et ministres etiam de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, gesta per te ex eo praesertim viribus non subsistere dubitetur, quod tu dicti ordinis professor exsistis, pro parte dicti episcopi Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, volentes praefatum episcopum suarum consideratione virtutum favore prosequi gratioso, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia per te, ut praefertur, dicti episcopi gesta et administrata auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus ac supplemus omnes defectus, si qui forsam intervenerint in eisdem, decernentes omnia per te gesta in praemissis perinde valere in omnibus et per omnia, ac si nullius ordinis professor et persona ad praedicta legitima exstitisses. Et nihilominus tibi, quod usque ad triennium a data praesentium computandum omnia negotia dicti episcopi circa administrationem dicti monasterii et quaecumque alia per eumdem episcopum tibi commissa et committenda atque ad ipsum pertinentia negotia gerere et exercere libere et licite valeas, quod dicti ordinis professor exsistis ac constitutionibus ... nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, V idus iulii, ... anno IX.

435. Mandat, ut fratribus O. F. M. de observ. assignet domum in manso Largosa apud civitatem Dertusen. (Tortosa) suppressa servitute eam inhabitandi per canonicos ecclesiae Dertusen. ([1]).

1439, iulii 18, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Ilerden.

Piis devotorum desideriis, *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Barnabae apostoli prope civitatem Dertusen., ordinis Minorum de observantia nuncupatorum, petitio continebat, quod olim, postquam quondam Guillelmus de S. Miniate, tunc archidiaconus Dertusen., de bonis sibi a Deo creditis in quodam manso, Largosa nuncupato, apud dictam civitatem consistente et ad eum iusto titulo pertinente, ad laudem Dei sub vocabulo dicti sancti quamdam capellam cum domo fundaverat ac illi mansum et domum eosdem cum horto, vinea ei adiacente aliisque terris et possessionibus pro sustentatione unius personae, quae ipsius rector exsisteret ac perpetuis temporibus illi laudabiliter deserviret in divinis, pro dote assignaverat, ius quoque patronatus sive praesentandi personam idoneam ad dictam capellam, quotiens illam vacare contingeret, tali adiecto onere, quod quilibet ex canonicis Dertusen. ecclesiae, quando sibi placeret, absque molestia rectoris ac laesione domus, iurium et capellae praedictorum recreationis causa ad tempus inhabitare posset, dilecto filio infirmario praedictae ecclesiae reservaverat, quondam Petrus de Garreto, tunc rector dictae capellae, in remissionem suorum peccaminum post obitum eiusdem Guillelmi cum auctoritate et decreto tunc vicarii in spiritualibus generalis venerabilis fratris Nostri Ottonis episcopi Dertusen. ac voluntate quondam Eduardi de Monte Latino, tunc infirmarii, et de consensu dilectorum filiorum capituli praedictae ecclesiae, capellam cum manso, domo, horto et aliis praemissis quondam Matthaeo Thamos et Raymundo de Manressa, tunc praesentibus et de licentia Sedis Apostolicae acceptantibus, ac eorum successoribus praedicti ordinis professoribus de observantia nuncupatis inibi degere volentibus tali conditione, quod Matthaeo et Raymundo capellam et domum praedictas dimittentibus ac aliis professoribus praedictis ibidem non habitantibus eo casu et non alias capella, mansus, domus et alia praemissa ad praedictum Petrum vel suum successorem dictae capellae rectorem pro tempore exsistentem absque cuiusvis contradictione reverterentur, sponte et libere in precarium donavit; ipsique Matthaeus et Raymundus atque alii, qui interim deguerunt in eadem domo, professores simplices et precariae donationis naturam ignorantes, praedictam domum cum non modicis solertia et sollicitudine pro commoditatibus suis piis fidelium subventionibus ampliarunt et ad instar aliarum praefati ordinis similium professorum domorum adaptarunt eiusque aedificia et hortum decenter reformarunt ac dicto Petro vita functo dilecto filio Iohanni de Volabro, rectori capellae, ne per ipsum et dilectum filium Franciscum Rubei infirmarium ecclesiae praedictarum, asserentes, quod Iohannes rector praedictus in fructibus, redditibus et proventibus dictae capellae sibi competentibus plurimum defraudatus remanserat, horum occasione, prout ab illis comminabatur, lites moverentur, eisdem honestam et sufficientem recompensam assignarunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, guardianus et fratres praedicti timeant, professores ordinis huiusmodi

[1] Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 60 « e l. 1 de regular. a. IX, f. 45 ». De Raymundo Manrissa cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1819, p. 702.

procedente tempore in praedicta domo degentes eadem donatione infirmata per capitulum ab ipsa domo expelli et per canonicos eosdem, qui cum eis disparis sunt professionis et habitus, si praedictam domum, quam ante ampliationem et adaptationem huiusmodi parum curarunt, quando eis placeret, inhabitare deberent, ab intima sua devotione plurimum retrahi: pro parte ipsorum guardiani et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos ... huiusmodi supplicationibus necnon charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae, reginae Aragonum illustris, Nobis etiam super hoc humiliter supplicantis, consideratione inclinati, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, super praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse inveneris et in contrarium nihil rationabile, quod merito impedire debeat, deductum fuerit seu etiam allegatum, ... praedictis guardiano et fratribus pro ipsorum et dictorum professorum usu et habitatione dictam domum cum aliis praemissis in perpetuum auctoritate concedas memorata, decernens domum eamdem a servitute inhabitandi illam per dictos canonicos inantea debere remanere liberam, necnon guardianum et fratres ac inibi pro tempore degentes professores praedictos per canonicos praedictos super inhabitatione huiusmodi non posse impediri seu quomodolibet molestari; contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae (!) anno ... 1439, XV kal. augusti, ... anno IX.

436. Mandat, ut Mariae de Finali, sorori III O. S. Fr. Ianuen., concedat facultatem erigendi domum prope capellam S. Genesii Ianuen. pro hospitalitate servanda ibique ponendi sacerdotem pro missis celebrandis etc. (1).

1439, augusti 8, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Siri Ianuen.

Piis fidelium votis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Mariae de Finali, sororis Ianuen., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, petitio continebat, quod ipsa zelo devotionis accensa et ob singularem affectionem, quam gerit ad capellam, oratorium nuncupatum, S. Genesii Ianuen., ad quam propter multa miracula, quae Deus omnipotens ipsius sancti intervenientibus meritis operatus est, maxima concurrit populi multitudo, proponat capellam ipsam reparare ac augere et in quadam domo per eam legitime acquirenda, eidem capellae propinqua, hospitalitatem servare, si sibi illius cura et regimen committantur, necnon sacerdotem idoneum, qui missas et alia divina officia in dicta capella, quae proprios redditus nullos habet, celebret, ponendi et deputandi ac eidem sacerdoti illa celebrandi necnon ipsius Mariae ac pauperum in dicta domo pro tempore degentium confessiones audiendi et pro commissis poenitentiam salutarem iniungendi facultas et licentia plenaria tribuatur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ..., postquam dicta Maria capellam praedictam reparaverit, ut praefertur, eidem Mariae, ut in dicta domo hospitalitatem tenere pauperesque ad eamdem pro tempore venientes recipere, ac in dicta capella aliquem sacerdotem idoneum, qui missas et alia divina officia ibidem celebret, ponere et deputare, necnon eidem sacerdoti, ut missas et officia huiusmodi celebrare ac eiusdem Mariae et pauperum praedictorum confessiones audire ... eisque eucharistiam et alia ecclesiastica sacramenta ministrare, dioecesani loci ... licentia minime requisita libere liciteque valeat, auctoritate Nostra facultatem et licentiam omnimodam largiaris, iure *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, VI idus augusti, ... anno IX.

437. Concedit indulgentias pro capitulo generali Ianuae celebrando (2).

1439, augusti 12, Florentiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Cum dilectus filius Guillelmus de Casali, magister in sacra pagina, ordinis Minorum generalis minister, in festo pentecostes proxime futuro generale capitulum dicti ordinis in civitate Ianuen. et in domo ecclesiae S. Francisci, ordinis praedicti, dictae civitatis, secundum eiusdem ordinis instituta statuerit celebrandum, Nos, attendentes ad paupertatem dicti ordinis ac multitudinem fratrum in eodem capitulo congregandorum, quorum est expressa professio paupertatis, considerantes, zelo insuper salutis animarum inducti, ut fidelium mentes eo ferventius ad opera pietatis et charitatis incitentur ac eleemosynas et alia charitativa subsidia fratribus ad dictum capitulum ituris erogent, quo ex hoc dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, ipsius generalis in hac parte

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 61 « e l. 1 de regular. et exhib. a. IX, f. 131 ».

(2) Wadd. *Ann.* ad a. 1440, n. 14 « e l. 1 de regular. a. IX, f. 44 ».

supplicationibus inclinati, ... omnibus vere poenitentibus et confessis a primis vesperis in vigilia pentecostes proxime futura inchoandis usque ad alias vesperas immediate sequentes ecclesiam ipsam S. Francisci visitantibus illam indulgentiam et remissionem peccaminum hac vice dumtaxat concedimus, quam visitantes ecclesiam S. Mariae in Portiuncula, dictam de Angelis, extra muros Assisinat., primo et secundo die mensis augusti annuatim consequuntur.

Datum Florentiae, anno ... 1439, pridie idus augusti, ... anno IX.

438. Moniales O. S. Cl. sub cura et regimine fratrum O. F. M. constitutas eximit a quibuscumque impositionibus et exactionibus (1).

1439, augusti 13, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet Romanus Pontifex omnes religiones *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissarum et conventuum universorum monasteriorum S. Damiani ac Minorissarum ac S. Clarae, ordinis eiusdem sanctae, sub generalis ministri aliorumque officialium ordinis fratrum Minorum cura ubilibet constitutarum, petitio continebat, quod ob varias decimarum et charitativorum subsidiorum aliorumque onerum impositiones tam pro Romanae ecclesiae eorumque legatorum et nuntiorum incumbentibus quam pro honorandis regibus et principibus ac communitatum subventionibus, apostolica auctoritate hactenus ordinatas, constitutas atque decretas necnon gabellas, pedagia et gravamina aliaque onera realia, per potestates, rectores atque regimina saecularia facta, imposita et illata petitionesque et exactiones, quae ratione fructuum, quae in earumdem monasteriorum et locorum agris et possessionibus infra nonnullarum cum cura et sine cura ecclesiarum limites consistentibus colliguntur, a nonnullis illarum rectoribus et beneficiatis factae sunt hactenus et fiunt etiam de praesenti, abbatissae, conventus, moniales, monasteria et loca huiusmodi in tantam paupertatem inopiamque venerant, quod pia earum vota exsolvere non valentes, in monasteriis et locis ipsis divinus cultus est adeo diminutus, quod, nisi provideatur celeriter, verisimiliter formidatur in eis exstinctio observantiae regularis. Quare pro parte abbatissarum et conventuum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui ad eosdem fratrum Minorum et S. Clarae ordines specialem gerimus devotionis affectum, piae mem. Nicolai IV, Bonifatii VIII, Iohannis XXII, Clementis VI, Alexandri IV et Benedicti XI (2), praedecessorum Nostrorum, vestigiis inhaerentes, earumdem abbatissarum et conventuum necnon dilecti filii Guillelmi de Casali, eiusdem fratrum Minorum ordinis generalis ministri, sacrae paginae professoris, Nobis nuper super hoc humiliter supplicantis, in hac parte supplicationibus inclinati, ... abbatissas, conventus, moniales, monasteria atque loca huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis ac bonis earumdem mobilibus et immobilibus quibuscumque tam praesentibus quam futuris ab omni iurisdictione, dominio, potestate quorumcumque legatorum, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, nuntiorum et aliorum quorumcumque ordinariorum iudicum ad instar praefatorum pontificum concessorum privilegiorum, quae hic haberi volumus pro sufficienter expressis, auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium prorsus eximimus ac perpetuo liberamus et sub beati Petri ac Sedis Apostolicae protectione suscipimus atque Nostra, illaque Nobis et successoribus Nostris Romanis pontificibus canonice intrantibus et dictae Sedi dumtaxat volumus subiacere, ita quod legati et nuntii dictae Sedis ac iudices praedicti aut alia quaevis persona saecularis vel regularis, ecclesiastica vel mundana, quacumque fulgeat dignitate, nullam in abbatissas, conventus, moniales, monasteria sive loca huiusmodi, utpote prorsus exempta, possint excommunicationis vel interdicti sententias promulgare vel iurisdictionem, dominium aut potestatem aliquam exercere ratione delicti, contractus aut rei, de qua ageretur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus aut res ipsa consistat, quinimo abbatissas, conventus et moniales easdem cum earum monasteriis atque locis perpetuo exemptas esse volumus, immunes a pedagiorum fructuumque et aliorum huiusmodi solutione, responsione et aliis quibuscumque. Non obstantibus fel. rec. Innocentii papae IV, praedecessoris Nostri, et aliis quibuslibet constitutionibus et privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis et generalibus locorum ordinariis vel aliis quibuscumque et quovis no-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 62 « e l. 1 de regular. et exhib., a. IX, f. 174 ».

(2) Cf. Alexandri IV litt. *Paupertatis vestrae,* d. d. 13 apr. 1255, ap. *Bull. Franc.* t. II, n. 41, p. 31; Nicolai IV *Quanto studiosius,* d. d. 18 ian. 1291, ib. t. IV, p. 209, n. 392; Benedicti XI *Sacra vestra religio* d. d. 8 iun. 1304, ib. t. V, n. 43, p. 23; Iohannis XXII *Sacra vestra religio* d. d. 17 sept. 1317 et 14 oct. 1325, ib. n. 283, p. 125; n. 590, p. 293; Clementis VI *Tenorem quarumdam litterarum* d. d. 8 mart. 1343 et *Laudabilis sacra religio* d. d. 2 mart. 1346, ib. t. VI, n. 183, p. 105 et n. 350, p. 174.

mine concessis et in posterum concedendis, necnon statutis, consuetudinibus et ordinationibus monasteriorum, locorum et ordinum praedictorum ac obligationibus, promissionibus et solutionibus per easdem abbatissas, conventus et moniales hactenus forsan factis contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, mandantes omnibus et singulis legatis, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ordinariis, rectoribus et aliis supradictis, cuiusvis ordinis, gradus, status et conditionis exsistant, etiamsi cardinalatus praefulgeant dignitate, ne abbatissas, conventus, monasteria et loca huiusmodi super praemissis et circa ea impetant aut vexent quomodolibet vel molestent, quinimo nec sinant ab aliis, quantum in eis fuerit, quomodolibet molestari, etiam per litteras apostolicas sub quavis forma vel expressione verborum confectas seu conficiendas imposterum, et etiamsi litterae ipsae de eisdem monasteriis, abbatissis, priorissis, conventibus, ordinibus et religione ac privilegiis et indultis ipsarum et de praesenti indulto plenam et expressam facerent mentionem, ac etiam si in eisdem litteris concessis vel concedendis clausulae infra scriptae, videlicet: quod omnes personae ecclesiasticae et religiosae, exemptae et non exemptae, ad praestationem seu solutionem decimarum, collectarum, subsidiorum, procurationum, angariarum, perangariarum ac aliarum quarumlibet exactionum, quocumque nomine nuncupentur, seu ad contribuendum in eis compelli valeant, insertae forent; non obstantibus, si dilectis in Christo filiabus abbatissis et conventibus dictorum monasteriorum et ipsis universis monasteriis vel ordini seu religioni ipsarum in specie vel in genere vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod ad solutionem seu praestationem decimarum, collectarum, talliarum, subsidiorum, procurationum et aliarum impositionum huiusmodi seu ad contribuendum in eis minime tenerentur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, quae de indulto huiusmodi et toto tenore ipsius plenam et expressam ac de verbo ad verbum non facerent mentionem; sive quibuslibet privilegiis vel indulgentiis eis vel quibuscumque personis, locis vel ordinibus a praedicta Sede concessis vel concedendis, de quibus oporteret in dictis litteris specialem fieri mentionem et per quae effectus litterarum ipsarum quomodolibet impediri valeret vel etiam retardari, vel aliae quaecumque et qualescumque clausulae praedictis similes vel dissimiles sub quorumcumque tenore vel expressione verborum insertae fuerint, quae constitutioni et ordinationi Nostris huiusmodi possent in aliquo derogare, compelli possint invitae, decernentes ex nunc omnes excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias ac quoscumque processus quasvis personas continentes, quos vel quas adversus abbatissas, conventus, moniales, monasteria, loca et bona praedicta contra tenorem et formam exemptionis huiusmodi quomodolibet haberi contigerit seu etiam promulgari, irritas et inanes ac nullius exsistere roboris vel momenti. Per hoc autem dilectis filiis generali ministro et aliis ordinis Minorum huiusmodi pro tempore exsistentibus officialibus nullum, quin omnem, quam hactenus habuerunt et de praesenti habent, curam, dispositionem et quamvis aliam administrationem abbatissarum, conventuum, monasteriorum et locorum praedictorum libere et licite valeant exercere, volumus praeiudicium generari. Nulli ergo *etc.* nostrae exemptionis, liberationis, susceptionis, mandati, constitutionis et voluntatis infringere *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, idibus augusti ... anno IX.

439. Rizardo de Mediolano et Francisco de Bononia O. F. M. concedit ecclesiam B. Mariae Cremonen., ad prioratum S. Gabrielis O. S. Ben. extra muros eiusdem civitatis pertinentem, per modum excambii pro usu et habitatione fratrum O. F. M. (1).

1439, augusti 17, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii Omnium Sanctorum iuxta muros Cremonen.

Iustis et honestis supplicum votis *etc.* Pridem siquidem dilectis filiis civibus Cremonen., qui propter devotionem, quam ad ordinem gerunt fratrum Minorum, domum unam cum campanili, campana, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu ... dictorum fratrum construere ... affectabant, per alias Nostras litteras domum huiusmodi ... infra vel extra civitatem eorumdem civium cum campanili ... fundandi ... ipsisque fratribus assignandi ac illis eam recipiendi et inhabitandi licentiam concedi mandavimus et etiam facultatem, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Rizardi de Mediolano et Francisci de Bononia, dicti ordinis professorum, petitio continebat, dilectus filius Iohannes, prior prioratus S. Gabrielis extra muros Cremonen., ordinis S. Benedicti, Romanae ecclesiae immediate subiecti, ecclesiam sub vo-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 63 « e l. 1 de regular. a. IX, f. 112 ».

cabulo beatae Mariae, infra limites dicti prioratus consistentem et ad ipsum prioratum pleno iure pertinentem, quae totalis ruinae deformitati subiacere dignoscitur tectisque eget et pavimento, cum eiusdem prioratus domibus, quae etiam ruinosae sunt, ac clausuris vacuis et intermediis iuxta et apud dictam ecclesiam exsistentibus, pro annuo censu seu canone librae unius cerae necnon pro ipsius domus erigendae hortis, hortalitiis et aliis officinis ad usum eorumdem fratrum de agris, hortis sive campis inibi contiguis et adiacentibus, ad dictum priorem ratione dicti prioratus similiter spectantibus, usque ad quantitatem decem et octo perticarum secundum illarum mensuram partium per modum excambii sive permutationis cum aliis agris et possessionibus civibus et fratribus praedictis, si ad id apostolica interveniat auctoritas, dare et assignare proponat, pro parte dictorum Rizardi et Francisci asserentium ecclesiam et domos huiusmodi piis dictorum civium et aliis mediantibus eleemosynis reaedificari et reparari ac pro ipso excambio alios aequivalentes campos et possessiones eidem priori exhiberi et assignari facere posse seu etiam sperare, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si narrata huiusmodi inveneris veritate fulciri, ... eidem Iohanni priori ecclesiam cum domibus, clausuris vacuis, intermediis muraliisque ruinosis, ut praefertur, sub annuo censu sive canone unius librae cerae, sibi et pro tempore exsistentibus ipsius prioratus prioribus annis singulis in terminis ad id per te statuendis per fratres sive cives praedictos persolvendo, dandi et concedendi necnon hortos et campos usque ad quantitatem mensurae huiusmodi pro eiusdem domus erigendae hortis, hortalitiis et aliis praefatis officinis in usu et habitatione dictorum Rizardi et Francisci aliorumque fratrum eiusdem ordinis Minorum pro tempore inibi degentium pro aequivalentibus bonis aliis stabilibus, dicto prioratui applicandis, permutandi auctoritate Nostra licentiam largiaris, quodque, si praemissa per te vigore praesentium fieri contigerit, eisdem Rizardo, Francisco et fratribus, donec et quousque ecclesia reparata et domus huiusmodi constructa et aedificata fuerint, ut de voluntate et consensu prioris ipsius prioratus pro tempore exsistentis in ecclesia eiusdem prioratus, apud quam prior et monachi aliqui a sexaginta annis citra nullam fecerunt, prout nec faciunt, residentiam, divina interim celebrare officia valeant, praefata etiam auctoritate concedas, non obstantibus constitutionibus apostolicis *etc.* Per hoc autem nullum eisdem Rizardo, Francisco et fratribus in dicto prioratu eiusque ecclesia ius acquiri volumus quovis modo, aliis Nostris huiusmodi litteris in suo robore nihilominus alias permansuris.

Datum Florentiae, anno ... 1439, XVI kal. septembris, ... anno IX.

440. Concedit licentiam retinendi quamdam cameram in domo Hispalen. O. F. M. ad tempus vitae [1].

1439, augusti 18, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni de Sancta Anna, ordinis fratrum Minorum ac theologiae professori.

Religionis zelus *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu olim ex quorumdam fidelium eleemosynis pro consolatione et quiete animi tui, et ut ferventius litterarum studio intendere valeres, quamdam cameram in domo Hispalen. ordinis fratrum Minorum construi et fabricari feceris, pro parte tua ac dilectarum filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Agnetis, etiam Hispalen., ordinis S. Clarae, asserentium te earum et dicti monasterii ministrum fore, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut cameram ipsam tibi, quoad vixeris, pro tuis usu et habitatione concedere de benignitate apostolica dignaremus. Nos igitur, fabricam camerae huiusmodi harum serie confirmantes ac volentes te, qui, ut etiam asseris, provinciae Hispalen. iuxta morem ordinis fratrum huiusmodi minister exsistis, praemissorum meritorum intuitu favore prosequi gratiae specialis, huiusmodi supplicationibus inclinati, cameram praedictam tibi per te, quamdiu vitam duxeris in humanis, etiam si forsan provinciae et monasterii huiusmodi minister esse desieris, tenendam, habendam, habitandam, fruendam et possidendam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et etiam assignamus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, XV kal. septembris, ... anno IX.

441. Monasteriis S. Clarae et S. Agnetis Hispalen. O. S. Cl. confirmat exemptionem ab exactionibus [2].

1439, augusti 27, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Gadicen.

Et si personis quibuslibet voto *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum S. Clarae

---

[1] Reg. Lat. t. 370, f. 10v. De Iohanne de S. Anna cf. supra n. 67, p. 41, et n. 359 p. 165 not. 1.

[2] Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 64 « e l. 1 de regular. a. IX, f. 301 ». De monasteriis Hispalen. cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 833, p. 287; n. 842, p. 288; n. 916, p. 308; n. 1435, p. 529.

et S. Agnetis Hispalen. ordinis eiusdem sanctae Clarae monasteriorum abbatissarum et conventuum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim fel. rec. Gregorius papa XI, praedecessor Noster, per suas litteras, quibus non fuit hactenus per Sedem Apostolicam in aliquo derogatum, sub data X kal. decembris, pontificatus sui anno III, dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui de Guadalfagiara, dicti ordinis, Toletan. dioec., quae, licet dictum earum monasterium varias possessiones obtineret, tamen eodem ordine in paupertate fundato voluntariae pauperes Christo pauperi deserviebant, ut ipsae seu earum aliquae ad exhibendum procurationes aliquas legatis vel nuntiis dictae Sedis sive ad praestandum subventionem quamcumque vel ad contribuendum in exactionibus vel collectis seu subsidiis aliquibus per litteras Sedis aut legatorum seu nuntiorum praedictorum seu rectorum terrarum vel regionum quarumcumque minime tenerentur nec ad id cogi possent, etiam si in huiusmodi Sedis litteris contineretur, quod ad quaevis exempta et non exempta loca et monasteria se extenderent, et eis aliqua dictae Sedis indulgentia, cuiuscumque tenoris exsisteret, non obstaret, nisi forsan litterae Sedis huiusmodi de praedictis indulto et ordine plenam et expressam facerent mentionem, indulsit atque concessit, mandans legatis, collectoribus vel nuntiis dictae Sedis, ne eas super hoc molestarent aut de conventu dicti monasterii de Guadalfagiara procurationes aliquas vel subsidium aut tributum exigerent, ac volens, quod praedictum monasterium de Guadalfagiara a dictis procurationibus vel subsidiis aut aliis tributis esset exemptum, decrevit quoque idem praedecessor irritas et inanes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas in easdem abbatissam et conventum de Guadalfagiara vel aliquam ipsarum seu quascumque alias earum occasione, praemissorum praetextu contra huiusmodi concessionis suae tenorem per quemcumque ex tunc inantea contingeret promulgari, prout in eisdem litteris dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ipsae exponentes in praemissis oneribus et aliis similibus et circa ea saepius molestentur, ... pro parte ipsarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si litteris ipsis in earum propria et originali forma per te diligenter inspectis et examinatis, eas veras ac sanas et integras esse dictasque abbatissam et conventum de Guadalfagiara iure exemptionis onerum huiusmodi, dummodo postea contra illud legitime praescriptum non fuerit, usas esse reppereris, ... praedictis exponentibus, ut etiam ipsae de cetero, quamdiu in huiusmodi observantia vixerint, similibus concessione et indulto in omnibus et per omnia uti et gaudere possint ac debeant, auctoritate Nostra concedas, non permittens eas super praemissis contra earumdem litterarum tenorem, perinde ac si illae eis dirigerentur, per quempiam indebite molestari, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, VI kal. septembris, ... anno IX.

442. Albertum de Sartiano O. F. M. instituit commissarium apostolicum in partibus orientalibus cum certis facultatibus [1].

1439, augusti 28, Florentiae.

Dilecto filio Alberto de Sartiano, ordinis Minorum, in partibus orientalibus Indiae, Aethiopiae, Aegypti et Hierusalem, commissario Nostro.

Dum onus universalis gregis dominici *etc. (ut supra n. 300, p. 138 usque ad)* ac sperantes, quod ea, quae tibi committenda duxerimus, pro honore Dei et propagatione christiani nominis diligenter et fideliter prosequeris, te in partibus orientalibus Indiae, Aethiopiae, Aegypti et Hierusalem commissarium Nostrum facimus, constituimus et etiam deputamus, tibi nihilominus Nostro et Romanae ecclesiae nominibus omnia et singula, quae dilectus filius generalis ordinis tui facere posset, si personaliter in partibus praedictis interesset, faciendi et agendi tenore praesentium apostolica auctoritate dantes plenariam facultatem, volentes ac tenore praesentium statuentes, quod tu, et qui pro tempore fuerit in dictis partibus a te substitutus, super conventus et personas conventuum illam potestatem, facultatem et arbitrium habeatis, quam generalis ipse, si adesset, habere dignoscitur, sic tamen, quod tu et substituti praefati et vobis subiecti fratres per omnia dicto generali obedire et subesse teneamini, praeterquam in iis, quae huic mandato et commissioni Nostrae derogare et obviare censeantur. Fraternitates insuper seu societates, si quas pietati idoneas esse perspexeris, cum opportunis constitutionibus ordinare et ad tertium ordinem beati Francisci, ad habitum et professionem, recipere et in eodem

---

[1] Reg. Vat. t. 366, f. 359 v. (sed sine die, mense et anno); Wadd. *Ann.* ad a. 1439, n. 17 « ex autographo ». Pro *II kal.* legendum est *V kal.*; cf. infra n. 445. Jorga, *Notes et extraits pour servir à l'histoire des Croisades au XV^e siècle*, Paris 1899, II, p. 364, hanc institutionem ad d. 4 iulii 1439 refert.

ordine visitatores et alios officiales instituere valeatis, quarum omnium tam dicti tertii ordinis quam congregationum singulis personis in dictis congregationibus perseverantibus omnium peccatorum remissionem in mortis articulo ac vere poenitentibus et confessis, auctoritate apostolica impendere valeas et valeant, necnon fratribus, de quibus tibi aut eis videbitur, ut ad partes praedictas vadant, qui etiam tibi et illis obedire teneantur, praecipiendi et mandandi ipsosque ad alias quascumque mundi partes cum facultatibus et auctoritatibus supradictis dirigendi ac notarios ad actus publicos in favorem fidei conscribendos creandi et instituendi, quodque tu et, qui pro tempore fuerit substitutus seu per aliquem vestrum deputatus, super omnia monasteria curae fratrum in dictis partibus hactenus commissa vel committenda, eamdem potestatem habeatis, quam generalis ipsius ordinis minister habere dignoscitur, tenore simili concedentes. Volumus autem, quod per quascumque litteras apostolicas generali ministro dicti ordinis seu aliis quoquo modo concessas vel concedendas imposterum gratiae, indulta et alia supradicta nullatenus intelligantur revocata. Non obstantibus apostolicis ac in generalibus et specialibus conciliis editis constitutionibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, II (!) kal. septembris, ... anno IX.

443. Alberto de Sartiano O. F. M., commissario apostolico in partibus orientalibus, concedit facultates [1].

1439, augusti 28, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastor bonus, qui propter nimiam *etc. (ut supra n. 301 p. 139 cum his mutationibus):* Hinc est, quod Nos, qui per alias Nostras certi tenoris litteras dilectum filium fratrem Albertum de Sartiano, ordinis Minorum, Nostrum in partibus Orientalibus, Indiae, Aethiopiae et Hierusalem commissarium instituimus ipsique et fratribus per eum deputandis, ut in ipsis partibus possit et possint singulorum christifidelium et infidelium civitatum quarumcumque, dioecesium et locorum, ad ipsos pro tempore confluentium confessiones audire *etc., (ut in bulla cit. Post* ecclesiastica sacramenta ministrare *additur):* et apostatas a fide et religione ad poenitentiam salutarem et habitum religionis suae et reconciliationem recipere et omnia parochialia peragere *etc. (ut in bulla cit. Circa finem omittitur concessio indulgentiae:* Nos enim singulis fidelibus *usque* indulgentiam elargimur; *reliqua, ut in bulla cit.).*

Datum Florentiae, anno ... 1439, II (!) kal. septembris, ... anno IX.

444. Commendat Albertum de Sartiano O. F. M., commissarium suum in partibus Orientalibus [2].

1439, augusti 28, Florentiae.

Charissimo in Christo filio Thomae, imperatori Indorum illustri.

Pertulit saepe ad Nos constans fama tuam serenitatem et simul omnes, qui sub tuis regnis sunt constituti, veros esse christianos; tibi etiam non dubitamus esse notum ipsius fidei fundamenta a principio fuisse instituta apud urbem Romam, in qua quiescunt corpora beatorum Petri et Pauli apostolorum residemusque Nos, Christi vicarius, in ipsa Apostolica Sede, ecclesiarum omnium domina et magistra. Quare cupientes, si concesserit Dominus, aliqua scire de his, quae apud tuam excellentiam fiunt, et ut etiam tu intelligas, quid apud christianos occidentales fiat, mittimus ad tuam celsitudinem dilectos filios fratrem Albertum de Sartiano, ordinis beati Francisci, commissarium Nostrum in partibus Orientalibus, et eius socios, quos, si forte nequiverit personaliter venire, duxerit destinandos, suntque ipsi omnes viri utique cum sacra Dei doctrina pleni tum etiam in timore Domini et eius viis ambulantes, quibus velit eadem serenitas tua in dicendis tam circa praedicta quam etiam circa quaedam secretiora ex parte Nostra fidem credulitatis adhibere plenariam.

Datum Florentiae, anno ... 1439, V kal. septembris, ... anno IX.

Eodem modo *Charissimo filio presbytero Iohanni, imperatori Aethiopum illustri.*

445. Indulget, ut Iohannes de S. Anna O. F. M. in officio visitatoris monasteriorum S. Clarae et S. Agnetis, Hispalen., O. S. Cl., permaneat [3].

1439, septembris 5, Florentiae.

Dilectis in Christo filiabus S. Clarae et S. Agnetis Hispalen. ordinis eiusdem S. Clarae monasteriorum abbatissis et conventibus.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Vobis, ut dilectus filius Iohannes de S. Anna, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professor,

(1) Reg. Vat. t. 366, f. 361 (sed sine die, mense et anno incarnationis); Wadd. *Ann.* ad a. 1439, n. 18 « ex autographo et e l. 11 bull. f. 361 ».

(2) Wadd. *Ann.* ad a. 1439 n. 15 « ex ipso autographo ».

(3) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 65 « e l. 1 de regular. a. IX, f. 300 ». De monasteriis O. S. Cl. Hispalen. cf. supra n. 441, p. 207; de Iohanne de S. Anna, cf. n. 445, p. 209.

qui, sicut asseritis, per plures annos ex concessione et permissione generalium dicti ordinis ministrorum, qui interim fuerunt, visitationis officium in vos et dicta monasteria laudabiliter exercuit et de praesenti exercet, illud, quoad vixerit, ulterius exercere possit, ... indulgemus. Nos enim de ipsius Iohannis vita laudabili, morum integritate, pura conscientia et aliis virtutum donis, quibus personam suam, prout fide dignorum testimoniis accepimus, Altissimus insignivit, plurimum confidentes, sibi, quoad vixerit, monasteria praedicta eorumque moniales sive sorores et personas praesentes et futuras tam in capite quam in membris, quoties expedierit, visitandi necnon ea, quae secundum Deum et regularia vestri ordinis instituta inibi correctione, reformatione et punitione indigere reppererit, corrigendi, ... rebelles per censuram ecclesiasticam ... compescendi ... concedimus facultatem. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, nonis septembris, ... anno IX.

446. Concedit facultatem fundandi monasterium O. S. Cl. in civitate Paduan. (1).

1439, septembris 14, Florentiae.

Dilectae in Christo filiae Dorotheae ex comitibus de Panico, domicellae Bononien. in civitate Paduan. commoranti.

Pia vota fidelium *etc.* Sane petitio pro parte tua Nobis nuper exhibita continebat, quod tu, de propria salute cogitans ... ac gerens ad ordinem S. Clarae specialem devotionis affectum, de bonis tibi a Deo collatis unum monasterium dicti ordinis cum ecclesia seu oratorio, campanili, ... necessariis officinis in civitate Paduan. fundare et construi facere ac de congruis redditibus annuis pro una abbatissa et certis aliis monialibus in eodem monasterio instituendis servitricibusque et aliis eis necessariis ad instar monasterii S. Clarae Corporis Christi de Mantua nuncupati sufficienter dotare proponis. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fundandi, construendi et dotandi in dicta civitate, in loco tamen congruo et honesto, praedictum monasterium, ut praefertur, dioecesani ... licentia minime requisita, prius tamen per te sufficienti dote assignata ac iure *etc.* salvo, quodque tu, ut asseris, in dicto monasterio una cum certis aliis honestis mulieribus sub regula et iuxta instituta regularia monasterii S. Clarae Corporis Christi de Mantua nuncupati, ut praefertur, eiusdem ordinis, Altissimo perpetuo famulari desideras, postquam illud erectum et dotatum fuerit, regularem habitum cum eisdem mulieribus recipere ac professionem, in eodem per moniales inibi in similibus monasteriis in manibus ad id iuxta instituta dicti ordinis potestatem habentis emitti solitam, emittere possis et valeas, devotioni tuae auctoritate apostolica tenore praesentium elargimur. Et nihilominus eidem monasterio, si illud per te, ut praefertur, fundari, construi et dotari contigerit, et eius abbatissae et monialibus, quae in ipso monasterio pro tempore fuerint, auctoritate praedicta concedimus, quod abbatissa et moniales ipsae omnibus et singulis privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, XVIII kal. octobris, ... anno IX.

447. Decano ecclesiae S. Crucis Leodien. mandat, ut confirmet translationem capellae S. Salvatoris infra limites parochiae ecclesiae S. Sulpitii de Diest, in quo olim Iohannes de Kermbt, presbyter III O. S. Fr., deservierat, ad magistrum et conventum hospitalis S. Iohannis Hierosolymitan. (2).

1439, octobris 31, Florentiae.

Iis, quae pro ecclesiarum et hospitalium *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, pridie kal. novembris, ... anno IX.

448. Declarat Martinum Matthaei de Florentia ad observantiam O. F. M. non teneri et in III ordine S. Francisci perpetuo remanere posse (3).

1439, novembris 5, Florentiae.

Dilecto filio Martino Matthaei de Florentia fratri tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati.

Religionis zelus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod te, postquam tu quinquennio iam elapso ordinem beati Francisci de observantia nuncupatum intrasti et illius habitum novitiorum assumens, gravem adeo post menses octo decursos infirmitatem incurristi, quod per duos et illos sequentes alios duos menses minime liberatus, sed in valetudine, qua fuisti, postmodum per trimestre detentus nulla in dicto ordine per te professione emissa, custodes domus fratrum praedictorum, cum quibus sic infirmus morabaris in illa, te quasi semimortuum huiusmodi novitiorum habitu aliis fratribus adstantibus iuxta deliberationem inter eos per prius habitam ma-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 66 « ex ipso autographo ».

(2) Reg. Lat. t. 370, f. 11.

(3) Reg. Lat. t. 370, f. 67 v.

nibus propriis spoliarunt et per quemdam tertii ordinis dicti sancti professum habitum eremitarum indui et extra dictam domum ad quoddam hospitale deduci fecerunt, in quo gratia tibi suffragante divina fuisti intervenientibus opportunis remediis liberatus, licet quasi quaedam hydropisis species propter curam a principio morbi minus adhibitam tibi remanserit, qui sic liberatus et huiusmodi novitiorum habitu per dictos fratres de observantia, ut praefertur, exutus, professionem per fratres dicti tertii ordinis emitti solitam in manibus illius ministri emisisti expressam, proponens perpetuo in huiusmodi tertio ordine remanere et Altissimo famulari. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ab aliquibus asseratur, te in illo professionem tacitam emisisse plurimumque super hoc a christifidelibus tuaque conscientia mordearis, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut attentis infirmitatibus praelibatis, quarum causa intentionis tuae fuit numquam velle dictum de observantia ordinem profiteri, tibi, quod in dicto tertio ordine remanere valeas, concedere et alias tuae saluti animae providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, praemissorum meritorum tuorum intuitu gratioso favore prosequi te volentes et attendentes potissime bonarum mentium esse culpam timere, ubi non est, huiusmodi supplicationibus inclinati, te ad praemissi ordinis de observantia observantiam non teneri declarantes, tibi, quod in eodem tertio ordine perpetuo remanere et famulari Altissimo valeas, tibi harum serie indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, nonis novembris, ... anno IX.

449. Confirmat litteras Alexandri IV [1].

1439, novembris 10, Florentiae.

Dilectis filiis .. generali et provincialibus ministris ac universis fratribus ordinis fratrum Minorum.

Iis, quae per Romanos pontifices, praedecessores Nostros, edita et concessa esse dignoscuntur, praesertim ordini fratrum Minorum, qui in fide catholica et in militanti ecclesia fructus continuo pariunt salutares ac praedicatione verbi Dei et evangelicae veritatis exemploque vitae fidem et ecclesiam illustrant atque corroborant, ut inconcussa et illibata permaneant, cum a Nobis petitur, libenter adiicimus Nostri munimis firmitatem. Hac itaque consideratione inducti, vestris etiam in hac parte supplicationibus inclinati, quasdam fel. rec. litteras Alexandri papae IV, praedecessoris Nostri, quas diligenter inspici et examinari, quarumque tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et approbamus ac praesentis scripti patrocinio communimus. Tenor vero dictarum litterarum sequitur et est talis:

Alexander episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis .. generali et provincialibus ministris ac universis fratribus ordinis fratrum Minorum.

Virtute conspicuos *etc.* [2].

Datum Viterbii, IV nonas augusti, ... anno IV.

Nulli ergo *etc.* Nostrae confirmationis, approbationis et communitionis infringere *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, IV idus novembris, ... anno IX.

450. Confirmat litteras Clementis IV [3].

1439, novembris 10, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet debitum pastoralis officii omnibus regularem vitam professis, ut in suis conserventur privilegiis, Nos reddat favorabiles et benignos, ad sacrum tamen ordinem fratrum Minorum, quorum praeclara religio veluti ager fertilis in Domino multiplices atque uberes fructus animarum ad laudem Dei et fidei incrementum semper attulit et affert quotidie verbo et exemplo in populo christiano, dirigentes praecipue velut pius pater oculos mentis Nostrae, dignum censemus et debitum, ut ipsum ordinem eiusque in odorem suavitatis Altissimo deservientes personas in suis privilegiis, praesertim per Romanos pontifices concessis, debite conservemus ac illa, ne de eorum robore ullatenus haesitari valeat, apostolicae confirmationis munimine roboremus. Hinc est, quod Nos, dilectorum filiorum Guillelmi de Casali, generalis ministri ordinis fratrum praedictorum, supplicationibus inclinati, litteras quasdam fel. rec. Clementis papae IV, praedecessoris Nostri, dicto ordini concessas, quarum tenorem inferius de verbo ad verbum describi fecimus, ac omnia et singula in eis contenta pro ipsarum subsistentia firmiori auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium confirmamus et praesentis scripti pa-

---

(1) Reg. Lat. t. 370, f. 79.

(2) Vide *Bull. Franc.* t. II, p. 298, n. 436, et melius Eubel, *Supplem.* p. 263, n. XXXV. Litterae datae sunt 1258, aug. 2.

(3) Reg. Lat. t. 370, f. 74; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 67.

trocinio communimus. Tenor vero praedictarum litterarum sequitur et est talis:

Clemens episcopus etc.

Dilectis filiis generali et provincialibus ministris ac universis fratribus ordinis fratrum Minorum.

Virtute conspicuos *etc.* (1)

Datum Perusii, XII kal. augusti, anno I.

Nulli ergo *etc.* Nostrae confirmationis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, IV idus novembris, ... anno IX.

451. Confirmat privilegia concessa per litteras Bonifatii VIII (2).

1439, novembris 14, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Iis, quae ad sacrae religionis conservationem et augmentum respiciunt et praesertim ordinis fratrum Minorum, qui in ecclesia militanti fructus afferunt Altissimo salutares, libenter intendimus eaque favoribus prosequimur opportunis. Hinc est, quod Nos, pro parte dilectorum filiorum generalis ministri ac fratrum dicti ordinis exhibitis Nobis supplicationibus inclinati, quasdam litteras fel. rec. Bonifatii papae VIII, praedecessoris Nostri, concessiones, indulta et privilegia quaedam dicti ordinis continentes, quas diligenter inspici et examinari et quarum tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium confirmamus et approbamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Tenor vero dictarum litterarum sequitur et est talis:

Bonifatius episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis .. generali et provincialibus ministris ac universis fratribus ordinis fratrum Minorum.

Virtute conspicuos *etc.* (3).

Datum Romae apud S. Petrum, III idus novembris, ... anno I.

Nulli ergo *etc.* Nostrae confirmationis, approbationis et communitionis infringere *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, XVIII kal. decembris, ... anno IX.

452. Lucae Michaelis de Piscia, monacho monasterii B. Mariae de Buggiano, O. S. Ben., Lucan. dioec., olim fratri O. F. M., iam per alias litteras a censuris absoluto, concedit facultatem in dicto monasterio remanendi sublata obligatione se transferendi ad monasterium Specus Sublacen., O. S. Ben. (4).

1439, decembris 10, Florentiae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, IV idus decembris, ... anno IX.

453. Basilium O. F. M. instituit episcopum Tanen. (Tana, Asow in Chersoneso Taurica) (5).

1439, decembris 11, Florentiae.

Dilecto filio Basilio, electo Tanen.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Francisco episcopo Tanen. regimini Tanen. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Francisci episcopi, qui extra Romanam curiam *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum, religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, III idus decembris, ... anno IX.

Eadem die et simili modo scribit *Populo civitatis et dioec. Tanen.*

454. Mandat, ut approbet assignationem ecclesiae et claustri monasterii monialium S. Mariae de Paradiso O. Cist., fratribus O. F. M. de observ. factam a Iohanne presb. card. tit. S. Laurentii in Lucina, et eisdem fratribus etiam ambitum dicti monasterii concedat (6).

1439, decembris 16, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Cornetan.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum Iacobi de Reate vicarii et aliorum fratrum de observantia nuncupatorum ordinis Minorum Romanae provinciae Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias dilectus filius Noster Iohannes, tit. S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, in dicta provincia et in aliis locis plerisque etiam tunc praedictae Sedis legatus, monasterium monialium S. Mariae de Paradiso extra muros Viterbien., tunc Cistercien. ordinis exsistens, ex certis causis legitimis tunc expressis sub certis modo et forma mensae capitulari ecclesiae Viterbien. univit, annexuit et incor-

(1) Vide *Bull. Franc.* t. III, p. 19, n. 25, et melius Eubel, *Supplem.* p. 284, n. XLIII. Litterae datae sunt anno 1265, iulii 21.

(2) Reg. Lat. t. 370, f. 83 v.

(3) Vide *Bull. Franc.* t. IV, p. 371, n. 37 (nota c), ubi tamen non integra bulla exstat, sed ea tantum notantur, quibus haec bulla differt a litteris Clementis IV, de quibus cf. n. praec. Litterae Bonifatii VIII datae sunt 1295 novembris 11.

(4) Reg. Lat. t. 370, f. 9 v.

(5) Reg. Lat. t. 365, f. 311; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 68. Apud Eubel, *Hier. cath. med. aevi,* II², p. 245, appellatur Basilius Maupretis Armenorum.

(6) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 69 « è l. 1 de regular. et exhib. a. IX, f. 110 ».

poravit, etiam confirmatione apostolica desuper subsecuta, ac subsequenter facta per Nos eidem cardinali oraculo vivae vocis super eo, quod ecclesiam, claustrum et aedificia dicti monasterii illiusque locum dictis vicario et fratribus concederet et assignaret, [potestate] idem cardinalis apostolica eis auctoritate illa concessit, et assignavit, prout in quibusdam litteris desuper confectis suo quoque sigillo signatis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ambitus dicti monasterii, infra antiquos muros Viterbien. partim ruinosos, ubi laici non pauci frequenter discurrere vagarique solent, consistens, tam propter eorumdem laicorum strepitum fratres in monasterio ipso exsistentes valde perturbantem quam etiam pro horto et aliis fratrum eorumdem commoditatibus ipsis bene necessarius et accommodus censeatur, ac propterea, ut eisdem fratribus huiusmodi perturbationis materia subtrahatur, et pro dictis horto et commoditatibus locum habeant latiorem, vicarius et alii fratres praedicti in affectu gerant, quod dictus ambitus fratribus ipsius monasterii approprietur: pro parte ipsius vicarii et fratrum, asserentium ambitum non magni spatii modicique valoris fore ac monasterium huiusmodi fere totali ruinae subiacere reparationeque magna plurimum indigere, fuit Nobis humiliter supplicatum *etc.* Nos etiam quoad dictum ambitum, ut per hoc ab eisdem fratribus omnis perturbationis inde provenire solitae tollatur occasio, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam vocatis dilectis filiis capitulo Viterbien. et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de huiusmodi assertis et aliis praemissis legitime constiterit, concessionem et assignationem praedictas apostolica auctoritate approbes et confirmes dictis quoque ipsius monasterii fratribus ambitum perpetuo concedas antedictum; Nos enim, si approbationem, confirmationem et concessionem ... fieri contigerit, universis et singulis fratribus dicti monasterii, ... ut omnibus privilegiis, *etc.* Non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, XVII kal. ianuarii, ... anno IX.

455. Petrum de Landres O. F. M. instituit episcopum Doren. (Dora in Palaestina) (1).

1440, ianuarii 13, Florentiae.

Dilecto filio Petro de Landres, electo Doren.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Iohanne episcopo Doren. regimini ecclesiae Doren. praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero ecclesia ipsa per obitum eiusdem Iohannis, qui extra Romanam curiam *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum et theologiae professorem et in sacerdotio et aetate legitima constitutum, cui de religionis zelo *etc.* non obstante, quod dicti ordinis professor sis, ut praefertur, auctoritate apostolica providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, eius curam et administrationem *etc.* Volumus autem *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, idibus ianuarii, ... anno IX.

456. Confirmat constitutiones collegii sororum III O. S. Fr. Perusin. (2).

1440, ianuarii 15 Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum universarum sororum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati collegii Perusini petitio continebat, quod ipsae a tempore quondam Bonifatii IX ... praetextu cuiusdam confirmationis statutorum per bon. mem. Franciscum, tit. S. Susannae presbyterum cardinalem, factae, per quae eaedem sorores sub cura et regimine unius generalis ministrae, per easdem sorores pro tempore eligendae, vivere illique obedire haberent, mulieres quoque saeculum fugientes et ad collegium huiusmodi pro tempore venientes ad ministram praedictam irent ab ea et non ab alia vel alio huiusmodi tertii ordinis habitum recipere, et nonnulla alia, quae in huiusmodi statutis, in ipsius cardinalis litteris insertis, plenius continentur, iuxta quae ipsae sorores hactenus invicem laudabiliter vixerunt, prout vivunt etiam de praesenti. Verum, quia a nonnullis asseritur, praedictum cardinalem confirmationem huiusmodi statutorum facere minime potuisse et propterea easdem sorores excommunicationis sententiam aliasque censuras et poenas incurrisse et, sicut eadem petitio subiungebat, propter praemissa inter easdem sorores murmurationes et scandala in partibus illis oriuntur adeo, ut sine mentis quiete viventes, quae Dei sunt, minus debite valeant cogitare, et nisi eis de celeri remedio succurratur, eadem religio seu ipsarum vivendi modus posset ad nihilum verisimiliter pervenire. Quare pro parte dictarum sororum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsas, quae dicti cardinalis potestatem probabili-

(1) Reg. Lat. t. 365, f. 277. (2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 70 «e l. 1 de regular. et exhib. a. IX, f. 98».

ter ignorabant, a quibusvis excommunicationum sententiis aliisque censuris ... absolvere omniaque per easdem ministram et sorores alias rite gesta rata habere ... dignaremur. Nos igitur, ... ministram et sorores praedictas ab omnibus excommunicationum sententiis aliisque censuris ... absolventes omniaque per easdem ministram et sorores et singula rite gesta grata et rata habentes, illaque et praedicta statuta in ipsius cardinalis litteris inserta ac cetera in eis contenta, quae in cancellaria Nostra inspici fecimus diligenter, et quae ibidem rationabilia *etc.* confirmamus *etc.*

Tenor vero dictorum statutorum sequitur et est talis:

In nomine Domini. Amen.

Quoniam, ut ait sapiens [1] « Ubi non est sepes, diripietur possessio », necesse est religiosis personis regulam eis traditam, tamquam possessionem vallatam sepe utilium statutorum, quasi circumdare munimine, ne observantia regularis vitae pateat incursibus spiritualium bestiarum *etc.* Igitur, cum ille malignus antiquus hostis, zizanii seminator, inter fratres de poenitentia tertii ordinis S. Francisci de Perusio zizania avaritiae, ambitionis, indignationis, invidiae et scandali derivaverit, ... ideo visum est nobis, ministrae et sororibus aliis ordinis praelibati civitatis Perusinae, apud locum fratrum Minorum de Perusio in capitulo congregatis, unanimiter et concorditer cum consilio, consensu et voluntate religiosi viri fratris Benedicti de Tuderto, nostri visitatoris, praesentes constitutiones plenaria deliberatione praehabita condere, constituere et ordinare ac perpetuo observare.

Cum regula nostra [2] sic incipiat: « Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis fratribus et dilectis in Christo filiabus sororibus ordinis fratrum de poenitentia tam praesentibus quam futuris salutem et apostolicam benedictionem » *etc.*, et sorores omnes ordinis praelibati de civitate praedicta sub discretione, consilio, protectione, regimine, correctione et reformatione fratrum dicti ordinis hactenus consueverunt permanere necnon in earum bonis moribus confoveri et in contrariis subsidium recipere et salutem, et nunc propter aliquorum fratrum malam vitam, ... ex quibus ipsi et totum collegium fratrum et sororum in persona eorum versi sunt in derisum, opprobrium et contemptum omnium Perusinorum, ... idcirco omni modo, via, iure et forma, quibus melius possumus, statuimus et ordinamus ac praesenti constitutione perpetuis temporibus duratura iubemus, quod collegium et capitulum sororum vestrarum de civitate praedicta sit in omnibus et per omnia totaliter divisum et separatum a collegio dictorum fratrum et capitulo, et nulla soror nec teneatur nec debeat obedire in aliquo ministro electo vel eligendo per ipsos fratres, non obstantibus quibuscumque constitutionibus et consuetudinibus hucusque factis seu habitis, quas ... nullius roboris seu efficaciae esse iubemus, nisi illas, quas in praesenti et infrascriptis constitutionibus confirmabimus; sed universae sorores vestri collegii et capituli unam de sororibus vestrae religionis teneantur semper habere generalem ministram, quae illam habeat auctoritatem et potestatem, quae conceditur ministro a regula a Sede Apostolica vobis concessa, et eidem teneantur firmiter obedire in omnibus, quae ad suae sollicitudinis officium spectant; et pro qualibet porta [3] assignentur una priorissa et una discreta, quarum electio fiat, sicut inferius describitur. Et caveant omnes et singulae sorores, ne in capitulo vel consilio seu extra audeant vel praesumant publice vel occulte proponere, ratiocinari, ordinare vel quomodolibet loqui quocumque quaesito colore vel titulo, quod praedictum collegium dictarum sororum uniatur iterum vel incorporetur cum collegio praedictorum fratrum, ** nisi sit sub regimine, protectione, gubernatione et correctione, punitione, informatione seu obedientia eorumdem; quae autem contra fecerit, taliter puniatur per ministram et visitatorem, quod ceteris transeat in exemplum; et si in sua pertinacia, perfidia et contumacia manere voluerit, ex tunc ipso facto de vestro collegio et capitulo sit totaliter expulsa et tamquam turbatrix vestrae pacis, honoris et libertatis ab ipso penitus sit eiecta et omni beneficio et dignitate vestri collegii sit privata et de vestra matricula charta abolita et cancellata.

Item statuimus, quod si aliqua persona Spiritu Sancto inspirata vestram voluerit religionem intrare et venerit ad sorores ipsas, mittant eam ad praedictam ministram generalem vestram, cui et non alii recipiendi aliquam personam ad ordinem vestrum licentia concedatur. Ministra vero diligenter examinet eam, sicut in vestra regula continetur. Et si persona praefata recipienda voluerit omnia ob-

---

(1) Eccli. 36, 27.

(2) Regulam III O. S. Fr. contentam in constitutione Nicolai IV *Supra montem catholicae fidei* d. d. 19 aug. 1289 vide ap. *Seraph. legisl. text. orig.* Ad Claras Aquas 1897, p. 77-94 et Eubel, *Suppl.* n. LI, p. 302-305.

(3) Hoc modo indicantur regiones civitatis Perusinae.

servare, tunc exponat praedictis abbatissis et discretis personam, statum, conditiones volentis intrare, et si eisdem placuerit vel maiori parti earum, recipiatur et aliter non; et si ministra contrarium fecerit, puniatur acriter per visitatorem de consilio dictarum priorissarum et discretarum. Et nihilominus ipsa receptio nulla sit, nisi per ipsas priorissas et discretas approbetur et earum iudicio videatur ipsam fuisse bonam et utilem pro religione. Et nulla alia exsistens de fraternitate quapiam recipiatur ad vestrum ordinem, nisi ante receptionem sufficienter promittat, quod non dimittet ea, quae spectant ad ordinem vestrum propter quaecumque fienda in fraternitate praedicta. Habitus vero religionis dari possit post mortem petentibus personis ante mortem, si ministrae et praedictis priorissis ac discretis videbitur expedire.

Receptione facta ad ordinem et completo anno recipiatur quaelibet ad professionem secundum formam regulae; et nihilominus promittat omnes praesentes constitutiones observare, ut de ignorantia non possit se excusare, eidemque ipsae specialiter vulgarizentur de verbo ad verbum, et de praedictis omnibus fiat publicum instrumentum.

Cum regula vestra dicat, quod « sorores chlamyde induantur et tunica de huiusmodi panno » ... statuimus, quod omnes et singulae sorores chlamydes portent affibulatas et clausas nottula [1] idonea et honesta; et sine mantellis sic affibulatis et clausis extra domum non vadant, nec etiam discalceatae ultra tres domos, nisi essent in itinere constitutae. Item velum in capite portent tam longum et magnum, quod protendatur inferius sub mantello et claudatur cum nottula mantelli et mantellum sit talis longitudinis quod non protrahatur per terram; et caveant omnes et singulae sorores a curiositatibus in vestimentis, calceamentis, ligaturis capitis et cum aliis rebus, de quibus possent de curiositate vel vanitate notari; et quae contra fecerit in praedictis vel aliquo praedictorum, puniatur per visitatorem de consilio ministrae, sicut eis videbitur expedire.

Item statuimus, quod sorores non sedeant extra domum in via nec discurrant per vicinas sine mantello clauso et affibulato nec exeant de nocte extra domum nulla ratione vel causa, nisi in casu necessitatis et tunc de licentia visitatoris vel ministrae, super quibus ipsi habeant iudicare; et si casus necessitatis occurreret, teneantur notificare ministrae in die; nec vadant extra domum discalceatae vel calciatae planellis [2] non clausis, nec caligulis coloratis, nec se associent cum mulieribus ornatis mundano cultu, praeterquam cum familia propria, scilicet nuru vel filia seu cognata, nisi in tertio gradu; nec vadant nimis discurrendo per terram; nec sorores, quando extra domum egrediuntur, singulae vadant, sed cum eis adsit aliqua, scilicet una, si plures esse non possint; quae vero sunt iuvenilis aetatis ** et studeant pro posse sorores et maxime iuvenes habere societatem sororum suarum et non saecularium mulierum.

Item statuimus, quod nulla soror vadat extra parochiam suam ad domum alicuius funeris in die sepulturae ipsius, nisi persona defuncta esset sibi in consanguinitate coniuncta; nec aliqua soror pro aliquo vel pro aliqua persona defuncta seu ex alia moestitia dilaniet sibi vestimenta vel faciem nec depilet capillos vel amputet nec singultus magnos vel clamores emittat; et contrarium faciens puniatur per visitatorem de consilio ministrae, sicut eis videbitur expedire.

Item quod quaecumque in casibus non concessis in regula diebus abstinentiae carnium cum personis vel coram personis extra vestrum ordinem, nisi essent de familia propria, carnes comederit, puniatur per visitatorem de consilio ministrae, sicut eis videbitur expedire, nisi casus infirmitatis excuset iudicatae iudicio medicorum.

Cum regula vestra dicat, quod « singuli fratrum et sororum ter in anno peccata propria confiteantur et eucharistiam devote suscipere non postponant » *etc.*, statuimus et ordinamus, quod omnes sorores mense quolibet peccata sua studeant confiteri, cum frequens confessio conservet conscientiae puritatem.

Item quaecumque soror habuerit in domo aliquam personam de sua familia, quae publice foeneretur vel se intromittat negotiis, de quibus lucretur illicite, procuret dicta soror, ne particeps sit in crimine, quod talis foenerator vel lucrans a tali foeneratione vel lucro illicito desistat et, si a praedictis eum removere non posset, teneatur bonorum divisionem facere et secum ulterius non habitare; et si talis soror praedicta non fecerit, per visitatorem ad faciendum cogatur de consilio ministrae, priorissarum et discretarum praedictarum, nisi talis soror esset uxor vel filia vel eisdem in tertio gradu affinitatis vel consanguinitatis coniuncta talis foeneratoris vel illicite lucrantis, et de praedictis

(1) Nottula idem ac confibula.

(2) Planellae = crepidae, soleae.

omnibus et singulis teneatur ministra per se vel per alias, sicut sibi videbitur, sollicite investigare.

Item nulla soror sine licentia ministrae possit recipere fideicommissionem vel executionem alicuius ultimae voluntatis, nisi pro viro, patre, filio vel filia vel alia persona attinente sibi in aliquo gradu consanguinitatis vel affinitatis, et quae contrafecerit, puniatur per visitatorem de consensu ministrae; si vero instituta fuerit fideicommissaria ab aliqua persona vestri ordinis, cogatur ad exsequendum dictam fideicommissionem, si ministris, priorissis et discretis videbitur expedire, proviso tamen, quod dicta soror de praedicta fideicommissione reddat debitam rationem de iis, quae relinquuntur ordini, ministrae, priorissis et discretis.

Item statuimus, quod quaecumque soror fuerit reperta crimen periurii incurrisse, postquam fuerit recepta ad ordinem, seu in posterum incurrere in iudicio seu extra, quia inducit mortale peccatum, et de hoc constiterit visitatori et ministrae, dictus visitator vel ministra in primo capitulo postea sequenti debeat ipsam periuram publicare, nominare et ex tunc dicta periura non possit nec debeat aliquod officium in dicto ordine obtinere et careat voce capituli et quolibet officio de ordine, donec per visitatorem, ministram, priorissas et discretas vel per maiorem partem ipsarum fuerit restituta ad omnia praedicta. Item statuimus, quod, quaecumque soror, quae tractata et ordinata vel imposterum tractabuntur in capitulo dictarum sororum vel extra capitulum qualitercumque, et mandatum fuerit per visitatorem vel ministram vel per eorum vicesgerentes teneri secreta, vel aliqua facta ordinis, ex quorum relatione posset oriri scandalum et confusio ordini vestro in generali vel alicui personae de ordine vestro seu collegio in speciali, revelaverit, et hoc pervenerit ad notitiam visitatoris seu ministrae per aliquem modum probandi, qui visitatori, ministrae, priorissis et discretis vel maiori parti ipsarum videatur sufficere, dictus visitator vel ministra in proximo sequenti capitulo debeat dictam personam revelantem nominare et publicare et ex tunc dicta persona revelans ipso facto sit suspensa a voce dicti capituli et omni officio ordinis sit privata, donec per ipsum visitatorem de consilio ministrae, priorissarum et discretarum fuerit restituta.

Item statuimus, quod unus libellus vel matricula fiat, in quo vel qua scripta sint omnia et singula nomina omnium personarum, quae sunt de vestro collegio; illae vero personae, quarum nomina in dictis libro vel matricula non sint descripta, non reputentur nec sint nec esse debeant in vestro collegio nec vocentur ad congregationes nec ad aliqua negotia ordinis, maxime secreta, non obstante, quod portent habitum vestrae religionis; nec alicuius personae nomen possit ibidem scribi, nisi sit ipsa professa in ordine et recepta per vestrum collegium.

Item, quod omnes et singulae sorores vestri ordinis, nisi legitimo impedimento fuerint impeditae, conveniant et convenire teneantur ad locum, in quo ministra statuerit, in ultima sexta feria cuiuslibet mensis aut in alio die vel termino, sicut eidem videbitur expedire, ad audiendum missam, quae in praedicto loco cantatur, ad faciendum aliqua, quae in praedicta congregatione fienda et a regula imponuntur, necnon ordinandum et faciendum omnia facienda, quae pro bono et tranquillo statu et utilitate vestri collegii eidem ministrae videbitur expedire; si vero aliqua soror non fuerit in missa nec in congregatione impedimento cessante, puniatur arbitrio ministrae et non in missa solvat (1).

Item nulla soror, dum proponitur aliquid in capitulo, super quo est consilium tribuendum, aliqua alia loquente loquatur, et quae contrafecerit, puniatur per visitatorem vel ministram, sicut eis videbitur expedire: ac omnes et singulas supradictas poenas teneatur ministra firmiter exigere, ipsas quoque exactas poenas in libro quodam conscribere vel conscribi facere, necnon omnes et singulos alios introitus et bona pertinentia ad vestrum collegium et etiam expensas in eodem libro scribere vel scribi facere, de quibus omnibus et singulis bis in anno priorissis et discretis reddat debitam rationem; et si in praedictis vel aliquo praedictorum ipsa ministra negligens fuerit, puniatur per visitatorem de consilio priorissarum et discretarum, prout eis videbitur expedire.

Item statuimus, ut sorores infirmae melius visitentur, quod qualibet priorissa pro sua porta teneatur visitare per se vel per aliam sororem infirmas etiam suae portae semel in hebdomada ad minus et confortare eas ad salutem animarum, et si in praedictis ipsa vel illa, cui priorissa commiserit, fuerit negligens, puniatur per visitatorem de consilio ministrae. Si vero dicta soror infirma esset paupertate gravata, teneatur praedicta priorissa statum notificare ministrae, et ipsa ministra teneatur de

(1) Forte legendum *pro omissis solvat* sc. certam multam.

denariis capituli et aliis bonis communibus sibi facere subveniri; et si aliqua ex dictis sororibus decesserit, priorissa illius portae teneatur denuntiare ministrae, et ministra faciat denuntiari aliis sororibus omnibus, ad cuius sepulturam teneantur insimul convenire et nulla remaneat sine licentia speciali, nisi sit legitime impedita; quae autem contrafecerit, puniatur arbitrio ministrae.

Item statuimus, quod singulis annis de mense maii fiat electio ministrae generalis et priorissarum quinque portarum pro anno sequenti, quae ministra et priorissae in kal. iunii in eorum officiis incipiant praesidere. Ut autem ad electionem praedictam melius procedatur, ministra, quae pro tempore fuerit, teneatur bona fide denuntiare vel denuntiari facere omnibus sororibus professis de vestro capitulo et collegio, ut in loco assignato ab ipsa ac in die et hora ab ipsa praefixis ad electionem praedictam teneantur et debeant per obedientiam firmiter convenire. Quibus congregatis nulla possit recedere sine licentia visitatoris vel eius vicarii sub poena quinque solidorum, donec ipsae ministra et priorissae fuerint electae. Ad quam electionem procedatur hoc modo, videlicet: Imprimis congregatis sororibus visitator vel eius vicarius praecipiat per obedientiam omnibus sororibus, ut quaelibet soror unam de sororibus professis de sua porta eligat in priorissam pro sua porta, quam credit secundum suam conscientiam magis idoneam ad praedictum officium exsequendum. Hoc facto visitator vel eius vicarius audiat in secreto sorores cuiuslibet portae per se et separatim et scribat singillatim voces omnium in secreto. Quibus auditis et computatis illa soror, quae habuerit plures voces medietate omnium, sit vera priorissa et pro vera priorissa habeatur; et sic successive faciat de omnibus aliis sororibus cuiuslibet portae. Quibus omnibus ad effectum perductis publicet et nominet praedictas priorissas hoc modo: Talis priorissa talis portae est electa. Et sic de singulis. Quibus omnibus sic perexpeditis praedictus visitator vel eius vicarius praecipiat per obedientiam priorissis antiquis et novis ac etiam discretis, quod unam de sororibus professis vestri collegii, quam credunt magis idoneam ad praedictum officium ministerii exsequendum, eligant in ministram generalem vestri collegii. Hoc autem facto visitator vel eius vicarius audiat praedictas priorissas et discretas in secreto et scribat singillatim voces earum, quibus auditis et computatis visitator vel eius vicarius dicat non publicando nomina eligentium: Talis soror habet plures voces medietate omnium; et ex tunc dicta soror sit vera ministra et pro vera ministra habeatur ab omnibus sororibus vestri collegii; et de praedictis electionibus fiat publicum instrumentum. Si vero voces praedictae datae in secreto sic dividerentur, quod nulla soror esset, quae haberet plures voces medietate omnium, iteretur et teneatur secretum, donec per pluralitatem vocum altera alteri praeferatur, et illa soror, quae electa fuerit in ministram, teneatur officium praedictum sine contradictione suscipere, quod si non faceret, pro qualibet die suae contumaciae teneatur solvere pro poena ipsius contumaciae viginti solidos, donec officium praedictum suscipiat. In cuius principio eligat seu instituat quinque discretas sorores ipsius consiliarias una cum dictis priorissis, videlicet pro qualibet porta unam discretam cum consilio priorissarum. Ministrae igitur praesidenti in officio omnes sorores obediant non solum in iis, quae regula vestra mandat, sed in iis, quae in vestris constitutionibus praeceptorie vel inhibitorie continentur et in omnibus, quae noscuntur ad bonum statum vestri ordinis et collegii pertinere. Et caveant omnes et singulae sorores, ne aliqua audeat vel praesumat contra praedictam ministram irreverenter loqui aut corde, verbo vel facto, publice vel occulte iniuriam inferre; et si in praedictis vel aliquo praedictorum inventa fuerit culpabilis, per visitatorem taliter puniatur, quod ceteris transeat in exemplum. Et si contingat praedictam ministram infra dictum tempus sui officii de hac vita migrare, electio ministrae succedentis fiat a praedictis priorissis novis et antiquis ac discretis infra quindecim dies a die obitus ipsius, ubi a visitatore fuerit ordinatum: ad cuius electionem dictus visitator debeat eas cogere. Et si aliquo tempore appareret, quod absit, universitati dictarum sororum praedictam ministram non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem sororum vestri collegii, teneantur praedictae sorores, quibus electio data est, aliam sibi eligere ministram. Inhibemus autem stricte, ut nulla soror audeat vel praesumat facere colligationes vel inductiones nec procurare voces pro aliqua parte, ex quibus posset oriri scandalum, divisio vel dissensio inter ipsas sorores; et quae contra fecerit puniatur graviter per visitatorem de consilio ministrae, priorissarum et discretarum.

Item statuimus, quod ministra, quae pro tempore erit, una cum priorissis novis et antiquis et discretis per eam electis vacante officio visitatoris eligant et eligere teneantur unum visitatorem sacerdotem, qui alicuius approbatae religionis exsistat seu presbyter saecularis bonae famae, sicut earum discretioni vide-

bitur pro honore et statu pacifico et tranquillo vestrae religionis expedire, qui visitator, per eas vel maiorem partem earum electus, sit verus et legitimus visitator et pro vero et legitimo visitatore habeatur; et eidem praesidenti in officio omnes et singulae sorores vestri collegii in omnibus, quae ad suum spectant officium, teneantur firmiter obedire. Cuius officium duret usque ad beneplacitum ministrae et capituli vel maioris partis ipsius. Qui visitator in officio praesidens habeat plenam et liberam auctoritatem et potestatem visitandi publice vel occulte, semel vel pluries in anno, sicut sibi expedire videbitur, ipsasque sorores et quamlibet earum admonendi, informandi, corrigendi et puniendi ac poenitentias in praemissis constitutionibus taxatas addendi, minuendi, sicut sibi videbitur expedire, secundum qualitatem et quantitatem excessuum; necnon propter inobedientias et alios enormes excessus, ipsarum sororum eas de ordine expellendi servato tamen modo dato in regula et in praemissis constitutionibus.

Item statuimus, quod nulla praesumat vendere vinum ad minutum, nec in domo propria tenere tabernam publice.

Item statuimus, quod quaecumque soror de ordine et collegio vestro praesumpserit contra aliquam personam religiosam vel saecularem, cuiuscumque conditionis existat, verba iniuriosa, gravia et contumeliosa, maxime improperando eidem aliquid, quod esset in verecundiam suam vel suorum consanguineorum, prosilire vel irato animo contra aliquam personam manum ad percutiendum levare vel percutere, puniatur arbitrio visitatoris et ministrae cum consilio priorissarum et discretarum vel maioris partis earum poena spirituali secundum qualitatem et quantitatem excessus considerata persona delinquente vel offendente et persona offensa; quam si facere recusaret, procedatur tamquam contra inobedientem, sicut in regula continetur.

Item statuimus, quod in admonitionibus, reprehensionibus, correctionibus et punitionibus faciendis a visitatoribus et ministris vestrae religionis et collegii de quibuscumque sororibus et pro quibuscumque excessibus et delictis perpetrandis per ipsas sorores vestri collegii procedatur de facto secundum Deum et conscientiae puritatem quolibet iuris et iudicii earum ordine praetermisso. Et si aliqua dictis admonitionibus, reprehensionibus, correctionibus et punitionibus parere et obedire ipsasque humiliter suscipere et adimplere noluerit, post primam, secundam et tertiam admonitionem factam per ipsos visitatorem et ministras cum consensu praedictarum priorissarum et discretarum, ipso facto poenam privationis a consortio dictarum sororum et ordinis incurrat et ex tunc per ipsos visitatorem et ministram de voluntate dictarum priorissarum et discretarum vel maioris partis ipsarum de ordine expellatur tamquam inobediens et incorrigibilis et membrum putidum a corpore abscindendum. Et si contigerit aliquam sororem de vestro collegio et ordine expelli et nomen eius de matricula seu libro vestri collegii cancellari de mandato visitatoris et ministrae cum consilio priorissarum et discretarum vel maioris partis ipsarum propter praedictam causam vel propter alios excessus per eas vel per aliquam ipsarum commissos, de ipsis excessibus delicti probatione et sententiae prolatione non quaeratur, et quod omnis amotio seu cancellatio vel expulsio facienda de aliqua dicti ordinis et collegii habeatur, sit et intelligatur iusta et legitima ac iuste et legitime lata et facta penitus censeatur.

Item statuimus et inviolabiliter observari mandamus, quod ab obedientiis, admonitionibus, punitionibus, reprehensionibus et correctionibus factis per visitatorem vel ministram de consilio priorissarum et discretarum vel a poenis iniunctis aut iniungendis sororibus dicti ordinis vel collegii et contentis in dictis constitutionibus vel earum aliqua vel eius cohaerenti aut connexa seu dependenti ab eisdem vel eas aut aliquam earum tangenti quomodocumque vel qualitercumque nulla soror, quae nunc est in vestro collegio, vel quae pro tempore erit, possit et sibi liceat ad alium vel alias recurrere, conqueri vel querimoniam proponere vel ab eis appellare vel reclamare, nisi ad ordinarium loci aut summum pontificem pro tempore exsistentes, quocumque quaesito colore.

Item statuimus, quod non solum propter inobedientiam vel incorrigibilitatem sorores possint de vestro ordine et collegio expelli, sed etiam propter alios errores et excessus; et poenitentia cum misericordia imponatur eisdem iuxta sententiam Domini dicentis: « Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat » (1).

Contra vero praedictas constitutiones delinquentem vel facientem propter hoc ad nullam volumus culpam obligari mortalem, sed ad poenam, quae in praedictis constitutionibus infligitur, et quod visitator, quando debet corrigere vel punire aliquam sororem de aliqua culpa levi vel gravi, tamen occulte debeat et

(1) Ezech. 33, 11.

possit ipsam punire cum consilio ministrae tantum, ut delinquens propter peccatum occultum non diffametur, iuxta sententiam Salvatoris dicentis: « Vade et corripe inter te et ipsum solum » (1). Si vero culpa sororis fuerit gravis et manifesta, puniatur per visitatorem de consilio priorissarum et discretarum vel maioris partis ipsarum.

Item statuimus, quod nulla soror reclamet ad aliquem iudicem clericum vel saecularem pro quacumque iniuria reali vel personali recepta ab aliqua sorore vestri ordinis et collegii, nisi tantum ad visitatorem vestrum, qui una cum ministra definiat dictam causam ac corrigat et puniat dictam iniuriam realem vel personalem, sicut eis videbitur expedire; si vero aliqua receperit aliquam iniuriam ab aliqua persona religiosa extra vestrum ordinem et collegium exsistente vel ab aliqua persona saeculari, teneatur ipsa vestra soror praesens recurrere ad vestrum visitatorem et ministram, qui visitator et ministra studeant quantum possunt eas pacificare; quod si facere non potuerint ex defectu dictae personae, quae non esset de ordine vestro, vel quia causae vel iniuriae essent tam graves et difficiles ad definiendum et terminandum, quod non possent per visitatorem et ministram definiri et declarari, tunc visitator et ministra dent licentiam dictis sororibus, quod recurrant ad illum, apud quem potestas residet iudicandi.

Nulli ergo *etc.* Nostrae absolutionis, confirmationis, communitionis et suppletionis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, XVIII kal. februarii, ... anno IX.

457. Thomam Matthaei de Tragurio O. F. M. instituit episcopum Srebrinicen. et Vissocconen. (2).

1440, ianuarii 27, Florentiae.

Dilecto filio Thomae Matthaei de Tragurio, electo Srebrinicen. et Vissocconen.

Ad exsequendum pastoralis officii debitum *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Stephano episcopo Srebrinicen. et Vissocconen. Srebrinicen. et Vissocconen. ecclesiarum invicem canonice unitarum regimini praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefatis ecclesiis per obitum ipsius Stephani episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatiis destitutis, Nos *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam, regimen *etc.* Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, VI kal. februarii, ... anno IX.

Eodem die simili modo scribit: *Capitulis Srebrinicen. et Vissocconen. ecclesiarum; Cleris civitatum et dioec. Srebrinicen. et Vissocconen.; Populis civitatum et dioec. Srebrinicen. et Vissocconen.; Archiepiscopo Ragusino* (Ad cumulum); *Tvrtko regi Bosnae illustri* (Gratiae divinae).

458. Mandat, ut Blasium de Sevitio, presbyterum Anglonen. dioec., O. S. Fr. de poen., faciant abbatem monasterii S. Nicolai de Farneto O. S. Ben. eiusdem dioec. (3).

1440, februarii 3, Florentiae.

Dilectis filiis archimandritae S. Eliae de Carbona et cantori Latheganen. ac archipresbytero de Sevitio Anglonen. dioec. ecclesiarum.

Sollicitae considerationis indagine *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, monasterium S. Nicolai de Farneto, ordinis S. Benedicti, Anglonen. dioec., cuius regimini quondam Iacobus, olim ipsius monasterii abbas, dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Iacobi abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum vacaverit et vacet ad praesens, Nos cupientes *etc.* de meritis et idoneitate dilecti filii Blasii de Sevitio, presbyteri dictae dioec., asserentis se ordinem S. Francisci de poenitentia nuncupati expresse professum, dictumque monasterium in suis structuris et aedificiis dirutum ac monachis totaliter destitutum fore, apud Nos de religionis zelo ... commendati, certam notitiam non habentes, discretioni vestrae ... mandamus, quatenus ... ab eodem Blasio regularem professionem per monachos dicti monasterii emitti solitam, si illam facere voluerit, auctoritate Nostra recipiatis et admittatis necnon de meritis et idoneitate Blasii huiusmodi ... vos diligenter informetis et, si professione ipsa recepta et admissa per informationem huiusmodi dictum Blasium ad regimen et gubernationem praefati monasterii utilem et idoneum esse inveneritis, ... de persona eiusdem Blasii eidem monasterio, cuius fructus, redditus et proventus viginti florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut idem Blasius etiam asserit, non excedunt, ... eadem auctoritate provideatis ipsumque illi praeficiatis in abbatem, curam, regimen et administratio-

(1) Matth. 18, 15.
(2) Reg. Lat. t. 365, f. 254v. Cf. supra n. 117, p. 62. Apud Eubel *Hier. cath. med. aevi* II² p. 106 episcopatus vocatur Biduanen.
(3) Reg. Lat. t. 365, f. 281.

nem *etc.* Contradictores *etc.* Et insuper eidem Blasio, ... ut a quocumque maluerit catholico antistite ... munus benedictionis recipere ac dicto antistiti, ut illud sibi impendere libere et licite possit, auctoritate praefata concedatis. Volumus autem, quod per hoc venerabili fratri Nostro episcopo Anglonen., cui monasterium ipsum ordinario iure subesse dignoscitur, nullum imposterum praeiudicium generetur.

Datum Florentiae, anno ... 1439, III nonis februarii, ... anno IX.

459. Mandat, ut annullentur et in catasto deleantur taxationes domorum ordinum mendicantium et monasteriorum monialium eisdem subiectarum in civ. et dioec. Pistorien. factae (1).

1440, februarii 22, Florentiae.

Dilecto filio Iuliano tit. S. Sabinae presbytero cardinali.

Dudum, videlicet IV kal. septembris, pontificatus Nostri anno IX, cum perciperemus taxationem valoris bonorum, fructuum ac reddituum ecclesiae et aliorum beneficiorum ac piorum locorum civitatis et dioec. Pistorien., cum eis gravamina imponerentur, inaequaliter factam fuisse et nonnullos supra suarum facultatum vires gravari, aliquos vero minus gravari, quam eorum conditio postulabat, licet de voluntate Nostra gravamina, quae per communitatem Florentiae nunc exiguntur, non procedant, volentes tamen huiusmodi errorem et inconvenientiam tolli et taxationem praedictam ad debitam aestimationem reduci, venerabili fratri Nostro Roberto episcopo Arretin. et nonnullis aliis ecclesiasticis personis Pistorien. dioec. per Nostras certi tenoris litteras commisimus et dedimus in mandatis, ut facta diligenti inquisitione dictam taxationem corrigerent et ad iustam aequalitatem reducerent. Qui episcopus et dictae personae, in hac causa commissarii, procedentes ecclesiis et domibus fratrum ordinum mendicantium et monasteriis monialium sub cura ipsorum viventibus civitatis et dioec. earumdem ultra commissionem eis per Nos factam, cum solum de ecclesiis et locis piis ac beneficiis et nullo modo de praemissis domibus et ecclesiis mendicantium vel monasteriis eorum curae commissis, Nostrae litterae facerent mentionem, taxam et aestimam imposuerunt et catasto in archivio ecclesiae Pistorien. collocarunt. Nos itaque huiusmodi ecclesias et domos ordinum mendicantium et eis subiecta monasteria, quibus specialia privilegia propter fratrum merita et fructus, quos in ecclesia Dei uberes faciunt, a Sede Apostolica singulariter sunt concessa, et in similibus taxationibus, ut fructificare in salutem animarum et quietius Deo vacare possint, cum clero, ecclesiis et huiusmodi alias catastis talibus non venerant adscribenda, volentes in eorum gratiis et privilegiis conservare et confovere, circumspectioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus dictarum ecclesiarum et domorum ordinum mendicantium praedictorum et monasteriorum sub illorum cura viventium, si tamen ipsa sororum monasteria alias in catastis cum clero non consueverint annumerari, huiusmodi taxationem et aestimam Nostrarum litterarum vigore, ut dicitur, factas a catasto et libro taxationum huiusmodi in ecclesia Pistorien. et ubicumque alibi etiam apud scribam commissariorum huiusmodi exsistentes, auctoritate Nostra per te vel alium subdelegatum abradi et aboleri facias ac procures realiter et cum effectu, contradictores quoslibet cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis exsistentes, et quacumque etiam ecclesiastica vel mundana praefulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam ... compescendo, praedictis litteris ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Super quibus plenam eidem tuae circumspectioni tenore praesentium concedimus facultatem.

Datum Florentiae, anno ... 1439, VIII kal. martii, ... anno IX.

460. Martino Silchow, clerico Zwerinen., familiari et commensali Iuliani tit. S. Sabinae presbyteri cardinalis, reservat praebendam ecclesiae Sleswicen., non obstante mandato alterius provisionis de beneficio ad praesentationem abbatis et conventus in Dubberan. (Doberan) O. Cist. necnon abbatissae et conventus in Ribennis (Ribnitz) O. S. Cl. Zwerinen. pertinente (2).

1440, martii 12, Florentiae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, IV idus martii, ... anno X.

461. Privilegia observantibus concessa extendit ad provinciam Apuliae (3).

1440, martii 17, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Sacrae religionis, sub qua ... dilecti filii fratres ordinis Minorum nuncupati de observantia

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 71 « e l. 1 de regular. et exhib. a. IX, f. 115 ».

(2) Reg. Lat. t. 377, f. 170 v. cum exsecutoriali directa *Episcopo Tiburtin. et Lubicen. et Verden. ecclesiarum praepositis.* De monasterio in Ribnitz cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 158, p. 48; n. 283, p. 98; n. 1655, p. 630.

(3) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 73 « e l. 1 de regular. a. X, f. 172 ».

provinciae Apuliae devotum *etc.* Sane nuper fide digna relatione intelleximus, quod fratres Minores de observantia nuncupati in quam plurium familiarum Italiae locis consueverunt semel in anno congregari ac in uno locorum huiusmodi electionem vicarii celebrare, qui vicarius sic electus praesentatur ministro provinciali, ut eum confirmet; insuper in huiusmodi congregatione eliguntur guardiani locorum eorumdem, qui praesentantur capitulo provinciali et ab eodem confirmantur. Nos igitur, cupientes fratres provinciae Apuliae huiusmodi aliis Italiae locis et familiis conformari necnon ipsorum paci et quieti providere, fratribus eisdem, ut semel in anno fratres sub observantia praedictae provinciae Apuliae viventes in uno locorum eorum sollemniter congregare et in congregatione ipsa unum ex dictis fratribus in eorum vicarium et alios fratres in guardianos eligere et deputare, ipseque vicarius sic concorditer electus ministro dictae provinciae, guardiani vero praedicti capitulo provinciali, ut per illud confirmentur, praesentari; minister autem vicarium et capitulum huiusmodi guardianos praedictos auctoritate sua infra triduum confirmare debeant et teneantur. Quod si ipsorum omnium pater generalis electioni huiusmodi personaliter interesset, ipse vicarius electus eorum generali dumtaxat debeat praesentari. Praeterea, si minister vicarium et capitulum praedicti guardianos, ut praefertur, sic electos confirmare infra illud triduum recusaverint, electio ipsa tamquam per Sedem Apostolicam et eius auctoritate legitime confirmata censeatur et approbata. Porro, ut ipse vicarius curam sibi commissam salubrius exercere possit, quod omnibus et singulis gratiis et privilegiis a ministro generali praedicti ordinis vicariis, qui hactenus fuerunt, generaliter vel specialiter concessis uti ac ea habere valeat, decernimus per praesentes, addentes nihilominus motu proprio, quod ipse minister confirmatione vicarii et praedictorum guardianorum facta in nullo alio circa fratres ipsos se habeat impedire, omni appellatione postposita, obedientia nihilominus consueta dilecti filii fr. Bernardini, vicarii generalis super ipsis fratribus de observantia per Italiam deputati, aut eius successoris, qui pro tempore erit, salva remanente et illaesa, constitutionibus ... ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, XVI kal. aprilis, ... anno X.

462. Sororibus III O. S. Fr. domus Aldenarden. (Audenarde, Oudenaarden) concedit facultatem, quod non teneantur recipere sorores ex aliis domibus vel ad alias domos transire (1).

1440, aprilis 4, Florentiae.

Dilectis in Christo filiabus sororibus domus Aldenarden. tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Tornacen. dioec., praesentibus et futuris.

Religiosam vitam eligentibus *etc.* Cupientes igitur, ut in domo vestra regularis observantia, quae in illa, sicut accepimus, exemplariter initium sumpsit, inantea cum charitate feliciter conservetur, ... vobis ... indulgemus, quod ex nunc inantea perpetuis futuris temporibus aliquam sororem ex aliis tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati domibus sine vestro vel plurium ex vobis ac dictorum filiorum praedictae vestrae domus visitatoris et ministri unanimi consensu in sororem eiusdem domus vestrae recipere non teneamini nec ad id a quoquam invitae valeatis aliquatenus coarctari; nullique etiam vestrum liceat sine consimili consensu se ab eadem domo vestra quomodolibet absentare. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, pridie nonas aprilis, ... anno X.

463. Iacobo de Marchia O. F. M. iniungit, ut ad partes orientales vadat (2).

1440, aprilis 5, Florentiae.

Dilecto filio fratri Iacobo de Marchia ordinis Minorum Paduae.

Dilecte fili, sal. Intelleximus, quod, cum a partibus Hungariae ideo discesseris, quia aer ille tibi summe erat nocivus, hoc anno in civitate Paduana praedicaveris, audito de fratribus ordinis tui, qui mittuntur ad partes orientales, quod libenter illuc accederes, ubi aer calidus tuae complexioni esset accommodatior et multa bona pro animi tui fervore sperares operari. Quare, pio huiusmodi desiderio tuo occurrere cupientes, devotioni tuae ad meritum sanctae obedientiae iniungimus, ut cum primo fratrum tui ordinis passagio, in quo multi navigent fratres, tu etiam vadas, absolventes te ab omni alio sive Nostro sive generalis tui mandato, concedentes, quod ipse in omnibus illarum partium locis, in quibus ordo tuus inquisitores haereticae pravitatis habere consuevit, tu ipsum officium exerceas. Et similiter, si ad aliqua accesseris loca, in quibus fratres ordinis Praedicatorum consueverunt habere dictos

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 74 e «l. 1 de regular. a. X, f. 248».

(2) Wadd. *Ann.* ad a. 1440, n. 9 «ex ipso autographo».

inquisitores, nec ullus ipsorum aut eorum vicarius adesset, ut in eorum absentia vices possis supplere. Alias autem gratias ad officium absolutionis pertinentes tibi auctoritate Nostra poterit impertiri dilectus filius frater Iacobus de Primaditiis, qui est in partibus illis generalis ministri vicarius.

Datum Florentiae sub annulo Nostro secreto, die V aprilis 1440, ... anno X.

464. Elianorae ducissae Norfolchiae, Norwicen. dioec., indulget, « ut cum quatuor matronis honestis monasterium monialium de Brussegarde, ordinis S. Clarae, Norwicen. dioec., sub cura et regula fratrum Minorum degentium quater dumtaxat in quolibet anno, dummodo abbatissae et monialium ipsius monasterii accedat assensus, ingredi valeat ipsaque et dictae matronae cum abbatissa et monialibus in praefato monasterio pro tempore exsistentibus comedere et bibere ac necessitate urgente infra idem monasterium pernoctare possint » (1).

1440, aprilis 13, Florentiae.

Devotionis tuae sinceritas *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, idibus aprilis, ... anno X.

465. Arianen. et Reatin. episcopis et episcopi Sabinen. vicario in spiritualibus generali mandat, ut Marino de Ursinis, notario apostolico, conferat ruralem ecclesiam S. Viti, alias Victoris, « praepositura » nuncupatam, Sabinen. dioec., non obstante, quod dictus Marinus praeposituram loci de Cabiano, ordinis S. Benedicti, ac S. Viti Polignan. et S. Gregorii de Gipso eiusdem S. Benedicti et S. Basilii ordinum, necnon S. Silvestri monialium extra muros castri Pereti, ordinis S. Francisci, Aprutin., Messanen. et Marsican. dioec. monasteria in commendam *etc.* obtinet (2).

1440, aprilis 18, Florentiae.

Grata devotionis et familiaritatis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, XIV kal. maii, ... anno X.

466. Confirmat concessiones B. Angelinae de Fulgineo III O. S. Fr. factas eiusque gesta approbat (3).

1440, maii 2, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolicae Sedis providentia *etc.* Sane petitio pro parte dilectarum in Christo filiarum Margaritae S. Annae Fulginat., Franciscae S. Onofrii Florentin., Caeciliae S. Iohannis Tudertin., Margaritae S. Quirici Assisinat., Clarae S. Margaritae Aesculan. aliarumque sororum sub regula et observantia tertii ordinis, quem B. Franciscus instituit, et qui de poenitentia nuncupatur, viventium Nobis nuper exhibita continebat, quod dudum fel. rec. Urbanus papa V, praedecessor Noster, quondam dilectae in Christo filiae Angelinae de Fulgineo, eiusdem ordinis professae, ut ipsa quarumcumque mulierum, semotius a saeculo pro divino servitio se constituere et se sub strictiori eiusdem ordinis observantia et regula, quam ordo ipse instituit, vivere volentium, congregationem facere et eas non solum in monasterio S. Annae de Fulgineo ipsius ordinis, sed etiam in aliis domibus per eamdem Angelinam in aliis partibus propterea erigendis, in quibus mulieres ipsae saeculum fugientes Deo liberius et quietius famulari possent, recipere et aggregare valeret, vivae vocis oraculo dumtaxat gratiose concessit; cuius concessionis vigore dicta Angelina, de ipsa concessione confisa, plura domos et loca ad hoc erexit et deinde ad nonnullorum religiosorum consilium et exhortationem, ut concessio ipsa maioris obtineret roboris firmitatem, pro parte ipsius Angelinae et plurium aliarum sororum dicti ordinis Martino papae V, praedecessori Nostro, exstitit supplicatum, ut ipse concessionem huiusmodi et erectionem ac omnia alia gesta et facta per dictam Angelinam et sorores easdem etiam de electione et ordinatione ministrarum in monasteriis, domibus et locis huiusmodi et visitatoribus earumdem ac de modo ministras et visitatores huiusmodi eligendi et ordinandi potestateque eis per dictas sorores attributa confirmare et approbare ac illa eis de novo concedere vellet, ipseque Martinus praedecessor, de iis tunc Antonio episcopo Tudertin. per suas certi tenoris litteras dedit in mandatis, ut ipse de petitis tunc et expositis huiusmodi se diligenter informaret, et si reperiret ea de iure et secundum ordinis instituta fieri posse, illa omnia iuxta dictarum sororum petitionem auctoritate apostolica concederet et confirmaret, prout in litteris ipsis (4), quarum tenorem hic haberi volumus pro sufficienter expresso, plenius continetur; ipseque episcopus, ad exsecutionem praemissorum tandem procedens, de iuris peritorum consilio, ut asseruit, omnia et singula in eisdem litteris contenta de iure et institutione ipsius ordinis fieri posse decrevit et dicta apostolica

(1) Reg. Lat. t. 373, f. 222v. Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1348, p. 486, ubi locus vocatur Brussorde.

(2) Reg. Lat. t. 371, f. 62v. De monasterio S. Silvestri de Pereto cf. *Bull. Franc.* t. I, p. 312, n. 15 et p. 320, n. 26; Eubel *Suppl.* p. 262 n. XXXI.

(3) Wadd. *Reg. pont.* n. 75 « e l. 1 de regular. a. X, f. 110 ». Cf. sup. n. 218, p. 105; n. 219, p. 106 et n. 431, p. 201.

(4) Vide *Bull. Franc.* t. VII n. 1826, p. 706.

auctoritate confirmavit ac eisdem sororibus iuxta ipsarum petitionem concessit, ut in processu desuper habito, ipsius etiam sigillo munito, cuius tenorem hic etiam haberi volumus pro sufficienter expresso, plenius continetur. Et deinde Nos ad dictarum sororum Nobis super hoc humiliter supplicantium instantiam omnia et singula in litteris et processu praedictis contenta et narrata similiter confirmavimus et approbavimus, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, a nonnullis iuris peritis asseratur, litteras et processus praedictos ac omnia inde secuta fore invalida illaque secundum instituta dicti ordinis et de iure fieri nequivisse, maxime ob quamdam extravagantem constitutionem fel. rec. Iohannis papae XXII, similiter praedecessoris Nostri, quae incipit: *Sancta Romana ecclesia*, qua cavetur expresse, ne fratres vel sorores dicti ordinis congregationem faciant: pro parte ministrarum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... omnia loca praedicta, receptiones omniaque gesta et concessiones huiusmodi valere decernentes, approbantes et denuo confirmantes, sororibus singulorum locorum praedictorum unam particularem, quae sororibus locorum praedictorum praesit, ac omnibus omnium locorum huiusmodi unam aliam generalem ministram singulis trienniis, quae cum visitatoris pro tempore exsistentis consilio loca huiusmodi reformare particularesque locorum eorumdem ministras male se gerentes deponere, ipsaque generalis ministra sorores delinquentes punire valeat, eligendi necnon eidem generali ministrae in eius absentia alii vel aliis ex sororibus dictorum locorum, prout sibi videbitur, in praemissis vices suas committendi ac mulieres loca ipsa intrare volentes recipiendi eisque regularem habitum exhibendi et ad professionem locorum huiusmodi sororibus solitam admittendi et loca earum vendendi et alia magis accommoda emendi necnon illa permutandi ac nova construendi et recipiendi, iure parochialium *etc.* salvo, chordam insuper loco corrigiae gerendi ac eis et earum cuilibet idoneum presbyterum saecularem vel regularem cuiusvis ordinis in confessorem eligendi, ... eidem confessori cum eisdem sororibus super quibuscumque votis — castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis — dispensandi illaque in alia pietatis opera commutandi sororibusque ipsis ecclesiastica sacramenta ministrandi plenam et liberam concedimus ... facultatem; volentes, quod eadem generalis ministra eo ipso, quod electa canonice fuerit, confirmata eadem auctoritate censeatur. Et insuper ministris et sororibus locorum et domorum huiusmodi ac eisdem domibus atque locis, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere valeant, extravaganti praedicta et aliis constitutionibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, eadem auctoritate concedimus per praesentes. Nulli ergo *etc.* Nostrae constitutionis, approbationis, confirmationis, concessionis et voluntatis infringere, *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, VI nonas maii, ... anno X.

467. Concedit facultatem loco conventuum O. F. M. in regno Hungariae per Turcos destructorum recipiendi alias 10 domos O. F. M. [1].

1440, maii 9, Florentiae.

Dilecto filio Dionysio tit. S. Cyriaci in Thermis presbytero cardinali et venerabilibus fratribus .. Varadiensi et .. Vachiensi episcopis.

Inter cetera cordis Nostri desiderabilia *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum Francisci de Albaregali ac Victoris de Bosna necnon Stephani de Hungaria, ordinis fratrum Minorum professorum vicariatus Bosnae, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ab aliquibus annis citra plura ac diversa domus atque loca dictae vicariae tam infra regnum Hungariae quam nonnullas vicinas partes tunc consistentia, videlicet partim per Turcos et infideles combusta et diruta, partim vero causantibus eorumdem insultibus derelicta remanserunt atque remanent, quodque ipsi exponentes, qui sub regulari dictae vicariae observantia laudabiliter vivunt, pro augmento divini cultus et religionis huiusmodi, etiam ad fidelium animarum consolationem atque salutem, loco combustorum et derelictorum domorum ac locorum praefatorum decem alia loca intra regnum Hungariae et partes huiusmodi domus atque loca construi et aedificari ac per religiosos de observantia vicariatus huiusmodi sub obedientia et devotione vicarii vicariatus Bosnae pro tempore exsistentis iuxta morem dictae vicariae dumtaxat recipi et habitari desiderant, si ad hoc Apostolicae Sedis expressus accedat assensus: quare pro parte dictorum exponentium Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum desiderio huiusmodi annuere et alias super hoc opportune providere

[1] Theiner, *Vetera monumenta historica Hungariam sacram illustrantia*, t. II, p. 221, n. 376. « Ex reg. orig. a. II secr. l. 1 f. 3 ».

de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si est ita, vicario pro tempore praedicto intra praefatum regnum Hungariae ac partes huiusmodi, locis tamen in illis ad id congruis et honestis, decem domus sive loca pro usu et habitatione perpetuis quorumdam praefatae vicariae religiosorum sub observantia ac obedientia et subiectione vicarii pro tempore huiusmodi et illius vicariatus officii pro tempore permanentium cum ecclesia humili, campanili atque campana necnon claustro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis in singulis eorumdem ad instar aliarum praefatae vicariae domorum ex fidelium suffragiis simul vel successive, forma per constitutiones apostolicas super hoc servata construi et erigi faciendi illaque tunc constructa et erecta dioecesani loci et cuiuscumque alterius licentia de se minime requisita recipiendi necnon religiosis de observantia vicariatus huiusmodi praesentibus et futuris in eis et eorum singulis perpetuo morandi, ita quod illa tunc vicario pro tempore et illius vicariatui praedicto perpetuo subiecta exsistant, iure tamen parochialium ecclesiarum et aliarum quarumcumque alias in omnibus semper salvo, plenam et liberam auctoritate apostolica licentiam largiamini, non obstantibus *etc.* Nos enim, si licentiam praedictam per vos concedi contingat, domibus ac locis constituendis eorumque pro tempore custodibus, guardianis et fratribus, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, VII idus maii, ... anno X.

468. Concedit sororibus III O. S. Fr. facultatem excambiandi vel vendendi certam domum in civitate Perusin. (1).

1440, maii 10, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii de Petraficta, Perusin. dioec.

Sincerae devotionis affectus, quem dilectae in Christo filiae Magdalena Bartholucii Laurentii de Perusio et aliae tertii ordinis beati Francisci de poenitentia nuncupati domus Fulginaten. sorores ad Nos et Romanam gerunt ecclesiam, *etc.* Sane Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Margaritae, generalis ministrae, et aliarum sororum ordinis huiusmodi petitio continebat, quod olim, postquam quondam Bartholomaeus Massoli Matheoli setaiolus, tunc civis Perusin., de propria salute recogitans, eidem Magdalenae, nepti suae, unam domum cum quodam claustro parvo sibi contiguo, sitam in Nostra civitate Perusin., cum talibus conditionibus contulerat, videlicet, quod dicta Magdalena teneretur continuo cum certis sororibus dicti ordinis bonae conditionis et famae per eam eligendis in dicta domo remanere et in ea pro salute ipsius Bartholomaei ac suorum animarum exorare, ita tamen, quod dicta domus perpetuo ad huiusmodi usus remaneret deputata neque ad alios usus vendi, permutari, alienari seu quovis alio modo tranferri posset, et si alio modo fieri contingeret, dicta collatio nullius esset roboris vel momenti, et eo casu supradictam domum ad utilitatem dilectorum filiorum fratrum et conventus domus eiusdem S. Francisci de Monte extra portam S. Michaelis de Perusio cederet, concedens eis potestatem dictam domum vendendi et illius pretium in augmentum et reparationem praefatae domus S. Francisci convertendi, supradicta Magdalena ipsam domum sororibus dicti tertii ordinis dictae domus Fulginaten., de quarum numero etiam tunc exsistebat, contulit et concessit ac cum iisdem huiusmodi domum sibi collatam habuit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, huiusmodi domus adeo sit parva et domorum laicorum circumquaque commorantium etiam cum fenestris domum huiusmodi excedentium contigua, quod supradicta Magdalena et sorores nequeant commode ibidem habitare et in earum secretis simul loqui, sperent quoque pro huiusmodi domo seu illius pretio aliam commodiorem in dicta civitate reperire. Quare pro parte ministrae Magdalenae et sororum earumdem Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi ipsam domum, quam inhabitant, de consensu dictorum fratrum et conventus excambiandi seu pro pretio competenti in alterius domus emptionem convertendo vendendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus eisdem ministrae Magdalenae et sororibus praefatam domum, quam inhabitant, de dictorum fratrum et conventus consensu pro alia permutandi aut cambiandi seu eam vendendi et aliam in dicta civitate in eius loco recipiendi auctoritate Nostra licentiam largiaris. Volumus autem, quod Magdalena et aliae sorores praedictae domum de novo recipiendam huiusmodi pro tempore inhabitantes pro supradicti Bartholomaei anima orare ac alias iuxta ipsius ordinationem facere teneantur. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, VI idus maii, ... anno X.

(1) Reg. Lat. t. 368, f. 302.

469. Concedit, ut certam petiam terrae ad domum S. Angeli Ortan. O. F. M. pertinentem vendat magistro Ludovico de Orto, scriptori et familiari papae (1).

1440, maii 28, Florentiae.

Venerabili fratri Valentino episcopo Ortan.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Angeli Ortan., ordinis fratrum Minorum, necnon magistri Ludovici de Orto, scriptoris et familiaris Nostri, petitio continebat, quod nuper, videlicet de mense maii proxime praeteriti, Florentiae apud domum habitationis ipsius magistri Ludovici dilectus filius Pandulphus Iohannis de Orto, praefati ordinis professor, tamquam syndicus et procurator fratrum dictae domus S. Angeli ad hoc ab eis specialiter constitutus, nomine domus et fratrum praedictorum asserendo, quod domus ipsa nuper facta exsistebat et multis necessariis, maxime ad cultum divinum spectantibus, indigebat, ut reparationi sive perfectioni domus et necessariorum subventioni provideri posset, quamdam petiam terrae, partim vineatam et arativam, positam in loco Pisciarelli nuncupato extra muros Ortan., ad hospitale pauperum S. Crucis Ortan., cuius gubernatio et administratio fratribus dictae domus per Sedem Apostolicam, prout asserebatur, commissa dudum exstiterat, legitime pertinentem, pro pretio ducentorum ducatorum auri de Venetiis eidem Ludovico pro se suisque haeredibus et successoribus in perpetuum vendidit et venditionis titulo tradidit ac etiam, quantum in eo fuit, nomine domus eiusdem assignavit, prout in quodam instrumento publico exinde confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, a triginta annis citra in hospitali praedicto nulla fuerit tenta hospitalitas, quinimo locus ipsius hospitalis, in quo certi lecti et admodum pauci pro hospitandis pauperibus teneri consueverunt, per quemdam civem Ortan. pro sua et suae familiae habitatione occupatus fuerit, prout occupatur etiam de praesenti, propter quod nulla spes est amplius, quod inibi debeat hospitalitas relevari, dictaque domus fratrum nuper facta et in magna, ut praefertur, sit necessitate, maxime in reparatione sive perfectione domus et rebus ad divinum cultum spectantibus necessariis, constituta, pro parte guardiani, fratrum et Ludovici praefatorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut venditioni, traditioni et assignationi praefatis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere et alias eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, considerantes venditionem huiusmodi factam per eum, qui ad hoc nulla fuerit facultate suffultus, nullam fore ac de praemissis certam notitiam non habentes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi praemissa inveneris veritate subniti, nec de hospitalitate tenenda in praefato hospitali taliter occupato spes ulla subsistat, quodque, si petia terrae huiusmodi venderetur, in necessitatum ipsius domus utilitatem cedere prospexeris evidentem, ... tibi dictam petiam terrae vendendi et alienandi, ita tamen, quod pretium eiusdem in manibus fidelium virorum, prout tuae discretioni visum fuerit, in reparatione domus et aliis necessariis ad cultum huiusmodi fideliter et sine defalcatione aliqua et non alias convertendum deponatur et etiam consignetur, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, constitutionibus ... non obstantibus quibuscumque.

Datum Florentiae, anno ... 1440, V kal. iunii, ... anno X.

470. Praeposito ecclesiae SS. Cosmae et Damiani Ianuen. mandat, ut Petrum de Leone, fratrem domus S. Francisci Ianuen. ordinis fratrum Minorum, qui sine licentia dictam domum reliquerat et sub habitu regulari ordinis S. Benedicti, cuius tamen non erat professor, per duodecim annos vel circa in saeculo conversatus erat ecclesiasticis beneficiis curatis inserviendo, ab apostasiae reatu et aliis censuris et irregularitatibus absolvat et ei facultatem concedat ad alterum ex S. Hilarionis de Albario et S. Andreae de Sestro, ordinis S. Benedicti monasteriis Ianuen. dioec., transeundi ibique perpetuo remanendi (2).

1440, iunii 2, Florentiae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, IV nonas iunii, ... anno X.

471. Marcello de Neveriis O. S. Aug., olim O. F. M., magistro in theol. et medicina, consiliario Theodorici archiepiscopi Colonien., concedit absolutionem a censuris et irregularitatibus et facultatem retinendi capellam de Godsdorp (Gustorf), Colonien. dioec. (3).

1440, iunii 11, Florentiae.

Dilecto filio Marcello de Neveriis, fratri ordinis S. Augustini, magistro in theologia.

Sedes Apostolica pia mater *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, dudum tu, domum quamdam ordinis Minorum ingressus, ibidem per annum et amplius habitum professorum deferendo conversatus fueris alias aliqua regulari dicti ordinis

(1) Reg. Lat. t. 373, f. 1 v. (2) Reg. Lat. t. 368, f. 301 v. (3) Reg. Vat. t. 367, f. 84 v.

professione per te inibi non emissa et postea, prout tibi licere credebas, forsan absque dictae Sedis licentia te ad certam domum Sepulchri dominici, ordinis S. Augustini, transtuleris et professionem eiusdem ordinis S. Augustini in ea emiseris regularem teque pro fratre Sepulchri dominici huiusmodi per plures annos gesseris et geras de praesenti ac nonnulla beneficia ecclesiastica ... et praesertim capellam de Godsdorp, Colonien. dioec., forte saecularem, tibi successive collata susceperis receptaque per plures annos detinueris ac ex eis fructus perceperis, prout adhuc dictam capellam detines et illius fructus percipis, licet de facto ac propter praemissa aliquos alios excessus forsan commiseris etiam praenarratis graviores: Nos, ... te, qui etiam magister in medicina et, ut etiam accepimus, venerabilis fratris Nostri Theodorici archiepiscopi Colonien. consiliarius exsistis, ... favore prosequi volentes, te ab omnibus excommunicationis ... sententiis seu censuris ... absolvimus omnemque inhabilitatis et infamiae maculam ... penitus abolemus ac te in et ad statum pristinum, in quo, antequam aliquod praemissorum committeres, quomodolibet eras, plenarie restituimus ac nihilominus ex certa scientia quascumque absolutiones, dispensationes necnon restitutiones auctoritate Sedis Apostolicae vel legatorum eius tibi circa praemissa ... factas ... confirmamus tecumque super ... irregularitatibus ... et, ut in omnibus ... ordinibus etiam sacris ministrare et in ordine S. Augustini praedicto perpetuo remanere libere et licite valeas, ... dispensamus necnon capellam praedictam ... dicta tibi auctoritate apostolica conferimus,...mandantes venerabili fratri Nostro.. episcopo Monasterien. et dilectis filiis S. Andreae et S. Severini Colonien. ecclesiarum praepositis, ut ... te in illius capellae corporalem possessionem ... inducant *etc.* Nos insuper tecum, ut quaecumque ... alia beneficia ecclesiastica ... recipere, ... retinere, ... dimittere ... valeas dicta auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, fructus quoque male perceptos tibi, ut eo decentius statum tuum tenere valeas, liberaliter remittimus ac te de eisdem totaliter quietamus per praesentes, *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, III idus iunii, ... anno X.

472. Concedit facultatem per aliquod tempus remanendi intra clausuram monasterii S. Apollinaris extra muros Mediolanen. O. S. Cl. (1).

1440, iunii 20, Florentiae.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Elisabeth de Vicomercato, dilecti filii nobilis viri Iohannis de Fagniano, domicelli Mediolanen., uxori.

Afflictis fidelibus et devotis compatimur *etc.* Cum, sicut pro parte tua fuit nuper Nobis expositum, tu, quae inter ceteras nobiles mulieres civitatis Mediolanen. de vitae ac morum honestate et prudentia plurimum commendaris, a sex mensibus citra adeo quadam graveris infirmitate, quod nonnumquam a mente aliena efficeris, et si monasterium monialium S. Apollinaris extra muros Mediolanen., ordinis S. Clarae, in quo quaedam germana tua ipsius monasterii monialis exsistit, cum una servitrice ingredi ac in eo per aliquod tempus remanere posses, zelo devotionis accensa, dilectarum in Christo filiarum ... abbatissae et monialium eiusdem monasterii orationum suffragiis mediantibus Deo concedente ab infirmitate huiusmodi liberari speres, Nos, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut cum una servitrice honesta monasterium ipsum ingredi ac in eo seu infra illius saepta sub illius clausura per aliquod tempus remanere libere et licite valeas, dummodo ad id abbatissae et monialium earumdem necnon dilecti filii nobilis viri Iohannis de Fagniano, domicelli Mediolanen., viri tui, accedat assensus, et ex hoc nulla ipsis monasterio, abbatissae et monialibus incommoditas subsequatur, constitutionibus *etc.* nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno 1440, XII kal. iulii, ... anno X.

473. Praeposito ecclesiae SS. Cosmae et Damiani Ianuen. mandat, ut Antonium de Cortona, fratrem domus ordinis fratrum Minorum Cortonen. professum, qui contra decretum Martini V habitu sui ordinis dimisso per duodecim annos habitum ordinis S. Benedicti nulla tamen emissa professione gestaverat et hinc inde animarum curam rexerat, absolvat a censuris et irregularitatibus eique licentiam concedat ad aliquod monasterium regularis observantiae S. Benedicti transeundi ibique professionem emittendi et perpetuo remanendi (2).

1440, iunii 28, Florentiae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, IV kal. iulii, ... anno X.

(1) Reg. Lat. t. 373, f. 251 v. Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 416, p. 145 et n. 1639, p. 622.

(2) Reg. Lat. t. 390, f. 160 v.

474. Episcopo Bituricen. mandat, ut licentiam concedat Iohanni Rynoardi et Gaillardae Archambauda, Castren. dioec., permanendi in matrimonio cum impedimento cognationis spiritualis, super quo dispensati erant per litteras cuiusdam professoris ordinis Minorum in illis partibus indulgentias sacri Sepulchri dominici annuntiantis et ad id per litteras Sedis Apostolicae plenam se habere facultatem asserentis, quem tamen nullam super praemissis facultatem habuisse postea cognoverunt (1).

1440, iunii 28, Florentiae.

Oblatae Nobis pro parte *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, IV kal. iulii, ... anno X.

475. Concedit facultates Iacobo de Primaditiis et fratribus O. F. M. vicariae Orientalis (2).

1440, iulii 7, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastor bonus, qui propter nimiam charitatem *etc. (ut supra n. 301, p. 139, nota 1 et p. 141 nota 1).*

Datum Florentiae, anno ... 1440, nonis iulii, ... anno X.

476. Committit promulgationem declarationis circa praeceptum annuae confessionis et communionis paschalis (3).

1440, iulii 8, Florentiae.

Dilecto filio Iacobo de Primaditiis de Bononia, ordinis Minorum de observantia regulari.

Fide digna relatione percepimus in civitate Licii non parvam per haec tempora excitatam fuisse commotionem de die debitae perceptionis sacratissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi et per aliquos religiosos esse affirmatum, quod non communicantes actualiter in die resurrectionis dominicae mortaliter peccarent, etiamsi in die iovis sancto et aliis quibuscumque diebus infra annum pluries et frequentatis vicibus communicassent, quod piis auribus est audire molestum. Recolimus alias per quoddam Nostrum breve scripsisse venerabili fratri Nostro episcopo Liciensi, quod intelligebamus satisfactum esse, si paulo ante vel paulo post diem resurrectionis Domini quis communicet; mirati sumus, quod postmodum nova controversia revixerit; sed inimicus homo superseminavit zizania. Nos igitur, cupientes purgatum triticum in horreum Domini congregare et inutilibus contentionibus dare finem, attendentes iuxta doctrinam beati Augustini, quod solent circumstantiae scripturarum illuminare substantiam veritatis et non solum adiacentia sed etiam praecedentia et subsequentia verba sunt consideranda prudenter, cum dicat canon ecclesiae: « Omnis utriusque sexus fidelis saltem semel in anno confiteatur », et infra: « Suscipiens ad minus in pascha reverenter eucharistiae sacramentum », et sequitur: « nisi de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum »: dicimus expresse non intentionis legislatoris fuisse animas illaqueare fidelium sub culpa mortali ad communicandum praecise in die resurrectionis dominicae, sed terminum statuisse a pascha ad pascham, cum dicit: « semel in anno » et infra « ad minus in pascha » *etc.* Mens enim magis, quam verborum sonus est attendenda discrete. Intelligimus itaque optimo iure satisfactum esse canoni, si in hebdomada sancta vel infra octavam paschae resurrectionis dominicae secundum meliorem dispositionem conscientiae et aptiorem mentis devotionem fideles praeparatione debita sanctum eucharistiae pignus accipiant et cum Domino pascha celebrent ad salutem, et huic sententiae omnes volumus acquiescere. Quare devotioni tuae committimus, ut praedicta, ubi oportere intelligas, populis nota facias.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Nostro secreto, die VIII iulii 1440, ... anno X.

477. Concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in fundo castri Montis S. Mariae in Lapide iuxta Caesam Longam *Lapiana* nuncupato (4).

1440, iulii 21, Florentiae.

Dilectis filiis universitati et hominibus castri Montis S. Mariae in Lapide, praesidatus monasterii Farfen., quod dioec. nullius exsistit.

Sincerae devotionis affectus, quem ad beatum Franciscum et ordinem fratrum Minorum *etc.* Sane pro parte vestra exhibita Nobis nuper petitio continebat, quod vos, zelo devotionis accensi, ... de bonis vobis a Deo collatis ac pia largitione fidelium acquirendis quemdam locum sive domum cum ecclesia, campana ... pro habitatione guardiani et nonnullorum fratrum dicti ordinis de observantia nuncupati in fundo vestro proprio iuxta Caesamlongam, « Lapiana » nuncupato, loco utique congruo et honesto, construere, erigere et aedificare proponitis, si ad id vobis Apostolicae Sedis licentia suffragetur. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... universitati ve-

(1) Reg. Lat. t. 373, f. 255.
(2) Reg. Lat. t. 370, f. 288 v.
(3) Wadd. *Ann.* ad a. 1440, n. 5 « ex autographo ».
(4) Reg. Lat. t. 373, f. 19 v.

strae, ut in loco praemisso, dummodo ille ad hoc sit idoneus et honestus, et ad id dilecti filii vicarii eiusdem ordinis de observantia generalis accedat assensus, locum seu domum huiusmodi pro guardiano et eiusdem ordinis observantiae fratribus cum ecclesia, ... officinis et aliis opportunis construendi, aedificandi et erigendi, ac guardiano et fratribus praemissis illum pro se et aliis dicti ordinis observantiae fratribus recipiendi et habitandi et in eorum et fratrum huiusmodi usum et habitationem perpetuo retinendi, fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus auctoritate apostolica licentiam tenore praesentium elargimur, iure parochialis *etc.* eisdem guardiano et fratribus et singulis in dicta domo pro tempore moraturis praesentibus et futuris, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti possint et debeant, apostolica auctoritate praedicta nihilominus de speciali gratia concedentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, kalendis augusti, ... anno X.

478. Mandat, ut moniales monasterii S. Clarae Segobien. O. S. Cl. dispersae ad illud redeant et sub directione Francisci de Soria O. F. M. maneant [1].

1440, iulii 23, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Segobien.

Creditae Nobis dispensationis *etc.* Sane, sicut pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Clarae Segobien., ordinis eiusdem sanctae, Nobis nuper exhibita petitio continebat, olim, postquam abbatissa, quae tunc erat, et conventus ecclesiae beatae Mariae Magdalenae extra muros Segobien., quae tunc monasterium dicti ordinis exsistebat, in ea monasterii et abbatissalis dignitatis ac praedicti ordinis nominibus suppressis penitus et exstinctis canonice ab ipsa ecclesia ad praedictum monasterium S. Clarae, quod tunc multae deformationis opprobrio plurimum subactum intuebatur, ** [2] ut optatae reformationis effectus contingeret, visitationis, correctionis et iuxta regularia dicti ordinis instituta instructionis ministerium dilecto filio Francisco de Soria, ordinis fratrum Minorum professori, per cuius sollicitam curam et frequens studium monasterium de Oterdesillas eiusdem ordinis S. Clarae, Palentin. dioec., regularis observantiae norma et monasticae vitae speculum factum fuerat, commissum exstiterat, ipso monasterio S. Clarae ignis voragine miserabiliter destructo illius abbatissa et conventus ad praedictam ecclesiam, ut apud eam, donec praedictum monasterium S. Clarae repararetur, moram facerent, declinarunt; et licet eodem monasterio S. Clarae in parte reparato nonnullae ex ipsius sororibus ad illud redierint et in eo, ex directione dicti Francisci suam Altissimo sub regulari observantia integritatem puris mentibus consecrantes, laudabilem vitam ducant, reliquae tamen ex eisdem sororibus, reformari non curantes, non solum cum dissolutae conversationis infamia mansionem suam apud dictam ecclesiam facere eligentes, ad ipsum monasterium S. Clarae seriosius redire contradicunt, loco et tempore congruis desuper requisitae, sed etiam alias sorores suo numero aggregantes bona praedicta ad praedictam ecclesiam spectare contendunt ac praedictum monasterium S. Clarae ac eius personas possessione eorumdem bonorum, in qua ante huiusmodi destructionem aliquamdiu fuerant, spoliare et sibi illa temere usurpare moliuntur in animarum suarum periculum, religionis S. Clarae praedictae opprobrium ac huiusmodi monasterii S. Clarae et personarum detrimentum non modicum et iacturam. Quare pro parte abbatissae et conventus monasterii S. Clarae praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus super ipsis praemissis te diligenter informes et ... bona praedicta a translationis, applicationis et appropriationis huiusmodi tempore ad praedictum monasterium S. Clarae spectasse et pertinuisse ac spectare et pertinere, illa ei etiam de novo, quatenus opus videatur, applicando et appropriando, necnon reliquis et aggregatis sororibus praedictis, postquam aliae sorores praedictae ad ipsum monasterium S. Clarae redierint, apud eamdem ecclesiam remanere minime licuisse neque licere decernas necnon illas ex eis, quae cum aliis ad praedictam ecclesiam declinarunt, ut redeant, et quae ex ipsis illis pro tempore aggregatae fuerint, ut se conferant sine morae dispendio ad dictum monasterium S. Clarae, ... per censuram ecclesiasticam appellatione postposita constringas et compellas, quodque dictum monasterium S. Clarae et eius personae exsistentes pro tempore sub Francisci praedicti eo in humanis agente et post eius obitum sub eius sint et maneant, sub cuius dictum monasterium de Oterdesillas et illius personae erunt pro tempore, regimine, cura et directione, statuas et ordines necnon Francisco et habenti

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 77 « e l. 1 de regular. a. X, f. 169 ».

(2) Hoc loco plura intercidisse e contextu bullae patet.

pro tempore regimen curam et directionem monasterii S. Clarae huiusmodi, quoties opus videbitur, ad illud accedendi ipsumque et illius personas tam in capite quam in membris congruis temporibus visitandi, corrigendi *etc.*, contradictores ... compescendi necnon omnia alia ... exsequendi licentiam et facultatem ac praedictis personis in ipso monasterio S. Clarae pro tempore degentibus, quod ... privilegiis ... monasterio de Oterdesillas ac dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui per Sedem Apostolicam ... concessis ac illis prorsus similibus in omnibus et singulis pari modo uti, frui et gaudere possint *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, X kal. augusti, ... anno X.

479. Mandat, ut monasterium omnium sanctorum de Valleoleti, O. S. Cl., Palentin. dioec., subiiciant curae Francisci de Soria O. F. M. (1).

1440, iulii 23, Florentiae.

Dilecto filio priori monasterii S. Benedicti de Valle-oleti per priorem soliti gubernari Palentin. dioec.

Ex susceptae servitutis *etc.* Cum itaque, sicut pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii omnium sanctorum de Valleoleti ordinis S. Clarae, Palentin. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, si dicti monasterii regimen, cura et directio dilecto filio Francisco de Soria, ordinis fratrum Minorum professori, per cuius frequens studium et fructuosum exercitium monasterium de Oterdesillas ordinis S. Clarae et dioec. praedictorum ex potestate a Sede Apostolica per illius litteras sibi tradita factum cernitur monasticae vitae speculum, et post eius obitum illi, qui regimen et curam dicti monasterii de Oterdesillas pro tempore geret, auctoritate apostolica committentur cum plena potestate ipsi Francisco super eodem monasterio de Oterdesillas data, eius status in sacrae religionis observantia prosperos successus complecti posse speraretur, ac illius sorores, a venantium ereptae laqueis, repulsa ab eis illicitae conversationis infamia sinceris mentibus sua vota Altissimo exsolvere studerent ac Christi vestigia, mundum cum eius concupiscentiis mentis despectu calcando, discerent iugiter imitari: pro parte ipsarum abbatissae et conventus Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis te diligenter informes et ... curam et directionem monasterii praedicti et dictarum personarum Francisco praedicto, quamdiu egerit in humanis, et post eius obitum illi, qui curam et regimen ipsius monasterii de Oterdesillas susceperit, prout ipsi Francisco dicta auctoritate apostolica est commissa, et insuper abbatissae et conventui ac personis praedictis, quod omnibus et singulis privilegiis ... monasterio de Oterdesillas praedicto ac dilectis in Christo filiabus eius abbatissae et conventui ... concessis ac illis prorsus similibus ... gaudere possint et debeant, auctoritate Nostra concedas memorata. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, X kal. augusti, ... anno X.

480. Confirmat sententiam a Dominico diacono cardinali S. Mariae in Via lata pronuntiatam contra Philippum Norreys, detractorem ordinum mendicantium (2).

1440, augusti 3, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regnans in excelsis triumphans ecclesia, cui Pastor et Pater aeternus, cuique sanctorum ministrant agmina et laudis gloriam angelorum chori decantant, in terris sibi vicariam constituit ecclesiam militantem, unigenito Filio Dei vivi Domino nostro Iesu Christo ineffabili commercio copulatam. In hac quidem ipse Christus a Patre progrediens per illustrationem Paracleti, qui ab utroque procedit, statuit fidei testamentum, ut ab eo velut a primitivo fonte ad singulas orthodoxas nationes eiusdem fidei rivuli deriventur. Ad huiusmodi autem ecclesiae regimen voluit Christi clementia Romanum pontificem deputare ministrum, cuius instructionem ac doctrinam eloquio veritatis evangelicae traditam cuncti renati fonte baptismatis teneant et observent. Qui enim sub hac doctrina cursum vitae peregerint, salvationis gratiam consequentur; qui vero ab ea deviarint aut errores contra eam tenuerint, non conversi ferientur damnationis sententia, quam nonnumquam convenit apostolico munimine roborari. Sane pro parte dilectorum filiorum universorum fratrum Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini ac de Monte Carmelo ordinum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod quidam Philippus Norreys, qui se gerit pro magistro in theologia, Dublinen. dioec., nonnullos articulos prorsus erroneos et sacris canonibus contrarios etiam publice praedicare et adstruere non expavit ac multorum simplicium animos inficere, illos a

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 76 « e l. 1 de regular. a. X, f. 123 ». Cf. num. praec.

(2) Wadd. *Ann.* ad a. 1440, n. 16 « e l. 1 de regular. a. X, f. 144 ».

devotione fratrum huiusmodi retrahendo. Nos vero, attendentes, quod nimis periculosum esset articulos huiusmodi veluti erroneos et eisdem canonibus contrarios tenere, asserere vel docere, causae huiusmodi examinationem dilecto filio Nostro Dominico S. Mariae in Via lata diacono cardinali vivae vocis oraculo, ut de praemissis se diligenter informaret, et quidquid in re hac informationis acciperet, Nobis in consistorio secreto referret, commisimus, ipseque cardinalis sufficienti per eum informatione praehabita et facta Nobis desuper in consistorio praefato relatione fideli, de mandato Nostro iurisque peritorum necnon plurimorum in sacra theologia magistrorum consilio et assensu per suam definitivam sententiam pronuntiavit, decrevit et declaravit, prout in instrumento dictae sententiae desuper confecto eiusdem cardinalis sigillo munito plenius continetur. Quare pro parte fratrum eorumdem Nobis fuit humiliter supplicatum, ut pronuntiationi, decreto sive declarationi praedictis et omnibus aliis in instrumento dicto contentis et inde secutis robur apostolicae confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, omnium et singulorum statum praesentibus habentes pro sufficienter expresso, huiusmodi supplicationibus inclinati, pronuntiationem, decretum, sententiam et declarationem praedicta et omnia alia in praedicto instrumento contenta et inde secuta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint quomodolibet in eisdem. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, III nonas augusti, ... anno X.

481. Concedit fratribus O. F. M. de observantia et tertiariis utriusque sexus in locis orientalibus aliisque sub regimine Iacobi de Primaditiis constitutis, ut in suis locis lucrari possint indulgentias Portiunculae (1).

1440, augusti 5, Florentiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cupientes igitur, ut omnia et singula loca fratrum Minorum de observantia ordinis beati Francisci, in omnibus partibus orientalibus necnon et in aliis partibus, quorum dilectus filius Iacobus de Primaditiis de Bononia, eiusdem ordinis professor, curam et regimen habet, vel successores sui habebunt in posterum, illorum nomina et cognomina praesentibus pro sufficienter expressis habentes, congruis honoribus frequententur, et ut christifideles eo libentius devotionis causa confluant ad eadem, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, ... omnibus ordinis beati Francisci fratribus de observantia regulari ac tertii ordinis eiusdem sancti utriusque sexus vere poenitentibus et confessis, qui a primis usque ad secundas vesperas festi beati Francisci praedicti dicta loca devote visitaverint annuatim, illam indulgentiam et remissionem peccatorum concedimus, quam ad ecclesiam S. Mariae de Angelis, Assisinat. dioec., a primis usque ad secundas vesperas consecrationis eiusdem accedentes auctoritate apostolica consequuntur.

Datum Florentiae, anno ... 1440, nonis augusti, ... anno X.

482. Confirmat testamentum Nicolai Galgani de Bichis, in quo continetur legatum pro fratribus O. F. M. Senen. (2).

1440, augusti 6, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regimini universalis ecclesiae *etc.* Dudum siquidem pro parte dilecti filii Iohannis Uguccii de Bichis civis Senen. inter cetera Nobis exposito, quod olim quondam Nicolaus Galgani de Bichis, condens in eius ultima voluntate testamentum, factis per eum tunc nonnullis ad pias causas legatis *etc.*

Et nihilominus singulis quarumlibet eremitarum S. Augustini ac Minorum necnon Praedicatorum fratrum ordinum domorum conventibus singulas quindecim ... librarum monetae in partibus illis currentis summas ... annuatim perpetuo persolvendas, ita quod pro ipsius testatoris ac praedecessorum suorum defunctorum animarum salute ... singuli conventus praefati ultra quaedam per eos in eorum ecclesiis luminaria cerea certo modo facienda necnon ... missas de S. Gregorio nuncupatas in certis tunc expressis temporibus celebrare tenerentur, reliquerat atque legaverat.

De hoc testamento lite exorta factum est publicum instrumentum, huic bullae insertum, ex quo transscribimus haec verba ad O. F. M. spectantia.:

Item a' frati Minori di Siena de l'ordine di sancto Francesco libre quindeci di denari, et

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 78 « e l. 1 de regular. a. X, f. 114 ». De Iacobo de Primaditiis cf. supra nn. 475 et 476, p. 227. (2) Reg. Lat. t. 372, f. 26-64 v.

loro sieno tenuti ad tenere uno palo di doppieri a la mia arme et di Bartholomea mia dona ne la loro sacristia forniti di cera, et due volte la semana gli accendino o più in chiesa all' altare magiore alla messa, et accendonsi quando si leva lo corpo di Christo, come si costuma. E più sieno tenuti di dire due offici l' anno per l' anima mia et de' miei morti, del mese Idio mi chiamerà ad sè. E più infra detto mese un altro officio, uno de' morti et altro de la vergine Maria, con libre tre di candele a l' altare magiore e non con più spesa, et intendendosi che quando lo dicchino, lo faccino noto a la mia hereda, et così la sia tenuta dar lo' del mese detto le dicte libre quindeci, et così s' observi imperpetuo ad honore di Dio et per rimedio di miei peccati et bene di miei passati.

Item voglio et così obligo la mia hereda et così sia tenuta ad dare, et non in altro più che sia di suo piacere, a' frati di sancto Augustino, a' frati Minori et Camporeggi dove lo' lasso libre quindeci, ne l'anno ne' modi detti la hereda debbi dare grano et vino o l' uno o l' altro o de l' uno o de l' altro, come meglio a taglio li viene, di quello ricogliarà in su le mie possessione tanto riempi detta quantità per giusto prezo sicondo il corso della contrada a buona fe, o dar lo' denari come a lui più a ttaglio verrà *etc.*

Actum Senis in episcopali palatio in camera paramentorum dicti palatii, praesentibus iurisperito viro Domino Paulo magistri Martini, Thomasso Iacobi de Piccolominibus et Petro magistri Iacobi lanifice de Senis adhibitis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, VIII idus augusti, ... anno X.

483. Concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in villa Marasii prope Ianuam (1).

1440, augusti 20, Florentiae.

Dilectis filiis nobili viro Andreae Bartholomaeo de Imperialibus, domicello, ceterisque civibus Ianuen. in villa Marasii prope Ianuam habitantibus.

Sincerum habentes ad praesentis vitae *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos, fervore devotionis accensi, ... quemdam locum sive domum pro usu et habitatione guardiani et nonnullorum fratrum Minorum de observantia nuncupatorum in villa Marasii prope Ianuam cum ecclesia et campanili ... et aliis necessariis officinis de bonis vestris vobis a Deo collatis, piis christifidelium adiuti suffragiis, aedificare ... proponatis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus vobis faciendi praemissa licentiam concedere necnon dilecto filio Fr. Francisco de Neapoli, eiusdem ordinis de observantia professori, ut locum ipsum pro usu et habitatione fratrum de observantia praedictorum in provincia Ianuen. commorantium sub obedientia vicarii de observantia eiusdem provinciae recipiat, mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, ... vobis in villa praedicta in vestro vel alieno solo per vos legitime acquisito vel acquirendo loco ad id congruo et honesto domum et locum huiusmodi cum ecclesia, campanili, ... necessariis officinis construendi et aedificandi licentiam concedentes, eidem Francisco praecipimus et mandamus, ut locum ipsum pro eiusdem ordinis de observantia fratrum usu et habitatione recipiat sub cura vicarii praelibati, ac ipsis fratribus illum pro eorum usu et habitatione praemissis perpetuo retinendi, ... constitutionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, tenore praesentium concedentes, iure *etc.* salvo. Volumus autem, quod guardianus et fratres, qui in dicta domo pro tempore morabuntur, omnibus et singulis privilegiis ... gaudeant *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, XIII kal. septembris, ... anno X.

484. Committit exsecutionem sententiae per Dominicum, S. Mariae in Via lata diaconum cardinalem, latae contra Philippum Norreys, falsos articulos docentem contra ordines mendicantes (2).

1440, augusti 24, Florentiae.

Venerabilibus fratribus Dublinensi et Armachan. archiepiscopis ac episcopo Baiocen.

Exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universorum magistrorum et ministrorum aliorumque fratrum Praedicatorum, Minorum, Eremitarum et beatae Mariae de Monte Carmeli ordinum petitio continebat, quod, licet olim ipsi ordines sancte et iuste adinventi et in Dei ecclesia instituti ac a Sede Apostolica exstiterint approbati, necnon ex eis fides catholica non modicum susceperit incrementum, tamen iniquitatis filius Philippus Norreys de Hibernia, qui se gerit pro magistro in theologia, Dublinensis dioec., suae salutis immemor, non verens lin-

(1) Reg. Lat. t. 372, f. 86v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 79 «e bulla originali».

(2) Wadd. *Ann.* ad a. 1440, n. 17 et *Bullarium Carmelitanum* a Fr. Eliseo Monsignano, p. I, pag. 198, constit. 17 «e reg. Nicolai V (1. 21, f. 56». E *Bull. Carm.* suppleri potuerunt dies et mensis huius bullae, quae ap. Wadd. desiderantur. De Philippo Norreys cf. sup. n. 480, p. 229.

guam suam in perversionem status et religiosorum ordinum eorumdem ad iniqua reprobataque verba protendere, nuper malitiose, perverse, damnate et erronee in regno Angliae et terra Hiberniae in fidei catholicae diminutionem sanctaeque universalis ecclesiae ac Dei ac sanctorum ignominiam et dedecus necnon christifidelium animarum periculum dixerit et docuerit: Quod sicut muri Hierusalem erant destructi per quatuor diversos principes, sic ecclesia Christi erit destructa per fratres quatuor ordinum mendicantium. Item, sicut princeps tributorum missus ab Antiocho in civitatem Hierusalem locutus est ei verba pacifica in dolo, sic fratres quatuor ordinum mendicantium venerunt in ecclesiam cum dolo et destruent eam pro eorum conatu et posse. Item, sicut princeps tributorum venit in civitatem Hierusalem cum turba multa, et turba dicitur a *turbo, turbas*, sic fratres intraverunt ecclesiam et sunt in ea quasi turba, quia perturbant ecclesiam. Item, sicut Gabaonitae venerunt ad ducem Iosue cum mendaciis, sic fratres quatuor ordinum mendicantium intraverunt ecclesiam cum mendaciis. Item asseruit, quod fuerunt quatuor concilia generalia celebrata, in quibus diversi haeretici fuerunt condemnati, et tamen fratres quatuor ordinum mendicantium sunt peiores haeretici, quam ipsi fuerunt. Item, quod fratres quatuor ordinum mendicantium sunt ribaldi pessimi. Item, quod fratres quatuor ordinum mendicantium sunt fures et latrones et spoliant sanctam ecclesiam. Item, quod fratres quatuor ordinum mendicantium sunt peiores Iuda traditore. Item, quod fratres quatuor ordinum mendicantium sunt lupi rapaces. Item, quod fratres quatuor ordinum mendicantium sunt antichristi et duces contra Christum. Item, quod fratres quatuor ordinum mendicantium sunt discipuli Mahometi. Item, quod nullus parochianus cuiuscumque parochiae potest accedere ad aliquem fratrem admissum in forma iuris secundum capitulum « Dudum » (1), gratia confessionis faciendae sine licentia proprii sacerdotis sive curati parochialis. Item, quod confessi fratribus admissis secundum formam capituli « Dudum » tenentur iterato eodem anno omnia peccata sua ac eadem in numero confiteri suo proprio sacerdoti, quem dixit esse parochialem curatum. Item dixit firmiter se credere nullum bonum hominem esse inter fratres quatuor ordinum mendicantium. Item, quod dubitavit aliquos fratres quatuor ordinum mendicantium esse sacerdotes aut habere sacrum ordinem presbyteratus. Item dixit aperte, quod ipsemet noluit stare iudicio domini papae, sed iudicio concilii generalis. Item dixit indifferenter, quod nullus sacerdos, sive religiosus sive non, deberet quovis modo mendicare; necnon plura alia seditiosa atque perversa ab eadem fide penitus aliena coram omni populo palam praedicare non expavit in fratrum et praedictorum ordinum detrimentum, vilipendium et contemptum, Nosque huiusmodi causae examinationem dilecto filio Nostro Dominico, S. Mariae in Via lata diacono cardinali, vivae vocis oraculo, ut de praemissis diligenter se informaret, et quidquid in hac re informationis reciperet, Nobis in consistorio secreto referret, ad dilecti filii magistri Venturae de Castello, Nostrae et Romanae curiae procuratoris fiscalis fidei causaeque huiusmodi promotoris, instantiam commisimus, ipseque cardinalis sufficienti per eum informatione praehabita et facta Nobis desuper in consistorio praefato relatione fideli, de mandato Nostro iurisque peritorum necnon plurimorum in sacra theologia magistrorum consilio et assensu per suam definitivam sententiam pronuntiavit, decrevit et declaravit, prout haec omnia in libello per dictum Venturam procuratorem in huiusmodi causa exhibito petita fuerant, nonnullos dictorum articulorum, quos dictus Philippus protulit et praedicavit, fuisse et esse falsos, scandalosos, iniuriosos, blasphemos, seditiosos, quosdam erroneos, quosdam vero alios damnatos et reprobatos, illosque Dei et ecclesiae sanctae ac sanctorum ignominiam et dedecus et manifestam haeresim sapere et multarum animarum periculum generare, dictumque Philippum et eius sequaces errantes, mendaces ac in praedictis scandalosos et a decretis et ordinatis per Romanam ecclesiam ac Apostolicam Sedem ab expressaque et evidenti veritate devios, alienos ac alios assertores et praedicatores nonnullorum ex praedictis articulis iuxta decreta quorumdam praedecessorum Nostrorum tamquam haereticos esse censendos et ut tales reprobandos ac damnandos et ab omnibus christifidelibus evitandos fore ac reprobari, damnari et evitari debere. Ipsos igitur Philippum et sequaces, si de cetero contra huiusmodi sententiam et declarationem directe vel indirecte, publice vel occulte, quovis quaesito colore venire praesumpserit vel praesumpserint, ac nisi dictus Philippus praefatos articulos, ubicumque eos legisse, dogmatizasse et praedicasse reperiri contigerit, quoties opus fuerit, ad requisitionem magistrorum, ministrorum et fratrum huiusmodi revocaverit, ex nunc, prout ex tunc, et ex

(1) C. 2 Clem. 3, 7.

tunc, prout ex nunc, ipso facto excommunicationis sententiam, a qua nisi per Romanos pontifices vel alios a Nobis super hoc potestatem habentes, praeterquam in mortis articulo, non possit absolvi, ac privationis omnium beneficiorum et officiorum suorum ecclesiasticorum, quae obtinet, necnon honorum et dignitatum ac inhabilitationis etiam ad futura et alias poenas a dictis praedecessoribus Nostris et alias a iure circa praedicta contra tales generaliter vel specialiter promulgatas incurrisse, declarandum fore et declaravit; ad quae quidem beneficia, officia, dignitates et honores restitui vel rehabilitari non possit, nisi, ut praefertur, per Nos vel alium super hoc a Nobis potestatem habentem, praefatum Philippum in expensis in huiusmodi causa legitime factis, condemnandum fore et condemnavit, illarum taxatione sibi in posterum reservata; et subsequenter cardinalis praefatus expensas ipsas in ducentis et quinquaginta florenis auri de camera boni et iusti ponderis, provida moderatione taxavit, dilecti filii Edmundi Suine [1], ordinis Praedicatorum, quoad praemissa procuratoris, super expensis eisdem iuramento secuto, prout in instrumento publico inde confecto, ipsius cardinalis sigillo munito, plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, magistri, ministri et fratres huiusmodi dubitent, ne Philippus et sequaces praedicti praefatos articulos, quoties opus fuerit, revocare et alias cardinalis sententiae huiusmodi reverenter parere non velint, pro parte magistrorum, ministrorum et fratrum eorumdem Nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super his de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios praemissa exsecutioni debitae demandantes, dictam sententiam, ubi et quando expedire videritis, auctoritate Nostra sollemniter publicare faciatis, eisdem magistris, ministris et fratribus vel dicto eorum procuratori de florenorum summa huiusmodi pro expensis iuxta praefati instrumenti earumdem condemnationis et taxationis tenorem, plenam et debitam satisfactionem impendi: et nihilominus legitimis super his per vos habendis servatis processibus eos, quoties expedierit, aggravare curetis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; non obstante, si Philippo praefato vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam et de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Florentiae, anno ... 1440, IX kal. septembris, ... anno X.

485. Concedit facultatem erigendi eremitorium in loco de Caboca de Alva in domum O. F. M. de observantia [2].

1440, augusti 28, Florentiae.

Dilecto filio .. abbati monasterii beatae Mariae Carrezeti Astoricen dioec.

Digna sunt exauditione illa supplicum vota *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Petri Alvari Osori, domini locorum de Ribera et Cabrera, Astoricen. dioec., petitio continebat, quod, cum in loco de Caboca de Alva, eiusdem dioec., ad ipsum Petrum ratione ipsius dominii pertinente, sit quoddam eremitorium, in quo plures ex fratribus Minoribus sub observantia regulae beati Francisci degunt pro praesenti, et ipse locus sit pro huiusmodi fratribus minus sufficienter dispositus, ipseque Petrus, de propria salute recogitans ... ac ad ordinem fratrum ipsorum singularem devotionem gerens, cupiat ad Dei laudem ipsiusque Petri et parentum suorum salutem huiusmodi eremitorium in monasterium seu domum pro usu et habitatione fratrum observantiae ordinis huiusmodi et sub illa ibidem pro tempore viventium erigi ac de bonis a Deo sibi collatis domum ipsam cum ecclesia, campanili, campana, coemeterio, claustro, cellulis, officinis et aliis necessariis ad praemissa opportunis aedificari et construi facere desideret ac proponat. Quare pro parte dicti Petri Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, huiusmodi pium propositum dicti Petri in hac parte plurimum commendantes ac cupientes, ut dicta religio, cuius decus ecclesiam Dei multipliciter insignivit et illustrat, ubertim per mundum propagetur, .. discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... tu dictum eremitorium in domum ordinis huiusmodi eadem auctoritate erigas necnon eidem Petro domum, ecclesiam cum campana ... et aliis praemissis pro usu et habitatione dictorum fratrum ibidem construi et erigi faciendi necnon eisdem fratribus ecclesiam, domum et alia praemissa recipiendi et inhabitandi licentiam, quodque ipsi fratres sub huiusmodi observantia in dicta domo pro tempore degentes

---

(1) In *Bull. Carm.* legitur *Hunte.*

(2) Reg. Lat. t. 372, f. 104 v.

omnibus et singulis privilegiis ... et libertatibus ... uti et gaudere valeant, eadem auctoritate concedas, iure tamen *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, V kal. septembris, ... anno X.

486. Mandat, ut approbet traditionem ecclesiae parochialis S. Floriani intra muros Aexin. (Iesi) ab Innocentio episcopo Aexin. factam fratribus O. F. M. domus S. Marci extra muros Aexin. (1).

1440, augusti 29, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii de Mogliis Aexin. dioec.

Ea, quae pro religiosorum locorum *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Marci extra muros Aexin., ordinis Minorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim venerabilis frater Noster Innocentius episcopus Aexin., provide considerans, quod domus praedicta, quae extra muros Aexin., ut praefertur, situata exsistit, propter gentium armorum iuges incursus, ... propter quae religiosi huiusmodi non poterant cum quiete animi inibi devotum Altissimo reddere famulatum, ac cupiens eorum quieti providere, parochialem ecclesiam S. Floriani Aexin. cum omnibus suis domibus et structuris ac certis pertinentiis sibi contiguis pro una domo inibi ad usum et habitationem fratrum huiusmodi aedificanda et construenda cum domibus et aliis necessariis officinis etiam cum consensu et beneplacito dilectorum filiorum capituli ecclesiae Aexin. necnon populi et communis ipsius civitatis Aexin. ac Cypriani, eiusdem ecclesiae rectoris, et universorum ipsius ecclesiae parochianorum auctoritate ordinaria deputavit, dedit, tradidit et assignavit, cura parochianorum huiusmodi necnon fructibus, redditibus et proventibus praedicto ecclesiae rectori, quoad vixerit, reservatis, statuens cum eiusdem consensu capituli curam huiusmodi ex post necnon fructus, redditus et proventus ipsius ecclesiae ad cathedralem ecclesiam omnimode pertinere, prout in instrumento exinde confecto, cuius tenorem praesentibus haberi volumus pro sufficienter expresso, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ipsi guardianus et fratres, deputationis, traditionis et assignationis praedictarum vigore dictam parochialem ecclesiam assecuti, illam ex tunc inhabitant de praesenti, reddentes ibidem Altissimo sua vota, pro parte eorumdem exponentium Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... deputationem, assignationem, traditionem et assecutionem praedictas et alia inde secuta, prout provide facta sunt, auctoritate praedicta approbes pariter et confirmes suppleasque defectus *etc.* Et nihilominus, si praemissa per te approbari et confirmari contigerit, ut praefertur, eisdem guardiano et fratribus domum huiusmodi fundandi ... cum claustro, dormitorio, ... aliis necessariis officinis pro usu et habitatione perpetuis fratrum huiusmodi secundum instituta ordinis antedicta cum omnibus privilegiis ... eadem auctoritate Nostra licentiam largiaris, iure *etc.* constitutionibus ... non obstantibus quibuscumque.

Datum Florentiae, anno ... 1440, IV kal. septembris, ... anno X.

487. Mandat, ut legata a Leonora, filia Henrici, Castellae et Legionis regis, pro domo S. Francisci de Valleoleti, quibus fratres O. F. M. ad observantiam transeuntes renuntiaverant, concedant monasterio omnium sanctorum O. S. Cl. eiusdem civitatis (2).

1440, augusti 29, Florentiae.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Hispalen. et episcopo Palentin. ac dilecto filio Baptistae de Padua, canonico Toletan.

Sincerae devotionis affectus, quem dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii omnium sanctorum extra muros oppidi Vallisoleti, ordinis S. Clarae, Palentin. dioec. ad Nos *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte abbatissae et conventus praedictarum petitio continebat, quod olim Leonora, clarae memoriae Henrici, Castellae et Legionis regis illustris, nata, cupiens diem suum extremum testamentaria dispositione praevenire, ... praedictas abbatissam et conventum in reliquis suis bonis universales haeredes instituit, volens, quod reliqua bona huiusmodi in perpetuum conservarentur et cum consilio et consensu dilectorum filiorum guardiani et discretorum virorum, domus S. Francisci praedicti oppidi, ordinis fratrum Minorum professorum, regerentur ac sine illorum voluntate et requisitione vendi, alienari seu permutari non possent, quodque emolumentis ex illis annuatim provenientibus in tres aequales partes divisis una monasterio praedicto et alia pro duabus cappellaniis, in capella per ipsam Leonoram in ecclesia dictae

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 80 « e l. 1 de regular. a. X, f. 167 ».

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, f. 81 « e l. 1 de regular. a. X, f. 121 ».

domus constructa, pro duobus presbyteris inibi missam celebraturis fundandis, ac duabus lampadibus, quae sine intermissione ardeant, una videlicet in capella et alia ante locum, in quo Corpus Christi conservaretur pro tempore in ecclesia antedicta, ac indumentis pauperum iuvenum fratrum in ipsa domo pro tempore degentium necnon tertia pars reliquorum bonorum praedictorum pro necessitatibus infirmorum fratrum eiusdem domus applicarentur et cederent, rogans professores ordinis Minorum huiusmodi in ipsa domo pro tempore degentes, ut de tertia parte bonorum huiusmodi quinque aut sex boni lecti in infirmaria dictae domus ponerentur et servarentur ac indigentiis eorum infirmorum fratrum iugiter provideretur, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praedicta domus postmodum ad regularem observantiam reducta fuerit et fratres in eo degentes abdicatis a se omnibus temporalibus et curis saecularibus sub voluntaria paupertate, non curantes de crastino iuxta ipsius ordinis Minorum instituta, de eleemosynis fidelium laudabiliter vivant et de reliquis bonis praedictis a septem annis proxime praeteritis nihil percipientes, se a prosecutione voluntatis ipsius Leonorae penitus abstinuerunt, fructus quoque, redditus et proventus praedicti monasterii, in quo cum sororibus in simili observantia viventibus ac illius capellanis, servitoribus et servitricibus sexaginta quatuor vel quasi sunt numero, et cuius certa bona mobilia pro ipsius et eius officinarum, aedificiorum, antequam illud ad praedictam observantiam reduceretur, multipliciter collapsorum reparatione et aliis necessitatibus ipsius monasterii pignori intuentur tradita, adeo sunt tenues et exiles, quod dictae personae ex illis, qui quingentorum florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, commode sustentari nequeant, ac abbatissa et conventus praedictae omnia illa in praedicto monasterio et eius ecclesia paratae sint facere, quae praemissae voluntatis occasione debuissent et deberent in domo fieri antedicta, pro parte ipsarum abbatissae et conventus Nobis fuit humiliter supplicatum, ut attentis praemissis voluntatem praedictam commutando, eis, quod reliqua bona praedicta sine consensu vel requisitione alterius cuiuscumque regere et gubernare ac illorum partes pro usu et utilitate domus deputatos huiusmodi integre retinere ac de illis et parte contingente monasterium huiusmodi disponere et ordinare libere et licite valeant, concedere ... dignaremur. Nos ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum super praemissis *etc.*, et ... eamdem voluntatem commutando abbatissae et conventui praedictis, quod ipsae, quamdiu in huiusmodi observantia vixerint regulari, sine consensu vel requisitione alterius cuiuscumque reliqua bona praedicta regere et gubernare ac illorum partes pro usu et utilitate domus deputatas huiusmodi integre retinere, de illis et parte contingente monasterium huiusmodi disponere et ordinare libere et licite valeant in omnibus et per omnia perinde, ac si ea eis in ipsa voluntate plenarie concessa exstitissent, auctoritate concedatis antedicta, non obstantibus *etc.*, proviso, quod in monasterio et eius ecclesia praedictis concessione huiusmodi subsistente ea omnia irremissibiliter fiant et adimpleantur, quae ipsa Leonora in domo et eius ecclesia praedicta fieri voluit et observari.

Datum Florentiae, anno ... 1440, IV kal. septembris, ... anno X.

488. Approbat erectionem domorum Valentin. et Alacantis, dioec. Cartagin., et concedit facultatem recipiendi alias tres domos pro fratribus O. F. M. de observ. in provincia Aragoniae [1].

1440, septembris 10, Florentiae.

Dilecto filio vicario religiosorum ordinis fratrum Minorum sub illius regulari observantia degentium provinciae Aragoniae iuxta morem dicti ordinis.

Inter desiderabilia cordis Nostri *etc.* Sane pro tua et universorum religiosorum ordinis fratrum Minorum sub illius regulari observantia degentium provinciae Aragoniae iuxta morem dicti ordinis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in dicta provincia duae tantum domus cum ecclesiis et aliis necessariis officinis ad usum et habitationem fratrum ordinis et observantiae praedictorum, una videlicet in civitate Valentin. sub B. Mariae de Iesu et alia domus praedictae in villa de Alacantis, Cartaginen. dioec., sub B. Mariae de Gratia vocabulis, constructae reperiuntur, quodque illae pro fratribus ordinis et observantiae huiusmodi in dicta provincia numero copioso exsistentibus capaces non exsistunt, et alias, quod plures universitates civitatum, villarum, terrarum et locorum provinciae supradictae in illis domos pro fratribus de observantia praedictis habere desiderant. Quare pro parte dictorum exponentium Nobis

[1] Reg. Lat. t. 370, f. 65; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 12.

fuit humiliter supplicatum, ut super hoc quoad tria alia loca ac domos pro fratribus praedictis ad laudem et gloriam Dei dictaeque religionis propagationem, fidelium quoque illarum partium salutem providere necnon factas duarum domorum fundationes et erectiones huiusmodi approbare et confirmare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ad ordinem et fratres praedictos eorumque propagationem huiusmodi specialem gerentes affectum, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectiones et fundationes duarum domorum huiusmodi auctoritate apostolica ex certa scientia approbamus et praesentis scripti patrocinio communimus ac etiam tibi et, qui pro tempore erit, fratrum provinciae huiusmodi vicario tres alias domos in quibusvis locis ad id aptis et accommodis provinciae supradictae cum ecclesiis, campanis ... et aliis necessariis officinis pro perpetuis usu et habitatione fratrum ordinis et observantiae praedictorum dumtaxat in dicta provincia pro tempore exsistentium ex fidelium eleemosynis seu concessionibus acquirendi seu construi et erigi faciendi necnon eisdem fratribus pro tempore illas recipiendi et in eis perpetuo commorandi et permanendi, dioecesanorum locorum et aliorum quorumcumque licentia desuper minime requisita, iuribus parochialium ecclesiarum et aliorum quorumlibet in omnibus semper salvis necnon forma super his secundum constitutiones apostolicas observata, plenam et liberam auctoritate praedicta tenore praesentium licentiam elargimur. Non obstantibus *etc.* Nos enim quibuslibet ministris, guardianis et fratribus in erectis et erigendis domibus praedictis pro tempore degentibus ac eisdem domibus, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, IV idus septembris, ... anno X.

489. Confirmat traditionem ecclesiae S. Spiritus prope Anconam, O. S. Bas., a Paulo de Bentivoliis, generali fratrum Armenorum O. S. Bas., sub certis conditionibus factam Iohanni Betini de Ancona III O. S. Fr. pro eo et fratribus III ordinis (1).

1440, septembris 12, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Iohannis de Peneclaria extra muros Anconitan.

Desiderantes statum ecclesiarum omnium *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis Betini de Ancona, tertii ordinis S. Francisci professoris, petitio continebat, quod nuper dilectus filius Paulus de Bentivoliis, generalis fratrum Armenorum ordinis S. Basilii, attente recensens, quod ecclesia S. Spiritus dicti ordinis S. Basilii extra et prope civitatem Anconitan. ac infra veteres et novos muros dictae civitatis consistens a quadraginta annis vel circa divino cultu destituta foret, ad Dei reverentiam, et ut inibi cultus huiusmodi servaretur, ecclesiam ipsam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis praefato Iohanni sub certis modis, videlicet, quod idem Iohannes omnes et singulos fratres ordinis S. Basilii apud ecclesiam ipsam transeuntes recipere et charitative tractare necnon annis singulis die prima mensis ianuarii festum S. Basilii celebrari facere in illa teneretur, ac aliis modis et forma dedit, concessit et donavit, prout in instrumento desuper confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Iohannes ecclesiam praedictam, quae in structuris et aedificiis suis ruinae subiacet pro maiori illorum parte collapsa exsistit, de bonis sibi a Deo collatis ac christifidelium eleemosynis reparari facere et in ea cum nonnullis fratribus dicti tertii ordinis sub regulari observantia Domino perpetuo famulari proponat pariter et intendat, pro parte dicti Iohannis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessioni et donationi huiusmodi pro illarum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere et alias sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ea fore vera reppereris, ... concessionem et donationem praedictas ac omnia et singula in dicto instrumento contenta auctoritate Nostra approbes et confirmes suppleasque omnes defectus, si qui intervenerint in eisdem. Et nihilominus, in eadem ecclesia dictum ordinem S. Basilii supprimens penitus et exstinguens, illam, quae sine cura est et, sicut accepimus, vacat ad praesens ac tanto tempore vacavit, quod de illius vero vacationis modo memoria hominum non exsistit, et propterea illius collatio iuxta Lateranen. statuta concilii est ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, cuiusque fructus, redditus et proventus trium florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipse Iohannes asserit, non excedunt, quovis modo et ex cuiuscumque persona vacet, etiamsi specialiter vel generaliter reservata seu ad generalis dicti ordinis S. Basilii pro tempore exsistentis vel alicuius mensam pertineat, super

(1) Reg. Lat. t. 372, f. 210.

ea quoque inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in illa alicui specialiter ius quaesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis praedicto Iohanni ac fratribus dicti tertii ordinis in ipsa ecclesia pro tempore commorantibus sub modis et forma in dicto instrumento contentis eadem auctoritate imperpetuum de novo appropries, concedas pariter et assignes, ita quod ex nunc liceat Iohanni et fratribus tertii ordinis praedictis corporalem ecclesiae iuriumque et pertinentiarum praedictorum possessionem per se vel alium seu alios auctoritate propria apprehendere ac apud illa ad instar domorum dicti tertii ordinis domum cum coemeterio, claustro et aliis necessariis officinis pro ipsorum usu et habitatione fundare et construere necnon fundari et construi facere ac eiusdem fructus, redditus et proventus huiusmodi in suos et ecclesiae ac domus praedictarum usus convertere pariter et retinere, dioecesani loci et cuiusvis alterius super hoc licentia minime requisita, non obstantibus *etc.* Nos enim, si confirmationem, approbationem, appropriationem, concessionem et assignationem praedictas per te vigore praesentium fieri contigerit, ut praefertur, Iohanni et fratribus in eadem ecclesia pro tempore commorantibus praefatis, quod omnibus et singulis privilegiis *etc.* Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Florentiae, anno ... 1440, prid. idus septembris, ... anno X.

490. Concedit licentiam convertendi certa legata Nicolai de Chese de Montepolitiano in reparationem et fabricam ecclesiae S. Francisci Assisinat. (1).

1440, septembris 20, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Assisinat.

Etsi ex debito pastoralis officii *etc.* Sane pro parte dilecti filii Guillelmi de Casali, generalis ministri ordinis fratrum Minorum, et dilectae in Christo filiae Iacobae, quondam Nicolai de Chese de Montepolitiano mulieris, Arretinen. dioec., petitio continebat, quod olim dictus Nicolaus, ... attendens in eius voluntate ultima de bonis sibi a Deo collatis testamentum, in illo inter alia nonnulla bona in civitate et dioec. Perusina consistentia et ad eum legitime spectantia post obitum dictae Iacobae, quam bonorum huiusmodi usufructuariam, quoad viveret, esse voluit et decrevit, inter Christi pauperes distribuenda reliquit certis desuper per dictum Nicolaum exsecutoribus deputatis, prout in instrumento publico superinde confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ecclesia sive domus S. Francisci Assisinat., dicti ordinis, in structuris et aedificiis suis reparatione non parum indigeat, ac praedicta Iacoba, ad sanctum et ordinem praefatos singularem devotionis affectum gerens et de propria salute recogitans, unam nonnullis fratribus de ordine Praedicatorum et pauperibus Christi erogare, aliam vero et maiorem partes bonorum praedictorum in dictam reparationem ac illius ecclesiae sive domus fabricam convertere desideret, pro parte eorumdem Guillelmi et Iacobae Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... praefatae Iacobae omnia et singula bona praedicta vendendi illaque seu pretium ex ipsorum venditione proveniens pro una fratribus ordinis praedicti et pauperibus praedictis, prout et secundum quod suae conscientiae videbitur, pro alia vero et maiore partibus huiusmodi in reparationem et fabricam praefatas convertendi dumtaxat, voluntate et ordinatione praefatis et ordinationibus apostolicis ... ceterisque contrariis nequaquam obstantibus plenam et liberam auctoritate praedicta licentiam concedas et facultatem.

Datum Florentiae, anno ... 1440, XII kal. octobris, ... anno X.

491. Sororibus III O. S. Fr. de poenitentia in Civitate Ducali concedit licentiam recipiendi domum in civitate Reatin. cum certis facultatibus et remissione plenaria (2).

1440, septembris 20, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Sacrae religionis *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Margaritae, Magnae, Nicolaae de Civitate Ducali, Reatin. dioec., aliarumque sororum suarum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsae ... habitum ordinis praedicti piis mentibus in Domino assumpserunt, in quo, quantum cum Deo ex tunc potuerunt, in civitate Reatin. segregatae

(1) E *Bull. pontificio, quod exstat in archivo sacri conventus S. Francisci Assisiensis, nunc apud publicam bibliothecam Assisii*, edd. L. Alessandri, Fr. Pennachi; ad Claras Aquas 1920, p. 134, n. 286. De Nicolao de Chesis cf. supra n. 401, p. 186. (2) Wadd. *Reg. pont. Eug.* IV, n. 83 «e l. 1 de regular. a. X, f. 53».

commorantes, honeste vixerunt, quia tamen loco carent, in quo possint se a mundanis illecebris *etc.*, pro parte Margaritae et sororum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, Margaritam et sorores antedictas in suo laudabili proposito confovere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Margaritae et sororibus praesentibus et futuris domum aliquam in urbe aut civitate Reatin. orationi et religioni earum accommodam recipiendi et in illa commorandi ministramque sibi unam ex eis, quae aliis praesit, singulis trienniis eligendi ac ministrae sic eligendae domum et sorores huiusmodi regendi et gubernandi necnon mulieres e saeculo fugientes in domum ipsam et ad professionem iuxta consuetudines dicti ordinis recipiendi et admittendi eisque regularem habitum exhibendi, eisdem ministrae et sororibus locum recipiendum huiusmodi, postquam receptus fuerit, vendendi et alium commodiorem, prout eis videbitur, emendi sive permutandi et novum construendi et recipiendi, chordam quoque, si ex devotione placuerit, loco corrigiae gerendi et cuiusvis ordinis presbyterum religiosum vel regularem sive etiam saecularem in confessorem eligendi ac omnia alia et singula in praemissis et circa ea necessaria, prout sorores eiusdem ordinis in Perusin., Fulginat., Aquilan., Viterbien. et aliis civitatibus degentes faciunt et facere possunt, exercendi; idemque confessor, quoties ei visum fuerit opportunum, dictarum sororum confessionibus diligenter auditis pro commissis eis debitam absolutionem impendat et iniungat poenitentiam salutarem, nisi talia fuerint, propter quae Sedes *etc.* consulenda; quique eisdem sororibus ministrare valeat ecclesiastica sacramenta, necnon in mortis articulo semel tantum omnium peccatorum suorum, de quibus corde contritae et ore confessae fuerint, plenam remissionem eis in sinceritate fidei, unitate sacrae Romanae ecclesiae ac obedientia et devotione Nostra vel successorum Nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate apostolica concedere valeat; ita tamen quod de his, de quibus fuerit satisfactio impendenda *etc.* Et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam reddantur procliviores ad illicita in posterum committenda, volumus *etc.* Et insuper, quod per unum annum, a tempore, quo praesens Nostra concessio ad earum et cuiuslibet ipsarum notitiam pervenerit, computandum, singulis sextis feriis impedimento legitimo cessante ieiunent; quodsi praedictis feriis ex praecepto ecclesiae, regulari observantia, iniuncta poenitentia, voto vel alias ieiunare teneantur, una alia die singularum septimanarum eiusdem anni, qua ad ieiunandum, ut praemittitur, non sint adstrictae, ieiunent; et si in dicto anno vel alias ..., quamprimum poterunt, modo simili supplere huiusmodi ieiunium teneantur. Porro, si forsan alias praedictum ieiunium in toto vel in parte quandocumque adimplere commode nequiverint, eo casu confessor, quem ad hoc ipsarum quaelibet elegerit, ieiunium ipsum in alia pietatis opera commutare valeat, prout animarum suarum saluti viderit expedire, quae ipsae pari modo adimplere debeant; alioquin huiusmodi plenae remissionis concessio quoad praemissa non observantes nullius sit roboris vel momenti, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Eidem insuper confessori cum eisdem sororibus super quibuscumque votis, castitatis et religionis exceptis, dispensandi illaque in alia pietatis opera commutandi eadem auctoritate similiter facultatem concedentes; volentes etiam, quod eadem ministra eo ipso, quod electa canonice fuerit, per id tempus auctoritate praedicta confirmata censeatur; quodque ministra et sorores, quae pro tempore fuerint, necnon earum loca omnibus et singulis privilegiis ... perpetuo uti valeant et gaudere, extravaganti fel. rec. Iohannis papae XXII ... ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, XII kalendas octobris, ... anno X.

492. Georgio Courtenay, O. F. M., de comitum genere procreato, concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (1).

1440, septembris 24, Florentiae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, VIII kal. octobris, ... anno X.

493. Concedit Iohanni de S. Anna O. F. M. potestatem visitandi monasterium S. Clarae de Moguerio, O. S. Cl. Hispalen. dioec. (2).

1440, octobris 1, Florentiae.

Dilectis in Christo filiabus Agneti abbatissae et conventui monasterii S. Clarae de Moguerio, ordinis dictae sanctae, Hispalen. dioec.

Digna reddimur attentione solliciti *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte

(1) Reg. Lat. t. 372, f. 163.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 84 « e l. 1 de regular. a. X, f. 7 ». De Iohanne de S. Anna cf. sup. n. 445, p. 209.

vestra petitio continebat, dilectus filius Iohannes de S. Anna, ordinis fratrum Minorum professor, super hoc a dilecto filio Guillelmo de Casali, dicti ordinis generali ministro, sufficienti potestate suffultus, in vos et vestrarum quamlibet visitationis officium per plures annos exercuerit, prout exercet de praesenti, Nos, vestris, quae, sicut asseritis, sub perpetua clausura virtutum Domino famulamini, in hac parte supplicationibus inclinati, quod dictus Iohannes, solum Deum prae oculis habens, quoties sibi videbitur, monasterium ipsum tam in capite quam in membris visitare et in eo inquirere, corrigere, ... quaecumque inquisitionis, punitionis, correctionis, reformationis officio iuxta regularia ordinis S. Clarae instituta idem Iohannes viderit indigere, contradictores ... compescendo, quoad vixerit, valeat, vobis et praedicto Iohanni auctoritate apostolica concedimus per praesentes, iure tamen generalis dicti ordinis pro tempore exsistentis in omnibus semper salvo. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, kalendis octobris, ... anno X.

494. Confirmat fratribus O. F. M. de observ. provinciae Romanae concessiones ipsis factas de monasterio monialium S. Mariae de Paradiso extra muros Viterbii O. Cisterc. et horto eidem contiguo [1].

1440, octobris 12, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Iis, quae pro ecclesiarum *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum Iacobi de Reate, vicarii provincialis ministri et fratrum Minorum de observantia nuncupatorum secundum morem dicti ordinis, Nobis exposito, quod, cum olim bonae mem. Iohannes, tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, tunc in provincia patrimonii beati Petri in Thuscia ac nonnullis aliis locis circumvicinis Apostolicae Sedis legatus, monasterium monialium S. Mariae de Paradiso extra muros Viterbien., tunc ordinis Cistercien., mensae capitularis ecclesiae Viterbien. legationis suae huiusmodi auctoritate univisset, annexuisset et incorporasset confirmatione apostolica ... desuper subsecuta necnon postmodum ecclesiam, claustrum et aedificia ac loca eiusdem monasterii illa ab omni prorsus dominio et iurisdictione eximendo, praesertim Viterbien. ecclesiae praedictae, dictaeque unioni derogando, vicario et fratribus praedictis de mandato Nostro vivae vocis oraculo sibi facto et auctoritate praedicta concessisset et assignasset, Nosque venerabili fratri Nostro episcopo Cornetan. Nostris litteris [2] eius proprio nomine non expresso dedissemus in mandatis, quatenus vocatis capitulo dictae ecclesiae et aliis, qui forent evocandi, concessionem et assignationem praedictas ac omnia inde secuta auctoritate apostolica approbaret et confirmaret ipsiusque monasterii ambitum vicario et fratribus praedictis concederet, ipseque episcopus, aliis tunc forsan negotiis praepeditus, litteras huiusmodi exsecutioni non demandasset, dilectus filius Noster Ludovicus, tituli S. Laurentii in Damaso presbyter cardinalis, tunc patriarcha Aquileien., et in illis partibus Apostolicae Sedis legatus, de intentione Nostra certam habens notitiam, venerabili fratri Nostro Lotto, episcopo Spoletan., dictae provinciae pro Nobis et ecclesia Romana rectori, suis dedit litteris in mandatis, ut de quodam horto muris circumvallato, eidem monasterio contiguo et ad ipsum dudum spectante, vicario et fratribus praedictis provideret ac eos faceret dicti horti pacifica possessione gaudere, idem Lottus episcopus vicario et fratribus eisdem huiusmodi posteriorum litterarum vigore praedicti possessionem corporalem capiendi captamque tenendi et conservandi plenariam concessit licentiam et etiam facultatem, mandans capitulo praedicto ac ceteris sua interesse putantibus, ne dictos vicarium et fratres in horti possessione huiusmodi quomodolibet impedirent, prout in legatorum et Lotti episcopi praedictorum inde confectis litteris eorum sigillis munitis, quarum tenores haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictorum vicarii et fratrum petitio continebat, ipsi dubitent concessionem, assignationem, licentiam et facultatem praedictas ac inde secuta ex certis causis viribus non subsistere et super illis in posterum posse molestari, pro parte eorumdem vicarii et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... concessionem, assignationem, licentiam et facultatem praedictas ac omnia inde secuta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, volentes, quod dicti vicarius et fratres necnon eis concessus locus huiusmodi omnibus et singulis privilegiis *etc.* Bonifatii papae VIII ... ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, IV idus octobris, ... anno X.

([1]) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 85 « e l. 1 de regular. a. X, f. 227 ».

([2]) Vide supra n. 454, p. 212.

495. Conseranen. et Rinen. ac Appamiarum officialibus mandat, ut prioratum loci de Rininis O. S. Ben., Lombarien. dioec., a monasterio S. Tiberii O. S. Ben. dependentem, quem Petrus, episcopus Albanen., O. F. M., resignaverat, interim vacantem ex eo, quod Iohannes Iuliani de Angeriis pensionem annuam 150 scutorum auri cugni regis Franciae, praefato episcopo reservatam, a multis annis non solvit, iterum eidem Petro episcopo conferant (1).

1440, octobris 12, Florentiae.

Ad personam venerabilis fratris Nostri Petri episcopi Albanen. *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, IV idus octobris, ... anno X.

496. Concedit facultatem sese conformandi observantiae monasterii de Oterdesillas O. S. Cl., gaudendi eiusdem privilegiis et vivendi sub directione Francisci de Soria O. F. M. (2).

1440, octobris 19, Florentiae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii S. Clarae extra muros Burgen., ordinis eiusdem sanctae.

Aeternae beatitudinis amatricum *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos, quae cooperante Altissimi gratia vestra sub regulari observantia in vestro, in quo divinis mancipatae estis obsequiis, monasterio Deo exsolvere vota sincero corde geritis *etc.* necnon praefatam regularis observantiae normam comitari propensius affectatis et propterea monasterio de Oterdesillas ordinis S. Clarae, Palentin. dioec., quod in salubribus dilecti filii Francisci de Soria, ordinis fratrum Minorum professoris, qui illud in capite et membris visitandi ac reformandi et certa alia tunc expressa faciendi per litteras Sedis Apostolicae potestatem habere dignoscitur, directionibus et exhortationibus grata in spiritualibus et temporalibus cum felici religionis propagatione incrementa suscepit, conformari necnon ipsius Francisci visitationi et reformationi subiici plurimum exoptatis *etc.* Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis ac monasterio vestro, ut perpetuis futuris temporibus omnibus et singulis privilegiis ... dicto monasterio de Oterdesillas eiusque abbatissae, sororibus ac personis ab eadem Sede quomodolibet concessis in omnibus et per omnia libere et licite uti et gaudere valeatis, apostolica auctoritate tenore praesentium indulgemus et nihilominus potestatem, quae dicto Francisco vigore litterarum huiusmodi quoad dictum monasterium de Oterdesillas quomodolibet competit aut competere potest, ac litteras praedictas ad praedictum monasterium vestrum praesentium serie extendentes, volumus et eadem vobis ac dicto Francisco auctoritate concedimus, ut ipse Franciscus, quoties opportunum fuerit, vos et praedictum vestrum monasterium in capite et in membris visitare et ea, quae secundum Deum corrigenda et reformanda fuerint, iuxta dictarum litterarum formam et continentia ac regularia dicti ordinis instituta corrigere ... ac ea, quae pro felici dicti monasterii vestri statu et votiva directione profutura fuerint, facere, disponere ... libere et licite possit et valeat, super quibus eidem Francisco plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, XIV kal. novembris, ... anno X.

497. Archiepiscopo Ianuen. ad supplicationem guardiani O. F. M. et prioris O. Praed. domorum Ianuen., exsecutorum testamenti Christophori de Valeriis de Parma, laici, mandat, ut compellat Iohannem de Albario et Raphaelem Salvagno et alios quosdam laicos ad restitutionem certorum proventuum annuorum iniuste usurpatorum, *loca comprarum S. Georgii sive capituli* nuncupatorum, in civitate Ianuen., qui ex voluntate testatoris per dictos exsecutores singulis annis inter religiosas et alias egentes personas ac pro pauperibus iuvenculis maritandis et in alios usus pios distribui debebant (3).

1440, octobris 29, Florentiae.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, IV kal. novembris, ... anno X.

---

(1) Reg. Lat. t. 377, f. 300 v. — Eidem Petro d. 4 ianuarii 1441 litteris *Dum exquisita fratris Nostri Petri episcopi Albanen.* conferri mandat prioratum de Neyraco O. S. Ben., Lombarien. dioec., a monasterio S. Saturnini Tolosan. eiusdem ordinis dependentem, quem pariter Petrus antea resignaverat, interim vacantem per obitum Arnaldi episcopi Demetrien. Reg. Lat. t. 377, f. 299. — Eidem d. 21 ianuarii 1441 litteris *Ad personam tuam* concedit « perinde valere » pro beneficiis ab ipso Petro collatis. Reg. Lat. t. 377, f. 306. — Eidem d. 28 martii 1441 litteris *Romani pontificis providentia* commendat monasterium de Luco, O. S. Ben. Oloren. dioec., de quo simili modo etiam scribit Conventui monasterii de Luco et Vasallis eiusdem. Reg. Lat. t. 379, f. 303 v. — Eidem d. 1 aprilis 1441 litteris *Provisionis Nostrae* concedit confirmationem duarum bullarum e registro Martini V transscriptarum (*Dum ad personam tuam,* ambae d. III idus nov., an. VII, 11 nov. 1424). Reg. Lat. t. 379, f. 304. De eo cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1851, p. 719.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 86 « e l. 1 de regular. et div. formis, a. X, f. 47 ». Cf. supra n. 479, p. 229.

(3) Reg. Lat. t. 374, f. 255 v.

498. Transsumit litteras Martini V de facultatibus procuratorum domuum O. F. M. (1).

1440, novembris 9, Florentiae.

Dilecto filio generali ministro ordinis fratrum Minorum.

Provisionis Nostrae debet provenire subsidio, ut ius suum cuilibet conservetur. Hinc est, quod Nos tenorem quarumdam litterarum fel. rec. Martini papae V, praedecessoris Nostri, in regesto ipsius praedecessoris repertum, pro eo, quod, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, praedictae originales litterae casualiter sunt deperditae, de regesto ipso de verbo ad verbum transscribi et ad tuae petitionis instantiam praesentibus annotari fecimus, qui talis est:

Martinus etc.

Dilecto filio generali ministro ordinis fratrum Minorum.

Ad statum ordinis fratrum Minorum [*etc. ut in Bull. Franc.* t. VII n. 1893, p. 739].

Datum Romae apud SS. Apostolos, X kal. septembris, ... anno XIII.

Ceterum, ut earumdem litterarum tenor praedictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur eamque vim eumdemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales litterae supradictae et eadem eidem tenori fides adhibeatur quandocumque et ubicumque in iudicio vel alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nullum ius cuiquam de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, V idus novembris, ... anno X.

499. Hortatur Bernardinum de Senis, O. F. M., ut in officio vicariatus O. F. M. de observ. permaneat, et concedit licentiam assumendi sibi coadiutorem (2).

1440, novembris 10, Florentiae.

Dilecto filio fratri Bernardino de Senis, ordinis Minorum in observantia regulari viventium vicario in partibus Italiae.

Dilecte fili, sal. Multis saepenumero referentibus ipsaque experientia quasi quotidiana percepimus, devotas ordinis tui familias omnipotentis Dei miseratione in regulari observantia dudum florentes augeri continuo, praesertim in Italia, ac sicut palmites in vite, quae Christus est, in dies succrescere. Ex qua re ampliorem curam et longiores vigilias super commissum gregem tibi imminere conspicimus, quas toto cordis affectu iuxta gratiam tibi divinitus collatam plene a te exerceri cupimus, sperantes ex eo fructus uberrimos proventuros, si iuxta votum Nostrum cuncta tuo studio impleantur, econtra metuentes dictae familiae naufragium, si relictis aut relaxatis gubernaculis regularis disciplinae rigor solvatur. Propterea devotionem tuam hortamur in Domino atque etiam tibi iniungimus et mandamus pro Dei ac Sedis Apostolicae reverentia ac dilecti filii Guillelmi, dicti ordinis generalis, cuius in hac parte vices geris, consolatione et merito necnon animarum salute huiusmodi pietatis studium in praefatam familiam eiusque omnes et singulos ac omnia et singula eorum loca intra Italiam constituta iuxta officium tibi creditum exercere pergas, nihil adhortationis, nihil disciplinae, quod ad huius sanctae religionis conservationem et incrementum pertineat, praetermittens, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Inter alia illud praecipue volumus observari, ut nemo de praefata familia, cuiusvis status et conditionis exsistat, de loco ad locum, praesertim causa morandi, se transferat sine tua licentia speciali. Et quia, ut praemisimus, cura huiusmodi familiae ampla esse dignoscitur, pro meliore et expeditiore incumbentium provisione unum tibi coadiutorem instituendum et removendum ad nutum tuum et mutandum, quando et quoties tibi videbitur, cum ea facultate, potestate, privilegiis, indultis, exemptionibus, quae tibi pro tempore competierint, cuiusque officium durare intelligatur, donec per te expresse fuerit revocatum, assumendi ac omnia alia et singula gerendi et faciendi, quae ad pacem et quietem ac bonum statum dictae familiae et locorum necessaria tibi videbuntur aut quomodolibet opportuna, tenore praesentium auctoritate apostolica plenariam et liberam concedimus facultatem. Non obstantibus privilegiis, exemptionibus, indultis, immunitatibus generalibus vel specialibus quacumque auctoritate etiam apostolica hactenus concessis vel in posterum concedendis, per quae praemissis vel alicui praemissorum posset quovis modo praeiudicium generari ac aliis in contrarium facientibus quibuscumque, decernentes ex nunc irri-

(1) Franciscus M. Angeli a Rivotorto, M. Conv., *Collis paradisi amoenitas seu Sacri Conventus Assisiensis historiae libri II*, Montefalisco 1704, l. 2, p. 51. (2) Wadd. *Ann.* ad a. 1440, n. 11 « ex autographo ».

tum et inane *etc.* Super quibus etiam praefato generali ministro scribimus, devotionem suam hortantes, quatenus in omnibus et singulis supradictis tibi et coadiutori, prout tenetur et de eo fiduciam in Domino obtinemus, cum sollicitudine assistat auxiliis et favoribus opportunis.

Datum Florentiae, sub annulo Nostro secreto, die X novembris, ... anno X.

500. Marcellum de Neweriis, O. F. M., ad O. S. Aug. transgressum, absolvit ab apostasia eique concedit facultatem remanendi in O. S. Aug. et recipiendi beneficia ecclesiastica (1).

1440, decembris 5, Florentiae.

Dilecto filio Marcello de Neweriis, rectori capellae de Godsdorp, Colonien. dioec., magistro in theologia.

Romana ecclesia universis christifidelibus *etc.* Sane, sicut accepimus, quod dudum successive per te probatis Minorum sanctique Augustini ordinum disciplinis tu nequaquam Minorum, sed bene S. Augustini ordinum eorumdem professor dici esseque volens, de ordine Minorum, cuius professorum habitum per annum et amplius gestaveras, eo dimisso ad ordinem S. Augustini huiusmodi et forte absque quavis apostolica aliave licentia transivisti ac illius habitu pro tempore suscepto emissaque professione te pro professore eiusdem ordinis S. Augustini gessisti atque geris, quodque et, licet talia ac etiam quaedam alia excessus et crimina commisisses ac propterea diversas excommunicationum et suspensionum et interdicti aliasque sententias, censuras et poenas a iure et ab homine promulgatas irregularitatesque necnon apostasiam incurrisses, nihilominus capella de Godsdorp, Colonien. dioec., et nonnulla alia saecularia regulariaque beneficia tibi de facto collata et per te aliquamdiu indebite detenta eorumque fructus percepti fuere, Nos, super his opportune tibi consulere teque, qui etiam magister in medicina et, ut accepimus, venerabilis fratris Nostri Theoderici, archiepiscopi Colonien., consiliarius existis, ... favoribus prosequi volentes, ... te ... ab apostasia omnibusque sententiis ... absolvimus ... et nihilominus tecum super irregularitatibus, ... ac quod in omnibus ... susceptis ordinibus ministrare illisque uti necnon in ipso ordine S. Augustini perpetuo remanere ac etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica ... et cum dicta capella, quam praefata apostolica auctoritate collatam, ut asseris, obtines, ... recipere ... libere et licite valeas, ... de speciali gratia dispensamus *etc.* quibusdam aliis tibi alias per Nos super praemissis concessis litteris (2), quatenus etiam illis uti volueris, in pleno robore nihilominus duraturis. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, nonis decembris, ... anno X.

501. Antonium Troianum instituit commissarium apostolicum in provinciis Orientalibus cum amplis facultatibus (3).

1440, decembris 15, Florentiae.

Dilecto filio fratri Antonio Troiano, ordinis Minorum, in provinciis Tatariae, Assyriae, Persiae et Aethiopiae ac apud nationes Maronitarum, Drusolitarum, Nestorianorum et Surianorum locis Terrae Sanctae exceptis commissario Nostro.

Dum onus universalis gregis dominici *etc. (ut supra n. 300, p. 138 usque)* ad personam tuam, quae quidem potens opere et sermone in magnis et arduis Nobis familiari experientia comprobata est, dirigentes aciem mentis Nostrae ac sperantes, quod ea, quae tibi committenda duxerimus, pro honore Dei et propagatione christiani nominis diligenter et fideliter prosequeris: te in provinciis Tatariae, Assyriae, Persiae et Aethiopiae necnon apud nationes Maronitarum, Drusolitarum, Nestorianorum et Surianorum, locis Terrae Sanctae exceptis, commissarium Nostrum facimus, constituimus et etiam deputamus, volentes ac praesenti tenore statuentes, quod tu et, qui pro tempore fuerit in dictis partibus a te substitutus, super conventus ac personas conventuum illam potestatem, facultatem et arbitrium habeatis, quam generalis ipse, si adesset, habere dignoscitur: sic tamen, ut tu et substituti praefati et vobis subiecti fratres per omnia dicto generali obedire et subesse teneamini, praeterquam in iis, quae huic mandato et commissioni Nostrae derogare et obviare censeantur. Fraternitates insuper seu societates, si quas pietati idoneas esse prospexeritis, cum opportunis constitutionibus ordinare et ad tertium ordinem beati Francisci, ad habitum et professionem recipere et in eodem ordine visitatores et alios officiales instituere valeatis. Quarum omnium tam dicti tertii ordinis quam congregationum singulis personis in dictis congregationibus perseverantibus omnium peccatorum remissionem in mortis articulo ac vere poenitentibus et confessis auctoritate apostolica impendere va-

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 227 v.
(2) Cf. supra n. 471, p. 225.
(3) Wadd. *Ann.* ad a. 1440, n. 7 « e l. 5 bullarum f. 106 ».

leas et valeant; necnon fratribus, de quibus tibi aut eis videbitur, ut ad partes praedictas vadant, qui etiam tibi et illis obedire teneantur, praecipiendi et mandandi ipsosque ad alias quascumque mundi partes cum facultatibus et auctoritatibus supradictis dirigendi ac notarios ad actus publicos in favorem fidei conscribendos creandi et instituendi simili auctoritate concedimus. Volumus autem, quod per quascumque litteras apostolicas generali ministro dicti ordinis seu aliis quoquomodo concessas et concedendas in posterum gratiae, indulta et alia supradicta nullatenus intelligantur revocata. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, XVIII kal. ianuarii, ... anno X.

502. Abbati monasterii S. Laurentii in Campo, Fanen. dioec., mandat, ut Bartholomaeum de Carticeto O. F. M., Fanen. dioec., cum quo iam antea fuit dispensatum, ut beneficia ecclesiastica recipere posset, per litteras apostolicas in registris litterarum non copiatas, dudum ad O. S. Ben. transgressum et a Gaspare, abbate monasterii S. Veriaci de Tiro eiusdem ordinis, Ianuen. dioec., receptum et per 13 annos in eodem ordine moratum, absolvat a censuris et irregularitatibus eique concedat facultatem transeundi ad monasterium S. Laurentii in Campo O. S. Ben., Fanen. dioec., et in illo sub observantia trium substantialium regulae perpetuo remanendi (1).

1440, decembris 23, Florentiae.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, X kal. ianuarii, ... anno X.

503. Concedit sororibus III O. S. Fr. domus S. Catharinae extra portum Altipontis oppidi S. Audomari, Morinen. dioec., licentiam vivendi in communi, eligendi visitatorem *etc.* (2).

1440, decembris 27, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Dum sedulae mentis *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum magistrae et sororum domus S. Catharinae extra portam Altipontis oppidi S. Audomari de Sancto Audomaro, Morinen. dioec., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim pro parte earum dilectis filiis generalibus dilecti filii Nostri Iohannis, tituli S. Praxedis presbyteri cardinalis, et episcopi Morinen. in spiritualibus vicariis exposito, quod ipsae ob melioris arctiorisque vitae frugem, et ut verae regulari observantiae magis se conformarent, in communi ac sine proprio atque conventualiter vivere et cohabitare et communitatem observare necnon tria principalia religionis vota, obedientiam videlicet, castitatem et paupertatem voluntariam, citra tamen mendicitatem publicam, retentis etiam factis eis pro tempore a christifidelibus donationibus et concessionibus, promittere et observare cupiebant, praedicti vicarii facta primitus per eos de dictarum magistrae et sororum statu, vita, conversatione, moribus et honestate informatione diligenti eis vivendi, cohabitandi et communitatem observandi, ut praefertur, ac vota praedicta emittendi necnon unum ex fratribus dicti ordinis de illius visitatoris consilio in earum ministrum pro ipsarum libito eligendi licentiam concesserant, prout in eorumdem vicariorum desuper confectis litteris plenius continetur. Quare pro parte magistrae et sororum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... concessionem et contenta huiusmodi rata et grata habentes, illa et quidquid eorum obtentu factum est, auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus magistrae et sororibus praedictis et aliis, quae deinceps in perpetuum in eadem seu alia illius domo dicti ordinis fuerint, sororibus, quod minister seu visitator ac eis nolentibus seu ex quacumque causa non valentibus magistra pro tempore exsistens domus huiusmodi a sororibus, illam ingredi volentibus, regularem professionem iuxta morem profitentium sollemniter recipere et admittere eisque habitum regularem cum scapulari et chorda dare ac ipsas velare necnon magistra dictae domus pro tempore exsistens quarumlibet pro tempore degentium inibi sororum excessus, cum consilio tamen visitatoris sive ministri huiusmodi, usque ad carceres inclusive corrigere et punire ac eisdem visitatori et ministro, quod magistrae et pro tempore degentium sororum huiusmodi, quoties opportunum fuerit, confessiones audire ipsisque magistrae et sororibus pro commissis salutarem poenitentiam iniungere, eucharistiae insuper et quaevis alia ecclesiastica sacramenta et sacramentalia in capella eiusdem domus, absque tamen iuris alieni praeiudicio, ministrare libere et licite valeant, eadem auctoritate concedimus per praesentes. Ceterum, si fortassis domum S. Catharinae huiusmodi quandocumque et quacumque occasione demoliri seu vastari contigerit, Nos magistrae et sororibus domus pro tempore exsistentibus huiusmodi aliam cum capella et aliis

(1) Reg. Lat. t. 368, f. 299. (2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 87 « e l. 1 de regular. a. X, f. 44 ».

necessariis in loco ad hoc congruo et honesto infra oppidum praedictum aut extra illius muros, domumque ac in ea degentes sorores omnibus et singulis privilegiis, ... quibus magistra et sorores ac domus huiusmodi uti et gaudere possunt, uti etiam et gaudere valeant, de novo erigi et construi faciendi ac illam alieno iure salvo inhabitandi eadem auctoritate licentiam elargimur. Non obstantibus fel. rec. Gregorii papae X, ... ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, VI kal. ianuarii, ... anno X.

504. Mandat, ut Catharinam Capassinam instituat abbatissam monasterii S. Laurentii Salernitan. O. S. Cl. (1).

1440, decembris 27, Florentiae.

Venerabili fratri archiepiscopo Salernitan.

Inter sollicitudines varias *etc.* Sane pro parte dilectae in Christo filiae Catharinae Capassina, monialis monasterii S. Laurentii Salernitan., ordinis S. Clarae, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim monasterio praedicto, cui quondam Zanzia, ipsius monasterii abbatissa, dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Zanziae, quae extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante dilectae in Christo filiae conventus dicti monasterii pro ipsius futurae abbatissae celebranda electione vocatis omnibus, quae electioni huiusmodi voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum, ut est moris, praefixa convenientes in unum, praedictam Catharinam, etiam ordinem ipsam expresse professam, in ipsarum et dicti monasterii abbatissam concorditer elegerunt, ipsaque Catharina electioni huiusmodi illius sibi praesentato decreto consensit, in omnibus iis statutis a iure temporibus observatis. Nos, cupientes eidem monasterio, sicut accepimus, adhuc, ut praefertur, vacanti, ne longae vacationis exponatur incommodis, de persona secundum cor Nostrum utili et idonea, per quam circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, providere ac de meritis et idoneitate praefatae Catharinae, apud Nos de religionis zelo ... commendatae, certam notitiam non habentes, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de meritis et idoneitate Catharinae huiusmodi auctoritate Nostra te diligenter informes et, si per informationem eamdem praefatam Catharinam ad regimen et administrationem ipsius monasterii utilem et idoneam esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, de persona ipsius Catharinae eidem monasterio, cuius fructus, redditus et proventus viginti quatuor librarum Turonen. parvorum secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipsa Catharina asserit, non excedunt, ... dicta auctoritate Nostra provideas ipsamque illi in abbatissam praeficias, curam eiusdem monasterii *etc.* contradictores *etc.* Non obstantibus, si conventui, vasallis *etc.* Et insuper eidem Catharinae ... munus benedictionis impendas, vel ut illud a quocumque catholico antistite ... suscipere valeat, eadem auctoritate concedas. Volumus autem, quod ille ex te et dicto antistite *etc.*, quodque, si munus huiusmodi per alium antistitem dictae Catharinae impendi contigerit, per hoc archiepiscopo Salernitan. pro tempore exsistenti, cui praefatum monasterium ordinario iure subesse dignoscitur, nullum imposterum praeiudicium generetur.

Datum Florentiae, anno ... 1440, VI kal. ianuarii, ... anno X.

505. Iohannem de Platten, O. F. M., instituit episcopum Bellinen. (Abila in Syro-phoenicia) (2).

1441, ianuarii 30, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni de Platten, electo Bellinen.

Divina disponente clementia *etc.* Sane per Nos quorumdam relatione percepta, quod ecclesia Bellinen. vacat ad praesens ac tanto tempore pastoris fuit solatio destituta, quod de eius vero vacationis modo certa notitia non habetur, Nos cupientes eidem ecclesiae *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in presbyteratus ordine constitutum, cui de religionis zelo *etc.* te illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Volumus autem *etc.* quodque extra tuas civitatem et dioecesim pontificalia nequeas exercere. Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, III kal. februarii, ... anno X.

506. Albertum Cassicium O. F. M. instituit episcopum Accien. (Accia, in insula Corsica). (3).

1441, februarii 6, Florentiae.

Dilecto filio Alberto Cassicio, electo Accien.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Anelo (4) episcopo Accien. *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per obitum dicti Aneli episcopi, qui extra Romanam curiam de-

(1) Reg. Lat. t. 374, f. 164. (2) Reg. Lat. t. 378, f. 147v. (3) Reg. Lat. t. 374 f. 157v. Apud Eubel, *Hier. cath. med. aevi*, II², p. 78 vocatur Albertus de Casinis. (4) *Alias* Agnellus.

bitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, Nos *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, VIII idus februarii, ... anno X.

Simili modo eodem die scribit: *Capitulo ecclesiae Accien.; Clero civitatis et dioec. Accien.; Populo civitatis et dioec. Accien.;* et *Archiepiscopo Ianuen.* (Ad cumulum).

507. Mandat, ut confirment tractatum inter monasterium O. S. Cl. de Reynoso, Palentin. dioec., ex una et capitulum ecclesiae Palentin. ex altera parte, cum quibusdam tamen restrictionibus (1).

1441, martii 1, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Palentin. et dilectis filiis abbati S. Facundi ac priori S. Benedicti per priorem soliti gubernari Legionen. et Palentin. dioec. monasteriorum.

Etsi de singularum ecclesiasticarum personarum *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Clarae Palentin., ordinis eiusdem sanctae, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum olim inter dilectas in Christo filias abbatissam et conventum S. Clarae praedictae de Reynoso, ordinis ipsius sanctae, Palentin. dioec., ex una, ac dilectos filios decanum et capitulum ecclesiae Palentin., inter quos super constructione praedicti monasterii S. Clarae Palentin. ac iure sepeliendi corpora defunctorum apud illas suas sepulturas eligentium ac percipiendi funeralia et oblationes in eo provenientia pro tempore ac diversis aliis articulis ex altera partibus materiam quaestionis et discordiam oriri dubitaretur, intervenientibus bon. mem. Petro archiepiscopo Toletan. ac Guterio Palentin. et Gondisalvo Calagurritan. et Calcietan. episcopis de mandato clarae mem. Henrici, regis Castellae et Legionis, ac Iohannae, eius consortis, in praesentia quondam Alphonsi de Almanza, tunc ministri provincialis provinciae Castellae ordinis fratrum Minorum iuxta illius morem, sub cuius fratrum cura et directione personae, monasteria et alia loca praedicti ordinis S. Clarae consistunt, licentiam, consensum, assensum et auctoritatem ipsis abbatissae et conventui monasterii de Reynoso in hoc praestantis, et Petri Fernandi de Villegas, tunc maioris computatoris ipsius regis, talis compositionis sive concordiae tractatus conclusus fuit: Quod dictum monasterium S. Clarae Palentin. in loco, quo aedificatum apparet, aedificaretur, et quod illius abbatissa exsistens pro tempore et conventus praedictae ecclesiae ratione dicti loci sex solidorum, qui de illo ipsi ecclesiae antea solvi consueverunt, donec illi praedicta contoralis condignam recompensam exhiberet, et de quibuscumquè aliis fundis seu domibus censualibus, quos vel quas ipsum monasterium S. Clarae Palentin. acquirere contingeret, de illis solvi consuetos census post huiusmodi acquisitionem, ac indistincte de omnibus oblationibus, quae in ecclesia dicti monasterii S. Clarae Palentin. pro tempore fierent, medietatem, et quia tota civitas Palentin. cum eius territorio de parochia ipsius ecclesiae Palentin. fore dignoscitur, sicut ad illam de iure communi pertinet, de universis donatis et oblatis abbatissae et conventui monasterii S. Clarae Palentin. huiusmodi communiter et divisim per quascumque personas quomodocumque et qualitercumque ratione sepulturae quartam partem, demptis quoque dumtaxat primitiis et decimis ex viridariis et hortis infra ambitum dicti monasterii S. Clarae Palentin. consistentibus tunc designatis et quibuscumque aliis per easdem abbatissam et conventum monasterii S. Clarae Palentin. emptionis, donationis, legationis, successionis, ingressus monialium aut quovis alio titulo acquirendis possessionibus et haereditatibus, de quibus ipsi episcopus et capitulum, canonici, personae et beneficiati communiter vel divisim percipere consueverant, primitias et decimas solvere tenerentur ac pro solvendis huiusmodi primitiis, decimis, oblationibus et quarta funeralium dumtaxat iurisdictioni praedicti episcopi Palentin. se submitterent et iurarent, prout submiserunt se et iurarunt pro se et successoribus suis inter alia omnia et singula praemissa integre adimplere et firmiter observare et contra illa vel aliquod ipsorum numquam facere, dicere vel venire per se vel alium seu alios publice vel occulte; neque a Sede Apostolica, principe, praelato vel alia ecclesiastica vel saeculari persona privilegia, exemptiones, immunitates et libertates quovis modo impetrare neque in iudicio vel extra uti impetratis sive ordini vel monasterio S. Clarae Palentin. aut ipsius monasterii abbatissae et conventui praedictis communiter vel divisim in genere vel in specie etiam motu proprio concessis pro tempore, etiamsi in illis de concordia vel compositione praedicta plena et expressa

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 88 « e l. 1. de regular. et div. form. a. X, f... ».

mentio fieret; quodque abbatissa praedicti monasterii S. Clarae Palentin., antequam ad illius regiminis et administrationis corporalem possessionem admitteretur, in episcopi Palentin. et capituli praedictorum singulae inibi recipiendae moniales, antequam in illo reciperentur, in ipsius abbatissae manibus iuramentum praestare tenerentur, tractatum quoque huiusmodi et contenta in eo partes praedictae hinc inde ratificarunt, ac bon. mem. Iohannes episcopus Palentin. ordinaria primo, et deinde Petrus, S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis, tunc in partibus illis dictae Sedis legatus, huiusmodi legationis auctoritatibus approbarunt et confirmarunt, prout in litteris patentibus et publicis instrumentis authenticorum sigillorum appensionibus munitis, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius dicitur contineri.

Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, abbatissa et conventus monasterii S. Clarae praedictae pro eo, quod tractatus concordiae et compositionis ac contenta huiusmodi sine licentia, consensu et auctoritate dilecti filii ministri generalis praedicti ordinis Minorum et plura ex ipsis contentis contra formas et tenores privilegiorum, exemptionum, immunitatum et libertatum ipsi ordini S. Clarae a praedicta Sede et alias indulta, laudabilium quoque consuetudinum monasteriorum eiusdem Ordinis S. Clarae in dictis partibus consistentium inconcusse observatarum, in suum et dicti ordinis monasterii praeiudicium gravissimum processerint, illa etiam ex eis, ad quae iuxta tenores et formas privilegiorum, exemptionum, libertatum, immunitatum et consuetudinum praedictorum se adstrictas conspexerunt, infra quadraginta annos proxime praeteritos minime observarint: pro parte ipsarum abbatissae et conventus S. Clarae asserentium, quod de illis omnibus expressis, ad quae iuxta tenores et vires privilegiorum, exemptionum, immunitatum, libertatum et consuetudinum earumdem obligatae fuerint, pro annis praeteritis et etiam inantea episcopo, decano, capitulo et beneficiatis praedictis cum effectu satisfacere dispositae sunt, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum vocatis episcopo, decano, capitulo et beneficiatis praedictis atque aliis, qui fuerint evocandi, super praemissis ... vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi tractatum et contenta praedicta sine consensu, licentia et auctoritate generalis ministri ac plura ex eisdem contentis contra vires et tenores privilegiorum ... praedictorum processisse reppereritis, ... abbatissam et singulas moniales monasterii S. Clarae Palentin. huiusmodi, si et postquam ipsae episcopo, decano, capitulo et beneficiatis praedictis de illis omnibus, in quibus eis iuxta tenores et vires ipsorum privilegiorum ... obnoxiae fuerint, pro annis praeteritis congruam satisfactionem fecerint vel secum illis desuper amicabiliter concordaverint aut, quod eis de illis dumtaxat infra certum peremptorium competentem ad hoc per vos assignandum terminum cum effectu satisfecisse debeant, idoneam cautionem praestiterint, a reatu periurii, si forsan de aliquo propter praemissa aliquatenus notari possint, dicta auctoritate Nostra absolvatis; tractatum quoque et contenta praedicta ac omnia inde secuta in ea dumtaxat parte, in qua privilegiis, exemptionibus, immunitatibus et libertatibus eiusdem ordinis S. Clarae quovis modo obviant ac cum consuetudinibus huiusmodi non concordant, nulla et invalida ac viribus penitus vacua fuisse et esse eadem auctoritate Nostra declaretis; necnon abbatissam et moniales eiusdem monasterii S. Clarae exsistentes pro tempore ad observantiam illorum in ea dumtaxat parte, in qua dictis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus et consuetudinibus sunt conformia et ab illis aliquatenus non discrepant, fuisse et esse obligatas praedicta auctoritate Nostra decernatis pariter et nuntietis, non permittentes eas praemissorum occasione contra praesentium tenorem ab episcopo, decano, capitulo et beneficiatis omnibus praedictis aut quocumque alio impeti seu quomodolibet molestari, impetitores et molestatores ipsos ac contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, kalendis martii, ... anno X (1).

508. Petro episcopo Albanen. (O. F. M.) ad cautelam concedit dispensationem ab irregularitate propter suppressionem cuiusdam laici de Sabaudia, domini de Marchiis nuncupati, et nonnullorum latronum ac praedonum, mercatores aliosque viros tam de die quam de nocte furtim capientium, spoliantium, incarcerantium, quosdam etiam interficientium, in quodam castro in confinibus comitatus Venaysini, ab eodem episcopo, tunc in civitate et comitatu Venaysino vicario in temporalibus generali, praeceptam, in qua praedictus laicus et quinque praedones seu la-

(1) Iuxta Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 72 « ex arch. secr. l. 5 bull. f. 3 » hoc loco (sub die 9 martii 1441) collocanda esset bulla, quam supra n. 467, p. 223 posuimus.

trones interfecti et dictum castrum igne consumptum remanserunt (1).

1441, martii 11, Florentiae.

Quanto Romanam ecclesiam, cuius honorabile membrum exsistis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, V idus martii, ... anno XI.

509. Episcopo Andrien. mandat, ut Iohannem de Ciana, O. F. M., ad monasterium S. Samuelis de Barleto O. Praem. (O. S. Ben.?) transgressum, absolvat a censuris et irregularitate eumque monasterio SS. Viti et Modesti Polignanen, O. S. Ben., praeficiat in abbatem reservata tamen magistro Marino de Ursinis, notario apostolico, annua pensione 50 florenorum (2).

1441, martii 11, Florentiae.

Apostolicae Sedis circumspectantia *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, V idus martii, ... anno XI.

510. Episcopo Perusin. mandat, ut Melchiorem Angeli de Perusio, O. F. M., presbyterum, ad monasterium S. Iohannis de Marzano, O. S. Ben., Civitatis Castelli dioec., transgressum, qui licentia abbatis certum beneficium ecclesiasticum obtinuerat, absolvat a censuris et irregularitatibus eique concedat facultatem in dicto monasterio perpetuo remanendi, in susceptis ordinibus ministrandi et beneficium praefatum retinendi (3).

1441, martii 29, Florentiae.

Solet Sedis Apostolicae copiosa benignitas *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, IV kal. aprilis, ... anno XI.

511. 1. Abbatissae et sororibus domus beatae Mariae Annuntiatae Papien. O. S. Cl. sub cura et gubernatione fratrum Minorum degentibus concedit plenariam remissionem in articulo mortis (4). 2. Idem concedit abbatissae et sororibus domus S. Agathae Papien. O. S. Cl. sub cura etc. (5).

1441, martii 29, Florentiae.

Provenit *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, IV kal. aprilis, ... anno XI.

512. Mandat, ut monasterio S. Clarae Cistaricen. (Sisteron in Provincia) O. S. Damiani uniat prioratum SS. Desiderii et Marcellini de Valerna, O. S. Ben., Vapnicen. dioec., reservata moderno priori post eius resignationem annua pensione (6).

1441, aprilis 11, Florentiae.

Dilecto filio decano ecclesiae Vapnicen.

Pia consideratione Romanum decet pontificem *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Iohannae de Morleone priorissae ac conventus monasterii S. Clarae Cistaricen., ordinis S. Damiani, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod fructus, redditus et proventus dicti monasterii, in quo priorissa et quindecim moniales Altissimo inibi sub regulari observantia sua vota exsolvunt, guerrarum turbinibus, mortalitatibus et aliis calamitatibus, quae partes illas dire afflixerunt, causantibus adeo diminuti exsistunt, quod ex illis priorissa et moniales praefatae congrue sustentari ac incumbentia eis onera commode nequeant supportare, sed plerumque pro sustentatione ac supportatione huiusmodi eleemosynaria suffragia non sine gravi ipsarum dispendio expetere necessitantur, unde a contemplationis suavitate multipliciter retrahuntur. Et, sicut eadem petitio subiungebat, si S. Desiderii ac S. Marcellini de Valerna prioratus ordinis S. Benedicti, Vapnicen. dioec., qui a monasterio S. Guillelmi de Deserto ordinis et dioec. praedictorum dependent ac propter vetustatem et solitudinem rurales effecti ac in eorum aedificiis adeo collapsi sunt, ut cultu divino christifideliumque frequentatione omnino carere noscantur, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem monasterio S. Clarae in perpetuum unirentur, annecterentur et incorporarentur, priorissae et monialibus praedictis non modicum succederet relevamen. Et cum, sicut accepimus, dilectus filius modernus ipsorum prioratuum, qui per unum priorem gubernari consueverunt, prior illos, ut eidem monasterio S. Clarae uniantur, sponte resignare proponat, pro parte priorissae, quae, ut asserit, de nobili genere procreata exsistit, ac conventus praedictorum, asserentium, quod monasterii S. Clarae quadraginta et prioratuum praedictorum viginti librarum Turonen. parvorum fructus, redditus et proventus secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, de praemissis certam notitiam non habentes, votis ipsius moderni prioris in hac parte favorabiliter annuentes et tam dicti monasterii S. Clarae necessitatibus quam etiam praefato moderno priori, ne propter resignationem huiusmodi nimium dispendium patiatur, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, huiusmodi quoque supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et, si ... dilectorum filiorum abbatis et conventus dicti monasterii S. Guillelmi ad id accedat assensus, ac priorissa et

(1) Reg. Lat. t. 379, f. 300. Cf. supra n. 495, p. 240.
(2) Reg. Lat. t. 386, f. 4. Cf. supra n. 465, p. 222.
(3) Reg. Lat. t. 385, f. 179 v.
(4) Reg. Lat. t. 386, f. 313 v. (5) Ibid. f. 316.
(6) Reg. Lat. t. 385, f. 186 v. De monasterio Sistaricen. cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 629, p. 233; n. 813, p. 282.

ipsius monasterii S. Clarae moniales substantialia regulae dicti ordinis S. Damiani servent, super quo tuam conscientiam oneramus, prioratus praedictos, qui curati aut conventuales vel dignitates seu personatus non sunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis eidem monasterio S. Damiani auctoritate Nostra in perpetuum unias, incorpores et annectas necnon ab eodem moderno priore vel procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto resignationem huiusmodi, si illam in tuis manibus facere voluerit, ut praefertur, auctoritate praefata hac vice dumtaxat recipias et admittas, ita quod post resignationem et admissionem huiusmodi vel alias cedente vel decedente dicto priore seu illos alias quomodolibet dimittente liceat priorissae pro tempore exsistenti et conventui praefatis per se vel alium seu alios corporalem prioratuum iuriumque et pertinentiarum praedictorum possessionem auctoritate propria apprehendere, libere et perpetuo retinere ac eorum fructus, redditus et proventus huiusmodi in monasterii S. Clarae ac prioratuum praedictorum usus convertere et perpetuo retinere, dioecesani loci ac cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Et insuper ... dicto moderno priori super fructibus, redditibus et proventibus monasterii S. Clarae huiusmodi pensionem annuam, de qua tibi rationabiliter videbitur, ei, quoad vixerit, vel procuratori suo ad hoc ab ipso speciale mandatum habenti annis singulis per priorissam et conventum praedictas sub censuris et poenis ac in terminis et locis ad id per te de ipsorum consensu statuendis efficaciter persolvendam, reservare, constituere et assignare eadem auctoritate procures, faciens eidem moderno priori de dicta pensione ... integre responderi, contradictores *etc.* non obstantibus *etc.* Aut si aliqui super provisionibus *etc.* Attente quoque provideas *etc.* Volumus autem, quod, si annexionem, unionem et incorporationem praedictas per te fieri contigerit, priorissa et conventus praedictae singula ratione dictorum prioratuum incumbentia onera supportare debeant et etiam teneantur. Et insuper ex nunc irritum decernimus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, III idus aprilis, ... anno XI.

513. Petrum de Migolla O. F. M. instituit suum et Romanae ecclesiae poenitentiarium minorem [1].

1441, aprilis 13, Florentiae.

Dilecto filio Petro de Migolla, ordinis fratrum Minorum professori, Nostro et Romanae ecclesiae minori poenitentiario.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos de persona tua, quam ad hoc dilectus filius Noster Nicolaus, tit. S. Crucis in Ierusalem presbyter cardinalis et maior poenitentiarius, cui tuam examinationem commiseramus, idoneum et habilem repperit, praemissorum intuitu te in Nostrum et Romanae ecclesiae minorem poenitentiarium cum omnibus et singulis honoribus ac omnibus consuetis auctoritate apostolica constituimus et etiam deputamus ac dilectorum filiorum aliorum Nostrorum et eiusdem ecclesiae minorum poenitentiariorum collegio favorabiliter aggregamus, tibi tenore praesentium committentes, ut huiusmodi poenitentiariae officium, sicut alii Nostri minores poenitentiarii illud gerere et exercere consueverunt, fideliter et diligenter exsequaris cum omnibus emolumentis, libertatibus, gratiis, praerogativis, exemptionibus et indultis dictis poenitentiariis Nostris concessis. Volumus autem, quod tu priusquam officium ipsum incipias exercere, in manibus dicti cardinalis de huiusmodi fideliter exercendo officio praestes corporaliter iuramentum iuxta formam praesentibus annotatam, quae talis est:

Ego Petrus de Migolla, ordinis fratrum Minorum professor, domini Nostri Eugenii papae IV et Romanae ecclesiae minor poenitentiarius, ab hac hora *etc. (ut supra n. 114, p. 61).*

Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, idibus aprilis, ... anno XI.

514. Eumdem instituit poenitentiarium in basilica principis apostolorum de Urbe et Romana curia atque capellanum suum [2].

1441, aprilis 13, Florentiae.

Dilecto filio fratri Petro de Migolla, Oveten. dioec., ordinis fratrum Minorum, in basilica principis apostolorum de Urbe ac Romana curia poenitentiario et capellano Nostro.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos de persona tua, quam ad hoc idoneam et sufficientem per diligentem examinationem, factam in praesentia dilecti filii Nostri Nicolai, tit. S. Crucis in Ierusalem presbyteri cardinalis, maioris poenitentiarii, adstantibus ibidem nonnullis poenitentiariis ac in theologia magistris, esse cognovimus, praemissorum obtentu plenam in Domino fiduciam obtinentes, te in basilica principis apostolorum de Urbe ac Romana curia poenitentiarium et capellanum Nostrum cum omnibus

[1] Reg. Lat. t. 384, f. 241 v.

[2] Reg. Lat. t. 385, f. 256 v.

et singulis honoribus et oneribus consuetis auctoritate apostolica constituimus *etc.* Volumus autem, quod tu, priusquam *etc. (ut n. praecedente).*

Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, idibus aprilis, ... anno XI.

515. Mandat, ut monialibus monasterii S. Leonis prope muros Burgi, O. S. Cl., dioec. Civitatis Castelli, pro erectione novi monasterii infra muros concedat facultatem vendendi certas domos relictas e testamento Iohannis Gutiarelli (1).

1441, maii 2, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Civitatis Castelli.

Ad ea, per quae personarum *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Leonis prope et extra muros Burgi, ordinis S. Clarae, Civitatis Castelli dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum quondam Iohannes Gutiarelli de dicta terra, condens in eius ultima voluntate testamentum, inter cetera quasdam domos ad eum tunc legitime spectantes ac infra dictam terram consistentes monasterio beatae Mariae della Strata extra muros praedictos legavit atque reliquit, hac tamen conditione adiecta, quod illae nullo umquam tempore vendi aut ad modicum seu magnum tempus locari valerent, sed quod eas abbatissa et moniales pro tempore exsistentes dicti monasterii beatae Mariae, quoties ad terram ipsam confugere eas contingeret, habitare deberent ac in ipsarum absentia per earum familiares seu aliquas ecclesiasticas vel pauperes personas gratis et absque pretio habitari facerent, quodque, si conditionem huiusmodi minime servari contingeret, tunc et in eo casu quoad hoc eidem monasterio beatae Mariae dictum monasterium S. Leonis ac monasterium S. Francisci terrae et ordinis praedictorum, praefato monasterio S. Leonis necnon dicto monasterio S. Francisci sub certis modo et forma tunc expressis monasterium S. Bartholomaei de Monte-Oliveto prope muros Florentin., praefati ordinis, successive substituit, prout in quodam publico instrumento desuper confecto plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefatae exponentes, quae praemissorum vigore ac etiam ex donatione et renuntiatione dictarum domorum in earum favorem per dilectas in Christo filias abbatissam et moniales dicti monasterii beatae Mariae olim factas domos huiusmodi praesentialiter tenent, habitant atque possident, provide considerent, quod earum monasterium praedictum propter guerras et alios diversos sinistros eventus partes illas olim affligentes dirutum et solo quasi adaequatum exsistit, et quod in domibus praedictis pro eo, quod ad id aptae et accommodae non exsistunt, commode permanere nequeant ac propterea ad laudem et gloriam Altissimi religionisque propagationem et divini cultus augmentum necnon pro earum securiori statu et conservatione et, ne in suarum animarum periculum ac religionis vilipendium propter carentiam habilis loci vagare cogantur, unum monasterium infra muros terrae huiusmodi construi, erigi et aedificari facere desiderent, sed ad id suae ac earum monasterii huiusmodi non suppetant facultates, pro parte dictarum exponentium Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis, quod huiusmodi conditione non obstante domos praedictas vendere ac illarum pretium in constructionem erigendi monasterii huiusmodi dumtaxat convertere, et quod in eo perpetuo permanere libere et licite valeant, licentiam concedere et alias super hoc ipsarum ac suorum successorum statui opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ea vera esse reppereris, ... abbatissae et conventui monasterii S. Leonis huiusmodi superiorum aliorum monasteriorum eorumdem et aliorum quorumlibet super hoc licentia minime requisita praedictas domos, quas per earum qualitates, quantitates atque loca praesentibus haberi volumus pro expressis, quibusvis personis etiam laicis pro congrua pecuniarum summa ad usum praedictum dumtaxat convertenda simul vel successive libere vendendi et liberae venditionis titulo concedendi necnon etiam unum monasterium sub vocabulo dicti S. Leonis in terra praedicta inibi in loco utique ad id apto et accommodo et honesto erigi, construi et aedificari faciendi et ad illud de praefato earum monasterio se transferendi necnon in eo perpetuo permanendi facultatem atque licentiam plenam et liberam auctoritate praedicta concedas, non obstantibus *etc.* ceterisque contrariis quibuscumque. Nos enim, si vigore praesentium concessionem ac erectionem huiusmodi fieri contigerit, abbatissae et monialibus in dicto erigendo monasterio pro tempore degentibus earumque servientibus et personis, quod ipsae ac praefatum erigendum monasterium omnibus

(1) Reg. Lat. t. 384, f. 213v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 89.

et singulis privilegiis ... uti valeant pariter et gaudere, auctoritate praedicta tenore praesentium indulgemus ac volumus, quod pretium, quod ex venditione huiusmodi proveniet, penes aliquem fide et facultatibus idoneum mercatorem deponatur ac iuxta ordinationem exponentium praedictarum in fabricam et constructionem erigendi monasterii huiusmodi et non alias realiter convertatur, quodque propter translationem et alia praemissa dictum monasterium S. Leonis velut haereditas ad profanos usus minime deducatur, sed tamquam locus sacer et ecclesiasticus debite conservetur.

Datum Florentiae, anno ... 1441, VI nonas maii, ... anno XI.

516. Concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1441, maii 10, Florentiae.

Dilecto filio Petro Le Net, alias Renys, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui presbyter et, ut asseris, ordinem fratrum Minorum expresse professus exsistis, et pro quo dilecti filii nobiles viri Iohannes, dux Britanniae, dilectum ipsius, ac Franciscus de Britannia, comes Montisfortis, confessorem suum te fore asserentes, Nobis super hoc humiliter supplicarunt *etc.* tibi, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura per saeculares vel cuiuscumque ordinis regulares clericos gubernari consuetum, etiamsi prioratus, dignitas, eleemosynaria vel leprosaria fuerit ..., alias canonice tibi commendari possit, tuque illud in huiusmodi commendam recipere et quoad vixeris, tenere *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, VI idus maii, ... anno XI.

517. Abbati monasterii S. Paterniani extra muros Fanen. mandat, ut Iacobum Honofrii, perpetuum capellanum ad altare S. Angeli, situm in maiori ecclesia Fanen., inducat in possessionem parochialis ecclesiae S. Iohannis in Fedrigo Fanen., per triennium vel circa a Marino de Eugubio, olim fratrum Minorum, tunc vero S. Benedicti ordinum professore, indebite occupatae (2).

1441, maii 27, Florentiae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, VI kal. iunii, ... anno XI.

518. Nannae de Riccardis abbatissae, Thaddaeae de Riccardis vicariae, Paulae Thomasi, Catharinae Andreae, Agathae Laudi, Baldassinae Seriohannis, Nannae Benedicti, Nannae Iuliani, Agneti magistri Iohannis, Andreae Symonis, Cechae Prioris, Angelae Pauli, Laurentiae de Piscia, Lisae Buti, Diamanti Nicolai, Catharinae de Pisis, Mantae Iohannis, Margaritae Petri, Catharinae Baudini, Catharinae Honofrii, Nicolosae Andreae, Bartholomaeae Seriohannis, Lappae Bartholomaei, Margaritae Iuliani, Antoniae Thomae, Pacae Iohannis et Pasquinae, sororibus III O. S. Fr., in civitate Pistorien. concedit plenariam remissionem in articulo mortis (3).

1441, maii 27, Florentiae.

Provenit *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, VI kal. iunii, ... anno XI.

519. Mandat, ut Felicem de Verona, abbatissam monasterii de la Cella, Tervisin. dioec., faciant abbatissam monasterii S. Nicolai de Muriano, Torcellan. dioec., olim O. S. B., tunc O. S. Cl. (4).

1441, maii 31, Florentiae.

Dilecto filio magistro Fantino Dandalo, notario Nostro, et venerabili fratri Thomae, episcopo Feltren.

Ex pastoralis officii debito, *etc.* Cum itaque accepissemus alias, quod moniales monasterii S. Nicolai de Muriano, tunc ordinis S. Benedicti, Torcellan. dioec., propriae salutis immemores, freno regulae et professionis abiecto vitam earum professioni minime congruentem ducerent in animarum suarum periculum, dispendium monasterii, ordinis vilipendium et exemplum damnabile plurimorum: Nos deformitati huiusmodi ex ipsius pastoralis officii debito cupientes opportune providere, discretioni vestrae per alias Nostras certi tenoris litteras commisimus et mandavimus, quatenus ad ipsum monasterium personaliter accedentes, ipsum super praemissis et aliis, de quibus vobis expedire videretur, visitaretis tam in capite quam in membris ac de huiusmodi inquireretis diligentius veritatem et, si praemissa reppereritis veritate fulciri, moniales praefatas extra dictum monasterium ponendo et in aliis monasteriis collocando puniretis et corrigeretis, prout vobis secundum Deum et animarum suarum salutem videretur expedire, et alia nonnulla, prout in dictis litteris plenius continetur. Demum, cum essemus advisati vos mandata Nostra diligenter exsecutioni mandasse et inter alia ordinem S. Benedicti iuxta mandatum

(1) Reg. Lat. t. 385, f. 39 v.
(2) Reg. Lat. t. 383, f. 131 v.
(3) Reg. Lat. t. 386, f. 300.
(4) Reg. Lat. t. 384, f. 303; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 90.

Nostrum in dicto monasterio suppressisse et in ipso ordinem S. Clarae ac moniales eiusdem ordinis instituisse, ac dudum ad Nostram notitiam devenerit, quod dilecta in Christo filia Felix de Verona, abbatissa monasterii monialium de la Cella, Tervisin. dioec., quae in ipsa religione conversationis studio virtutum Domino sibi gratiam largiente monasterium ipsum de la Cella, olim multis defectibus et detrimentis tam in spiritualibus quam in temporalibus obnoxium, in rectam religionis et regularis observantiae normam reduxerit, et hoc praecipue imitatione et exemplo constitutionum et ordinationum, quae in monasterio Corporis Christi Mantuano servari dicuntur; eapropter reformationem dicti monasterii S. Nicolai totis affectibus fieri cupientes, cum Nos plenam non habeamus notitiam de praedictis, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos de praedictis omnibus et singulis diligenter informari curetis et, si per informationem huiusmodi inveniretis, quod praefata Felix ad reformationem et reductionem ipsius monasterii S. Nicolai de Muriano ad frugem piae et religiosae vitae idonea sit, ipsam a vinculo, quo ipsi monasterio de la Cella tenetur, absolventes, praefato monasterio de Muriano in abbatissam praeficientes, ipsi Felici circa reformationem ipsius monasterii de Muriano, ut ipsum secundum constitutiones et ordinationes dicti monasterii Corporis Christi Mantuan. hoc salvo, quod bona immobilia dicti monasterii nullatenus alienentur, sed integre conserventur et alia libere acquiri possint, dicta ordinatione non obstante reformare possit, plenam largiendo auctoritate Nostra facultatem et potestatem, constitutionibus ... non obstantibus quibuscumque.

Datum Florentiae, anno ... 1441, pridie kal. iunii, ... anno XI.

520. Iacobum de Montebrandono (de Marchia) O. F. M. instituit inquisitorem contra fraticellos in Marchia Anconitana [1].

1441, iunii 10, Florentiae.

Dilecto filio Iacobo de Montebrandono, provinciae Marchiae Anconit., ordinis Minorum professori.

Illius summi pastoris, qui de summo coelo ad ima mundi huius descendere dignatus est, ut humanum genus per crucis patibulum ab aeterna morte liberaret, vicem licet immeriti gerentes in terris, ad id cordis Nostri affectum desideranter extendimus, ut oves Nobis creditae per veritatis callem secure incedant amotisque quibuscumque erroribus tandem ad portum salutiferum vitae aeternae perductae beatorum coetibus adscribantur. Sane ad Nostrum non sine maxima cordis Nostri displicentia pervenit auditum in provincia Nostra Marchiae Anconitan. ac ei circumvicinis terris et locis sectam quorumdam pravorum hominum, qui fraticelli seu de opinione vulgariter nuncupantur, et quam haereticae pravitatis a Romana ecclesia damnatam esse constat, pullulare atque in dies crescere eiusque venenum pestiferum adeo serpere, ut, nisi de opportuno et celeri provideatur remedio, timendum sit, ne pestis huiusmodi instigante humani generis inimico diffundatur latius ac magnum gregi dominico morbida contagio huiusmodi afferat detrimentum. Nos igitur, ipsum dominicum gregem ab huiusmodi pestifera contagione intactum praeservare cupientes, devotioni tuae, de cuius zelo et affectu erga fidem orthodoxam et ipsam Romanam ecclesiam et Apostolicam Sedem specialem in Domino fiduciam gerimus, de huiusmodi personis utriusque sexus, etiam cuiuscumque status, gradus vel conditionis exsistant, in praefatis provincia, terris et locis, quae huiusmodi haeresis labe infectae dicantur, inquirendi et contra eas et earum quamlibet procedendi etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, ac ipsas incarcerandi et, prout earum excessuum qualitas exegerit, poenis quoque debitis et per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc auxilio brachii saecularis puniendi necnon alia et singula, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint seu etiam opportuna, faciendi et exsequendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium damus et concedimus facultatem, privilegiis seu exemptionibus sub quacumque verborum forma cuicumque talium personarum concessis, etiamsi talia forent, ut de ipsis plena et expressa ac de verbo ad verbum mentio specialis in praesentibus habenda foret, necnon quacumque alia commissione generali vel speciali cuicumque alteri inquisitori haereticae pravitatis facta ac aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Florentiae, anno ... 1441, IV idus iunii, ... anno XI.

---

[1] Reg. Vat. t. 375, f. 251; Wadd. *Ann.* ad a. 1441, n. 8.

521. Mandat, ut Iohanni et Petro de Spinosa et Petro de Medina, fratribus O. F. M., confirmet collationem eremitorii B. Mariae de Montes-Claros, Burgen. dioec., a Iohanne rege Castellae et Legionis factam (1).

1441, iunii 17, Florentiae.

Dilecto filio archidiacono de Valpuesta in ecclesia Burgen.

Votis fidelium quorumlibet *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Iohannis et Petri de Spinosa et Petri de Medina, fratrum ordinis Minorum de observantia, petitio continebat, quod olim charissimus in Christo filius Noster Iohannes, rex Castellae et Legionis illustris pro tempore, considerans, quod in eremitorio beatae Mariae de Montes-Claros, Burgen. dioec., propter illius destructionem et desolationem nullus morabatur vel morari curaret, praefatum eremitorium, cuius dispositio ad regem Castellae et Legionis pro tempore exsistentem de antiqua et approbata ac hactenus pacifice observata consuetudine pertinere dignoscitur, dictis Iohanni et Petro de Spinosa ac Petro de Medina pro eorum usu et habitatione contulit et assignavit, spem fiduciamque gerens, quod eremitorium huiusmodi per medium eorumdem Iohannis et Petri de Spinosa et Petri de Medina reparari restaurarique deberet. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praedicti Iohannes et Petrus de Spinosa et Petrus de Medina, possessionem ipsius eremitorii obtentu collationis et assignationis huiusmodi apprehendentes, illud ex tunc tenuerint et possederint, prout ex facultatibus eis correspondentibus ac piis fidelium obventionibus et suffragiis competenter reparatum tenent et possident de praesenti, pro parte regis necnon Iohannis et Petri de Spinosa et Petri de Medina praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, collationem et assignationem praefatas ac quaecumque inde secuta dicta auctoritate approbes et confirmes, supplens omnes defectus *etc.* et nihilominus pro potioris cautelae suffragio praefatum eremitorium cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eisdem Iohanni, Petro de Spinosa et Petro de Medina per eos, quoad vixerint, pro praemissis usu et habitatione tenendum et possidendum praefata auctoritate concedas. Volumus autem, quod Iohannes et Petrus de Spinosa ac Petrus de Medina praefati, si et postquam approbationem et confirmationem necnon concessionem huiusmodi feceris, sub obedientia generalis dicti ordinis perpetuo sint ac teneantur permanere. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XV kal. iulii, ... anno XI.

522. Concedit licentiam ingrediendi clausuram monasterii B. Mariae de Basico, O. S. Cl., Messanen. dioec. (2).

1441, iunii 19, Florentiae.

Dilectae in Christo filiae Victoriae Andreae de Crispino, mulieri Messanen.

Devotionis tuae sinceritas *etc.* Hinc est, quod Nos, tuis supplicationibus inclinati, ut illarum, quae monasterio beatae Mariae de Basico Messanen., ordinis S. Clarae, praefuerint, accedente consensu praefatum monasterium, ad quod singularem geris affectionem, quibuscumque monasterii et ordinis praedictorum statutis ... contrariis nequaquam obstantibus, quater in anno dumtaxat ingredi necnon, cum te aegrotare graviter contigerit, quod tunc intra septa dicti monasterii te portari facere et inibi Domino debitum naturae persolvere valeas, tenore tibi praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XIII kal. iulii, ... anno XI.

523. Concedit. facultatem fundandi domum in regno Castellae pro fratribus O. F. M. ad insulas Canarias transeuntibus vel inde redeuntibus recipiendis (3).

1441, iunii 27, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni de Logrogno, vicario vicariae Canariae fratrum ordinis Minorum.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Hinc est, quod Nos, charissimi in Christo filii Iohannis, regis Castellae illustris, supplicationibus inclinati, ut in confinibus regni Castellae versus insulas Canariae unam domum pro recipiendo ibidem fratres tui ordinis ad dictas insulas semper transeuntes et ex eis redeuntes necnon ad aliqua reponenda ad ipsas insulas pro eorum et aliorum necessitatibus deferenda, si tibi pia largitione fidelium conferatur vel alias iustis ex causis eam poteris adipisci, recipere et retinere et cum ipsa oratorium cum campana parva et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione tua et fratrum dicti ordinis, ut praemittitur, ad praefatas insulas transeuntium et de eis redeun-

(1) Reg. Lat. t. 384. f. 178 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 91.

(2) Reg. Lat. t. 384, f. 29; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 92. De monasterio Messanen. cf. *Bull. Franc.* t. VII. n. 216, 217, p. 73; n. 530, p. 198; n. 1250, p. 448; n. 1422, p. 524; et supra n. 284, p. 131.

(3) Reg. Lat. t. 370, f. 308 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 93.

tium servata debita distantia construere et aedificare possis, in quo etiam missas celebrare et celebrari facere valeas tu et successores tui, qui pro tempore fuerint, ordinariis loci *etc.* iuribus tamen *etc.* devotioni tuae plenam et liberam auctoritate apostolica damus et concedimus tenore praesentium licentiam et facultatem. Et nihilominus tibi et universis fratribus in eadem domo pro tempore commoraturis, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.*, constitutione fel. Bonifatii ... ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, V kal. iulii, ... anno XI.

524. Mandat reformationem domorum O. F. M. in civitatibus Salamantin. et Palentin. et in oppidis de Molina et Soria, Oxomen. et Seguntin. dioec. (1).

1441, iunii 28, Florentiae.

Dilecto filio fratri Sancio de Canales, domorum fratrum ordinis S. Francisci de observantia in regnis Castellae et Legionis consistentium custodi.

Apostolicae servitutis Nobis desuper iniunctum officium *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte charissimae in Christo filiae Mariae, Castellae et Legionis reginae, petitio continebat, quod, licet olim in Salamantin. et Placentin. civitatibus necnon de Molina et de Soria oppidis, Oxomen. et Seguntin. dioec., ac locis aliis reginae in Castellae et Legionis regnis consistentibus nonnulla domus et loca ob laudem et honorem Dei et beati Francisci dedicata exstiterint et de praesenti exsistant, quodque in illis religiosorum virorum copia sub regulari dicti S. Francisci degentium tunc et in divinis Altissimo famulantium observantia non sine christifidelium devotione maxima crevisset, tamen modernis temporibus nonnulli ex religiosis praedictis, iugum dominicum suavissimum respuentes respicientesque retro, regularem observantiam in domibus et locis praedictis hactenus laudabiliter iuxta dicti ordinis instituta observatam abiicere et dietim infringere nituntur, quorum praetextu, laxatis per eos honoris et pudicitiae habenis domus et loca praedicta gravia sustinent detrimenta et diminuitur in eis cultus divinus. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ad praedicta domos et loca, quoties opportunum fuerit, personaliter te transferas et, habens prae oculis solum Deum, domos et loca huiusmodi ac personas praedictas, quae nunc sunt et pro tempore erunt, auctoritate Nostra tam in capite quam in membris visites illasque et illa ad regularem et debitam observantiam iuxta regularia ipsius ordinis instituta reducas *etc.*, contradictores *etc.* Nos domos, loca et personas praedictas tam in capite, quam in membris, ut praefertur, visitandi ... concedimus facultatem. Non obstantibus constitutionibus *etc.* Aut si domibus et ordini *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, IV kal. iulii, ... anno XI.

525. Margaretae Iohannis Baldi, moniali monasterii S. Luciae extra muros Reatin., O. S. Cl. professae, quae diutius in dicto monasterio conversata, postea volens sibi meliora prospicere ac cupiens de dicto ordine ad congregationem sororum III O. S. Fr. transire, ad domum paternam transiverat ibique ex tunc permanserat, concedit absolutionem ab apostasiae nota et aliis censuris et poenis ad cautelam et dat licentiam transeundi ad congregationem sororum sub regula et observantia tertii ordinis huiusmodi in civitate Reatin. sub obligatione tamen observandi tria substantialia regulae (2).

1441, iulii 1, Florentiae.

Sacrae religionis, sub qua devotum et sedulum *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, kalendis iulii, ... anno XI.

526. Nicolaum de Campello, O. F. M. instituit episcopum Maurianen. (Saint-Jean de Maurienne in Gallia) (3).

1441, iulii 3, Florentiae.

Dilecto filio Nicolao de Campello, electo Maurianen.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem bonae mem. Ogero episcopo Maurianen. regimini ecclesiae Maurianen. praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero ecclesia ipsa per obitum ipsius Ogeri, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum *etc.* Nos ad provisionem *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum ac theologiae professorem, in sacerdotio ac aetate legitima constitutum, cui de religionis zelo *etc.* te illi praeficimus in episcopum et pastorem, eius curam et administrationem *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, V nonas iulii, ... anno XI.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Maurianen.; Clero civitatis et dioec. Maurianen.; Populo civitatis et dioec. Maurianen.; Universis vasallis ecclesiae Maurianen.;* et *Archiepiscopo Viennen.* (Ad cumulum).

(1) Reg. Vat. t. 365, f. 308 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 94.

(2) Reg. Lat. t. 384, f. 30.

(3) Arch. Vat. Reg. Lat. t. 386, f. 35 v.

527. Thomae episcopo Feltren. et Bellunen. mandat, ut Iacobo Betini de Pugnellis de Cremona, O. F. M., qui sine licentia de dicto ordine transierat ad monasterium S. Michaelis de Medicina de Gancenigo, O. S. Ben., Bononien. dioec., a Paulo eiusdem abbate receptus, et professione emissa per quatuordecim annos in dicto ordine permanserat, in senili aetate constituto, concedat absolutionem a censuris et irregularitate atque licentiam transeundi ad aliquod monasterium O. S. Ben. ibique professionem emittendi et commorandi cum inhabilitate tamen ad beneficia obtinenda (1).

1441, iulii 11, Florentiae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, V idus iulii, ... anno XI.

528. Petro de Pace, O. F. M., qui vigore concessionis Bonifatii IX et Gregorii XII ad ordinem S. Benedicti transierat et ecclesiam parochialem S. Blasii de Ripalta, Fanen. dioec., obtinuerat, dat absolutionem a censuris et irregularitatibus, quas incurrerat non observando decretum Martini V et concedit facultatem dictam ecclesiam retinendi (2).

1441, iulii 26, Florentiae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, VII kal. augusti, ... anno XI.

529. Iohannem Kegill, O. F. M. instituit episcopum Philopolen. (Philippopolis in Syria vel Arabia mai.) (3).

1441, iulii 28, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni Kegill, electo Philopolen.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Iacobo episcopo Philopolen. regimini Philopolen. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius Iacobi episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, vitae ac morum honestate decorum *etc.* direximus oculos Nostrae mentis, quibus *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Iugum igitur Domini *etc.* Volumus autem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, V kal. augusti, ... anno XI.

530. Petrum Le Net, alias Renys, O. F. M., instituit capellanum suum (4).

1441, augusti 21, Florentiae.

Dilecto filio Petro Le Net, alias Renys, ordinis fratrum Minorum professori, capellano Nostro.

Virtutibus clarens *etc.* Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit Nostrae mentis affectus, te in Nostrorum et dictae Sedis capellanorum consortio favorabiliter agregamus, volentes et tibi, qui, ut asseris, dilecti filii nobilis viri Francisci, comitis Montisfortis, dilecti filii nobilis viri Iohannis ducis Britanniae nati, confessor ac ordinis fratrum Minorum professor exsistis, auctoritate apostolica concedentes, quod omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, libertatibus et immunitatibus, quibus Nostri et eiusdem Sedis capellani gaudent et utuntur ac gaudere et uti consueverunt, constitutionibus, revocationibus et ordinationibus apostolicis per Nos seu per praedecessores Nostros Romanos pontifices in contrarium forsan factis ac statutis et consuetudinibus dicti ordinis nequaquam obstantibus uti valeas et gaudere, intendentes, quod per hoc apostolici favoris praesidia plenius sortiaris. Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, quod merito ad faciendam tibi ampliorem gratiam invitemur. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XII kal. septembris, ... anno XI.

531. Georgium de Bosna O. F. M. instituit capellanum suum (5).

1441, septembris 2, Florentiae.

Dilecto filio Georgio de Bosna, ordinis fratrum Minorum professori, capellano Nostro.

Virtutibus clarens et meritis *etc.* Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit Nostrae mentis affectus, te in Nostrum et dictae Sedis capellanum gratiose recipimus ac aliorum No-

---

(1) Reg. Lat. t. 384, f. 187 v. Cfr. supra n. 235, p. 111.

(2) Reg. Lat. t. 385, f. 148 v.

(3) Reg. Lat. t. 386, f. 49 v. Eidem litteris *Cum Nos pridem* d. d. 6 aug. 1441 concedit facultatem recipiendi munus consecrationis a quocumque maluerit catholico antistite et eadem die litteris *Sincerae devotionis affectus* facultatem exercendi pontificalia in civitate et dioec. Eboracen. Reg. Lat. t. 382, f. 232 v. Apud Eubel, *Hier. cath.* II², 213, praedecessor nominatur Richardus Legati O. F. M.

(4) Reg. Vat. t. 365, f. 370. Cf. supra n. 516, p. 250. Eadem die litteris *Dum ad illam fidei constantiam* episcopo Briocen. scribit, ut Iohanni, duci Britanniae concedat facultatem nominandi ad beneficia ecclesiastica Petrum Iovelli, O. Carm., et Ivonem Roxcan, magistros in theologia, Ivonem Millebeau, baccalaureum formatum in theologia, ducis consiliarium, Petrum Le Net, alias Renys, O. F. M., Petrum Lamour, O. Praed., confessores Iohannis et Petri, natorum dicti ducis, et alias 45 personas ecclesiasticas saeculares vel regulares. Reg. Vat. t. 365, f. 360.

(5) Reg. Vat. t. 382, f. 143.

strorum et ipsius Sedis capellanorum consortio favorabiliter aggregamus tibique concedimus, ut indulgentiis, immunitatibus, exemptionibus et privilegiis per fel. rec. Iohannem XXII et Clementem VI, Romanos pontifices, praedecessores Nostros, capellanis dictae Sedis concessis uti et gaudere libere et licite valeas atque possis, intendentes, quod per hoc favoris apostolici praesidia plenius sortiaris, constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque. Sic igitur *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, IV nonas septembris, ... anno XI.

532. Marino Nicolai de Eugubio, monacho monasterii de Claserva, O. S. Ben., Eugubin dioec., concedit, ut licentia olim a Baldassare, episcopo Tusculan., tunc Iohanne XXIII, obtenta transeundi ab ordine fratrum Minorum ad ordinem S. Benedicti et in eo quaecumque beneficia ecclesiastica etiam dignitates abbatiales etc. recipiendi, cuius licentiae vigore ad praefatum monasterium transierat, professionem emiserat, per viginti sex annos laudabiliter conversatus erat necnon parochialem ecclesiam S. Iohannis in Fedrigo Fanen. commendatam habebat, in suo robore permaneat (1).

1441, septembris 4, Florentiae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, prid. nonas septembris, ... anno XI.

533. Concedit facultatem erigendi domum pro fratribus O. F. M. de observ. in civitate Aeduen. (Autun) (2).

1441, septembris 6, Florentiae.

Dilecto filio nobili viro Nicolao Rolini militi, domino loci de Genthuma, dioec. Bisuntin.

Exigit tuae devotionis affectus *etc.* Sane pro parte tua exhibita petitio continebat, quod attente considerans, quantum fratrum mendicantium assidua praedicatione christianus populus in lege divina instruitur et a pseudodoctorum erroribus protegitur, quodque in civitate Aeduen. nulla est fratrum mendicantium domus, cupiensque propterea, quantum divina tibi concessit miseratio, opportunis super hoc consulere favoribus, in tuae ac parentum et aliarum christifidelium animarum remedium de bonis tibi a Deo collatis unam domum cum ecclesia, campanili et campana, coemeterio, ... officinis pro usu et habitatione unius guardiani et octo numero fratrum Minorum ordinis de observantia in civitate praedicta construi et erigi facere et ipsam libris necessariis communire ... proponis et affectas. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi domum ipsam cum ecclesia, campanili, campana ... praedictis construi faciendi et muniendi ac eisdem fratribus illam, postquam constructa fuerit, habitandi et perpetuo retinendi, dioecesani ... licentia minime requisita, quibuscumque etiam ipsius ordinarii ac dilectorum filiorum capituli ecclesiae Aeduen. ac aliorum quorumlibet contradictionibus, appellationibus seu oppositionibus, per quas effectus praesentium impediri posset quomodolibet vel differri, nequaquam obstantibus *etc.* Ceterum, ut fratres, qui in domo sic erigenda huiusmodi pro tempore morabuntur, vocationi, in qua vocati sunt, quietius valeant famulari, Nos ipsis ac eidem domui, quod omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere valeant, auctoritate praedicta concedimus per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, VIII idus septembris, ... anno XI.

534. Mandat, ut faciat observari ultimam voluntatem Pauli Angeli de Perusio laici, qui certum territorium reliquerat pro sororibus III. O. S. Fr. (3).

1441, septembris 9, Florentiae.

Venerabili fratri Gaspari, archiepiscopo Neapolitano, Nostrae civitatis Perusin. pro Nobis et Romana ecclesia in temporalibus gubernatori.

A summo patrefamilias *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Magdalenae Maffucii ministrae et sororum domus S. Mariae Vallis-fabricae tertii ordinis beati Francisci de poenitentia nuncupati, Perusin. dioec., petitio continebat, quod olim, postquam quondam Paulus Angeli de Perusio laicus, condens de bonis sibi a Deo creditis in eius voluntate ultima testamentum, in illo inter alia voluerat et ordinaverat, quod post eius obitum in certis suis palatio et domo necnon terreno seu tenimento eis contiguo, in loco Terrazani dictae dioec. consistentibus, tunc expressis, unus locus pro perpetuis usu et habitatione aliquarum mulierum et sororum dicti tertii ordinis in eo Altissimo serviturarum erigeretur et fieret, eo defuncto dilectus filius Van-

(1) Reg. Lat. t. 384, f. 127. Cf. supra n. 517, p. 250 et *Bull. Franc.* t. VII, n. 1285, p. 463, ubi dicitur Marinus Nicolelli.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 95 « ex arch. secr. l. 5 bull. f. 86 ».

(3) Reg. Lat. t. 384, f. 99; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 96. Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1827, p. 707; n. 1850, p. 719 et supra n. 188, p. 93; et n. 220, p. 106.

nes Bertucii, eius nepos et universalis haeres, postpositis voluntate et ordinatione huiusmodi palatium, domum et terrenum praedicta dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii S. Agnetis de Podiolongii, ordinis S. Clarae, Perusin. dioec., per modum excambii pro nonnullis aliis immobilibus bonis sub certis modis et formis etiam tunc expressis de facto concessit, quodque, licet a non multo tempore citra dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii S. Pauli Favaronis prope Perusium, dicti ordinis S. Clarae, cui interim monasterium S. Agnetis canonice unitum fuisse dicitur, aliquali conscientia ductae, palatium et domum dumtaxat eisdem ministrae et sororibus libere dimiserint, tamen terrenum huiusmodi alienando, illud in dilectum filium Mariottum Angeli, civem Perusin., auctoritate propria transtulerunt, qui ex tunc detinuit, prout detinet etiam de praesenti, in non parvum ministrae, sororum ac domus S. Mariae praedictarum detrimentum et iurium laesionem. Quare pro parte dictarum ministrae et sororum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, ... voluntatem testatoris huiusmodi facias auctoritate Nostra firmiter observari, decernens praedictas et alias concessiones et alienationes quaslibet contra formam et intentionem dicti testatoris factas nullius exsistere roboris vel momenti, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, V idus septembris, ... anno XI.

535. Iacobellum de Seminaria O. F. M. instituit episcopum Boven. (in Italia inferiore) (1).

1441, septembris 22, Florentiae.

Dilecto filio Iacobello de Seminaria, electo Boven.

Apostolatus officium *etc.* Sane ecclesia Boven. ex eo, quod Nos hodie venerabilem fratrem Nostrum Sancium Sebasten., tunc Boven. episcopum, licet absentem, a vinculo, quo eidem ecclesiae, cui tunc praeerat, tenebatur, de fratrum Nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, eum ad ecclesiam Sebasten. tunc vacantem apostolica auctoritate transtulimus, Nos ad provisionem *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professorem, in sacerdotio constitutum, religionis zelo conspicuum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, X kal. octobris, ... anno XI.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Boven.; Clero civit. et dioeces. Boven.; Populo civit. et dioeces. Boven.;* et *Archiepiscopo Regin.* (Ad cumulum).

536. Francisco de Soria O. F. M. committit reformationem monasterii S. Clarae Salamantin. O. S. Cl. (2).

1441, septembris 23, Florentiae.

Dilecto filio fratri Francisco de Soria, professo ordinis fratrum S. Francisci de observantia.

Iniunctum Nobis desuper apostolicae servitutis officium *etc.* Dudum siquidem per Nos accepto, quod nonnulla tunc expressa domus, monasteria et alia loca fratrum ordinis S. Francisci de observantia in regnis Castellae et Legionis consistentia ex defectu boni regiminis personarum in eis deputatarum tunc laxatis per eas honestatis et pudicitiae habenis collapsa erant, Nos tibi per alias Nostras litteras monasteria et loca huiusmodi et personas praedictas ad debitam observantiam regularem reducendi, visitandi, reformandi ac personas huiusmodi corrigendi et alia faciendi concessimus facultatem, prout in illis plenius continetur. Cum, sicut pro parte charissimae in Christo filiae Mariae, Castellae et Legionis reginae, fuit expositum, monasterium monialium S. Clarae Salamantin. praedicti ordinis propter inordinatum in eo regimen huiusmodi personarum et monialium impraesentiarum exsistentium in eodem postposita in eo regulari observantia plurimum reformatione indigeat, pro parte ipsius reginae Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsius monasterii S. Clarae indemnitatibus providere de opportuno remedio curaremus. Nos igitur, ... litterarum praedictarum tenorem ac monasteriorum, domorum necnon locorum huiusmodi nomina per designationes et loca habentes praesentibus pro sufficienter expressis ac cupientes, ut dicta domus seu monasterium S. Clarae huiusmodi ad pristinam observantiam reducatur, et in eo cultus divinus augmentetur, discretioni tuae ... mandamus, quatenus ad monasterium sive domum S. Clarae huiusmodi ac illius loca alia, quotiens expediens fuerit, habens prae oculis solum Deum, personaliter te transferas illaque visites et in pristinam observantiam reducas ac reduci facias et procures, contradictores *etc.* Nos enim monasterium et loca S. Clarae praedicta necnon

(1) Reg. Lat. t. 386, f. 95v. (2) Reg. Vat. t. 365, f. 308; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 97. Cf. supra n. 384, p. 176.

moniales et personas praefatas in eis degentes pro tempore auctoritate Nostra visitandi et ad observantiam regularem debitam iuxta ipsorum monasterii S. Clarae et ordinis S. Francisci instituta reducendi ac monasterium et personas huiusmodi tam in capite quam in membris corrigendi ... generalis praefati ordinis et cuiuslibet alterius superioris licentia minime requisita plenam et liberam tibi concedimus facultatem, etiam perinde, ac si monasterium S. Clarae huiusmodi in praedictis Nostris litteris specificatum et inclusum exstitisset, constitutionibus ... ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque etc. Aut si ordini et monasterio praefatis *etc.* Et insuper, ut praefatum monasterium S. Clarae Salamantin. huiusmodi omnibus et singulis ac illis prorsus similibus praerogativis et indultis, privilegiis et libertatibus, quibus monasterium monialium eiusdem S. Clarae de Oterdesillas, Palentin. dioec., utitur et gaudet, uti et gaudere pariter possit et valeat de speciali gratia indulgemus.

Datum Florentiae, anno ... 1441, IX kal. octobris, ... anno XI.

537. Episcopo Lucan. mandat, ut pro parte Pauli quondam Iohannis Nicolai de Ghiene de Luca, O. F. M., compellat Matthaeum de Ghiene, Iohannis fratrem, ad praestanda ea, quae Thomasiae, Iohannis natae et Pauli sorori, debetur ex dispositione facta a Paulo, postquam iam per decem menses vel circa habitum dicti ordinis gestaverat (1).

1441, septembris 23, Florentiae.

Votis supplicum humilibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, IX kal. octobris, ... anno XI.

538. Baldassari episcopo Lucan. mandat, ut Iuliano Valentini, monacho monasterii B. Mariae de Buggiano, O. S. Ben., Lucan. dioec., qui olim ad illud vigore litterarum apostolicarum ex ordine fratrum Minorum transierat, sublata inhabilitate ad beneficia conferat parochialem ecclesiam S. Andreae de Stignano eiusdem dioec. (2).

1441, septembris 27, Florentiae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, V kal. octobris, ... anno XI.

539. Episcopo Azoten., archiepiscopi Treveren. in pontificalibus suffraganeo, mandat, ut Elisabeth de Lellich, moniali monasterii S. Clarae oppidi Epternacen., Treveren. dioec., sub regimine ordinis fratrum Minorum constituti, quae « maxime ob penuriam non modicam victualium, quam inibi patitur, et quam gentes armorum Armeniacen. *(Armagnacs)* nuncupatae causarunt, et quae oppidum ipsum ac patriam vicinam invaserunt, depraedarunt et devastarunt, residere ac remanere » non poterat, pro habendo suffragio matris, sororis et aliorum consanguineorum in civitate Treveren. residentium concedat facultatem transeundi ad monasterium monialium S. Catharinae Treveren. sub « ordine fratrum Praedicatorum degentium » ac ibi sub illius regulari habitu et in observantia saltem trium substantialium regulae perpetuo manendi (3).

1441, octobris 3, Florentiae.

Votis Domino sub regulari castimonia *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, V nonas octobris, ... anno XI.

540. Stephano de Tavira O. F. M., ad O. Serv. B. M. V. transgresso, concedit facultatem in dicto ordine Serv. B. M. V. permanendi (4).

1441, octobris 7, Florentiae.

Dilecto filio Stephano de Tavira, ordinis fratrum Minorum professori.

Humilibus supplicum votis *etc.* Nuper siquidem pro parte tua Nobis exhibita petitio continebat, quod cum olim tibi suaderet animus, quod in ordine S. Francisci, quem, ut asseris, expresse professus exsistis, cum mentis quiete remanere non posses, tu tibi super hoc consulere cupiens, de ordine ipso ad ordinem fratrum Servorum beatae Mariae quarumdam litterarum bonae mem. Iordani episcopi Albanen., poenitentiarii Nostri, obtentu transivisti ac regularem per fratres ipsius ordinis emitti solitam professionem emisisti et, postquam sub illius habitu per septennium et ultra remanseras, de ipsius ordinis Servorum generalis prioris licentia ad partes Hispaniae, ut in illis ordo ipse Servorum propagari posset, te transtulisti. Verum, quia, sicut eadem petitio subiungebat, nullum in partibus illis dicti ordinis Servorum monasterium exsistit, nec de ipsorum ordine aliqua aut saltem exigua inibi notitia habetur, locorum ordinarii ac guardianus et fratres dicti ordinis S. Francisci, partibus in illis constituti, te sub habitu praedicto incedere non permittunt, quinimo te multipliciter turbant et fatigant. Quare pro parte tua *etc.* Nos igitur, ... te a quibusvis excommunicationum sententiis et cen-

(1) Reg. Lat. t. 384, f. 1. De eadem re etiam episcopo Lucan. scribit litteras *Admonet Nos suscepti cura regiminis* d. d. 2. nov. 1441. Reg. Lat. t. 384, f. 110.

(2) Reg. Lat. t. 384, f. 139.

(3) Reg. Lat. t. 384, f. 129 v.

(4) Reg. Lat. t. 384, f. 262 v.

suris aliis ecclesiasticis ... absolventes ac tecum super irregularitate ... dispensantes omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per te forsan contractam abolentes, tibi, quod de praefato ordine S. Francisci ad ordinem regularis observantiae eorumdem Servorum in domo, in qua benevolos inveneris receptores, de novo transire ac in ipso ordine remanere libere et licite valeas, constitutionibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, nonis octobris, ... anno XI.

541. Confirmat traditionem ecclesiae prioratus S. Gabrielis extra muros Cremonen., O. S. Ben., fratribus O. F. M. sub certis conditionibus faciendam (1).

1441, octobris 11, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii omnium sanctorum iuxta muros Cremonen.

Humilibus et honestis supplicum votis *etc.* Alias siquidem pro parte dilectorum filiorum communitatis et civium Cremonen. Nobis exposito, quod pro divini cultus augmento et propagatione religionis et ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum ... desiderabant pro nonnullorum fratrum dicti ordinis habitatione domum sive locum cum ecclesia, campanili et aliis necessariis officinis apud ecclesiam prioratus S. Gabrielis extra muros Cremonen., ordinis S. Benedicti, ad id etiam dilecti filii prioris prioratus eiusdem accedente consensu, erigere *etc.*, Nos tunc per alias Nostras tibi litteras dedimus in mandatis, ut, si idem prior quoddam oratorium sive capellam sub vocabulo beatae Mariae infra claustrum et septas dicti prioratus, quae, ut asserebatur, ruinosa erat, cum certa terrae mensura pro domibus, hortis, hortalitiis et officinis necessariis huiusmodi ipsis fratribus dare et assignare vellet, tu priori capellam et terrae spatium seu mensuram, ut praemittitur, dandi et assignandi necnon fratribus praedictis illam recipiendi, construendi et aedificandi licentiam auctoritate Nostra concederes, prout in ipsis litteris plenius continetur (2). Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte prioris ac guardiani et fratrum petitio continebat, guardianus et fratres ipsi capellam reparari ac domos cum hortis et officinis antedictis piis fidelium mediantibus subsidiis et eleemosynis in maximam partem construi et aedificari fecerint, ac inibi nonnulli fratres dicti ordinis Minorum sub regulari observantia virtutum Domino exhibeant famulatum, ex quo eorumdem fidelium succrescit devotio, quodque in eodem claustro duae sub diversis nominibus, ordine, religione et habitu consistunt ecclesiae, et ecclesia ipsa S. Gabrielis, quae multo maior est ambitu, et apud quam prior vel monachus alius causantibus guerris et defectu habitationum nullam fecerunt nec faciunt de praesenti residentiam, tendit totaliter ad collapsum, et propterea praedictus prior eamdem ecclesiam S. Gabrielis dignitate et ordine in illa suppressis et exstinctis guardiano et fratribus antedictis dare et assignare proponat, ita quod de cetero non prioratus S. Gabrielis, sed S. Angeli et ordinis fratrum Minorum ecclesia intituletur, habeatur et reputetur, ipsiusque prioratus titulus et sub eiusdem S. Gabrielis vocabulo aliisque iuribus suis omnibus ad ecclesiam S. Hippolyti infra muros eosdem, dicti ordinis S. Benedicti, quae membrum praefati prioratus exsistit, transferatur seu etiam commutetur, hac adiecta conditione, quod guardianus et fratres praedicti post translationem huiusmodi de erogandis eis charitatis praesidiis unum sub S. Gabrielis in assignanda S. Angeli, et aliud sub S. Hippolyti, in commemorationem sanctorum eorumdem, in commutanda ecclesiis praefatis nominibus altaria institui et construi necnon dictam ecclesiam intra muros ad certam latitudinem, longitudinem et altitudinem cum campanili illi adiacenti congruo et convenienti similiter aedificari et reparari facere teneantur et debeant, prout in conventionibus hinc inde habitis dicitur latius contineri. Quare pro parte prioris necnon guardiani et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... priori ecclesiam S. Gabrielis huiusmodi eisdem guardiano et fratribus pro eorum ecclesia et sub S. Angeli vocabulo nominanda *etc.* licentiam auctoritate Nostra largiaris. Et nihilominus prioratus S. Gabrielis titulum atque nomen cum omnibus iurisdictionibus, possessionibus, praeeminentiis, libertatibus, exemptionibus, privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, indultis, iuribus et pertinentiis suis aliis quibuscumque ad ipsam ecclesiam S. Hippolyti transferas, ut deinceps prioratus S. Gabrielis censeatur, quodque dicti guardianus et fratres de erogandis eis eleemosynis et fidelium subsidiis huiusmodi, ut praefertur, loco alterius fabricae, quam pro ipso priore apud ecclesiam eamdem S. Angeli nominandam facere tenebantur, ecclesiam S. Hippolyti in prioratum erigendam antedictam ad certam altitudinem, latitudinem et longitudinem

(1) Reg. Lat. t. 384, f. 7; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 98. (2) Vide supra n. 439, p. 206.

cum campanili sibi contiguo convenienti, necnon in S. Angeli sub S. Gabrielis unum et in S. Gabrielis ipsius prioratus sub S. Hippolyti ecclesiis sic nominandis praefatis aliud altaria in memoriam et commemorationem sanctorum eorumdem, sub quorum prius erant vocabulis, construi ... facere possint et debeant, etiam auctoritate praelibata concedas, statuas et declares, aliis tamen Nostris superinde [confectis] prioribus litteris in suo alias robore permansuris, non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, V idus octobris, ... anno XI.

542. Episcopo Arretino mandat, ut Iohannem de Arretio, monachum monasterii S. Mariae de Trebio, O. S. Ben., Sarsanat. dioec., olim O. F. M. professum, qui contra constitutionem Martini V ad ordinem et monasterium praefatum transierat ibique emissa professione per undecim annos vixerat, absolvat a censuris et irregularitatibus eique facultatem concedat ad aliud monasterium transeundi, in quo saltem tria substantialia regulae S. Benedicti observentur (1).

1441, octobris 16, Florentiae.

Solet Sedis Apostolicae copiosa benignitas *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XVII kal. novembris, ... anno XI.

543. Iohannem White O. F. M. instituit episcopum Clonferten (in Hibernia) (2).

1441, octobris 25, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni White, electo Clonferten.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Thoma episcopo Clonferten. regimini Clonferten. ecclesiae praesidente Nos cupientes *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Thomae episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante *etc.* demum ad te, ministrum domorum provinciae Hiberniae ordinis Minorum secundum morem dicti ordinis ac in theologia baccalaurium, in sacerdotio constitutum, vitae ac morum honestate decorum *etc.*, de persona tua ... praefatae ecclesiae, etiamsi illa adhuc per obitum piae mem. Henrici Ocourny extra dictam curiam defuncti vacet, ... providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, VIII kal. novembris, ... anno XI.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Clonferten.; Clero civit. et dioec. Clonferten.; Populo civit. et dioec. Clonferten.; Universis vasallis ecclesiae Clonferten.;* praeterea *Archiepiscopo Tuamen.* (Ad cumulum); et *Henrico regi Angliae illustri* (Gratiae divinae).

544. Praeposito ecclesiae Faventin. mandat, ut circa testamentum a Lupo de Capironibus de Faventia laico conditum (in quo priorem et fratres O. Coelestinorum domus Faventin. haeredes universales instituerat ac ex bonis suis quamdam petiam terrae priori et fratribus O. Cisterc. domus S. Bernardi Faventin. et fratribus III. O. S. Fr. de poenitentia in eadem civitate pro tempore degentibus communiter legaverat, sub ea tamen conditione, quod ipsi legatarii certa alia legata tunc expressa prioribus et fratribus domorum O. Praed., Minorum, Eremitarum et Camaldulen. annuatim persolverent) factam inter haeredes et legatarios compositionem approbet et confirmet (3).

1441, octobris 25, Florentiae.

Ad ea, per quae pie testantium *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, VIII kal. novembris, ... anno XI.

545. Universis utriusque sexus personis confraternitatis beatae Mariae, capellae eiusdem beatae Mariae de Arboresicca nuncupatae, sitae in ecclesia domus O. F. M. Brugen., Tornacen. dioec., concedit facultatem eligendi confessarium et remissionem plenariam in mortis articulo (4).

1441, octobris 28, Florentiae.

Sincerus vestrae devotionis affectus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, V kal. novembris, ... anno XI.

546. Confirmat traditionem oratorii in populo S. Romuli, in loco nuncupato *a la Doccia,* Fesulan. dioec., factam fratribus III. O. S. Fr. per Nicolaum Roberti de Davanzatis, domicellum Florentin., sub certis conditionibus adnexis (5).

1441, novembris 8, Florentiae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus S. Michaelis, tertii ordinis S. Francisci, continentium sive de poenitentia nuncupati, Fesulan. dioec.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat,

---

(1) Reg. Lat. t. 390, f. 154.

(2) Reg. Lat. t. 386, f. 45v. Apud Eubel, *Hier. cath.* II², p. 131, idem electus vocatur Iohannes O'Heyne.

(3) Reg. Lat. t. 385, f. 230v. Eadem bulla includitur in litteris *Dudum siquidem* d. d. 14 iulii 1442, quibus huius rei exsecutio archipresbytero plebis Apri, Faventin. dioec., committitur, quia supra nominatus praepositus ecclesiae Faventin. (Odo Ugolini de Martiano) ad superiorum litterarum exsecutionem nondum procedere potuerat.

(4) Reg. Lat. t. 386, f. 335. De ecclesia Brugen. cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1822, p. 703.

(5) Reg. Lat. t. 384, f. 120; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 99.

quod olim per quondam Nicolaum Roberti de Davanzatis, domicellum Florentin., et Franciscum Francisci, eiusdem ordinis professorem (1), bon. mem. Bindo, episcopo Fesulan., exposito, quod dudum ipse Nicolaus, cupiens ... aliquod oratorium ad Dei honorem et divini cultus augmentum construi facere, quoddam podere, in populo S. Romuli ac loco vulgariter nuncupato « a la Doccia », Fesulan. dioec., consistens tunc expressum, cum domo, furno, terris, vineis, nemoribus et aliis omnibus iuribus et pertinentiis suis emerat et dicto Francisco pro oratorio huiusmodi cum dormitorio et aliis necessariis pro sex fratribus inibi residere volentibus construendo, ea conditione adiecta, quod ipse Franciscus huiusmodi oratorium, cuius guardianus exsisteret, sub vocabulo S. Michaelis dedicare et in illo ipsius Nicolai arma ponere, ac ipse necnon alius guardianus et fratres ibidem pro tempore exsistentes dictum Nicolaum et successores suos ex eo descendentes in superiorem iure directi dominii recognoscere ac illi et successoribus eisdem unam libram cerae annis singulis in festo S. Michaelis solvere, unum quoque ex fratribus praefatae vel alterius domus eiusdem ordinis post dicti Francisci ministri cessum vel decessum in ipsius domus guardianum, per Nicolaum et antiquiorem ex successoribus huiusmodi approbandum, pro tempore eligere tenerentur, perpetuo dederat atque concesserat, quodque Franciscus Francisci praefatus praemissa omnia et singula iuxta ipsius et dicti Nicolai ordinationem et voluntatem, ut praemittitur, rite et legitime expleverat debitumque fecerat sortiri effectum, praefatus episcopus ea omnia et singula ratificavit et approbavit ac suum illis assensum praebuit et consensum, prout in diversis publicis instrumentis super his omnibus confectis, quae per cancellariam Nostram inspici fecimus diligenter, quorumque tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Quare Nobis humiliter supplicastis *etc.* Nos igitur, ... praemissa necnon inde confecta instrumenta huiusmodi ac omnia et singula in eis contenta et quaecumque inde secuta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, constitutionibus ... ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, VI idus novembris, ... anno XI.

547. Gometio Gundissalvi, rectori parochialis ecclesiae S. Petri de Muros, Compostellan. dioec., reservat canonicatum et praebendam ecclesiae Compostellan. ac nonnulla simplicia beneficia in dioec. Compostellan., quae quamprimum vacare sperantur ex eo, quod Iohannes Roderici de Padron, clericus, tunc Iohannis, titulo S. Petri ad vincula presbyteri cardinalis continuus commensalis exsistens, cui de supradictis provisum erat, possessione eorumdem non habita domum Hierosolymitan. ordinis fratrum Minorum ingressus erat (2).

1441, novembris 8, Florentiae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Florentiae, anno 1441, VI idus novembris, ... anno XI.

Eadem die simili modo scribit *Archiepiscopo Florentin. et S. Iusti de Ontes ac S. Petri de Soandres, Compostellan. dioec. abbatibus.*

548. Domum S. Nicolai de Palumbaria, O. F. M., prov. Calabriae, a fratribus dimissam, concedit Nicolao Arthesii III. O. S. Fr. (3).

1441, novembris 13, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Sancti Marci.

Solet Apostolicae Sedis copiosa benignitas *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Nicolai Arthesii, fratris tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, petitio continebat, dilecti filii minister seu eius vicarius necnon alii fratres provinciae Calabriae secundum morem ordinis fratrum Minorum, propter hoc capitulariter congregati, domum S. Nicolai de Palumbaria in pertinentiis castri Belvedere, tuae dioec., olim per praefatum Nicolaum erectam ac ministro et fratribus provinciae huiusmodi apostolica auctoritate concessam, tamquam ipsis et dicto ordini fratrum Minorum incongruam et inutilem cum sollemnitatibus iuxta eumdem morem solitis realiter et omnino dimiserint, Nos, ipsius Nicolai in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, et ipsa domus tempore datae praesentium alii vel aliis canonice concessa non fuerit, illam cum oratorio, horto, officinis et aliis iuribus et pertinentiis suis praedicto Nicolao per eum et aliquos alios dicti tertii ordinis fratres, socios suos, ac successores eorum pro ipsorum usu et habitatione perpetuis tenendam, regendam et gubernandam auctoritate Nostra concedas, inducens ... Nicolaum et socios praedictos vel procuratores suos eorum nominibus in corporalem possessionem

(1) Forsitan idem, qui n. 159, p. 82 et n. 13, p. 16 nominatur.

(2) Reg. Lat. t. 381, f. 123v.

(3) Reg. Lat. t. 384, f. 132; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 100.

domus cum oratorio, horto, officinis et iuribus supradictis et defendens inductos, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, idibus novembris, ... anno XI.

549. Ministrae et sororibus domus S. Elisabeth Lauden. (Lodi), III. O. S. Fr., concedit facultatem eligendi confessarium, recipiendi ab eodem et aliis sacerdotibus ecclesiastica sacramenta et admittendi mulieres ordinem ingredi volentes ad habitum et professionem regulares (1).

1441, novembris 18, Florentiae.

Sacrae religionis, sub qua *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XIV kal. decembris, ... anno XI.

550. Fratribus O. F. M. de observ. provinciae Mediolanen. concedit licentiam recipiendi quatuor loca (2).

1441, novembris 19, Florentiae.

Dilectis filiis universis fratribus ordinis Minorum de observantia provinciae Mediolanen. secundum morem dicti ordinis.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos in provincia Mediolanen. personarum numero adeo multiplicati estis, quod pro vestris usu et habitatione sufficientia domos et loca in eadem provincia nullatenus habetis. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis quatuor domos seu loca, si vobis pia fidelium largitione concedantur aut illa ex eleemosynis vobis dandis acquirere possitis, pro usu et habitatione praedictis de novo recipiendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... vobis, ut cuiuscumque licentia et consensu minime requisitis quatuor alia in dicta provincia consistentia domos seu loca, quae vobis pro usu et habitatione praedictis per christifideles quoslibet pia largitione donari contigerit, et de quibus dilecto filio vicario eiusdem provinciae secundum morem ordinis Minorum de observantia pro tempore exsistenti visum fuerit, recipere et acceptare ac apud illa ecclesias, campanilia, domos et aedificia cum campanis, coemeteriis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis erigi et construi facere necnon in illis morari libere et licite valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur, non obstantibus *etc.* Et insuper vobis ac aliis fratribus de observantia provinciae et ordinis praedictorum, qui apud huiusmodi recipienda loca pro tempore resederint, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XIII kal. decembris, ... anno XI.

551. Mandat, ut Lasiam Thomae de Pasqualetis, monialem monasterii S. Guillelmi Ferrarien., O. S. Cl., quae ex dicto monasterio exiverat, absolvat a censuris eique concedat facultatem transeundi ad quodcumque monasterium cuiusvis ordinis (3).

1441, novembris 22, Florentiae.

Venerabili fratri Iohanni episcopo Ferrarien.

Romani pontificis praecellens auctoritas *etc.* Sane pro parte dilectae in Christo filiae Lasiae Thomae de Pasqualetis, monialis monasterii S. Guillelmi in suburbiis Ferrarien., ordinis S. Clarae, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum olim duobus annis ad praesens elapsis praefatum monasterium, in quo dicta Lasia sub illius regulari habitu ac debita obedientia necnon castitate per multa tempora honeste permanserat, ad arctiorem vitae observantiam reductum fuisset et propterea nonnullae ex eius monialibus de suorum superiorum licentia se ad diversa alia monasteria transtulissent, dicta Lasia etiam considerans, quod austeritates et rigores dictae observantiae non bene perferre poterat, dictum monasterium ipsius superiorum obtenta licentia exivit, ac eius genitor, etiam attendens, quod dicta Lasia tunc infirma et debilis corpore fuerat, quodque moleste ferret, quod dicta Lasia, quae eius unica filia exsistit et variis infirmitate ac debilitate gravabatur, ad alienas patrias se transferre deberet, ipsam ad domum propriam reduxit, dictaque Lasia paternis voluntati ac voto condescendens in eadem domo ex tunc continuo honeste ac laudabiliter permansit, prout permanet de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefata Lasia in aliquo alio monasterio Altissimo desideret perpetuo famulari, pro parte dictae Lasiae Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus eamdem Lasiam, si hoc humiliter petierit, ab excommunicationis ... sententia necnon apostasiae nota ... auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesiae consueta, iniunctis *etc.* Et insuper cum eadem Lasia, ut ad quodcumque cuiusvis ordinis monasterium ... transire et in

(1) Reg. Lat. t. 384, f. 119 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 101.

(2) Reg. Lat. t. 384, f. 138; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 102.

(3) Reg. Lat. t. 384, f. 115 v. Cf. supra n. 421, p. 196.

illo sub regulari habitu perpetuo remanere valeat, constitutionibus ... nequaquam obstantibus eadem auctoritate licentiam largiaris ac alias facias, disponas, ordines et exsequaris omnia et singula, quae in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria fuerint seu etiam opportuna, super quibus omnibus plenariam et liberam tibi tenore praesentium concedimus facultatem, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, X kal. decembris, ... anno XI.

552. Confirmat collationem, qua Iulianus archiepiscopus Pisan. ecclesiam sine cura, *Oraculo* nuncupatam, B. Mariae plenae gratiarum de Montenigro in districtu castri Liburni, dioec. Pisan., « quae quandoque per fratres eremitas pauperes et interdum per monachos ac nonnumquam per saeculares clericos et aliquando per tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati professores gubernari consuevit », imperpetuum contulerat Paulo Thomasii de Dalmatia, rectori B. Mariae de Sambrica, dioec. Pisan., ac toti congregationi Iesuatorum, de quorum numero praefatus Paulus exstitit (1).

1441, novembris 27, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Suscepti cura regiminis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, V kal. decembris, ... anno XI.

553. Abbati monasterii S. Petri Perusin. mandat, ut Dominicum, alias Thomasium, Martini de Perusio, O. F. M. professorem, qui post constitutionem Martini V dictum ordinem reliquerat, ad monasterium B. Mariae de Farnico (?) O. S. Ben. se transtulerat et cum licentia sui superioris e dicto monasterio exiens parochialem ecclesiam S. Angeli de Agello, Perusin. dioec., assecutus, eam per sex annos et ultra tenuerat, absolvat a censuris et irregularitate eique facultatem concedat in dicto ordine et monasterio permanendi ac ei praedictam ecclesiam parochialem conferat (2).

1441, decembris 2, Florentiae.

Solet Sedis Apostolicae clementia *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, IV nonas decembris, ... anno XI.

554. Praeposito monasterii S. Gertrudis Lovanien., Leodien. dioec., mandat, ut *a*) Iohanni de Heverlis, perpetuo capellano in ecclesia S. Petri Lovanien., Leodien. dioec., conferat altare situm in ecclesia S. Pauli Leodien., vacans per ingressum Iohannis Pinnoc, eius rectoris, in domum O. F. M. de observ. oppidi S. Audomari (St-Omer), Morinen. dioec. (3), *b*) Iodoco Pistoris, clerico Leodien. dioec., conferat altare B. Mariae situm in ecclesia S. Petri Lovanien., vacans per ingressum eiusdem Iohannis Pinnoc etc. (4).

1441, decembris 6, Florentiae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, VIII idus decembris, ... anno XI.

555. Confirmat statuta Arnaldi cardinalis et Eduardi regis Portugalliae et Algarbii pro monasterio S. Clarae [de Vivaldo], O. S. Cl., Ulixbonen. dioec. (5).

1441, decembris 9, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Admonet Nos suscepti cura regiminis, ut pias defunctorum ultimas, praesertim illustrium, voluntates condignis prosequamur favoribus, ac sincerae devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Fernandus de Menesses, miles Bracharen. dioec., ad Nos et Romanam gerit ecclesiam, promeretur, ut votis suis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dicti militis petitio continebat, quod olim quondam Alphonsus, clarae mem. Dionysii regnorum Portugalliae et Algarbii regis natus, ac Theresia, eius uxor, cupientes terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, de bonis eis a Deo collatis monasterium monialium S. Clarae ordinis eiusdem sanctae, Ulixbonen. dioec., habita prius licentia a bonae mem. Arnaldo, tit. S. Mariae in porticu presbytero cardinali, fratrum Minorum et sororum eiusdem sanctae ordinum protectore a Sede Apostolica deputato, fundari et aedificari fecerunt nonnullisque possessionibus, bonis, villis, locis, haereditatibus, domibus, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et iurisdictionibus pro monialium et capellanorum ac servientium eis sustentatione ea adiecta conditione dotarunt, quod moniales ibidem pro tempore degentes viverent cum regula et privilegiis per Sedem praedictam tunc datis et concessis ac imposterum concedendis perpetua sub clausura, ne eis vagandi per patriam locus exsisteret, quodque nullus praelatus, etiam archiepiscopali vel episcopali dignitate praefulgens, nec generalis seu provincialis minister ordinis fratrum Minorum aut quivis alius ipsius ordinis visitator vel frater seu alia ecclesiastica persona vel saecularis

(1) Reg. Lat. t. 382, f. 251. Cf. supra n. 376, p. 173. Collationem a Iuliano episcopo factam vide ap. *Arch. Franc. Hist.* VI (1913), 489; cf. ibid. p. 26-44; 466-490.

(2) Reg. Lat. t. 385, f. 221.

(3) Reg. Lat. t. 368, f. 267.

(4) Ib. f. 268.

(5) Reg. Lat. t. 382, f. 293.

aliquid posset de dicta ordinatione minuere aut ad illam quidquam in toto seu in parte addere vel mutare, abbatissa quoque dicti monasterii, quae pro tempore foret, haberet curare, procurare et ministrare possessiones, domos, bona, villas, loca, haereditates, fructus, redditus, proventus, iura et iurisdictiones huiusmodi ac omnia et singula, quae ad ipsum monasterium spectabant aut spectare poterant in futurum, faceret, ordinaret, ministraret atque disponeret necnon in illis de consensu sui conventus vel maioris partis eorum procuratores, maiordomus, syndicos, iudices vel vicarios deputaret, qui ea omnia procurarent atque disponerent, fructus colligerent et alia quaecumque circa illa necessaria facerent, personas quoque idoneas ad ecclesias sive beneficia dicti monasterii, cum vacarent, praesentare libere possent, ita quod nulli cuiusvis status, ordinis vel conditionis exsisteret, computa vel rationem suae administrationis quomodolibet reddere teneretur, nisi quatuor tantum monialibus ad id per conventum huiusmodi deputandis, quae in festo S. Martini, an abbatissa praedicta iuxta voluntatem et ordinationem huiusmodi fecerit, annis singulis reviderent. Et insuper, quod singulis monialibus pro earum victu quatuor sex unciarum panes singulaeque vini puri lagenae mensurae, quam in eodem monasterio Alphonsus ipse dimiserat, et quarum sex cum dimidia alnum dictum mensurae Colimbrien. constituebant seu corbem, necnon una pixota seu tantumdem de pisce absque diminutione aliqua traderentur, et quod de illis, si aliquod superesse contingeret, eidem abbatissae assignari deberet, quodque dicta abbatissa loca ex praemissis, quae sibi videbuntur apta ad diversorium infirmorum, ad ipsorum usum infirmorum deputare valeret, pro vestitu vero prima die mensis octobris sex cubiti panni de Rayz et sex virgae seu mensurae de panno, qui fit in loco de Aronca, pro habitu et pallio moniali cuilibet annis singulis praeberentur. Et ne monialibus praedictis de victu in futurum aliquid contingeret diminui, ut nulli clerico aut laico liceret comedere aut bibere ipsius monasterii expensis exceptis ministro et visitatore earum, quibus semel dumtaxat in anno cum duobus fratribus Minoribus necnon his, qui pro sepeliendis corporibus monialium et aliis earum necessitatibus convenirent, ministrarentur moderate expensae, prout abbatissae et conventui praefatis honestius videretur. Et nihilominus, quod nulla ultra ordinatum numerum in monialem recipiatur ibidem, nisi adeo dicti monasterii fructus excreverint, quod singulis recipiendis monialibus possit in victu et vestitu integre, ut praemittitur, provideri. Et quod dicta abbatissa quatuor capellanos, quorum unus unam cum monialibus cantando et alius aliam pro Dionysii regis praedicti ac alius aliam pro Alphonsi necnon alius pro Theresiae praedictorum animarum salute aliam missas celebrare omnesque canonicas horas diebus singulis dicere perpetuo tenerentur annuntiarentque interessentibus, ut pro singulorum eorum animabus dominicam fundant orationem ad Dominum, quodque quilibet capellanorum huiusmodi completis singulis missis ad sepulchrum eius accederet, pro cuius anima celebravit et aspersa super eodem sepulchro aqua benedicta orationes dicat in agendis dici solitas defunctorum. Eaedem quoque abbatissa et conventus de bonis, possessionibus, villis, locis, haereditatibus, domibus, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et iurisdictionibus praedictis quidquam vendere, alienare, impignorare aut quovis modo distrahere vel cruces, calices, libros, paramenta seu alia ornamenta cuiquam commodare non valerent, quodque Alphonsi ac Theresiae ac successorum eorumdem corpora non intra ecclesiam dicti monasterii, sed extra in quodam ibidem ordinato sepulchro, « Galilaea » nuncupato, de cetero ponerentur, ac ut monasterium ipsum perpetuis temporibus servaretur illaesum illiusque moniales divino cultui facilius intenderent Deoque praestarent quietius famulatum et in futuris abbatissarum electionibus impedimentum vel violentias non sentirent, inter cetera ordinarunt, statuerunt et decreverunt, quod propinquior eorum consanguineus, per directam lineam descendens, verus patronus, conservator et defensor exsisteret in capite et in membris monasterii antedicti, quodque, cum contingeret illud abbatissa seu administratrice destitui, dictus patronus fructus, possessiones et bona dicti monasterii ad manus suas reciperet illaque ad utilitatem et commodum monasterii et monialium huiusmodi conservaret. Quae omnia recolendae mem. Eduardus rex regnorum eorumdem auctoritate regia roboravit, prout in litteris et instrumentis publicis inde confectis, quae in cancellaria Nostra diligenter inspici fecimus, plenius et seriosius continetur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus miles cupiat ad dictae voluntatis subsistentiam firmiorem illam Apostolicae Sedis munimine roborari, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus concessioni cardinalis, statuto et voluntati ac regiae roborationi praedictis robur apostolicae confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui pias christifidelium voluntates congruo favore libenter prosequimur, huiusmodi supplicationibus inclinati, statutum et voluntatem necnon cardinalis et Eduardi regis litteras huiusmodi, illorum omnium tenores habentes praesentibus

pro sufficienter expressis, omniaque et singula in eis contenta et quaecumque inde secuta auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, V idus decembris, ... anno XI.

556. Ruadrico Omochan, canonico Elphinen. (Elphin), mandat, ut Cornelio Macealay, clerico Akaden. (Achonry in Hibernia) dioec., conferat canonicatum ecclesiae Akaden. et praebendam de Killnathruid in eadem, vacantes ex eo, quod Philippus Ocluayn, domum de Rosserch (Rosserick) III. O. S. Fr. de poenitentia, Aladen. dioec., ingressus, inibi professionem per dicti ordinis fratres emitti solitam emisit regularem (1).

1441, decembris 14, Florentiae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XIX kal. ianuarii, ... anno XI.

557. Marcum de Segna O. F. M. instituit abbatem monasterii B. Mariae de Ratazio, O. S. B., Antibaren. dioec. (2).

1441, decembris 15, Florentiae.

Dilecto filio Marco de Segna, abbati monasterii beatae Mariae de Ratazio, ordinis S. Benedicti, Antibaren. dioec.

Inter sollicitudines varias *etc.* Dudum siquidem quondam Buccio abbate monasterii beatae Maria de Ratazio, ordinis S. Benedicti, Antibaren. dioec., regimini eiusdem monasterii praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefato monasterio per obitum dicti Buccii abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* de persona tua eidem monasterio non obstante, quod alterius ordinis professor exsistis, ... providemus teque illi praeficimus in abbatem, curam regimen et administrationem *etc.* Volumus autem, quod ex tunc illum gestes habitum, qui in dicto monasterio geritur et habetur, ac eiusdem monasterii institutis regularibus te conformes. In illo qui dat *etc.* Quocirca discretioni tuae ... mandamus, quatenus impositum tibi a Domino onus regiminis et administrationis ipsius dicti monasterii suscipiens reverenter, curam regimen et administrationem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XVIII kal. ianuarii, ... anno XI.

Simili modo eadem die scribit *Archiepiscopo Antibaren.*

558. Nestorianos ad unionem cum Romana ecclesia invitat eisque nuntios suos O. F. M., Antonium Troianum et Petrum Ferrarium, commendat (3).

1441, decembris 16, Florentiae.

Dilectis filiis genti et nationi Nestorianorum.

Per haec proxima tempora, in quibus exuberanti Domini et Dei nostri dono Nobis est concessum Graecos, apud quam gentem saecularis sapientia et rerum divinarum peritia semper claruit, ad Nos venire et post varias hinc inde habitas disceptationes Romanae ecclesiae uniri; ac postmodum Armenis, quibus fidei catholicae dogmata dedimus, apud Nos exsistentibus multorum sermonibus Nobis innotuit vos professione christianos gentem esse maximam, quippe quorum populi et apud Indos, Arabes et Aethiopes et per omnem Asiam inhabitent, cum tamen maxima pars sit in Europae partibus constituta, fuitque imprimis laetissimum audire vos pro moribus, prudentia et vitae instituto ab omnibus nationibus sive aliarum sectarum christianis sive gentilibus paganis, inter quos habitatis aut quibus estis contigui, in magna reverentia haberi. Quae quidem gratissima Nobis nova nuperrime renovarunt quidam praestantes viri ex partibus Asiae et Cayri ac Aethiopiae venientes cum ipsis Aethiopum oratoribus, quos Domino concedente brevi sentietis Romanae ecclesiae et sanctae Sedis Apostolicae dogmata accepisse, et quod de Graecis Armenisque prius factum fuisse debuistis audivisse, Nobis consensisse in catholicae fidei unione. Arserunt vero dilecti filii illico viscera Nostra in charitate et a Deo inflammata sunt, ut nullo pacto duxerimus differendum, quin vos Christi nomine et charactere, ut credimus, insignitos invitaremus incitaremusque, imo per viscera misericordiae Dei nostri exhortaremur, ut christiani viri ad christianae religionis caput, ad Sedem Apostolicam ipsumque Christi vicarium veniatis. Nam si, quod de vestra prudentia credimus, nuntios transmittetis, profecto illis redeuntibus intelligetis magna esse et omni thesauro saeculi pretiosiora, quae secum referent vestrae nationis et sectae hominibus, ubicumque sint, cum gaudio communicanda; verum haec

(1) Reg. Lat. t. 381, f. 130.
(2) Reg. Lat. t. 386, f. 24.
(3) *Bullarium peculiare Terrae Sanctae*, Romae 1727, p. 48; *Diarium Terrae Sanctae* III (1910), p. 117. De Antonio Troiano cf. supra n. 501, p. 242.

ipsa aliaque permulta, quibus nullae litterae Nostrae possent satisfacere, commisimus dilectis filiis fratribus Antonio Troiano, ordinis Minorum, in partibus illis commissario Nostro, ac Petro Ferrario, ordinis praedicti, ut illa referant Nostris verbis, quibus velitis fidem credulitatis plenariam adhibere.

Datum Florentiae, anno ... 1441, XVII kal. ianuarii, ... anno XI.

559. Confirmat concessiones David et Iohanni Ymulcaeryll, presbyteris Clonferten. III. O. S. Fr., a Thoma et Iohanne episcopis Clonferten. factas circa ecclesiam de Cluacaen. (Cluacaen Caeryll) (1).

1441, decembris 16, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii Collisvictoriae, Tuamen. dioec.

Sedis Apostolicae circumspecta benignitas *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum David et Iohannis, dictorum Ymulcaeryll, fratrum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, presbyterorum Clonferten. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim bon. mem. Thomas, episcopus Clonferten., de consensu decani, archidiaconi et capituli ecclesiae Clonferten. dedit, donavit et concessit in perpetuam eleemosynam templum parochialis ecclesiae de Cluacaen. Caeryll, dictae dioec., cum capellis et coemeterio, muris et hortis, petita et obtenta perpetui vicarii dictae ecclesiae licentia, una cum tertia parte totius terrae ecclesiasticae circa dictam ecclesiam, dividendo videlicet specialiter, prout distinguit via regia, ad orientem transiens, usque ad mansum nuncupatum Gortragairyt-beg, redeundo ab oriente in meridiem sive in borealem partem signa huius particulae expresse nominando videlicet Eras Colm, Guirti Nacrarit, Gortin trapuill, Acaxada, Guirtti Mucill, Mileae, Matanniam Caolognacroisi, Putt Beg (2) cum pratis, mariscis et pertinentiis quibuscumque usque ad Ampuom, David et Iohanni praedictis ac aliis eiusdem ordinis fratribus cum eis conventualiter Deo servientibus et imposterum servituris quoad proprietatem, possessionem, usum, habitationem, fabricam, dispositionem et omne ius sepulturae, « quarta tamen parte » ratione funerum ab alienis parochiis undecumque delatorum obvenientium illis, quibus solvenda foret, pro portione canonica tantummodo persoluta, ipseque episcopus dedit etiam dictis fratribus plenam et liberam licentiam et, in quantum potuit, auctorizavit, ut praefatum templum in religionis propagationem et divini cultus augmentum pro sua dispositione, ordinatione et etiam libera gubernatione in monasterium reaedificaretur, fabricaretur et mutaretur, proviso tamen, quod vicarius, qui ibi pro tempore foret, libere et sine contradictione divina posset officia celebrare et parochianis ecclesiastica sacramenta ministrare ac exercitium curae huiusmodi, quotiens ipsum abesse contingeret, saeculari presbytero committere, ac mandavit et praecepit canonicis ac singulis tam clericis quam laicis dictae dioec. et parochianis ipsius ecclesiae, ut ab omni infestatione dictorum fratrum penitus desisterent. Et deinde venerabilis frater Noster Iohannes, episcopus Clonferten. (3), similes dationes, donationem et concessionem fecit, prout in litteris authenticis desuper confectis ipsorum episcoporum et capituli sigillis munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte David et Iohannis praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut dationibus, donationibus, concessionibus, mandatis et praeceptis praedictis ac aliis in eisdem litteris contentis pro firmiori illorum subsistentia robur apostolicae confirmationis adiicere et alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi tibi de dationibus, donationibus, concessionibus et contentis huiusmodi legitime constiterit, tu illa necnon quaecumque inde secuta eadem auctoritate approbes et confirmes, supplendo omnes defectus *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XVII kal. ianuarii, ... anno XI.

560. Iacobo de la Franchonibus, O. F. M., non valenti cum ministro generali et fratribus dicti ordinis cum animi quiete et sana conscientia Altissimo famulari, pro quo ut dilecto suo etiam nobilis vir Philippus Maria, dux Mediolani, supplicaverat, concedit facultatem transeundi ad quodcumque monasterium O. S. Ben. (4).

1441, decembris 16, Florentiae.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XVII kal. ianuarii, ... anno XI.

---

(1) Reg. Lat. t. 384, f. 265 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 103.

(2) Haec nomina celtica sic corrige: Cros Colin, Guirti Nacrarit, Gortny trapuill, Acayada, Guirtti Mcneill, Mileoc, Macanma, Caelognacroisi, Patt Beg. Subinde lege: Ampuen.

(3) Cf. supra n. 543, p. 259.

(4) Reg. Lat. t. 384, f. 259.

561. Ariminen., Caesenat. et Pensaurien. episcopis ad instantiam Antonii episcopi ac praepositi et canonicorum capituli cathedralis et rectorum parochialium ecclesiarum civitatis et dioec. Caesenat. mandat, ut decretalem « Super cathedram » faciant firmiter observare (1).

1441, decembris 19, Florentiae.

Frequentes hactenus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XIV kal. ianuarii, ... anno XI.

562. Iohanni Kegill, O. F. M., electo Philopolen. (Philippopolis), concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (2).

1441, decembris 20, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni Kegill, electo Philopolen.

Eximiae devotionis sinceritas *etc.* Dudum siquidem ecclesiae Philopolen., tunc pastoris regimine destitutae, de persona tua ... duximus ... providendum, praeficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in Nostris inde confectis litteris plenius continetur (3). Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu pro eo, quod dicta ecclesia in partibus infidelium consistit, ex fructibus, redditibus et proventibus ad mensam episcopalem Philopolen. spectantibus nihil te posse percipere pro tempore speres, Nos volentes tibi, qui ordinis fratrum Minorum professor exsistis, et pro quo etiam dilectus filius Noster Iohannes tituli S. Balbinae presbyter cardinalis, asserens te dilectum suum fore, Nobis super hoc humiliter supplicavit, ne alias in opprobrium pontificalis dignitatis mendicare cogaris, pro statu tuo decenter tenendo de alicuius subventionis auxilio providere gratiamque facere specialem, ... tibi, ut etiam postquam munus consecrationis susceperis, quodcumque saeculare vel regulare, ... dummodo in cathedrali vel collegiata ecclesia non exsistat, unum dumtaxat vel sine illo aliud et sic successive, donec et quousque aliquod assecutus fueris beneficium ecclesiasticum, cuius fructus, redditus et proventus ducentos florenos auri secundum communem aestimationem valeant annuatim, ... in huiusmodi commendam recipere et, quoad vixeris, retinere necnon de illius fructibus ... disponere et ordinare libere ac licite valeas *etc.* non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XIII kal. ianuarii, ... anno XI.

563. Constituit iudices in partibus in causa fratrum O. Praed., Min., Eremit. S. Aug. et Carmel. Remen. contra Iohannem de Gamante, Petrum Silvestri aliosque presbyteros civitatis et dioec. Remen. (4).

1441, decembris 21 Florentiae.

Dilectis filiis beatae Mariae de Igniacho et S. Medardi Remen., et Suessionen. dioecesum monasteriorum abbatibus ac decano ecclesiae Cameracen.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini et Carmelitarum ordinum domorum Remen. priorum et fratrum petitio continebat, quod olim dilecti filii Iohannes de Gamante, S. Stephani, et Petrus Silvestri, S. Iacobi Remen. ecclesiarum rectores, et quidam alii presbyteri civitatis et dioec. Remen. nonnulla sanctorum Patrum dictis et decretis repugnantia, in fide erronea, piarum aurium multipliciter offensiva ac praefatis fratribus, prioribus et ordinibus non minimum praeiudicialia asserere et christiano populo praedicare publice non formidarunt, prout neque quotidie formidant, in animarum suarum periculum et scandalum ac perniciosissimum exemplum plurimorum. Quare pro parte ipsorum priorum et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut causam et causas, quam et quas propterea eisdem rectoribus et presbyteris communiter et divisim movere volunt et intendunt, alicui in partibus illis committere et alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios vocatis rectoribus et presbyteris praefatis atque aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuit appellatione remota decernatis, facientes *etc.* Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.* Aut si rectoribus et presbyteris *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XII kal. ianuarii, ... anno XI.

564. Thomae, Feltren. et Bellunen. episcopo, mandat, ut cum Francisco Cristoferi Ferro de Venetiis O. F. M., qui habitu temere derelicto ad monasterium de Marzano, Civitatis Castellae dioec., O. S. Ben., transierat ibique a quondam Herculano abbate receptus, emissa professione per 8 circiter annos permanserat, tunc in senili aetate constituto ac podagrae ac aliis infirmitatibus oppresso, quem Paulus, abbas S. Felicis de Aymanis, O. S. Ben., Torcellan. dioec., ipsi Francisco

(1) Reg. Lat. t. 382, f. 195.
(2) Reg. Lat. t. 382, f. 201.
(3) Vide supra n. 529, p. 254.
(4) E *Bull. ord. fr. Praed.* t. III, p. 145, n. 234.

affinitate coniunctus, in suo monasterio retenturum promittit, faciat, quod sibi melius videtur, manente tamen perpetua inhabilitate ad quaecumque beneficia ecclesiastica obtinenda (1).

1441, decembris 27, Florentiae.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, VI kal. ianuarii, ... anno XI.

565. Concedit indulgentias pro fabrica ecclesiae O. F. M. extra muros Cariaten. (2).

1441, decembris 30, Florentiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia fratrum Minorum extra muros Cariaten., quae nondum completa exsistit, congruis honoribus frequentetur et in suis structuris et aedificiis debite compleatur et conservetur, et ut fideles ipsi eo libentius *etc.* omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festivitate S. Philippi et Iacobi necnon in duabus proxime sequentibus dominicis diebus ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim et ad complementum et conservationem huiusmodi manus adiutrices porrexerint, singulis videlicet festivitatis et dierum praedictorum unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, III kal. ianuarii, ... anno XI.

566. Concedit Bonaccursio de Florentia, domicello Cariaten., facultatem fundandi domum O. F. M. extra muros Cariaten. (Cariati) cum sepultura pro se et suis successoribus (3).

1442, ianuarii 10, Florentiae.

Dilecto filio Mathaeo de Regio, ordinis fratrum Minorum professori, provinciae Calabriae iuxta morem dicti ordinis vicario.

Piis votis fidelium *etc.* Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Bonaccursii de Florentia, domicelli Cariaten., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse ... quamdam domum extra muros Cariaten., per eum inchoatam, cum ecclesia, campanili, campanis ac claustro, dormitorio et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum Minorum de bonis a Deo sibi collatis compleri et perfici necnon quoddam sepulchrum, in quo suum et successorum suorum, cum decesserint, cadavera, si ibidem elegerint sepulturam, sepeliri possint, in capella ad hoc per eum in dicta ecclesia eligenda construi et aedificari facere desiderat, si Sedis Apostolicae sibi super hoc licentia concedatur. Quare pro parte dicti Bonaccursii, qui, ut asserit, pro dilecta in Christo filia moderna ducissa Suessae in nonnullis terris ipsius ducissae dominio subiectis vicecomes exsistit, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si tibi temporis qualitate et loci conditione ac circumstantiis universis pensatis licentiam huiusmodi concedendam fore videbitur, super quo tuam conscientiam oneramus, praefato Bonaccursio domum compleri et perfici ac sepulchrum praedictum construi et aedificari faciendi necnon ipsis fratribus eamdem domum, postquam illa constructa et perfecta fuerit, pro huiusmodi eorum usu et habitatione recipiendi et perpetuo retinendi licentiam, quodque ipse Bonaccursius aliquem idoneum et discretum presbyterum ex fratribus eiusdem ordinis pro tempore in dicta domo degentibus in suum possit eligere confessorem, qui quotiens sibi fuerit opportunum, confessionibus suis diligenter auditis pro commissis, nisi talia fuerint, propter quae Sedes Apostolica sit merito consulenda, debitam absolutionem impendere et poenitentiam salutarem iniungere necnon illi ecclesiastica sacramenta ministrare libere et licite possit, dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia super hoc minime requisita, per te ipsum auctoritate Nostra concedas, iure parochialis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, IV idus ianuarii, ... anno XI.

567. Concedit locum *lo Cortile* nuncupatum, civitatis Urbinat., ecclesiae Lateranen. subiectum, dummodo alia aequivalentia bona ecclesiae Lateranen. consignata sint, pro constructione monasterii O. S. Cl. eisdemque monialibus facultatem dat vendendi monasterium S. Margaritae Urbinat. pro dicta fabrica (4).

1442, ianuarii 17, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Urbinat.

Piis fidelium, illis praesertim *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum universorum confratrum fraternitatis SS. Iacobi et Antonii Urbinat. Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi ad dilecti filii nobilis viri Guidantonii, comitis Montisferetri et certarum devotarum mulierum, quae sub regularibus clausura et obser-

(1) Reg. Lat. t. 385, f. 77, et iterum ib. f. 252, ubi tamen clausula de inhabilitate ad beneficia omittitur.

(2) Reg. Lat. t. 382, f. 97.

(3) Reg. Lat. t. 382, f. 66v.

(4) Reg. Lat. t. 379, f. 26.

vantia Altissimo perpetuo famulari desiderant, requisitionem locum « Lo Cortile » nuncupatum, in civitate Nostra Urbinat. consistentem, qui ecclesiae Lateranen. subiectus censetur ac illius privilegiis, exemptionibus et immunitatibus gaudet, ut ibidem monasterium ordinis S. Clarae pro usu et habitatione perpetuis abbatissae sive priorissae ac sororum sive monialium dicti ordinis cum ecclesia, campanis, hortis, hortalitiis, dormitorio, refectorio et aliis necessariis officinis fundetur, construatur et aedificetur, ab eadem ecclesia pro aliis bonis in dicta civitate vel extra eam, dictae ecclesiae Lateranen. magis utilibus, per ipsum comitem vel dictas mulieres praefatae ecclesiae assignandis, sive sub responsione certorum annuorum reddituum conquirere sperant, unde cum religionis propagatione divini cultus proveniret multiplex incrementum. Et, sicut eadem petitio subiungebat, si locus sive monasterium S. Margaritae Urbinat., in quo retroactis temporibus aliquae sorores sive moniales residere consueverant, et cuius aedificia sunt totaliter desolata, et in quo a multis citra temporibus nulla monialis sive religiosa resedit, cum suis domibus ac hortis et hortalitiis praefatis mulieribus, quae in dicto construendo monasterio Altissimo famulari affectant, concederetur et assignaretur, ipsaeque mulieres dictum locum S. Margaritae vendere ac illius pretium ad opus et in utilitatem ipsius fundandi monasterii convertere possent, votivae dicti monasterii constructio et aedificatio ad laudem divini nominis eo celerius succederent: pro parte comitis praedicti et dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Baptistae, eius sororis, ac dictorum confratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi tibi de praemissis legitime constiterit, confratribus et mulieribus religiose vivere cupientibus praedictis, absque tamen aliquo illorum, quorum interest seu interfuerit, praeiudicio, locum de Cortile, si et postquam confratres et mulieres praedicti alia aequivalentis cum dicto loco de Cortile valoris bona consignaverint, pro huiusmodi construendo monasterio imperpetuum applices, appropries et assignes ac dictis mulieribus, ut in eodem loco de Cortile monasterium dicti ordinis S. Clarae pro usu et habitatione perpetuis abbatissae sive priorissae et monialium sive sororum ibidem sub regularibus clausura et habitu necnon observantia Deo servientium cum ecclesia, ... officinis huiusmodi fundari et construi facere possint, eadem auctoritate licentiam largiaris. Et nihilominus dictis mulieribus praefatum locum S. Margaritae cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eadem auctoritate dones, concedas, applices, appropries et assignes, ita quod praefatae mulieres dictum locum pro congruo pretio vendere ac pretium ipsum ad opus et utilitatem fabricae necnon structurarum et aedificiorum dicti fundandi monasterii dumtaxat integraliter exponere et totaliter convertere valeant, dicta auctoritate concedas, faciens, disponens, ordinans et exercens omnia et singula, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint seu etiam quomodolibet opportuna, non obstantibus *etc.* proviso, quod ecclesia dicti loci S. Margaritae, si qua ibi sit, ad profanos usus veluti iure haereditario nullatenus redigatur.

Datum Florentiae, anno ... 1441, XVI kal. februarii, ... anno XI.

568. Petro episcopo Doren. (Dora in Palaestina) O. F. M., suffraganeo Cameracen. (Cambrai), concedit licentiam recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1442, ianuarii 31, Florentiae.

Venerabili fratri Petro episcopo Doren.

Personam tuam Nobis *etc.* Hinc est, quod Nos, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, qui theologiae ac, ut asseris, ordinis fratrum Minorum expresse professor exsistis, necnon in civitate et dioec. Cameracen. pro venerabili fratre Nostro Iohanne pontificalia exerces, quique ex fructibus, redditibus et proventibus ecclesiae Doren., cui praeesse dignosceris, et quae per inimicos christianae religionis occupatur, nihil percipis, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum, ... dummodo prioratus vel praepositura huiusmodi conventualis aut officium ipsum claustrale non exsistat, illiusque fructus, redditus et proventus quingentarum librarum Turonen. parvarum secundum communem aestimationem valorem annuum non excedant, in commendam una cum dicta ecclesia retinere libere et licite valeas, ita quod liceat tibi commenda huiusmodi durante fructus, redditus et proventus dicti beneficii recipere et retinere ac illos ipsius beneficii debitis et consuetis deductis oneribus in tuos et illius usus convertere de illisque disponere et ordinare, ... auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Proviso *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, prid. kal. februarii, ... anno XI.

(1) Reg. Lat. t. 379, f. 198 v. Cf. supra n. 455, p. 213.

569. Priori prioratus de Tauro, Zamoren. dioec., mandat, ut Iohannem Gallensem O. F. M. professorem, qui olim in sacerdotio constitutus, ut commodius et facilius litterarum studio insistere valeret, voluntate propria de ordine praedicto illicentiatus ad saeculum transvolaverat ac habitu religioso totaliter dimisso vestes saecularium clericorum assumpserat et ita in certo loco, ubi generale studium vigebat, per plures annos remanserat et postea ex suasione cuiusdam religiosi habitum ordinis B. Mariae de Mercede captivorum assumpserat et per 25 annos in illo ordine permanserat atque etiam praeceptoriam domus B. Mariae eiusdem ordinis Tirasonen. sibi collatam per septennium tenuerat, absolvat a censuris et irregularitatibus eique facultatem concedat in ordine B. Mariae de Mercede captivorum perpetuo remanendi (1).

1442, februarii 10, Florentiae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, IV idus februarii, ... anno XI.

570. Donaldo Okynnealud, presbytero Enachdunen (Annaghdown) dioec., III. O. S. Fr., concedit remissionem plenariam in articulo mortis (2).

1442, februarii 13, Florentiae.

Provenit *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, idibus februarii, ... anno XI.

571. Confirmat receptionem et reformationem domus de Vilforado, O. F. M., Burgen. dioec., per Lupum de Salinis O. F. M. (3).

1442, februarii 21, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Ea, quae pro monasteriorum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Lupi de Salinis, ordinis fratrum Minorum professoris, petitio continebat, quod olim ipse domum villae de Vilforado, dicti ordinis, Burgen. dioec., quae perantea multis annis regulari eiusdem ordinis observantia destituta ac alias in spiritualibus et temporalibus deformata fuerat, ad finem, quod eam ad observationem huiusmodi reduceret, sui tunc superioris desuper suffultus licentia, recepit ac ex post in illa quosdam dicti ordinis fratres, qui inibi sub observantia praedicta et alias laudabiliter permanserunt, prout etiam de praesenti permanent, deputaverit ipsamque multipliciter reformaverit. Quare pro parte dicti Lupi Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... receptionem et reformationem ac omnia inde secuta praedicta auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, IX kal. martii, ... anno XI.

572. Lupum de Salinis O. F. M., qui propria auctoritate receperat domum eremitorii B. Mariae de Linares, Burgen. dioec., absolvit a censuris et receptionem domus approbat (4).

1442, februarii 21, Florentiae.

Dilecto filio Lupo de Salinis ordinis fratrum Minorum professori.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim, cum dilectus filius Petrus Martini de Carrione, tunc rector, prior nuncupatus, domus sive eremitorii beatae Mariae de Linares, Burgen. dioec., provide considerans, quod domus ipsa, quae perantea collegiata ecclesia fuerat, in ecclesia ac aliis structuris et aedificiis ruinam non modicam minabatur, ac cupiens, quod illa ad regularem et conventualem domum reduceretur, necnon sperans, quod tu, qui etiam tuis industria et sollicitudine divina gratia tibi suffragante nonnullas conventuales domos ordinis fratrum Minorum, in quibus sub illius regulari observantia laudabiliter vivitur, erigi et construi fecisti, suffultus praesidio dilecti filii nobilis viri Petri Fernandi de Velasco, comitis de Haro, et dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Beatricis Manriquez, eius consortis, ac etiam mediantibus tuis fructuosis operibus, domum praedictam sponte et libere dimisit seu resignavit, et quod deinde tu ex summo devotionis ardore pro cultus et religionis huiusmodi necnon populi devotionis incremento ad laudem et gloriam divini nominis, contra tamen constitutionem fel. rec. Bonifatii papae ... domum praedictam auctoritate propria recepisti ac quatuor aliis domibus praedicti ordinis, quarum principaliter curam tunc habebas, prout etiam ad praesens habere dignosceris, applicasti et ex post in ea quosdam dicti ordinis fratres sub praedicta inibi observantia degentes deputasti illamque interim aliqualiter

(1) Reg. Lat. t. 385, f. 233 v. Eadem die litteris *Religionis zelus* Priori prioratus de Tauro, Zamoren. dioec. et Tirasonen. ac Caesaraugustan. officialibus mandat, ut eidem Iohanni Gallensi conferant praeceptoriam domus B. Mariae, ordinis B. Mariae de Mercede captivorum, Tirasonen. dioec. Reg. Lat. t. 385, f. 106.

(2) Reg. Lat. t. 386, f. 302 v.

(3) Reg. Lat. t. 385, f. 23 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 105.

(4) Reg. Lat. t. 385, f. 210; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 104. Cf. n. praec.

reparari fecisti. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, te ac fratres, qui in recepta domo huiusmodi permanserunt, omnes et singulos ab excommunicationis sententia ... absolventes ac tecum et cum eis super irregularitate ... dispensantes, tibi et eis ac aliis pro tempore exsistentibus ordinis et observantiae praedictorum fratribus domum praedictam perpetuo retinendi et ad conventualitatem cum claustro, ... officinis reducendi seu reduci faciendi necnon in ea etiam perpetuo commorandi, praemissis ... ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, plenam ... licentiam et etiam potestatem nec non, quod ipsi et dicta domus eiusque pro tempore guardianus omnibus et singulis privilegiis ... gaudere valeant, auctoritate praefata concedimus per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, IX kal. martii, ... anno XI.

573. Concedit facultatem recipiendi unam domum in loco Tursii, Anglonen. dioec., et tria alia infra limites provinciae Apuliae (1).

1442, februarii 21, Florentiae.

Dilecto filio vicario ordinis fratrum Minorum in provincia Apuliae secundum morem, dicti ordinis.

Inter cetera desiderabilia cordis Nostri *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universorum fratrum de observantia nuncupatorum ordinis fratrum Minorum in provincia Apuliae commorantium petitio continebat, quod ipsi ad honorem et laudem Altissimi ac beati Francisci eiusque religionis ac divini cultus augmentum unum seu unam in loco Tursii, Anglonen. dioec., ac tria alia loca sive domos in dicta provincia habere et recipere ferventius concupiscunt, si super hoc eis apostolica suffragetur auctoritas. Quare pro parte eorumdem fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si tibi temporis qualitate et ipsorum loci ac provinciae conditione necnon circumstantiis universis diligenter pensatis dicta licentia concedenda fore videbitur, ... praefatis fratribus, ut ipsi pro ipsorum ac aliorum de observantia huiusmodi fratrum mora, usu et habitatione in praedicto unum seu unam, et in quibusvis aliis locis eiusdem provinciae tria alia loca sive domos, si eis etiam ex christifidelium largitione concedantur, aut illa ex eleemosynis eis erogatis vel erogandis acquirere possint, recipiendi et in eorum quolibet ecclesiam sive oratorium cum humili campanili, campana, ... officinis construi et aedificari faciendi necnon in illis perpetuo commorandi, dioecesanorum locorum *etc.* minime requisita, plenam ... licentiam largiaris, iure *etc.* salvo, non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, IX kal. martii, ... anno XI.

574. Concedit facultatem erigendi monasteria fratrum III. O. S. Fr. in locis de Trachsasson, Roisent, et Baile in Mutis in dioec. Tuamen., Aladen. et Akaden. (2).

1442, februarii 23, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii beatae Mariae de Assdara, Akaden. dioec.

Piis fidelium votis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum Patritii, Philippi et Andreae dictorum Yclumain, fratrum ordinis tertiae regulae S. Francisci de poenitentia nuncupati petitio continebat, quod ipsi pro religionis propagatione ac divini cultus incremento, sperantes, quod piae christifidelium largitiones et eleemosynae eis ad hoc suffragabuntur, in singulis de Trachsasson, de Roisent ac de Baile in Mutis, Tuamen., Aladen. et Akaden. dioec. locis singula monasteria sive domus eiusdem ordinis cum ecclesiis, campanis, campanilibus, oratoriis, refectoriis, dormitoriis, hortis et hortalitiis aliisque necessariis officinis pro usu et habitatione perpetuis fratrum dicti ordinis, qui inibi sub regularibus eiusdem ordinis habitu et observantia perpetuo viverent, fundare et construere sive fundari ac construi facere proponant, prout etiam de praesenti de ordinariorum locorum licentia facere ac construere et aedificare disposuerunt ac etiam inceperunt, Apostolicae desuper Sedis praesidium suppliciter implorantes: pro parte dictorum fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam ipsorum, quorum interest, assensus accesserit, dictis fratribus in eisdem locis monasteria sive domus huiusmodi ulterius construendi et aedificandi sive construi et aedificari faciendi cum ecclesiis ... officinis huiusmodi pro usu et habitatione fratrum praedictorum in locis congruis necnon dictis fratribus praefatas domus pro usu et habitatione praemissis recipiendi ac tenendi auctoritate Nostra licentiam largiaris. Et insuper omnibus et singulis fratribus, quos in domibus

(1) Reg. Lat. t. 385, f. 111; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 106.

(2) Reg. Lat. t. 379, f. 55 v. De domo de Roisent (Roserick) cf. supra n. 556, p. 264. Aliae duae erant in Teaghsaxon (alias Templegal) et in Ballymote.

praedictis pro tempore residere contigerit, ut omnibus privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, VII kal. martii, ... anno XI.

575. Concedit indulgentias pro monasterio S. Agathae Papien. O. S. Cl. (1)

1442, februarii 23, Florentiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, monasterium monialium S. Agathae Papien., ordinis S. Clarae, quod inter cetera partium illarum monialium monasteria insigne admodum et notabile reputatur, in eoque quatuordecim moniales et ultra ordinem ipsum professae suo sponso, qui Christus est, continuum reddunt famulatum, ac SS. Primi et Feliciani corpora recluduntur, et supervenientibus variis et sinistris eventibus ... reparatione indigeat non modicum sumptuosa ..., Nos cupientes *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in SS. Primi et Feliciani praedictorum festivitate ecclesiam dicti monasterii devote visitaverint annuatim et ad huiusmodi reparationem ... manus adiutrices porrexerint, quatuor annos et totidem quadragenas ... relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, VII kal. martii, ... anno XI.

576. Archiepiscopo Florentin. mandat, ut Iohannem Bonecte, fratrem domus O. Coelestin. de castro Columberii, Viennen. dioec., qui illicentiatus ad O. F. M. transierat, absolvat a censuris et irregularitate eique concedat licentiam in O. F. M. permanendi (2).

1442, februarii 28, Florentiae.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, prid. kal. martii, ... anno XI.

577. Henrico Pisani et Benedicto Philippi ac Laurentio Christofori, canonicis Pistorien. mandat, ut Ludovico Pauli, rectori parochialis ecclesiae S. Petri in Capella, Pistorien., conferant parochialem ecclesiam S. Vitalis, etiam Pistorien., cui hodie in manibus papae Michael Bartholomaei de Pistorio, O. F. M. professor, in possessione ipsius ecclesiae S. Vitalis exsistens, licet quoad illam sufficienti dispensatione suffultus non fuerit, per Sozomenum Bonifatii, canonicum Pistorien. procuratorem suum, cessit (3).

1442, februarii 28, Florentiae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, prid. kal. martii, ... anno XI.

578. Declarat per litteras « *Licet debitum* » non derogari consuetudini circa quartam portionem canonicam vigenti in civitate Caesenat. (4).

1442, martii 9, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Romanus pontifex cunctarum tranquillitati *etc.* Sane pro parte venerabilis fratris Nostri Antonii episcopi et dilectorum filiorum capituli Caesenat. Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod inter ipsos ex una ac dilectos filios guardianum et fratres domus Caesenat., ordinis fratrum Minorum, super quarta portione canonica ac illius non solutione ratione corporum christifidelium apud ecclesiam et coemeterium dictae domus sepulturas eligentium et certis aliis iuribus cathedralibus et praesertim occasione quarumdam litterarum Nostrarum, quae incipiunt « Licet debitum », varia dissensiones et scandala successerunt. Nos itaque, ampliorem illorum progressum apostolici ministerii oraculo salubriter adimere cupientes, per praefatas litteras, quarum etiam tenores praesentibus de verbo ad verbum pro sufficienter expressis haberi volumus, laudabili ab olim in dicta civitate Nostra Caesenat. circa praemissa observatae consuetudini nullatenus voluisse aut velle derogare, sed dictam consuetudinem firmiter observandam esse et exsistere in omnibus et per omnia, ac si dictae litterae, quibus tamen alias derogare non intendimus, non emanassent, apostolica auctoritate decernimus per praesentes necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, VII idus martii, ... anno XI.

579. Concedit indulgentias pro capella B. Mariae de Arboresicca in ecclesia O. F. M. Brugen. (Brugge, Bruges) Tornacen. dioec. (5).

1442, martii 14, Florentiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Dum praecelsa *etc.* Cupientes igitur, ut capella beatae Mariae de Arboresicca nuncupata

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 107 « e l. 1 de regular. a. XI, f. 45 ».

(2) Reg. Lat. t. 385, f. 117 v.

(3) Reg. Lat. t. 378, f. 68 v.

(4) Reg. Lat. t. 379, f. 172 v. Litteras *Licet debitum* d. d. 10 nov. 1439 v. sup. n. 450. Cf. etiam supra n. 561, p. 266.

(5) Reg. Lat. t. 388, f. 201 v. Cf. supra n. 545, p. 259.

in ecclesia domus fratrum Minorum Brugen., Tornacen. dioec. fundata, in qua quaedam celebris diversarum utriusque sexus personarum societas seu confraternitas in honorem eiusdem beatae Mariae Virginis fore dignoscitur, instituta, congruis honoribus frequentetur ac in suis structuris et aedificiis debite conservetur ac ipsius confraternitatis confratres ceterique christifideles devotionis causa libentius confluant ad eamdem *etc.*, omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus vere poenitentibus et confessis, qui in festivitatibus eiusdem beatae Mariae capellam ipsam devote visitaverint annuatim et ad conservationem huiusmodi manus adiutrices porrexerint, singulis festivitatum huiusmodi septem annos et totidem quadragenas, octavarum vero festivitatum praedictarum diebus, quibus capellam ipsam visitaverint et manus porrexerint, ut praefertur, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, pridie idus martii, ... anno XII.

580. Mandat, ut fratribus III. O. S. Fr. domus de la Doccia, Fesulan. dioec., concedat ecclesiam sine cura S. Barbarae de Gabiano, Lucan. dioec. (1).

1442, martii 17, Florentiae.

Venerabili fratri Balthasari episcopo Lucan.

Ad ea, per quae ecclesiarum *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum ministri et fratrum domus de la Doccia, tertii ordinis S. Francisci, Fesulan. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi eremitorium seu ecclesiam sine cura S. Barbarae de Gabiano, tuae dioec., in loco solitario consistens seu consistentem, quod seu quam dilectus filius Iacobus Tutii de Florentia, frater dicti ordinis, obtinere dignoscitur, in spiritualibus et temporalibus reformare proponunt, si eis illud vel illa canonice concedatur. Quare pro parte dictorum ministri et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eremitorium seu ecclesiam huiusmodi, cuius fructus, redditus et proventus quindecim florenorum auri de camera, ut ipsi exponentes asserunt, valorem non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ministro et fratribus praesentibus et futuris dictae domus per eos iuxta eorum ritus, mores, statuta et consuetudines tenendum, regendum et gubernandum seu tenendam, regendam et gubernandam perpetuo concedere, assignare et appropriare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus in et super petitis praedictis facias, prout tibi melius videbitur, ... dummodo patronorum laicorum, si qui sint, eremitorii seu ecclesiae huiusmodi ad id tunc expressus accedat assensus, ita quod, si vigore praesentium eremitorium seu ecclesiam huiusmodi ministro et fratribus praesentibus et futuris concedi et assignari contigerit, liceat tunc ministro et fratribus pro tempore exsistentibus praefatae domus per se vel alium seu alios corporalem possessionem eremitorii seu ecclesiae, videlicet postquam dictus Iacobus decesserit seu illud vel illam resignaverit aut alias dimiserit, iuriumque et pertinentiarum praedictorum auctoritate propria libere apprehendere et perpetuo retinere necnon fructus, redditus et proventus praedictos in suos ac huiusmodi eremitorii seu ecclesiae usus et utilitatem convertere et exponere alicuius super hoc licentia minime requisita. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XVI kal. aprilis, ... anno XII.

581. Concedit facultatem habendi altare in eremitoriis fratrum eremitarum III. O. S. Fr. locorum de las Cuevas et de las Bastidas extra muros villae de Carmona, dioec. Hispalen. (2).

1442, martii 17, Florentiae.

Dilectis filiis Petro de Zerezo acolyto ac universis aliis et singulis fratribus eremitis tertii ordinis B. Francisci domorum locorum de las Cuevas et de las Bastidas extra muros villae de Carmona, Hispalen. dioec.

Devotionis vestrae sinceritas *etc.* Hinc est, quod Nos, vestris devotis supplicationibus inclinati, vobis impraesentiarum exsistentibus ac quibuscumque aliis in domibus vestris de las Cuevas et de las Bastidas sub regula tertii ordinis B. Francisci extra muros villae de Carmona Hispalen. degentibus et pro tempore moraturis fratribus eremitis, ut altare ibidem in oratoriis vestris, super quo cum debita reverentia et honore missas et alia divina officia sine iuris alieni praeiudicio, si qui ex vobis in sacerdotio fueritis constituti, celebrare aut per proprium vel alium sacerdotem idoneum celebrari facere, habere, erigere et aedificare necnon unum et plures in vestrum atque vestros confessorem et confessores eligere possitis, qui quotiens opportunum fuerit, confessionibus ve-

(1) Reg. Lat. t. 390, f. 178v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 108. Cf. supra n. 546, p. 259. (2) Reg. Lat. t. 394, f. 251v.

stris diligenter auditis pro commissis vobis debitam absolutionem impendat et impendant ac iniungat et iniungant poenitentiam salutarem, nisi forsan talia fuerint, propter quae Sedes Apostolica sit merito consulenda, quodque ipse vel ipsi confessor seu confessores aut quicumque alii saeculares vel religiosi presbyteri quandocumque, cum similiter opus fuerit, sacramenta et sacramentalia ecclesiastica ministrare vobis possint et valeant, ... devotioni vestrae auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia indulgemus, iure parochialis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, XVI kal. aprilis, ... anno XII.

582. Decernit observandas esse consuetudines circa fratres O. Praed., O. Min., O. Erem. S. Aug. et O. Carm., qui per suos generales pro continuatione et consummatione studiorum ad facultatem theologicam universitatis Parisien. mittuntur (1).

1442, martii 24, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad iugem divinae scientiae et sacrae theologiae propagationem, ut peculiare illius studium ad salubrem fidelium aedificationem undique suos funiculos longiores efficiat, continuas Nostrae meditationis sollicitudines impendimus ac illis, quae propterea singulis sublatis dispendiis profutura fore conspicimus, favores apostolicos diffusius impertimur. Sane pro parte dilectorum filiorum generalium et fratrum Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini et Carmelitarum ordinum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet iuxta antiquas et laudabiles dudum etiam a tanto tempore, cuius contrarii non exsistit memoria, in facultate theologiae universitatis studii Parisiensis inconcusse observatas consuetudines singuli dictorum ordinum fratres, qui pro felici dicti studii theologiae continuatione et salutari consummatione per generalia cuiusque ex dictis ordinibus capitula vel per suos generales aut eorum vicarios seu alios ad id sufficientem potestatem habentes ad universitatem Parisien. missi et ad legendum inibi bibliam biblice deputati et assignati fuerunt, si per deputatos facultatis theologiae dictae universitatis ad hoc reperti fuerant sufficientes, solutis iuribus eiusdem facultatis sine mora alicuius praecedentis temporis ad legendum bibliam biblice huiusmodi ab eadem facultate admissi et recepti sive acceptati fuissent, necnon illi, qui simili modo ad legendum sententias deputati fuerunt, sine alicuius praecedentis temporis acquisitione, sine bibliae lectura, sine cursibus et absque ipsorum cursuum persolutione a dicta facultate ad legendum sententias sive librum sententiarum admissi exstiterunt, et postquam dicti fratres baccalaurei formati in dicta theologia facti fuerant, quilibet ex eisdem ordinibus regens unum ex dictis baccalaureis pro obtinenda licentia in dicta theologia cancellario ecclesiae Parisien. praesentare consuevit, ipseque baccalaureus sic praesentatus ad immediatam tunc sequentem licentiam, licet etiam statuti temporis, videlicet quinque annorum, dum tamen bis de ordinaria respondisset, spatium non complevisset, protinus admissi exstitissent, et ex praemissis plurimi dictorum ordinum fratres in eadem theologia legendo et disputando multipliciter profecerint ac plura exinde Deo grata et hominibus accepta bona successerint, tamen a paucis annis citra nonnulli ex facultate theologiae universitatis huiusmodi dictis fratribus in admissionibus et receptionibus ac aliis praemissis difficultates ingesserunt, unde plurima dictis fratribus ac ordinibus communique utilitati dispendia provenire noscuntur: pro parte generalium et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, uberes et commendabiles, quos dicti fratres dietim in Dei ecclesia afferunt, fructus propensius attendentes ac eorum statui et indemnitati in praemissis opportune consulere cupientes necnon dictas consuetudines velut legitimas et rationabiles apostolica auctoritate approbantes et confirmantes ac observandas fuisse et in futurum perpetuo observari debere censentes ac decernentes, praesentis perpetuo valiturae ac irrefragabiliter observandae constitutionis edicto eadem auctoritate sancimus ac statuimus et ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus omnes et singuli dictorum ordinum fratres, qui pro continuatione et consummatione studii theologiae huiusmodi per aliqua ex generalibus dictorum ordinum capitula vel eorum aliquod aut per suos generales vel eorum vicarios seu quoscumque alios sufficientem ad id potestatem habentes ad dictam universitatem missi et ad legendum inibi bibliam biblice deputati et assignati ac per dictos deputatos facultatis theologiae ad hoc sufficientes et idonei reperti fuerint, solutis iuribus eiusdem facultatis indilate et absque alicuius praecedentis temporis mora ad legendum bibliam biblice huiusmodi necnon illi, qui si-

(1) Reg. Lat. t. 390, f. 287; Wadd. *Ann.* ad a. 1442, n. 9.

mili modo ad legendum sententias deputati fuerint, nulla cuiusvis temporis exspectata mora sine biblicae lectura, sine cursibus et absque ulla ipsorum cursuum persolutione ad legendum sententias sive librum sententiarum a dicta facultate omnibus contradictione et difficultate penitus cessantibus libere admittantur et admitti debeant, ac postquam dicti fratres formati in eadem theologia baccalaurei fuerint, quilibet ex eisdem ordinibus regens unum ex dictis baccalaureis pro obtinenda licentia in dicta theologia praefato cancellario praesentet et praesentare debeat, ipseque baccalaureus sic praesentatus ad immediatam tunc sequentem licentiam, licet etiam statuti temporis, videlicet quinque annorum, spatium non compleverit, dum tamen bis de ordinaria responderit, sine aliqua contradictione protinus libere admittatur, mandantes nihilominus cancellario dictae ecclesiae pro tempore exsistenti necnon universis doctoribus, magistris et scholaribus dictae facultatis eisque et ipsorum cuilibet in virtute sanctae obedientiae ac in suorum remissionem peccaminum districte praecipiendo iniungentes, quatenus sanctionem, statutum et ordinationem praedictam efficaciter observent et ab omnibus faciant observari, decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1441, IX kal. aprilis, ... anno XII.

583. Committit exsecutionem praecedentis constitutionis (1).

1442, martii 24, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Melden. et dilectis filiis S. Genovefae intra, ac S. Germani extra Parisien. muros monasteriorum abbatibus.

Hodie Nostrae emanarunt litterae tenoris subsequentis:

Eugenius episcopus etc.
Ad perpetuam rei memoriam.

Ad iugem divinae scientiae *etc.* [*ut n. praecedenti*].

Cupientes igitur, ut dictae litterae votivum sortiantur effectum, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios litteras praedictas exsecutioni debitae demandantes necnon, ubi et quando expedire videritis, auctoritate Nostra sollemniter publicantes, singulis ex eorumdem ordinum fratribus praesentibus et futuris, quotiens pro parte eorum vel alicuius ipsorum desuper requisiti fueritis seu alter vestrum fuerit requisitus, in praemissis efficacis defensionis auxilio assistatis necnon statutum, sanctionem et ordinationem praedictam perpetuis futuris temporibus firmiter observanda fore et observari debere nuntietis eaque ac omnia et singula in praedictis litteris contenta per censuram ecclesiasticam et quaevis alia opportuna iuris remedia a rectore et cancellario ac decano et magistris facultatis theologiae dictae universitatis, qui pro tempore fuerint et quibusvis aliis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis exempti et non exempti vel conditionis fuerint et quavis, etiam si patriarchali, archiepiscopali vel episcopali aut alia dignitate praefulgeant, efficaciter observari faciatis, non permittentes dictos fratres aut eorum aliquem super praemissis vel eorum aliquo perturbari seu quomodolibet molestari. Et insuper legitimis super his per vos habendis servatis processibus eos, quotiens expedierit, aggravare curetis, contradictores per censuram *etc.*, invocato *etc.* Ceterum volumus et eadem auctoritate decernimus, quod a data praesentium sint vobis et cuilibet vestrum in praemissis omnibus et eorum singulis potestas ac iurisdictio attributae, ut eo vigore eaque firmitate possitis in illis et pro eis dicta auctoritate procedere, ac si quoad ipsa omnia iurisdictio huiusmodi per citationem vel modum alium legitimum perpetuata foret. Non obstantibus fel. rec. Bonifatii papae VIII, praedessoris Nostri, illis praesertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem *etc.* seu ne iudices *etc.* Aut si aliquibus communiter vel divisim *etc.*

Datum, *ut supra.*

584. Mandat, ut Iohanni de S. Gregorio O. F. M., facto examine, conferant licentiae gradum et doctoratus insignia (2).

1442, martii 27, Florentiae.

Dilectis filiis Iohanni Artal et Petro de Palençuela ordinis fratrum Minorum et theologiae professoribus.

Viri sacrae lectionis studio eruditi sub religionis quoque habitu Domino militantes favoris apostolici gratiam promerentur, ac eo benignius ipsorum desideriis annuere decet honestis, quo ex illorum profectibus scientiarum distenta propagine maior in Dei poterit ecclesia utilitas provenire. Sane pro parte dilecti filii Iohannis de S. Gregorio, ordinis fratrum Minorum pro-

(1) Reg. Lat. t. 390, f. 288 v.

(2) Reg. Lat. t. 390, f. 186 v.

fessoris, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim Nos venerabili fratri Nostro Petro, episcopo Sambarien., octo personas regulares seu religiosos, quos ad hoc eligeret, quae per diligentem examinationem duorum ad minus ipso praesente in theologia magistrorum ad hoc sufficientes et idoneae repertae forent et alicubi sententias legissent, suorum superiorum super hoc non requisita licentia, servatis tamen sollemnitatibus in talibus fieri solitis in eadem theologia magistrandi et licentiandi per quasdam Nostras litteras concessimus facultatem, ac praefatus episcopus in vim litterarum et facultatis praedictarum dicto Iohanni ad hoc examinato et idoneo ac sufficienti reperto in praefata theologia licentiam concessit ac licentiatum fecit et creavit ac magisterii seu doctoratus in dicta theologia insignia, quotiens sibi placeret, recipiendi auctoritatem concessit ac sibi ex post in ipsa theologia magisterii sive doctoratus insignia contulit. Et deinde litteras ac facultatem praedictas ac licentiatos et magistros earum vigore factos per alias Nostras litteras [1] revocavimus, cassavimus, irritavimus et annullavimus. Et successive quondam Guillelmo, dicti ordinis generali, per Nostras dedimus litteras in mandatis, ut, si per dictum episcopum licentiati et magistrati vocatis et accersitis ad hoc quatuor vel quinque magistris dictae theologiae per diligentem et rigorosam examinationem reperirentur sufficientes et idonei, ubicumque foret, per se vel alium absque expensarum oneribus et aliis sollemnitatibus doctoratus in eadem theologia insignia conferret, ipseque generalis dilecto filio Bertrando, ministro provinciae Provinciae secundum morem dicti ordinis, magistro in dicta theologia, commisit, si adhibitis ad hoc quatuor vel quinque in dicta theologia magistris ipsum ad hoc sufficientem inveniret, doctoratus sibi in ipsa theologia insignia conferret, sed interim, antequam dictus Bertrandus, per eumdem generalem deputatus, ad exsecutionem commissionis sibi factae huiusmodi procederet, dictus generalis exstitit vita functus. Quare pro parte dicti Iohannis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi super his de opportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si adhibitis vobiscum ad hoc quatuor vel quinque in dicta theologia magistris per diligentem examinationem dictum Iohannem ad hoc sufficientem et idoneum fore reppereritis, dicto Iohanni iuxta commissionem per generalem factam huiusmodi absque etiam expensarum oneribus et omissis aliis in talibus fieri solitis sollemnitatibus licentiae gradum et doctoratus insignia in eadem theologia auctoritate Nostra conferatis atque tradatis ipsique Iohanni, ut postmodum omnibus et singulis privilegiis, praeeminentiis, honoribus ac libertatibus, quibus alii in eadem theologia licentiati et magistri sive doctores quomodolibet gaudent, etiam uti valeat ac potiri ac a tempore licentii et magisterii huiusmodi uti et gaudere potuisse, eadem auctoritate decernatis et concedatis. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VI kal. aprilis, ... anno XII.

585. Alphonso episcopo Burgen. concedit facultatem transferendi tres moniales O. Praed. et tres O. S. Cl. pro reformatione quorumdam monasteriorum monialium O. S. Ben., Burgen. dioec., quam Iohannes, Castellae et Legionis rex, et dictus episcopus exoptant [2].

1442, martii 27, Florentiae.

Ad decorem sacrae religionis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VI kal. aprilis, ... anno XII.

586. Concedit licentiam ter in anno per denos dies commorandi extra monasterium cum consanguineis pro curatione morborum [3].

1442, martii 27, Florentiae.

Dilectae in Christo filiae Leonori de Loric, moniali monasterii S. Clarae Xativae, ordinis eiusdem sanctae, Valentin. dioec.

Humilibus et honestis supplicum *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, tu, quae in quinquagesimo et ultra tuae aetatis anno constituta exsistis, dolorem capitis, quae infirmitas emigranea communiter appellatur, plerumque patiaris necnon cancri etiam aegritudine in naso plurimum aggraveris, pro recuperanda sanitatis medela extra ipsum monasterium cum consanguineis tuis per tempora aliqua cupias commorari, cum quibus auxiliante Deo, eorum adiuta suffragiis, aliqua remedia consequi posse speras, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi, quod ter in anno extra dictum monasterium et cum consanguineis huiusmodi qualibet vice per dies decem continuos morari necnon pro tuis relevandis necessitatibus unam ancillam sive servitricem vel sclavam, quae tibi infra dictum monasterium et alibi deserviat, tecum tenere valeas, tibi concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, suadentibus

(1) Vide supra n. 226, p. 108. (2) Reg. Lat. t. 388, f. 130. (3) Reg. Lat. t. 390, f. 290.

causis praemissis tuum desiderium exauditione benigna prosequi cupientes, ... tibi, ut a dicto monasterio ter in anno te absentare et in consanguineorum tuorum, de quibus tibi videbitur, domibus dumtaxat per dies decem pro vice qualibet morari ac unam ancillam seu servitricem vel sclavam etiam infra septa dicti monasterii pro tuis necessitatibus relevandis et servitiis tibi necessariis impendendis tecum retinere libere et licite valeas, alicuius super hoc licentia minime requisita, quibuscumque ... nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VI kal. aprilis, ... anno XII.

587. Concedit vicario provinciae Marchiae Anconitan. vel Iacobo de Aesculo O. F. M. de observ. licentiam recipiendi domum in dioec. Firman. pro fratribus O. F. M. observ. (1).

1442, aprilis 4, Florentiae.

Dilectis filiis vexillifero, prioribus et communitati civitatis Nostrae Firman.

Piis fidelium votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod vos, ad ordinem fratrum Minorum de observantia nuncupatorum singularem gerentes devotionis affectum, aliquam pro usu et habitatione aliquorum dicti ordinis fratrum in dioec. Firman. domum erigi et fundari sive etiam aliquam ecclesiam pro usu et habitatione huiusmodi recipi propensius affectatis, apostolici desuper favoris praesidium ferventius praestolantes. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut dilecto filio dicti ordinis in provincia Marchiae Anconitanae secundum morem ordinis eiusdem vicario tunc exsistenti aut Iacobo de Aesculo, ipsius ordinis professori, domum pro eisdem usu et habitatione cum ecclesia, campanili, ... officinis in congruo ad id legitime acquirendo loco construendi *etc.* Nos igitur ... vicario seu Iacobo praedictis domum cum ecclesia ... officinis praedictis pro dictis usu ... fundandi ... et ecclesiam praedictam, ut praefertur, recipiendi necnon fratribus observantiae eiusdem domum vel ecclesiam huiusmodi pro dictis usu ... accipiendi et retinendi, dummodo ad id, quorum interfuerit, accedat assensus, ... elargimur. Non obstante *etc.* iure *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, prid. nonas aprilis, ... anno XII.

588. Concedit facultatem, ut thesaurarii civitatis Ragusin. oliveta, bona et redditus domus O. F. M. de observ. Daxae possint convertere ad pias causas et in usus pauperum (2).

1442, aprilis 6, Florentiae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus loci insulae Daxae, Ragusin. dioec., ordinis fratrum Minorum.

Ex pastoralis officii debito *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ad domum vestram, in qua ad praesens regularis ordinis fratrum Minorum viget observantia, aliqua oliveta et bona immobilia ac redditus pertinere dignoscuntur, et pro eo, quod iuxta regulam desuper a glorioso Christi confessore S. Francisco traditam bona propria habere non potestis, quod oliveta, bona et redditus praedicta in alios pios usus convertantur, vosque ab illis penitus exonerari affectatis. Et, sicut eadem petitio subiungebat, si thesaurarii civitatis Ragusin., qui per dilectos filios cives ac commune dictae civitatis ad respiciendum necessitatem pauperum pro tempore deputantur, emolumenta ac redditus, quae ex olivetis et bonis ac aliis praemissis pro tempore obveniunt, colligerent et ad usus pauperum sive ad pias causas applicarent et converterent, vestris conscientiis et animarum saluti plurimum consuleretur ac devotionis vestrae propagatio proveniret: pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... praesentis perpetuo valiturae constitutionis edicto apostolica auctoritate sancimus ac statuimus et ordinamus, quod ex nunc inantea thesaurarii, qui in favorem pauperum in dicta civitate pro tempore deputati fuerint, omnia et singula redditus ac emolumenta ex olivetis, bonis ac redditibus praedictis, quorum tamen proprietatem ad Romanam ecclesiam perpetuo remanere volumus et decernimus, quomodolibet obvenientia colligere, percipere ac levare eaque in usus pauperum vel alias ad pias causas, prout eorum conscientiis, quas super hoc oneramus, amplius expedire visum fuerit, plenarie et integre convertere ac exponere possint, debeant et etiam teneantur, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VIII idus aprilis, ... anno XII.

---

(1) Reg. Lat. t. 390, f. 174; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 109. Iacobus de Aesculo = de Marchia.

(2) Reg. Lat. t. 390, f. 32v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 110.

589. Mandat, ut prout videbitur, agat in concessione ecclesiae S. Brigidae Mutinen. pro fratribus III. O. S. Fr. et III. O. Humiliat. Mutinen. (1).

1442, aprilis 21, Florentiae.

Venerabili fratri Scipioni, episcopo Mutinen.

Ad ea, per quae ecclesiarum *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum tertii S. Francisci ac tertii Humiliatorum ordinum fratrum, in civitate Mutinen. commorantium, necnon Nicolai de Machiavellis, rectoris ecclesiae S. Brigidae Mutinen., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet ipsi fratres bonorum mobilium, quae pro pauperibus dictae civitatis in communi pro tempore erogantur, administratores et distributores exsistant, tamen in eadem civitate locum accommodum, in quo contemplationi et aliis devotis orationibus intendere necnon bona eis ad distribuendum pauperibus huiusmodi pro tempore assignata utiliter conservare valeant, nullatenus habere noscuntur; et, sicut eadem petitio subiungebat, si dicta ecclesia, quae sine cura est et intra terralia eiusdem civitatis loco utique ab aliis civium habitationibus remoto consistit, cum illius ei contiguo horto eisdem fratribus et eorum successoribus, necnon omnia et singula dictae ecclesiae immobilia bona, quorum viginti, illis ab eadem ecclesia penitus segregatis, perpetuo beneficio in maiori Mutinen. ecclesia instituto, quod dictus Nicolaus obtinet, et cuius sedecim florenorum auri de camera fructus, redditus et proventus secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipse Nicolaus asserit, non excedunt, perpetuo concederentur, applicarentur, incorporarentur et appropriarentur, fratres praedicti in praefato horto quasdam habitationes tam ad usus et perficienda devota opera eorumdem quam ad conservationem pro pauperibus assignandorum huiusmodi construerent, ... et exinde pauperibus praedictis suffragia non modica provenirent, necnon obtinens pro tempore praefatum beneficium se commodius sustentare posset et circa divinorum inibi exhibitionem ac servitia impendenda facilius invitaretur. Quare pro parte Nicolai, qui etiam, sicut accepimus, dictam ecclesiam S. Brigidae, quam obtinet, in favorem faciendarum concessionis et incorporationis praedictarum sponte et libere resignare proponit, necnon fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut resignationem admittere ac bona immobilia quaecumque ecclesiae S. Brigidae huiusmodi ab illa penitus segregare et totaliter separare necnon ulterius ecclesiam S. Brigidae cum horto huiusmodi dumtaxat praesentibus et futuris fratribus ordinum praedictorum in dicta civitate pro tempore commorantium ac etiam segreganda et separanda bona omnia et singula praedicta post eorum segregationem praefatam eidem beneficio perpetuo applicare, concedere, appropriare et incorporare dictoque Nicolao, quod ipse, si voluerit, etiam post resignationem ipsam in ecclesia S. Brigidae praefata et eius domibus moram trahere possit, indulgere ... dignaremur, ita quod, postquam segregatio ipsa facta fuerit, Nicolaus, si tunc in humanis egerit, alioquin obtinens pro tempore beneficium, bonorum, necnon fratres praedicti ecclesiae et horti huiusmodi possessionem per se vel alium seu alios auctoritate propria libere apprehendere et perpetuo retinere, ac Nicolaus et obtinens praefati fructus, redditus et proventus bonorum praefatorum in suos ac dicti beneficii usus et utilitatem convertere [possint], alicuius super hoc licentia minime requisita. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus in praemissis omnibus ... facias, prout tibi melius videbitur *etc.* non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, XI kal. maii, ... anno XII.

590. 1) Margarethae van Melauen, moniali monasterii de Peteghem, prope Aldenardum, O. S. Cl., Tornacen. dioec.; 2) Margarethae Hoens, moniali eiusdem monasterii, concedit remissionem plenariam in articulo mortis (2).

1442, aprilis 24, Florentiae.

Provenit *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VIII kal. maii, ... anno XII.

591. Mandat, ut hospitale pauperum S. Georgii sive S. Giorii Pensaurien. (Pesaro) incorporet monasterio Corporis Christi O. S. Cl. Pensaurien. (3).

1442, maii 2, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Pensaurien.

Apostolicae servitutis Nobis desursum *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, hospitale pauperum S. Georgii, alias S. Giorii, Pensaurien. dioec., in suis ac eius ecclesiae structuris et aedificiis adeo ruinosum exsistit, quod in dicto hospitali nullus ad praesens moram trahit ac nulla inibi hospitalitas servatur, eiusque facultates et redditus non in infirmorum et pauperum refectionem, sed in abusus detestabiles convertantur, Nos in praemissis, prout tenemur, opportune providere cupientes, fraternitati tuae ... man-

(1) Reg. Lat. t. 390, f. 249v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 111.

(2) Reg. Lat. t. 394, f. 245.

(3) Reg. Lat. t. 390, f. 48.

damus, quatenus vocatis moderno rectore dicti hospitalis necnon aliis, qui fuerint evocandi, super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, dictum rectorem praefato hospitali auctoritate Nostra prives et amoveas realiter ab eodem. Et nihilominus, si privationem ac amotionem huiusmodi per te fieri contigerit, hospitale praedictum, cuius fructus, redditus et proventus vigintiquatuor florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis monasterio Corporis Christi Pensaurien., ordinis S. Clarae, cuius fructus, redditus et proventus praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, eadem auctoritate in perpetuum incorpores, unias et annectas, ita quod post privationem et amotionem praedictas liceat dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui dicti monasterii corporalem hospitalis iuriumque et pertinentiarum praedictorum possessionem auctoritate praefata libere apprehendere necnon huiusmodi illius fructus, redditus et proventus in suos ac dicti monasterii usus convertere perpetuo pariter et retinere, dioecesani loci et cuiusvis alterius super hoc licentia minime requisita, non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod si, et postquam unionem et annexionem ac incorporationem praedictas per te fieri necnon effectum sortiri contigerit, abbatissa monasterii pro tempore exsistens ac conventus praedictae singula ratione ipsius hospitalis incumbentia onera supportare debeant et etiam teneantur. Et insuper ex tunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Datum Florentiae, anno ... 1442, VI nonas maii, ... anno XII.

592. Approbat tractatus inter fratres domus de Muralto, Camerinen. dioec., O. F. M. de observ., et fratres eiusdem observ. provinciae Marchiae Anconitan. circa restaurationem et coaptationem aedificiorum praedictae domus (1).

1442, maii 11, Florentiae.

Dilecto filio episcopi Camerinen. in spiritualibus vicario generali.

Aeterni pastoris vices divina providentia *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Petri loci de Muralto, Camerinen. dioec., ordinis fratrum Minorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi dictam domum, quae ab olim ordinis S. Clarae esse consuevit (2), pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis fratrum Minorum de observantia cum omnibus et singulis suis bonis mobilibus et immobilibus acceptarunt, sperantes, quod dicta domus, cuius structurae et aedificia plurimum ruinosa exstiterant ac minus debite pro usu et habitatione praemissis composita, de dictis bonis posset ac deberet ad usum et habitationem praefatas commodius coaptari, quodque piis christifidelium largitionibus et subventionibus eis gratum in praemissis subsidium provenisset, ac cum aliis dicti ordinis fratrum Minorum de observantia domorum provinciae Marchiae Nostrae Anconitanae secundum morem dicti ordinis tractarunt et hinc inde vicissim promiserunt et obligationes fecerunt, quod ipsi guardiano et fratribus domus de Muralto in reficiendis et coaptandis structuris et aedificiis praedictis assisterent et subvenirent, alias guardianus et fratres domus de Muralto praedicti praefatam domum de Muralto deserere necessitati fuissent, unde gravia in religionis et dicti ordinis fratrum Minorum confusionem scandala successissent, diversis aliis inter dictos fratres promissionibus subsecutis, prout in litteris authenticis desuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte guardiani et fratrum domus de Muralto praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis omnibus ... te diligenter informes et ... tu illa necnon quaecumque inde secuta eadem auctoritate approbes et confirmes, supplendo omnes defectus *etc.* Et nihilominus potiori pro cautela dictum locum de Muralto ad illius bonorum medietatem pro refectione et coaptatione praedictis guardiano et fratribus domus de Muralto praefatis pro usu et habitatione perpetuis fratrum dicti ordinis fratrum Minorum de observantia eadem auctoritate in perpetuum dones, applices, appropries *etc.* non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, V idus maii, ... anno XII.

593. Mandat, ut fratribus domorum Papien. O. F. M. et O. Erem. S. Aug. concedat mitigationem obligationum e testamento Gaspari Petri de Rampis, civis Papien. (3).

1442, maii 26, Florentiae.

Venerabili fratri .. episcopo Papien.

Sacrae religionis zelus, sub qua dilecti filii Minorum et Eremitarum S. Augustini ordinum

(1) Reg. Lat. t. 390, f. 40: Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 112.

(2) Cf. supra n. 413, p. 193.

(3) Reg. Lat. t. 390, f. 254 v.

Papien. domorum fratres *etc.* Exhibita siquidem pro parte dictorum fratrum petitio continebat, quod dudum quondam Gaspar Petri de Rampis, civis Papien., condens in eius ultima voluntate testamentum, nonnulla Minorum et quaedam alia tunc expressa possessiones et bona immobilia ad eum legitime tunc spectantia Eremitarum S. Augustini ordinum domibus huiusmodi, videlicet postquam uxor, quam usufructuariam, ac quaedam Benigna, nata tunc eiusdem testatoris, quam ipsius haeredem suam tunc instituerat, absque liberis decederent, reliquit ac legavit hac conditione adiecta, quod Minorum de ipsis concessorum ducentas et decem pro duabus ac Eremitarum ordinum domorum huiusmodi fratres pro tempore exsistentes de eis relictorum possessionum et bonorum praedictorum fructibus, redditibus et proventibus trecentas libras monetae illarum partium pro aliis duabus pauperibus puellis nuptui tradendis perpetuo annis singulis erogare, dispensare et persolvere tenerentur. Et insuper ordinavit, quod in bonis ac possessionibus domui Eremitarum ac illius fratribus concessis huiusmodi, si et in quantum partem dictae conditionis eis tangentem, ut praemittitur, non servarent, domus Minorum ordinum et illius pro tempore fratres cum onere erogationis et dispensationis imposito domui Eremitarum huiusmodi succedere, quodque etiam, si ipsi fratres domus Minorum tam pro legato eis facto quam pro successione huiusmodi conditionem praedictam non adimplerent, quod tunc et in eo casu omnia et singula possessiones et bona domibus relicta et legata huiusmodi ad collegium notariorum Papien. cum simili conditione devenire deberent, prout in quodam publico instrumento desuper confecto plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, Benigna absque liberis ac etiam usufructuaria praedictis defunctis dicta possessiones et bona iam tribus vel circa annis elapsis ad domos et eorum fratres praedictos pervenerint, ipsique fratres ex illis, quae pro aliqua earum parte causantibus negligentia et mala administratione usufructuariae et natae praedictarum necnon etiam guerris, pestilentiis et aliis diversis sinistris eventibus partes illas hactenus affligentibus arida et inculta ac in eorumdem fructibus atque redditibus diminuta remanserunt, computatis expensis per eos in illarum cultuatione, recuperatione, reparatione et restauratione infra huiusmodi triennium factis modicos fructus perceperint, et alias domus fratrum Minorum huiusmodi choro, pavimento, « solatura » nuncupato, necnon libraria et infirmaria ac nonnullis aliis structuris, aedificiis et officinis ruinae dedita ac reparatione indigens plurague calices, libri et alia iocalia eiusdem pignori data, ac etiam domus fratrum Eremitarum huiusmodi locis tam pro infirmis ac novitiis quam etiam pro aliis fratribus capitulariter congregandis carere necnon erectioni novae librariae indigere noscantur, ipsarumque domorum ad praemissorum reparationem ac studentium provisionem et aliorum onerum supportationem inibi pro tempore non suppetunt facultates, pro parte Eremitarum, etiam asserentium, quod possessiones et bonorum eis relictorum huiusmodi fructus, redditus et proventus tempore dicti legati ultra summam centum florenorum auri de camera annuatim communiter non valebant, quodque etiam magna pars unius ex possessionibus eis relictis praedictis ad quosdam haeredes ipsius Benignae devenisse dignoscitur, necnon Minorum fratrum domorum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus tu per te vel alium seu alios ad hoc a te deputandum seu deputandos de praemissis omnibus ... diligentem informationem suscipias et, si per informationem huiusmodi ea vera esse reppereris, ... fratribus pro tempore exsistentibus dictarum domorum, quod ipsi usque ad viginti annos inclusive a die intimationis praesentium computandos ratione possessionum et bonorum eis ac domibus praefatis relictorum et legatorum huiusmodi non singulis annis, ut praefertur, sed singulis bienniis, in quorum primo erogatio et dispensatio huiusmodi fieri debeat, summas per eos pro maritandis puellis deputatas huiusmodi persolvere, tradere et assignare teneantur ac residuum fructuum, reddituum atque proventuum, quod infra viginti annos praedictos ex praefatis possessionibus et bonis eis legatis superexstabit, in suos ac dictarum domorum usus et utilitatem convertere libere et licite possint et valeant, etiam perinde, ac si idem testator id expresse reliquisset, auctoritate praefata etiam per alium seu alios huiusmodi concedere studeas et procures. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VII kal. iunii, ... anno XII.

594. Nicolao, tit. S. Crucis in Ierusalem presbytero cardinali, mandat, ut Michaelem de Pistorio, O. F. M., qui ante quadraginta annos, cupiens parentibus suis, tunc senio et paupertate gravatis, providere, de domo O. F. M. Pistorien. ad monasterium S. Martini Pistorien., O. S. Ben., transierat et ecclesiam parochialem, prioratus nuncupatam, S. Vitalis Pistorien. obtinuerat, absolvat a censuris et irregularitatibus et concedat facultatem perpetuo remanendi in ordine

S. Benedicti eique praedictam ecclesiam parochialem conferat (1).

1442, maii 30, Florentiae.

Apostolicae solet Sedis clementia *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, III kal. iunii, ... anno XII.

595. Abbatissae et monialibus monasterii S. Clarae de Victoria, O. S. Cl., Calagurritan. dioec., concedit remissionem plenariam in articulo mortis (2).

1442, iunii 19, Florentiae.

Provenit *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, XIII kal. iulii, ... anno XII.

596. Confirmat venditionem alicuius praedii infra limites parochiae S. Petri a Quintale, dioec. Florentin., iuxta pactum inter monachos monasterii O. S. Ben. et sorores III O. S. Fr. domus S. Onofrii, Florentin. (3).

1442, iunii 20, Florentiae.

Ad futuram rei memoriam.

Debitum pastoralis officii *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii B. Mariae Florentin. congregationis unitatis (4) ordinis S. Benedicti necnon dilectarum in Christo filiarum ministrae et sororum domus S. Onofrii Florentin., de Fuligno nuncupatarum, tertii ordinis S. Francisci, sub obedientia, paupertate et castitate auctoritate apostolica insimul viventium, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsae ministra et sorores provide attendentes, quod quondam Pazzinus Thaddaei de Donatis, monachus praedicti monasterii et ipsum ordinem S. Benedicti expresse professus, qui ante suum religionis ingressum quoddam « podere », infra limites parochiae parochialis ecclesiae S. Petri a Quintale, Florentin. dioec., consistens et ad ipsum Pazzinum tunc legitime pertinens, quondam Ysabetae, illius genitrici, tunc sorori praedictae domus et dictum tertium ordinem expresse professae, libere donavit, in ultimis constitutus, antequam decederet, coram pluribus personis asseruerat et declaraverat suae intentionis fuisse et esse, quod podere huiusmodi ad praefatum monasterium deveniret et ad illud spectare deberet, ita tamen, quod abbas et conventus praedicti dilecto filio Thomae Iacobi de Gocio, mercatori Florentin., ducentos et quinquaginta, quos Thomae, ducentos florenos auri tunc in civitate Florentin. currentes, quos Ysabetae praedictis ex certis causis dare et solvere se legitime tunc teneri censebat, darent et persolverent, super his inter se tractatu et matura deliberatione praehabitis podere huiusmodi pro pretio quingentorum et quinquaginta florenorum auri in civitate praedicta tunc currentium vendiderunt, tradiderunt et assignarunt, necnon omne id, quod ipsum podere plus dicto pretio forsan valebat, eidem abbati et conventui libere donarunt, prout in instrumento publico superinde confecto plenius continetur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, abbas et conventus, qui ducentos in ipsius domus fabricam postmodum conversos Ysabetae, ac ducentos et quinquaginta florenos huiusmodi Thomae praefatis realiter persolverunt, necnon ministra et sorores praedictae venditionem, traditionem, assignationem et donationem praedictas pro eo, quod in illis superioris auctoritas nullatenus intervenit, ac dictum podere minus iusto pretio venditum fuit, et non secundum tenorem dicti instrumenti huiusmodi pretii solutio facta exstitit, viribus non subsistere seque vel eorum aliquem super illis imposterum molestari posse dubitent, pro parte eorumdem abbatis, conventus, ministrae et sororum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, quibus per diligentem informationem super praemissis omnibus et singulis ac eorum circumstantiis universis de mandato Nostro receptam et alias ipsa praemissa constitit fore vera, huiusmodi supplicationibus inclinati, venditionem, traditionem, assignationem et donationem praedictas ac omnia et singula in dicto instrumento, cuius tenorem de verbo ad verbum praesentibus pro inserto haberi volumus, contenta ac inde secuta ex certa scientia auctoritate apostolica approbamus et confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.*; volentes quoque et eisdem scientia et auctoritate decernentes, quod venditio, traditio, assignatio et donatio praedictae valeant plenamque roboris firmitatem obtineant, quodque illae praemissorum aut alia quavis occasione de invaliditate impugnari aut revocari nullatenus possint ac praesentes litterae quandocumque et ubicumque in iudicio vel alibi, ubi fuerint exhibitae vel ostensae, plenissimam, indubitatam ac legitimam de voluntate dicta et declaratione Pazzini necnon solutione quadringentorum et quinquaginta florenorum huiusmodi fidem faciant, et ad illa aut aliquod eorum alias quoque per praesentes

(1) Reg. Lat. t. 390, f. 199v. Cf. supra n. 577, p. 271.
(2) Reg. Lat. t. 394, f. 259v.
(3) Reg. Lat. t. 390, f. 219. Cf. supra n. 466, p. 222; n. 386, p. 178.
(4) Hoc nomine vocatur congregatio monasteriorum, quae a monasterio S. Iustinae, O. S. Ben., Patavin. originem habebat.

in iudicio vel extra probandum abbas, conventus, ministra et sorores praefatae aut quisvis alius minime teneantur seu a quoquam quavis auctoritate inviti valeant coarctari, non obstantibus, quod podere huiusmodi octingentos vel ultra florenos auri similes secundum communem aestimationem valeat, quodque venditio, traditio, assignatio et donatio praedictae pro pretio quadringentorum et quinquaginta florenorum huiusmodi dumtaxat factae fuerint, constitutionibus ... contrariis quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, XII kal. iulii, ... anno XII.

597. Concedit indulgentias pro ecclesia S. Agathae burgi terrae Ferracanae (Giarratana?), III. O. S. Fr., Syracusan. dioec. ([1]).

1442, iunii 21, Florentiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia domus S. Agathae burgi terrae Ferracanae, tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Syracusan. dioec., congruis honoribus frequentetur ac ecclesia huiusmodi in suis structuris et aedificiis augmentetur *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo dictae S. Agathae ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim necnon ad augmentationem, reparationem et conservationem praedictas manus adiutrices porrexerint, unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, XI kal. iulii, ... anno XII.

598. Concedit facultatem recipiendi domum S. Crucis prope muros Iadren. (Zara) pro fratribus O. F. M. de observ. ([2]).

1442, iulii 3, Florentiae.

Dilecto filio Nicolao de Tragurio, ordinis fratrum Minorum professori.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, dilectus filius Theodorus de Brandino de Vicentia, laicus, in civitate Iadren. moram trahens, quoddam eremitorium, extra ac prope muros Iadren. consistens, quod ipse olim de bonis sibi a Deo collatis cum parva ecclesia ac nonnullis cellulis aedificari fecit, in domum conventualem ordinis fratrum Minorum cum dictae ecclesiae ampliatione necnon campanili humili ... et aliis necessariis officinis ad instar aliarum praedicti ordinis domorum sub S. Crucis vocabulo alias canonice construere et erigere, seu construi et erigi facere proponat pariter et intendat, tuque illam pro usu et habitatione perpetuis quorumdam praedicti ordinis fratrum sub illius regulari observantia degentium recipere desideres, Nos ... tibi, qui, ut asseris, guardianus S. Hieronymi de Uglano ([3]) praedicti ordinis, Iadren. dioec., exsistis, seu guardiano, qui erit pro tempore, ipsius domus S. Hieronymi, in qua sub observantia praedicta vivitur, domum S. Crucis huiusmodi, postquam sic erecta seu in tali statu, quod in ea conventualiter habitari possit, fabricata fuerit, pro perpetuis usu et habitatione praedictis recipiendi, necnon eisdem fratribus in illa tunc recepta perpetuo habitandi, plenam ... licentiam elargimur, iure tamen parochialis *etc.* Et nihilominus, si erectionem et receptionem huiusmodi fieri contigerit, guardiano, et fratribus dictae domus S. Crucis, qui erunt pro tempore, ac eidem domui, quod ipsi omnibus, et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, V nonas iulii, ... anno XII.

599. Maiorem partem bonorum Nicolai de Cheses, vi aliarum litterarum conventui S. Francisci Assisinat., O. F. M., assignatam, reducit ad medietatem ([4]).

1442, iulii 5, Florentiae.

Dilectis filiis priori et fratribus domus S. Dominici Perusin. ordinis fratrum Praedicatorum.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Dudum siquidem, videlicet III idus maii, pontificatus Nostri anno IX, pro parte vestra Nobis inter alia exposito, quod fabrica domus vestrae, quae miro sumptuosoque opere fundari incepta erat, in structuris et aedificiis suis perfici ac fratres in eadem domo sub piae vitae studio in multitudine numerosa pro tempore degentes ex facultatibus ipsius domus piisque decedentium legatis, quae illi pro tempore fiebant, sustentari commode non poterant, quodque domui praedictae, quae pro perfectione et sustentatione huiusmodi duodecim millium florenorum auri summa indigere nosce-

([1]) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 113 « e l. 1 de regular. a. XII, f. 107 ».

([2]) Reg. Lat. t. 390, f. 150; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 114. De Nicolao de Tragurio cf. supra n. 68, p. 42; n. 317, p. 148.

([3]) Cf. supra n. 281, p. 130, not. 2.

([4]) Reg. Lat. t. 390, f. 70v.

batur, nisi apostolico suffragante praesidio in praemissis congrue subveniri nequibat, Nos tunc inter alia medietatem omnium bonorum mobilium et immobilium, iurium et actionum ubicumque et in quibuscumque rebus consistentium ac nominum debitorum per quondam Nicolaum de Cheses de Montepolitiano, civem Perusin., in eius ultima voluntate sub certa forma et conditione Christi pauperibus legatorum fabricae et sustentationi praedictis concessimus et donavimus ac priori seu provisori dictae domus pro tempore exsistenti medietatem huiusmodi, quandocumque conditio praefata adveniret, petendi, exigendi et recipiendi ac singulis dantibus et solventibus de omni eo et toto, quod ex ipsa medietate reciperet, finem et quietationem faciendi plenam et liberam facultatem etiam concessimus per quasdam primo, et deinde, scilicet XII kal. octobris, pontificatus praedicti anno X (1), pro parte quondam Guillelmi de Casali, generalis ministri ordinis fratrum Minorum, et quondam Iacobae, praefati Nicolai filiae, mulieris, tunc in humanis agentium, similiter Nobis exposito, quod olim dictus Nicolaus, cupiens terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare et condens in eius voluntate ultima de bonis sibi a Deo collatis testamentum, in illo inter alia nonnulla bona in civitate Nostra Perusin. eiusque dioecesi consistentia et ad eum legitime spectantia post obitum dictae Iacobae, quam bonorum huiusmodi usufructuariam, quoad viveret, esse voluerat et decreverat, inter Christi pauperes distribuenda reliquerat, certis desuper per eumdem Nicolaum exsecutoribus deputatis, prout in instrumento publico superinde confecto dicebatur plenius contineri, quodque ecclesia sive domus S. Francisci Assisinat. dicti ordinis in structuris et aedificiis suis reparatione non parum indigebat, ac praedicta mulier ad sanctum et ordinem praefatos singularem devotionis affectum gerebat, et de propria salute recogitans, unam nonnullis fratribus ordinis Praedicatorum et pauperibus Christi erogare, aliam vero et maiorem partes bonorum praedictorum in reparationem domus Assisinat. huiusmodi ac illius ecclesiae fabricam convertere desiderabat, Nos tunc per alias Nostras litteras certo iudici mandavimus, ut de praemissis omnibus per eosdem ministrum et mulierem expositis ac eorum circumstantiis universis auctoritate Nostra se diligenter informaret et, si ita esse reperiret, praefatae mulieri omnia et singula bona praedicta vendendi illaque seu pretium ex ipsorum venditione proveniens pro una fratribus ordinis Praedicatorum et pauperibus huiusmodi, prout et secundum quod suae conscientiae videretur, distribuendi, pro alia vero et maiore partibus praedictis in reparationem domus Assisinat. et fabricam illius ecclesiae huiusmodi convertendi dumtaxat plenam et liberam eadem auctoritate licentiam concederet et etiam facultatem, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur. Cum autem pro eo, quod minister et mulier praedicti concessas vobis per Nos priores litteras antedictas in huiusmodi eorum expositione subticuerunt, et de ipsis prioribus nulla in dictis posterioribus litteris mentio facta fuit, ipsae posteriores litterae quoad medietatem bonorum per Nos domui vestrae seu illius ecclesiae, ut praefertur, concessam et donatam huiusmodi dumtaxat subrepticiae et invalidae censeantur, et, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum priorum artium dictae civitatis et vestra petitio continebat, ipsi priores firmiter tenentes, quod minister et mulier praedicti, si de prioribus litteris praedictis debitam mentionem fecissent, posteriores litteras praefatas a Nobis nisi salvis concessione et donatione medietatis huiusmodi ac sine quocumque illarum praeiudicio minime obtinuissent, aegre ferant, quod bona concivium suorum in partibus ab eadem civitate alienis erogari debeant, considerata potissime necessitate perfectionis domus vestrae antedictae et quod ex perfectione ipsa inexplicabilia etiam animarum commoda provenire sperantur, praefata quoque conditio per obitum mulieris huiusmodi advenerit, Nos, super his opportune providere volentes, priorum artium praedictorum et vestris in hac parte supplicationibus inclinati, litteras posteriores praedictas ac processus habitos per easdem et quaecumque inde secuta quoad medietatem eamdem dumtaxat nulla et invalida fuisse et esse declarantes necnon ex abundanti cassantes, irritantes et annullantes ac pro nullis et infectis haberi decernentes, ita tamen, quod quoad reliquam partem, quam in reparationem domus Assisinat. et fabricam illius ecclesiae huiusmodi convertendi licentiam et facultatem praedictae mulieri concedi mandavimus, ut praefertur, et quam non maiorem esse volumus, sed ad ipsam medietatem dumtaxat reducimus, in sui plenarii vigoris firmitate permaneant. Et insuper harum serie volumus et apostolica vobis auctoritate concedimus, quod concessio et donatio medietatis bonorum, quae per eorum vocabula, qualitates, quantitates, confines et valores praesentibus ha-

(1) V. supra n. 490, p. 237.

beri volumus pro sufficienter expressis, necnon priores litterae huiusmodi ac omnia et singula in eis contenta in suo pleno robore firma et illibata persistant, ac prior sive provisor pro tempore exsistens antedictus tam praesentium quam dictarum priorum litterarum vigore medietatem ipsam ubicumque et apud quoscumque consistat, petere, exigere, levare, recipere et habere ac in fabricam domus Perusin. et sustentationem huiusmodi convertere solventesque quietare ac alia omnia et singula iuxta ipsarum priorum litterarum continentiam atque formam necnon alias in praemissis necessaria et opportuna facere possit et debeat in omnibus et per omnia perinde, ac si posteriores litterae praedictae nullatenus emanassent. Non obstantibus *etc.* Per haec autem dilectis filiis guardiano et fratribus dictae domus Assisinat. seu quibusvis aliis, ad quos spectet, quominus reductam medietatem huiusmodi vigore posteriorum litterarum praedictarum similiter petere, exigere, levare, recipere et habere ac in reparationem domus Assisinat. et illius ecclesiae huiusmodi convertere solventesque quietare ac alia omnia et singula desuper necessaria et opportuna ad instar prioris sive provisoris antedicti facere possint et debeant, nullum praeiudicium sive impedimentum afferri, sed potius ad eos concessionem huiusmodi quoad ipsam reductam medietatem extendi volumus per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, III nonas iulii, ... anno XII.

600. Concedit facultatem erigendi monasterium O. S. Cl. in dioec. Ambianen. vel Atrebaten. (1).

1442, iulii 7, Florentiae.

Dilecto filio nobili viro Philippo, domino loci de Sancuses, Ambianen. dioec., militi, et dilectae in Christo filiae nobili mulieri Mariae de Lulli, eius uxori.

Exigit singularis devotionis affectus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod vos, singularem gerentes ad ordinem S. Clarae specialis devotionis affectum ac cupientes terrena in coelestia felici commercio commutare necnon de vestra vestrorumque progenitorum animarum salute recogitantes, de bonis a Deo vobis collatis ad omnipotentis Dei laudem et gloriam ac dictae sanctae memoriam et reverentiam eiusque religionis ac huiusmodi cultus augmentum unum monasterium cum ecclesia, campanili ... et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione nonnullarum monialium dicti ordinis, quarum una abbatissa sit, in aliquo loco ad hoc apto et congruo in altera Ambianen. et Atrebaten. dioec. construere et aedificare seu construi et aedificari facere desideratis, si vobis ad hoc suffragetur Apostolicae Sedis auctoritas. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... vobis in altera dioecesi praefatarum in loco ad hoc idoneo, congruo et honesto unum monasterium sub regulari observantia cum ecclesia, campanili, ... officinis construendi et aedificandi seu construi et aedificari faciendi ac ipsis monialibus, quarum una abbatissa sit, ut praefertur, monasterium praedictum intrandi et inhabitandi alterius super hoc licentia minime requisita, iure tamen parochiali *etc.* liberam concedimus auctoritate praesentium facultatem. Et nihilominus abbatissae et monialibus in praedicto monasterio pro tempore degentibus earumque confessoribus et personis aliis eis obsequentibus, quod omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, nonis iulii, ... anno XII.

601. Iohanni Haxay, O. F. M. concedit dispensationem, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum, recipere et, quoad vixerit, retinere valeat (2).

1442, iulii 11, Florentiae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, V idus iulii, ... anno XII.

602. Episcopo Arretin. mandat, ut Iohanni de Tacorla, O. F. M., qui olim, in decimo septimo suae aetatis anno constitutus, cuiusdam avunculi sui ac duorum aliorum dicti ordinis fratrum suasionibus habitum eiusdem ordinis in domo S. Francisci de Ubeda, O. F. M., Giennen. dioec., receperat et per annum gestaverat et dein ad domum S. Luciae Perusin. Sepulchri dominici O. S. Aug. transgressus erat, concedat absolutionem a censuris et irregularitate et licentiam transeundi ad domum de Tauro, Sepulchri dominici O. S. Aug. (3).

1442, iulii 11, Florentiae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, V idus iulii, ... anno XII.

---

(1) Reg. Lat. t. 387, f. 276 v.
(2) Reg. Lat. t. 390, f. 150 v.
(3) Reg. Lat. t. 390, f. 102. Agitur hic de ordine (fratrum Cruciferorum) Sepulchri dominici, cuius mentio iam n. 471, p. 226 occurrit.

603. Episcopo Senen. mandat, ut monasteriis SS. Salvatoris et Cirini apud Insulam, Vulterran. et S. Spiritus Senen., O. S. Ben., canonice unitis imperpetuum uniat ecclesiam sine cura S. Archangeli in Veronullis, Arretin. dioec., vacantem per ingressum Montis Christophori Montucii, eius rectoris, in ordinem fratrum Minorum de observantia (1).

1442, Iulii 11, Florentiae.

Ex iniuncto Nobis paternae *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, V idus iulii, ... anno XII.

604. Mandat, ut Catharinam Michaelis Bonaccursii O. S. Cl., e monasterio S. Iohannis Pistorien. egressam, iterum faciat recipi (2).

1442, Iulii 11, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Pistorien.

Iustis et honestis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Catharinae Michaelis Bonacursii, monialis monasterii S. Iohannis Pistorien., ordinis S. Clarae, petitio continebat, quod olim ipsa, postquam dilectae in Christo filiae Agnes abbatissa et nonnullae moniales dicti monasterii, sub regulari observantia eiusdem ordinis vivere cupientes, statuerant et ordinaverant, quod moniales praedicti monasterii, quae sub huiusmodi observantia vivere nollent, de praefato monasterio exire et de superioris sui licentia ad domos parentum suorum se transferre libere possent, sub dicta observantia vivere nolens, de praefato monasterio auctoritate statuti et ordinationis praedictorum exivit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, licet abbatissa et moniales praedictae ab huiusmodi observantia, sub qua vivere iam coeperant, penitus desistentes, ipsarum pristinum vivendi modum reacceperint, necnon quaedam moniales eiusdem monasterii, quae pro eo, quod sub praefata observantia vivere nolentes de praedicto monasterio exierant, ad illud redierint et in eo denuo receptae fuerint, ac praefata Catharina ad ipsum monasterium redire et vota sua inibi Altissimo reddere totis praecordiis affectaverit et affectet, tamen praefatae abbatissa et moniales eamdem Catharinam in eodem monasterio denuo recipere nulla etiam rationabili causa subsistente hactenus recusaverint et recusent, pro parte dictae Catharinae, quae, ut asserit, ordinem ipsum professa exsistit et per triginta vel circa annos in praedicto monasterio laudabiliter vixit, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si vocatis abbatissa et monialibus praedictis et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de praemissis legitime constiterit dictaque Catharina ipsis scandalosa non fuerit, sed honestae vitae exsistat, facias auctoritate Nostra eamdem Catharinam in praefato monasterio recipi et sincera in Domino charitate tractari ac sibi de communibus ipsius monasterii proventibus integre responderi, contradictores *etc.* non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, V idus iulii, ... anno XII.

605. Confirmat electionem Alberti in ministrum provinciae S. Antonii et eius auctoritatem in capitulo generali (3).

1442, Iulii 17, Florentiae.

Dilecto filio fratri Alberto de Sartiano, ordinis Minorum, provinciae S. Antonii ministro.

Meruit ardens tuae religionis zelus, Nobis pridem cognitus, et magna in Nos sanctamque Romanam ecclesiam fides probataque in tuo ordine virtus tua singularis non indubie promerentur, ut ea tibi concedamus, per quorum impositum tibi onus maxima ordini tuo commoda confidimus proventura. Cum itaque defuncto proximis temporibus ministro tui ordinis, qui erat provinciae S. Antonii, convenientes in locum eiusdem provinciae vocales numero nonaginta tres, servatis ordinibus, statutis et constitutionibus sui ordinis te ita unanimiter in suum ministrum elegerunt, ut tantummodo unus contrarium senserit, prout in decreto superinde in ipso capitulo sollemniter iuxta mores ordinis facto vidimus contineri. Nos, eamdem electionem, quam Domino adiuvante ordini et provinciae antedictis speramus plurimum profuturam, ratam, gratam et acceptam habentes, in omnibus et per omnia tenore praesentium auctoritate apostolica confirmamus, ea tibi erga fratrum tuorum regimen, qui praesentes et futuri sunt, in eadem provincia libere faciendi auctoritate apostolica plenius concedentes, quae praedecessores tui ministri eiusdem provinciae ex quibuscumque privilegiis vel ex quacumque consuetudine aut reliqui ceterarum provinciarum ministri in suis administrationibus de iure suo fecisse aut ex consuetudine facere dignoscuntur. Cum vero per generales constitutiones ordinis tui, Nobis plane compertas, ille minister habeat in generali capitulo praesidere, in cuius provincia ipsum generale capitulum celebratur, Nos,

(1) Reg. Lat. t. 390, f. 56 v. (2) Reg. Lat. t. 390, f. 160 v. (3) Wadd. *Ann.* ad a. 1442, n. 4 « ex autographo ».

tibi eamdem auctoritatem plenius confirmantes, discretioni tuae, ut fratres omnes vocales in generali proximo futuro capitulo per Dei gratiam congregandos valeas ab omni vinculo excommunicationis, irregularitatis, peccatis atque censuris, etiam Sedi Apostolicae reservatis, necnon poenis aliis quomodolibet inflictis vel infligendis absolvere, liberare, habilitare, promovere, et quos ex eisdem fratribus iudicaveris puniendos, punire omniaque alia et singula facere, quae in praedictis et circa ea ad bonam et canonicam futuri generalis electionem aliaque, quae ad bonum regimen ordinis tui spectant et quomodolibet pertinent, constitutionibus apostolicis ac statutis et ordinationibus dicti ordinis, etiam iuramento firmatis, super quibus tenore et auctoritate similibus dispensamus, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, plenam concedimus facultatem.

Datum Florentiae, anno ... 1442, XVI kal. augusti, ... anno XII.

606. Albertum de Sarteano instituit vicarium generalem totius ordinis usque ad proximum capitulum generale Paduae celebrandum (1).

1442, Iulii 18, Florentiae.

Dilecto filio, fratri Alberto de Sartiano, ordinis Minorum vicario generali.

Ordo tuus, in seraphicae charitatis ardore a principio fundatus, tamquam fecundus plantationum hortulus uberrimos hucusque protulit fructus. Dum enim plantati ex prima beati Francisci vite palmites in religione, honestate, sanctimonia, in primis ipsa charitate, exculti fuerunt, in tantum est ea plantatio propagata, ut, per universum orbem diffusa maximisque sacrarum litterarum veritatibus, humilitatis et patientiae divitiis abundans, populos repleat saginetque divini eloquii pabulo et pulsis ignorantiae tenebris sanctae conversationis amore desiderioque inebriet. Nec alicui dubium, dilecte fili, esse debet, quin si ea, quae tam bona fundavit, charitas inter vos durabit, et ordo ipse mirabili quodam pullulet multiplicetque incremento, et orbis terrarum, in cuius singulas paene particulas penetrastis, illa ipsa, quam in vobis viderit, senserit, odoraverit, ardeat charitate faciatque exemplum a vestra vita sumptum, ut quod vobis maximum et in intentione primarium esse debet, animas vestras vel ea ratione salvas faciatis, quia proximos inde curabitis lucrifacere. Sed dicant nobis, qui maiore inter vos scientia vel saeculi prudentia illustrantur, qualia credunt populos de beati Francisci ordine opinari, cum varias in eo sectas, cum dissidia et prope certam inspiciunt scissuram, cum ex pacis, charitatis et sanctimoniae vetusto ovili gregem prodire inspiciunt separatum? Magna profecto est discordia, dilecte fili, ipsa ordinis vestri labes, quam adeo semper, postquam ad apostolatus apicem, cui Deo auctore licet immeriti praesumus, evecti fuimus, tollere et penitus exstinguere anhelavimus, ut nullas pro tanti operis perfectione evitaturi fuerimus molestias, nullos labores voluerimus declinare. Verum, quod nulla industria, quod nec ante potuimus vel ingenio consequi, Deum nostrum hoc tempore sua misericordia Nobis nullatenus tale quid cogitantibus praeparasse confidimus. Nam cum post mortem bonae mem. fratris Guillelmi de Casali, ordinis vestri generalis ministri, ad quorumdam ministrorum nonnullorumque bonae existimationis fratrum instantiam per litteras apostolicas mandaverimus ordinem vestrum regi et gubernari per ministros secundum statuta papalia et generalia ordinis usque ad electionem alterius generalis vel novam institutionem vicarii per Nos deputandi atque etiam exceptis ac Nobis reservatis quibusdam in dicto ordine gravioribus alia voluerimus a quinque electis fratribus expediri, accidit litteras scribi generali, de cuius morte ignorabatur, a dilecto filio provinciali Aragoniae, manu ipsius provincialis scriptas, et pariter alias a conventu ac populo Barchinonensi, in quibus quidem litteris omnes praedicti renuntiabant capitulo vestri ordinis generali apud eos deputato antea; qua renuntiatione per Nos acceptata dictum generale capitulum pro futuro anno millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, die nona iunii, transtulimus ad provinciam et locum S. Antonii Paduae, prout omnes ministros de ea translatione tunc fecimus certiores. Item accidit ministrum, qui erat dictae provinciae S. Antonii, ad Dominum migrare, quare omnium, respectu dicti capituli generalis praesertim in ea provincia celebrandi, iussimus provinciale capitulum congregari, in quo novus minister more solito crearetur, convenerunt nonaginta tres vocales ad capitulum iuxta ordinis decreta et consuetudinem. Cuius quidem capituli fratres post debitos necessariosque tractatus tandem unico tantum ex ipsis nonaginta tribus vocalibus excepto te concorditer elegerunt; eam vero electionem tanta vocalium concordia factam illico Nos libentissime confirmavimus; atque tunc considerare coepimus, postquam fratres dictae provin-

(1) Wadd. *Ann.* ad a. 1442, n. 5 « ex autographo ».

ciae studium et indulgentiam adhibuerunt in eligendum virum praestantem, qui necessaria capitulo generali praepararet, decere Nos, imo incumbere Nobis ex debito vicarium ordinis creare, qui plura posset, quam minister, auxilia capituli necessitatibus exhibere, et tamen habita ad id satis diu bona consideratione nullus occurrit magis idoneus, quam tu, ab eo satis amplo fratrum numero, in quo multi fuerunt doctrina et prudentia praestantissimi, in provincialem summa animorum concordia electus; quibus adducti rationibus te in vicarium generalem ordinis usque ad novam generalis creationem elegimus, prout etiam tenore praesentium eligimus et creamus. Tribuit autem Nobis Altissimus, ut quam primum tu a Nobis in vicarium ordinis usque ad novam generalis creationem creatus fuisti, magnam exinde habuerimus consolationem coeperimusque intelligere te praestante Domino futurum lapidem illum angularem, qui quod saepe et diu diximus optasse nec umquam consequi potuisse, utrumque parietem coniunges et utraque unum facies. Nam praecipuus ille et Nobis dilectus filius frater Bernardinus Senensis vicariatui fratrum devotorum, quem dictus generalis pridem sibi invito et recusanti ad bonum finem dederat, et Nos confirmaveramus (1), illico in manibus Nostris sponte renuntiavit, qua renuntiatione acceptata Nos, qui intendimus huic tam optatae unioni modis quibuscumque necessariis manum apponere, omnes litteras apostolicas dictis fratribus devotis, ut loca nova possent capere, concessas, vel quae a generali ministro exemptionem aliquam concernebant, penitus revocavimus, prout etiam tenore praesentium revocamus, volentes et harum serie mandantes, quod omnes praedicti fratres devoti usque ad aliam determinationem Nostram regantur per vicarios ministrorum, eligendos per maiorem partem fratrum devotorum. Confidimus autem de omnium ministrorum bonitate, quod dictos fratres devotos magna cum charitate regi curabunt, quemadmodum in Italia gubernantur. Quocirca te in Domino hortamur, tibi nihilominus mandantes in virtute obedientiae salutaris, quatenus dictum vicarii officium hilari, ut debes, animo acceptes. Nos autem, de tua bonitate confisi, devotioni tuae publice ac privatim visitandi, corrigendi, citandi, puniendi, privandi et suspendendi, deponendi et rebelles quoslibet aut quaslibet per censuram ecclesiasticam coercendi, carcerandi et a carceribus liberandi, instituendi et destituendi, ad actus legitimos restituendi atque ab eisdem puniendi et privandi, auctoritate apostolica subditos vel subditas absolvendi ab omnibus peccatis et casibus etiam Sedi Apostolicae reservatis, capitulum quoque generale tenendi et celebrandi, ministros interim confirmandi et commissarios per ordinem destinandi ac ad libitum revocandi ac omnia et singula faciendi, quae idem generalis, si superesset, facere et disponere potuisset, auctoritate apostolica plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem.

Datum Florentiae, anno ... 1442, XV kal. augusti, ... anno XII.

607. Concedit facultates circa fidelium sepulturas (2).

1442, Iulii 18, Florentiae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus S. Francisci terrae Vicheriae, ordinis fratrum Minorum, Terdonen. dioec.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Hinc est, quod Nos dilectorum filiorum nobilis viri Ludovici de Leverme domini ac universitatis et hominum terrae Vicheriae, Terdonen. dioec., asserentium, quod S. Laurentii et alii ecclesiarum parochialium dictae terrae rectores impedierunt hactenus et hodie impedire nituntur, quominus vos libere et absque eorum seu alicuius ipsorum praesentia aut licentia fidelium in ipsa terra eiusque districtu pro tempore decedentium corpora levare et in ecclesia seu coemeterio vestrae domus S. Francisci ordinis fratrum Minorum, in terra praedicta consistentis, sepulturae tradere seu tradi facere valeatis, quodque propterea plures dissensiones et scandala inibi exorta fuerunt, et de maioribus in posterum dubitatur, nisi de opportuno desuper remedio provideatur, ... vobis ac futuris guardianis et fratribus dictae domus, quod vos et ipsi ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus corpora omnium et singularum utriusque sexus personarum in terra seu districtu huiusmodi pro tempore decedentium, si id ipsi ante eorum obitus vel postea ipsarum pro tempore parentes, filii, fratres seu consanguinei vel affines proximiores duxerint eligendum, de habitationibus, in quibus pro tempore fuerint, cum gestatione crucis vestrae dumtaxat et absque consensu, licentia seu praesentia rectorum praesentium et futurorum S. Laurentii et aliarum parochialium ecclesiarum huiusmodi eorumque cruce vel alicuius ipsorum alias, ut moris est, levare et ad vestram ecclesiam praedictam deferre ac in ea seu in dicto coemeterio sepelire seu levari,

(1) Cf. supra n. 385, p. 177; n. 499, p. 241. (2) Reg. Lat. t. 390, f. 218v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 115.

deferri et sepeliri facere libere et licite possitis, iure tamen S. Laurentii et aliarum parochialium ecclesiarum praedictarum quoad solutionem quartae partis omnium et singulorum emolumentorum, quae ex funeralibus sepeliendorum corporum praedictorum pro tempore provenient, ac alias in omnibus semper salvo, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus de gratia speciali, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, XV kal. augusti, ... anno XII.

608. Cassat annullationem litterarum apostolicarum, quibus receptio locorum novorum prohibebatur (1).

1442, Iulii 30, Florentiae.

Dilecto filio fratri Alberto de Sartiano, ordinis Minorum provinciae S. Antonii ministro et ipsius ordinis vicario generali.

Tanta est Nostra ad ordinem tuum affectio *etc.* Cum itaque proximis diebus in litteris apostolicis (2) creationis tuae in vicarium generalem per Nos factae bono respectu et ad finem pacis unionisque inter fratres ordinis servandae dixerimus revocasse omnes litteras apostolicas, quarum tenore prius concesseramus fratribus dicti ordinis, qui dicuntur devoti, ut nova loca possent capere, atque etiam praedictam litterarum apostolicarum revocationem fecerimus, postmodumque Nobis constiterit dictam revocationem nedum paci et concordiae ordinis profuturam, sed maximum discordiae et scandalorum fomitem futuram, eamdem litterarum apostolicarum de novis locis per antedictos fratres devotos capiendis revocationem tenore praesentium auctoritate apostolica suspendentes et, ubi oporteat, annullantes, devotioni tuae, in cuius modestia Nobis nota plurimum in Domino confidimus, concedendi dictis fratribus devotis, prout Nos etiam tenore et auctoritate praedictis de novo concedimus, ut praedictis litteris apostolicis super capiendis novis locis perinde utantur, ac si nulla fuisset facta revocatio, plenariam concedimus facultatem.

Datum Florentiae, anno ... 1442, III kal. augusti, ... anno XII.

609. Abbati monasterii S. Nicolai de Lictore, Castellan. dioec., mandat, ut Paulum de Teramo O. F. M., qui a Vanutio, tunc abbate monasterii S. Prosperi inferioris Regin., O. S. Ben., receptus, ad ordinem S. Benedicti transierat, absolvat a censuris et irregularitatibus eique facultatem concedat in praefato ordine et monasterio perpetuo remanendi (3).

1442, augusti 1, Florentiae.

Sedis Apostolicae copiosa clementia *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, kalendis augusti, ... anno XII.

610. Laurentio episcopo Castellan. mandat, ut fratrem Andream Clementis de Bonis de Venetiis, dioec. Castellan., O. F. M., qui de dicto ordine ad monasterium S. Iohannis de Marzana O. S. Ben., Civitatis Castell. dioec., transierat ibique, ab Herculano abbate receptus, sub regulari habitu et observantia per octo annos vel circiter conversatus erat, et quem Iacobus abbas monasterii B. Mariae Sacilongi, O. S. Ben., Paduan. dioec., in monachum sui monasterii recipere paratus est, absolvat a censuris et irregularitatibus eique concedat facultatem ad dictum monasterium B. Mariae transeundi (4).

1442, augusti 1, Florentiae.

Votis fidelium supplicantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, kalendis augusti, ... anno XII.

611. Concedit indulgentias pro reparatione ecclesiae O. F. M. Saonen. (Savona, prov. Ianuen.) (5).

1442, augusti 4, Florentiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, domus fratrum Minorum Saonen. supervenientibus guerrarum turbinibus et aliis variis sinistris eventibus, qui partes illas pro dolor afflixerunt, in eius ecclesia, structuris et aedificiis, utpote ruinae fere subiacentibus, reparatione indigeat non modicum sumptuosa, ad quam faciendam eiusdem domus minime suppetunt facultates, sed dictorum fidelium [subsidia] sunt ad id quamplurimum opportuna, Nos cupientes *etc.* poenitentibus et confessis, qui ecclesiam dictae domus in festivitate SS. Trinitatis devote visitaverint annuatim et ad reparationem, restaurationem et conservationem praedictam manus porrexerint adiutrices, ut praefertur, quatuor annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, pridie nonas augusti, ... anno XII.

---

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 116 « ex ipso autographo ».

(2) Vide supra n. 606, p. 285.

(3) Reg. Lat. t. 390, f. 74v.

(4) Reg. Lat. t. 387, f. 262.

(5) Reg. Lat. t. 387, f. 20v.

612. Mandat, ut confratribus fraternitatis SS. Iacobi et Antonii Urbinaten. assignet hospitale S. Mariae Vallisviridis Vallisbonae pro loco *lo Cortile* in monasterium O. S. Cl. erigendo (1).

1442, augusti 4, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Urbinat.

Ad hoc divina Nos miseratio *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum universorum confratrum fraternitatis SS. Iacobi et Antonii Urbinat. Nobis exposito, quod ipsi ad dilecti filii nobilis viri Guidantonii, comitis Montisferetri, ac certarum devotarum mulierum, quae sub regularibus clausura et observantia Altissimo famulari desiderabant, requisitionem locum, « lo Cortile » nuncupatum, in civitate Nostra Urbinat. consistentem, qui ecclesiae Lateranen. subiectus censetur ac illius privilegiis, exemptionibus et immunitatibus gaudet, ut ibidem monasterium ordinis S. Clarae pro usu et habitatione perpetuis abbatissae sive priorissae ac sororum sive monialium dicti ordinis cum ecclesia, campanis, hortis, hortalitiis, dormitorio, refectorio et aliis necessariis officinis fundaretur, construeretur et aedificaretur, ab eadem ecclesia pro aliis bonis in dicta civitate vel extra eam, dictae ecclesiae magis utilibus, per ipsum comitem vel dictas mulieres praefatae ecclesiae assignandis, sive sub responsione certorum annuorum reddituum conquirere sperabant, unde cum religionis propagatione cultus huiusmodi proveniret incrementum et, si locus sive monasterium S. Margaritae Urbinat., in quo retroactis temporibus aliquae sorores sive moniales residere consueverant, et cuius aedificia totaliter desolata fuerant, et in quo a multis citra temporibus nulla monialis sive religiosa resederat, cum suis domibus ac hortis et hortalitiis praefatis mulieribus, quae in dicto construendo monasterio Altissimo famulari affectabant, concederetur et assignaretur, ipsaeque mulieres dictum locum S. Margaritae vendere ac illius pretium ad opus et in utilitatem ipsius fundandi monasterii convertere possent, votivae dicti monasterii constructio et aedificatio ad laudem divini nominis eo celerius succederent; Nos per alias Nostras litteras (2) tibi dedimus in mandatis, ut super praemissis ... te diligenter informares et, si per informationem huiusmodi tibi de praemissis legitime constaret, confratribus et mulieribus praedictis absque tamen illorum, quorum interesset, praeiudicio dictum locum de Cortile, si et postquam confratres et mulieres praefati alia aequivalentis cum dicto loco de Cortile valoris bona consignassent, pro huiusmodi construendo monasterio imperpetuum applicares ... ac dictis mulieribus, ut in eodem loco de Cortile monasterium dicti ordinis pro usu et habitatione perpetuis abbatissae sive priorissae et monialium sive sororum ibidem sub regularibus clausura et habitu necnon observantia Deo servientium cum ecclesia, campanili ... ac aliis officinis huiusmodi fundari et construi facere possent, eadem auctoritate licentiam largireris et nihilominus dictis mulieribus praefatum locum S. Margaritae cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eadem auctoritate donares, ... ita quod praefatae mulieres dictum locum pro congruo pretio vendere ac pretium ipsum ad opus et utilitatem fabricae necnon structurarum et aedificiorum dicti fundandi monasterii dumtaxat integraliter exponere et totaliter convertere valerent, dicta auctoritate concederes, faciens, ... quae in praemissis et circa ea necessaria forent seu quomodolibet opportuna, prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictorum confratrum et mulierum petitio continebat, in hospitali S. Mariae de Valleviridi Vallisbonae Urbinaten. a pluribus retroactis annis nec hospitalitas servata nec charitatis opera facta fuerint, ipsique confratres ad opus eiusdem fundandi monasterii locum de Cortile praedictum dimittere contenti sint, si hospitale praefatum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis vel alius locus congruus in civitate praefata consistens, quo pro augendis ipsorum devotionibus ac piis exercendis operibus convenire, et ad quem cum libris, litteris, privilegiis, sanctorum reliquiis, calicibus, paramentis et ornamentis ecclesiasticis aliisque bonis ad dictam fraternitatem spectantibus se transferre possint, eis assignetur, necnon hospitale vel alius locus huiusmodi subiectum sive subiectus eidem ecclesiae Lateranen. sit, ac ipsi confratres in eo nihilominus de dicta fraternitate nuncuparentur, necnon privilegiis, exemptionibus et immunitatibus praefatis gaudeant et utantur, pro parte confratrum ac mulierum huiusmodi asserentium, quod ad ipsarum exsecutionem litterarum nondum processum exstitit, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam tibi de praemissis postremo Nobis expositis legitime constiterit, hospitale cum suis iuribus et pertinentiis praefatis vel alium locum huiusmodi confratribus

(1) Reg. Lat. t. 387, f. 239 v. De Guidantonio comite cf. supra n. 276, p. 127; n. 406, p. 189. (2) Vide supra n. 567, p. 267.

praedictis, ut ad illud vel illum cum litteris, privilegiis et bonis ad ipsam fraternitatem spectantibus ac reliquiis, calicibus, paramentis et ornamentis praefatis se transferre necnon ibidem dictis operibus intendere valeant, eadem auctoritate pro dicto loco de Cortile conferas et assignes ac quoad alia ipsis Nostris contenta litteris ad praemissam exsecutionem procedas, necnon hospitale vel alium locum huiusmodi, quod vel quem per te dictis confratribus assignari contigerit, ipsi ecclesiae Lateranen. auctoritate praefata subiicias ac subiectum fore dictosque confratres, etiam postquam illud vel illum acceptaverint et ipsum locum de Cortile dimiserint, de fraternitate huiusmodi vocari debere decernas, necnon eis quod praemissis, ac monialibus et personis in ipso fundando monasterio pro tempore degentibus, quod omnibus ... privilegiis ... uti et gaudere possint, auctoritate praedicta concedas. Non obstantibus *etc.* Per hoc autem dictam fraternitatem non intendimus aliquatenus approbare.

Datum Florentiae, anno ... 1442, pridie nonas augusti, ... anno XII.

613. Declarat per innovationem privilegii Clementis IV nullum ius de novo acquiri a fratribus O. F. M. (1).

1442, augusti 5, Florentiae.

Clero et ministro ac conventui S. Francisci ordinis Minorum civitatis Aquilan.

Dil. filii sal. Ad providentiam Apostolicae Sedis pertinet concessa per eam nonnumquam ex minus plena informatione, ne iuris alieni praeiudicium afferant, declarare aut etiam limitare, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem privilegium fel. rec. Clementis papae IV, praedecessoris Nostri, ordini Minorum concessum confirmari et innovari fecimus, quod ex huiusmodi confirmatione et innovatione iuri cathedralium aut aliarum quarumcumque ecclesiarum praeiudicium aliquod inferretur, prout quorumdam querelis percepimus, nequaquam existimantes. Quocirca non fuisse nec esse mentis aut intentionis Nostrae ex huiusmodi innovatione et confirmatione ius aliquod de novo concedere dicto ordini Minorum, sed tantummodo antiquum, si quod eidem competebat, vigore dicti privilegii conservare auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus ac etiam declaramus innovatione et confirmatione praedictis sub quacumque forma conceptis etiam ex certa scientia et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Florentiae, V augusti, ... anno XII.

614. Mandat, ut notificet institutionem Alberti de Sarteano in vicarium generalem, amplasque dat facultates pro reformatione ordinis in partibus ultramontanis (2).

1442, septembris 1, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni de Capistrano, ordinis fratrum Minorum professori et conventuum ordinis fratrum huiusmodi in provinciis Franciae, Turoniae, Burgundiae et aliarum provinciarum ultramontanarum consistentium visitatori et reformatori.

Iniuncti Nobis oneris pastoralis officii *etc.* Cum itaque divina suffragante clementia Graecos, Armenos atque Iacobinos ad unum ovile Domini sub S. Romanae matris ecclesiae gremio reduxerimus, cor Nostrum flagranti desiderio aestuat, ut sua ineffabili misericordia dignetur Altissimus, ut etiam de aliis ovibus totius humani generis conversio sequatur, et unum ovile sub uno pastore efficiatur, et errantes ad viam veritatis reducamus et reductos paternaliter foveamus. Sed longe magis proprias oves cogimur educare et in gremio sanctae matris ecclesiae Nostro pallio tegere, Nostris brachiis amplexari Nostrisque vigiliis et laboribus confovere et quibuscumque necessariis favoribus et praesidiis custodire, eas praecipue, quae nullo medio Nostro regimini sunt submissae, sicut sunt oves ordinis Minorum, quorum doctrina et exemplo vitae ecclesia illustrata exstitit, cuius ordinis sacra regula protestatur, dicens: « Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam domino papae Honorio ac successoribus eius canonice intrantibus et ecclesiae Romanae », et alibi: « ut sint subditi et subiecti pedibus eiusdem S. Romanae ecclesiae », et reliqua: hinc itaque, cum divina providentia ad apicem summi apostolatus assumpti fuerimus, discordias, varietates, dissensiones et sectas dicti ordinis per plurimos annos omnibus conatibus exstirpare desideraverimus et ad salutarem vivendi ac regendi modum dictum ordinem reducere, conservare, augere atque ampliare, quantum in Nobis fuit, Domino disponente et operante hoc anno praesenti post decessum bon. mem. Guillelmi de Casali, sacrae theologiae professoris et generalis ministri ordinis praelibati, occurrente renuntiatione futuri capituli generalis, facta per fratres conventus Barchinonae, decrevimus ge-

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 149v. Hoc breve in registro cancellatum est. Cf. supra n. 450, p. 211.

(2) Reg. Lat. t. 390, f. 69; Wadd. *Ann.* ad a. 1442, n. 7 « ex autographo ». Cf. supra n. 605 sq., p. 284 sq.

nerale capitulum celebrari in civitate Paduan. circa festum pentecostes proxime futurum, sicut per Nostras litteras universis ministris dicti ordinis notum fecimus; postmodum vero occurrit transitus ex hac vita mortalium Dalismani, tunc ministri provinciae S. Antonii secundum morem ordinis antedicti; deinde non sine dispensatione divina factum exstitit, ut congregati fratres vocales in capitulo provinciali pro electione ministri cooperante Spiritu sancto convenerint in unum et tandem deliberatione matura dilectum filium Albertum de Sartiano, dicti ordinis professorem, dictae provinciae ministrum, elegerint, cuius electio non parvam Nobis consolationem ac laetitiam attulit, cum vir comprobatae integritatis et praecipuae doctrinae ac prudentiae exsistat et gravitate morum et consilio praestans, ut longa experientia Nobis innotuit; de cuius vita, moribus et doctrina ac religionis zelo et reformationis ordinis ardenti desiderio in Domino plurimum confidentes, eumdem Albertum non solum ministrum dictae provinciae S. Antonii confirmavimus, verum etiam totius ordinis praedicti auctoritate certarum Nostrarum litterarum vicarium generalem constituimus atque deputavimus. Ut itaque haec Nostra constitutio iuxta desiderium cordis Nostri effectum assequeretur, mandavimus universis et singulis fratribus dicti ordinis, ut dicto Alberto, vero vicario, in omnibus obediant, sicut eorum generali, dum supererat, obedire tenebantur. Ne itaque quisquam eorumdem fratrum dicti ordinis velamen excusationis assumat sub ignorantia dictae Nostrae institutionis praedicti vicarii generalis, te, de cuius vita laudabili, sufficienti scientia, doctrina utili, salutaribus exemplis ac moribus regularibus ceterisque virtutibus, quibus te Altissimus insignivit, experientia plurima ab annis multis ex quadam antiqua notitia ac familiari conversatione, etiam dum eramus in minoribus constituti, fuimus et sumus plenarie informati, ad provincias Franciae, Turoniae, Burgundiae ceterasque provincias ultramontanas duximus destinandum ad notificandum praedictam Nostram constitutionem necnon ad procurandum, tractandum et concludendum pacem, concordiam, unionem fratrum dicti ordinis et reductionem eorum ad obedientiam Nostram et unius capitis dicti ordinis, et pro praesenti praedicti vicarii et cuiuscumque generalis ministri in dicto futuro capitulo generali per eos, ad quos spectat, vel qui deputati fuerint, canonice eligendi. Et insuper te omnium conventuum et fratrum dicti ordinis provinciarum Franciae, Turoniae, Burgundiae et aliarum provinciarum ultramontanarum visitatorem et reformatorem usque ad dictum generale capitulum, in praedicta civitate Paduan. celebrandum, auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus et etiam deputamus tibique visitandi omnes et singulos conventus dicti ordinis in praedictis provinciis constitutos et situatos, necnon de excessibus, criminibus quibuscumque fratrum dictorum conventuum, etsi schismatis et haeresis nomine ac labe polluti essent, inquirendi, procedendi, terminandi, reformandi, corrigendi, puniendi, carcerandi, privandi, instituendi, destituendi, deponendi, restituendi iuxta qualitatem et exigentiam eorum excessuum et canonicas sanctiones et statuta et constitutiones ipsius ordinis, etiam si fratres praedicti ministeriatus aut alio quovis modo fungantur officio vel honore, ligandi, absolvendi, contradictores quoque et rebelles per censuras ecclesiasticas compescendi et, cum opus fuerit, brachium saeculare invocandi necnon ab excommunicationibus et censuris ceterisque vinculis in forma ecclesiae consueta absolvendi et liberandi, etiamsi talibus vinculis tenerentur, quibus merito esset Sedes Apostolica consulenda, et quorum absolutio foret Sedi Apostolicae specialiter reservata, etiam si essent simoniaca labe respersi, schismatis romphaea aut haeretica pravitate divisi, dummodo schismaticam et haereticam pravitatem in manibus tuis vel deputandorum a te sponte et libere abiurent, et quod talia in posterum non committent nec committentibus auxilium, consilium vel favorem praestabunt, iuramentum in forma debita exhibeant, et aliis quibuscumque criminibus irretiti, si velint resipiscere veraciter et ad gremium et unionem ac obedientiam Nostram ac sanctae Romanae ecclesiae rectis gressibus remeare, exceptis dumtaxat homicidii voluntarii, mutilationis membri vel bigamiae irregularitatibus irretitis, plenam et omnimodam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, confirmantes etiam tibi nihilominus eadem auctoritate omnem facultatem et commissionem tibi factas vel fiendas per praedictum vicarium, mandantes insuper universis et singulis fratribus dicti ordinis in virtute sanctae obedientiae, ut in omnibus et singulis supra dictis tibi debeant humiliter obedire ac decenti reverentia obtemperare ac personaliter assistere in omnibus, in quibus duxeris eos requirendos, opportunis favoribus cum effectu et realiter comparere omni subterfugio, contradictione et appellatione remotis. Concedimus tibi insuper auctoritate praesentium, ut omnibus et singulis fratribus dicti ordinis in praedictis provinciis commorantibus, quos devotos Nobis, in sanctae Romanae ecclesiae unitate et Nostra et dicti ordinis obedientia perseverare cognoveris, super quo tuam con-

scientiam oneramus, ut quilibet eorum in mortis articulo eligere sibi valeat idoneum confessorem, qui eorum quemlibet absolvat auctoritate Nostra cum plenaria remissione omnium peccatorum secundum formam Romanae curiae consuetam. Volumus etiam, quod si opportunum fuerit, iuxta tuam discretionem possis occurrentes subdelegare causas fratrum dicti ordinis in provinciis praelibatis et commissarios deputare in qualibet de provinciis supradictis vel in aliquo particulari conventu ad cognoscendum et exsequendum, quaecumque tibi visa fuerint committenda, cum auctoritate tibi superius attributa. Non obstantibus *etc.* Mandantes insuper discretioni tuae, quatenus iniunctum tibi ministerium laboris huiusmodi pro Nostra et dictae Sedis reverentia suscipias devote illudque iuxta datam tibi a Deo prudentiam ad ipsius Dei laudem ac Nostrum et ecclesiae honorem et augmentum ordinis praedicti exsequaris, ut sperati fructus proveniant, tuque apud Nos et Sedem praedictam dignam commendationem consequi merearis. Nos enim sententias, quas rite tuleris, et poenas, quas inflixeris in rebelles, ratas habebimus easque faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Florentiae, anno ... 1442, kalendis septembris, ... anno XII [1].

615. Mandat ut summam 3500 ducatorum relictorum per Richardum de Volpario, clericum Paduan., applicent pro fabrica monasterii O. S. Cl. Paduan [2].

1442, septembris 1, Florentiae.

Dilectis filiis Francisco de Lignamine et Francisco de Alverotis, canonicis ecclesiae Paduan.

Humilibus supplicum votis *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectae in Christo filiae Dorotheae ex comitibus de Panico, domicellae Bononien. in civitate Paduan. commorantis [3], inter cetera Nobis exposito, quod ipsa de bonis sibi a Deo collatis unum monasterium ordinis S. Clarae cum ecclesia seu oratorio, campanili, campana, coemeterio, hortis et aliis necessariis officinis in civitate praedicta fundare et construi facere ac de congruis annuis redditibus pro una abbatissa et certis aliis monialibus ac earum servientibus ceterisque ipsis necessariis ad instar monasterii Corporis Christi Mantuan. dicti ordinis sufficienter dotare proponebat, Nos tunc eidem Dorotheae, postquam ad id sufficientem dotem assignasset, monasterium huiusmodi in civitate praefata fundandi et construendi, quodque ipsa Dorothea, quae, ut asserebat, in dicto monasterio erigendo una cum certis aliis honestis mulieribus iuxta regularia instituta praefati monasterii Mantuan. perpetuo vivere cupiebat, post fundationem et donationem huiusmodi cum eisdem mulieribus habitum suscipere ac professionem emittere regulares iuxta consuetudinem dicti monasterii Mantuan. posset et valeret, per quasdam licentiam concessimus primo et deinde pro parte eiusdem Dorotheae ac dilectarum in Christo filiarum Thaddaeae, quondam Iacobi de Papafanis, ac Mariae, quondam Opizonis etiam de Papafanis, civium, relictarum viduarum Paduan., similiter Nobis exposito, quod, licet ipsae et nonnullae aliae mulieres tam nobiles quam plebeiae, cupientes terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, circa constructionem monasterii erigendi huiusmodi, pro qua nonnullas possessiones ac domus in dicta civitate consistentes iam emisse et in emptione praedicta ultra quingentos ducatos auri exposuisse noscebantur, intendere ac ulterius trecentos ducatos similes exponere necnon etiam mundanis abiectis illecebris in eodem erigendo monasterio sub habitu et iuxta instituta huiusmodi Altissimo famulari proponerent, tamen ad opus constructionis huiusmodi ad hoc, ut illud ad debitam sui perfectionem deduceretur, propter earum priorem credulitatem quatuor aut quinque millia ducati similes vix sufficere posse videbantur et in huiusmodi posteriore expositione subiuncto, quod quondam Iohannes Parisinus, civis Paduan., condens in eius voluntate ultima testamentum, inter cetera disposuerat, quod de bonis suis post obitum dilecti filii comitis Novelli, haeredis sui, quatuordecim millia librae monetae illarum partium Christi pauperibus erogari debebant, Nos tunc ad supplicationis instantiam earumdem Dorotheae, Thaddaeae et Mariae per alias Nostras litteras dilecto filio archidiacono ecclesiae Paduan. eius proprio nomine non expresso dedimus in mandatis, ut sub certis modo et forma de summa quatuordecim millium librarum huiusmodi, quamprimum tempore distributionis earum advenient, mille ducatos similes penes unum seu plures fide et facultatibus idoneum seu idoneos mercatorem seu mercatores realiter deponi eosque sic depositos in constructionem, fabricam et utilitatem monasterii huiusmodi erigendi ac provisionem librorum, paramentorum et aliorum ad divini cultus decorem ornamentorum in eodem dumtaxat iuxta ordinationem Dorotheae,

[1] Cf. n. 616. [2] Reg. Lat. t. 395, f. 76. [3] Cf. supra n. 446, p. 210.

Thaddaeae et Mariae praedictarum effectualiter converti auctoritate Nostra statueret, decerneret atque concederet, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictarum Thaddaeae, Dorotheae et Mariae petitio continebat, licet dictum erigendum monasterium in magna parte sit constructum, tamen ad eius residuum continuandum, praesertim, ut saeptis et clausuris congruentibus muniatur, oporteat de necessitate ad id fidelium eorumdem uberius opitulari iuvamen et quondam Richardus de Volpario, clericus Paduan., ex condito per eum in eius ultima voluntate testamento de bonis ad ipsum ratione proprii patrimonii ac alias personae suae spectantibus tres mille et quingentos ducatos auri vel circa etiam Christi pauperibus erogandos reliquerit, pro parte ipsarum Thaddaeae, Dorotheae et Mariae Nobis fuit humiliter supplicatum, ut fabricam erigendi monasterii huiusmodi in locum pauperum praedictorum in hac parte substituere ac ipsius fabricae necessitatibus super hoc opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, de ultimo Nobis expositis praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus ... de omnibus et singulis ultimo expositis ... vos diligenter informetis et, si per informationem eiusmodi ea ita esse reppereritis, super quo vestras conscientias oneramus, de summa trium millium et quingentorum vel circa ducatorum per Richardum relictorum huiusmodi quingentos ducatos similes, si huiusmodi erogationis tempus instat, ex nunc, alioquin quamprimum illud advenerit, operi seu fabricae clausurae tantum dicti erigendi monasterii eadem auctoritate applicetis, tradatis pariter et assignetis, facientes eos penes similem vel similes mercatorem seu mercatores realiter deponi, ut sic depositi in utilitatem dumtaxat eiusdem clausurae fideliter et integre convertantur ac etiam exponantur, contradictores *etc.* non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, kalendis septembris, ... anno XII.

616. Fratribus in capitulo generali Paduan. congregandis concedit facultatem eligendi confessarium et plenariam remissionem (1).

1442, septembris 2, Florentiae.

Dilectis filiis omnibus et singulis vicariis, provincialibus ministris, custodibus, guardianis et aliis fratribus ordinis Minorum, Paduae in generali capitulo in festo Pentecostes proxime futuro congregandis.

Ordinem vestrum *etc.* Unicuique igitur vestrum, qui ad capitulum se contulerit, unicuique etiam ex illis, qui libenter venissent, nisi detenti fuissent legitimo impedimento, ut confessor, quem duxerit eligendum, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contritus et ore confessus fuerit, etiamsi talia essent, propter quae esset Sedes Apostolica merito consulenda, semel in vita et in mortis articulo plenariam remissionem sibi, in sinceritate fidei, unitate sanctae Romanae ecclesiae ac obedientia et devotione Nostra vel successorum Nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium et regulari observantia, saltem quoad substantialia, sine quibus salvari non possunt, persistentibus, auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni vestrae tenore praesentium indulgemus, sic tamen, quod idem confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda *etc.* Et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam procliviores ad illicita in posterum committenda efficiamini, volumus *etc.* Et insuper, quod per unum annum, a tempore, quo praesens Nostra concessio ad vestram pervenerit notitiam, computandum, singulis sextis feriis impedimento legitimo cessante ieiunetis. Quod si praedictis feriis ex praecepto ecclesiae, regulari observantia, iniuncta poenitentia, voto vel alias ieiunare teneamini, una alia die singularum septimanarum eiusdem anni, qua ad ieiunandum, ut praemittitur, non sitis adstricti, ieiunetis, et si in dicto anno *etc.* Porro si forsan alias praelibatum ieiunium *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, IV nonas septembris, ... anno XII.

617. Concedit indulgentias pro domo S. Antonii Paduana O. F. M. occasione capituli generalis (2).

1442, septembris 2, Florentiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia beati Antonii confessoris de Padua, sita in domo fratrum Minorum dictae civitatis, in qua domo generale ordinis fratrum eorumdem capitulum in festo pentecostes proxime futuro celebrari debet, propter quod multi fratres dicti ordinis de diversis mundi partibus ibidem convenient, pro quorum congrua decen-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 117 « ex ipso autographo ».

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 118 « ex ipso autographo ».

tique ipso durante capitulo sustentatione charitativa hominum subsidia plurimum opportuna erunt, congruis honoribus frequentetur *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in dicto festo et octo diebus illud immediate sequentibus aliisque octo immediate dictam ecclesiam semel devote visitaverint et ad sustentationem praefatam fratrum in capitulo convenientium manus porrexerint adiutrices, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus post praefatos dies minime valituris.

Datum Florentiae, anno ... 1442, IV nonas septembris, ... anno XII.

618. Magistro Didaci de Coca, capellano papae et causarum palatii apostolici auditori, mandat, ut perpetuam capellaniam in ecclesia domus S. Petri, O. F. M. loci Montis S. Petri de Alleis, Firman. dioec., per saeculares clericos regi solitam, cuius fructus annui viginti florenorum auri de camera valorem non excedunt, commendet Crucetto episcopo Insulan. (O. F. M.), cuius mensae fructus annui sexaginta florenorum similium valorem annuum non excedunt (1).

1442, septembris 6, Florentiae.

Personam venerabilis fratris Nostri Crucetti *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VIII idus septembris, ... anno XII.

619. Iohanni, titulo S. Petri ad Vincula presbytero cardinali, mandat, ut Petrum de Laplaca, fratrem domus S. Iuliani de Lacabrera, O. F. M., Toletan. dioec., qui de domo de Villaregali (Ciudad Real) eiusdem ordinis illicentiatus exiverat, aliquamdiu sub habitu saeculari in saeculo remanserat et deinde monasterium S. Trinitatis de redemptione captivorum de Arevalo, Abulen. dioec., ingressus, ibi decem annis permanserat, absolvat a censuris et irregularitatibus eique concedat facultatem in ordine S. Trinitatis perpetuo manendi (2).

1442, septembris 6, Florentiae.

Copiosa Sedis Apostolicae clementia *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VIII idus septembris, ... anno XII.

620. Mathaeum de Gimena (alias de Gimarra) O. F. M. instituit episcopum Agrigentin. (in Sicilia) (3).

1442, septembris 17, Florentiae.

Dilecto filio Matthaeo de Gimena, electo Agrigentin.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Laurentio episcopo Agrigentin. *etc.* Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum dicti Laurentii episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* In illo *etc.* Iugum *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, XV kal. octobris, ... anno XII.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Agrigentin.; Clero civit. et dioec. Agrigentin.; Populo civit. et dioec. Agrigentin.; Universis vasallis ecclesiae Agrigentin.;* praeterea *Alphonso regi Aragonum* (Gratiae divinae).

621. Pisano de Gaieta de Noto, III O. (S. Fr.), Syracusan. dioec., concedit remissionem plenariam in articulo mortis (4).

1442, septembris 17, Florentiae.

Provenit *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, XV kal. octobris, ... anno XII.

622. Iohannellae Cande, moniali monasterii S. Clarae Neapolitan., concedit remissionem plenariam in articulo mortis (5).

1442, septembris 19, Florentiae.

Provenit *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, XIII kal. octobris, ... anno XII.

623. Concedit indulgentias pro domo S. Francisci de Gahannych, O. F. M., Corkagen dioec. (6).

1442, septembris 25, Florentiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Altitudo providentiae divinae *etc.* Cupientes igitur, ut domus S. Francisci ordinis fratrum Minorum de Gahannych, Corkagen. dioec., quam, sicut nuper accepimus, pro divini cultus augmento ac christifidelium illarum partium salute dilectus filius Donaldus Oscolly, frater eiusdem ordinis, piis etiam largitionibus adiutus, fundari, erigi, construi et aedificari procuravit, congruis honoribus frequentetur, ac eorumdem fidelium

(1) Reg. Lat. t. 395, f. 80 v. Cf. supra n. 315, p. 148.
(2) Reg. Lat. t. 390, f. 66 v.
(3) Reg. Lat. t. 394, f. 187 v. De B. Matthaeo de Gimara, alias de Sicilia nuncupato, cf. supra n. 166, p. 83. Eidem d. 20 sept. 1442 per litteras *Cum Nos nuper ecclesiae Agrigentin.* conced. fac. recipiendi munus consecrationis a quocumque maluerit catholico antistite. Reg. Lat. t. 387, f. 75 v.
(4) Reg. Lat. t. 394, f. 262.
(5) Reg. Lat. t. 394, f. 262 v.
(6) Reg. Lat. t. 387, f. 217.

devotio, quae ingens est, peramplius augeatur, necnon domus ipsa libris, calicibus, ornamentis ecclesiasticis aliisque necessariis officinis decoretur et fulciatur, et ut fideles ipsi eo libentius devotionis causa ad illam confluant, ac ad huiusmodi decorem necnon eiusdem domus reparationem, restaurationem et conservationem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono *etc.* omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in pentecostes, nativitatis B. Mariae virginis necnon S. Patritii festivitatibus, ac celebritate omnium sanctorum necnon per ipsarum nativitatis et S. Patritii octavas ac per sex dies dictam festivitatem pentecostes immediate [sequentes] ecclesiam dictae domus devote visitaverint annuatim ac ad illius reparationem, restaurationem, conservationem et decorem manus adiutrices porrexerint, singulis videlicet festivitatum et celebritatis quinque annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum praedictorum diebus ... centum dies de iniunctis eis poenitentiis ... relaxamus. Praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod si *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VII kal. octobris, ... anno XII.

624. Donatum de Puteo de Mediolano O. F. M. instituit capellanum pontificium (1).

1442, septembris 25, Florentiae.

Dilecto filio Donato de Puteo de Mediolano, ordinis Minorum et sacrae theologiae professori.

Virtutibus clarens et meritis *etc.* Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit Nostrae mentis affectus, te in Nostrum et dictae Sedis capellanum gratiose recipimus et Nostrorum et ipsius Sedis capellanorum consortio favorabiliter aggregamus, tibique concedimus, quod indulgentiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VII kal. octobris, ... anno XII.

625. Instituit iudices in partibus in causa fratrum III O. S. Fr. domus Lovanien. et domus de Arschot (2).

1442, septembris 26, Florentiae.

Venerabili fratri .. episcopo Leodien. et dilectis filiis .. praeposito monasterii S. Gertrudis, per praepositum soliti gubernari, ac decano ecclesiae S. Petri Lovanien., Leodien. dioec.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Theodorici Pares, ministri, et fratrum domus Lovanien., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Leodien. dioec., petitio continebat, quod, licet ministri et fratres, qui tunc erant, domus de Arschot, ordinis et dioec. eorumdem, attendentes, quod ipsa domus de Arschot in religione et observantia dicti ordinis nimium declinarit ac in eius aedificiis ruinam redditibusque diminutionem pateretur, et sperantes, ut asserebant, quod eis ac ipsorum domui de Arschot super his per praefatos ministrum et fratres domus Lovanien. provideri posset, illorum necnon suorum inibi successorum regimini et administrationi se submisissent, promittentes bona fide desuper etiam iuramentis praestitis non contravenire nec ipsorum iuramentorum relaxationem impetrare quibusvis exceptionibus seclusis, et ad eorum supplicationem praedicti minister et fratres domus Lovanien. aliquamdiu regimen et administrationem huiusmodi gessissent in ipsaque domo de Arschot quosdam dicti ordinis fratres honestae vitae necnon regularis eiusdem ordinis observantiae deputassent ac ibidem fieri reformationes inchoassent, tamen postea dilecti filii Iohannes de Lovanio, Iohannes Nackaert, Robinus de Puteo, Arnoldus de Exselle, Dionysius de Traiecto, Dionysius Rovers et Iohannes de Tielt, fratres dicti ordinis, et quorum aliqui certarum domorum ordinis et dioec. eorumdem ministri fore dicuntur, se contra iustitiam submissionibus et reformationibus praedictis opponentes, impediverunt et impediunt, quominus ipsi minister et fratres domus Lovanien. regimen et administrationem exercere necnon reformationes huiusmodi facere possent. Et nihilominus Iohannes de Lovanio, Iohannes Nackaert, Robinus de Puteo, Arnoldus de Exselle, Dionysius de Traiecto, Dionysius Rovers et Iohannes de Tielt praedicti, qui vel eorum aliqui praemissorum occasione ad ipsorum ministri et fratrum domus Lovanien. instantiam coram dilecto filio .. officiali Leodien. in causam tracti fuerant, a quodam insufficienti conficto eis in dicta causa ab ipso officiali, ut minus veraciter praetendebant, illato gravamine ad Sedem Apostolicam appellarunt, Nosque causam appellationis huiusmodi et negotii principalis dilecto filio magistro Simoni de Valle, capellano Nostro et causarum palatii apostolici auditori, ad instantiam Iohannis de Lovanio, Iohannis Nackaert, Robini de Puteo, Arnoldi de Exselle, Dionysii de Traiecto, Dionysii Rovers et Iohannis de Tielt audiendam commisimus et fine debito terminandam. Cum

(1) Reg. Vat. t. 361, f. 24. (2) Reg. Lat. t. 390, f. 308; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 119.

autem, sicut eadem petitio subiungebat, de meritis ipsius causae facilius et minoribus eorumdem fratrum, quorum plures facultatibus non abundant, expensis in partibus illis, quam in Romana curia liquere poterit, pro parte ministri et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, statum causae praedictae pro expresso praesentibus habentes, illam ad Nos praesentium serie advocantes, discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum vocatis Iohanne de Lovanio ... praefatis necnon aliis, qui fuerint evocandi, causam praedictam in statu debito resumentes, illam ulterius audiatis et debito fine decidatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem *etc.* Non obstantibus, si Iohanni de Lovanio *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VI kal. octobris, ... anno XII.

626. Sororibus III O. S. Fr. in civitatibus Arretin., Cortonen., Prato-Pistorien. concedit varias facultates ([1]).

1442, octobris 6, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii debitum *etc.* Dudum siquidem, sub data IV nonas maii, pontificatus Nostri anno IV, dilectis in Christo filiabus Lisae, Clarae, Elisabeth, Magdalenae, Mariae, Iohannae, Nicolae, Gerardae et Brigidae ceterisque sororibus domus S. Hieronymi Florentin., tertii ordinis S. Francisci de continentia seu poenitentia nuncupati, ut non obstante constitutione fel. rec. Iohannis papae XXII, praedecessoris Nostri, incipiente « Sancta Romana ecclesia », in extravagantibus ([2]) contenta, congregationem facere et ministram eligere, ipsaque ministra mulieres de saeculo fugientes in dictam domum iuxta statuta dicti ordinis et tempore debito ad professionem recipere et alia facere possent, per alias litteras Nostras concessimus, prout in ipsis litteris ... plenius continetur, et, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictarum sororum petitio continebat, in litteris huiusmodi concessionis quaedam ipsis et dictae domui necessaria, ut quietius et devotius famulari Domino possent, minime per Nos concessa exstiterunt. Quare pro parte earumdem sororum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... eisdem sororibus praesentibus et futuris de cetero perpetuis futuris temporibus in Arretin. et Cortonen. civitatibus et in Prato, Pistorien. dioec., congregationem faciendi et ministram particularem, quae sororibus in Arretin. et Cortonen. dioec. civitatibus et Prato praedictis nunc et pro tempore constitutis praesit, ac unam generalem ministram, quae omnibus sororibus in dictis civitatibus et Prato constitutis singulis trienniis, quae cum visitatoris consilio pro tempore exsistentis loca huiusmodi sororum reformare particularesque ministras locorum eorumdem male se gerentes deponere, ipsaque generalis ministra sorores delinquentes punire valeat, quae generalis ministra eo ipso, quod electa canonice fuit, confirmata censeatur, eligendi, necnon eidem generali ministrae in eius absentia vices suas alteri vel aliis ex sororibus huiusmodi locorum, prout sibi videbitur, committendi ac mulieres loca ipsa intrare ac profiteri ordinem volentes recipiendi eisque regularem habitum exhibendi et ad professionem solitam admittendi locorum quoque huiusmodi sororibus loca eis magis commoda emendi necnon illa, quoties opportunum fuerit, permutandi necnon chordam loco corrigiae per eas gerendi ipsique et earum cuilibet idoneum presbyterum saecularem vel cuiusvis ordinis regularem in confessorem ... similiter eligendi ac eidem confessori quaecumque vota praeterquam castitatis et religionis, per ipsas sorores vel aliquam dictorum locorum hactenus emissa vel in posterum emittenda, in alia pietatis opera commutandi, necnon sororibus ipsis et cuilibet earum eucharistiae et alia ecclesiastica sacramenta, Clementina incipiente « Religiosi » de privilegiis ([3]) non obstante iureque *etc.* salvo, ministrandi, necnon eisdem ministris et sororibus locorum huiusmodi omnibus et singulis privilegiis ... utendi et gaudendi, extravaganti praedicta *etc.* non obstantibus quibuscumque, tenore praesentium potestatem concedimus pariter et indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, pridie nonas octobris, ... anno XII.

627. Committit causam appellationis inter Catharinellam Adversane et Catharinam de Capasina moniales O. S. Cl. circa regimen monasterii S. Laurentii Salernitan. eiusdem ordinis ([4]).

1442, octobris 24, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii B. Mariae de Tevena, Salernitan. dioec.

Inter multiplices curas *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae

([1]) Reg. Lat. t. 390, f. 314; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 120. Cf. supra n. 423, p. 197.

([2]) C. un. Extrav. Ioh. XXII, 7.

([3]) C. 1 in Clement. 5, 7.

([4]) Reg. Lat. t. 394, f. 165 v. Cf. supra n. 504, p. 244.

Catharinellae Adversane, monialis monasterii S. Laurentii Salernitan., ordinis S. Clarae, petitio continebat, quod olim, postquam dicto monasterio, cui quondam Zanzia illius abbatissa, dum viveret, praesidebat, per obitum ipsius Zanziae, quae extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante dilectae in Christo filiae conventus eiusdem monasterii, ad electionem futurae abbatissae procedentes, votis earum in diversa divisis, quaedam videlicet ipsarum praefatam Catharinellam, etiam tunc ordinem ipsum expresse professam, aliae vero dilectam in Christo filiam Catharinam de Capasina, quae se gerit pro moniali eiusdem monasterii, in abbatissam elegerunt, dictaque Catharinella, electioni de se factae illius sibi praesentato decreto consentiens, eam a quondam Guillelmo de Casali, generali ministro ordinis fratrum Minorum, cum ad ministrum generalem eiusdem ordinis pro tempore exsistentem confirmatio electionis abbatissae praedicti monasterii tam ex ipsius Minorum et dictae S. Clarae ordinum institutis etiam per Sedem Apostolicam approbatis quam etiam de antiqua et approbata hactenusque pacifice observata consuetudine pertineat, auctoritate ordinaria confirmari obtinuerat necnon electionis et confirmationis huiusmodi vigore possessionem vel quasi regiminis et administrationis praefati monasterii fuerat assecuta, praefata Catharina, falso praetendens electionem de se factam huiusmodi canonicam fore pronuntiari eamque confirmari ac regimen et administrationem praedicta sibi adiudicari et super illis eidem Catharinellae perpetuum silentium imponi debere, coram dilecto filio Antonio de Senis, eiusdem ordinis Minorum professore, cui dictus minister causam huiusmodi audiendam commiserat et fine debito terminandam, non ex delegatione apostolica traxit in causam ipseque Antonius, in causa huiusmodi perperam procedens, definitivam pro dicta Catharina et contra eamdem Catharinellam sententiam promulgavit iniquam, a qua pro parte eiusdem Catharinellae ad Sedem Apostolicam appellatum exstitit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, a nonnullis asseratur neutri dictarum litigantium in eisdem regimine et administratione seu ad illa ius competere, Nos, causae statum et sententiae huiusmodi tenores habentes praesentibus pro expressis ac cupientes ipsi monasterio, ne longae vacationis exponatur incommodis, de persona utili et idonea provideri, discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis dicta Catharina et aliis, qui fuerint evocandi, causam appellationis huiusmodi et negotii principalis audias et debito fine decidas, faciens *etc.* Testes autem *etc.* Et nihilominus, si per eventum huiusmodi tibi constiterit neutri earumdem litigantium in praefatis regimine et administratione seu ad illa ius competere, de persona ipsius Catharinellae eidem monasterio, cuius fructus, redditus et proventus centum florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut dicta Catharinella asserit, non excedunt, ... provideas ipsamque illi in abbatissam praeficias, curam *etc.* contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Et insuper eidem Catharinellae, si per te de praedicta illius persona ipsi monasterio provideri contigerit, ut a quocumque maluerit catholico antistite ... munus benedictionis recipere valeat, dicta auctoritate Nostra concedas. Volumus autem, quod praefatus antistes ... ab ipsa Catharinella Nostro et Romanae ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla Nostra mittimus interclusam; ac formam iuramenti, quod dicta Catharinella praestabit, Nobis de verbo ad verbum per suas patentes litteras suo sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare procuret.

Datum Florentiae, anno ... 1442, IX kal. novembris, ... anno XII.

628. Concedit sororibus III O. S. Fr. collegii Perusin., ut possint eligere ministram generalem etc. [1].

1442, octobris 25, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii debitum *etc.* Dudum siquidem sub data Florentiae XVIII kal. februarii, pontificatus Nostri anno nono [2], dilectis in Christo filiabus universis sororibus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, collegii Perusin., ut sub cura generalis ministrae per easdem sorores pro tempore eligendae vivere illique obedire haberent, mulieres quoque de saeculo fugientes ... ad praedictam ministram ire et ab ea et non ab alia vel alio huiusmodi tertii ordinis habitum recipere et nonnulla alia, quae in statutis et ordinationibus per bon. mem. Franciscum, tituli S. Susannae presbyterum cardinalem, factis et Bonifatium IX, in sua obedientia, de quâ partes illae tunc erant, nuncupa-

[1] Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 121 « e l. 1 de regular. et litt. cardin. a. XII, f. 76. Eaedem fere facultates etiam enumerantur supra n. 626, p. 295 pro sororibus Arretin., Cortonen. et Prato-Pistorien. De Vallefabrica n. 179, p. 89; n. 220, p. 106; n. 534, p. 255.

[2] Vide supra n. 456, p. 213.

tum, confirmatis [1], quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continentur. Et, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Magdalenae [2], ministrae generalis sororum tertii ordinis S. Francisci de continentia seu de poenitentia nuncupatarum, ac Vallis fabricae ac S. Agnetis necnon S. Ursulae domorum Perusin. ac Florentin. dioec. et aliquorum aliorum locorum necnon universarum sororum sub cura et regimine dictae ministrae degentium petitio continebat, in litteris apostolicis seu concessione huiusmodi quaedam ministrae et sororibus ipsis necessaria, ut quietius et devotius Domino famulari possent, minime per Nos concessa exstiterunt; quare pro parte earumdem ministrae et sororum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... eisdem ministrae et soribus praesentibus et futuris de cetero perpetuis futuris temporibus singulis trienniis unam generalem ministram, quae cum visitatoris pro tempore exsistentis consilio domus, loca ac sorores huiusmodi visitare ac reformare particularesque locorum seu domorum sorores delinquentes pro excessibus, criminibus et delictis per eas et earum quamlibet commissis punire valeat, quam generalem ministram eo ipso, quod electa canonice fuerit, auctoritate apostolica confirmatam fore decernimus atque censemus, necnon pro quolibet ex locis huiusmodi per sorores inibi degentes ac maiorem partem earumdem seu capituli iuxta dicti tertii ordinis seu regulae formam visitatorem, qui ministras et sorores particularium locorum huiusmodi de voluntate et consensu ministrae loci, cuius fuerit visitator, qui delinquentes ministras et sorores visitare, corrigere ... possit, eligendi, necnon eidem generali ministrae in sua absentia vices suas alteri vel aliis ex sororibus huiusmodi locorum, prout sibi videbitur, in praemissis committendi, ipsisque generali et particularibus ministris et earum cuilibet mulieres de saeculo fugientes et loca huiusmodi intrare ac ordinem praedictum profiteri volentes recipiendi ... necnon chordam loco corrigiae per easdem gerendi, ipsisque et earum cuilibet idoneum presbyterum saecularem vel regularem cuiusvis ordinis in confessorem ... eligendi, ac eidem confessori quaecumque vota, praeterquam castitatis et religionis, per ipsas sorores vel aliquam earumdem ex locis huiusmodi hactenus emissa vel in posterum emittenda in alia pietatis opera, de quibus sibi videbitur, commutandi necnon ipsis et cuilibet ipsarum eucharistiae et alia ecclesiastica sacramenta toties quoties opus fuerit, Clementina incipiente: « Religiosi » de privilegiis [3] non obstante iureque parochialis *etc.* salvo, ministrandi, ac eisdem ministris et sororibus coemeteria ... ecclesiasque cum campanili ... erigendi, ... necnon in congregatione et conventualiter, constitutione fel. rec. Iohannis papae XXII incipiente: « Sancta Romana ecclesia », in Extravagantibus contenta [4] etiam non obstante vivendi, necnon ministris et sororibus locorum huiusmodi omnibus et singulis privilegiis ... utendi, ... contrariis non obstantibus quibuscumque, tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus potestatem. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VIII kal. novembris, ... anno XII.

629. Mandat, ut post obitum Perini Bacciamei et Gaddi Turrini de Campo fratrum III O. S. Fr. Pisan. bona domus S. Francisci III O. S. Fr. Pisan. assignet fabricae ecclesiae S. Francisci O. F. M. Pisan. [5].

1442, novembris 3, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Andreae de Claravalle Pisan. dioec.

Debitum pastoralis officii *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Francisci Pisan., ordinis fratrum Minorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod structurae et aedificia dictae domus ac illius ecclesiae tam propter eorum vetustatem quam etiam propter guerrarum turbines, mortalitatum pestes ac alias calamitates, quibus partes illae diutius afflictae fuere, et quibus causantibus pia fidelium suffragia defecerunt, partim collapsa sunt ac partim ruinam minantur et, cum ad ea reparanda facultates ipsius domus minime suppetant, tam cultus inibi divinus quam praedicti fratres pro ipsorum habitatione gravia quotidie sustinent detrimenta, quodque dilecti filii Perinus Bacciamei, minister, et Gaddus Turrini de Campo, frater domus eiusdem sancti, etiam Pisan., tertii ordinis illius de poenitentia nuncupati, praemissa pio devotionis affectu recensentes ac attente considerantes, quod a longis citra temporibus dictam ipsorum domum, fratrum numero extreme diminutam, nullus huiusmodi tertium ordinem profitens ingressus fuit, et quod ad profitendum in posterum quisquam eam ingrediatur, nulla vel modica spes subsi-

---

(1) Cf. supra n. 456, p. 213.

(2) De Magdalena (Maffucii) cf. supra n. 188, p. 93; n. 220, p. 106; n. 534, p. 255. (3) C. 1 in Clement. 5, 7.

(4) C. un. Extrav. Ioh. XXII, 7.

(5) Reg. Lat. t. 442, f. 247, contenta in litteris Nicolai V *Humilibus supplicum votis* d. d. 15 febr. 1448.

stit, timentesque propterea, cum in tota civitate et dioec. Pisan. non alii dicti tertii ordinis professores quam soli ipsi duo, qui, iam decrepiti, omnia et singula bona mobilia et immobilia ad eamdem domum ipsorum spectantia tenent, regunt, gubernant et possident, hodie agant in humanis, postquam ipsi duo ab hac luce migraverint, bona ipsa per aliquos indebite occupari seu quomodolibet absorberi, ad tali eventui salubriter obviandum matura inter se super hoc deliberatione praehabita pro suarum et praedecessorum suorum animarum remedio sponte voluerunt et consensu mutuo ordinarunt, quod post eorum et aliorum, si qui forte in dicta ipsorum domo ipsis viventibus huiusmodi tertium ordinem professi fuerint, obitus bona omnia praedicta operariae seu reparationi et fabricae domus fratrum Minorum et illius ecclesiae huiusmodi in subsidium prosecutionis, manutentionis et conservationis ipsarum perpetuo applicari, concedi et assignari debeant, hoc tamen intellecto, quod ex ipsis bonis iuxta consuetudinem per fratres domus tertii ordinis huiusmodi ab olim hactenus observatam, et quae adhuc observatur, infrascripta fieri debeant, videlicet, quod singulis singulorum decembris, ianuarii et februarii mensium diebus veneris pro tempore eleemosyna panis Christi pauperibus ad domum tertii ordinis huiusmodi accedentibus erogetur, necnon anno quolibet Minorum huiusmodi et Praedicatorum ac Eremitarum S. Augustini et Carmelitarum ordinum domorum Pisan. cuilibet seu illius fratribus unum et dilecto filio Urbano de Ceuli, legum doctori, civi Pisan., eius vita durante duo staria ac rectori pro tempore exsistenti parochialis ecclesiae S. Margaritae Pisan. quatuordecim quarrae grani ad mensuram Pisan. dentur, necnon pro quondam Michaelis Barbadoro, fratris et benefactoris dicti tertii ordinis, dum vixit, quinquaginta missae annuatim in perpetuum celebrentur, et pro quondam Bindi de Benignis, laici, animabus librae quatuor denariorum monetae in illis partibus currentis etiam annuatim pauperibus huiusmodi similiter erogentur, prout in quodam instrumento publico exinde confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti guardiani et fratrum domus Minorum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsorum et dictae suae domus necessitatibus super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, ... omnium et singulorum bonorum praedictorum, quae per eorum vocabula, loca, qualitates, quantitates, confines et valores praesentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, quae quoad illorum proprietatem, cuius huiusmodi Minorum ordo etiam ex illius regularibus institutis capax esse prohibetur, dumtaxat post Perini et Gaddi ac aliorum, si qui ipsis viventibus in eorum domum praedictam ingressi et professi fuerint, ut praefertur, obitus huiusmodi ad Romanam ecclesiam nullo medio ex tunc in antea pertinere decernimus, iuriumque et pertinentiarum omnium eorumdem fructus, redditus et proventus quoscumque salvis eleemosynis et aliis oneribus supradictis operariae seu reparationi et fabricae huiusmodi in perpetuum eadem auctoritate apostolica concedas pariter et assignes, ita quod post Perini, Gaddi et aliorum obitus huiusmodi liceat operario operariae seu reparationis et fabricae antedictae pro tempore exsistenti per se vel alium seu alios eosdem fructus, redditus et proventus auctoritate propria libere percipere et habere necnon eleemosynarum et aliis oneribus huiusmodi supportatis totum ipsorum fructuum, reddituum et proventuum residuum in usus, utilitatem, manutentionem et conservationem ipsius fabricae, cui soli illud integraliter deberi et deputatum esse volumus, perpetuo convertere, dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia super hoc minime requisita, non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, III nonas novembris, ... anno XII.

630. Guardiano et fratribus domus de Bermeo, O. F. M., Calagurritan. dioec., concedit remissionem plenariam in articulo mortis (1).

1442, novembris 7, Florentiae.

Provenit *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VII idus novembris, ... anno XII.

631. Eisdem concedit facultatem utendi privilegiis O. F. M. (2).

1442, novembris 26, Florentiae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus de Bermeo ordinis Minorum Calagurritan. dioec.

Quotiens a Nobis petitur *etc.* Hinc est, quod Nos, ... ut si et quamdiu sub observantia regulari vixeritis, omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus et gratiis, quae reliquis fratribus ordinis Minorum

(1) Reg. Lat. t. 394, f. 303 v.

(2) Reg. Lat. t. 389, f. 250.

in quibusvis illius domibus sub observantia praemissa degentibus per Nos ac Sedem Apostolicam et alias quomodolibet concessae generaliter fuerint, uti gaudereque valeatis, auctoritate apostolica concedimus per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VI kal. decembris, ... anno XII.

632. Concedit facultatem erigendi domum B. Mariae Gratiarum Parmen. pro sororibus III O. S. Fr. iuxta formam « Dominarum de Fulgineo » viventibus (1).

1442, decembris 13, Florentiae.

Dilectis in Christo filiabus universis sororibus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in civitate Parmen. commorantibus.

Exposcit vestrae devotionis sinceritas *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, olim Gaspar de Castagneto, civis Parmen., ... condens in eius ultima voluntate testamentum, inter alia quamdam domum, hospitium « della Campagna » nuncupatam, et alias, in quibus ipse Gaspar, dum viveret, habitare consueverat, ac omnes et singulas domos infra limites parochialis ecclesiae S. Prosperi Parmen. consistentes et ad eumdem Gasparem legitime pertinentes cum hortis, curtis ac omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis vobis et sororibus vestri ordinis in praedicta civitate commorantibus et sub ipsius ordinis regulari observantia viventibus praesentibus et futuris pro vestris ipsarumque sororum usu ... legaverit, prout in instrumento publico superinde confecto plenius dicitur contineri, et vos, quae legati huiusmodi vigore praedictarum domorum possessionem fuistis assecutae, insimul sub regula eiusdem ordinis iuxta modum et formam ac institutiones et ordinationes dilectarum in Christo filiarum sororum dicti ordinis, Dominarum de Fulgineo nuncupatarum, in Nostra Fulginat. et Florentin. civitatibus insimul viventium, Altissimo famulari ferventius desideretis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis in domibus praedictis unam domum sub vocabulo S. Mariae Gratiarum cum ecclesia, campana et pro vestrarum cadaveribus dumtaxat sepeliendis coemeterio, hortis, ... officinis pro vestris usu et habitatione perpetuis fundandi ... licentiam elargiri ... dignaremur. Nos igitur ... vobis domum ipsam cum ecclesia ... in praedictis vobis relictis et legatis domibus, dioecesani *etc.* minime requisita fundandi ... licentiam ... elargimur. Volumus autem, quod vos et in fundanda et construenda domo pro tempore commorantes sorores praedictae iuxta modum, formam, institutiones et ordinationes antedictas in illa vivere perpetuo teneamini, quodque omnibus et singulis immunitatibus ... sororibus de Fulgineo nuncupatis quomodolibet concessis praedictis in omnibus et per omnia, ac si illa etiam vobis concessa forent, uti possitis *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, idibus decembris, ... anno XII.

633. Iohannem de Laterano O. F. M. instituit episcopum Granaten. (2).

1442, decembris 19, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni de Laterano, electo Granaten.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Gundissalvo episcopo Granaten. *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Gundissalvi episcopi (3), qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum et in theologia professorem, in sacerdotio constitutum, cui apud Nos de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* In illo *etc.* Iugum igitur *etc.* Volumus autem, quod quamprimum praesentes litteras habueris expeditas, ad ecclesiam praedictam te conferas et resideas personaliter in eadem, quodque extra civitatem et dioecesim Granaten. nequeas pontificalia exercere.

Datum Florentiae, anno ... 1442, XIV kal. ianuarii, ... anno XII.

634. Anselmum Happart O. F. M. instituit capellanum pontificium (4).

1442, Florentiae.

Dilecto filio Anselmo Happart, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professori, capellano Nostro.

Virtutibus clarens et meritis *etc.* Ut igitur in effectu percipias *etc.* te in Nostrum et Sedis

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 122 « e l. 1 de regular. et litt. cardin. a. XII, f. 155 ». Cf. supra n. 218, p. 105; n. 219, p. 106.

(2) Reg. Lat. t. 395, f. 10v.

(3) Cf. supra n. 434, p. 202.

(4) Reg. Vat. t. 361, f. 83. In cod. deest dies et mensis. Aliis litteris *Cum Nos nuper dilectum filium Anselmum Happart, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professorem, capellanum Nostrum* etc., pariter sine die et mense, episcopo Silvanecten. et abbatibus S. Dionysii ac S. Genovefae Parisien. mandat, ut praefatum Anselmum in usu suorum privilegiorum defendant et protegant. Ibidem f. 83v. De Anselmo Happart cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1612, p. 612.

praedictae capellanum auctoritate apostolica gratiose recipimus *etc.* tibique nihilominus concedentes, quod indulgentiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus et privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, ... anno XII.

635. Eidem confirmat collationem hospitalis S. Gervasii « domus Dei » nuncupati (1).

1442, Florentiae.

Dilecto filio Anselmo Happart, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professori, capellano Nostro.

Grata devotionis obsequia, quae Nobis et Apostolicae Sedi hactenus impendisti et adhuc impendere sollicitis studiis non desistis, necnon religionis zelus, vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam tam familiari experientia quam etiam fide dignorum testimoniis iuvari percepimus, Nos inducunt, ut te favoribus apostolicis et gratiis prosequamur. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim, postquam fel. rec. Martinus papa V, praedecessor Noster, ex certis causis tunc expressis pro tuis sublevandis necessitatibus quamcumque provisionem seu pensionem annuam super quibuscumque temporalibus bonis, fructibus, redditibus et proventibus per quosvis tibi largiendam, constituendam vel assignandam recipere et usque ad Sedis praedictae beneplacitum retinere ac in tuos usus convertere valeres, per suas litteras (2) dispensaverat, bon. mem. Iacobus, tunc Parisiensis episcopus, hospitale S. Gervasii Parisien., domus Dei nuncupatum, tunc per eiusdem Guillelmi Passiert, dicti hospitalis administratoris, liberam resignationem, in manibus dicti episcopi factam et per ipsum episcopum auctoritate ordinaria admissam, vacans tibi auctoritate ordinaria praedicta commisit, confirmatione dilecti filii Nostri Nicolai, tituli S. Crucis in Ierusalem presbyteri cardinalis, tunc in partibus Franciae dictae Sedis legati, auctoritate suae legationis desuper subsecuta, prout in diversis eorum litteris, quarum vigore tu possessionem dicti hospitalis assecutus fuisti illudque per nonnulla tempora tenuisti et possedisti, prout tenes et possides de praesenti, et quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tu dubites super praemissis in posterum posse molestari, Nos, volentes te praemissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, commissionem de dicto hospitali, tibi, ut praemittitur, auctoritate ordinaria factam, necnon confirmationem per praefatum cardinalem legatum auctoritate legationis huiusmodi subsecutam auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.* ac volentes et eadem auctoritate concedentes, quod dictum hospitale, cuius fructus, redditus et proventus quadraginta librarum Turonen. parvarum secundum communem aestimationem valorem annuum ipsius deductis oneribus, ut asseris, non excedunt, ... cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ..., quoad vixeris, retinere libere et licite valeas, et quod interim ab eo nequeas per aliquem vel aliquos aliquatenus amoveri non obstantibus, quod ordinis fratrum Minorum professor exsistis, ac ... contrariis quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442.

636. Commendat conservationem monasteriorum O. F. M. de Capha et Constantinopoli in observantia regulari (3).

1443, ianuarii 3, Florentiae.

Dilecto filio fratri Alberto de Sartiano, Nostro in partibus orientalibus nuntio.

Dil. fili sal. Novit tua devotio multum Nobis esse cordi conservationem monasteriorum ordinis tui in Capha et Constantinopoli exsistentium in observantia regulari. Quare simul cum dilecto filio fratre Iacobo de Primaditiis, qui ipsorum locorum conditiones novit, modum adhibeas, ut ea fiant, quae dictorum locorum et familiarum in eis degentium bonae dispositioni intelligitis fore necessaria.

Datum Florentiae, sub annulo Nostro secreto, die III ianuarii, anno ... 1442, ... anno XII.

637. Concedit indulgentias pro ecclesia S. Crucis O. F. M. Florentin. in die anniversario consecrationis eiusdem (4).

1443, ianuarii 7, Florentiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius *etc.* Cum itaque hodie dilectus filius Bissarion, tit. duodecim apostolorum de

(1) Reg. Vat. t. 361, f. 84, sine die et mense. Cf. num. praec.

(2) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1612, p. 612.

(3) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 123 « ex originali ». De Caffa cf. supra n. 297, p. 137.

(4) Reg. Lat. t. 392, f. 26v. Edita apud commentarium *Studi Francescani*, IX (XX), 1923, 25 s.

Urbe presbyter cardinalis, de speciali mandato Nostro, per Nos sibi super hoc oraculo vivae vocis facto, ecclesiam domus S. Crucis Florentin. ordinis fratrum Minorum sollemniter dedicaverit, Nos, qui etiam eadem die ecclesiam ipsam una cum venerabilibus fratribus Nostris S. Romanae ecclesiae cardinalibus ac quampluribus archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis praelatis personaliter visitavimus et missarum inibi sollemniis interfuimus, cupientes, quod dicta ecclesia congruis honoribus frequentetur eique de ornamentis ad divini cultus decorem et alias necessariis opportune provideatur, quodque illa ac dicta domus in earum structuris et aedificiis debite reparentur pariter et conserventur, ac ut ipsi fideles eo libentius devotionis causa ad ecclesiam confluant eamdem et ad reparationem, conservationem et provisionem praedictas manus promptius porrigant adiutrices, quo *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui praefatam ecclesiam die dominica festum epiphaniae immediate sequente devote visitaverint annuatim et ad reparationem ... manus porrexerint adiutrices, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si *etc.*

Datum Florentiae apud S. Crucem, anno ... 1442, VII idus ianuarii, ... anno XII.

638. Mandat, ut tribus monialibus O. S. Cl. monasterii Epternacen., dioec. Treveren., destructi concedat licentiam manendi in monasterio S. Agnetis monialium O. S. Aug. Treveren. (1).

1443, ianuarii 12, Florentiae.

Dilectis filiis Meten. et S. Symeonis Treveren. ac S. Florini in Confluentia, Treveren. dioec. ecclesiarum decanis.

Ad ea, per quae personarum *etc.* Sane pro parte in Christo filiarum Mariae Campenant de Bruxella et Odiliae Petri de Petra ac Elisabeth Culi de Epternaco, monialium monasterii S. Clarae, oppidi de Epternaco, ordinis eiusdem sanctae, Treveren. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod nuper nonnullae armigerae gentes excoriatores, Arminhiacae nuncupatae, ex pluribus nationibus congregatae, territorium dicti oppidi hostiliter invadentes, plura inibi incendia, rapinas, homicidia ac mala perpetrarunt alia, ex quibus monasterium ipsum multipliciter damnificatum ac in suis fructibus et redditibus diminutum remansit et remanet, quodque etiam de mense iunii proxime praeterito in oppido praedicto casuale ignis incendium adeo invaluit, quod praefatum monasterium eiusque ecclesia, structurae et aedificia ac in eo tunc exsistentia iocalia, clenodia, res et bona quasi omnia concremata fuerunt, propter quod praefati monasterii moniales, quarum aliquae in earum corporibus laesae exstiterunt, sic suis bonis destitutae, ex dicto monasterio quasi nudae evadentes, de illo mediantibus fidelium suffragiis ad civitatem Treveren. ac inibi tamquam pauperes et peregrinae per diversa loca, prout honestius potuerunt, se contulerunt, necnon Maria, debilis ac tenerae complexionis exsistens, in certis locis honestis sub regulari habitu, ac Odilia et Elisabeth praedictae in monasterio S. Germani Treveren. permanserunt, prout etiam de praesenti permanent. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, quod monasterii S. Clarae et illius structurarum et aedificiorum praedictorum funditus desolatorum reformatio et reparatio infra multos annos fieri debeant, modica spes exsistat, ipsaeque exponentes in monasterio S. Agnetis etiam Treveren. ordinis S. Augustini, in quo benevolas receptatrices inveniunt, perpetuo sua vota eidem Altissimo reddere desiderent, pro parte earum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus ... praefatas Mariam, Odiliam et Elisabeth ac quamlibet earum ab excommunicationis sententia necnon apostasiae nota, si quas praemissorum occasione forsan incurrerunt, auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvatis in forma ecclesiae consueta, iniunctis inde eis pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, et nihilomimus, si vocatis, qui fuerint evocandi, vobis ... de praemissis legitime constiterit, eidem Mariae, Odiliae et Elisabeth ac earum cuilibet, ut de monasterio S. Clarae ad monasterium S. Agnetis huiusmodi, si inibi benevolas receptatrices invenerint, ut praefertur, se transferre ac in ipso monasterio S. Agnetis sub illius regulari habitu perpetuo remanere libere et licite valeant, plenam et liberam auctoritate praedicta licentiam concedatis. Non obstantibus privilegiis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, pridie idus ianuarii, ... anno XII.

(1) Reg. Lat. t. 406, f. 19v. Cf. supra n. 539, p. 257.

639. Concedit facultatem erigendi monasterium O. S. Cl. in loco de Tavira, Silven. dioec. (1).

1443, ianuarii 16, Florentiae.

Dilecto filio Aegidio de Tavira, ordinis fratrum Minorum professori.

Votis fidelium *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod tu pro usu et habitatione nonnullarum matronarum et aliarum devotarum et honestarum mulierum, in loco de Tavira, Silven. dioec., commorantium et in aliquo monasterio sive loco ordinis S. Clarae virtutum Domino famulari desiderantium, de matronarum et mulierum earumdem aliorumque christifidelium bonis ad hoc iam forsan porrectis et porrigendis eleemosynis aliquam in honorem et sub vocabulo S. Clarae, ordinis eiusdem sanctae, domum erigi ... affectas ... Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi, qui, ut asseris, charissimi in Christo filii Nostri Alphonsi, Portugalliae et Algarbii regis illustris, confessor exsistis, domum huiusmodi pro eisdem usu et habitatione cum ecclesia, campanili, ... officinis ... construendi ... necnon matronis ... acceptandi licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... tibi domum praedictam cum ecclesia, campanili, campana ... pro usu et habitatione praedictis in loco praemisso fundandi ... necnon matronis et mulieribus praedictis domum eamdem pro dictis usu et habitatione, quodque conventualiter Domino famulentur ibidem, recipiendi ... licentiam elargimur. Et insuper universis et singulis sororibus, quas in praedicta domo pro tempore degere et morari contigerit, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, XVII kal. februarii, ... anno XII.

640. Iohanni del Antigua O. F. M. confert eremitoria S. Mariae de Escannal et S. Stephani prope locum de Tortuero (2).

1443, ianuarii 17, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni del Antigua, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, olim S. Mariae de Escannal prope locum de Tortuero et S. Stephani iuxta illud consistente eremitoriis, Toletan. dioec., tunc certis modis gubernatorum seu administratorum ipsorum regiminibus destitutis, bon. mem. Iohannes archiepiscopus Toletan. eremitoria ipsa, quae devotionis causa et pro divini cultus exercitio quandoque per laicos, nonnumquam vero per saeculares clericos teneri et gubernari consueverunt, tibi per te usque ad suae voluntatis beneplacitum tenenda, regenda et gubernanda auctoritate ordinaria successive concesserit seu commendaverit sub certis modo et forma, prout in litteris ipsius archiepiscopi eius sigillo munitis seu instrumentis publicis superinde confectis dicitur plenius contineri, ac tu, concessionis seu commendae huiusmodi vigore dicta eremitoria assecutus, illa ex tunc etiam, postquam praefatus Iohannes exstitit vita functus, tenueris et possederis, prout tenes et possides de praesenti, Nos, volentes te, qui ut asseritur, dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Iohannae Pimentel, dilecti filii nobilis viri Alvari de Luna, comitis Sancti Stephani et Castellae ac Legionis regnorum comestabilis (3), uxoris, capellanus exsistis ac praefata eremitoria laudabiliter rexisti et gubernasti, ipsum eremitorium S. Mariae in eius structuris et aedificiis decenter reparando et manutenendo, praemissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso necnon eremitoria praedicta, etiamsi eorum quodlibet seu ambo simul in titulum ecclesiastici beneficii conferri et assignari ac ea pro tempore obtinens pro solo nutu archiepiscopi Toletani pro tempore exsistentis seu alicuius alterius ecclesiasticae personae ab illis amoveri consueverint, qualitates, quotcumque et qualescumque exsistant, praesentibus pro expressis habentes, tuis ac dicti Alvari in hac parte supplicationibus inclinati, eremitoria praedicta, quae sine cura sunt, et quorum fructus, redditus et proventus decem libras Turonen. parvorum secundum communem aestimationem valorem annuum, ut etiam asseritur, non excedunt, quovis modo aut ex quorumcumque personis vacent, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi per te, quoad vixeris, tenenda, regenda et gubernanda, ita quod illa assequi, tenere et possidere ac in eis cum uno socio ordinis fratrum Minorum professore per te eligendo superiorum tuorum et aliorum quorumcumque licentia super hoc nullatenus requisita, quoad vixeris, degere et permanere, necnon illorum fructus, redditus

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 124, « e l. 1 de regular. et litt. card. a. XII, f. 173 ». Cf. supra n. 380, p. 175.

(2) Reg. Vat. t. 365, f. 353. Eadem die sub forma simili *Venerabili fratri .. episcopo Abulen. et dilectis filiis decano Asturicen. ac archidiacono Toletan.* committit exsecutionem praedictarum litterarum. ibid. f. 353v.

(3) Cf. supra n. 84, p. 48.

et proventus huiusmodi exigere, percipere et retinere ac in tuos et dicti socii usus convertere, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dictorum eremitoriorum tibi penitus interdicta, libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et etiam commendamus, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, XVI kal. februarii, ... anno XII.

641. Roberto Mersey O. F. M. concedit dispensationem, ut quodcumque beneficium curatum vel non curatum per saeculares vel cuiusvis ordinis regulares gubernari solitum recipere valeat (1).

1443, Ianuarii 30, Florentiae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, III kal. februarii, ... anno XII.

642. Fratribus III O. S. Fr. in regno Castellae et Legionis concedit facultatem celebrandi capitulum, eligendi visitatorem *etc.* (2).

1443, februarii 6, Florentiae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Iniunctum Nobis desuper apostolicae servitutis officium *etc.* Hinc est, quod Nos dilectorum filiorum universorum fratrum domorum et locorum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati infra Legionis et Castellae regna consistentium, inter cetera asserentium, quod ipsi domos et loca praedicta communia habere ac in illis communiter et alias laudabiliter vivere ac nonnulla salubria et utilia statum, directionem, conservationem et augmentum domorum et ordinis praedictorum concernentia statuta et ordinationes in generali eorum capitulo per ipsos ultimo celebrato fecisse et addidisse, quodque etiam inter eos plures clerici, et sacerdotes etiam docti et experti fore noscuntur, in hac parte supplicationibus inclinati, tam praesentibus quam futuris praefati ordinis fratribus, in praedictis et aliis infra regna praedicta pro tempore consistentibus dicti ordinis domibus atque locis pro tempore degentibus, quod eorum generale capitulum prima vice et successive perpetuis futuris temporibus, quoties illud celebrare contingeret, unum ex ipsis, in sacerdotio tamen constitutum, in eorum ac praesentium et futurorum praefati ordinis domorum et locorum praedictorum visitatorem iuxta modum et formam ab huiusmodi capitulo desuper statuta seu statuenda eligere et deputare, quodque ipse visitator, sic pro tempore electus et deputatus, superior eorum esse ... ac bonis ipsorum praeesse et eorum curam gerere et exercere necnon de consilio quorumdam ipsius ordinis fratrum, ad id per huiusmodi capitulum pro tempore deputandorum, omnes et singulos ... delinquentes aut inobedientes ... punire, corrigere et incarcerare necnon suis pro tempore officiis privare, ... etiam per censuram ... et invocationem brachii saecularis, ac etiam per seipsum dumtaxat capitulum generale huiusmodi congregare illique praeesse, ac idoneos ex dictis fratribus ad officia domorum et locorum praedictorum, quoties illa cessare seu exspirare contigerit, deputare ... necnon ... ordinis huiusmodi fratres ac sorores ab omnibus et singulis excommunicationum ... poenis ... in foro conscientiae dumtaxat absolutionem impendere ac cum clericis et presbyteris ex praedictis super irregularitate ... dispensare, necnon etiam per se vel alios idoneos ex fratribus in sacerdotio constitutis praedictis omnium et singulorum fratrum et sororum ... ac illorum et illarum servitorum pro tempore confessiones audire, ... absolutionem impendere et poenitentiam salutarem iniungere et eorum cuilibet ecclesiastica sacramenta ministrare libere et licite possit, ... concedimus potestatem et insuper, quod officium visitatoris pro tempore electi huiusmodi ultra triennium, a die suae electionis computandum, non perduret, et quod ipse electus elapso dicto triennio eidem officio in capitulo praedicto libere cedere, ac quod etiam omnes et singuli fratres et sorores ordinis huiusmodi praesentes et futuri dicto pro tempore visitatori tamquam eorum superiori in omnibus iuxta statuta edita et edenda praedicta plenarie obedire teneantur, quodque omnia eorum et cuiuslibet ipsorum bona in domibus, in quibus professionem expressam pro tempore fecerint (illis bonis, de quibus infra tres menses, a die ingressus eorum in ordine praedicto computandos, testati fuerint, dumtaxat exceptis), matris tamen, uxoris et filiorum eorumdem pro tempore in dicto ordine post obitum parentum suorum huiusmodi remanere volentium in omnibus semper salvo iure, communia exsistant et ad domos et loca huiusmodi libere pertineant ..., et quod etiam nullus ex fratribus praefatis post professionem per eum emissam matrimonium contrahere ac alias extra domos et loca

(1) Reg. Lat. t. 389, f. 260v.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 125, ex « Anton. de Sillis in *Bullario III Ord.* p. 30 ».

praedicta officium seu alias aliquod beneficium ecclesiasticum obtinere ac absque licentia speciali dicti pro tempore visitatoris, sibi ex necessitate ac ad tempus dumtaxat et non alias concedenda, extra domos seu loca huiusmodi moram trahere vel residere et alicui ecclesiae seu beneficio ecclesiastico pro pretio seu alias servire possit et debeat, quodque cum licentia extra domos commorantes seu servientes huiusmodi pro tempore id totum, quod interim licite acquisiverint et eis tunc superfuerit, domibus, in quibus professionem fecerint, integre dare et assignare teneantur, ... statuimus, decernimus atque concedimus. Volumus autem, quod fratres praedicti sub ordinariorum locorum obedientia, in quantum sub illa ipsi praesentes fratres esse consueverint, (alioquin ab illa liberi) ut prius remaneant et remanere debeant. Non obstantibus, quod visitator fratrum et domorum praedictorum alterius ordinis esse consueverit ac constitutionibus apostolicis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VIII idus februarii, ... anno XII.

643. Iohanni episcopo Pensaurien. mandat, ut circa Iohannem Paulucii, alias Morici, O. F. M. qui ante annos 41 cum dimidio de dicto ordine ad monasterium S. Antonii (Antimi), Vallis Istarsiae, O. S. Ben., Clusin. (Chiusi) dioec., transierat et etiam post litteras Martini V quaedam beneficia ecclesiastica necnon SS. Michaelis et Damiani de castro Trimbe (Tomba) dioec. Pensaurien. ecclesias rexerat, faciat, quae suae conscientiae melius expedire viderentur (1).

1443, februarii 14, Florentiae.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, XVI kal. martii, ... anno XII.

644. Iohanni de Lucio O. F. M. concedit perinde valere de receptione eremitorii prope villam de Cale, Hispalen. dioec. (2).

1443, februarii 14, Florentiae.

Dilecto filio Iohanni de Lucio ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Dudum siquidem pro parte tua fel. rec. Martino papae V, praedecessori Nostro, exposito, quod tu et nonnulli alii ordinis fratrum Minorum professores ex certis tunc expressis causis desiderabatis in quodam eremitorio in certo loco deserto prope villam de Cale S. Petri de Beurbex, Hispalen. dioec., consistente, in quo nonnulli eremitae habitare consueverant, seu in aliquo alio eremitorio vel loco per vos de novo recipiendo aliquam domum pro vestris usu et habitatione perpetuis recipere, Nos tunc certo iudici per alias Nostras litteras inter alia commisimus et mandavimus, ut vobis eremitorium S. Petri praedictum seu quemcumque alium locum ad hoc idoneum recipiendi et in illo de consensu, quorum intererat, domum pro usu et habitatione praemissis construendi ... licentiam concederet, prout in ipsis litteris, in quibus te ordinem huiusmodi professum fuisse expressum exstitit, plenius continetur. Cum autem ... tempore datae litterarum ipsarum dictum ordinem nondum professus fueris, licet nunc sis, Nos, ne praedictae, ad quarum exsecutionem, ut asseris, processum est, litterae de subreptione notentur, providere teque praemissorum meritorum tuorum intuitu favore gratioso prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et dicta tibi auctoritate concedimus, quod litterae praedictae ac processus habiti per easdem ab earum data ac quaecumque inde secuta valeant et plenam roboris firmitatem obtineant in omnibus et per omnia, perinde ac si tempore praemisso eumdem ordinem expresse professus fuisses. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, XVI kal. martii, ... anno XII.

645. Iohanni, episcopo Pensaurien., mandat, ut cum Antonio de Montevetularum O. F. M., qui ante 16 annos ad monasterium S. Petri de Derchio, O. S. Ben. Imolen. dioec., transierat et de licentia sui abbatis perpetuum beneficium in castro Gradariae aliquamdiu rexerat et ecclesiam parochialem S. Laurentii de Monte Abbatis, dioec. Pensaurien., de praesenti regebat, faciat, prout conscientiae suae videretur (3).

1443, februarii 20, Florentiae.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, X kal. martii, ... anno XII.

646. Mandat, ut Petrum Hungari O. F. M. praeficiat monasterio S. Caeciliae O. S. Ben. dioec. Caputaquen. (Capaccio in Italia inf.) (4).

1443, februarii 22, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Caputaquen.

Sollicitae considerationis indagine *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, monasterium S. Cae-

(1) Reg. Lat. t. 389, f. 303.
(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 126 « e l. 1 de regular. et litt. card. a. XII, f. 24 ».
(3) Reg. Lat. t. 389, f. 304.
(4) Reg. Lat. t. 395, f. 37v.

ciliae, ordinis S. Benedicti, tuae dioec., cui quondam Vitus, ipsius monasterii abbas, dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Viti, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, ad praesens abbatis regimine destitutum exsistat, Nos cupientes *etc.* ac de meritis et idoneitate dilecti filii Petri Hungari, ordinis fratrum Minorum professoris, pro quo dilectus filius nobilis vir Franciscus de Sancto Severino, comes Lauriae, dicti monasterii patronus, Nobis super hoc humiliter supplicavit, apud Nos de religionis zelo ... commendati, certam notitiam non habentes, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, ... si per informationem huiusmodi ipsum Petrum ad regimen et gubernationem dicti monasterii utilem et idoneum esse reppereris, ... de persona dicti Petri eidem monasterio, cuius fructus, redditus et proventus viginti quatuor florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, ... auctoritate Nostra provideas, ipsumque illi in abbatem praeficias, curam *etc.*, contradictores *etc.* non obstantibus *etc.* Aut si conventui *etc.* Et insuper eidem Petro, si per te huiusmodi de persona sua dicto monasterio vigore praesentium provideri contigerit, auctoritate Nostra praedicta munus benedictionis impendas vel, ut illud ab aliquo catholico antistite ... suscipere valeat, eadem auctoritate concedas. Volumus autem, quod ille ex te ac dicto antistite, qui eidem Petro munus praedictum impendet *etc.*, quodque si munus praefatum per alium, quam per te praefato Petro impendi contigerit, per hoc episcopo Caputaquen. pro tempore exsistenti, cui monasterium ipsum ordinario iure subesse dignoscitur, nullum imposterum praeiudicium generetur, ac dictus Petrus illum gestet habitum, qui in eodem monasterio geritur et habetur, illiusque institutis regularibus se conformet.

Datum Florentiae, anno ... 1442, VIII kal. martii, ... anno XII.

647. Mandat, ut decernat causam supplicationis Iohannis Gasci O. F. M. (1).

1443, februarii 23, Florentiae.

Dilecto filio Bernardo Scurriolla, vicario ministri provincialis fratrum de observantia nuncupatorum ordinis Minorum provinciae Aragoniae secundum morem eiusdem ordinis auctoritate apostolica deputato.

Religionis zelus, ... super quibus dilectus filius Iohannes Gasco, ordinis Minorum et in theologia professor *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dicti Iohannis petitio continebat, quod, licet iuxta apostolicas ac in generalibus ac provincialibus praefati ordinis capitulis editas constitutiones (2) et ordinationes fratres ipsius ordinis in senectute constituti in eis domibus quiescere debeant, in quibus iuxta eiusdem ordinis consuetudinem habitum susceperunt et professionem emiserunt regulares, ac praefatus Iohannes, qui, postquam iuventutis suae tempore in domo S. Spiritus iuxta Murum Veterem dicti ordinis, Valentin. dioec., Sedi Apostolicae immediate subiecta, iuxta consuetudinem ordinis huiusmodi habitum receperat et professionem emiserat regulares ac aliquamdiu laudabiliter conversatus fuerat, de licentia guardiani praefatae domus extra illam infra eiusdem ordinis loca secundum ordinationem ministri provincialis provinciae Aragoniae secundum morem ipsius ordinis per multa temporum curricula studio litterarum ac lecturis et praedicationibus aliisque virtuosis operibus fidelium animarum salutem et prosperum statum dicti ordinis concernentibus insudavit, considerans se quinquagesimum suae aetatis annum transscendisse, ad domum praedictam redire et in ea cum fratribus inibi pro tempore degentibus Altissimo vota sua exsolvere ac pro posse suo ad felicem illius status directionem intendere eique annuente Deo proficere tota mente concupiscat, tamen dilecti filii guardianus domus sive illius vicarius et in ea ad praesens degentes fratres ipsum Iohannem inibi pacifice habitare absque rationabili causa non permittunt. Quare pro parte ipsius Iohannis, asserentis, quod iam senio confractus, adeo impotens est, quod super his ad dilectum filium Albertum vicarium praefati ordinis per Sedem Apostolicam deputatum in partibus, in quibus residet, accedere nequit, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eum in dicta domo in fratrem recipi et sincera in Domino charitate tractari sibique sicut uni ex aliis fratribus pari gradu graduatis in dicta domo pro tempore degentibus de vitae et victus necessariis provideri ac alias tranquillitati suae consuli mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus per teipsum super praemissis ... te diligenter informes ac in illis facias, disponas, ordines et decernas, prout conscientiae tuae, quam desuper oneramus, melius videbitur expedire, ac ea, quae feceris, disposueris et ordinaveris, facias per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia opportuna firmiter observari. Non obstantibus *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, VII kal. martii, ... anno XII.

(1) Reg. Lat. t. 389, f. 245 v.

(2) Cf. Statuta Guil. Farinerii anni 1354, ap. *Bull. Franc.* t. VII, p. 641 a-b.

648. Mandat, ut revocet facultatem vendendi certam petiam terrae relictam ex testamento Lippi de Caprionibus de Faventia (1).

1443, februarii 26, Florentiae.

Venerabili fratri episcopo Faventin.

Importuna petentium ambitio *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum priorum et fratrum domorum Faventin., Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini et Camaldulensium ordinum exposito, quod olim a nonaginta sex annis citra quondam Lippus de Caprionibus de Faventia laicus, condens de bonis suis in eius voluntate ultima testamentum, in illo dilectos filios priorem et fratres domus Faventin. ordinis Coelestinorum suos haeredes universales instituerat ac ex bonis praedictis quamdam petiam terrae quantitatis viginti tornaturarum vel circa, in districtu civitatis Nostrae Faventin. consistentem, dilectis filiis priori et fratribus S. Bernardi Faventin., Cistercien. ordinis, et in eadem civitate pro tempore degentibus fratribus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupatis communiter legaverat, sub ea tamen conditione, quod ipsi legatarii certa alia legata tunc expressa prioribus et fratribus domorum Praedicatorum, Minorum, Eremitarum et Camaldulensium huiusmodi annuatim persolverent, et si hoc non facerent aut dictam petiam quovismodo alienarent, ex tunc ipsa petia terrae ad praefatos haeredes devolveretur, prout in quodam instrumento publico exinde confecto dicebatur plenius contineri, ac in huiusmodi expositione subiuncto, quod principales legatarii, videlicet domus S. Bernardi et tertii ordinis fratres huiusmodi eamdem petiam terrae pro eo, quod causantibus guerrarum turbinibus, aquarum inundationibus et aliis sinistris eventibus diutius inculta remanserat et adeo deteriorata fuerat, quod ex ea, de qua tempore dicti testatoris trigintaquinque percipi consueverant, tunc nonnisi duodecim librae bolendinorum monetae in illis partibus currentis de affictu seu pensione annuatim percipi poterant, quondam Iohanni Saveri de Faventia laico de consensu haeredum et aliorum legatariorum, videlicet Praedicatorum, Minorum, Eremitarum et Camaldulensium fratrum praedictorum, in emphyteusin sive ad affictum sub annua pensione dictarum duodecim librarum per eumdem Iohannem ipsis principalibus legatariis anno quolibet solvendarum sub certis modo et forma locaverant et concesserant, quodque postmodum dictus Iohannes quamdam eius possessionem pro dicta petia terrae cum eisdem principalibus legatariis de haeredum et aliorum legatariorum praedictorum consensu permutaverat, et quia postmodum etiam permutatam possessionem ipsam simul cum dicta petia terrae de simili consensu aliquamdiu retinens, eam sine scitu haeredum et omnium legatariorum praedictorum extraneis vendiderat, ad solvendum dictam pensionem eisdem principalibus legatariis, ad quorum ius et proprietatem ipsa petia terrae propterea reversa fuerat, obligatus, ut prius remanserat; et cum ipse Iohannes in huiusmodi solutione defecisset et continuo deficeret, necnon inter haeredes, qui dictam petiam terrae ad se devolutam fore ex una, et principales, qui oppositum seque ab eodem Iohanne dictas duodecim libras percipere nequivisse atque nequire ex alia, ac alios legatarios praedictos, qui se ab iisdem principalibus legatariis de aliis legatis praefatis nihil umquam habuisse asserebant, ex alia partibus, horum occasione super eadem petia terrae variae dissensiones, lites et controversiae fuissent exortae, tandem partes ipsae inter se ad talem concordiam devenerunt, quod videlicet dicta petia terrae deinceps per haeredes retineretur eosdem, qui ratione illius praefatas duodecim libras principalibus et aliis legatariis praedictis singulis annis in perpetuum solverent pro rata debita inter illos dividendas, primo et deinde, quia dicti haeredes solutionem huiusmodi facere non curabant, ad hanc aliam compositionem inter partes ipsas deventum exstiterat, scilicet quod dicta petia terrae venderetur, et ex illius pretio singulis ipsorum et aliorum creditorum iuxta formam testamenti et ratam legatorum praedictorum etiam pro expensis per haeredes et legatarios praemissorum occasione legitime factis satisfieri deberet: Nos tunc alicui iudici in illis partibus mandari concessimus, ut vocatis, qui forent evocandi, de praemissis ... se diligenter informaret, et si per informationem ea vera esse hocque in evidentem voluntatis testatoris et ecclesiarum, haeredum et omnium legatariorum praedictorum utilitatem cedere reperiret, de consensu illorum, quorum interesset, dictam petiam terrae venderet et illius pretium penes aliquam personam fide et facultatibus idoneam deponeret, quae deinde praemissam satisfactionem faceret, et si quidquid superesset, illud totum in fabricam sive reparationem et utilitatem ecclesiarum earumdem seu in alia pietatis opera, prout sibi melius videretur, pro salute animae dicti testa-

(1) Reg. Vat. t. 361, f. 145. Cf. supra n. 544, p. 259.

toris exponere et convertere procuraret. Postmodum vero pro parte prioris et fratrum domus Praedicatorum praedictorum Nobis exposito, quod dilectus filius Bartholomaeus de Gandulfis, canonicus Faventin., qui in petitione dictorum exponentium nominatim et expresse in iudicem desuper postulatus fuerat, praetextu postulationis et de mandato concessionis huiusmodi, super qua litterae apostolicae minime confectae fuerant, haeredibus et principalibus reliquisque legatariis praedictis et aliis, quorum intererat, quique evocandi fuerant, alias legitime vocatis de praemissis ... se diligenter informaverat, et quia per informationem huiusmodi ea vera esse hocque in evidentem utilitatem huiusmodi cedere reppererat necnon post factas per eum alias rite et canonice insinuationes et monitiones debitas omnibus et singulis vocatis eisdem, quod, si qui vellent contradicere, infra certum tunc expressum peremptorium terminum coram eo legitime comparerent, allegaturi causam rationabilem, propter quam venditio huiusmodi fieri non deberet, quia nullus comparuerat contradicens, lapso dicto termino eamdem petiam terrae fratribus domus Praedicatorum pro certo iusto tunc expresso pretio licet de facto tunc vendiderat ipsumque pretium penes personam huiusmodi per eam in satisfactionem et alia praemissa fideliter et integre convertendum deponi decreverat, prout in quodam instrumento publico exinde confecto, ipsius canonici sigillo munito, dicebatur plenius contineri, ac subiuncto Nobis, quod huiusmodi venditio ad eiusdem testatoris animae salutem redundaret et pro parte prioris et fratrum domus Praedicatorum eorumdem, asserentium se praefatis haeredibus summam mille librarum dictae monetae vel circa, in quibus sibi ratione certi legati, olim per quondam Cazagueram physicum facti, obligati exsistebant, gratis remisisse et tam haeredes quam principales et reliquos legatarios praefatos pro eo, quod contra formam dicti testamenti permutationi supradictae ... consenserunt, a iure, quod eis in participatione dicti pretii alias competeret, cecidisse, Nobis humiliter supplicato, ut venditioni et aliis per canonicum gestis huiusmodi robur apostolicae confirmationis adiicere *etc.*, Nos dilecto filio praeposito ecclesiae Faventin. eius proprio nomine non expresso aliis Nostris litteris dedimus in mandatis, quatenus vocatis haeredibus et principalibus reliquisque legatariis praefatis ac aliis, qui forent evocandi, si reperiret ita esse, venditionem et alia per canonicum gesta huiusmodi ac quaecumque inde secuta auctoritate Nostra approbaret et confirmaret, supplendo *etc.* ac voluimus, quod pretium praedictum, quod per dilectos filios antianos dictae civitatis et quosdam alios custoditum eatenus esse dicebatur, penes dilectum filium Dominicum de Urbeveteri, ordinis Praedicatorum fratrum huiusmodi professorem, in theologia baccalaureum formatum, qui illud cum omni et toto eo, quod ex ipso haeredes et principales ac reliquos legatarios antedictos pro rata contingeret, in fabricam vel aliam utilitatem evidentem ecclesiarum legatariarum praefatarum pro salute animae huiusmodi fideliter et integre converteret et exponeret, realiter deponi faceret et procuraret primo, et deinde pro parte eorumdem prioris et conventus domus fratrum Praedicatorum Nobis similiter exposito, quod dilectus filius Oddo Hugolini de Marzano, praepositus dictae ecclesiae Faventin., pluribus aliis negotiis impeditus, ad exsecutionem earumdem litterarum sibi, ut praemittitur, directarum commode, prout expedivisset, procedere nequiverat, quod praefatis exponentibus fuerat et erat plurimum onerosum, Nos dilecto filio archipresbytero plebis Apri, Faventin. dioec., eius proprio nomine expresso, ut quibuslibet frivolis exceptionibus reiectis ad exsecutionem earumdem litterarum praefato praeposito directarum, ut praefertur, perinde in omnibus et per omnia summarie, simpliciter et de plano per seipsum dicta auctoritate Nostra procederet, ac si litterae praedictae sibi directae fuissent, per alias Nostras litteras mandavimus, prout in ipsis litteris plenius continetur [1]. Postmodum, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictorum antianorum ac dilectorum filiorum communis eiusdem civitatis petitio continebat, prior et conventus Praedicatorum praedicti super hoc inter cetera petendo venditionem et alia per canonicum gesta per dilectum filium Petrum archipresbyterum dictae plebis auctoritate apostolica approbari et confirmari et alias ad ipsarum litterarum exsecutionem procedi debere, eosdem priores et fratres Minorum, Coelestinorum et S. Bernardi praefatos ipsarum litterarum praetextu fecerunt ad iudicium evocari et, licet pro parte ipsorum priorum et fratrum Minorum, Coelestinorum et S. Bernardi fuerit coram eodem Petro excipiendo propositum, quod, cum dictae litterae ex certis tunc expressis causis subreptitiae forent, se de praemissis de iure intromittere non valebat nec debebat, et quia dictus Petrus nihilominus se iudicem competentem in causa exsecutionis lit-

(1) Cf. supra n. 544, p. 259, nota 3.

terarum huiusmodi exsistere per suam interlocutoriam sententiam pronuntiavit iniquam, pro parte dictorum prioris et fratrum Minorum, Coelestinorum et S. Bernardi ad Sedem Apostolicam appellatum exstitit, Nosque causam appellationis huiusmodi Berardo de Narnia, cui, postquam ipse in dicta causa ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, inter partes ipsas processerat, ut ad earumdem litterarum exsecutionem iuxta ipsarum continentiam et formam, etiam absque aliorum terminorum alias servari solitorum observatione, in omnibus et per omnia procederet, perinde ac si dictae litterae sibi directae fuissent, mandavimus primo et successive ex certis causis Paulo de Sanctafide, dilectis filiis magistris, capellanis Nostris et causarum palatii apostolici auditoribus, ad ipsorum prioris et conventus domus Praedicatorum instantiam audiendam commisimus et fine debito terminandam, ipsique Paulo auditori praedictae litterae dumtaxat praesentatae fuerunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, si litterae et venditio praefatae suum consequerentur effectum, ex hoc magnum apud cives scandalum et ecclesiis ac ecclesiasticis personis dictae civitatis damna plurima verisimiliter subsequerentur, quoniam dicti cives, id videntes et dubitantes voluntates suas non servari, a relinquendo seu dimittendo aliquid ecclesiis ac faciendo eleemosynas huiusmodi se retrahent, necnon ipsorum civium erga pia loca et religiosas personas devotio refrigescet, pro parte eorumdem antianorum et communis, asserentium, quod prior et fratres Coelestinorum ac guardianus et fratres Minorum ordinum domorum Faventin. praefati exsecutioni litterarum praedictarum penitus contradicunt, et quod ipsae litterae revocentur, consentire parati exsistunt ac consentiunt, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, litterarum et instrumentorum praedictorum tenores ac litis et causarum in Romana curia vel extra eam coram praefato Paulo auditore et quibusvis aliis iudicibus apostolica vel quavis alia auctoritate inter praefatas personas super praemissis vel eorum occasione quomodolibet indecisae pendentium status praesentibus pro expressis habentes ipsasque causas ad Nos harum serie advocantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, si et postquam vocatis priore et fratribus domus Praedicatorum praedictis ac aliis, qui fuerint evocandi, de ultimo tibi expositis huiusmodi legitime constiterit, venditionem et litteras revoces, casses et annulles nulliusque roboris vel momenti fore decernas necnon voluntates testatoris praedictas in omnibus et per omnia, ac si concessio, venditio et litterae emanatae ac alia omnia praemissa subsecuta nullatenus fuissent, observari facias, contradictores *etc.* non obstantibus *etc.* Nos enim, si revocationem, cassationem et decretum praedicta per te praesentium vigore fieri contigerit, ut praefertur, ex tunc lites praedictas auctoritate apostolica penitus exstinguimus per praesentes.

Datum Florentiae, anno ... 1442, IV kal. martii, ... anno XII.

649. Dominico, tit. SS. Iohannis et Pauli presbytero cardinali, mandat, ut circa Anfrosinam Ram, monialem monasterii S. Clarae, Barchinonen., O. S. Cl. ad ordinem religiosarum S. Iohannis Hierosolymitan. transire cupientem, faciat, prout conscientiae suae expedire videretur (1).

1443, februarii 28, Florentiae.

Humilibus et honestis supplicum votis *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1442, prid. kal. martii ... anno XII.

650. Antonium O. F. M. instituit episcopum Gallipolitan (2).

1443, martii 20, Senis.

Dilecto filio Antonio, electo Gallipolitan.

Romani pontificis, cui ecclesiarum *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Donato, episcopo Gallipolitan., regimini ecclesiae Gallipolitan. *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per obitum praefati Donati, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia praeditum *etc.* direximus oculos Nostrae mentis, quibus omnibus *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.* In illo *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Senis, anno ... 1442, XIII kal. aprilis, ... anno XIII.

Simili modo eadem die scribit *Archiepiscopo Ydrontin.* (Ad cumulum).

---

(1) Reg. Lat. t. 389, f. 268.

(2) Reg. Lat. t. 398, f. 197. Eidem litteris *Cum Nos pridem ecclesiae Gallipolitan.* d. d. 22 mart. 1443 dat facultatem recipiendi munus consecrationis a quocumque maluerit catholico antistite; ibid. t. 397, f. 26.

651. Concedit monasterio Capitisarenarum (Sampierdarena), O. S. Cl., Ianuen., facultatem dandi certam domum in emphyteusim ad vitam pro meliore sustentatione capellani (1).

1443, martii 20, Senis.

Dilecto filio archidiacono Ianuen.

His, quae ecclesiarum *etc.* Sane pro parte in Christo dilectarum filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Pauli Capitisarenae, Ianuen., ordinis S. Clarae, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim quondam Nicolaus de Gentilibus, civis Ianuen., de bonis sibi a Deo collatis condens in eius voluntate ultima testamentum, inter alia quamdam domum, in contrata S. Iohannis Capitisarenarum Ianuen. consistentem et ad eum legitime pertinentem, cum viridario ac omnibus iuribus et pertinentiis suis quondam Leonardo de Oliva, civi Ianuen., per eum, quoad viveret, tenendam et usufructuandam reliquit et legavit, volens ac ordinans inter cetera, quod post obitum dicti Leonardi praefata domus cum viridario, iuribus et pertinentiis supradictis per nonnullos ab ipso Nicolao in huiusmodi voluntate deputatos executores sub annua pensione, prout ipsis executoribus videretur, locari et pensio huiusmodi uni presbytero, qui pro ipsius testatoris et quondam Primefloris, eius uxoris, animarum salute ad altare eiusdem sanctae, situm in ecclesia dicti monasterii, missam singulis diebus celebrare perpetuo teneretur, pro ipsius capellani sustentatione tradi et assignari deberet, ita tamen, quod quandocumque contingeret missam praedictam ad dictum altare non celebrari, aut si forsan praefatae conventus nollent, quod missa huiusmodi in earum ecclesia celebraretur, quod tunc praedictum legatum ad fratres domus Ianuen. ordinis fratrum Minorum, qui dictam missam ad altare S. Iohannis Baptistae, situm in eorum ecclesia, similiter singulis diebus celebrari facere deberent, devolveretur, prout in instrumento publico superinde confecto dicitur plenius contineri, quodque postmodum dicto Leonardo, qui legati huiusmodi vigore praedictam domum aliquamdiu tenuit et possedit, vita functo praefati exsecutores domum ipsam cum viridario, iuribus et pertinentiis praefatis cuidam civi Ianuen. sub annua pensione vigintitrium librarum Ianuinorum monetae illarum partium deducta gabella, communis civitatis Ianuae nuncupata, locarunt ipsamque pensionem seu illius pretium uni capellano, qui missam ad praedictum altare S. Clarae celebraret, dederunt et assignarunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, a nonnullis revocetur in dubium, an iuxta voluntatem et ordinationem praedictas domus ipsa in perpetuum vel ad vitam an vero ad annum tantum locari possit et debeat, et si dicta domus in perpetuum vel ad vitam locaretur, illius conductores procul dubio eam cum viridario de propriis eorum bonis repararent et conservarent necnon, ut verisimiliter creditur, ultra hoc aliquid pro salario capellano huiusmodi missam celebraturo contribuerent in non modicam dicti monasterii utilitatem, pro parte earumdem abbatissae et conventus, asserentium, quod licet voluntas et ordinatio praedictae pro eo, quod alias, cum dicta pensio vigintitrium librarum pro victu praedicti capellani non sufficeret, residuum pro victu huiusmodi necessarium, videlicet usque ad quinquaginta libras monetae similis, de bonis dicti monasterii eidem capellano persolverunt ac pro ipsius domus in suis structuris et aedificiis conservatione plures expensas subierunt, eidem monasterio onerosae reddantur, tamen pro divini cultus augmento, quod missae huiusmodi in earum ecclesia praedicta perpetuo celebrentur, ferventius concupiscunt, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ita esse dictasque in emphiteusim perpetuam seu ad vitam concessiones, si fient, in evidentem praedicti monasterii utilitatem cedere reppereris, ... exsecutoribus et, si forsan ipsi hoc facere recusaverint seu qualitercumque neglexerint, abbatissae et conventui praefatis domum relictam huiusmodi cum viridario et pertinentiis supradictis cuicumque personae in emphyteusim perpetuam seu ad vitam sub canone seu censu, de quo eisdem abbatissae et conventui videbitur, concedendi eadem auctoritate licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1442, XIII kal. aprilis, ... anno XIII.

652. Episcopo Papien. et fratri Iacobo de Binasco, O. F. M., mandat, ut inquirant de obligationibus Petri et Philippi Vicecomitum, domicellorum Mediolanen., erga monasterium SS. Gratiani et Philini de Arona, O. S. Ben., Mediolanen. dioec., eosque soluto proportionato subsidio expensarum expeditionis faciendae contra Turcos ab omni onere absolvant (2).

1443, martii 26, Senis.

Sincerae devotionis affectus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VII kal. aprilis, ... anno XIII.

(1) Reg. Lat. t. 406, f. 183. Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 444, p. 160; n. 1322, 1323, p. 478. (2) Reg. Lat. t. 406, f. 135.

653. Aegidio de Tavira, O. F. M., instituto abbati monasterii S. Iohannis de Alpendorada O. S. Ben., concedit facultatem gestandi habitum O. F. M. (1).

1443, martii 27, Senis.

Dilecto filio Aegidio de Tavira, ordinis Minorum et in theologia professori.

Religionis zelus *etc.* Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, Nos pridem monasterio S. Iohannis de Alpendorada, ordinis S. Benedicti, Portugalen. dioec., in quo alterius coloris et formae habitus geritur et habetur, quam in domibus et locis ordinis Minorum, tunc certo modo vacanti, de persona tua provideri ac te illi in abbatem praefici sub certa forma mandavimus ac voluimus inter alia, quod post provisionem et praefectionem huiusmodi, si illas de tua persona fieri contingeret, illum gestares habitum, qui in praefato monasterio geritur et habetur, ac eius institutis regularibus te conformares, prout in Nostris inde confectis litteris dicitur plenius contineri, ac tu, singulari ductus affectione, in habitu praefati ordinis Minorum, in quo ab infantia nutritus fuisti et regularem professionem emisisti, remanere desideres in futurum, Nos, volentes te, de cuius persona, ut asseris, praefato monasterio nondum provisum fuit, praemissorum meritorum tuorum intuitu necnon consideratione charissimi in Christo filii Nostri Alfonsi, regis Portugalliae illustris, pro te dilecto suo magistro et confessore Nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gratioso, regis praefati et tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, quod usque ad quinquennium a die, qua praefato monasterio de persona tua praedicta ipsarum confectarum litterarum vigore provisum fuerit tuque illi in abbatem praefectus exstiteris, computandum, in habitu eiusdem ordinis Minorum remanere et illum publice gerere libere et licite valeas, voluntate praedicta ac quibuscumque ... nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. Volumus tamen, quod tu in horis canonicis dicendis ipsius monasterii consuetudinem in omnibus studeas observare, quotiescumque saltem te in eius ecclesia praefatis horis contigerit interesse. Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VI kal. aprilis, ... anno XIII.

654. Mandat, ut oratorium de S. Victoria, Elboren. dioec., ordini B. Mariae de mercede captivorum subiectum, incorporet monasterio S. Clarae de Begia (Beja), O. S. Cl., eiusdem dioec. (2).

1443, martii 27, Senis.

Dilecto filio decano ecclesiae Elboren.

Apostolicae sollicitudinis studium *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Clarae de Begia, ordinis eiusdem sanctae, Elboren. dioec., petitio continebat, quod oratorium de S. Victoria dictae dioec., ordini beatae Mariae de mercede captivorum immediate subiectum et in titulum perpetui beneficii assignari ac per fratres praefati ordinis beatae Mariae gubernari consuetum, pro eo, quod unus ex superioribus dicti ordinis in regno Aragoniae constitutus a pluribus praeteritis annis citra praefatum oratorium certis scandalosis, circa eius ac illius bonorum et iurium manutentionem et conservationem requisitam diligentiam non facientibus, personis sub annua pensione ad certa tempora in arrendam concedere consuevit, in suis aedificiis et structuris non modicum deterioratum ac eius iura et bona in magna parte alienata sunt sive dilapidata, personae etiam, quae in dicto oratorio pro tempore degerunt, in illo concubinas publice tenere ac cum illis et earum liberis plures pecuniarum summas, quas illae, dicentes se pro visitantibus dictum oratorium et alias plures indulgentias et peccatorum remissiones a Nobis impetrasse et Nostras desuper, quae a Nobis non creduntur emanare, expeditas litteras habere, a christifidelibus illarum partium singulis annis cum litteris praefatis extorserant, in nefandos usus convertere non formidarunt, prout nec hodie formidant, in animarum suarum periculum et perniciosissimum exemplum plurimorum. Unde in partibus ipsis plurima scandala sunt exorta et, nisi desuper celeriter provideatur, illis maiora timentur verisimiliter exoriri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, si oratorium praefatum ab ordine B. Mariae praedicto ac illius locis et superioritate segregaretur et separaretur ipsique monasterio S. Clarae imperpetuum incorporaretur, annecteretur et uniretur, ex hoc non solum praefatis scandalis occurreretur, ac dicti oratorii iura et bona recuperarentur et ad eius proprietatem reducerentur illique reintegrarentur, sed etiam in ipso monasterio S. Clarae numerus monialium adaugeretur cum evidenti incremento religionis praefati ordinis S. Clarae et divini cultus augmento in eodem. Quare pro parte abbatissae et conventus

(1) Reg. Lat. t. 406, f. 173. Cf. supra n. 639, p. 302.

(2) Reg. Lat. t. 400, f. 265v.

praedictarum, asserentium, quod monasterium, in quo plures Deo dicatae mulieres sub regulari ipsius ordinis S. Clarae observantia Altissimo iugiter sua vota exsolvunt triginta, et oratorii huiusmodi quinquaginta librarum Turonen. parvorum fructus, redditus et proventus secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos, ... charissimi in Christo filii Nostri Alphonsi, regis Portugalliae illustris, Nobis super hoc humiliter supplicantis, ac huiusmodi abbatissae et conventus supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, super ipsis praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ea veritate subniti reppereris, oratorium praedictum, quod sine cura est, cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis ab ipsis ordine B. Mariae et eius locis ac superioritate penitus segregare et separare ac, si et postquam segregatio et separatio huiusmodi per te vigore praesentium facta fuerit, eidem monasterio S. Clarae in perpetuum incorporare, annectere et unire praefata auctoritate procures, ita quod liceat ex tunc eisdem abbatissae et conventui per se vel alium seu alios corporalem possessionem oratorii iuriumque et pertinentiarum praedictorum auctoritate propria libere apprehendere *etc.* dioecesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, reservata tamen prius de ipsorum oratorii fructibus, redditibus et proventibus praedictis congrua portione pro uno perpetuo capellano ad praesentationem abbatissae et conventus praedictorum primaria vice, et quotiens opus fuerit, per ordinarium loci ibidem instituendo, de qua honeste vivere et alia sibi incumbentia onera congrue valeat supportare. Non obstantibus *etc.* Proviso, quod oratorium praedictum debitis propterea non fraudetur obsequiis, sed eius congrue supportentur onera consueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VI kal. aprilis, ... anno XIII.

655. Mandat, ut decretalem « Super cathedram » a fratribus O. F. M. civitatis et dioec. Auximan. faciant observari (1).

1443, aprilis 6, Senis.

Venerabilibus fratribus .. Anconitan. et Senogallien. ac Recanaten. episcopis.

Ad hoc divina miseratio Nos *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte venerabilis fratris Nostri Andreae, episcopi Auximan., et dilectorum filiorum cleri ac rectoris parochialium ecclesiarum civitatis et dioec. Auximan. petitio continebat, quod, licet etiam de antiqua et approbata hactenusque pacifice observata consuetudine dilecti filii fratres domorum ordinis fratrum Minorum in dictis civitate et dioec. consistentium iura parochialia iuxta formam et continentiam decretalis « Super cathedram » a fel. rec. Bonifatio papa VIII, praedecessore Nostro, de dictis iuribus editae et in concilio Viennen. dudum innovatae eisdem rectoribus solvere teneantur, a paucis tamen diebus citra fratres ipsi, praetendentes eisdem decretali et consuetudini per nonnulla privilegia et indulta dicto ordini per Sedem Apostolicam concessa et per Nos, ut etiam dicitur, confirmata derogatum fuisse, iura huiusmodi praefatis rectoribus solvere recusarunt et recusant. Quare pro parte episcopi, cleri et rectorum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... fraternitati vestrae ... mandamus, quatenus, ... si vocatis fratribus praedictis et aliis, qui fuerint evocandi, vobis de consuetudine huiusmodi legitime constiterit, consuetudinem ipsam a fratribus praedictis faciatis perpetuo inviolabiliter observari, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VIII idus aprilis, ... anno XIII.

656. Aesculan. et Valven. episcopis et archidiacono Senen. mandat, ut Andream Blasii Caselli de Senis, monachum monasterii B. Mariae de Farneto, O. S. Ben., Cortonen. dioec., olim O. F. M., qui postea ad ordinem et monasterium praefatos transierat et in dicto ordine 16 annis vixerat, et quia monasterium praefatum igne consumptum erat, cum licentia abbatis ecclesiam parochialem S. Angeli de Grota, Senen. dioec., obtinuerat, absolvant a censuris et irregularitatibus eique praefatam ecclesiam assignent (2).

1443, aprilis 10, Senis.

Religionis zelus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, IV idus aprilis ... anno XIII.

657. Aloysio de Ferraria, O. F. M., concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum curatum (3).

1443, aprilis 13, Senis.

Religionis zelus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, idibus aprilis, ... anno XIII.

(1) Reg. Lat. t. 404, f. 81 v. (2) Reg. Lat. t. 406, f. 12. (3) Reg. Lat. t. 396, f. 170.

658. Iohanni, abbati monasterii S. Pauli de Urbe, mandat, ut Francisco Baronis de Perusio, O. F. M., qui olim in undecimo aetatis anno suasionibus parentum in domo S. Mariae Anconitan. eiusdem ordinis habitum susceperat et per 12 annos in eodem laudabiliter conversatus fuerat, postea cum licentia ministri provinciae S. Francisci dicti ordinis, ad monasterium S. Iohannis de Marzano, O. S. Ben., Civitatis Castelli dioec., transierat, receptus ab Herculano abbate illius monasterii, deinde per duos annos sub habitu O. S. Ben. in domo paterna commoratus, postea in monasterio S. Petri extra duas portas Perusin. O. S. Ben. per 15 annos vel circa permanserat et demum prioratum S. Iohannis de Castilionevallis O. S. Ben. obtinuerat et per 6 annos detinuerat, concedat absolutionem a censuris et irregularitate et alia, prout ipsius Iohannis abbatis conscientiae videretur (1).

1443, aprilis 13, Senis.

Solet Apostolicae Sedis clementia *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, idibus aprilis, ... anno XIII.

659. Nobili mulieri Beatrici, relictae quondam Thomasii, comitis de Spatafora, Messanen., indulget, ut quater singulis annis monasterium B. Mariae Virginis de Basico, O. S. Cl., Messanen., causa devotionis, sola tamen, ingredi et qualibet vice cum monialibus commorari, comedere et pernoctare valeat (2).

1443, aprilis 14, Senis.

Devotionis tuae sinceritas *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XVIII kal. maii, ... anno XIII.

660. Nobilibus mulieribus Luciae et Iohannellae ac Lianorae, nobilis viri Antonii Rubei, dicti Spatafora, comitis Sclaphaniae, natis, domicellabus Cephaluden., in puellari aetate constitutis, quae genitricis dudum defunctae directione carebant, indulget, ut cum vestimentis honestis et expensarum provisione usque ad genitoris eiusdem beneplacitum in altero ex S. Mariae de Basico, Messanen., O. S. Cl., et S. Catharinae Panormitan., sub cura fratrum Praedicatorum instituto, seu aliquo alio monasterio monialium manere seu habitare valeant (3).

1443, aprilis 17, Senis.

Ea ex apostolicae servitutis officio *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XV kal. maii, ... anno XIII.

661. Reginaldo Vigier, O. F. M., domus de Medunta (Mantes), Carnoten. dioec., concedit remissionem plenariam in articulo mortis (4).

1443, aprilis 19, Senis.

Provenit *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XIII kal. maii, ... anno XIII.

662. Thomae Ioyes, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium curatum (5).

1443, aprilis 24, Senis.

Dilecto filio Thomae Ioyes, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui, ut asseritur, ordinem fratrum Minorum expresse professus exsistis et in capella dilecti filii nobilis viri Humfridi, ducis Glouscestriae, absque aliqua interruptione pluribus annis in divinis laudabiliter deservisti, prout deservis de praesenti, praemissorum meritorum tuorum intuitu, et pro quo praefatus dux super hoc Nobis humiliter supplicavit, favore prosequi gratioso, ipsius ducis ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum curatum ... recipere et, quoad vixeris, retinere libere et licite valeas, ... de speciali gratia dispensamus ac etiam cuiuscumque ipsius beneficii collatori et patrono illud tibi conferendi licentiam concedimus pariter et facultatem. Non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VIII kal. maii, ... anno XIII.

663. Iohanni Laurentii et Iohanni Mus, O. F. M., conventus Ripen. (Daniae), concedit remissionem plenariam in articulo mortis (6).

1443, aprilis 30, Senis.

Provenit *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, pridie kalendis maii, ... anno XIII.

664. Concedit indulgentias pro ecclesia O. F. M. de Mirandola, Regin. (in Aemilia) dioec. (7)

1443, maii 2, Senis.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia domus S. Francisci de Mirandola, or-

(1) Reg. Lat. t. 400, f. 281.
(2) Reg. Lat. t. 397, f. 223. Cf. n. seq. et n. 522, p. 252.
(3) Reg. Lat. t. 397, f. 80v.
(4) Reg. Lat. t. 402, f. 285v.
(5) Reg. Lat. t. 406, f. 188v.
(6) Reg. Lat. t. 402, f. 285.
(7) Reg. Lat. t. 397, f. 233v.

dinis fratrum Minorum, Regin. dioec., supra illius altare maius tribuna indigere et ad ipsius tribunae fabricam non modicum sumptuosam, ad quam nullae eiusdem domus facultates suppetunt, peragendam, praeter id, quod circa illam dilectus filius nobilis vir Franciscus, comes Mirandolae, zelo devotionis accensus, pro suae et progenitorum suorum animarum salute de bonis a Deo sibi collatis erogare proponit, aliorum christifidelium pia suffragia plurimum opportuna fore noscantur, Nos cupientes, ut ecclesia congruis honoribus frequentetur, et fabrica huiusmodi peragatur ac illarum quaelibet conservetur et, ut fideles ipsi eo libentius causa devotionis ad ecclesiam confluant eamdem necnon ad fabricam et conservationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo praedicti sancti ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim et ad fabricam ac conservationem easdem manus porrexerint adiutrices, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuo duraturis. Volumus autem *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VI nonas maii, ... anno XIII.

665. Sororibus III. O. S. Fr. in dominiis Vilbao (Bilbao), Uribe, Bermeo, Durango ac Castro Urdiales, Burgen. et Calaguritan. dioec., concedit licentiam, ut ad superiores pro visitatione extra oratoria sua accedere non teneantur, et ut a vicariis domus O. F. M. observ. de Uziaro (Izaro) et Barreto (Barrica) visitari et ecclesiastica sacramenta recipere possint (1).

1443, maii 2, Senis.

Dilectis in Christo filiabus universis sororibus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in de Vilbao, Uribe et Bermeo, Durango ac Castro Urdiales, Burgen. et Calaguritan. dioec., dominiis commorantibus.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.* Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod, licet vos in de Vilbao, Uribe et Bermeo, Durango ac Castro de Urdiales, Burgen. et Calaguritan. dioec., oratoriis, in quibus degere noscimini, vota vestra cum contemplatione suavitatis Altissimo summo cum desiderio persolvere intendatis, nonnulli tamen ex superioribus vestris ordinis fratrum Minorum vos extra dictorum oratoriorum septa ultra tres vel quatuor dietas ad se personaliter visitationis causa venire plerumque constringunt, et, sicut eadem petitio subiungebat, personalis accessus ad superiores huiusmodi propter viarum discrimina ac etiam diversa, quae inde frequentius provenire solent pericula et scandala, vobis plurimum dispendiosus exsistat, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, quorum interest, super praemissis debitae provisionis remedium adhibere volentes, ... ut extra oratoria praedicta dictos superiores visitationis causa huiusmodi personaliter, ut praemittitur, accedere nullatenus teneamini nec ad id per eosdem superiores vel quosvis alios invitae compelli possitis, quodque dilecti filii S. Mariae de Uziaro et S. Sebastiani de Barreto eorumdem ordinis et dioec. domorum vicarii sub observantia regulari ipsius ordinis viventes, dum et quoties tempus visitationis huiusmodi ingruerit, et ipsi superiores ad dicta oratoria pro praemissa causa non venerint vel alios idoneos ad hoc miserint, ad praedicta oratoria accedere necnon vos et illa ac singulares ipsorum oratoriorum personas tam in capite quam in membris visitare omniaque et singula, quae inibi reformationis et correctionis ministerio indigere reppererint, prout eis iuxta canonicas sanctiones et regularia instituta ac pro felici eorumdem oratoriorum et personarum directione videbitur, reformare et corrigere aliaque circa hoc necessaria et opportuna facere ac exsequi possint et debeant necnon etiam vobis et cuilibet vestrum absque iuris alieni praeiudicio quaecumque ecclesiastica sacramenta ministrare libere liciteque valeant, vobis et ipsis licentiam auctoritate apostolica concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VI nonas maii, ... anno XIII.

666. Confirmat compositionem factam inter fratres domus S. Francisci de Bermeo O. F. M. et clerum dioec. Calaguritan. (2).

1443, maii 4, Senis.

Dilectis filiis Iohanni de Rojas, canonico Calaguritan., et Calaguritan. ac Burgen. officialibus.

Apostolicae servitutis Nobis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Francisci, loci de Bermeo, Calaguritan. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum olim inter ipsos ex una, ac dilectos archipresbyterum et clericos parochialium praefati

(1) Reg. Lat. t. 406, f. 7; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 127.

(2) Reg. Lat. t. 400, f. 289 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 128. Cf. supra n. 631, p. 298.

loci ecclesiarum ex altera partibus super demolitione dictae domus et iuribus praefatas ecclesias contingentibus ac rebus aliis tunc expressis materia quaestionis exorta fuisset, ut illi quantocius finis imponeretur, talis super iis compositio intervenit, quod archipresbyter et clerici praedicti pensionem annuam novem millium Marabitinorum, quam, ut ipsa domus iuxta tenorem et effectum sententiarum, quas ipsi archipresbyter et clerici desuper obtinuerant, ac quibus illi specialiter et expresse renuntiabant, non demoliretur, sed de eorum consensu perpetuo remaneret, illis clarae mem. Henricus in puram eleemosynam dederat, et charissimus in Christo filius Noster Iohannes, Castellae et Legionis reges, confirmaverat eisdem, singulis annis perciperent, et quod ratione quartae canonicae, in qua fratres in ipsa domo degentes pro tempore archipresbytero et clericis praefatis tenebuntur, pensio annua duorum millium Marabitinorum, quam idem Henricus rex praefatis fratribus annuatim solvi voluit, in ipsos archipresbyterum et clericos in perpetuum transferretur, et si ecclesiam de Alboniga praefatae dioec. per archipresbyterum et clericos ac fratres praedictos communibus, quas hinc inde facere tenerentur, expensis a rege Castellae et Legionis pro tempore exsistente impetrare possent, quod illam aequalibus portionibus tenere valerent, quamprimum archipresbyter et clerici praedicti illius medietatis possessionem haberent, ad domum et fratres praedictos, et si auferretur ex aliqua causa per regem pro tempore exsistentem praedictum ab ipsis archipresbytero et clericis ecclesia de Alboniga, ad eosdem archipresbyterum et clericos pensio duorum millium Marabitinorum libere reverteretur, et si ipsa pensio duorum millium Marabitinorum, ex tunc illis praefati fratres de quarta canonica secundum iuris definitionem respondere tenerentur; quodque singuli morientes in dicto loco vel infra eius limites, si incolae essent et assignatam sepulturam haberent in illa, si vero talem sepulturam non haberent, et aliquis parentum illorum viveret, ubi parens vivus vellet, si vero ambobus parentibus defunctis unus in domus et alter in aliqua parochialium praefatarum ecclesiarum sepulti essent, in ea ecclesia, in qua parens ultimo moriens exsisteret, sepeliretur; si vero foranei essent et sepulturam non eligerent, in una ex parochialibus ecclesiis, si vero sepulturae huiusmodi electionem in arbitrio suorum hospitum ponerent, et hospites ipsi in praesentia trium clericorum ecclesiarum et duorum fratrum domus praedictarum eis electionem sepulturae huiusmodi commisisse iuraverint, ubi hospites praefati eligerent, sepelirentur; et si aliqui incolae praefati loci extra illum intestati decederent nulla de oblationibus pro illis faciendis dispositione facta, ubi parentes eorumdem defunctorum vel ipsorum maior pars vellet, illius exsequiae sive anniversaria fierent, et super hoc non liceret archipresbytero et clericis vel fratribus praefatis per se vel alium aliquam apud parentes facere supplicationem vel inductionem; et quod mulieres noviter nuptae pro tempore, dummodo haec pro benedictione nubentium non fierent, possent post consummatum matrimonium, prout earum viri vellent, unam ex parochialibus sive domo huiusmodi ecclesiam, ut moris fuit, ac deberent, semper post partum unam ex eisdem parochialibus ecclesiis intrare; ac quod clerici praedicti, postquam earum maior domus sive custos per ipsius domus S. Francisci fratres desuper requisitus esset, ad defunctorum apud eorum domum sepelienda corpora crucem cum ministro mittere tenebuntur, et clerici, si per ipsorum defunctorum parentes rogati venirent, eleemosynam, si quae eis ab ipsis parentibus fiet, absque impedimento eorumdem fratrum percipient; omnes quoque utriusque sexus fideles, ad audiendum dominicis sollemnibus et aliis festivis diebus missas et sermones in ecclesia domus S. Francisci praedicta devotionem habentes, illos ibidem audire possent absque ipsorum clericorum impedimento iuxta tenorem privilegii fel. rec. Alexandri papae IV, quod praedicti clerici volebant observari, et si aliqua partium praedictarum contra compositionem huiusmodi veniret, si clerici, per suum capitulum, et si fratres essent, per suum guardianum debitis poenis punirentur, donec pars laesa contenta esset; et si fratres, ut in suae domus, vel clerici praefati, ut in eorum ecclesia cuiusvis defuncti corpus sepeliatur, sive pro eo oblationes fiant, contra effectum praemissorum inducerent, inducentes corpus talis defuncti cum oblationibus et obventionibus exinde proventuris domui S. Francisci sive ecclesiae, ad quam secundum compositionem huiusmodi pertinuerit, restituere teneantur ac ultra praemissa excommunicationis sententiam eo ipso incurrant. Fratres etiam praedicti solum in diebus rogationum cum crucibus parochialium ecclesiarum et nullatenus in adductionibus corporum apud domum suam sepeliendorum in loco praedicto vel eius suburbiis crucem portare possent; licebit tamen eis in adductionibus corporum extra dictum locum defunctorum et apud praefatam domum eorum sepeliendorum usque ad ipsius loci suburbia dumtaxat et non ultra, si ibidem crux parochialis ecclesiae fuerit, portare; ac tam clerici quam fratres praedicti interdictum per suos praelatos pro tempore posi-

tum in omni casu iuris servare teneantur; excommunicatos quoque pro offensis ipsis vel alicui eorum irrogatis aut alias, donec de absolutione certificati fuerint, evitare; et singulos de eis absentes ac in ecclesiis et domo praefatis in antea recipiendos de compositione huiusmodi firmiter observando et non veniendo per se vel alium contra illam iuramentum facere praestare; quodque nec clerici nec fratres aliquem quaestorem eleemosynarum admittere debeant, nisi prius per tres clericos et totidem fratres ac quatuor vel quinque de incolis huiusmodi de vita, moribus et ordinarii loci licentia fuerit examinatus; supradictam etiam compositionem tam clerici quam fratres praedicti pro se et suis successoribus sub poena unius talenti argenti, quam contrafacientes toties quoties incurrent, observare promiserunt et iurarunt ac voluerunt, quod si clerici, fratres, si vero fratres delinquerent, clerici praedicti delinquentes iuxta exigentiam delicti punirent, iurisdictionem alterius quo ad hoc prorogando, ac pro periuris et infamibus haberentur, et si aliqui ex eis post aliorum delictum habere vellent exsecutorem, illum, prout eis placeret, qui dictam poenam, quoties commissa fuerit, exiget, eligere possent; et si electus pro tempore exsecutor alteri parti suspectus exsisteret, ei alius adiungeretur, et quidquid per talem electum exsecutorem pro tempore determinatum fuerit contra delinquentes, perinde habeatur, ac si sententia nulla provocatione suspensa, a qua etiam appellare non liceat, lata exsisteret; necnon renuntiationes fecerunt, consenserunt et voluerunt ac praefatam compositionem auctoritate ordinaria confirmari obtinuerunt, prout in litteris authenticis desuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte ipsorum guardiani et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus, ... si et postquam vobis de praedicta compositione legitime constiterit, illam necnon omnia et singula in praefatis litteris contenta illam concernentia ac inde secuta auctoritate Nostra approbetis et confirmetis, supplendo *etc.* Et nihilominus ... compositionem eamdem a praefatis partibus firmiter faciatis observari, non permittentes *etc.*, et insuper legitimis super his per vos habendis servatis processibus eos, quoties opus fuerit, aggravare curetis, contradictores *etc.* invocato *etc.* Non obstantibus *etc.* Aut si archiepiscopo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, IV nonas maii, ... anno XIII.

667. Rainaldo Cercia, canonico ecclesiae Verulan., mandat, ut Iohanni Roberti de Pedata, presbytero, perpetuo beneficiato in parochiali ecclesia S. Angeli Castri Babucci, Verulan. dioec., conferat abbatiam saecularis et collegiatae ecclesiae S. Erasmi, vacantem ex eo, quod eius possessor, Franciscus de Volpinis, ordinem fratrum Minorum ingressus, extra Romanam curiam regularem eiusdem ordinis professionem emisit (1).

1443, maii 4, Senis.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, IV nonas maii, ... anno XIII.

668. Iohanni de Cassino, O. F. M., domus Papien., concedit licentiam permanendi in domibus consanguineorum (2).

1443, maii 8, Senis.

Dilecto filio Iohanni de Cassino, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu admodo octuagenarius et corpore debilis exsistas nec vitam per fratres pro tempore degentes in domo Papien., ordinis fratrum Minorum, in qua per multa tempora laudabiliter permansisti, prout etiam de praesenti permanes, teneri consuetam ulterius tolerare valeas ac propterea ad hoc, ut quietius residuum tuae vitae illius necessaria suscipiendo ducere et Altissimo servire possis, extra domum praedictam cum tuis consanguineis permanere desideres, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos, volentes te, praemissorum meritorum intuitu favore prosequi gratiae specialis, ... tibi, ut de tui superioris consensu extra domum praefatam in domibus huiusmodi tuorum consanguineorum, honeste tamen, quamdiu vixeris, permanere et morari libere et licite possis, ita quod huiusmodi tua vita durante ad domum ipsam redire minime tenearis nec ad id invitus compelli valeas, ... licentiam elargimur. Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VIII idus maii, ... anno XIII.

669. Gometio Iohannis O. F. M. concedit licentiam recipiendi beneficium ecclesiasticum (3).

1443, maii 8, Senis.

Dilecto filio Gometio Iohannis presbytero, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos te, pro quo dilecta in Christo filia nobilis mulier,

(1) Reg. Lat. t. 399, f. 263. (2) Reg. Lat. t. 400, f. 72 v. (3) Reg. Lat. t. 406, f. 190.

Isabellis, ducissa Burgundiae, Nobis humiliter supplicavit, praemissorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, ... tibi, ut quodcumque ... beneficium ecclesiasticum, etiamsi prioratus, dignitas, personatus, administratio vel officium seu parochialis ecclesia exsistat, ... recipere et in commendam, quoad vixeris, retinere ... libere liciteque valeas, auctoritate apostolica de speciali gratia concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VIII idus maii, ... anno XIII.

670. Confirmat litteras Innocentii VII de duratione officiorum O. F. M. et O. S. Cl. (1).

1443, maii 12, Senis.

Ad futuram rei memoriam.

Dispositione divina *etc.* Dudum siquidem quondam Innocentius VII in sua obedientia nuncupatus quasdam suas concessit litteras tenoris subsequentis:

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Romanus pontifex in eminenti apostolicae dignitatis specula constitutus *etc. (ut in Bull. Franc. t. VII, n. 507, p. 181).*

Datum Viterbii, X kal. decembris, ... anno II.

Cum autem, sicut accepimus, nonnulli dicti ordinis fratres contra litterarum praeinsertarum huiusmodi tenorem officia, gubernationes et administrationes ipsius ordinis exercuerint, seu forsan quomodolibet praepediti, aliis minus idoneis exercenda commiserint, ex quo plurimae eiusdem ordinis domus et loca vitae deformationis opprobrio subiaceant evidenter in animarum suarum periculum, religionis dedecus et scandalum ac perniciosum multorum exemplum, Nos itaque, super his opportune providere ... cupientes, ... motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc factae petitionis instantiam, litteras praedictas harum serie approbantes, illas iuxta earum continentiam atque formam plena roboris firmitate subsistere et subnixas fore ac per omnes et singulos fratres et alias personas quaslibet ordinis huiusmodi in dictis litteris contenta observari et cum effectu adimpleri debere auctoritate apostolica ex certa scientia decernimus per praesentes. Et nihilominus dilectis filiis Alberto de Sartiano, generali vicario ordinis Minorum huiusmodi, et Scolario de Monte Ilcino, provinciae Tusciae ministro, dicti ordinis professoribus (2), per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum per se vel alium vel alios litteras praedictas et omnia in eis contenta, quoties id expedire viderint, pro tempore faciant auctoritate apostolica inviolabiliter observari, non permittentes contra tenorem litterarum earumdem aliquid a quoquam quavis auctoritate quomodolibet attentari, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, IV idus maii, ... anno XIII.

671. Francisco de Mangano, O. F. M., in curia Romana procuratori, concedit licentiam recipiendi beneficium ecclesiasticum, quamdiu lectioni theologiae intendat (3).

1443, maii 14, Senis.

Dilecto filio Francisco de Mangano, ordinis fratrum Minorum et theologiae professori.

Religionis zelus *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu, qui, ut asseris, ordinis fratrum Minorum, quem expresse professus exsistis, in Romana curia procurator exsistis, in facultate theologiae, ut in illa tibi et aliis proficere valeas, legere intendas, necnon dilecti filii nobiles de Mangano, cives Papien., veri patroni laici cuiusdam capellae in ecclesia S. Eusebii Papien. et exsistentes in pacifica possessione vel quasi iuris praesentandi personam idoneam ad illam, cum eam vacare contigerit, ut tu lectioni in theologia huiusmodi commodius intendere possis, et ad illam, cum vacaverit, ordinario loci seu cuicumque alteri, ad quem dictae personae institutio forsan pertinuerit, praesentare quantocius sint parati, Nos igitur, volentes te, qui, ut etiam asseris, ipsorum nobilium et patronorum consanguineus exsistis, praemissorum meritorum intuitu favore prosequi gratioso, ... tibi, ut, si te ad capellam praedictam alias rite praesentari et in ea institui contigerit, ut illam vel ea per te dimissa quodcumque aliud beneficium ecclesiasticum, si tibi canonice conferatur, recipere et quamdiu theologiae huiusmodi intenderis, retinere libere liciteque valeas, auctoritate apostolica de speciali gratia concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, pridie idus maii, ... anno XIII.

---

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 129 « ex ipso autographo ».

(2) De Alberto de Sarteano cf. supra n. 606, p. 285 et n. 614, p. 289; de Scolario *Bull. Franc.* t. VII, n. 1494, p. 561, et supra n. 119, 120, p. 62 s.

(3) Reg. Lat. t. 400, f. 98.

672. Confirmat facultates et privilegia fratribus et sororibus III O. S. Fr. a Iohanne episcopo Leodien. concessa (1).

1443, maii 14, Senis.

Ad futuram rei memoriam.

Gratiae Sedis Apostolicae plenitudo *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum fratrum ac dilectarum in Christo filiarum sororum universarum domorum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in civitate et dioec. Leodien. consistentium Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim venerabilis frater Noster Iohannes, episcopus Leodien., pro divini cultus et religionis augmento eisdem fratribus et sororibus, ut ministri domorum praedictarum pro se eorumque continuis commensalibus aliquem vita et moribus commendatum saecularem vel regularem presbyterum in eorum confessorem ac superiorem generalem necnon alium ipsum ordinem expresse professum presbyterum, qui, dum excederent, eorum excessus iuxta uniuscuiusque delicti vel criminis exigentiam puniret, in eorum visitatorem et correctorem eligere et habere nonnullaque salubria huiusmodi augmentum concernentia concessit pariter et indulsit, prout in litteris authenticis dicti Iohannis episcopi desuper habitis, eius sigillo munitis, quas in cancellaria apostolica inspici et de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte eorumdem fratrum et sororum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessionibus et indultis supradictis ac aliis in dictis litteris contentis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere et alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... concessiones et indulta ac contenta praedicta necnon quaecumque inde secuta rata habentes et grata, illa omnia et singula auctoritate apostolica ex certa scientia approbamus et confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus supplentes *etc.* Tenor vero dictarum litterarum sequitur et est talis:

Iohannes, Dei et Apostolicae Sedis gratia episcopus Leodien., universis et singulis praesentia visuris seu audituris salutem in Domino sempiternam.

Petentium votis libenter annuimus et maxime illis, quae ad laudem nostri Creatoris divinique cultus augmentum cedere comprobantur. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum in Christo fratrum ac dilectarum in Christo sororum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati Nostrarum civitatis et dioecesis petitio continebat, quod reverendissimus in Christo Pater et Dominus, D. Theodoricus, S. Coloniensis ecclesiae archiepiscopus, fratribus et sororibus dicti tertii ordinis suarum civitatis et dioecesis pro maiori eiusdem ordinis subsistentia beneficia et privilegia quaedam laudabilia misericorditer indulsit et gratiose concessit, per reverendissimum in Christo Patrem et Dominum, D. Iulianum, titulo S. Sabinae sanctae Romanae ecclesiae presbyterum cardinalem, vulgariter sancti Angeli nuncupatum, in Germania Apostolicae Sedis tunc legatum, auctoritate huiusmodi legationis suae tandem confirmata. Et, ut eadem petitio subiungebat, fratres et sorores praedicti et praedictae in diversis oppidis et villis Nostrae dioec. loca ad Deo serviendum bene habent apta et accommoda, si alias aliquibus beneficiis et privilegiis pro uberiori augmento necessariis perfrui possent et dioecesana auctoritate gaudere. Quare pro parte eorumdem fratrum et sororum fuit humiliter Nobis supplicatum, quatenus beneficia et privilegia praedictis similia ipsis in Domino annuere dignaremur et in praemissis opportune providere. Nos igitur, qui religionem divinumque cultum nostris potissime temporibus propagari summis concupiscimus affectibus, recensitis tenoribus beneficiorum et privilegiorum praetactorum praenominatis fratribus et sororibus tertii ordinis S. Francisci dictarum Nostrarum civitatis et dioec. praesentibus et futuris, ut ministri eorumdem aliquem presbyterum professum ex se ipsis vel, si ex se ipsis talem non habeant, alium saecularem presbyterum, vita et moribus recommendatum, in ipsorum superiorem generalem confessoremque, similiter praedicti fratres et sorores pro se ipsis et continuis commensalibus eorumdem in singulis suis conventibus necnon alium tertium approbatae religionis presbyterum professum in eorum visitatorem, etiam per carceris mancipationem excessuum correctorem, eligere; quodque personae ipsius ordinis ad manus dicti superioris presbyteri seu commissarii eiusdem, quem tamen presbyterum esse volumus, votum obedientiae ministris et superioribus ordinis faciendae cum aliis observantiis, ut puta de vivendo in communi, necnon Altissimo inspirante votum perpetuae continentiae conventu praesente emittere; idemque confessor, hinc inde electus, sanctissimae eucharistiae sacramentum cum debitis honore, lumine et reverentia in oratoriis conventuum seu fratrum et sororum, a quibus eligitur, reservare, ac ipsis fratribus et sororibus confessis et poenitentiam pro qualitate peccati ab eodem recipientibus, cum devotio exegerit,

(1) Reg. Lat. t. 396, f. 224.

per se seu alium idoneum ab eodem confessore deputandum, demptis festo paschali et mortis articulo, ministrare; et insuper missam seu missas in suis oratoriis et altaribus eorumdem nondum consecratis in altari portatili consecrato sine campanae pulsatione seu populi convocatione per presbyteros idoneos facere celebrari dominicis diebus cum festis sollemnibus beatae Virginis et apostolorum ac patroni parochialis ecclesiae dedicationisque eiusdem penitus exceptis, nisi contigerit aliquem ipsorum investiri debere, ad professionem recipi aut communicari, hinc inde possint et valeant, necnon infra Nostram dioec. Leodien. singulis annis praesente tamen dicto eorum superiore generale capitulum celebrare, statuenda statuere et reformanda reformare corrigendaque corrigere, prout pro conservatione religionis videbitur expedire, gratiose concedimus et praesentium tenore indulgemus, iure tamen parochialium ecclesiarum, in quibus tempore paschali fratres et sorores huiusmodi communicari volumus, similiter in mortis articulo a rectoribus earumdem ecclesiarum, ac Nostra Nostrorumque successorum visitatione et iurisdictione, Nostris ordinariis ac episcopalibus casibus in praemissis et circa illa necnon aliis privilegiis et indultis rationalibus, si quae fratribus sororibusve huiusmodi hactenus in genere vel in specie concessimus, ac rationabilibus antiquis observantiis super missis in diebus dominicis et festivis praetactis celebrandis de consensu rectorum parochialium ecclesiarum introductis, semper salvis. Ceterum, ut devotio fidelium circa ipsos fratres et sorores intensius excitetur, omnibus vere poenitentibus et confessis ad oratorium eorumdem devotionis causa declinantibus et manus, prout Altissimus inspiraverit ipsis, porrigentibus quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in domino relaxamus, in quorum omnium et singulorum praemissorum testimonium sigillum Nostrum ad causas praesentibus duximus appendendum, sub anno a nativitate Domini 1441, mensis aprilis die 22.

Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, pridie idus maii, ... anno XIII.

673. Nicolaum de Maida O. F. M. instituit abbatem monasterii S. Avangerae de Casali Curtalis, O. S. Basilii (1).

1443, maii 16, Senis.

Venerabili fratri episcopo Neocastren.

Inter curas multiplices *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, monasterium S. Avangerae de Casali Curtalis, ordinis S. Basilii, tuae dioec., cui quondam Ciccharellus illius abbas, dum viveret, praesidebat, per obitum ipsius Ciccharelli abbatis, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, abbatis sit solatio destitutum, Nos, ... de meritis, sufficientia et idoneitate dilecti filii Nicolai de Maida, fratris ordinis Minorum, qui presbyter et, ut asserit, dictum ordinem Minorum expresse professus ac dilecto filio nobili viro Octino de Caraczulis de Neapoli plurimum acceptus exsistit, certam notitiam non habentes, fraternitati tuae ... committimus et mandamus, quatenus super sufficientia et meritis praefati Nicolai auctoritate Nostra te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ipsum Nicolaum ad regimen dicti monasterii utilem et idoneum esse reppereris, ... praefato monasterio, cuius fructus ... viginti trium florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipse Nicolaus etiam asserit, non excedunt, ... de persona dicti Nicolai auctoritate Nostra provideas ipsumque illi praeficias in abbatem, curam *etc.* contradictores *etc.*, non obstantibus, quod alterius ordinis idem Nicolaus professor exsistit, et in illo alterius formae quam in dicto monasterio regularis habitus geritur et habetur *etc.* Seu si *etc.* Nos enim praefato Nicolao, si de persona sua monasterio praefato provideri contigerit, ut praefertur, ut a te vel quocumque alio catholico antistite *etc.* Volumus autem, quod tu vel dictus antistes *etc.* quodque praefatus Nicolaus post provisionem et praefectionem huiusmodi, si eas vigore praesentium fieri contigerit, illum gestet habitum, qui in dicto monasterio geritur et habetur, ac illius institutis regularibus se conformet.

Datum Senis, anno ... 1443, XVII kal. iunii, ... anno XIII.

674. Mandat, ut Iohanni Guidonis de Bononia concedat ecclesiam S. Laurentii de Pratiglione castri Montiscopoli, Lucan. dioec., pro fundatione domus fratrum III. O. S. F. (2).

1443, maii 16, Senis.

Venerabili fratri Baldasari episcopo Lucan.

Ad ecclesiarum et in illis piae vitae *etc.* Sane pro parte dilecti filii Iohannis Guidonis de Bononia, tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati professoris, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod nuper ecclesia S. Laurentii de Pratiglione infra limites plebanatus plebis SS. Stephani et Iohannis castri Montiscopoli tuae dioec. consistente, quae de iure patro-

(1) Reg. Lat. t. 398, f. 204.

(2) Reg. Lat. t. 406, f. 121.

natus laicorum exsistit, et quam quondam Nicolaus Lazari, ipsius ecclesiae rector, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Nicolai, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante dilecti filii Antonius et Laurentius Antonii ac Simon Antonii Simonis de Pratiglione, laici eiusdem dioec., veri patroni dictae ecclesiae et in pacifica possessione vel quasi iuris praesentandi personam idoneam ad illam, dum vacat, exsistentes, omnibus modo, via et forma, quibus magis, melius et efficacius potuerunt, dictum Iohannem eiusque successores dicti ordinis pro tempore exsistentes in rectores ac gubernatores perpetuos praefatae ecclesiae elegerunt, nominarunt et praesentarunt, ita tamen, quod dicti Iohannes et successores eisdem patronis illorumque et cuiuslibet ipsorum haeredibus et successoribus mediam libram candelarum cerae nomine census singulis annis die festivitatis S. Laurentii solvere perpetuo tenerentur, prout in instrumento publico superinde confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut accepimus, dicta ecclesia adhuc, ut praefertur, vacare noscatur, et sicut eadem petitio subiungebat, dictus Iohannes pro sua et aliquorum ex dictis fratribus usu et habitatione quamdam domum cum horto, hortalitiis et aliis necessaris officinis apud praedictam ecclesiam de novo fundare et construere seu fundari et construi facere ac inibi cum eisdem fratribus sub regulari ipsius ordinis observantia Altissimo perpetuo famulari desideret, si illa et dicta domus, postquam constructa fuerit, sibi et fratribus praedictis in perpetuum concedantur pariter et assignentur, pro parte dicti Iohannis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam vocatis dictis patronis et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de praemissis legitime constiterit, per te ipsum ecclesiam praefatam, cuius fructus, redditus et proventus decem florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipse Iohannes asserit, non excedunt, ... cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Iohanni per eum et aliquos ex fratribus dicti ordinis perpetuo tenendam et possidendam auctoritate Nostra concedas pariter et assignes, ita quod ex tunc liceat ipsis Iohanni et fratribus corporalem ecclesiae iuriumque et pertinentiarum praedictorum possessionem ... apprehendere et etiam apud illam in eius solo domum praedictam cum eisdem horto, hortalitiis et aliis officinis fundare et construere necnon fundari et construi facere ac interim et post fundationem et constructionem praedictas fructus, redditus et proventus eiusdem in suos necnon ecclesiae atque domus praedictarum usus perpetuo convertere pariter et retinere, dioecesani loci et cuiuslibet alterius super hoc licentia minime requisita, decernens nihilominus ipsos Iohannem et fratres apud dictam ecclesiam, ut praefertur, pro tempore commorantes omnibus et singulis privilegiis *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XVII kal. iunii, ... anno XIII.

675. Franciscae Caróli Bandini, moniali monasterii S. Iohannis Baptistae de Busseto, alias de Abbatia nova, Senen., O. S. Aug., concedit licentiam transeundi ad monasterium S. Clarae extra muros Senen., O. S. Cl., in quo sub regulari dicti ordinis S. Clarae observantia vivitur (1).

1443, maii 16, Senis.

Sacrae religionis, sub qua *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XVII kal. iunii, ... anno XIII.

676. Mandat, ut Petro, duci Colimbriae, concedat licentiam erigendi oratorium S. Christinae de Tentugal, Colimbrien. dioec., in domum O. F. M. de observantia (2).

1443, maii 18, Senis.

Venerabili fratri episcopo Colimbrien.

Eximiae devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Petrus, dux Colimbriae, ad Nos et Romanam ecclesiam gerere comprobatur, merito nos inducunt, ut votis suis, illis praesertim, per quae divinus cultus adaugeri, sacra religio fratrum ordinis fratrum Minorum propagari et ipsius ordinis personarum commoditas succedere sperantur, favorabiliter annuamus. Sane, sicut pro parte dicti ducis Nobis exhibita petitio continebat, ipse, terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare cupiens, de bonis sibi a Deo collatis oratorium S. Christinae de Tentugal., tuae dioec., pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis, qui sub illius regulari observantia inibi, sicut aliquos ex eis ibidem morari procuravit, Altissimo iugiter famulentur, in domum cum ecclesia, campanili, campanis, coemeterio et aliis necessariis officinis erigi, construi et aedificari facere proponit, si in hoc sibi Apostolicae suffragetur auctoritas Sedis. Quare pro parte ipsius ducis, qui, ut asserit, regni Portugalliae regens exsistit, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi oratorium praedictum in domum fratrum cum ecclesia, ... officinis huiusmodi erigi ... faciendi licentiam concedere ac fratribus ordinis in oratorio ad praesens morantibus praedictis de absolutionis

(1) Reg. Lat. t. 406, f. 190 v.

(2) Reg. Lat. t. 397, f. 192 v.

beneficio ab excommunicationis sententia, quam praemissorum occasione incurrisse dignoscuntur, et in ipsis praemissis alias opportune providere *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus praefato duci praemissa faciendi auctoritate Nostra licentiam largiaris et insuper fratres in oratorio ad praesens morantes praedictos ac quemlibet ipsorum, si hoc humiliter petierint, a dicta excommunicationis sententia praefata auctoritate hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesiae consueta, iniunctis *etc.* ac cum illis super irregularitate ... dispenses aboleasque omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per eosdem fratres dicta occasione quomodolibet contractam, et insuper fratribus ordinis praefati, quod dictum oratorium etiam, postquam in domum eiusdem ordinis erectum fuerit, acceptare ac pro usu et habitatione eorum imperpetuum retinere, in eo quoque degentes pro tempore fratres ordinis huiusmodi omnibus et singulis privilegiis ... uti, frui et gaudere possint et debeant, auctoritate apostolica concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XV kal. iunii, ... anno XIII.

677. Iohanni Mercadan concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in loco Fuentsanta prope Murciam, Cartaginen. dioec. (1).

1443, mali 18, Senis.

Dilecto filio Iohanni Mercadan, habitatori loci Murciae, Cartaginen. dioec.

Ineffabilis summi providentia Patris *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu, qui ad ordinem fratrum Minorum de observantia eiusque professores singularem geris devotionis affectum, ut terrenis pro coelestibus felici commercio commutatis in coelesti demum patria pro transitoriis sempiterna recipere valeas, quamdam in fundo cuiusdam possessionis, « de la fuent santa » vulgariter nuncupatae et in termino loci Murciae, Cartaginen dioec., consistentis ac ad te cum certis domibus et aedificiis inibi exsistentibus legitime pertinentis, pro usu et habitatione fratrum ordinis huiusmodi domum cum ecclesia, campana, campanili et aliis necessariis officinis pro guardiano et nonnullis dicti ordinis fratribus inibi virtutum Domino conventualiter perpetuo servituris de bonis tibi desuper ministratis de novo fundare et erigere sive fundari et erigi facere illique possessionem cum domibus et aedificiis huiusmodi assignare desideras, si Sedis Apostolicae ministerium et auctoritas tibi suffragentur in praemissis. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi domum eamdem cum ecclesia ... aliisque supradictis in fundo et loco praedictis pro dictis usu et habitatione construendi et erigendi sive construi et erigi faciendi necnon guardiano et fratribus de observantia huiusmodi domum ipsam pro praemissis usu et habitatione, quodque conventualiter Domino famulentur ibidem, acceptandi et retinendi auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam impertimur. Et nihilominus universis et singulis fratribus dicti ordinis, quos in eadem domo pro tempore morari sive residere degereque contigerit, ut privilegiis *etc.*

Non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XV kal. iunii, ... anno XIII.

678. Leonori Roderici de Mendanna O. S. Cl. concedit dispensationem a def. nat., ut eo non obstante ad dignitatem abbatissalem assumi possit (2).

1443, mali 18, Senis.

Dilectae in Christo filiae Leonori Roderici de Mendanna, moniali monasterii S. Clarae, ordinis eiusdem sanctae, Astoricen. dioec.

Religionis zelus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim tecum super defectum natalium ... apostolica fuit auctoritate dispensatum. Nos volentes te, quae, ut asseris ordinem praefatum expresse professa exsistis, praemissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratiae specialis, ... tecum, ut ad quamcumque dignitatem abbatissalem cuiusvis monasterii praefati ordinis alias canonice eligi vel assumi eique inde praefici ac praeesse libere et licite valeas, defectu praedicto ac Pictavien. concilii *etc.* nequaquam obstantibus, auctoritate praedicta tenore praesentium de uberioris dono gratiae dispensamus. Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XV kal. iunii, ... anno XIII.

679. Archidiacono ecclesiae Nigroponten. mandat, ut prioratum B. Mariae Nigroponten., ordinis Crucigerorum, a Iohanne Corboldo O. F. M. per triennium indebite occupatum, conferat Petro Antonio Mauroceno, perpetuo beneficiato in plebe S. Fidentii, Paduan. dioec. (3).

1443, mali 19, Senis.

Nobilitas generis *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XIV kal. iunii, ... anno XIII.

(1) Reg. Lat. t. 397, f. 170. (2) Reg. Lat. t. 406, f. 4v. (3) Reg. Lat. t. 397, f. 74.

680. Concedit indulgentias pro restauratione ecclesiae monasterii S. Helenae extra muros Paduan. O. S. Cl. (1).

1443, maii 27, Senis.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, monasterium S. Helenae extra muros Paduan., ordinis S. Clarae, causantibus sinistris eventibus incendio ignis combustum ac alias in suis structuris et aedificiis plurimum collapsum exsistat, ad cuius condignam reparationem et restaurationem ipsius monasterii facultates, quae valde tenues et exiles exsistunt, proprie non suppetunt, sed ad hoc pia fidelium suffragia plurimum noscantur fore opportuna, Nos, cupientes, ut monasterium ipsum congruis honoribus frequentetur et in suis aedificiis huiusmodi debite reparetur, restauretur et conservetur, et ut fideles *etc.* omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis et Corporis Domini nostri Iesu Christi ac pentecostes necnon nativitatis, annuntiationis, purificationis et assumptionis beatae Mariae Virginis et nativitatis beati Iohannis Baptistae ac apostolorum et S. Helenae et ecclesiae ipsius monasterii dedicationis festivitatibus necnon in celebritate omnium sanctorum ac per ipsarum ... festivitatum octavas et per sex dies dictam festivitatem pentecostes immediate sequentes ecclesiam ipsius monasterii devote visitaverint annuatim et ad reparationem, restaurationem et conservationem easdem manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum ac celebritatis quatuor annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum praedictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint et ad reparationem ac conservationem ipsas manus porrexerint adiutrices, ut praefertur, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VI kal. iunii, ... anno XIII.

681. Abbati monasterii B. Mariae de Gavello, Adrien. dioec. mandat, ut confirmet testamentum Guillelmi Dulceti, civis Ferrarien., quo inter alia legaverat, quod ex fructibus bonorum haereditariorum post obitum suum « S. Dominici duo modia frumenti et una castellata vini, necnon singulis S. Francisci et S. Andreae ac S. Pauli et B. Mariae Servorum, fratrum Minorum, Eremitarum S. Augustini, B. Mariae de Monte Carmelo, eiusdem S. Augustini et Armenorum ordinum domibus Ferrarien. singulas decem stariorum frumenti quantitates mensurarum partium praedictarum... » perpetuo tradi et realiter assignari deberent (2).

1443, maii 29, Senis.

Sincerae devotionis affectus *etc.*

Datum Senis, anno 1443, IV kal. iunii, ... anno XIII.

682. Iohanni de Baldironibus O. F. M. eiusque sociis concedit facultatem eligendi confessarium et remissionem plenariam in articulo mortis (3).

1443, maii 31, Senis.

Dilecto filio Iohanni de Baldironibus, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos tuis, quem pro nonnullis Nostris et S. Romanae ecclesiae, praesertim christianae religionis statum et exaltationem concernentibus, ordinis negotiis ad diversas mundi partes transmittere intendimus, in hac parte supplicationibus inclinati, ut confessor idoneus saecularis, quem tu et quilibet sociorum tuorum pro tempore exsistentium, etiamsi socii huiusmodi ordinis Minorum professores seu alias ecclesiasticae vel saeculares personae sint, pro tempore duxeritis eligendum, confessionibus vestris diligenter auditis *etc.* Nulli ergo, *etc.*

Datum Senis, anno, 1443, pridie kal. iunii, ... anno XIII.

683. Stephano Vimaraten. O. F. M. concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (4).

1443, maii 31, Senis.

Dilecto filio Stephano Vimaraten., ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu, qui dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Constantiae, ducissae Braganciae et comitissae Barchelorum, obsequiis insistendo plurimos pertulisti temporibus retroactis labores necnon verbum Dei in populo seminando ac confessiones audiendo diversos inter se divisos et discordantes tuis bonis verbis, doctrinis et praedicationibus a via erroris ac ab huiusmodi divisionibus et discordiis ad pacis et concordiae dulcedinem salubriter reduxisti ac suadentibus praemissis utriusque sexus populo ibidem te gratum et acceptum exsistere speras, pro eo, quod

(1) Reg. Lat. t. 397, f. 87.
(2) Reg. Lat. t. 397, f. 98.
(3) Reg. Lat. t. 400, f. 108; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 130.
(4) Reg. Lat. t. 400, f. 289

nonnullos ordinis fratrum Minorum, cuius professor exsistis, de plerisque vitiis et excessibus, prout tenebaris, corripere et arguere conabaris, in domo eorumdem fratrum, ubi professionem emisisti, cum tui quiete animi ac ex certis aliis legitimis causis nequeas remanere, ipsaque ducissa et comitissa cupiat in recompensam laborum huiusmodi et, ut praedicationibus et aliis bonis operibus melius et commodius intendere decentiusque sustentari valeas, tibi de aliquo ecclesiastico beneficio per Sedem Apostolicam quantocius provideri, Nos, volentes te, qui, ut asseris, in theologia lector exsistis, praemissorum meritorum intuitu favore prosequi gratioso, ipsius ducissae et comitissae ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, quod alias rite quodcumque beneficium ecclesiasticum cum cura, in dominiis dictae ducissae dumtaxat consistens, ... recipere et, quoad vixeris, in commendam retinere libere ac licite valeas, ... concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.*, proviso *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, pridie kal. iunii, ... anno XIII.

684. Mandat, ut Iohanni de S. Marco, electo ministro provinciae Calabriae, faveat (1).

1443, iunii 6, Senis.

Dilecto filio Alberto de Sartiano, vicario ministri generalis seu ipsi generali ministro ordinis Minorum.

Dil. fili sal. Ad devotionem tuam venit dilectus filius Iohannes de S. Marco, frater ordinis Minorum, provinciae Calabriae minister electus, prout ex ipsius relatione plenius intelliges. Is quorumdam nobilium ad Nos litteras detulit, quas non aperuimus, sed ad te integras et sigillatas legendas destinamus. Itaque devotionem tuam in Domino exhortamur, ut circa intentionem praefati fratris Iohannis ac continentiam dictarum litterarum facias, prout secundum Deum ordinisque et provinciae pacem et bonam dispositionem videris expedire, favendo praefato fratri Iohanni in praedictis, prout et honestas ac ipsius ordinis bona qualitas patiuntur.

Datum Senis, VI iunii, ... anno XIII.

685. Confirmat limites et terminos domus S. Francisci prope villam de Murato, S. Flori dioec. (2).

1443, iunii 6, Senis.

Dilecto filio praeposito monasterii Montissalvi, per praepositum soliti gubernari, Sancti Flori dioec.

Ea, quae pro monasteriorum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Francisci prope villam de Murato, ordinis fratrum Minorum, Sancti Flori dioec., petitio continebat, quod olim quondam Guillelmus de Casali, tunc praefati ordinis generalis minister, Ruthenen. et Alverniae custodiarum, Aquitaniae et Burgundiae provinciarum iuxta morem dicti ordinis tunc exsistentibus custodibus eorum propriis non expressis nominibus ac dilecto filio Iohanni de Pogeto, ordinis praedicti ac theologiae professori, inter alia dederat in mandatis, quod ipsi vel duo eorum domui praedictae, quam tunc dilectus filius nobilis vir Bernardus de Armanhaco, comes Marchiae, pro usu et habitatione perpetuis nonnullorum dicti ordinis fratrum etiam de Sedis Apostolicae licentia speciali fundari et construi fecerat, terminos atque limites, infra quos guardianus et fratres eiusdem domus pro tempore exsistentes verbum Dei populo praedicare eorumque vitae necessaria mendicando quaerere possent, assignare curarent, quodque postmodum Iohannes praedictus ac dilectus filius Amalricus Galhardi, eiusdem Ruthenen. custodiae tunc custos necnon ordinis et theologiae huiusmodi etiam professor, vigore mandati huiusmodi per litteras et diversos plurium et diversorum parochialium ecclesiarum ac locorum tunc expressorum limites pro terminis et limitibus domus ac eius pro tempore fratrum praedictorum dederunt et assignaverunt, prout in diversis instrumentis publicis desuper confectis, in quibus etiam tenor litterarum mandati generalis huiusmodi de verbo ad verbum insertus reperitur, plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefati exponentes pro eo, quod nonnulli ex limitibus eis et domui assignatis huiusmodi infra custodiam Alverniae provinciae Burgundiae huiusmodi fore noscuntur, ac ex certis aliis causis dubitent assignationem et traditionem praedictas viribus non subsistere, pro parte comitis ac guardiani et fratrum praedictorum etiam asserentium, quod domus praedicta infra custodiam ac provinciam Aquitaniae praefatas consistit, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut traditioni et assignationi terminorum huiusmodi ac omnibus et singulis in dictis instrumentis contentis ac inde secutis robur apostolicae confirmationis adiicere et alias illa observari mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et, si per infor-

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 153.

(2) Reg. Lat. t. 400, f. 300v. De domo de Murato cf. supra n. 8, p. 13.

mationem huiusmodi ea vera esse reppereris, ... assignationem et traditionem limitum et terminorum necnon omnia et singula quoad id in instrumentis contenta et inde secuta huiusmodi eadem auctoritate approbes et confirmes illaque, postquam sic confirmata fuerint, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia appellatione remota observari facere procures, supplendo omnes defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem. Non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VIII idus iunii, ... anno XIII.

686. Concedit indulgentias pro ecclesia B. Mariae de Valle III. O. S. Fr., dioec. Astoricen. (1).

1443, iunii 8, Senis.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Dum praecelsa meritorum insignia *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii S. Mariae de Valle, tertii ordinis S. Francisci, Astoricen. dioec., una cum capella eiusdem S. Mariae in eodem monasterio constructa, « la Consolada » vulgariter nuncupata, quae, sicut accepimus, in suis aedificiis, structuris, libris et ornamentis ecclesiasticis non modica conservatione et reparatione indigent, nec suppetant facultates dicti monasterii, unde conservari et reparari possint, a christifidelibus congruis honoribus frequententur et etiam reparentur ac conserventur, et ut christifideles *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo annuntiationis dictae S. Mariae monasterium et capellam huiusmodi devote visitaverint annuatim et ad conservationem ac reparationem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, ... quatuor annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem *etc.* Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Senis, anno ... 1443, VI idus iunii, ... anno XIII.

687. Mandat, ut pro suo iudicio Iohanni Marencho O. F. M., ecclesiam S. Mariae de Ponte Alben. concedat in commendam (2).

1443, iunii 15, Senis.

Venerabili fratri Alerino, episcopo Alben. (3).

Religionis zelus, ... super quibus apud Nos dilectus filius Iohannes Marenchus, ordinis fratrum Minorum professor, fide digno commendatur testimonio *etc.* Cum itaque hodie dilectus filius Garnagnus de Salutiis, monachus monasterii S. Mariae de Stafalde, Cistercien. ordinis, Taurinen. dioec., asserens sibi dudum parochialem ecclesiam S. Mariae de Ponte Alben., tunc per obitum quondam Voglini, ultimi illius rectoris, extra Romanam curiam defuncti, vacantem, sub certis modo et forma commendatam exstitisse, commendae huiusmodi, quae adhuc durabat, per dilectum filium Antonium Frota, clericum dictae dioec., procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus Nostris sponte et libere cesserit, ... Nos, volentes praefato Iohanni, qui presbyter et, ut asserit, ordinem Minorum huiusmodi expresse professus exsistit ac in domo Alben. eiusdem ordinis Minorum, cui dicta ecclesia propinqua est, et per cuius fratres ipsi ecclesiae in divinis a viginti citra vel circa [annis] laudabiliter deserviri consuevit, pro tempore residet ac de bonis sibi a Deo collatis structuras et aedificia eiusdem ecclesiae ruinosa in magna parte reparari fecit necnon, si ecclesia ipsa sibi per eum, quoad vixerit, tenenda, regenda et gubernanda cum omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate praedicta commendatur, per amplius reparari facere proponit, praemissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus circa petitam per Iohannem ecclesiae sic vacantis commendam huiusmodi, etiamsi ecclesia ipsa, cuius fructus, redditus et proventus viginti quatuor florenorum auri secundum communem aestimationem valorem annuum, ut etiam ipse Iohannes asserit, non excedunt, tanto tempore vacaverit, *etc.* auctoritate Nostra per te ipsum facias, prout conscientiae tuae melius videbitur, ita quod, si dictam ecclesiam eidem Iohanni per te commendari contigerit *etc.*, inducens *etc.*, contradictores *etc.* non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XVII kal. iulii, ... anno XIII.

688. Concedit ministro et fratribus domus S. Agathae burgi terrae Iarratan. (Giarratana), III. O. S. Fr., Syracusan. dioec., facultatem eligendi confessarium et remissionem plenariam in articulo mortis (4).

1443, iunii 21, Senis.

Ad futuram rei memoriam.

Iniunctum Nobis desuper *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XI kal. iulii, ... anno XIII.

(1) Reg. Lat. t. 397, f. 168 v. Cf. supra n. 45, p. 29.

(2) Reg. Lat. t. 406, f. 239 v.

(3) Hic Alerinus (Rambaldi) postea inter beatos relatus est.

(4) Reg. Lat. t. 406, f. 78 v. Cf. supra n. 597, p. 281, ubi pro « Ferracanae » (Wadd. l. cit.) legendum est « Iarratanae ».

689. Concedit indulgentias pro eadem ecclesia S. Agathae burgi terrae Iarratanae, III. O. S. Fr., dioec. Syracusan. (1).

1443, iunii 21, Senis.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia domus S. Agathae, burgi terrae Iarratanae, tertii ordinis beati Francisci de poenitentia nuncupati, Syracusan. dioec., congruis honoribus frequentetur ac ecclesia huiusmodi in suis structuris et aedificiis augmentetur, reparetur et etiam conservetur, et ut christifideles eo libentius *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo dictae S. Agathae ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim necnon ad augmentationem, reparationem et conservationem praedictas manus adiutrices porrexerint, unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XI kal. iulii, ... anno XIII.

690. Confirmat concessionem ecclesiae S. Agathae burgi terrae Iarratanae, Syracusan. dioec., pro fratribus III O. S. Fr. (2).

1443, iunii 21, Senis.

Dilecto filio priori S. Corci de Licodia, Syracusan. dioec.

Sedis Apostolicae copiosa benignitas *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum Nicolai de Comite et Angeli de Pace, tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati professorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim venerabilis frater Noster Rogerius, episcopus Syracusan., attente considerans, quod ecclesia S. Agathae burgi terrae Iarratanae, Syracusan. dioec., penitus destructa foret et ruinae subiaceret, cupiensque, ut in illa divinus cultus, quo destituta erat, observaretur ac vigeret, praedictam ecclesiam, ex qua aliqui fructus, reditus et proventus non percipiuntur annuatim, tunc certo modo vacantem, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eisdem Nicolao et Angelo pro ipsorum ac nonnullorum fratrum dicti ordinis usu et habitatione perpetuis donavit, concessit et assignavit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ipsi Nicolaus et Angelus, qui donationis, concessionis et assignationis earumdem vigore praedictam ecclesiam assecuti, ex tunc apud illam per tres annos resederunt, prout resident de praesenti, quique dictam ecclesiam in suis structuris et aedificiis notabiliter repararunt et in posterum pro posse reparare intendunt, desiderent donationem, concessionem et assignationem praedictas ex certis causis apostolico munimine roborari, pro parte dictorum Nicolai et Angeli Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae mandamus, quatenus, si et postquam tibi de donatione, concessione et assignatione praedictis legitime constiterit, illas necnon quaecumque inde secuta, sicut rite facta prospexeris, auctoritate Nostra approbes pariter et confirmes, supplendo omnes defectus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XI kal. iulii, ... anno XIII.

691. Iohanni de Baldironibus O. F. M. concedit certas facultates pro negotiis Terrae Sanctae (3).

1443, iunii 22, Senis.

Dilecto filio Iohanni de Baldironibus, ordinis Minorum professori.

Cum te, quem nuper dilecti filii guardianus et conventus domus Montis Sion Hierosolymitan., ordinis fratrum Minorum, pro Terrae Sanctae recuperatione et acquirendis eleemosynis, in conservationem dictae domus ac fratrum inibi degentium sustentationem convertendis, nonnullis quoque negotiis christianae fidei statum et exaltationem concernentibus ad Nos et diversos mundi principes nuntium transmiserunt, pro eisdem recuperatione et negotiis ad diversas mundi partes destinemus, Nos, ut ea facilius tibi auctoritate Nostra per Nos iniuncta exsequaris, tibi assumendi et ad tuam societatem ac alia obsequia retinendi usque ad numerum sex, quoscumque volueris, de fratribus ordinis Minorum professoribus ubicumque commorantibus necnon ex quacumque provincia totidem ex fratribus dicti ordinis, quos ad id idoneos esse cognoveris, mittendi ad Romanam curiam et quaevis alia loca, quandocumque et quotiescumque opportunum fore videris, et illis committendi exsecutionem negotiorum quorumlibet recuperationem et negotia praedicta concernentium, ac etiam equitandi necnon omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exsequendi, mandandi insuper in locis, ad quae te vel dictos fratres per te assumptos et mittendos

(1) Reg. Lat. t. 400, f. 107 v. Cf. n. praec.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 131 « e l. 2 de regular. a. XIII, f. 193 ». Cf. n. praec.

(3) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 132 « e l. 7 mixto etc. annis XIV et XVI, f. 230 ». Cf. supra n. 682, p. 321.

ire contigerit, omnibus et singulis divini verbi praedicatoribus saecularibus et regularibus ordinum quorumcumque, ut in eorum praedicationibus annuntient populis illa, quae tu vel fratres assumpti et mittendi huiusmodi ipsis praedicatoribus duxeritis ordinanda, cuiusvis super iis licentia minime requisita, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, mandantes nihilominus in virtute sanctae obedientiae sub excommunicationis poena dictis praedicatoribus, ut eis per te vel fratres assumptos et mittendos praedictos in praemissis mandata efficaciter adimpleant, ac universis et singulis provincialibus, guardianis et fratribus dicti ordinis in locis, ad quae te vel dictos assumptos fratres declinare contigerit, commorantibus, ut te et fratres assumptos et mittendos huiusmodi necnon alios socios tuos quoscumque et qualescumque, etiamsi ecclesiasticae, saeculares vel regulares aut laicae personae exsistant, in eorum domibus admittant et recipiant ac tibi eisdemque fratribus assumptis et mittendis ac sociis de victui necessariis administrent. Non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, X kal. iulii, ... anno XIII.

692. Monasterium S. Marini, Ariminen., O. S. Cl., incorporat congregationi canonicorum B. Mariae de Frisonaria O. S. Aug. (1).

1443, iunii 22, Senis.

Dilecto filio praeposito ecclesiae Ariminen.

Ad monasteriorum omnium statum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum rectoris et canonicorum de congregatione B. Mariae de Frisonaria, ordinis S. Augustini, petitio continebat, quod a multis annis citra monasterium S. Marini Ariminen., ordinis S. Clarae, regulari observantia destitutum remansit, prout etiam hodie remanet, ac etiam nonnullae ex illius tunc monialibus vitam minus honestam duxerunt, quodque etiam dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales in eo praesentialiter degentes, quarum aliquae a nonnullis citra temporibus ad illud de alienis monasteriis se transtulisse noscuntur, vitam laudabilem, sicut congrueret atque deceret, ducere negligunt, propter quae etiam inter laicales personas murmura et oblocutiones necnon eis exempla pessima subsecuta fuerunt ipsumque monasterium nota et infamia respersum censetur, quodque etiam non speratur, quod illud de cetero per easdem praesentes abbatissam et moniales ad debitam observantiam reduci debeat. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prioratus S. Lazari extra muros Ariminen. ad tria vel circa milliaria consistens, ordinis S. Augustini et congregationis praedictorum a gentibus armorum et aliis stipendiariis, prope illum saepius transeuntibus, multiplicia damna sustineat, ac dilecti filii illius prior et canonici de congregatione praedicta plures numero sub regulari dicti ordinis S. Augustini [observantia] et alias laudabiliter degentes causantibus illius a civitate Nostra Ariminen. distantia necnon armigerorum et stipendiariorum huiusmodi concursu debita, sicut vellent atque desiderant, obsequia in prioratu ipso praestare nequeant ac de cetero inibi commode permanere et libere divinis obsequiis intendere ac Deo servire posse dubitent, pro parte rectoris et aliorum exponentium praedictorum, etiam asserentium, quod, si praefatum monasterium S. Marini congregationi huiusmodi perpetuo concedatur, plures ex illius canonicis pro tempore exsistentibus in eo conventualiter sub eadem observantia permanerent ac ex illorum vita laudabili et operibus fructuosis dictum monasterium multipliciter reformari civesque et incolae pro tempore praefatae civitatis plura suarum animarum consolationes et gaudia sentire valerent, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis abbatissa et monialibus praesentibus supradictis ... de praemissis omnibus et singulis auctoritate Nostra te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ea vera esse reppereris, ... abbatissalem dignitatem ac dictum ordinem S. Clarae in praefato monasterio auctoritate praedicta penitus supprimas et exstinguas necnon etiam monasterium praedictum, quod a loci ordinario ac illius iurisdictione exemptum fore dignoscitur, et cuius ac illi annexorum et ipsius membrorum centum et sexaginta, necnon praefati prioratus ducentorum et quinquaginta florenorum auri de camera fructus, redditus et proventus secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipsi exponentes etiam asserunt, non excedunt, cum annexis ac membris praedictis ac aliis illius necnon dictorum annexorum et membrorum possessionibus et bonis mobilibus et immobilibus, iuribus et pertinentiis omnibus et singulis universis canonicis praesentibus et futuris congregationis et ordinis

(1) Reg. Lat. t. 406, f. 13 v. Bulla originalis invenitur apud PP. Canonicos O. S. Aug. congr. Lateran. ad basilicam S. Petri ad Vincula Urbis.

S. Augustini praedictorum per eos per priorem temporaneum ac alias iuxta eorum ritus, mores, statuta, consuetudines ac privilegia apostolica eis concessa tenendum, regendum et gubernandum auctoritate praedicta perpetuo incorpores, appropries, applices atque concedas, ita quod liceat rectori pro tempore exsistenti per se vel alium seu alios, quamprimum incorporatio, concessio et applicatio praedictae necnon translatio abbatissae et monialium praedictarum vigore praesentium factae fuerint, corporalem possessionem monasterii, annexorum, membrorum, possessionum, bonorum, iurium et pertinentiarum praedictorum auctoritate propria libere apprehendere necnon ... perpetuo tenere *etc.*, quodque ex tunc abbatissa praedicta simplex monialis remaneat ac a regimine et gubernatione dicti monastarii amota conseatur. Volumus autem ac venerabili fratri Nostro Christophoro, episcopo Ariminen., facultatem plenam et liberam concedimus, quod ipse per se vel alium post suppressionem, incorporationem et applicationem praedictas abbatissam et praesentes moniales praefatas omnes et singulas, quarum numerum praesentibus haberi volumus pro expresso, ad alia quaecumque S. Clarae praedictae vel aliorum quorumvis ordinum monasteria sive loca, de quibus sibi videbitur, transferre necnon etiam, prout sibi melius visum fuerit, eis ac monasteriis ad quae ipsas transferri contigerit, coniunctim seu divisim de bonis mobilibus seu fructibus, redditibus et proventibus monasterii S. Marini huiusmodi ad vitam earum aut ad tempus vel tempora seu perpetuo certam partem seu portionem ... tradere et assignare aliaque omnia et singula desuper necessaria et opportuna facere et exsequi possit, ipsaeque abbatissa et praesentes moniales translationem et alia per episcopum vel alium gesta huiusmodi ratificare et approbare necnon monitis et mandatis ipsius eis desuper faciendis parere ... teneantur *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, X kal. iulii, ... anno XIII.

693. Paulo de Zillionis de Pergamo O. F. M. concedit facultatem praedicandi non obstante, quod in sacris ordinibus constitutus non exsistat (1).

1443, iunii 26, Senis.

Dilecto filio Paulo de Zillionis de Pergamo, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui, ut asseris, ordinem fratrum Minorum expresse professus et utriusque iuris doctor exsistis, sub regulari observantia eiusdem ordinis Altissimo famularis, praemissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratiae specialis, tecum, ut officium praedicationis assumere et ubicumque illud, alias tamen de superiorum tuorum et aliorum, quorum interest, licentia, exercere libere et licite valeas, quod in sacris ordinibus constitutus non exsistas nec ad illos pro eo, quod alias viduae maritus fuisti, promoveri possis, et quacumque alia irregularitate per te quomodolibet incursa ... ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica de speciali dono gratiae tenore praesentium dispensamus. Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VI kal. iulii, ... anno XIII.

694. Committit causam inter Madium, administratorem ecclesiae Materan., O. F. M., et Manfredum archiepiscopum Acherontin. (Acerenza) de iurisdictione in certis locis (2).

1443, iulii 1, Senis.

Venerabili fratri episcopo Melphien.

Dudum dilectum filium Madium de Ydronto, ordinis Minorum professorem, ecclesiae Materan. in spiritualibus et temporalibus administratorem, per Nostras certi tenoris litteras deputavimus et deinde per alias Nostras litteras dilectis filiis universis vasallis Laterciae, Genusii, Pomarici, Montiscaveosi, Millionici, Groctularum, Ogiani et Pisticii terrarum (3), quas idem Madius ad dictam Materan. ecclesiam spectare asserebat, per apostolica scripta mandavimus, quatenus eumdem Madium devote suscipientes debito honore prosequerentur et fidelitatem debitam necnon consueta servitia et iura sibi integre exhibere studerent. Cum autem, sicut exhibita siquidem Nobis nuper pro parte venerabilis fratris Nostri Manfredi, archiepiscopi Acherontin., petitio continebat, nonnullae ex dictis terris non modo ad dictam Materan. ecclesiam non spectent, sed etiam in dioecesi Materan. non exsistant, quinimo in sua Acherontin. dioec. situatae sint et ad suam Acherontin. ecclesiam pertineant, pro parte dicti archiepiscopi Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* fraternitati tuae mandamus, quatenus ... de praedictis ... te diligenter informes et eas ex dictis terris, si quas per informationem huiusmodi ad dioec. et ecclesiam praedictam Acherontin. spectasse

(1) Reg. Lat. t. 406, f. 16. (2) Reg. Lat. t. 397, f. 144v. (3) Agitur hic de locis Laterza, Genosa, Pomarico, Montescaglioso, Miglionico, Grottole, Uggiano, Pisticci.

et spectare reppereris, sub cura, regimine et iurisdictione archiepiscopi et ecclesiae Acherontin. praedictorum esse debere auctoritate Nostra decernas atque declares *etc.* Et insuper, si per te huiusmodi declarationem et restitutionem fieri contigerit, dicto Madio administratori praefata Nostra auctoritate inhibeas, ne de praedictis terris se intromittat, sed earum terrarum curam et administrationem archiepiscopo et ecclesiae Acherontin. praefatis dimittat et nihilominus vasallis dictarum terrarum in praefata dioec. Acherontin. ... situatarum et ad dictam Acherontin. ecclesiam pertinentium eadem auctoritate Nostra praecipias et mandes, ut praedicto archiepiscopo eiusque ecclesiae consueta servitia et solita iura exhibeant praefatoque Madio deinceps nullatenus pareant nec intendant, illas vero ex dictis terris, quas in dioec. dictae Materan. ecclesiae esse et ad eamdem Materan. ecclesiam spectare et pertinere similiter reppereris, eas iuxta formam praedictarum Nostrarum litterarum per dictum Madium administratorem gubernandas eadem auctoritate Nostra relinquas eidemque Madio a vasallis dictarum terrarum solita et consueta servitia et iura exhiberi facias. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, kalendis iulii, ... anno XIII.

695. Mandat, ut sorores domus S. Annae Fulginat. III. O. S. Fr. in suis iuribus et bonis defendant (1).

1443, iulii 7, Senis.

Dilectis filiis gubernatori pro S. Romana ecclesia in Fulginaten. et potestati in Camerinen. civitatibus Nostris.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum sororum domus S. Annae Fulginat., tertii ordinis S. Francisci, petitio continebat, quod pleraeque utriusque sexus personae, ecclesiasticae et laicales, super diversis pecuniarum summis ac immobilibus mobilibusque bonis et rebus aliis saepenumero iniuriatae fuerunt et quotidie iniuriantur eisdem, necnon illa a debentibus et detinentibus ea propter ipsarum, quae pro victu et vestitu earum habendis eleemosynas quaerere compelluntur, extremam paupertatem et dictarum personarum subterfugia et cavillationes iudiciali indagine nequeunt vindicare. Quare pro parte ipsarum sororum, asserentium, quod praefata domus in suis aedificiis et structuris multa eget reparatione, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus vos vel alter vestrum vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis summarie, simpliciter et de plano hinc inde propositis, quod iustum fuerit, quibuscumque reiectis cavillationibus et iudiciali omissa indagine, appellatione remota decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia firmiter observare. Testes autem *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, nonis iulii, ... anno XIII.

696. Concedit perinde valere pro domo S. Cerbonis, Lucan. dioec., et ampliatione horti eiusdem domus (2).

1443, iulii 10, Senis.

Dilectis filiis fratribus provinciae Tusciae ordinis fratrum Minorum iuxta morem eiusdem ordinis.

Regularem vitam professis *etc.* Dudum siquidem Nos dilectorum filiorum multorum ex civibus civitatis Lucan., asserentium monasterium monialium S. Cerbonis, Cistercien. ordinis, Lucan. dioec., in quo non vigebat regularis observantia, ad tantam monialium paucitatem devenisse, ut pro derelicto haberi posset, supplicationibus inclinati, vobis, qui sub regulari observantia ordinis fratrum Minorum degitis, ut in monasterio huiusmodi, in quo abbatissalem dignitatem exstinximus, locum recipere et retinere necnon in ipso ac eius territorio domibus contiguo ecclesiam sive oratorium cum campanili, campana, coemeterio, domibus, horto decenter spatioso et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione vestra et fratrum dicti ordinis construere ac aedificare necnon quoscumque fratres eiusdem ordinis Minorum inibi deputare possitis, qui missas et alia divina officia celebrare ac verbum Dei praedicare libere et licite valerent, ordinarii loci super hoc consensu minime requisito, iuribus tamen *etc.* salvis, licentiam et plenariam facultatem inter cetera per alias Nostras litteras concessimus, prout in eisdem litteris, in quibus, quod dictum monasterium alicuius ordinis foret, expressum non fuit, plenius continetur. Cum autem, sicut oblata Nobis nuper pro parte eorumdem civium petitionis series continebat, dictum monasterium Cistercien. ordinis tempore datae litterarum huiusmodi fuerit, et vobis, qui earumdem litterarum vigore in praedicto monasterio inter alia domum cum horto pro ve-

(1) Reg. Lat. t. 406, f. 16v. De domo S. Annae Fulginat. cf. supra n. 466, p. 222.

(2) Reg. Lat. t. 400, f. 159; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 133.

stris usu et habitatione fundari fecistis, et in illa sub regulari vitae castimonia ac regulari ordinis vestri observantia virtutum Domino famulantes cum magno animarum fructu ac multiplici dilectorum filiorum populi civitatis huiusmodi consolatione laudabiliter permansistis, prout permanetis, ut a saecularium personarum accessibus magis semoti, eo quietius sanctae contemplationi et orationibus devotis insistere valeatis, hortum praedictum ampliare et circumcirca muro claudi facere plurimum expediret, sintque circumcirca domum huiusmodi sterpeta et minus fructuosae terrae ac vineae ad dictum olim monasterium pertinentia, Nos, in praemissis illo volentes vobis remedio succurrere, per quod quibusvis inquietationibus et molestiis a vobis penitus semotis quietum et tranquillum sub dicta observantia valeatis in domo praedicta Altissimo reddere famulatum, ipsorum civium in hac parte supplicationibus inclinati, dictum Cistercien. ordinem in praedicto monasterio supprimentes penitus et exstinguentes, volumus et apostolica vobis auctoritate tenore praesentium concedimus, quod litterae praedictae et quaecumque inde secuta valeant plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus et per omnia perinde, ac si in eisdem litteris, quod monasterium ipsum praedicti Cistercien. ordinis foret, specifica et expressa mentio, necnon per Nos dictae suppressio et exstinctio factae fuissent, et insuper vobis circumcirca domum praefatam in sterpetis per trecentum et sexaginta, in terris vero et vineis praedictis per centum brachia ampliandi, necnon in silvis et nemoribus ad dictum olim monasterium pertinentibus lignamina pro domus et horti praedictorum separatione et clausura ac usu vestro scindi et adduci faciendi alicuius super hoc licentia minime requisita plenam et liberam auctoritate praedicta licentiam pariter et facultatem concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VI idus iulii, ... anno XIII.

697. Concedit facultatem recipiendi 2 domos in Dalmatia pro usu fratrum O. F. M. de observ. ([1]).

1443, iulii 13, Senis.

Dilectis filiis Nicolao Pollisano et Nicolao de Tragurio, ordinis fratrum Minorum professoribus.

Magnae devotionis sinceritas *etc.* Hinc est, quod Nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, qui, ut asseritis, sub regulari ordinis fratrum Minorum observantia vivitis, infra patriam ac partes Dalmatiae duas domos cum ecclesiis, campanilibus humilibus et campanis necnon claustris, ... aliis necessariis officinis, ... etiamsi in ipsis locis ecclesiae iam constructae seu construi inchoatae et illae vobis ad id canonice concessae fuerint, ex piis christifidelium largitionibus pro usu et habitatione perpetuis quorumdam praedicti ordinis fratrum sub observantia praedicta pro tempore degentium fundari ... faciendi illasque ... constructas ... recipiendi necnon vobis ac praesentibus et futuris eiusdem ordinis religiosis sub eadem observantia degentibus in eisdem domibus perpetuo commorandi, dioecesanorum *etc.* minime requisita necnon iure *etc.* salvo, plenam ... licentiam elargimur. Et nihilominus guardianis et fratribus in domibus sub observantia huiusmodi pro tempore degentibus, ut omnibus et singulis privilegiis ... gaudere valeant, ... concedimus ac etiam indulgemus, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, III idus iulii, ... anno XIII.

698. Mandat, ut Lucam Valasco de Avo O. F. M., e domo Sanctarenen. egressum, absolvat a censuris et poenis eique concedat licentiam transeundi ad domum S. Crucis Colimbrien. O. S. Aug. ([2]).

1443, iulii 13, Senis.

Venerabili fratri episcopo Colimbrien.

Solet Sedis Apostolicae clementia *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Lucae Valasci de Avo, fratris ordinis fratrum Minorum, petitio continebat, quod olim ipso in quinto vel circa suae aetatis anno constituto, dum suus genitor eum ad domum Ulixbonen., ordinis dictorum fratrum, duxisset et inibi habitum novitiorum, ut moris est, assumi fecisset ipsumque illis reliquisset, praefatus Lucas denique cum quodam ipsius ordinis fratre, qui eum instruebat et docebat, ad domum Sanctarenen., ordinis fratrum eorumdem, Ulixbonen. dioec., se transtulit, cumque esset ibidem, quidam ipsius domus Sanctarenen. guardianus tunc exsistens eumdem Lucam ad hoc, ut habitum per fratres huiusmodi gestari solitum reciperet, sollicite induxit, et deinde idem Lucas, super eo tamen, quod habitum huiusmodi recipere ac regularem professionem per fratres praedictos emitti consuetam nullatenus emittere nec frater

([1]) Reg. Lat. t. 400, f. 120; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 134. De Nicolao de Tragurio cf. supra n. 598, p. 281.
([2]) Reg. Lat. t. 396, f. 218.

dicti ordinis censeri aut esse vellet, protestando domum Sanctarenen. praedictam illicentiatus exivit; postmodum vero eo ad redeundum Sanctarenen. huiusmodi per dictum guardianum compulso, licet se fratrem dicti ordinis aut alias religiosum nullo modo velle exsistere expresse diceret, tamen contra propriam suam voluntatem, etiam propterea flens et eiulans, dictam emisit professionem, per ipsum guardianum eam emittere ac etiam se, quamvis ad hoc legitimae non foret aetatis, ad subdiaconatus ordinem promoveri coactus, in domo Sanctarenen. et sub professione huiusmodi per quatuor annos vel circa permanendo, ac consequenter Lucas praefatus captata per eum opportunitate eamdem domum Sanctarenen., ubi se voto professionis, ut praefertur, adstrinxerat, habitu religiosorum per eum penitus relicto, etiam illicentiatus exiens, ad saeculum exstitit reversus, in quo per vigintisex annos permansit, prout permanet, excommunicationis sententiam ac alias censuras ... incurrendo. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefatus Lucas timeat se per guardianum et fratres dictae domus Sanctarenen. propter praemissa capi necnon diris carceribus mancipari et alias male tractari, et propterea ipse, qui de praemissis ab intimis dolet et Altissimo reconciliari disponit, de domo Sanctarenen. praedicta ad aliquam ordinis S. Augustini domum sive conventum transire et inibi sua Deo Patri vota persolvere propensius exoptet, pro parte dicti Lucae Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, volentes eumdem Lucam ... favore prosequi gratioso, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ipsum Lucam, si id humiliter petierit, a sententiis, poenis et censuris praedictis ac ab apostasiae nota, quas praemissarum occasione quomodolibet incurrit, auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas *etc.* ac sibi, quod de domo Sanctarenen. et ordine fratrum Minorum huiusmodi se transferre ac ad domum S. Crucis extra muros Colimbrien. dicti ordinis S. Augustini, si voluntarios inibi invenerit receptores, transire et ibidem remanere perpetuo valeat, licentiam concedas auctoritate memorata. Non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, III idus iulii, ... anno XIII.

699. Abbatibus monasteriorum S. Angeli de Gayga et S. Anastasii de Valle S. Anastasii ac S. Petri de Massa, Urbinaten., Feretran. et Callien. dioec., mandat, ut ecclesiam parochialem « plebes » alias « archipresbyteratus » nuncupatam S. Marini, terrae S. Marini Feretran., commendari curent Samperino Bartholi O. F. M., pro quo universitas et homines terrae praedictae, asserentes se nonnisi curae et regimini sacerdotis de ipsa terra oriundi in spiritualibus commode subesse posse nullumque presbyterum saecularem in eadem terra ad hoc idoneum exsistere, et nobilis vir Oddantonius, dux Urbinaten., supplicaverant (1).

1443, iulii 17, Senis.

Religionis zelus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XVI kal. augusti, ... anno XIII.

700. Praeposito ecclesiae S. Theclae Mediolanen. mandat, ut Damiano de Gropallo de Placentia, clerico Mediolanen., in 15 vel circa aetatis anno constituto, reservet canonicatum et praebendam ecclesiae Placentin., qui vacare sperantur ex eo, quod eorum possessor, Gaspar de Birago, canonicus Placentin., domum S. Mariae de Angelis extra muros Mediolanen. O. F. M. ingressus sit (2).

1443, iulii 17, Senis.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XVI kal. augusti, ... anno XIII.

701. Concedit licentiam transferendi certas pecunias, Franciscae Caroli Bandini, moniali antea O. S. Aug., postea monasterii S. Clarae extra muros Senen., O. S. Cl., relictas, a monasterio S. Iohannis Bapt. de Busseto ad praedictum monasterium S. Clarae (3).

1443, iulii 17, Senis.

Venerabili fratri episcopo Massan.

Sacrae religionis, sub qua dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii S. Clarae extra muros Senen., ordinis eiusdem sanctae *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte abbatissae et conventus praedictarum petitio continebat, quod, licet ipsae numero trigintatres et ultra communiter in praefato monasterio S. Clarae sub regulari observantia ac alias laudabiliter permaneant, tamen in earum vitae sustentatione et aliorum onerum supportatione propter exilitatem fructuum dicti sui monasterii incommoda plurima patiuntur et alias egestate non modica laborare noscuntur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dilecta in Christo filia Francisca Caroli Bandini nuper de monasterio S. Iohannis Baptistae de Busseto, alias de abbatia nova, Senen., ordinis S. Augustini, cuius tunc monialis ac dictum ordinem S. Augustini expresse professa exsistebat, ob frugem melioris vitae vigore aliarum Nostrarum litterarum ad monasterium S. Clarae praedictum se transtulerit ac in illius monialem et

(1) Reg. Lat. t. 389, f. 280.
(2) Reg. Lat. t. 399, f. 33 v.
(3) Reg. Lat. t. 406, f. 250 v. Cf. supra n. 675, p. 319.

sororem recepta fuerit et in eo sub illius regulari habitu de praesenti permaneat, ac alias praefatae exponentes provide considerent, quod, si una, videlicet viginti per genitorem, ac alia, videlicet vigintiquinque per fratrem ipsius Franciscae in eorum ultimis voluntatibus eidem Franciscae, dum ipsius monasterii S. Iohannis monialis professa etiam tunc exsisteret, successive relictae florenorum summae ac etiam pars bonorum dotalium genitricis praefatae Franciscae, summam septuaginta florenorum in eius valore non excedens, monasterio S. Iohannis ratione personae Franciscae huiusmodi debitae, quas dilecta filia abbatissa et conventus dicti monasterii S. Iohannis nondum exegisse seu percepisse aut habuisse noscuntur, praefato monasterio S. Clarae concederentur, ex hoc exponentes praedictae in earum necessitatibus pro tempore occurrentibus aliquod susciperent relevamen. Quare pro parte abbatissae et conventus monasterii S. Clarae huiusmodi, asserentium, quod monasterium S. Iohannis praedictum ultra decem et novem monialium numerum communiter non habet, quodque in facultatibus multo magis abundat ac onera sibi pro tempore incumbentia facilius supportare potest, quam ipsum monasterium S. Clarae, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si vocatis abbatissa et conventu monasterii S. Iohannis huiusmodi et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de praemissis legitime constiterit, viginti ac vigintiquinque florenorum summas necnon partem dotium, monasterio S. Iohannis ratione personae Franciscae huiusmodi debitas, ad praefatum monasterium S. Clarae transferre illasque illi perpetuo libere concedere atque donare auctoritate Nostra studeas et procures, ita quod abbatissa et conventus monasterii S. Clarae praefatae post translationem et concessionem praedictas summas florenorum ac partem dotium huiusmodi petere, exigere, percipere et in utilitatem earum ac praefati monasterii S. Clarae exponere et convertere libere et licite possint, quodque personas illas habentes vel tenentes eas praefatis exponentibus realiter, integre et cum effectu tradere et assignare teneantur et ad id cogi ac compelli valeant, etiam perinde in omnibus ac per omnia, ac si legatorum et obitus genitricis praefatorum temporibus praefata Francisca non S. Augustini, sed S. Clarae monasteriorum eorumdem monialis fuisset. Non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XVI kal. augusti, ... anno XIII.

702. Concedit facultatem fundandi monasterium O. S. Cl. in regno Aragoniae et in eo recipiendi moniales monasterii de Gandia, O. S. Cl., dioec. Valentin., cum iure patronatus et licentia ingrediendi clausuram [1].

1443, iulii 23, Senis.

Charissimae in Christo filiae Mariae, reginae Aragonum illustri.

Piis fidelium votis *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, licet monasterium monialium sive sororum de Gandia, ordinis S. Clarae, sub regulari observantia degentium, Valentin. dioec., olim, videlicet de tempore fel. rec. Martini papae V, praedecessoris Nostri, quod ex ipsius praedecessoris licentia ad petitionem et instantiam quondam Yolantis, abbatissae monasterii S. Clarae Valentin., ordinis eiusdem sanctae, pro usu et habitatione unius abbatissae et duodecim monialium sive sororum fundatum, erectum, constructum ac de bonis ipsius Yolantis abbatissae, quae etiam quondam ducis Gandiae filia exstiterat, notabiliter et sufficienter dotatum fuerit, et pro eisdem constructione, erectione et dotatione ac illius abbatissae et monialium pro tempore exsistentium sustentatione ipsa Yolans abbatissa eidem monasterio de Gandia summam trium millium solidorum monetae currentis in partibus illis supra locum et terminum villae de Caho dictae dioec., tunc ad eam ex illius patrimonio legitime pertinentis, pro praebenda sive portione monachali assignaverit, nihilominus tunc successu temporis accidit, quod dilecta in Christo filia abbatissa etiam S. Clarae villae de Xativa, ordinis sanctae et dioec. praedictarum, ipsius Yolantis neptis, quamdam quaestionis materiam super huiusmodi praebenda contra moniales dicti monasterii de Gandia movendo et per multa tempora litigando tertiam partem ipsius praebendae, videlicet mille solidos dictae monetae, sibi adiudicari obtinuit, ac quondam Elyonor de Prades, etiam dictae Yolantis abbatissae neptis, quamdam impositionem super residuo dictae praebendae, asserens illam sibi pertinere propter certam pecuniarum quantitatem, quam ipsam Yolantem abbatissam sibi debere praetendebat, fieri procuravit, ita quod huiusmodi altercatione durante inter partes ipsas iam sunt decem anni elapsi, quod abbatissa et moniales ipsius monasterii de Gandia nihil de sua praebenda recipere potuerunt nec summam trecentorum solidorum eiusdem monetae, quam pro eo, quod monasterium ipsum supra possessiones allodiarias fundatum et dotatum exstitit, quolibet

[1] Reg. Lat. t. 402, f. 146 v. De Yolanda cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1113, p. 382; n. 1138, p. 393; n. 1580, p. 596.

anno persolvere tenentur, exsolvere potuerunt, unde etiam pluries excommunicari debere comminatae fuerunt, etiam portas ipsius monasterii de Gandia removendo et sic praemissorum occasione aedificia et structurae eiusdem monasterii adeo debilia et deformata exsistunt, quod, nisi celeriter de remedio provideatur opportuno, de totali et ultima dispersione ac annihilatione abbatissae et monialium huiusmodi formidatur, cum etiam praedicta villa de Gandia propter mortalitates et alias calamitates varias, quae illam diutius afflixerunt, adeo depopulata fuerit, quod ex illius christifidelium habitatorum et incolarum eleemosynis abbatissa et moniales praedictae nullo modo sustentari possunt, et, sicut eadem petitio subiungebat, tu attendens, quod in tota provincia illarum partium aliquod aliud monasterium monialium sive sororum dicti ordinis de observantia, ad quem singularem devotionis geris affectum, fundatum non exsistit, quodque abbatissae et moniales ipsius monasterii de Gandia super praemissis quamplurima disturbia patiuntur, cupis super his de salubri remedio opportune provideri. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi in aliqua ex regnis et dominiis tuis unum monasterium monialium sive sororum dicti ordinis sub huiusmodi observantia et sub invocatione S. Honorati ad modum et instar observantiamque monasterii de Torredesillas eorumdem ordinis et observantiae, Palentin. dioec., pro usu et habitatione unius abbatissae et monialium sive sororum sub eadem observantia regulari degentium cum ecclesia, campana, campanili, coemeterio, claustro, domibus, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis de bonis a Deo tibi collatis aut inibi piis ad hoc specialiter faciendis fidelium largitionibus seu concessionibus proventuris in loco ad id apto et congruo erigendi, ... necnon abbatissae et monialibus ipsis monasterium fundandum huiusmodi pro praefatis usu et habitatione, quae ibidem conventualiter Domino famulentur, recipiendi et acceptandi licentiam, quodque tu, quoad vixeris, ipsius monasterii fundandi patrona sis et illius visitatorem ordinis fratrum Minorum, prout tibi visum fuerit, qui etiam pro prima vice in eodem monasterio abbatissam, quam volueris, instituendi potestatem habeat, eligere posses, concedere et alias super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... tibi aliud monasterium praedictum cum ecclesia ... et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione supradictis in loco congruo huiusmodi erigendi ... et visitatorem cum potestate huiusmodi eligendi necnon abbatissae instituendae et quibuscumque dicti de Gandia ac quorumcumque aliorum eiusdem ordinis, non tamen de observantia, illarum partium monasteriorum ad id benevolis monialibus sive sororibus sui superioris licentia petita licet non obtenta, etiam ipsi abbatissae monasterii de Gandia, ad monasterium fundandum huiusmodi cum omnibus bonis suis se transferendi, accedendi et illud, quod ibidem conventualiter Domino famulentur, recipiendi, acceptandi et in eo remanendi tibique, ut pro tua devotione cum duabus matronis honestis et alia condecenti familia dictum monasterium fundandum intrare ac in illo condecenti externo loco ei contiguo aut in eius claustro comedere et pernoctare, quamdiu et quotienscumque tibi placuerit, possis tuque ipsius fundandi monasterii, quoad vixeris, patrona sis. Et si forsan fundationem huiusmodi monasterii non feceris, aliquam domum eiusdem ordinis de observantia in tuis dominiis huiusmodi consistentem cum illius iuribus, bonis et pertinentiis universis eligere et assumere illamque ad modum et observantiam dicti monasterii de Torredesillas per visitatorem per te etiam ad hoc eligendum instituere et ordinare valeas, necnon ad eam abbatissa et moniales tunc exsistentes monasterii de Gandia huiusmodi cum omnibus suis bonis, iuribus et pertinentiis et debitis praedictis tranferri et inibi remanere possint libere et licite, tu quoque domum ipsam cum matronis et societate praedictis intrare ac in ea comedere et pernoctare, ut praefertur, valeas, auctoritate apostolica concedimus per praesentes et insuper universis et singulis abbatissis et monialibus, quas in monasterio vel domo fundandis seu transferendis huiusmodi pro tempore residere sive degere contigerit, ut omnibus et singulis exemptionibus, privilegiis ... praefato monasterio de Torredesillas ... quomodolibet concessis perpetuo uti et gaudere libere et licite valeant, eadem auctoritate indulgemus. Non obstantibus *etc.*, iure *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, X kal. augusti, ... anno XIII.

703. Commendat Petrum de Corduba O. F. M. [1].

1443, Iulii 24, Senis.

Regi Aragonum.

Charissime in Christo fili etc. Ad praesentiam Nostram dudum accessit dilectus filius Petrus de Corduba, frater ordinis Minorum, ac Nobis de tua optima dispositione et voluntate circa expeditionem maritimam, quam adversus

[1] Reg. Vat. t. 367, f. 154 v.

Teucros paramus, aliqua enarravit. Itaque eumdem Petrum ad serenitatem tuam pro nonnullis circa eamdem materiam emergentibus et necessariis negotiis destinamus. Circa quae eidem commisimus aliqua tuae celsitudini referenda, de quibus impertiri velis eidem plenam fidem.

Datum Senis, XXIV iulii, ... anno XIII.

704. Andream de Duratio, O. F. M., instituit episcopum Signien (Zengg in Croatia) (1).

1443, iulii 24, Senis.

Dilecto filio Andreae de Duracio, electo Siginen.

Apostolatus officium *etc.* Sane ecclesia Siginen. ex eo pastoris solatio destituta, quod Nos hodie venerabilem fratrem Nostrum Nicolaum, olim episcopum Siginen., in episcopum Arben. electum, licet absentem, a vinculo, quo eidem Siginen. ecclesiae, cui tunc praeerat, tenebatur, ... absolventes, eum ad dictam ecclesiam Arben. duximus auctoritate apostolica transferendum, praeficiendo ipsum illi in episcopum et pastorem, Nos ad provisionem eiusdem Siginen. ecclesiae *etc.* demum ad te, ordinem fratrum Minorum expresse professum, in theologia magistrum et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* de persona tua ... eidem ecclesiae Siginen. ... providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* In illo *etc.* Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, IX kal. augusti, ... anno XIII.

Simili modo eadem die scribit: *Capitulo ecclesiae Signien.; Clero civitatis et dioec. Signien.; Populo civitatis et dioec. Signien.; Archiepiscopo Spalaten.* (Ad cumulum).

705. Confirmat litteras ministri generalis O. F. M., quibus instituuntur vicarii generales pro fratribus de observantia (2).

1443, augusti 1, Senis.

Ad futuram rei memoriam.

Fratrum ordinis Minorum in vinea Domini *etc.* (3). Sane pridem ex Nostra dispositione dilectus filius Antonius de Rusconibus, sacrae theologiae professor et generalis minister ipsius ordinis, ex certis ac rationabilibus causis animum Nostrum suumque moventibus dilectos filios Iohannem de Capistrano domorum, locorum et conventuum citramontanarum, necnon Iohannem de Mauberto, eiusdem ordinis professores, domorum, locorum et conventuum omnium et singulorum ultramontanarum partium dicti ordinis sub sacro observantiae nomine constitutarum vicarios generales fecit, constituit et deputavit, prout in litteris praefati generalis ministri plenius continetur, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

In Christo sibi charissimo fratri Iohanni de Capistrano, ordinis Minorum provinciae Pennensis, frater Antonius de Rusconibus, sacrae theologiae magister ac totius eiusdem ordinis fratrum Minorum generalis minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Cum pridem, V videlicet idus iulii, sanctissimus Dominus noster Eugenius papa IV, de salute et conservatione fratrum in debita obedientia ac regulari, quam voverunt, observantia considerans, mihi, cum mandare posset, sua benignitate suaserit assistentibus sibi reverendissimis patribus S. Romanae ecclesiae cardinalibus, videlicet Tarentino, Cumano, Morinen. et Fermano (4), necnon reverendo patre Domino Iohanne Siculo, abbate S. Pauli de Urbe, et quamplurimis reverendis ministris ac venerabilibus sacrae theologiae magistris et aliis probatissimis fratribus dicti ordinis, quatenus considerata multitudine fratrum et diversitate vitae pro bono regimine et gubernatione ac manutenentia et augmento omnium et singulorum praesentium et futurorum in conventibus, domibus vel locis devotis eiusdem ordinis, qui de observantia nuncupantur, praesertim in partibus cismontanis commorantium, vicarium unum generalem instituerem cum plenaria facultate et auctoritate in omnibus provinciis citramontanis, ad quam generalatus officii, cui indignus praefectus sum, auctoritas se extendit, et ad te nomine proprio expresso oculum mentis suae direxerit, hinc

(1) Reg. Lat. t. 398, f. 194 v. Eidem litteris *Cum Nos nuper* d. d. 26 iulii 1443 concedit facultatem recipiendi munus benedictionis a quocumque maluerit catholico antistite.

(2) Reg. Vat. t. 367, f. 276; Wadd. *Ann.* ad a. 1443, n. 7, « ex autographo ». Aliam bullam eiusdem tenoris eadem die dedit fratribus observantiae in partibus ultramontanis mutato nomine *Iohannis de Capistrano* in *Iohannem de Mauberto*. In hac altera bulla litterae ministri generalis inscribuntur: *In Christo sibi charissimo fratri Iohanni de Mauberto, ordinis Minorum, provinciae Franciae* etc. Reg. Vat. t. 367, f. 278.

(3) Eadem arenga, quae supra n. 385, p. 177.

(4) Sunt Iohannes de Tagliacotio, tit. SS. Nerei et Achillei, Gerardus Landrianus, tit. S. Mariae trans Tiberim, Iohannes Iuvenis, tit. S. Laurentii in Lucina presbyteri cardinales, et Dominicus de Capranica, tit. S. Mariae in via lata diaconus cardinalis.

est, quod ego, ut teneor, suasionem huiusmodi et aliam omnem suae sanctitatis pro mandato accipiens cupiensque mandatis apostolicis obedire, ac etiam inspecta tuae vitae sinceritate, morum gravitate, sufficientia multa, prudentia circumspecta, discretione praecipua, ferventi charitate ad bonam ordinis reformationem, in commissis fidelitate, in exsequendis promptitudine, in regendis ac ad meliorem frugem reducendis fratribus aptitudine, tua denique multiplici probitate, quibus omnibus te insigniter decoravit Altissimus, nihilominus confisus in Domino, communicato etiam consilio cum plerisque ministris ac sacrae paginae professoribus et aliis probis nostri ordinis fratribus, qui reverenter hoc sanctum sanctissimi Domini nostri propositum laudaverunt et institutioni de te fiendae consensum praebuerunt, te meum vicarium generalem in omnibus et singulis provinciis ac vicariis et eorum conventibus ac locis partium citramontanarum super omnes fratres de observantia nuncupatos praesentes et futuros usque ad proximum capitulum generale instituo et institutum denuntio per praesentes, committens tibi plenarie vices meas et dans tibi liberam auctoritatem et potestatem ac omnimodam facultatem meam super omnes et singulos dictos fratres in praefatis citramontanis partibus commoraturos tam in capitibus quam in membris visitandi publice et privatim, vocandi, citandi, inquirendi, examinandi, procedendi, iudicandi, amovendi, terminandi, decidendi, sententiandi, approbandi, reprobandi, corrigendi, arctandi, detinendi, puniendi, carcerandi et a carceribus liberandi, ad actus legitimos restituendi, fratres provinciarum et vicariarum huiusmodi collocandi et commutandi, expellendi et revocandi, fratres de ultramontanis partibus cum bona licentia venientes recipiendi, apostatas omnes ad ordinem redire volentes cum poenitentia, quae tibi videbitur, iniungenda reducendi et acceptandi, fratres conventuales, dummodo suis ministris non sint rebelles et ab eis licentiam petierint ac poenitentiam non effugiant delictorum, veraciter cupientes ad meliorem frugem se transferre et vivere regulariter, recipiendi, officiales et praelatos quoslibet tibi subiectos, cum opus fuerit aut casus exegerit, privandi, absolvendi, deponendi et restituendi vel alios loco eorum, si tibi videatur, instituendi, de consensu tamen fratrum eorumdem locorum, in quibus huiusmodi officiales aut praelati exsistunt, vel saltem maioris partis eorumdem, fratres, conventus, domos et loca praedicta praesentia pariter et futura tibi subiecta informandi et reformandi, absque socio vel licentia de ultramontanis partibus venientes puniendi, et quos noveris habiles et idoneos, etiam ad sacros ordines usque ad sacerdotium inclusive promoveri faciendi, ad confessionis et praedicationis officia promovendi et promotos, si tibi videbitur, privandi vel suspendendi, omnes et singulos fratres huiusmodi ab omnibus peccatis suis, poenis spiritualibus vel temporalibus, excommunicationibus, suspensionibus, transgressionibus regulae et statutorum, casibus, irregularitatibus et censuris mihi commissis vel reservatis libere absolvendi, liberandi et dispensandi, quotiens opus fuerit, te quoque ab huiusmodi absolvi, liberari et dispensari faciendi etiam, quotiens tibi videbitur oportere, ad omnes provincias et vicarias ordinis similiter, quotiens et quando tibi visum fuerit, et ad meam praesentiam ac Romanam curiam accedendi et mittendi, fugientes a saeculo ac quoscumque volentes Deo in nostro ordine deservire tam pro laicis quam pro clericis ad habitum et professionem nostrae religionis recipiendi, gratias a me concessas eiusdem fratribus vel imposterum concedendas, si tales, quod absit, inadvertenter concessisse aut imposterum concedere contigerit, per quas ab observantia regulari distraherentur fratres huiusmodi, aut quae scandalum in regimine tibi commisso parerent, haberi volo pro infectis, contradictores insuper quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris et dicti ordinis remedia etiam per invocationem brachii ecclesiastici vel saecularis, si opus fuerit, compescendi, congregationes in provinciis et vicariis omnibus tibi subiectis sive pro electione vicariorum sive pro aliis utilibus negotiis et occurrentiis opportunis faciendi sive fieri faciendi, petita tamen licentia a ministro illius provinciae, in qua huiusmodi congregationem fieri contigerit, ipsam celebrandi et faciendi, quotiens per vicarium ipsius ministri eamdem fieri contigerit, proviso, quod vicarii electi a fratribus provinciarum vel vicariarum seu pro tempore eligendi praesententur ministris eorumdem, qui ministri infra triduum teneantur eosdem confirmare, ac etiam quod guardiani, quotiens eosdem ab ipsis fratribus eligi contigerit, more consueto ministris provinciarum praesententur et in tabula definitionis capitulorum describantur, congregationem insuper generalem omnium provinciarum vel vicariarum tibi, ut praemittitur, subiectarum in loco convenienti, quotiens tibi tuo durante officio visum fuerit opportunum, de licentia tamen mei, qui ex nunc me ad hoc tibi propitium et favorabilem exhibeo, aut alterius ministri generalis, si quem huiusmodi tempore fieri contigerit, congregandi et faciendi et generaliter specialiterque omnia alia et singula in spiritualibus et temporalibus circa conventus, fratres et loca huiusmodi faciendi, ge-

rendi, exercendi, ordinandi, disponendi, administrandi et statuendi, quae ego ipse facere possem, si personaliter interessem, quae omnia praesentibus haberi volo pro sufficienter expressis et declaratis, easdem insuper auctoritates et gratias, potestates ac facultates per me tibi concessas vel earum partem aliis fratribus, quos ad hoc iudicaveris idoneos, super quo tuam onero conscientiam, committendi et concedendi necnon per ipsos tuos commissarios committi et concedi, cum tibi videbitur opportunum, mandans propterea omnibus et singulis fratribus in praefatis citramontanis partibus commorantibus et commoraturis, praelatis et subditis ad meritum obedientiae salutaris in virtute Spiritus Sancti, quatenus omni appellatione postposita, quam nullo modo facere liceat, toto tempore dicti tui vicariatus officii tibi tamquam personae meae in omnibus et per omnia firmissime et humiliter pareant et intendant. Et nullo colore vel causa quaesitis possint ipsi fratres ad poenam excommunicationis et carceris ac privationis officiorum et omnium actuum legitimorum latae sententiae, ad subterfugiendam correctionem, examinationem, reformationem et tuam sive vicariorum tibi subditorum obedientiam ad conventus et loca tuae curae non commissa aufugere, neque si iam aufugere vel deinceps aufugere contingeret, ministri, custodes, guardiani seu quicumque alii fratres tibi non subditi, cuiuscumque conditionis, gradus et dignitatis exsisterent, privationis officii sui et excommunicationis latae sententiae et privationis omnium actuum legitimorum audeant illos recipere aut forte receptos vel in posterum, quod absit, recipiendos retinere contra tuum velle vel vicariorum tibi, ut praemittitur, subiectorum. Nolens propterea, quod aliquis me inferior etiam quacumque dignitate et auctoritate praefulgeat, de cura, regimine ac gubernatione omnium fratrum tibi, ut praemittitur, in cismontanis partibus subditorum durante tempore praefati vicariatus tui aliquo se quomodolibet impedire, aut te aut quibus commiseris inquietare seu quovismodo molestare praesumat sub poenis et sententiis praelibatis, reservata tamen mihi potestate te et alios vicarios et subditos, quotiens casus exegerit et opportunum videbitur, personaliter dumtaxat visitandi, corrigendi, puniendi et alia faciendi, quae circa huiusmodi videbuntur opportuna, salvo, quod contra te nonnisi de consensu vicariorum ad aliquam poenam saltem gravem procedere intendo, contra alios autem nonnisi de consensu fratrum locorum, quibus eos praeesse contigerit, vel maioris partis eorumdem. Non intendo tamen per concessionem huiusmodi, quod tu aut fratres praefati de observantia nuncupati loca conventualium possis seu possint recipere. Tu vero tam diligenter, tam provide et sollicite ac invigilanter studeas praefatum vicariatus officium exercere, ut praeter aeternae vitae praemia valeas apud Sedem Apostolicam, me et totum ordinem merito commendari. Vale in Domino Iesu et ora pro me.

Datum Senis, die XIII mensis iulii, anno Domini 1443.

Nos igitur salubrem, necessariam et plurimum fructuosam ipsi ordini et observantiae regulari dispositionem a praefato generali ministro de dicto Iohanne de Capistrano factam attendentes ac ipsam apostolicis favoribus et praesidiis stabilire cupientes, vicariatus huiusmodi constitutionem et deputationem de praedicto Iohanne de Capistrano factam, ut praemittitur, motu proprio, non ad ipsius Iohannis vel alterius pro eo Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate et ex certa scientia, supplendo omnes et singulos defectus, si qui intervenerint in eisdem, auctoritate apostolica confirmamus et approbamus ac praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, kalendis augusti, ... anno XIII.

706. Concedit licentiam fundandi 3 domos O. F. M. de observ. in civitate Ilerden. (Lerida) et oppidis de Belegher (Balaguer) et de Villafranca, Urgellen. et Barchinonen. dioec. [1].

1443, augusti 9, Senis.

Dilecto filio Francisco de Boscho, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum professori.

Inter ecclesiasticos ordines *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, saepe contingat nonnullos christifideles ex devotione, quam ad dictum ordinem habent, maxime in provincia Aragoniae, tuis sermonibus allici ad terrena in coelestia commutandum, qui pro ipsorum maiorumque suorum salute animarum loca quaedam pro usu et habitatione fratrum eiusdem ordinis Minorum fundarent, construerent et aedificarent vel fundata, constructa et aedificata concederent, si ad id Sedis Apostolicae suffragaretur auctoritas. Et, sicut eadem petitio subiungebat, si tria loca pro usu et habitatione huiusmodi fundandi ... aut

[1] Reg. Lat. t. 400, f. 8; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 135.

fundata ... recipiendi a Sede praedicta facultatem haberes, videlicet in civitate Ilerden. et oppidis de Belegher et de Villafrancha, Urgellen. et Barchinonem. dioec., profecto plurimorum animas Deo lucrifacere posse speras. Nos igitur ... tibi necnon pro tempore exsistenti vicario eiusdem provinciae iuxta morem dictorum fratrum Minorum tria loca in civitate et oppidis antedictis cum ecclesiis, campanilibus ... et aliis necessariis officinis, si tibi aut illi alias canonice consignentur, vel in locis ad id congruentibus et honestis vobis per eosdem christifideles forsitan assignandis domibus, ecclesiis cum campanilibus ... et necessariis officinis huiusmodi fundari ... faciendi ac recipiendi et perpetuo retinendi, dioecesano locorum, in quibus huiusmodi loca fuerint, aut eiusdem ordinis superiorum licentia minime requisita eadem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et insuper universis et singulis dicti ordinis fratribus, quos in locis huiusmodi pro tempore residere contigerit, ut omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis *etc.*, iure tamen *etc.* non obstantibus quibuscumque.

Datum Senis, anno ... 1443, V idus augusti, ... anno XIII.

707. Cassat revocationem quarumdam concessionum fratribus O. F. M. de observantia factarum (1).

1443, augusti 12, Senis.

Dilectis filiis Iohanni de Capistrano, citramontanarum, et Iohanni de Mauberto, ultramontanarum partium per generalem ministrum ordinis Minorum ex Nostra institutione super fratres, qui de observantia nuncupantur, vicariis deputatis.

Tanta est Nostra ad ordinem vestrum affectio, ut omnia attente prospiciamus et libenter faciamus, quae ipsius conservationi, augmento et paci conducere intelligimus. Cum itaque de anno praeterito XIII kal. augusti in Nostris litteris (2) creationis dilecti filii Alberti de Sartiano in vicarium generalem ordinis Minorum per Nos factae bono respectu et ad finem pacis unionisque inter fratres eiusdem ordinis servandae dixerimus revocasse omnes litteras apostolicas, quarum tenorem prius concesseramus, vel praedecessores Nostri concesserant fratribus dicti ordinis, qui devoti vel de observantia nuncupantur, ut nova loca capere possent, vel quae a generali ministro exemptionem aliquam concernebant, atque etiam praedictarum litterarum apostolicarum revocationem fecerimus, ac postmodum Nobis constiterit dictam revocationem ipsi ordini non solum inutilem esse, sed etiam praeiudicium non modicum afferre, Nos, litteras revocationis huiusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium cassantes et annullantes, devotioni vestrae, in quorum modestia Nobis nota plurimum in Domino confidimus, concedendi dictis fratribus vestrae curae commissis, prout Nos etiam tenore et auctoritate praefatis de novo concedimus, ut litteris apostolicis praedictis perinde utantur, ac si nulla fuisset facta revocatio, plenariam eisdem tenore et auctoritate facultatem elargimur; ab obedientia tamen vestra quemquam eximere non intendimus ex praedictis. Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, pridie idus augusti, ... anno XIII.

708. Andreae Andreae O. F. M. concedit ad cautelam absolutionem a censuris et irregularitate (3).

1443, augusti 21, Senis.

Dilecto filio Andreae Andreae, ordinis fratrum Minorum professori.

Sedes apostolica pia mater *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim, dum quidam Andreas Olavi, ordinis fratrum Minorum professor, nonnulla enormia perpetrasset, propter quae iuxta ordinationes et statuta ipsius ordinis merito puniendus erat, ac propterea per guardianum domus Arbucen. (4) dicti ordinis tunc exsistentem personaliter detentus fuisset, ipseque guardianus praefatum Andream tunc ministro ipsius ordinis in partibus illis deputato, ut ipsum iuxta ordinationes et statuta huiusmodi puniret, destinare decrevisset, tu una cum quodam alio fratre ad sociandum dictum Andream per ipsum guardianum deputatus fuisti, cumque idem Andreas in itinere, somno aut potu fatigatus, ex equo cecidit, ulteriusque pergere nolens, idem tunc guardianus tibi vivae vocis oraculo mandavit, ut praefatum Andream verberibus mulctares, tuque tamquam filius obedientiae mandatis huiusmodi parere non recusans, eumdem Andream ulterius, ut praemittitur, procedere recusantem cum quodam baculo tribus ictibus percussisti et deinde, cum idem Andreas animo indurato ulterius progredi nequaquam vellet, tu ipsum viceguardiano eiusdem domus, ut eum carceribus manciparet,

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 279; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 136 «ex ipso autographo».

(2) Vide supra n. 606, p. 284. Cf. etiam n. 608, p. 287.

(3) Reg. Lat. t. 406, f. 249 v.

(4) Arbu, hodie Arboga in Suecia, ad provinciam Daniae pertinebat.

de mandato praefati guardiani personaliter consignasti, qui quidem viceguardianus provide considerans, quod idem Andreas cum quadam muliere antea repertus ac verberibus afflictus necnon ob id etiam ipsi guardiano turpiter praesentatus fuerat, eumdem Andream diris carceribus mancipavit, ex quibus infra triduum quasi semimortuus extractus fuit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Andreas tum propter intensissima frigora in eisdem carceribus, in quibus caputio et linea tunica dumtaxat coopertus, propria temeritate morabatur, vigentia, tum equi praecipitatione, tum etiam verberibus huiusmodi fatigatus, infra diem post egressum carceris huiusmodi fuerit ab hac luce subtractus, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, attendentes, quod bonarum est mentium timere culpam, ubi culpa non est, ... te, dummodo alias, quam ut praemittitur, in morte ipsius Andreae culpabilis non fueris, ad abundantem cautelam a quibuscumque ... ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis ... absolvimus omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam ... totaliter abolemus teque in eum statum, in quo ante praemissa eras, restituimus et reponimus necnon tecum super irregularitate ... praefata auctoritate dispensamus, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, XII kal. septembris, ... anno XIII.

709. Mandat, ut Gundisalvum de Bragantinos O. F. M. absolvat a censuris et irregularitate eique concedat licentiam transeundi ad monasterium de Dorevallo O. S. Trin. (1).

1443, augusti 23, Senis.

Venerabili fratri episcopo Lucerin.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Gundisalvi de Bragantinos, ordinis fratrum Minorum professoris, petitio continebat, quod, cum olim ipse, tunc infra puberes annos constitutus, extra provinciam Compostellan., ex qua originem traxit, ad regnum Portugalliae cum quodam avunculo suo transivisset, dictus avunculus, qui praefatum Gundisalvum, si a gravi, qua antea obtinebatur, infirmitate liberaretur, per certum tunc expressum tempus in ordine dictorum fratrum ponere voto promiserat, cupiens votum suum adimplere, ipsum Gundisalvum, a dicta infirmitate liberatum, in domo de Porto dicti ordinis, Portugalen. dioec., collocavit et, cum praefatus Gundisalvus habitu novitiorum praefati ordinis indutus et per fratres ipsius domus ad aliam eiusdem ordinis longe distantem et amoenum et fructiferum, ad quem nulli nisi fratribus ordinem praedictum professis patebat ingressus, hortum habentem, translatus fuisset, non Dei servitii causa, sed ut hortum huiusmodi intrare et ex fructibus inibi excrescentibus comedere ac ad comedendum cum professis in mensa sedere ac grammaticam, quae in dicta domo, ut illius fratres dicebant, iuxta constitutiones eorumdem fratribus tantum professis legebatur, discere posset, allectus, nullo dicti avunculi habito seu exspectato consilio vel assensu infra praefatos annos ordinem ipsum expresse professus fuit et illius professorum habitum assumpsit. Postmodum vero, cum ad domum de Porto praedictam remissus fuisset, ac praefatus avunculus propter huiusmodi professionem contra eosdem fratres plurimum reclamaret, habitu praefato per eum dimisso ad saeculum rediit, litterarum studiis insistendo, ac post longum tempus abinde decursum, priorum cursuum suorum rememorans, se praefato ordini per praemissa obligatum fore et ex habitus dimissione huiusmodi excommunicationis sententias incurrisse, conscientiae scrupulo ductus, in loco, in quo tunc extra provinciam, in qua professionem emiserat, degebat, praedictum habitum reassumpsit, et postquam in eo, nulla tamen alia per eum praemissa professione, per annum et ultra permanserat, ad omnes etiam sacros ordines se promoveri faciendo, ac fel. rec. Martinus papa V, praedecessor Noster, per litteras suas sententiam excommunicationis in quoscumque fratres de quocumque ordine mendicantium, qui ad quemvis ordinem monasticum Cartusien. ordine dumtaxat excepto etiam apostolica vel alia quavis auctoritate se transferrent (2), protulerat, asperitatem regularis observantiae eiusdem ordinis sufferre non valens, eius abiecto habitu iterum ad saeculum rediit et tandem ad cor reversus, iudicans propter habitus reassumptionem et, quam in ordine huiusmodi fecerat, moram religioni saltem in genere obligatum fore, nulla per eum Sedis praedictae et superioris sui super hoc obtenta licentia de dicto ordine ad monasterium de Dorevallo (3), ordinis S. Trinitatis, Abulen. dioec., in quo voluntarios receptores repperit, transivit et in canonicum et fratrem receptus, eius institutis regularibus se conformavit laudabiliterque ex tunc inibi exstitit conversatus. Quare

(1) Reg. Lat. t. 406, f. 216.

(2) Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1389, p. 509.

(3) Alias Arevalo; cf. n. 167, p. 84 et n. 619, p. 293.

pro parte dicti Gundisalvi ... Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae, ... quatenus eumdem Gundisalvum ... ab apostasiae nota ac sententiis, censuris et poenis praefatis ... absolvas *etc.*, necnon sibi, quod in praefato monasterio sub illius regulari habitu in observantia saltem trium substantialium regulae, quoad vixerit, remanere libere et licite valeat, dicta auctoritate concedas, non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, X kal. septembris, ... anno XIII.

710. Mandat, ut Iohannam de la Heurre, monialem monasterii S. Catharinae de Pruvino (Provins), Senonen. dioec., O. S. Cl., monasterio B. Mariae de Bricourt, Trecen. dioec., O. S. Ben., praeficiat in abbatissam (1).

1443, augusti 23, Senis.

Dilecto filio officiali Senonen.

Inter multiplices curas *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, monasterium B. Mariae de Bricourt, ordinis S. Benedicti, Trecen. dioec., cui quondam Maria, illius abbatissa, dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Mariae, quae extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad praesens, Nos, cupientes eidem monasterio, quod, ut etiam accepimus, licet dudum per praedecessores dilecti filii Ludovici, comitis Iognyaci, fundatum et sufficienter dotatum exstiterit, tamen causantibus guerris et mortalitatum pestibus aliisque sinistris eventibus, qui partes illas plurimum afflixerunt, ipsius monasterii fructus, redditus et proventus plurimum diminuti exsistunt, et dictum monasterium, quod libris et ornamentis ecclesiasticis necnon rebus aliis caret, et in quo nulla monialis residet de praesenti, in suis structuris et aedificiis ruinae subiacet, salubriter provideri ac de meritis et idoneitate dilectae in Christo filiae Iohannae de la Heurre, monialis monasterii S. Catharinae prope Pruvino, ordinis S. Clarae, Senonen. dioec., apud Nos de religionis zelo ... commendatae, certam notitiam non habentes, discretioni tuae ... mandamus, quatenus de huiusmodi meritis et idoneitate ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ipsam Iohannam ad regimen et gubernationem ipsius monasterii B. Mariae utilem et idoneam esse reppereris, ... de persona ipsius Iohannae praefato monasterio B. Mariae, cuius fructus ... sexaginta librarum Turonen. parvorum ... valorem annuum ... non excedunt, ... provideas ipsamque illi in abbatissam praeficias, curam *etc.* Volumus autem, quod dicta Iohanna ex tunc illum gestet habitum, qui in dicto monasterio B. Mariae geritur et habetur, illiusque institutis regularibus se conformet, quodque *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, X kal. septembris, ... anno XIII.

711. Episcopo Gurcen., abbati monasterii S. Lamberti ac decano ecclesiae Utinen., Salzeburgen. et Aquileien. dioec., mandat, ut ecclesiam parochialem, *Plebem* (Pieve) nuncupatam, S. Zenonis in capellis, Aquileien. dioec., in partibus Alamanniae sive Carintiae consistentem, quae olim ecclesiae S. Mariae Civitatis Austriae, Aquileien. dioec., unita erat, sub ea conditione, ut altera medietas fructuum abbatissae et conventui monasterii Celle de Civitate Austriae (Cividale), O. S. Cl., annis singulis solveretur, uniant monasterio de Victoria, O. Cisterc., Salzeburgen. dioec. (2).

1443, augusti 23, Senis.

Pastoralis officii debitum *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, X kal. septembris, ... anno XIII.

712. Confirmat pactum inter Dominicum Bartholomaei, rectorem ecclesiae parochialis S. Donati, Senen., et Iohannem Thomassi, alias Delminella, III O. S. Fr., initum de oratorio pro usu societatis puerorum innocentium nuncupatae (3).

1443, augusti 23, Senis.

Ad futuram rei memoriam.

Sedis Apostolicae copiosa benignitas *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum Dominici Bartholomaei, rectoris parochialis ecclesiae S. Donati, et Iohannis Thomasii, alias Delminella, tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati professoris, custodis puerorum de societate innocentium nuncupatorum, Senen., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod nuper ipse Dominicus Bartholomaei, attente considerans, quod pueri dictae societatis in civitate Senen. certis annuis diebus pro quibusdam divinis laudibus decantandis et aliis piis operibus exercendis congregari soliti, ad exsequendum praemissa aliquem aptum et idoneum locum in praefata civitate non haberent, ut pueri societatis huiusmodi praesentes et futuri eo liberius et commodius operibus praedictis insisterent aliosque pueros ad virtutum semitam trahere possent per exempla, certum locum oratorii, situm iuxta tribunam dictae ecclesiae, in quo olim sacristia ipsius ecclesiae esse consueverat, ad id vene-

(1) Reg. Lat. t. 398, f. 252 v. (2) Reg. Lat. t. 400, f. 16. (3) Reg. Lat. t. 400, f. 134.

rabilis fratris Nostri Caroli, episcopi Senen., accedente consensu eisdem pueris pro ipsorum usu perpetuo dedit et concessit sub certis pactis et conditionibus ac modis et formis, prout in instrumento publico superinde confecto, cuius tenorem inferius de verbo ad verbum inseri fecimus, latius continetur. Quare pro parte eorumdem Dominici et Iohannis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... dationem et concessionem praedictas ac omnia et singula in dicto instrumento contenta et inde secuta rata et grata habentes, ea omnia apostolica auctoritate et ex certa scientia approbamus et confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.* Tenor vero dicti instrumenti sequitur et est talis:

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Anno ab ipsius Domini salutifera incarnatione 1443, indictione sexta secundum usum, stylum et consuetudinem nostrae civitatis Senarum, die vero XVII mensis augusti, tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini Domini nostri papae divina providentia Eugenii IV, Senis praesentialiter et cum sua Romana curia residentis, regnante serenissimo principe et domino Domino Federico, divina favente clementia rege Romanorum semper Augusto, ut Senis communiter habetur. Universis et singulis huius instrumenti seriem publicam inspecturis evidenter appareat, quod venerabilis vir Ser Dominicus, olim Bartholomaei, presbyter et rector parochialis ecclesiae S. Donati de Senis, dicto rectorio nomine faciens haec omnia et singula infrascripta de voluntate et licentia reverendi in Christo patris et domini Domini Karoli, Dei et Apostolicae Sedis gratia dignissimi Senen. episcopi, suam auctoritatem interponentis, respectu, ut asserit, sanctissimi Domini nostri papae divina providentia Eugenii IV, de qua licentia et auctoritate patet manu mei notarii infrascripti ex una parte, et devotissimus, expertissimus et probatissimus vir frater Iohannes, olim Tommassi, alias del Minella de Senis, tertii ordinis S. Francisci, custos devotissimi oratorii seu societatis puerorum nuncupatae innocentium, sitae et aedificatae et de novo institutae per sanctissimum in Christo patrem et dominum Dominum nostrum papam divina providentia Eugenium IV in dicta ecclesia S. Donati, ut asseritur, ex altera parte, dictae partes communiter et concorditer convenerunt, contraxerunt et firmaverunt dictis nominibus pacta et capitula infrascripta sub infrascripto verborum tenore, videlicet primo, quod dictus Ser Dominicus dicto rectorio nomine cum consensu dicti domini episcopi ... dat et concedit plenam licentiam dicto fratri Iohanni, custodi puerorum praedictorum praesentium et futurorum, certum locum oratorii situm iuxta tribunam dictae ecclesiae, qui quidem locus olim fuit sacristia dictae ecclesiae, infra suos confines *etc.*, hoc est usum tantum dicti oratorii *etc.*

Item, quod supradictum oratorium sit et esse intelligatur imperpetuum ad usum dictorum puerorum tam praesentium, quam futurorum.

Item, quod ianuam dictae ecclesiae S. Donati possint dicti pueri aperire et intrare eam et exire, totiens et quotiens eis videbitur et placebit, de die solum et dumtaxat et non aliter vel alio modo, et de dicta ianua dictae ecclesiae penes eos retinere et habere unam clavim, semper intellecto, quod de nocte non possint ullo modo sine voluntate dicti Ser Dominici introire.

Item, quod, si suprascripti pueri vel alter pro eis vellent crescere dictum oratorium in longitudine sui versus turrim de Salimbenis, communis Senarum, possit et eis liceat ad omnem eorum voluntatem hoc expresse intellecto, quod semper remaneat et remanere debeat anditus et transitus necessarius et condecens ad coemeterium dictae ecclesiae.

Item, quod, si supradicti pueri vel alter alius pro eis vellet seu vellent crescere dictum oratorium per latitudinem, etiam eis liceat et possint ad omnem eorum voluntatem, remanendo semper anditus et transitus ad certum horticellum dictae ecclesiae ac ad dictum coemeterium, ut supra.

Item, quod usus dicti horticelli tantum sit dictorum puerorum, videlicet, quod eis liceat ire et stare, prout eis videbitur et placebit, pro recreatione ipsorum, proprietas autem et fructus dicti horticelli sit et esse intelligatur semper dictae ecclesiae et rectoris eiusdem.

Item, quod pueri praedicti teneantur et obligati sint quolibet anno in festo S. Donati dare et offerre super altare dictae ecclesiae duos cereos cum floribus cerae et hoc imperpetuo quolibet anno in dicto festo, dum dicta societas durabit et stabit in dicto loco, qui quidem census puerorum praedictorum et, qui pro tempore erunt, praesentium et futurorum incipere debeat dari et offerri nomine census et offeratur in festo S. Donati proxime venturo.

Item, quod omne aedificatum et aedificandum in et super dictum oratorium in casu, quo dicti pueri vellent ire seu irent ad habitandum in alium locum, dictum aedificatum et aedificandum sit et esse intelligatur et remaneat ad dictam ecclesiam S. Donati.

Item, si dicti pueri dimitterent seu derelinquerent, quod non coadunarentur vel facerent,

prout debent et prout ordinatum est, et non coadunarentur in dicto loco, remaneat dictus locus in dispositione iuris communis.

Quae quidem capitula, conventiones et pacta et omnia et singula suprascripta dictae partes dictis nominibus promiserunt et convenerunt simul et semel sibi ad invicem et inter se vicissim sollemnibus stipulationibus hincinde legitime intervenientibus attendere et observare et contra praedicta vel aliquod praedictorum nil dicere, facere vel venire per se vel alium seu alios quoquo modo, iure vel causa, tacite vel expresse, directe vel indirecte, in iudicio vel extra sub poena et ad poenam dupli eius, unde seu de quo lis vel quaestio fieret seu moveretur, aut si et quotiens in aliquo capitulo praedictorum contra factum fuerit, committenda, petenda et exigenda et sollemni stipulatione praemissa, quam poenam pars non observans nec observare volens parti observanti et observare volenti solvere teneatur et debeat absque aliqua exceptione iuris vel facti. Et ea poena commissa, quaesita, soluta vel non, praedicta omnia et singula nihilominus in dictis capitulis et unoquoque ipsorum contenta firmiter observentur et perpetuo firma perdurent cum integra refectione damnorum, interesse et expensarum litis et extra. Pro quibus omnibus et singulis observandis firmisque tenendis dictae partes dictis nominibus et quolibet dictorum nominum obligaverunt sese ad invicem sollemnibus stipulationibus hincinde intervenientibus, ut praefertur, et successores ipsorum et bona omnia eorum et principaliter praedicta praesentia et futura iure pignoris et hypothecae, renuntiantes exceptionibus non sic factae conventionis, compositionis et contractus rei et formae capitulorum et pactorum superius contentorum et dicto modo non gestae seu gestorum, conditioni sine causa vel ex iniusta causa in factum, actioni fori, privilegio et doli mali epistolae divi Adriani « Quod metus causa », et omni et cuilibet alteri iuris et legum auxilio, beneficio et favori eis vel alteri dictorum nominum modo aliquo competenti et competituro. Et iuraverunt partes praedictae, videlicet dictus Ser Dominicus super animam suam dicto rectorio nomine, et dictus frater Iohannes super animam suam et dictorum suorum principalium et dicto nomine ad sancta Dei evangelia scripturis corporaliter manu tactis praedicta omnia et singula suprascripta vera esse et fuisse et fideliter observare et contra non dicere, facere vel venire per se vel alium, in iudicio vel extra quoquomodo, sed praedicta omnia et singula suprascripta attendere et observare, prout superius continetur et scriptum est. Quibus quidem partibus, videlicet dictis Ser Dominico, dicto rectorio nomine ex una parte, et fratre Iohannis praedicto, dicto custodio nomine ex altera parte audientibus, volentibus et consentientibus et sponte omnia et singula suprascripta vera esse confitentibus praecepi ego Savinus, notarius infrascriptus et iudex ordinarius, nomine sacri iuramenti et ghuarantigiae secundum formam iuris sacrorum canonum, quatenus praedicta omnia et singula suprascripta attendant et observent, prout superius continetur et scriptum est, rogantes me Savinum notarium infrascriptum, ut de praedictis publicum conficerem instrumentum.

Actum Senis, in dicta ecclesia S. Donati, coram famosissimo artium doctore magistro Petro Iacobi de Russis de Senis et nobili viro Ghuasparre Francisci de nobilibus de Cotonio, cive Senarum, testibus praesentibus, vocatis, adhibitis et rogatis. Ego Savinus, olim Bartholomaei Antonii de Senis, publicus imperiali auctoritate notarius et iudex ordinarius et nunc notarius et scriba dicti domini Senen. episcopi et suae curiae, suprascriptis omnibus et singulis, dum sic agerentur et fierent, interfui eaque, ut supra, rogatus et requisitus scribere, manu mea propria scripsi et publicavi et in fidem et testimonium praemissorum meum signum apposui consuetum.

Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, X kal. septembris, ... anno XIII.

713. Iohanni Petripauli de Montegamaro, clerico Reatin., confert canonicatum et praebendam ecclesiae S. Eleutherii extra muros Reatin., vacantes quamprimum Blasius Antonii Anastasiae, illius possessor, qui domum S. Mariae de Avezano, Ianuen., O. F. M., ingressus est et habitum assumpsit, dictum ordinem professus est (1).

1443, augusti 28, Senis.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Senis, ... anno 1443, V kal. septembris, ... anno XIII.

(1) Reg. Lat. t. 405, f. 144v. Huius bullae exsecutio eadem die sub simili forma committitur Archiepiscopo Florentin. et archipresbytero S. Iohannis de Statua ac Dominico Francisci Palmerii, canonico maioris Reatin. ecclesiarum. Ibid. l. cit.

714. Concedit indulgentiam pro ecclesia SS. Mariae et Hieronymi in Slano, O. F. M., Ragusin. dioec. (1).

1443, augusti 30, Senis.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cum itaque ecclesia SS. Mariae et Hieronymi in Slano, Ragusin. dioec., in cuius domibus fratres ordinis Minorum de observantia inhabitant, ad quam singularis devotionis causa christifideles illarum partium circumvicini hactenus confluere consueverunt, in suis earumdemque domorum structuris et aedificiis reparatione non modicum necessaria indigere noscatur, ad quarum reparationem reparatorumque conservationem fabricae eiusdem ecclesiae et eius domorum praefatarum non sufficiant facultates, sed ad reparationem et conservationem et domorum huiusmodi etiam ampliationem pro usu et habitatione fratrum praedictorum pia eorumdem christifidelium suffragia sint plurimum opportuna, Nos ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in singulis nativitatis B. Mariae et S. Hieronymi praedictorum festivitatibus ecclesiam domus huiusmodi devote visitaverint annuatim et ad reparationem, conservationem, ampliationem ac fabricam huiusmodi manus porrexerint adiutrices, ut praefertur, singulis videlicet festivitatum huiusmodi diebus quatuor annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, III. kal. septembris, ... anno XIII.

715. Concedit facultatem eligendi confessarium et remissionem plenariam in articulo mortis pro iis, qui ad restaurationem ecclesiae S. Francisci de Assisio certam summam pecuniarum solverint (2).

1443, septembris 4, Senis.

Universis christifidelibus, ad quos praesentes litterae Nostrae pervenerint.

Iniunctum Nobis desuper apostolicae servitutis officium *etc.* Hac itaque consideratione inducti ac dilectorum filiorum fratris Iohannis de Pontetremulo, ordinis Minorum professoris, custodis sive guardiani domus ecclesiae S. Francisci de Assisio, necnon ceterorum fratrum dictae domus ac conventus supplicationibus inclinati, asserentium ecclesiae et domui ac conventui praedictis agentibus armigeris multa in aedificiis et aliis rebus et bonis detrimenta et gravamina illata fuisse et propterea plurima fidelium subventione et suffragiis indigere, ut confessor saecularis vel religiosus, quem quilibet in civitatibus et dioecesibus Perusin., Assisinat., Spoletan. moram trahens usque ad numerum centum personarum duxerit eligendum, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem ... concedere valeat, sic tamen, quod idem confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda *etc.* Et ne quod absit *etc.* Et nihilominus ad constructionem et fabricam ecclesiae et domus ac conventus praedictorum, quae, sicut accepimus, sumptuosa reparatione plurimum indiget, suntque ei propterea christifidelium suffragia non modicum opportuna, de bonis sibi a Deo collatis videlicet pro viro et uxore septem, et pro qualibet alia singulari ex supradictis personis quinque florenos auri de camera infra sex menses, a die significationis huiusmodi litterarum computandos, illi saeculari personae, quam dilectus filius Antonius de Montefalco, vicarius in illis partibus provinciae S. Francisci, deputaverit, tradere et realiter solvere debeant, usque ad numerum centum personarum, ut praemittitur, cuius numeri computum dictus Antonius notare teneatur, eademque persona fideliter summam pecuniarum, quae huiusmodi occasione sibi tradi contigerit, in reparatione et fabrica ecclesiae, domus et conventus praedictorum fideliter exponere teneatur, super quibus eius conscientiam oneramus, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Volumus tamen, ut vir et uxor, qui summam septem florenorum occasione huiusmodi persolverint, pro una persona computentur. Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, pridie nonas septembris, ... anno XIII.

716. Hortatur, ut Iohanni de Capistrano O. F. M. in fundatione domus O. F. M. de observ. terrae Slusarum (Sluis), dioec. Tornacen., auxilium praestet (3).

1443, septembris 5, Senis.

Venerabili fratri episcopo Tornacen.

Retulit Nobis dilectus filius Iohannes de Capistrano, frater ordinis Minorum, sibi in terra Slusarum, tuae dioec., dudum oblatum fuisse locum quemdam pro constructione et fabrica domus cum ecclesia et aliis aedificiis uni con-

(1) Reg. Lat. t. 403, f. 218v.

(2) Reg. Lat. t. 400, f. 8v; *Bull. pont. sacri conventus Assisien.* ed. a Laeto Alessandri et Franc. Pennacchi, ad Claras Aquas 1920, p. 135, n. 288 (ex *Archiv. Franc. Hist.* X, 468-70).

(3) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 137 « e l. 12 bullarum f. 167 ».

ventui fratrum de observantia aptis, ad cuius perfectionem idem Iohannes laborare intendit omni ope ac diligentia. Verum existimat, ad huius operis absolutionem praesidia et favores tuae fraternitatis sibi fore summe necessaria et opportuna. Quare ipsam fraternitatem tuam in Domino requirimus et hortamur, quatenus in re tam pia ... praestare velis praedictis fratribus illud prosequentibus auxilium et favorem; coercendo, et, si opus fuerit, quoscumque eidem impedimentum afferentes per censuram *etc.* Super qua re damus fraternitati tuae plenam ... facultatem.

Datum Senis, V septembris, ... anno XIII.

717. Iohannem Anedo O. F. M. instituit episcopum Dolien. (1).

1443, septembris 6, Senis.

Dilecto filio Iohanni Anedo, electo Dolien.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Nicolao episcopo Dolien. regimini ecclesiae Dolien. praesidente *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Nicolai, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, Nos *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem *etc.* in illo *etc.* Volumus autem, quod, postquam munus consecrationis susceperis, in Dolien., et dummodo per illarum dioecesanos ad id requisitus fueris, ac de speciali illorum licentia in aliis in insula Sardiniae consistentibus civitatibus et dioecesibus ponticalia officia dumtaxat valeas exercere. Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VIII idus septembris, ... anno XIII.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Dolien.; Clero civit. et dioeces. Dolien.; Populo civit. et dioeces. Dolien.; Universis vasallis ecclesiae Dolien.;* praeterea *Archiepiscopo Calaritan.* (Ad cumulum), et *Alfonso regi Aragonum illustri* (Gratiae divinae).

718. Episcopo Othanen. (Ottana in Sardinia) mandat, ut Antonio, marchioni Arboren., concedat licentiam capiendi malefactores ad domum Aristan. (Oristano) O. F. M. confugientes (2).

1443, septembris 6, Senis.

Venerabili fratri episcopo Othanen.

Sincerae devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Antonius, marchio Arboren., ad Nos et Romanam gerit ecclesiam, promeretur, ut votis suis, illis praesertim, per quae nefarii praesumptorum ausus reprimi, scandala et pericula evitari ac fidelium securitas et tranquillitas procurari valeant, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte dicti marchionis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum domui Aristan., ordinis fratrum Minorum, quoddam privilegium per Apostolicae Sedis litteras concessum olim fuisse et in illo inter alia caveri dicatur, quod nullus homicida, latro vel malefactor, ad domum praedictam seu illius ecclesiam, coemeterium sive hortos confugiens pro tempore, in aliquo eorum occasione homicidii, furti sive maleficii huiusmodi per quamcumque personam seu quascumque personas capi possit quoquomodo, propterea homicidia, mutilationes, latrocinia, furta, scelera et alia mala quamplurima sub confidentia dicti privilegii in civitate Aristan., quae ipsius marchionis ditioni subesse dignoscitur, commissa et perpetrata fuerunt hactenus ac in dies committuntur et etiam perpetrantur, nec ulla eorum punitio fieri potuit in civium Aristan., quibus tales malefactores sub eadem confidentia insidiari et nocere sedulo nituntur, laesionem gravissimam pariter et iacturam ac aliorum exemplum perniciosissimum plurimorum. Quare pro parte ipsius marchionis, qui, ut asserit, etiam comes Gociani exsistit, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad obviandum tantis malis et, ne etiam propter illa domus et ecclesia praedictae spelunca latronum reputari possint, super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, praefato marchioni, quod ipse et eius successores marchiones Arboren., qui erunt pro tempore, per quoscumque eorum officiales ac suos et illorum famulos necnon dictae civitatis custodes omnes et singulos homicidas, mutilatores, latrones seu alios quomodolibet malefactores, qui propter homicidium, mutilationem, furtum, latrocinium seu quodcumque aliud maleficium ad domum confugerint antedictam, in illa et pertinentiis eius exceptis omnibus locis sacris capi et inde abduci facere libere ac licite valeant, auctoritate Nostra concedas. Non obstantibus privilegio et litteris praedictis *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VIII idus septembris, ... anno XIII.

(1) Reg. Lat. t. 398, f. 256 v.

(2) Reg. Lat. t. 403, f. 46 v.

719. Fratribus O. F. M. de observ. custodiae Opilien. (Oppeln in Silesia) concedit facultatem recipiendi 3 domos (1).

1443, septembris 6, Senis.

Dilectis filiis fratribus de observantia nuncupatis custodiae Opilien., ordinis Minorum professoribus.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Hinc est, quod Nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, ut in provincia Bohemiae praeter duo loca sive conventus, quae iam in custodia Opilien. adepti estis, tria alia loca iam constructa aut de novo construenda, si vobis pia christifidelium largitione concedantur, vel alias iustis modis illa poteritis adipisci, recipere et retinere et in quolibet ipsorum locorum ecclesiam sive oratorium cum campanili, ... officinis pro usu et habitatione vestra et fratrum dicti ordinis, servata debita distantia, construere et aedificare necnon quoscumque fratres praefati ordinis, ad id voluntarios, de superiorum suorum licentia transferre et recipere ac inibi unacum eisdem fratribus sub regularibus institutis dicti ordinis Altissimo famulari necnon missas et alia divina officia celebrare ac verbum Dei praedicare libere et licite valeatis, ordinarii *etc.* minime requisito, iuribus *etc.* licentiam et plenariam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et nihilominus vobis et universis fratribus in eisdem domibus, ... ut omnibus et singulis privilegiis *etc.*, fel. rec. Bonifatii papae VIII. *etc.* non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VIII idus septembris, ... anno XIII.

720. Mandat, ut pro Sancio de Canales O. F. M. alium substituat visitatorem monasterii S. Clarae Vallisoleti, Palentin. dioec., O. S. Cl. (2).

1443, septembris 6, Senis.

Dilecto filio Iohanni, titulo S. Petri ad vincula presbytero cardinali.

Admonet Nos suscepti cura regiminis *etc.* Cum itaque pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium inclusarum monasterii S. Clarae ordinis S. Francisci extra muros Vallisoleti, Palentin. dioec., cum gravi querela Nobis expositum sit, quod quidam frater Sancius de Canales, dicti ordinis professor, qui auctoritate, ut asserit, apostolica munitus, visitandi et corrigendi ac reformandi dictum monasterium facultatem habere se profitetur, sub praetextu melioris vitae et arctioris observantiae regularis monasterium praedictum plurimis damnis affecit et moniales ad vitam inhonestam traducere conatus est et conatur de praesenti ac abbatissam et moniales praefatas prohibet matutinalia et alia divina officia horis debitis in choro cantare et insuper prohibet pro defunctis orare necnon eisdem interdicit, ut longis vestibus utantur et, quod inhonestius est, fratres dicti ordinis per partes illas transeuntes in dicto monasterio hospitari facit cum offensione honoris abbatissae et monialium praefatarum ac cum gravi iactura rerum et bonorum dicti monasterii ac possessiones et bona ipsius monasterii alienat ac abbatissam et moniales praedictas visitat, secum fratres iuvenes ducens, et separatim cum dictis monialibus loquitur et multa alia enormia committit contra constitutiones ordinis et statuta regularia in Dei offensionem gravissimam et diminutionem honoris ac rerum et bonorum dicti monasterii ac maximo scandalo personarum illarum partium, quare pro parte abbatissae et monialium praedictarum, quae, ut asseritur, abiectis mundi illecebris Deo, cui dedicatae sunt, puris mentibus deservire desiderant, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... circumspectioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te informes et, si per informationem huiusmodi praedicta vera esse reppereris, dictum fratrem Sancium de Canales auctoritate Nostra ab officio visitatoris praedicti perpetuo prives et iuxta qualitatem suorum criminum et excessuum secundum dicti ordinis constitutiones et sacrorum canonum instituta corrigas atque punias, contradictores *etc.*, invocato *etc.* Quod, si suis demeritis exigentibus per te fieri contigerit, aliquem fratrem dicti ordinis comprobatae integritatis et honestatis, virum et alias ad id idoneum, in locum sui officii substituas ac subroges eumque moneas, ut taliter huiusmodi officium exerceat ad Dei laudem et gloriam et ordinis praedicti incrementum et ipsius monasterii salutare regimen, ut opus sit eum potius laudare, quam corrigere et punire, dicti ordinis statutis *etc.* non obstantibus quibuscumque. Super quibus omnibus et singulis plenam et omnimodam circumspectioni tuae auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem.

Datum Senis, anno ... 1443, VIII idus septembris, ... anno XIII.

---

(1) Reg. Lat. t. 400, f. 200v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 138.

(2) Reg. Lat. t. 406, f. 247. De Sancio de Canales cf. supra n. 524, p. 253.

721. Episcopo Vratislaviensi (Breslau) mandat, ut fratres O. F. M. de observantia custodiae Opilien. defendat contra molestatores (1).

1443, septembris 8, Senis.

Venerabili fratri episcopo Vratislavien.

Religiosam vitam agentibus sub iugo *etc.* Sane, cum, prout accepimus, dilecti filii fratres ordinis Minorum sub observantia regulari degentes, qui in custodia Opilien. et aliis locis, quae auctoritate Apostolicae Sedis adepti sunt, manere noscuntur, tam virtutum operibus quam exemplis quotidie ad salutem animarum personarum illarum partium invalescere et augeri dicantur, Nos, cupientes ipsos fratres eo uberiores in vinea Domini Sabaoth fructus edere, quo apostolicis favoribus et praesidiis magis fuerint communiti, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus praefatos fratres sub custodia et locis praedictis commorantes adversus omnes et singulas personas cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae exsistant, quae illos in et super privilegiis et immunitatibus, praesertim secundum ordinationem novam in favorem fratrum de observantia factam, sub duobus vicariis, uno videlicet ultramontano et alio citramontano, seu alias per Sedem Apostolicam ipsis concessis quoquomodo vexare, molestare seu perturbare praesumerent, efficacis defensionis auxilio tuearis, protegas et defendas. Et nihilominus personas vexantes, molestantes et perturbantes huiusmodi, si ab infestationibus et molestiis realibus aut personalibus desistere noluerint, per censuras ecclesiasticas et poenas, de quibus tibi visum fuerit, auctoritate etiam apostolica appellatione postposita compescere procures. Super quibus omnibus et singulis et ab eis dependentibus et connexis plenam et liberam tibi auctoritate et tenore praedictis damus et concedimus facultatem, non obstantibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, VI idus septembris, ... anno XIII.

722. Ludovico de Saia O. F. M. eiusque successoribus confirmat institutionem in vicarium et visitatorem pro certis locis cum privilegiis et facultatibus huic officio adnexis (2).

1443, septembris 9, Senis.

Dilecto filio Ludovico de Saia, ordinis Minorum professori ac in provincia Castellae citra Portus fratrum, qui dicuntur de observantia, custodi.

Pia Nos excitat et inducit affectio, ut iis, quae per dilectos filios Iohannem de S. Anna (3), sacrae theologiae magistrum, et Philippum de Astorica, doctorem Salamantin., provinciarum Castellae et S. Iacobi ministros, tibi concessa sunt, cum honesta esse videantur, et a Nobis postulas, libenter adiiciamus Nostri muniminis firmitatem. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod Iohannes et Philippus praedicti, zelo religionis et fidei regularem observantiam in dicto ordine continuo augeri desiderantes, te de consilio et assensu omnium fratrum totius provinciae, quorum unus Castellae minister exsistens, in sua provincia custodem fratrum, qui de observantia dicuntur, necnon minister S. Iacobi de consilio plurimorum fratrum, vicarium et visitatorem super certis locis cum nonnullis praerogativis et facultatibus constituerunt atque deputarunt, prout in litteris dicti ministri Castellae sigillo praefatae provinciae munitis ac multorum fratrum manu propria subscriptis et litteris etiam ipsius ministri S. Iacobi plenius continetur. Quare pro parte tua Nobis humiliter supplicatum exstitit, ut ... tibi tuisque in dictis custodiae et vicariae ac visitationis officiis pro tempore legitimis successoribus, dummodo sub dilecti filii Iohannis de Mauberto, nunc in provinciis ultramontanis fratrum dicti ordinis, qui de observantia dicuntur, vicarii generalis, et suorum legitimorum successorum obedientia persistant, concedere ... dignaremur. Nos igitur, ad ordinem B. Francisci, qui continuo in militanti ecclesia fructus parit salutares, singularem gerentes charitatis affectum ac cupientes, ut in Dei ecclesia per dictos fratres palmites uberiores ad Dei laudem et gloriam continuo dilatentur ac propagentur, ... litteras praedictas et omnia in eis contenta, quarum omnium tenores hic haberi volumus pro expressis, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, et insuper omnia et singula in dictis litteris contenta tuis in dictis custodiae et vicariae ac visitationis officiis successoribus legitimis, in obedientia dicti Iohannis generalis vicarii et suorum pro tempore legitimorum etiam successorum persistentibus, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, V idus septembris, ... anno XIII.

---

(1) Reg. Lat. t. 400, f. 80. Cf. supra n. 719, p. praec. (2) Reg. Lat. t. 400, f. 75; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 139. (3) De Iohanne de S. Anna cf. supra n. 493, p. 238.

723. Concedit licentiam recipiendi 4 domos pro fratribus O. F. M. de observ. in regno Castellae (1).

1443, septembris 9, Senis.

Dilectis filiis custodi necnon vicariis provincialibus pro tempore exsistentibus, ordinis Minorum professoribus provinciae Castellae.

Sacrae religionis, sub qua, *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod vos, qui ordinem ipsum ad Dei gloriam et honorem continuo ampliari desideratis, quatuor domos in regno Castellae in locis magis commodis et opportunis cum ecclesiis, coemeteriis et campanilibus, campanis, hortis, hortalitiis aliisque necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis ex fidelium suffragiis construi et aedificari facere sive constructas et aedificatas reformare et ad regularem observantiam reducere proponitis, si ad hoc auctoritas et licentia Sedis Apostolicae vobis suffragentur. Quare pro parte vestra Nobis humiliter fuit supplicatum *etc.* Nos igitur ... vobis et vestrum cuilibet pro usu et habitatione fratrum praedictorum in dicto regno in locis aptis et congruis ex fidelium suffragiis quatuor domos cum ecclesiis ... aliisque necessariis officinis construendi et aedificandi ... sive constructas et aedificatas pro fratribus praedictis recipiendi et ibidem perpetuo habitandi sive quatuor domos praedictas in dicto regno constructas et aedificatas accipiendi easque reformandi et ad regularem observantiam reducendi cuiuscumque licentia super hoc minime requisita, iuribus tamen *etc.* salvis plenam et liberam auctoritate Nostra vobis licentiam elargimur, decernentes, quod fratres, qui in dictis domibus pro tempore moram trahent, ac domus et ecclesiae huiusmodi omnibus et singulis privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, V idus septembris, ... anno XIII.

724. Mandat, ut Georgium Petri de Barbarussis, O. F. M., domus Dulcinen. (Dulcigno) O. F. M., instituat abbatem monasterii S. Venerae de Corbino, Crojen. dioec., O. S. Ben. (2).

1443, septembris 10, Senis.

Venerabili fratri episcopo Suacen.

Sollicitae considerationis indagine *etc.* Dudum siquidem provisiones *etc.* Cum itaque postmodum monasterium S. Venerae de Corbino, ordinis S. Benedicti, Croien. dioec., ex eo, quod de persona dilecti filii Petri, S. Alexandri de Molendino, dicti ordinis Arbonen., tunc praefati S. Venerae monasteriorum abbatis, dicto monasterio S. Alexandri ... provisum fuit dictusque Petrus illi in abbatem praefectus exstitit, vacaverit et vacet ad praesens, ... et sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Georgii Petri de Barbarussis, ordinis fratrum Minorum professoris, petitio continebat, si de persona sua, qui presbyter et ordinem fratrum Minorum huiusmodi in domo S. Marci extra muros Dulcinen., dicti ordinis fratrum Minorum, professus fuit et ex certis vigentibus, suadentibus ac rationabilibus causis ad praedictum ordinem S. Benedicti, ad quem singularem gerit devotionis affectum, se transferri ... concupiscit, eidem monasterio S. Venerae sic vacanti provideretur, ipseque illi in abbatem praeficeretur, idem Georgius, qui sufficientis litteraturae et ad praedicandum verbum Dei aptus exsistit, tam ad salutem animarum utriusque sexus christifidelium illarum partium, quibus notus, gratus et acceptus esse dignoscitur, quam etiam praefato monasterio S. Venerae, quod in partibus per Turcos christiani nominis inimicos occupatis exsistit, circa divini cultus incrementum et alias in spiritualibus et temporalibus esse poterit multipliciter fructuosus, quare pro parte eiusdem Georgii Nobis fuit humiliter supplicatum, ut de persona sua dicto monasterio S. Venerae, cuius fructus, redditus et proventus triginta florenorum auri secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipse Georgius asserit, non excedunt, ... providere ipsumque illi in abbatem praefici *etc.* Nos igitur, ... de expositis huiusmodi necnon de meritis et idoneitate dicti Georgii ... certam notitiam non habentes, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus per te ipsum de expositis et meritis ac idoneitate praemissis te diligenter informes et ... in praemissis omnibus et singulis facias, prout utilitati monasterii S. Venerae et animae Georgii praedictorum melius tibi videbitur, *etc.* Non obstantibus *etc.* Et nihilominus eidem Georgio, si de persona sua dicto monasterio S. Venerae vigore praesentium provideris, ut praefertur, munus benedictionis impendas vel per aliquem catholicum antistitem ... impendi facias vel procures. Volumus autem *etc.*, quodque per hoc venerabili fratri Nostro episcopo Croien., cui dictum monasterium S. Venerae ordinario iure subesse dignoscitur, nullum imposterum praeiudicium generetur, ac dictus Georgius illum gestet habitum, qui in praefato monasterio geritur et habetur, illiusque regularibus institutis se conformet.

Datum Senis, anno ... 1443, IV idus septembris, ... anno XIII.

(1) Reg. Lat. t. 406, f. 263.

(2) Reg. Lat. t. 398, f. 274.

725. Declarat poenas statutas in litteris Iordani episcopi Sabinen. de vestitu sororum III O. S. Fr. non extendi ad sorores Iesuatas (1).

1443, septembris 11, Senis.

Ad futuram rei memoriam.

Sub religionis habitu *etc.* Sane, sicut pro parte dilectarum in Christo filiarum quarumdam mulierum, pauperum Christi sive Iesuatarum nuncupatarum, in parochia S. Iacobi portae Borniae, civitatis Nostrae Perusin., ac in Senen., Florentin., Pistorien., Lucan. et Nostra Bononien. civitatibus commorantium, Nobis nuper exhibita petitio continebat, olim, postquam bon. mem. Iordanus, Sabinen., tunc Albanen. episcopus, fratrum Minorum, S. Clarae et S. Damiani ordinum praedictorum ex commissione sibi, ut dicebat, per fel. rec. Martinum papam V, praedecessorem Nostrum, oraculo vivae vocis facta [protector], dilectis in Christo filiabus ministrae sive rectrici mulierum vestitarum sive Bizocatarum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupatarum et universis illarum sororibus tunc et in posterum exsistentibus indulserat, quod ipsa ministra sive rectrix et sorores eis modo et forma, quibus a magno tempore citra consueverant, chorda cingi, vestiri, indui et incedere possent ac sub obedientia visitatoris ordinis fratrum huiusmodi, per ministram seu rectricem et alias sorores praedictas pro tempore electi, et ipsius ministrae sive rectricis stare et vivere ac in omnibus parere, sicut religiosas deceret Christi servas, et quod nulla mulier in dicta civitate Perusin. moram trahens posset vel valeret dictum ipsarum habitum recipere et receptum deferre absque consensu ministrae sive rectricis et visitatoris ac maioris partis exsistentium pro tempore sororum earumdem, contrarium vero facientes ex tunc canonica monitione praevia excomunicationis sententiam, qua illas, nisi per dictam ministram seu rectricem desuper requisitae infra octo dies a die requisitionis huiusmodi computandos immediate sequentes se emendaverint, innodaverat, ipso facto incurrerent, ac singuli ecclesiarum rectores et praelati, quando et quotiens pro parte ministrae seu rectricis praefatae vel ab ea desuper forent requisiti, illas publice denuntiare tenerentur excommunicatas, per ipsum cardinalem accepto, quod mulieres, pauperes Christi sive Iesuatae nuncupatae, in parochia commorantes huiusmodi, quae etiam tunc in laudabili congregatione viventes chlamydem sive mantellum nigri coloris deferebant, discalceatae cum cipellis ligneis incedebant, cingulo corii cingebantur, pannum lineum a mento usque ad pectus nuda gulae et colli cooperientem ac cum vitta seu benda grossi linei panni ob honestatem totam frontem cooperiebant et tunicam obscuri grisei coloris ad pectus aliquantulum fere per quatuor digitos scissam portabant, de quarum societate sive congregatione quondam Francisca, filia Petri Delamilla, de Perusio tunc erat, per ministram sive rectricem et sorores praedictas, licet habitus earumque mantellum clari grisei coloris et tunicam sine aliqua ad pectus scissura similis coloris ac chordam pro cingulo etiam tunc deferebant et calciatae incedebant, nuda colli et gulae lineis pannis nequaquam tegentes nec huiusmodi grossum lineum pannum ad frontem deferentes, ab ipsarum mulierum pauperum Christi sive Iesuatarum nuncupatarum habitu longe diversus esse nosceretur, dictarum priorum litterarum praetextu aliqualiter molestari suspicabantur, idem episcopus ex simili concessione, ne contra mentem concedentis ad unum concessum ad alium aliquatenus traheretur effectum, et ut materia scandalorum, quae satore zizaniae instigante novis adinventis coloribus plerumque exoriri solebant, omnimode cessaret, per alias suas litteras declaravit ipsarum priorum litterarum tenorem ad praefatas mulieres pauperes Christi sive Iesuatas nuncupatas aliquatenus se non extendi nec illas seu earum posteras per mulieres vestitas seu Bizocatas nuncupatas praedictas perpetuis exinde futuris temporibus quoquo modo aut quovis quaesito colore turbari, inquietari vel molestari posse, mandans illis etiam divisim sub excommunicationis, quam qualibet contrafaciens ipso facto incurreret, poena, ut ipsas mulieres pauperes Christi sive Iesuatas nuncupatas parochiae huiusmodi dictarum priorum litterarum occasione nullo praetextu nullove colore per se vel alium seu alios directe vel indirecte turbarent, molestarent vel inquietarent, ac irritum decernens et inane, quidquid eatenus in contrarium forsan attentatum fuerat et exinde quovis modo contingeret attentari, prout in eisdem litteris plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, mulieres, pauperes Christi sive Iesuatae nuncupatae, parochiae huiusmodi aliquamdiu dictarum priorum litterarum praetextu in ipsa civitate Perusin. taliter fuerunt molestatae et scandalizatae, quod excommunicatae reputabantur et ab omnibus tamquam tales evitabantur, eleemosynae quoque eis de-

(1) Reg. Lat. t. 396, f. 193 v. Cf. supra n. 456, p. 213.

negabantur, ac per eamdem civitatem dispersae transibant, illaeque et aliae similes in Senen., Florentin., Pistorien., Lucan. et Bononien. civitatibus praefatis commorantes mulieres non immerito trepident se eodem praetextu molestari et scandalizari posse tempore procedente, pro parte ipsarum mulierum pauperum Christi sive Iesuatarum nuncupatarum in dictis civitatibus commorantium Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... priores episcopi huiusmodi et quascumque apostolicas sub simili forma verborum ministrae sive rectrici et sororibus praefatis quovis modo concessas aut imposterum concedendas litteras se ad dictas mulieres pauperes Christi sive Iesuatas nuncupatas in ipsis civitatibus commorantes et ad ipsarum loca aliquatenus non extendi nec eas illarum praetextu quovis modo molestari, vexari, perturbari seu inquietari posse auctoritate apostolica decernimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Per hoc autem statum mulierum pauperum Christi sive Iesuatarum nuncupatarum huiusmodi non intendimus aliquatenus approbare. Nulli ergo *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, III idus septembris, ... anno XIII.

726. Iohanni de Capistrano O. F. M. concedit facultatem recipiendi sex loca ubicumque exsistentia pro usu et habitatione fratrum O. F. M. de observantia [1].

1443, septembris 11, Senis.

Inter ecclesiasticos ordines *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, III idus septembris, ... anno XIII.

727. Confirmat ea, quae a Iohanne de Capistrano O. F. M. acta erant circa fundationem domus O. F. M. de observ. in oppido de Slusa (Sluis), Tornacen. dioec. [2].

1443, septembris 12, Senis.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad ea libenter intendimus *etc.* Sane dilectus filius frater Iohannes de Capistrano, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum professor, pro se et dilectis filiis burgimagistris necnon habitatoribus et incolis oppidi de Slusa, Tornacen. dioec., Nobis exposuit, quod, postquam Nos dudum eidem fratri Iohanni necnon pro tempore exsistentibus quarumcumque provinciarum iuxta morem dictorum fratrum de observantia nuncupatorum vicariis quinque loca ubicumque exsistentia cum ecclesiis ... fundari ... faciendi ac recipiendi ac perpetuo retinendi ... per litteras Nostras [3] concessimus facultatem et universis ac singulis fratribus dicti ordinis, quos in locis huiusmodi pro tempore residere contingeret, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere liciteque valerent, auctoritate praefata concessimus, ipse frater Iohannes vigore huiusmodi quemdam locum novum seu domum in dicto oppido insigni, pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis de observantia ad hoc sibi per burgimagistrum, habitatores et incolas praefatos coram notario publico et testibus fide dignis donatum, cepit ibique domum seu conventum dictorum fratrum, burgimagistri, habitatorum et incolarum praefatorum et aliorum christifidelium auxilio et suffragio mediantibus construi et fundari facere velit et circa haec aliqua salubria actu ordinavit, prout haec omnia in quodam instrumento publico inde confecto, cuius et dictarum Nostrarum litterarum tenores praesentibus habere volumus pro expressis, plenius continetur. Quare pro parte dicti fratris Iohannis ac burgimagistri, habitatorum ac incolarum praefatorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut omnibus et singulis praemissis per ipsum fratrem Iohannem, ut praefertur, actis et ordinatis apostolicae firmitatis robur adiicere dignaremur. Nos itaque, dicti fratris Iohannis pia studia et opera fructuosa plurimum in Domino commendantes illaque, quantum cum Deo possumus, opportunis favoribus prosequentes, praefatis supplicationibus inclinati, omnia et singula per ipsum fratrem Iohannem, ut praefertur, acta et ordinata rata habentes et grata, illa ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

Datum Senis, anno ... 1443, pridie idus septembris, ... anno XIII.

728. Concedit facultatem recipiendi sex loca in provinciis Franciae et Coloniae pro fratribus O. F. M. de observ. [4].

1443, septembris 13, Senis.

Dilecto filio Ludovico de Hole, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum professori.

Inter ecclesiasticos ordines *etc.* Cum itaque ... saepe contingat nonnullos christifideles ex de-

---

[1] Reg. Lat. t. 400, f. 82; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 140. Forma harum litterarum eadem est ac supra n. 195, p. 95, mutato tantum numero *quinque* in *sex*.

[2] Reg. Vat. t. 367, f. 286 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 141. Cf. supra n. 716, p. 340.

[3] Vide supra n. 195, p. 95.

[4] Reg. Vat. t. 367, f. 287; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 142. Quae hic omissa sunt, suppleri possunt e n. 195, p. 95.

votione, quam ad dictum ordinem habent, maxime in provinciis Franciae et Coloniae, tuis ac fratrum tui ordinis exhortationibus allici *etc.* et sicut eadem petitio subiungebat, si sex loca pro usu et habitatione huiusmodi fundandi *etc.* Nos igitur ... tibi necnon pro tempore exsistentibus dictarum provinciarum iuxta morem fratrum Minorum de observantia nuncupatorum vicariis sex loca in provinciis antedictis consistentia cum ecclesiis, campanilibus *etc.*

Datum Senis, anno ... 1443, idibus septembris, ... anno XIII.

729. Sancio de Turrecremata O. F. M. dat licentiam transeundi ad domum O. F. Praed., in qua viget observantia regularis (1).

1443, septembris 16, S. Quirici.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum apud S. Quiricum, Aretin. dioec., anno ... 1443, XVI kal. octobris, ... anno XIII.

730. Confirmat institutionem Nicolai de Rogeriis de Urbe O. F. M. in poenitentiarium basilicae S. Petri de Urbe (2).

1443, octobris 3, Romae.

Dilecto filio Nicolao de Rogeriis de Urbe, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professori.

Virtutibus clarens et meritis *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum, videlicet, dum Nos cum Romana curia in civitate Florentina resideremus, bon. mem. Genesius, episcopus Callien., in alma Urbe et eius districtu pro Nobis et sancta Romana ecclesia tunc vicarius generalis, de mandato Nostro per quoddam breve Nostrum super hoc facto te, quem ad hoc per diligentem examinationem idoneum et sufficientem repperit, in Nostrum et dictae Sedis minorem poenitentiarium et capellanum, ita tamen, quod officium poenitentiariae huiusmodi in basilica principis apostolorum de dicta Urbe dumtaxat gereres et exerceres, fecit, constituit et etiam deputavit, recepto nihilominus a te Nostro et dictae Romanae ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, tuque ad officium huiusmodi admissus, illud per plures annos in praefata basilica laudabiliter exercuisti et deinde, postquam Nos numerum undecim poenitentiariorum huiusmodi in dicta curia pro tempore residentium per nationes deputandorum per alias Nostras litteras sub certis modo et forma statueramus et ordinaveramus, Nosque dictam curiam de eadem civitate Florentin. ad praefatam Urbem transtuleramus, cum locus unius ex huiusmodi undecim de natione italica certo modo vacavisset et vacaret, te venerabilis frater Noster Iohannes, episcopus Zamoren., poenitentiariae Nostrae de mandato Nostro curam gerens, de simili mandato desuper vivae vocis oraculo facto te in locum huiusmodi cum honoribus, oneribus et emolumentis consuetis substituit et subrogavit teque numero et consortio dilectorum filiorum aliorum Nostrorum et dictae Sedis poenitentiariorum et capellanorum aggregavit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, a nonnullis de praemissorum viribus haesitetur, tuque, qui ad officium huiusmodi eiusque exercitium receptus et admissus, illud ex tunc exercuisti, prout exerces de praesenti, timeas super illo molestari posse tempore succedente, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi et statui tuo in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem et quietem quaerimus singulorum ac de iisdem praemissis omnibus et singulis certam habemus notitiam, volentes te apud Nos de litterarum scientia, vitae ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutionem et deputationem necnon substitutionem, subrogationem et aggregationem ac admissionem de te, ut praemittitur, factas et quaecumque inde secuta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium confirmamus et approbamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.* necnon decernentes te ad huiusmodi officium eiusque liberum exercitium ac honores et emolumenta recipiendum fore pariter et admittendum, volentes et eadem tibi auctoritate concedentes, quod tu omnibus et singulis indulgentiis *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, V nonas octobris, ... anno XIII.

---

(1) Reg. Lat. t. 400, f. 190v. In aliis litteris *Religionis zelus* d. d. 14 decembris 1443, quibus eidem conceditur facultas morandi in quacumque domo O. Praed., ad quam per Iohannem (de Turrecremata, O. Praed.), tit. S. Sixti presbyterum cardinalem, vel suos superiores mitti contigerit, idem Sancius dicitur dicti cardinalis consanguineus. Ibid. f. 191.

(2) Reg. Vat. t. 382, f. 200v; *Collectio bullarum sacros. basil. Vaticanae* t. 2, p. 100.

731. Mandat, ut electionem abbatissae in monasterio S. Clarae in terra Baroli (Barletta), Tranen. dioec., revocet et aliam ibi abbatissam instituat (1).

1443, octobris 6, Romae.

Venerabili fratri .. episcopo Melfien.

Humilibus et honestis supplicum votis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Iacobi de Marra eiusque fratrum ac hominum et universitatis terrae Baroli, Tranen. dioec., petitionis series continebat, quod monasterium monialium S. Clarae, ordinis S. Clarae, in dicta terra Baroli situatum, praeteritis temporibus vitam laudabilem ad Dei honorem et gloriam conservans, magnum honestatis et castimoniae nomen assecutum exstitit, cuius rei praecipue causa fuerunt abbatissae aetate et moribus graves, quae pro tempore exstiterunt, et tandem quondam Iohanna de Marra ipsius monasterii abbatissa ab humanis discedente, cuius prudentia et circumspectione monasterium huiusmodi honeste et laudabiliter gubernatum exstitit, moniales dicti monasterii, lasciviarum cupidae, Deum ante oculos non habentes, aliquibus tamen antiquioribus exceptis quamdam monialem, aetate et moribus iuvenem ac de fraude et subtractione nonnullorum bonorum in dicto monasterio depositorum suspectam atque infamem, in earum abbatissam elegerunt, cuius electio cum Iacobo et fratribus ac hominibus et universitati praedictis merito molesta esset, eamque electionem, ut ad ipsos pertinebat, impediri et cassari facere conarentur, dilectum filium ministrum provinciae Baroli, ordinis Minorum professorem, sub cuius regimine dictum monasterium exsistit, per nonnullos graves et magnae auctoritatis viros ac per se ipsos requiri fecerunt, ut dictam electionem de persona minime idonea factam nullo modo confirmare vellet, qui minister, cum huiusmodi requisitionibus aliquamdiu assentiri videretur, tandem suo et dictarum iuvenum monialium inhonesto desiderio satisfacere volens, electionem praedictam confirmavit in maximum ipsius monasterii gravamen atque iacturam et offensionem honestatis dicti monasterii. Quare pro parte Iacobi et fratrum ac hominum et universitatis praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut, cum monasterium ipsum a tempore electionis et confirmationis huiusmodi citra ab observantia pristinae honestatis declinatum esse dignoscatur, ne in deteriores conditiones successivis temporibus prolabatur, super his opportune et salubriter providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, ad quos maxime spectat providere, ut personae religiosae abiectis illecebris Deo, cui dedicatae sunt, purum ac devotum exhibeant famulatum, consideratione praesertim charissimi in Christo filii Nostri Alphonsi, Aragonum regis illustris, pro hac re Nobis devote supplicantis, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et, si praedicta vera esse reppereris, electionem et confirmationem praefatas et omnia inde secuta auctoritate Nostra revoces, casses et annulles. Quod si per te fieri contigerit, una ex duabus monialibus, quae in dicto monasterio diutius vixerunt et in senili aetate constitutae esse dicuntur, si alias idonea sit, in abbatissam dicti monasterii S. Clarae ac omnium iurium et pertinentiarum suorum abbatissis, quae pro tempore fuerint, concedi solitorum eadem auctoritate praeficias, curam, regimen et administrationem dicti monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Quodsi alteram ipsarum aut aliquam aliam ex monasteriis dicti ordinis ad gubernationem ipsius monasterii minime idoneam esse reppereris, aliquam aliam monialem etiam alterius ordinis, si de dicto ordine repperiri non contingat, aetate provectam, moribus gravem, experientia circumspectam et alias ad regimen dicti monasterii S. Clarae idoneam eadem auctoritate constituas atque deputes et cum eadem, ut huiusmodi abbatissalem dignitatem in eisdem spiritualibus et temporalibus regere et administrare libere et licite valeat, simili auctoritate dispenses, contradictores *etc.*, invocato *etc.*, apostolicis *etc.* non obstantibus quibuscumque. Super quibus omnibus et singulis plenam et omnimodam auctoritate praedicta tenore praesentium eidem fraternitati tuae concedimus facultatem.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, pridie nonas octobris, ... anno XIII.

732. Mandat, ut visitent monasterium S. Catharinae Ianuen. O. S. Cl. et prohibeant, ne fratres O. F. M. ad illud accedant (2).

1443, octobris 9, Romae.

Dilectis filiis Philippo Adurno, abbati monasterii S. Venerii de Tiro Portusveneris, Lunen. dioec., et Iohanni de Gattis, priori S. Theodori de Ianua.

Ad ecclesiarum et monasteriorum *etc.* Nuper siquidem litteris dilecti filii nobilis viri Raphaelis Adurni, ducis Ianuen., ac dilectarum in Christo filiarum monialium conventus monasterii S. Ca-

(1) Reg. Lat. t. 408, f. 49.

(2) Reg. Lat. t. 408, f. 221 v.

tharinae, etiam Ianuen., ordinis S. Clarae, quampluriumque notabilium civium et personarum civitatis Ianuen. ad Nostrum non sine gravi mentis Nostrae displicentia pervenit auditum, quod, licet abbatissa et moniales praefati monasterii sub cura et protectione fratrum ordinis Minorum exsistant, et propterea huiusmodi fratres dictas moniales praeceptis, monitis et disciplinis ad salutem animarum suarum et regularem vitam accommodis instituere deberent, tamen fratres praedicti, religionis et salutis suae immemores, eorum officio abutentes, ut ipsas in eorum iniqua vota attrahant, falsis criminationibus ac earum famae iacturis exturbant multisque insuper damnis et incommodis ac famae earum denigrationibus afficiunt et in eas novissime licet de facto sententiam excommunicationis promulgasse variaque alia fecisse dicuntur, ex quibus scandala exorta sunt, ita ut, nisi de celeri et opportuno remedio provideatur, periculum sit monasterium ipsum brevi tempore in gravem spiritualium et temporalium iacturam, quinimo ruinam devenire in non modicum scandalum civium ac perniciosum exemplum et detestabile plurimorum. Quare pro parte ducis, monialium, civium et personarum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus ad praefatum monasterium personaliter accedentes ac habentes prae oculis solum Deum, ipsum hac vice dumtaxat auctoritate Nostra visitetis tam in capite quam in membris vocatisque his, qui fuerint evocandi, vos de praedictis omnibus et singulis ac earum circumstantiis universis necnon de vita, moribus et regimine abbatissae et monialium praedictarum ac statu dicti monasterii plenarie informetis, inquirentes super his diligentius veritatem et, si per informationem huiusmodi ea, quae adversus praedictos fratres obiiciuntur, vera esse reppereritis, ante omnia moniales ipsas a praefata excommunicationis sententia et quovis alio gravamine absolventes et ab earum monasterio ecclesiasticum interdictum, si ibi positum fuisse contigerit, removentes, eisdem omnibus et singulis fratribus dicti ordinis tam praesentibus quam futuris sub censuris ecclesiasticis ac gravibus poenis, de quibus vobis videbitur, dicta auctoritate inhibentes, ne ipsi aut eorum aliquis cuiusvis gradus, rationis aut dignitatis exsistat aut quovis alio dicti ordinis fungeretur officio, ullo umquam tempore ad praefatum monasterium accedere vel in ipsum monasterium seu moniales iurisdictionem aliquam, visitationem seu administrationem vel curam exercere praesumant, alioquin censuras et poenas, quas in eosdem statueritis, incidant ipso facto. Circa vitam autem et regimen abbatissae et monialium huiusmodi pro qualitate et meritis earumdem excessus et errores corrigere et emendare curetis omniaque alia et singula faciatis, statuatis et disponatis, quae pro reformatione et bono statu dicti monasterii in eisdem spiritualibus et temporalibus ac salute animarum monialium inibi degentium videritis in Domino salubriter expedire, super quibus omnibus et singulis eidem discretioni vestrae plenam et liberam damus et concedimus dicta auctoritate facultatem et potestatem. Nos autem, quaecumque pro reformatione et salute huiusmodi ac bono statu dicti monasterii per vos facta, ordinata et statuta fuerint, rata et grata habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Ut autem per idoneas personas necessitati dictarum abbatissae et monialium de cetero opportune consulatur, tenore et auctoritate praedictis vobis concedimus, ut unum vel duos ex fratribus dicti ordinis, qui sexagesimum annum attigerint et alias regularis et probatae vitae exsistant, in earum confessores et capellanos pro hac vice deputetis, quibus deficientibus abbatissa et moniales praefatae, quae pro tempore in dicto monasterio fuerint, duos ex fratribus praefati ordinis similiter in earum confessores et capellanos cum aliquorum bonorum religiosorum consilio eligere et assumere, quos etiam ex simili consilio, cum eis expedire visum fuerit, amovere et alios similes recipere valeant, qui earum confessiones audire et eas absolvere missasque et alia divina officia celebrare ac ecclesiastica sacramenta ministrare possint et valeant, non obstantibus constitutionibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, VII idus octobris, ... anno XIII.

733. Henrico, archiepiscopo Mediolanen., et Beltramo de Correntibus, abbati monasterii S. Celsi, ac Henrico de Alamannia, priori S. Hieronymi de Castellatio, Mediolanen. dioec., mandat, ut reforment monasteria monialium in civitatibus Mediolanen. et Papiae ac aliis civitatibus, terris et locis dominiorum Philippi Mariae, ducis Mediolanen., non exceptis monasteriis O. Cisterc. et S. Clarae [1].

1443, octobris 13, Romae.

Ad ea, quae felicem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, III idus octobris, ... anno XIII.

---

[1] Reg. Lat. t. 402, f. 32.

734. Archidiacono de Astigia in ecclesia Hispalen. mandat, ut Alfonsum de S. Petro et Andream de Camerisaltis, O. F. M., qui relicto suo ordine ad hospitale S. Spiritus in Saxia de Urbe, O. S. Aug., transierunt et in domo Montispessulan. praefati hospitalis, Magalonen. dioec., illius habitum susceperunt et deinde ad alia eiusdem hospitalis loca, ut illa gubernarent, destinati, per quatuor annos et ultra vixerunt, absolvat a censuris et irregularitatibus eisque concedat facultatem in praefato hospitali eiusque locis perpetuo remanendi ([1]).

1443, octobris 14, Romae.

Solet Sedis Apostolicae exuberans clementia *etc.*

Datum Laterani, anno ... 1443, pridie idus octobris, ... anno XIII.

735. Cantori et scholastico Giennen. ac abbati saecularis et collegiatae de Alcala « la real », Giennen. dioec., ecclesiarum mandat, ut Alphonso de S. Petro, fratri hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe, O. S. Aug., conferant domum hospitalis loci de Bar, dicti ordinis, Giennen. dioec., quam Petrus de Ubeda, ordinis fratrum Minorum professor, praetextu cuiusdam collationis ordinaria auctoritate factae, sed sine canonica dispensatione per quatuor annos et ultra, citra tamen quinquennium detinuerat ([2]).

1443, octobris 26, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, VII kal. novembris, ... anno XIII.

736. Amico, episcopo Aquilan., in Romana curia residenti, mandat, ut fratrem Guillelmum de Ponte, O. F. M., presbyterum Colonien. dioec., qui « se cuiusdam noctis tempore in quodam oppido Traiecten. dioec. ad dormiendum collocatus, dum fratrem suum germanum cum quodam laico, magnum cultellum sub mantello deferente eumque fratrem occidere conante, pugnantem sentiret dictusque Guillelmus, fratrem praedictum ab eodem laico interfici formidans, accepto gladio seu cultello de domo alterius fratris pro illius defensione, ne a dicto laico interficeretur, accurrebat, quos cum videret graviter hinc inde vulneratos, causa liberandi dictum fratrem a manibus laici eiusdem cum omni, quo potuit, moderamine inculpatae tutelae eumdem laicum vice bina absque cuiusvis vulneris inflictione in spatulis percussit ipseque Guillelmus, considerans, quod laicus et germanus ab invicem separari non poterant, eumdem laicum in capite non tamen letaliter vulneravit, qui quidem laicus, per dictum germanum suum in lateribus et lumbis cum quodam alio parvo cultello vulneratus, ex eisdem vulneribus ex post decima die debitum naturae persolvit », — absolvat a casu homicidii et ab inhabilitate et infamia ([3]).

1443, octobris 26, Romae.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, VII kal. novembris, ... anno XIII.

737. Antonium de Fontanes O. F. M. instituit episcopum Civitaten. (Tempio in Sardinia) ([4]).

1443, octobris 30, Romae.

Dilecto filio Antonio de Fontanes, electo Civitaten.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Angelo episcopo Civitaten. regimini ecclesiae Civitaten. praesidente *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius Angeli, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem et in theologia magistrum, in sacerdotio constitutum, religionis zelo *etc.* In illo *etc.* Volumus autem, quod, postquam regiminis et administrationis bonorum seu maioris partis eorum dictae ecclesiae possessionem vel quasi pacificam fueris assecutus, apud ipsam ecclesiam continuam personalem residentiam facere tenearis. Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, III kal. novembris, ... anno XIII.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Civitaten.; Clero civit. et dioec. Civitaten.; Populo civit. et dioec. Civitaten.; Universis vasallis ecclesiae Civitaten.;* praeterea *Archiepiscopo Alboren.* (Ad cumulum) et *Alfonso regi Aragonum* (Gratiae divinae).

738. Mandat, ut monasterio S. Rosae Viterbien. O. S. Cl. concedat licentiam vendendi vel excambiandi certas possessiones in territorio Civitatis Vetulae (Civitavecchia) ([5]).

1443, novembris 4, Romae.

Venerabili fratri episcopo Viterbien.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Rosae Viterbien., ordinis S. Clarae, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsae ex quibus-

([1]) Reg. Lat. t. 400, f. 206 v.

([2]) Reg. Lat. t. 400, f. 122. De Alphonso de S. Petro cf. n. praec.; de domo O. F. M. de Ubeda cf. supra n. 602, p. 283.

([3]) Reg. Lat. t. 400, f. 212.

([4]) Reg. Lat. t. 398, f. 264 v. De Antonio de Fontanis cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1692, p. 647.

([5]) Reg. Lat. t. 400, f. 128 v. Cf. supra n. 335, p. 155.

dam terris et possessionibus, in territorio Civitatis vetulae tuae dioec. consistentibus et ad ecclesiam S. Eugenii, alias Urini, praefato monasterio canonice unitam, legitime pertinentibus, propter nonnulla impedimenta, quae illis a diversis personis inferuntur, parum utilitatis percipiunt annuatim. Et, sicut eadem petitio subiungebat, si abbatissa et conventus praedictae terras et possessiones huiusmodi vendere ac illarum pretium ex praedicta venditione proveniens in aliarum terrarum et possessionum in territorio ac districtu Viterbien. consistentium, quae illis magis accommodae forent, emptionem convertere seu ipsas praedictas terras et possessiones in excambium seu permutationem pro aliis terris et possessionibus dare et assignare possent, id proculdubio in evidentem praefati monasterii cederet utilitatem. Quare pro parte dictarum abbatissae et conventus Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ac ipsas primodictas terras et possessiones, quae, quot et qualescumque sint, per earum nomina et cognomina, qualitates, confines et veros valores praesentibus pro expressis habentes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus per te ipsum super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ita esse ac venditionem, emptionem, conversionem, excambium seu permutationem huiusmodi, si fiant, in evidentem dicti monasterii utilitatem cedere reppereris, ... praefatis abbatissae et conventui terras et possessiones primodictas huiusmodi quibusvis personis, clericis sive laicis, cum quibus dicti monasterii conditionem poterunt efficere meliorem, cum omnibus et singulis sollemnitatibus ac cautelis in talibus fieri consuetis et opportunis vendendi ac illis pro huiusmodi aliis terris et possessionibus in excambium vel permutationem dandi et assignandi licentiam auctoritate praedicta concedas. Volumus autem, quod, si venditio huiusmodi, quamprimum ea facta fuerit, pretium ex illa proveniens apud aliquem fide et facultatibus idoneum mercatorem in emptione in aliarum terrarum et possessionum et non alias penitus et omnino convertendum fideliter deponatur. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, pridie nonas novembris, ... anno XIII.

739. Confirmat sententiam, qua Augustinus de Curte, abbas monasterii S. Marciani extra muros Terdonen., O. S. Ben., dignitate abbatiali privatus est, necnon licentiam pro Hilario O. F. M. transeundi ad O. S. Ben. et eius de dicto monasterio provisionem non obstante, quod Hilarius in litteris suae petitionis se alias ordinem Praedicatorum professum fuisse subticuit (1).

1443, novembris 4, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, pridie nonas novembris, ... anno XIII.

740. Mandat, ut confirmet erectionem eremitorii in quadam possessione de Pacos, Lamacen. (Lamego in Portugallia) dioec., ab Aegidio de Caria clerico donata pro fratribus III O. S. Fr. (2).

1443, novembris 13, Romae.

Venerabili fratri Iohanni, episcopo Lamacen.

Votis fidelium devotorum *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum Aegidii de Caria, clerici, ac fratrum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupatorum in domo de Pacos, Lamacen. dioec., degentium Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse Aegidius, in saeculo constitutus, cupiens Altissimo devotiorem impendere famulatum, quamdam possessionem de Pacos nuncupatam, sitam infra limites parochiae parochialis ecclesiae de Caria dictae dioec., ad ipsum Aegidium legitime spectantem, cum domibus, terris et districtibus eius dicto ordini ad hoc, ut inibi eremitorium seu oratorium ad divini cultus augmentum et religionis propagationem sub vocabulo dicti sancti pro fratribus secundum instituta eiusdem ordinis vivere volentibus de novo erigeretur, sponte et libere donavit et assignavit, suscepto postmodum per eum habitu per fratres dicti ordinis gestari solito, ut in huiusmodi eremitorio cum iisdem fratribus ibidem degere volentibus sub omnipotentis Dei sedulo famulatu cum animi sui statu salubriori, quoad viveret, posset permanere. Quare pro parte Aegidii et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus donationi et assignationi praedictis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere necnon eisdem Aegidio et fratribus eremitorium huiusmodi cum ecclesia parva, campana, campanili, altaribus et aliis necessariis officinis pro usu dictorum fratrum fundandi et erigendi ac fundari et erigi faciendi inibique sub vita communi iuxta instituta ordinis huiusmodi perpetuo remanendi ac missas et alia divina officia per idoneos sacerdotes celebrari faciendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ...

(1) Reg. Lat. t. 400, f. 130 v.

(2) Reg. Lat. t. 408, f. 69.

de praedictis certam notitiam non habentes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus in praemissis omnibus et singulis ac circa ea auctoritate Nostra facias, prout conscientiae tuae melius videbitur, et super quo tibi plenam et omnimodam tenore praesentium concedimus facultatem. Et insuper, si licentiam huiusmodi per te concedi contingat, ut praefertur, praedictis ac aliis universis et singulis fratribus, qui in dicto eremitorio seu illius domo pro tempore residebunt, ut quibuscumque privilegiis ... uti et gaudere libere liciteque valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, idibus novembris, ... anno XIII.

741. Concedit licentiam recipiendi duo beneficia ecclesiastica (1).

1443, novembris 20, Romae.

Dilecto filio Petro Briquet, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui, ut asseris, ordinem fratrum Minorum expresse professus et dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Iohannae de Bitunia, comitissae de Lineyo et de Guisia, capellanus existis ac eiusdem comitissae fere a duodecim annis de tui superioris licentia servitiis et obsequiis institisti, prout insistis de praesenti, praemissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, ipsius comitissae ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut quaecumque duo beneficia ecclesiastica sine cura de iure patronatus et in dominio dictae comitissae consistentia ... recipere et, quoad vixeris, retinere valeas, necnon dictae comitissae et cuicumque alteri collatori sive patrono eorumdem, ut illa tibi conferre vel commendare aut te ad ea praesentare possit sive possint, ... de speciali gratia concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.*, proviso *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, XII kal. decembris, ... anno XIII.

742. Archiepiscopo Amalfitan. mandat, ut Franciscellam de Rogeriis, monialem monasterii S. Georgii Salernitan., O. S. Ben., in abbatissam monasterii B. Mariae, etiam Salernitan. et O. S. Ben., electam a duabus tantum monialibus conventum B. Mariae repraesentantibus, quarum altera alias ordinem S. Clarae professa fuit, praedicto monasterio B. Mariae praeficiat abbatissam (2).

1443, novembris 23, Romae.

Inter multiplices curas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, IX kal. decembris, ... anno XIII.

743. Episcopo Tuden. mandat, ut Agnetem Barbosa, monialem monasterii S. Clarae de Villacomitis, O. S. Cl., Bracharen. dioec., deputet in coadiutricem Mariae, abbatissae monasterii B. Mariae de Vallebona, O. S. Ben., Tuden. dioec. (3).

1443, novembris 30, Romae.

Apostolicae sollicitudinis studium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, pridie kal. decembris, ... anno XIII.

744. Mandat, ut Ludovicum Villani de Urbe O. F. M. instituat poenitentiarium in ecclesia Lateranen. (4).

1443, decembris 4, Romae.

Dilecto filio magistro Georgio de Caesarinis, notario Nostro, curam poenitentiariae Nostrae gerenti.

Religionis zelus, ... super quibus dilectus filius Ludovicus Villani de Urbe, ordinis fratrum Minorum professor *etc.* Volentes igitur praefatum Ludovicum ... favore prosequi gratioso, discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Ludovicum ad hoc idoneum esse reppereris, ... et ad id sollemnitates in talibus requisitae servatae fuerint, eumdem Ludovicum poenitentiarium Nostrum in ecclesia Lateranen. constituere et ordinare necnon ei poenitentiariae officium in ecclesia huiusmodi, ita quod illud, sicuti alii Nostri in praefata ecclesia poenitentiarii gerere et exercere consueverunt, etiam gerere et exercere possit, concedere, auctoritate Nostra procures, non obstante quodam de certo poenitentiariorum numero per Nos vel Sedem Apostolicam edito statuto, cui alias non intendimus derogare. Volumus autem, quod praefatus Ludovicus, priusquam officium incipiat exercere, in manibus tuis de huiusmodi officio fideliter exercendo praestet corporaliter iuramentum iuxta formam praesentibus annotatam, quae talis est: Ego frater Ludovicus Villani de Urbe, ordinis fra-

(1) Reg. Lat. t. 400, f. 31.

(2) Reg. Lat. t. 396, f. 267.

(3) Reg. Lat. t. 400, f. 181. Malo regimine Mariae (Pereira) abbatissae monasterium de Vallebona ad tale desolationis opprobrium devenerat, ut in eo nulla alia monialis praeter ipsam abbatissam resideret. Cf. supra n. 331, p. 154.

(4) Reg. Lat. t. 400, f. 228.

trum Minorum professor, domini nostri papae in ecclesia Lateranen. poenitentiarius, ab hac hora inantea fidelis ero *etc.* (1).

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, pridie nonas decembris, anno XIII.

745. Abbati monasterii S. Iustinae Paduan. mandat, ut Matthaeum Andreae de Padua, qui olim cum licentia episcopi Tervisin., asserentis se ad id oraculo vivae vocis potestatem a Sede Apostolica habere, de ordine fratrum Minorum ad monasterium S. Danielis in Monte, O. S. Ben., transierat, ibique per triennium permanserat, postmodum per unum annum in prioratu S. Silvestri Vicentin., O. S. Ben., permanserat, absolvat a censuris et irregularitate eique concedat facultatem ad quodcumque monasterium O. S. Ben. transeundi, ibique regularem professionem emittendi ac perpetuo remanendi (2).

1443, decembris 7, Romae.

Solet Sedis Apostolicae clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, VII idus decembris, ... anno XIII.

746. Christophorum de Christoforelis O. F. M. instituit episcopum Ruben. (Ruvo) (3).

1443, decembris 11, Romae.

Dilecto filio Christofero de Christoforelis, electo Ruben.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Petro, episcopo Ruben. *etc.* Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Petri episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit *etc.*, demum ad te, ordinem fratrum Minorum expresse professum, in sacerdotio constitutum *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, III idus decembris, ... anno XIII.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo et clero ecclesiae Ruben.* et *Archiepiscopo Baren.* (Ad cumulum).

747. Concedit facultatem dispensandi in impedimento consanguinitatis tertii et quarti gradus (4).

1443, decembris 13, Romae.

Dilectis filiis Antonio de Neapoli, ordinis Minorum, ac Iohanni de Marostica, presbytero Vincentin., nuntiis Nostris.

Dilecti filii sal. Cum pro vobis dudum cum exaltatione fidei catholicae et Romanae ecclesiae, depressione infidelium ac incremento christiani nominis nonnulla facultates et indulta concesserimus, Nos volentes, ut huiusmodi negotia vobis commissa eo facilius sortiantur effectum, quo maiore fueritis per Nos auctoritate suffulti, devotioni vestrae auctoritate Nostra hac vice dumtaxat negotiorum vobis commissorum prosecutione durante, cum quibusvis viris et mulieribus partium illarum tertio et quarto consanguinitatis vel affinitatis gradibus invicem coniunctis et, qui in huiusmodi gradibus matrimonium per verba legitima de praesenti vel de futuro scienter vel ignoranter contraxerunt, ut impedimento ex consanguinitate vel affinitate huiusmodi proveniente nequaquam obstante in eo per eos sic contracto matrimonio permanere libere et licite valeant, dispensandi, necnon eos a sententia excommunicationis, qua propter contractum huiusmodi forsan ligati fuerunt, absolvendi et poenitentiam salutarem iniungendi prolemque susceptam vel suscipiendam legitimam decernendi et denuntiandi etiamque faciendi, quae in praemissis necessaria fuerint, plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem.

Datum Romae, XIII decembris, ... anno XIII.

748. Concedit licentiam habendi socios Ladislaum de Hungaria et alios duos fratres O. F. M., quibus etiam dat facultatem audiendi confessiones (5).

1443, decembris 13, Romae.

Dilecti filii sal. Exigit vestrae devotionis affectus, quem ad Nos et Romanam ecclesiam gerere comprobamini, ut votis vestris, in his praesertim, quae pacem conscientiarum, tranquillitatem mentium et salutem animarum fidelium concernunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Devotioni vestrae auctoritate apostolica concedimus, ut dilectum filium Ladislaum de Hungaria et alios duos socios idoneos, Minorum ordinis, vobiscum recipere valeatis, qui una vobiscum toties, quoties fuerit opportunum, confessiones fidelium diligenter audire et ipsis auditis pro commissis debitam absolutionem impendere et poenitentiam iniungere salutarem valeant, nisi forsan talia fuerint, propter quae merito sit Sedes Apostolica consulenda, quodque vos supradictum Ladislaum et alios socios pro huiusmodi confessionibus audiendis et interpretatione praedicationis verbi Dei ac aliis exsecutionem commissorum concer-

(1) Cf. supra n. 114, p. 61. (2) Reg. Lat. t. 400, f. 34 v.
(3) Reg. Lat. t. 396, f. 242.
(4) Reg. Vat. t. 367, f. 161.
(5) Reg. Vat. t. 367, f. 161 v., immediate post n. praec., unde etiam hoc breve eisdem Antonio de Neapoli O. F. M. ac Iohanni de Marostica datum esse constat.

nentibus per civitates, villas et oppida, quotiens vobis videbitur, mittere valeatis, vobis et Ladislao ac sociis praedictis eadem auctoritate tenore praesentium indulgemus.

Datum *ut supra.*

749. Silvano, guardiano de Umbla (in Dalmatia) O. F. M., mandat, ut detractores Antonii de Neapoli O. F. M., nuntii papae, puniat (1).

1443, decembris 13, Romae.

Dilecto filio Silvano, guardiano de Umbla, ordinis Minorum.

Dil. fil. sal. Graviter sane delinquere censetur, qui odorem bonae aestimationis et famae, quae omni auro pretiosior exsistit, maculare vel alias subripere conatur. Cum autem, prout fide digna relatione percepimus, nonnulli dilectum filium Antonium de Neapoli, ordinis Minorum, istic nuntium Nostrum, calumniose de nonnullis excessibus infamaverunt, de quibus idem se clare et manifeste asseritur expurgasse, eapropter discretioni tuae, de qua specialem in Domino fiduciam gerimus, committimus et mandamus apostolica auctoritate tenore praesentium, quatenus de praedictis detractoribus et subtractione famae, ut praemittitur, per eos facta te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi eos, qui talia commisisse dicuntur, culpabiles esse reppereris, eos reprehendas efficaciter atque iniungas ipsis pro modo culpae poenitentiam salutarem, mandando dilectis filiis guardiano et conventui fratrum Minorum civitatis Ragusii aliisque fratribus circumvicinorum locorum eiusdem ordinis, quatenus ei in his, quae commissiones praesentes et mandatum et earum exsecutionem concernunt, efficaciter obediant et intendant.

Datum Romae, ... XIII decembris, ... anno XIII.

750. Laudat Ragusinos de bona receptione nuntiorum (2).

1443, decembris 13, Romae.

Dilectis filiis rectori et consilio civitatis Ragusin.

Dil. filii sal. Nonnullis fide dignis personis referentibus et praesertim dilecto filio Ladislao de Ungaria, fratre ordinis Minorum, latore praesentis, intelleximus, vos dilectos filios Antonium de Neapoli, fratrem ordinis Minorum, ac Iohannem de Marostica, presbyterum Vincentin., nuntios Nostros, ea qua decuit reverentia in Domino tunc suscepisse ac pro exsecutione mandatorum Nostrorum opportuna illis favores et praesidia impendisse et etiam impendere, ex quo ipsam vestram devotionem praecipue in Domino commendamus, eamdem etiam hortantes, quatenus in ipso vestro laudabili et honesto proposito pro Nostra et Apostolicae Sedis reverentia perseverare velitis, ut ex vestra devotione et obedientia apud Nos et ipsam Sedem merito commendari possitis.

Datum Romae, ... XIII decembris, anno ... XIII.

751. Iacobum de Ortona O. F. M., guardianum domus Bethlehemitan. et procuratorem domorum Hierosolymitan., instituit exsecutorem testamenti Iohannis Freduccii de Fulgineo (3).

1443, decembris 14, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Ortona, ordinis Minorum professori, domus ecclesiae S. Mariae de Bethlehem guardiano ac domus ecclesiae fratrum dicti ordinis dominici sepulchri et Montis Sion procuratori.

Probata tuae devotionis et fidei integritas *etc.* Hac itaque consideratione inducti, cum quondam Iohannes Freducii de Fulgineo testamentum ediderit, et in sua ultima voluntate animae suae saluti providere volens, bona sua domibus dictarum ecclesiarum reliquerit, Nos, ut haec pia et christiano nomine digna ultima voluntas ad debitum effectum deducatur, te haereditatis ac bonorum dicti Iohannis administratorem ac procuratorem motu proprio et ex certa scientia auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus et etiam deputamus, tibi compellendi et compelli faciendi omnes et singulas personas, cuiuscumque status, ordinis vel praeeminentiae fuerint, quae bona dictae haereditatis administrarunt sive administrant, ut tibi aut aliis a te deputandis rationem ac calculum huiusmodi administrationis reddant, necnon quoscumque occupantes et detentores bonorum praefatae haereditatis ac debitores eiusdem ad reddendum et restituendum bona, in quibus obligati esse dignoscuntur, et insuper bona huiusmodi sive eius valorem recipiendi ac personas, quae bona praedicta tibi vel deputandis praedictis tradiderint, de traditis et receptis dumtaxat quietandi, absolvendi ac perpetuo liberandi necnon huiusmodi bona tam mobilia quam immobilia dictae haereditatis vendendi et alienandi pro pretio competenti et insuper cum dilecta in Christo filia nobili muliere relicta quondam dicti Iohannis de et super rebus et bonis

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 163. (2) Reg. Vat. t. 367, f. 163. (3) Reg. Lat. t. 400, f. 179.

per dictum quondam Iohannem sub certa conditione sibi relictis, prout conscientiae tuae videbitur, componendi et ex his bonis ratam, quae tibi videbitur, sibi tradendi, contradictores et rebelles *etc.*, invocato *etc.*, et insuper personas, si quae horum occasione in sententias et poenas spirituales ac temporales inciderunt, a sententiis huiusmodi absolvendi iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari et facta restitutione bonorum huiusmodi occupatorum et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, necnon, ut loco tui unum aut plures procuratorem seu procuratores bonae conversationis et vitae et alias ad id idoneos, si opus fuerit, ad lites et causas ac bona et fructus dictae haereditatis tam citra quam ultra mare iuxta voluntatem dicti Iohannis testatoris distribuere possint, substituendi et insuper cum procuratoribus huiusmodi substituendis, ut ad sepulchrum dominicum proficisci et in domibus praedictis perpetuo sive ad certum tempus, prout tibi videbitur, libere et licite moram trahere possint, si alias sint idonei, dispensandi, apostolicis ac dicti ordinis constitutionibus non obstantibus quibuscumque, plenam et omnimodam auctoritate praefata tenore praesentium concedimus facultatem. Per hoc autem aliis procuratoribus in huiusmodi litibus et causis deputatis et constitutis non intendimus in aliquo derogare, mandantes omnibus et singulis iudicibus et delegatis vel subdelegatis seu commissariis tam deputatis quam deputandis, quatenus libris et scripturis dicti Iohannis in rebus dictam haereditatem concernentibus fidem plenariam adhibeant, quodque ipsi ad requisitionem dicti procuratoris sive substituendorum ab eodem sententias tam definitivas quam interlocutorias in favorem praefatae haereditatis latas et ferendas quibuscumque appellationibus tam interpositis quam forsan interponendis penitus postpositis ubilibet exsequantur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, XIX kal. ianuarii, ... anno XIII.

752. Benedictae de Allagona, moniali professae monasterii S. Clarae, O. S. Cl., Messanen. dioec., concedit facultatem, ut de consensu abbatissae accipere valeat quamcumque dignitatem, etiam abbatissalem, O. S. Ben. vel O. Cisterc. ([1]).

1443, decembris 14, Romae.

Digna reddimur attentione solliciti *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, XIX kal. ianuarii, ... anno XIII.

753. Mandat, ut Francisco de Ursinis, praefecto Urbis, concedat facultatem erigendi domum O. F. M. in castro S. Agathae ([2]).

1443, decembris 18, Romae.

Venerabili fratri episcopo Vican.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Francisci de Ursinis, almae Urbis praefecti, petitio continebat, quod ipse ecclesiam sine cura B. Mariae Annuntiatae extra muros castri S. Agathae, temporali ipsius Francisci dominio subiecti, quae diu rectore caruit, prout etiam de praesenti caret, pro divini cultus augmento necnon religionis propagatione huiusmodi ac etiam, ut exinde in missis et aliis divinis devota suscipiat commoda, cum suis et contiguis domibus, habitationibus, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis in domum conventualem ad instar aliarum domorum ordinis fratrum Minorum pro usu et habitatione perpetuis quorumdam illius religiosorum erigi et reduci, necnon fratribus dicti ordinis domum ipsam recipiendi et in ea libere et licite remanendi licentiam concedi desiderat. Quare pro parte dicti praefecti Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita et tibi videatur, quod ecclesia cum domibus et aliis praedictis ad id accommoda exsistat, ... praefecto ecclesiam cum domibus, habitationibus ac hortis et hortalitiis huiusmodi in conventualem domum praefati ordinis pro usu et habitatione perpetuis religiosorum eorumdem dicti ordinis dumtaxat erigendi seu erigi faciendi, necnon religiosis praedictis domum praefatam recipiendi et in ea perpetuo remanendi plenam et liberam auctoritate apostolica licentiam concedas et etiam facultatem, iure tamen *etc.*, non obstantibus *etc.* Nos enim ... guardiano et fratribus in dicta domo pro tempore degentibus, ut ipsi ac praefata domus omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, XV kal. ianuarii, ... anno XIII.

754. Episcopo Veneten. (Vannes) mandat, ut decernat causam praecedentiae inter Matthaeum, abbatem, et conventum monasterii S. Melani prope Redonis (Rennes) O. S. Ben. ex una et Iohannem de Coecquitz, archidiaconum de Deserto, ex altera parte, qui « in die dominica festum paschae proxime transactum immediate sequente venerabili fratre Nostro Guillelmo episcopo Redonen. et nonnullis de clero civitatis et

([1]) Reg. Lat. t. 406, f. 48v.

([2]) Reg. Lat. t. 403, f. 107v.

dioec. praedictarum in choro ecclesiae domus Redonen. O. F. M. pro exsequiis cuiusdam mulieris, dum viveret, uxoris dilecti filii Iohannis Bodrier, civis Redonen., faciendis insimul congregatis praefatum Matthaeum abbatem primo digniori et eminentiori loco immediate post venerabilem fratrem Nostrum episcopum Redonen. etiam ab illius latere dextro spoliaverat, illumque locum sibi vindicaverat » (1).

1443, decembris 20, Romae.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, XII kal. ianuarii, ... anno XIII.

755. Concedit fratribus III O. S. Fr. domum, « Apostolorum » nuncupatam, Narnien., de cetero S. Luciae nuncupandam (2).

1444, ianuarii 22, Romae.

Dilectis filiis Iohanni de Alamania et Thomae de Sclavonia, fratribus tertii ordinis S. Francisci, in certa domo Apostolorum nuncupata Narnien. commorantibus.

Sacrae religionis zelus ... meretur, ut petitionibus vestris, illis praesertim, quae ad vestri ac fratrum tertii ordinis S. Francisci in certa domo, Apostolorum nuncupata, Narnien., commorantium animarum salutem cedere noscuntur, ... favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos a sex annis citra domum praefatam, dudum antea, ut asseritur, ad usum certarum Deo devotarum personarum, Apostolorum nuncupatarum, certo modo relictam seu alias ad illas olim pertinentem ac postea a quodam praefati ordinis fratre per plures annos possessam, tenueritis, prout etiam de praesenti tenetis et possidetis, illamque propriis sumptibus atque laboribus multipliciter reformaveritis necnon unam capellam sub S. Luciae vocabulo cum altari in eadem de licentia venerabilis fratris Nostri Iacobi, episcopi Narnien., seu eo id tunc sciente et tolerante erexeritis et construxeritis, Nos vestro et fratrum dicti ordinis in domo praefata pro tempore commorantium statui, et ut vos et illi, liberati a noxiis, quietius et commodius Altissimo vota reddere vestramque et eorum animarum consolationes et gaudia sentire valeatis, providere volentes, ... vobis ac successoribus vestris dicti ordinis fratribus in domo huiusmodi pro tempore commorantibus domum praedictam, cuius qualitates, valorem, vocabula atque confines praesentibus haberi volumus pro expressis, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, ita quod illa domus S. Luciae de cetero nuncupetur, ad vestros ac dictorum successorum perpetuos usus et habitationem, dummodo illa de iure ad aliquem praesentialiter non pertineat, auctoritate apostolica assignamus atque donamus necnon etiam, quod vos et dicti successores per proprios vel alios sacerdotes idoneos, saeculares vel regulares, missas et alia nocturna atque diurna divina officia in dicta capella celebrari facere necnon etiam vos vel alter vestrum de consensu praedicti episcopi vel eius successoris supra eamdem capellam aut in ea parvam campanam ad missas et divina huiusmodi pulsandam ponere et habere perpetuo possitis et valeatis, auctoritate praedicta tenore praesentium concedimus et indulgemus, iure tamen *etc.*, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae, apud S. Petrum, anno ... 1443, XI kal. februarii, ... anno XIII.

756. Declarat ordines mendicantium non comprehendi in praecepto solvendi decimas pro necessitate ecclesiae imposito (3).

1444, ianuarii 24, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum iustis ex causis pro summa necessitate catholicae fidei et universalis ecclesiae unam decimam fructuum ecclesiasticorum in universo orbe consistentium duximus imponendam et ab omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, praelatis ac personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, exemptis et non exemptis huiusmodi redditus et proventus ubicumque obtinentibus et infra certum tempus obtenturis, cuiuscumque praeeminentiae, status, gradus, dignitatis, religionis, ordinis vel conditionis exsistant, etiam a dilectis filiis hospitalium et ordinum S. Iohannis Hierosolymitani et S. Mariae Theutonicorum magistris, praeceptoribus, fratribus, prioribus, ballivis et certis aliis hospitalium et ordinum praedictorum professoribus beneficia obtinentibus, solvendam, exigendam et colligendam auctoritate certarum litterarum Nostrarum decrevimus et declaravimus, prout in dictis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso habere volumus, plenius continetur. Cum autem Nostrae intentionis exstiterit atque exsistat, ut ordines mendicantium et insuper S. Mariae Servorum ubicumque exsistentium ab eiusmodi decimae solutione et omnibus aliis decimae solutionibus ad quorumcumque instantiam impositis sive imponendis exempti sint, auctoritate apostolica ex certa scientia declaramus et decer-

(1) Reg. Lat. t. 404, f. 307. (2) Reg. Lat. t. 406, f. 61. (3) *Bull. Ord. fratr. Praed.* t. III, p. 179, n. 273.

nimus per praesentes Nostrae intentionis fuisse et esse, ut ordines mendicantium, videlicet Praedicatorum, Minorum, Eremitarum et Carmelitarum ac insuper S. Mariae Servorum ac omnes et singulas domos eorum ab huiusmodi solutione decimae exemptos et exemptas fuisse et esse, statuentes auctoritate et scientia eisdem eos et eas a quoquam, quavis auctoritate ad solutionem huiusmodi decimae et impositionis persolvendam minime coarctari posse ac debere quovis modo, mandantes in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis praelatis vel quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus et dignitatis exsistant, per Nos hactenus deputatis vel in posterum deputandis et certis aliis ab eisdem vel quavis alia ecclesiastica vel mundana auctoritate ad exsecutionem dictarum litterarum ordinatis, subrogatis seu ordinandis vel subrogandis sub poena excommunicationis, quatenus ordines et domos praedictos et praedictas praefatorum occasione nullo modo seu quovis quaesito colore impetant, vexent vel molestent seu impeti, molestari et vexari faciant quoquomodo, irritum ex nunc et inane decernentes, quidquid contra huiusmodi Nostram declarationem et decretum actum, gestum, sententiatum seu promulgatum fuerit. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, IX kal. februarii, ... anno XIII.

757. Crucettum episcopum Insulen. (O. F. M.) transfert ad Cotronen. ([1]).

1444, ianuarii 27, Romae.

Venerabili fratri Crucetto, episcopo Cotronen.

Romani pontificis, quem pastor ille coelestis *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Galeotto episcopo Cotronen. *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius Galeotti episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, *etc.* demum ad te, tunc episcopum Insulen., apud Sedem Apostolicam constitutum, considerantes grandium virtutum merita, quibus personam tuam illarum largitor Deus insignivit, et quod tu, qui regimini Insulen. ecclesiae hactenus laudabiliter praefuisti, eamdem Cotronen. ecclesiam scies et poteris auctore Domino feliciter regere et salubriter gubernare, *etc.* Intendentes igitur tam ipsi ecclesiae Cotronen. quam eius gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo praefatae Insulen. ecclesiae, cui tunc praeeras, tenebaris, ... absolventes, te ad praefatam ecclesiam Cotronen. auctoritate apostolica transferimus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* Quocirca fraternitati tuae *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, VI kal. februarii, ... anno XIII.

Simili modo eadem die scribit *Dilectis filiis Capitulo ecclesiae Cotronen.; Clero civit. et dioec. Cotronen.; Populo civit. et dioec. Cotronen.;* praeterea *Archiepiscopo Regin.* (Ad cumulum) et *Alfonso regi Aragonum illustri* (Gratiae divinae).

758. Episcopo Muran. mandat, ut litteras apostolicas incorporationis monasterii S. Laurentii della Thofara (Tufara), O. S. Ben., cum mensa archiepiscopi Consan. et cum mensa capituli ecclesiae Consan. casset et eidem monasterio Petrum de Castrograndinis O. F. M. praeficiat in abbatem ([2]).

1444, februarii 8, Romae.

Apostolicae servitutis studium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, VI idus februarii, ... anno XIII.

759. Concedit facultatem coercendi inobedientes ([3]).

1444, februarii 13, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Capistrano, fratri ordinis Minorum de observantia nuncupatorum, in partibus ultramontanis vicario generali.

Cum ex Nostra deliberata maturaque dispositione fueris institutus vicarius generalis in omnibus partibus ultramontanis quoad fratres de observantia nuncupatos, non sine displicentia audimus, quod nonnulli ex dictis fratribus subditis tuis simulatis coloribus, tamquam filii prodigi extra curam patrisfamilias vagantes, tuam obedientiam effugiunt tuasque ordinationes et mandata contemnunt. Nos, cupientes tuum officium nec infructuosum nec aliqualiter frustratorium fore, omnibus et singulis fratribus tam praesentibus quam futuris in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae praecipimus et mandamus, quatenus omni appellatione et contradictione remotis in cunctis licitis et honestis, quae tuam regulam, ordinem, statum et officium concernentia iam ordinasti vel in posterum ordinabis, tibi pareant aequanimiter ac intendant; nihilominus tibi harum serie concedendo, ut omnes et singulos evagantes huiusmodi et a tua obedientia se palliantes revocare, reducere et reformare valeas ac punire cum plenitudine auctoritatis tibi traditae in tui vicariatus institutione, contradictores et rebelles *etc.*, invocando etiam *etc.*,

([1]) Reg. Lat. t. 396, f. 255. Cf. supra n. 315, p. 148 et n. 618, p. 293.

([2]) Reg. Lat. t. 396, f. 276.

([3]) Wadd. *Ann.* ad a. 1443, *Suppl. Melissani* n. 2.

constitutionibus ... ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum ... anno ... 1443, idibus februarii, ... anno XIII.

760. Confirmat ea, quae acta erant in visitatione monasterii S. Catharinae Ianuen. O. S. Cl. atque ipsum monasterium iurisdictioni ordinis Minorum subtrahit et sub iurisdictione archiepiscopi Ianuen. ponit (1).

1444, februarii 17, Romae.

Venerabili fratri Valerio, episcopo Saonen.

Et si de singularum personarum *etc.* Dudum siquidem, dum litteris dilecti filii nobilis viri Raphaelis Adurni, ducis Ianuen., et dilectarum in Christo filiarum monialium et conventus monasterii S. Catharinae, etiam Ianuen., ordinis S. Clarae, quampluriumque notabilium civium *etc. (repetuntur dicta in bulla n. 732, p. 348).* Postmodum vero, sicut exhibita Nobis nuper pro parte ducis et monialium praedictorum ac nonnullorum civium praefatae civitatis petitio continebat, abbas et prior praefati, ad dictarum aliarum procedentes exsecutionem litterarum, illarum vigore ad praefatum monasterium S. Catharinae personaliter accesserunt et visitaverunt tam in capite quam in membris ac vocatis fratribus ordinis Minorum et aliis, qui eis videbantur evocandi, super contentis in ipsis aliis litteris se informarunt ... et, quia per informationem huiusmodi adversus eosdem fratres obiecta vera esse reperiebant, ante omnia praefatas moniales a dicta sententia et quolibet alio gravamine absolverunt, interdictum ... removerunt necnon abbatissam, moniales et conventum monasterii S. Catharinae huiusmodi tam praesentem quam futuras ab omni iurisdictione ... praefati ordinis Minorum ac illius generalis ministri et quorumlibet aliorum fratrum, cuiuscumque gradus ... exsisterent seu quovis alio eiusdem ordinis fungerentur officio, perpetuo exemerunt, ... ipsasque abbatissam et moniales Nostrae et Sedis Apostolicae protectioni immediate subiectas esse decreverunt et mandarunt, statuentes et ordinantes, quod abbatissa et moniales praedictae habitum praefati ordinis S. Clarae, quem eatenus portarant, commutarent, quem ipsi etiam commutarunt, ac quod exinde imperpetuum monachalem habitum gestare deberent et tenerentur, et insuper omnibus et singulis fratribus ipsius ordinis Minorum tam praesentibus quam futuris in virtute sanctae obedientiae et sub infrascriptis ecclesiasticis censuris et sententiarum poenis, ne ipsi vel aliquis eorum ullo umquam tempore ad ipsum monasterium S. Catharinae accedere seu in illud vel eius moniales iurisdictionem aliquam, visitationem, administrationem vel curam exercere praesumerent, inhibuerunt, alioquin in contra facientes excommunicationis et in quoscumque conventus eorumdem in his delinquentes suspensionis a divinis ac in illarum ecclesias interdicti sententias promulgarunt et nonnulla alia fecerunt, statuerunt et ordinarunt, quae pro reformatione et bono statu dicti monasterii S. Catharinae in eisdem spiritualibus et temporalibus ac salutem animarum inibi degentium monialium videbantur in Domino salubriter expedire, et cum per diligentem inquisitionem aliquem ex fratribus praefatis aetatis et qualitatis secundum aliarum litterarum huiusmodi continentiam et tenorem atque alias idoneum non reperirent, qui hoc facere volebat, abbatissa et monialibus praefatis, quae sine capellano et confessore manere non poterant, dilectum filium Iohannem de Padua, canonicum ordinis S. Augustini, sexagesimum suae aetatis annum transcendentem, regularis probatae vitae, qui ipsarum confessiones audire, eas absolvere illisque missas et alia divina officia celebrare atque ecclesiastica sacramenta ministrare posset, donec desuper aliter provideremus, constituerunt pariter et deputarunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, a nonnullis de viribus actorum et gestorum per abbatem et priorem, praecipue quoad exceptionem, liberationem, subiectionem, habitus mutationem ac capellani et confessoris deputationem huiusmodi illasque concernentia pro eo, quod contra seu praeter ipsarum aliarum litterarum formam processisse videntur, ac ex certis aliis causis disceptetur, pro parte ducis, abbatissae, monialium et civium praedictorum, asserentium, quod praefatae moniales habitum S. Clarae mutantes monachalem habitum iuxta ipsorum abbatis et prioris ordinationem susceperunt ac secundum constitutiones et consuetudines regulae dicti ordinis S. Clarae in omnibus vivendo illum exinde gestarunt, prout gestant de praesenti, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus super ultimo expositis huiusmodi ac eorum circumstantiis universis te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ea veritate subniti reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, abbatissam et moniales praedictas, si hoc humiliter petierint ab excommunicationis sententia, quam forsan propter mutationem habitus huiusmodi quomodolibet incurrerunt, auctoritate Nostra hac vice dum-

(1) Reg. Lat. t. 406, f. 231 v. Cf. supra n. 732, p. 348.

taxat absolvas in forma ecclesiae consueta, iniunctis inde eis pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, ac absolutione huiusmodi eis per te vigore praesentium impensa accessum, visitationem per abbatem et priorem factam, absolutionem, interdicti remotionem, exemptionem, dissolutionem, separationem, liberationem, inhibitionem, capellani deputationem atque alia per abbatem et priorem gesta et facta et inde secuta huiusmodi eadem auctoritate approbes et confirmes, supplens *etc.* necnon abbatissam, conventum et monasterium S. Catharinae cum illarum personis, rebus et bonis totaliter iurisdictioni, superioritati, dominio et potestati archiepiscopi ac legi dioecesanae subicias, supponas et submittas, quod illa sint sub cura ipsius archiepiscopi, qui cum Montisoliveti et Cartusien. ordinum, Ianuen. dioec., domorum prioribus, quotiens id expedire videbitur, simul visitet ipsisque abbatissae, conventui et monialibus de capellano et confessore provideat atque omnia alia faciat, quae ad bonam directionem et felicem statum praefati monasterii S. Catharinae necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna necnon abbatissam, conventum et monasterium S. Catharinae cum illorum personis, rebus et bonis huiusmodi ab ordine Minorum ac eius superioribus et personis praefatis omnino exempta et penitus liberata ac eidem archiepiscopo modo praemisso subiecta fore et manere debere, ac quidquid contra illa per superiores, visitatores, reformatores et alias personas praefati ordinis Minorum aut eorum vel alicuius ipsorum nomine scienter vel ignoranter fieri vel attentari contigerit, irritum et inane ac nullius roboris vel momenti auctoritate decernas antedicta. Volumus autem, quod abbatissa et moniales praedictae cum priori habitu in praefato ordine S. Clarae remaneant vel in habitu mutato ordinem S. Benedicti, in quo saltem in tribus substantialibus regulae illius vivant observanter, profiteantur. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, XIII kal. martii, ... anno XIII.

761. Mandat, ut Andreolam de Trevio, sororem III O. S. Fr., in monasterio S. Clarae terrae Trevii, O. S. Cl., Spoletan. dioec., recipi faciat (1).

1444, februarii 19, Romae.

Dilecto filio Andreae Honofrii, canonico Spoletan.

Humilibus supplicum votis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Andreolae de Trevio, sororis tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, petitio continebat, ipsa in domo de pauperibus sancti praedicti eiusdem ordinis, Spoletan. dioec., in qua professionem per illius sorores emitti solitam emisit, ac dicto ordine cum animi sui quiete et sana conscientia remanere non possit et ad monasterium S. Clarae terrae Trevii per priorissam soliti gubernari, ordinis eiusdem sanctae, dictae dioec., in quo regularis observantia viget, et ad quem singularem gerit devotionis affectum, transire desideret, pro parte eiusdem Andreolae Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus auctoritate Nostra praefatae Andreolae ... ad dictum monasterium transeundi et in ipso monasterio sub regularibus illius habitus et observantia perpetuo remanendi licentiam concedas eamque facias dicta auctoritate in eodem monasterio, si in illo certus sororum numerus non sit, dummodo illud ex hoc nimium non gravetur, vel etiam si huiusmodi numerus ibidem forsitan exsisteret et aliqua de eo desit ad praesens, ex nunc, alioquin quam primum aliquam deesse contigerit, in sororem recipi ac sibi de communibus ipsius monasterii proventibus sicut uni ex aliis illius sororibus integre provideri eamque ibidem sincera in Domino charitate tractari, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, XI kal. martii, ... anno XIII.

762. Stephano Stephani de Montegranario, Firman. dioec., O. F. M., pro quo etiam Dominicus, S. Mariae in via lata diaconus cardinalis, Apostolicae Sedis legatus, supplicavit, concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (2).

1444, februarii 24, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, VI kal. martii, ... anno XIII.

763. Antoniae Miniati de Senis et Clarae de Firmo et universis aliis sororibus praesentibus et futuris domus Anconitan. III O. S. Fr. de poenitentia, concedit facultatem eligendi, de consilio tamen episcopi Anconitan., confessarium et remissionem plenariam in articulo mortis (3).

1444, martii 4, Romae.

Pastoris aeterni, cuius vices *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, IV nonas martii, ... anno XIII.

(1) Reg. Lat. t. 406, f. 148. (2) Reg. Vat. t. 376, f. 22v. (3) Reg. Lat. t. 400, f. 24v.

764. Mandat, ut locationem certae domus ad monasterium S. Mariae novae Anconitan. sororum III. O. S. Fr. pertinentis Angelo, civi Anconitan., factam revocet (1).

1444, martii 4, Romae.

Dilecto filio Iohanni Meroli, canonico Anconitan.

Religiosis personis, praesertim feminei sexus *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Antoniae Miniati de Senis et Clarae de Firmo ac nonnullarum aliarum sororum domus S. Mariae novae Anconitan., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum, antequam dicta domus, tunc monasterium ordinis S. Benedicti, sibi pro earum usu et habitatione auctoritate ordinaria donaretur et assignaretur, quondam Antonella, olim ipsius monasterii abbatissa, quamdam domum cum horto, domibus et aedificiis illi contiguis et ad ipsum monasterium pertinentem, ex qua ad dictum monasterium habetur facilis ingressus, dilecto filio Angelo, civi Anconitan., ex ipsa Antonella, praedictum ordinem S. Benedicti professa, nato et in vigesimonono suae aetatis anno constituto, locavit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, huiusmodi locatio pro eo, quod saecularium personarum conversatio non modo religiosis personis non conformis, quinimo periculosa et suspecta fore dignoscitur, eisdem Antoniae, Clarae et aliis sororibus damnosa exsistat, pro parte dictarum Antoniae, Clarae et aliarum sororum, asserentium se praedicto Angelo de quibuscumque melioramentis seu expensis per eum tam in locata domo quam horto praedictis utiliter et necessario factis satisfacere paratas fore, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam vocatis dicto Angelo et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de praemissis legitime constiterit, et Antonia, Clara ac aliae sorores praedictae ipsi Angelo pro melioramentis seu expensis utiliter et necessario factis huiusmodi satisfecerint, ut praefertur, locationem praedictam auctoritate Nostra revoces, casses et annulles nulliusque roboris vel momenti fore decernas. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno, ... 1443, IV nonas martii, ... anno XIII.

765. Mandat, ut Antoniae Miniati de Senis et Clarae de Firmo aliisque sororibus domus B. Mariae novae Anconitan., III. O. S. Fr., concedat licentiam vendendi certa bona immobilia (2).

1444, martii 4, Romae.

Dilecto filio Iohanni Meroli, canonico Anconitan.

Iis, per quae monasteriorum *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Antoniae Miniati de Senis et Clarae de Firmo ac nonnullarum aliarum sororum domus S. Mariae novae Anconitan., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, petitio continebat, domus ipsa, quae dudum, tunc monasterium ordinis S. Benedicti exsistens, eis pro ipsarum usu et habitatione auctoritate ordinaria sub certis modo et forma donata et assignata fuit, in magna parte structurarum et aedificiorum suorum ruinae subiaceat, nec ad illorum reparationem sororum earumdem facultates ac, quae illis dietim per christifideles pie erogantur, eleemosynae, ex quibus ipsae vix sustentari possunt, sufficiant et, si nonnulla immobilia bona, in territorio civitatis Nostrae Anconitan. consistentia, quae dudum, tunc ad dilectam in Christo filiam Girellam, relictam quondam Pisani Nutoli laici, viduam in praefata civitate commorantem, legitime pertinentia, dicta Girella, ad tertium ordinem huiusmodi singularem gerens devotionis affectum, quondam Brunae Mascii Monaldi de Sancto Severino, mulieri tunc in eadem civitate moram trahenti, quam ipsum tertium ordinem expresse professam fore credebat, nullis mulieribus praedicti tertii ordinis tunc in eadem civitate exsistentibus perpetuo donavit et assignavit, venderentur illorumque pretium in reparationem huiusmodi converteretur, ipsae Antonia, Clara et sorores reparationi huiusmodi, quam alias nullatenus perficere poterunt, pro posse intenderent, pro parte earumdem Antoniae, Clarae et aliarum sororum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis bona praedicta vendendi ac illorum pretium in reparationem huiusmodi convertendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ea fore vera reppereris, ... eisdem Antoniae, Clarae et aliis sororibus praefata bona quibusvis personis cum omnibus sollemnitatibus ac cautelis in talibus fieri consuetis opportunis vendendi eadem auctoritate Nostra licentiam largiaris. Volumus autem, quod pretium ex ipsa

(1) Reg. Lat. t. 406, f. 128v. Cf. n. praec.

(2) Reg. Lat. t. 396, f. 216. Cf. n. praec.

venditione proveniens in reparationem huiusmodi et, quidquid ex eo facta dicta reparatione forsan supererit, in sustentationem sororum praedictarum et non alias penitus ac omnino convertantur. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, IV nonas martii, ... anno XIII.

766. Mandat, ut fratri Iacobo de Aurilia O. F. M. concedat certa privilegia (1).

1444, martii 13, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Neapolitan.

Sincerae devotionis affectus, quem dilectus filius Iacobus de Aurilia, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum professor, ad Nos et Romanam gerit ecclesiam *etc.* Sane, sicut pro parte dicti Iacobi Nobis nuper exhibita petitio continebat, ipse diversis infirmitatibus confectus, adeo debilitatus et viribus sui corporis destitutus exsistit, quod regularem dicti ordinis observantiam iuxta illius instituta servare et in ecclesiis officiis divinis commode nequeat interesse. Quare pro parte sua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut, quod ipse, quoad vixerit, cum uno socio fratre praefati ordinis ad hoc voluntario, per ipsum pro adiutorio, praecipue infirmitatum temporibus, sibi praestando, quotiens sibi videbitur, eligendo, superiorum eiusdem ordinis aut cuiusvis alterius licentia minime petita vel obtenta ubilibet etiam extra dicti ordinis loca habitare et morari ac pro suis et praefati socii necessitatibus et indigentiis supportandis et relevandis quascumque eleemosynas, etiam pecuniarias, quae per christifideles sibi pietatis intuitu vel alias dabuntur et ministrabuntur, per se vel alium seu alios petere, tangere, recipere, retinere et expendere libere et licite valeat tamquam receptor et dispensator vel collector Noster, quodque ad observandum praecepta, mandata vel consilia in regula beati Francisci contenta et ad interessendum missis et aliis divinis officiis in aliquo loco etiam praefati ordinis minime teneretur nec ad ea, quibus pro viribus satisfacere curabit, a quoquam invitus coarctari valeret, ac quod confessor idoneus, quem duxerit eligendum, confessione eius diligenter audita semel in anno quolibet pro commissis debitam absolutionem impendere et poenitentiam salutarem iniungere ac saluti animae suae plenarie consulere necnon semel tantum in mortis articulo plenam remissionem omnium peccatorum suorum ... misericorditer concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... volentes dictum Iacobum, qui, ut asserit, de nobili genere procreatus et dictum ordinem expresse professus exsistit, ... favore prosequi gratiae specialis, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus consideratis universis, quae in praemissis et circa ea fuerint consideranda, in illis facias, disponas, ordines et praefato Iacobo concedas et indulgeas, prout secundum [Deum] animae suae saluti, super quo tuam conscientiam oneramus, visum fuerit expedire, non permittens ipsum Iacobum et suum, quem pro tempore habuerit, socium contra formam et effectum, quae feceris, disposueris et praesentium vigore concesseris, per superiores praedictos vel aliquem ipsorum aut quemvis alium aliquatenus impeti seu quovis modo molestari, impetitores et molestatores huiusmodi ac contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, III idus martii, ... anno XIII.

767. Confirmat concessionem ecclesiae S. Mariae Annuntiatae de Castroregali, Messanen. dioec., fratribus O. F. M. de observ. factam (2).

1444, martii 14.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta *etc.* Sane exhibita pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus Messanen., ordinis Minorum, petitio continebat, quod olim bon. mem. Thomas primo et deinde venerabilis frater Noster Bartholomaeus, archiepiscopi Messanen., provide attendentes, quod ecclesia S. Mariae Annuntiatae de Castroregali, Messanen. dioec., quae nullius annui fructus, redditus aut proventus exsistit, diu subsistere non posset, quodque pro ecclesia, habitatione, domo, aedificiis, hortalitiis et aliis necessariis officinis fratrum ordinis eiusdem multum esset accommoda, eam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis guardiano et fratribus praedictis ordinaria auctoritate concesserunt, ipsique guardianus et fratres, huiusmodi concessionis vigore ecclesiam ipsam apprehendentes, eam in structuris et aedificiis ampliarunt et ad laudem divini nominis honeste non desinunt ampliare. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, guardianus et fratres ipsi, qui ecclesiam ipsam cum iuribus et pertinentiis huiusmodi ex tunc tenuerunt et inhabitarunt, prout tenent et inhabitant de praesenti, dubitent super his posse imposterum molestari, pro parte ipsorum guardiani et fratrum Nobis fuit

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 308.

(2) Reg. Lat. t. 408, f. 78 v.

humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... dummodo in observantia regulari guardianus et fratres ipsi persistant, concessionem praedictam et quaecumque inde secuta rata habentes et grata, ea auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.* Et nihilominus guardiano et fratribus praedictis in ecclesia et pertinentiis ipsis ulterius aedificandi et construendi illasque habendi et retinendi, fel. rec. Bonifatii VIII, praedecessoris Nostri *etc.* non obstante, iure tamen parochialis *etc.* plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur, volentes nihilominus et guardiano et fratribus ipsis, qui ibidem pro tempore residebunt, auctoritate praedicta concedentes, quod ipsi omnibus et singulis privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, pridie idus martii, ... anno XIV.

768. Mandat, ut monasterio S. Petri in insula Pagi (Pago), O. S. Ben., Iadren. dioec., praeficiat Iohannem Thomae, O. F. M. in abbatem (1).

1444, martii 14, Romae.

Dilecto filio archidiacono ecclesiae Noven.

Apostolicae servitutis studium *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis Thomae, ordinis fratrum Minorum professoris, petitio continebat, quod, licet monasterium S. Petri de insula Pagi, ordinis S. Benedicti, Iadren. dioec., inter alia illarum partium monasteria satis notabile reputatum fuerit, et alias ab antiquo iuxta famam publicam earumdem partium in eo abbas cum aliquibus monachis in divinis inibi servientibus residere consueverint, tamen illud quasi derelictum a triginta quinque annis citra remansit, prout etiam hodie remanet, eiusque structurae et aedificia excepta ipsius ecclesia, quae adhuc in bona dispositione exsistit, pro magna ipsorum parte defectum non modicum patiuntur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dilecti filii communitas terrae Pagi, praefatae dioec., se et eamdem terram in certo loco, dicto monasterio propinquo, transferre ac novam terram inibi sumptuoso et notabili opere aedificari inchoatam ad sui perfectionem deducere intendant, et quod ipsum monasterium in spiritualibus et temporalibus reformetur, summe desiderent necnon ad id suffragia possibilia impendere proponant et, sicut accepimus, praefatum monasterium, cui quondam Andreas de Sancto Severino, ipsius monasterii abbas, dum viveret, praesidebat, per obitum dicti Andreae abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad praesens, licet archiepiscopi Iadren., qui interim fuerunt, per tempus trigintaquinque annorum huiusmodi praefatum monasterium eiusque possessiones et bona absque concessione apostolica detinuerint, prout etiam venerabilis frater Noster Laurentius, archiepiscopus Iadren., credens illud ad mensam suam archiepiscopalem spectare, detinere dignoscitur, Nos, ... de meritis et idoneitate dicti Iohannis, qui ut asserit, de antiqua terra praedicta oriundus ac in quinquagesimo et ultra suae aetatis anno constitutus exsistit, et pro quo communitas praedicti, asserentes, quod sperant ipsum Iohannem propter eius virtutes et merita dicto monasterio utilem et fructuosum esse debere, Nobis super hoc humiliter supplicarunt, apud Nos de religionis zelo ... multipliciter commendati certam notitiam non habentes, discretioni tuae ... mandamus, quatenus de meritis et idoneitate praedictis auctoritate Nostra te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi praefatum Iohannem alias ad regimen et gubernationem dicti monasterii utilem et idoneum esse reppereris, ... et ad id praefati Laurentii archiepiscopi expressus accedat assensus, aut alias, si idem Laurentius archiepiscopus non consenserit, ut praefertur, ac eo et aliis, qui fuerint evocandi, tunc vocatis tibi de hodierna detentione monasterii huiusmodi constiterit, de persona dicti Iohannis eidem monasterio, cuius fructus, redditus et proventus viginti florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipse Iohannes asserit, non excedunt, ... auctoritate praedicta provideas ipsumque illi in abbatem praeficias, curam, regimen *etc.*, contradictores *etc.* Et nihilominus eidem Iohanni, ... ut a quocumque maluerit catholico antistite ... munus benedictionis suscipere valeat, ... eadem auctoritate concedas, non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod praefatus antistes, postquam eidem Iohanni munus praedictum impenderit, ab eo Nostro et Romanae ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum recipiat iuramentum *etc.* et quod per hoc archiepiscopo Iadren., cui monasterium ipsum ordinario iure subesse dignoscitur, nullum imposterum praeiudicium generetur, quodque etiam praefatus Iohannes ... illum gestet habitum, qui in praefato monasterio geritur et habetur seu gerebatur et habebatur, eiusque institutis regularibus se conformet.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, pridie idus martii, ... anno XIV.

(1) Reg. Lat. t. 410, f. 223 v.

769. Episcopo Anglonen. mandat, ut praemissa diligenti informatione monasterio S. Nicolai de Farneta, O. S. Ben., Anglonen. dioec., obitu Iohannis abbatis vacanti, cui iam per alias litteras de persona Blasii de Senisio, O. F. M. provideri mandatum erat, qui tamen regimen et administrationem monasterii apprehendere non curavit, amoto exinde Roberto de Senisio, presbytero dictae dioec., qui monasterium praefatum ultra 6 annos indebite occupatum detinebat, praeficiat Angelum de Angelo, monachum eiusdem monasterii, O. S. B., in abbatem (1).

1444, martii 14, Romae.

Sollicitae considerationis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, pridie idus martii, ... anno XIV.

770. Iohannae Tellez, moniali monasterii S. Clarae de Villafrechos, O. S. Cl., de nobili genere procreatae et defectum natalium patienti, concedit dispensationem, ut ad quascumque dignitates, etiam abbatissalem, dicti ordinis eligi vel assumi valeat (2).

1444, martii 14, Romae.

Digna reddimur attentione solliciti *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, pridie idus martii, ... anno XIV.

771. Concedit licentiam recipiendi duas domos infra provinciam Terrae Laboris pro fratribus O. F. M. de observ. (3).

1444, martii 16, Romae.

Dilectis filiis vicario et fratribus ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatis provinciae Terrae Laboris iuxta morem praefati ordinis.

Ad uberes, quos vestri ordinis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, nonnulli christifideles in provincia Terrae Laboris commorantes ob animarum suarum salutem et singularem devotionis affectum, quem ad vos et ordinem vestrum gerunt, ac pro religionis necnon divini cultus augmento de bonis sibi a Deo collatis aliqua domos et loca cum ecclesiis, coemeteriis, campanilibus, ... officinis pro vestris usu et habitatione perpetuis in dicta provincia fundare et construere ac illa seu alia iam forsan inibi constructa vobis pro usu et habitatione praedictis libere concedere et donare desiderent, si ad id Sedis Apostolicae suffragetur auctoritas, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... vobis duas domos et loca, ad hoc tamen congrua et honesta, in quibusvis locis praedictae provinciae iam constructa vel, postquam constructa fuerint, cum ecclesiis, campanilibus, ... officinis, si vobis concessione pontificum, largitione regum vel principum aut oblatione christifidelium seu alias canonice concedantur vel donentur, recipiendi et illa pro usu necnon habitatione praedictis fundandi, tenendi et in illis commorandi, dioecesanorum locorum et vestrorum superiorum ac quorumlibet aliorum licentia vel consensu super his minime requisitis, fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* non obstantibus plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur, iure *etc.* Et insuper vobis ac omnibus et singulis dicti ordinis fratribus, quos in domibus seu locis huiusmodi pro tempore residere contigerit, quod omnibus et singulis privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, XVII kal. aprilis, ... anno XIV.

Eadem die et eadem forma eamdem concessionem dat *Vicario et fratribus ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatis insulae Siciliae* (4), praeterea *Vicario et fratribus ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatis provinciae Thusciae* (5).

772. Concedit licentiam, ut haereditas Almerici de Montefalco, laici Spoletan. dioec., convertatur in fundationem domus O. F. M. de observantia in loco de Montefalco (6).

1444, martii 18, Romae.

Venerabili fratri episcopo Spoletan.

Inter cetera cordis Nostri desideria *etc.* Sane pro parte dilecti filii Antonii de Montefalco, vicarii fratrum, ordinis Minorum professoris, provinciae S. Francisci iuxta morem fratrum dicti ordinis de observantia nuncupatorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim quondam Almericus de Montefalco, laicus Spoletan. dioec., de propria salute recogitans et memor plurimarum extorsionum, quas variis temporibus, dum stipendio militaret, perpetrarat, de bonis sibi a Deo collatis condens in eius ultima voluntate testamentum, in ipsis bonis

(1) Reg. Lat. t. 410, f. 264, et ibid. t. 408, f. 15 v., sed cancellata. Cf. supra n. 458, p. 219, ubi Blasius de Senisio dicitur O. S. Francisci de poen.

(2) Reg. Lat. t. 408, f. 153 v. De monasterio de Villafrechos cf. supra n. 66, p. 40 et n. 80, p. 46.

(3) Reg. Lat. t. 408, f. 147; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 144.

(4) Reg. Lat. t. 408, f. 147 v. (5) Ibid. f. 194.

(6) Reg. Lat. t. 408, f. 148 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 145.

pauperes Christi Italiae sibi haeredes instituit, quodque deinde sibi praedicto Almerico vita functo inter venientes ab intestato super institutione huiusmodi non modica controversia est exorta. Quare pro parte dicti Antonii, asserentis, quod praedictus laicus, dum vixit, sibi consanguinitatis gradu coniunctus fuit, quodque haereditas huiusmodi seu illius bona forsan valoris mille librarum exsistunt, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad sedandum dictam controversiam et pro faciliori exsecutione voluntatis praedictae sibi unam domum cum ecclesia, coemeterio, ... officinis pro usu et habitatione fratrum ordinis et observantiae praedictorum fundandi ... ac, postquam domus ipsa fundata seu constructa fuerit, illam pro se et fratribus praedictis recipiendi ... licentiam concedere necnon haereditatem seu bona illius vel illorum aut pretium praedicta in opus fundationis et constructionis huiusmodi converti debere decernere necnon alias ipsos Antonium et fratres in his pio favore prosequi de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, ... praedicto Antonio unam domum cum ecclesia, coemeterio, ... officinis pro usu et habitatione praedictis in loco ad id congruo et idoneo, quem ipse Antonius necnon dilecti filii universitas et homines loci de Montefalco, dictae dioec., iusto titulo acquirere poterunt, fundandi et construendi ... illamque sic constructam perpetuo pro usu et habitatione praedictis tenendi et in ea cum aliis fratribus dictorum ordinis et observantiae commorandi, iure *etc.* salvo, auctoritate Nostra licentiam largiaris ac etiam haereditatem, bona seu pretium huiusmodi in opus fundationis et constructionis praedictarum converti debere eadem auctoritate decernas, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Nos enim ... Antonio et fratribus, qui pro tempore in praedicta domo residebunt, quod ipsi ac domus huiusmodi omnibus et singulis privilegiis *etc.* Volumus autem, quod, si per te vigore praesentium licentiam largiri et decretum huiusmodi fieri contigerit, pretium haereditatis seu bonorum huiusmodi in utilitatem fundationis et constructionis praedictarum et non alias penitus et omnino convertendum penes aliquam fide et facultate idoneam personam deponatur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, XV kal. aprilis, ... anno XIV.

773. Terasiae Tellez, moniali professae monasterii S. Clarae de Villafrechos, O. S. Cl., defectum natalium patienti, e nobili genere procreatae, Legionen. dioec., concedit dispensationem, ut quascumque dignitates, etiam abbatissales, dicti ordinis recipere valeat [1].

1444, martii 18, Romae.

Romani pontificis praecellens auctoritas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, XV kal. aprilis, ... anno XIV.

774. Concedit fratribus III. O. S. Fr. ecclesiam beatae Mariae de Foresta, Lavellen. dioec. [2].

1444, martii 21, Romae.

Dilectis filiis Laurentio et Paulo de Ragusiis, tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati professoribus.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Hinc est, quod Nos venerabilis fratris Nostri Michaelis episcopi ac dilectorum filiorum communitatis Lavellen., asserentium, quod ipsi ecclesiam beatae Mariae de Foresta, Lavellen. dioec., quae cum horto ac quibusdam parvis terrae petia olivata necnon vinea et silva circa eam consistentibus ad mensam episcopalem Lavellen. pertinere dignoscitur et iam diu per quosdam pauperes eremitas teneri consuevit, sub quorumdam fratrum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati regimine et gubernatione de cetero permanere desiderant, ac vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ecclesiam, hortum, terram, vineam et silvam praedictos, quos ex nunc a mensa praedicta totaliter segregamus et etiam separamus, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis vobis ac ordini praedicto eiusque fratribus praesentibus et futuris, per vos et ipsos, ita quod apud illam pro vestris ac illorum usu et habitatione perpetuis unum locum ad instar aliorum locorum dicti ordinis fundare et erigere ac privilegiis, exemptionibus ... gaudere valeatis, perpetuo tenendas, regendas, gubernandas et usufructuandas, de ipsius episcopi consensu ad hoc expresse accedente, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo concedimus, donamus et assignamus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, XII kal. aprilis, ... anno XIV.

775. Gabrieli, abbati monasterii S. Euphemiae Brixien., in Romana curia residenti, mandat, ut Nicolaum de Zabernia, O. F. M., qui olim quartodecimo suae aetatis anno vel circa domum Argentin. eiusdem ordinis ingressus, professionem emiserat et in ea per

---

[1] Reg. Lat. t. 408, f. 88. Cf. supra n. 770, p. praec. [2] Reg. Lat. t. 408, f. 181 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 146.

vigintiquatuor annos et ultra permanserat et dein illicentiatus habitu dimisso ad saeculum remeaverat et ibi per quinquennium vel circa vagando permanserat, postea ad domum praedictam reversus, iterum sine licentia discesserat, nunc vero de praemissis dolentem, absolvat a censuris et poenis et cum eo dispenset ab irregularitate eique facultatem concedat transeundi ad monasterium Specus Sublacen. O. S. Ben. (1).

1444, martii 26, Romae.

Solet Sedis Apostolicae copiosa benignitas *etc.* Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VII kal. aprilis, ... anno XIV.

776. Revocando concessionem loci villae Marasii, concedit facultatem recipiendi locum de Monte in Valle Besagni prope Ianuam pro fratribus O. F. M. de observantia (2).

1444, aprilis 26, Romae.

Dilectis filiis nobili viro Raphaeli Adurno, duci Ianuensium, et consortio S. Mariae de Monte de Valle Besagni prope Ianuam.

Sincerum habentes ad praesentis vitae *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, dilecti filii fratres ordinis beati Francisci de observantia regulari locum in villa Marasii prope Ianuam, quem sibi ad quorumdam civium Ianuen., cuius erat (!), supplicationem concesseramus, certis respectibus tenere et habitare noluerint, et vos, quibus sunt notissimi fructus animarum maximi, quos dicti fratres faciunt in civitatibus et locis eorum habitationis, fervore devotionis accensi, ... quemdam locum sive domum vestri consortii de Monte in Valle Besagni prope Ianuam pro usu et habitatione guardiani et nonnullorum fratrum ex praedictis cum ecclesia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, claustro, coemeterio, hortis, hortalitiis et necessariis officinis de bonis vestris a Deo collatis piis christifidelium adiuti suffragiis aedificare, construere et augere, si ad id vobis Sedis Apostolicae suffragetur auctoritas, proponatis: pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus vobis faciendi praemissa licentiam concedere necnon dilecto filio vicario provinciae Ianuae praedictorum fratrum, ut locum ipsum pro usu et habitatione fratrum de observantia praedictorum recipiat, mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, ... supradictam concessionem loci villae Marasii praedictis fratribus concedendi auctoritate apostolica revocantes vobisque in loco sive domo consortii de Monte in Valle Besagni prope Ianuam pro usu praedictorum fratrum cum ecclesia, campanili, ... officinis construendi et aedificandi licentiam concedentes, eidem vicario praecipimus et mandamus, ut locum ipsum pro eiusdem ordinis de observantia fratrum usu et habitatione recipiat, ac ipsis fratribus illum pro eorum usu et habitatione praemissis perpetuo retinendi, fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus tenore praesentium concedimus, iure parochialis ecclesiae ... semper salvo. Volumus autem, quod guardianus et fratres, qui in dicta domo pro tempore morabuntur, omnibus et singulis privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VI kal. maii, ... anno XIV.

777. Abbatibus S. Philippi de Argirione et S. Mariae Novae Lucis Catanien. dioec. monasteriorum ac cantori ecclesiae Panormitan. mandat, ut inquirant de criminibus Andreae de Rubeo, prioris seu archipresbyteri nuncupati ecclesiae B. Mariae, terrae castri Iohannis, prioratus clericorum nuncupatae, qui praeter alia fratrem O. F. M. per certos eius clericos usque ad sanguinis effusionem verberari fecerat atque mandaverat, eumque privent prioratu, capellania perpetua et parochiali ecclesia S. Georgii dictae terrae eaque conferant Matthaeo de Nuchifora, presbytero Catanien. dioec. (3).

1444, aprilis 30, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, pridie kal. maii, ... anno XIV.

778. Declarat concessionem factam de loco S. Mariae de Monte Vallis Besagni valere (4).

1444, maii 4, Romae.

Dilectis filiis vicario provinciae Ianuae fratrum ordinis Minorum, qui dicuntur pauperes sive de observantia regulari, et fratribus dicti ordinis loci S. Mariae de Monte de Valle Besagni prope Ianuan.

Ordinem vestrum *etc.* Cum igitur de anno praesenti, VI kal. maii, ad supplicationem dilecti filii nobilis viri Raphaelis Adurni, ducis Ianuen., et consortii S. Mariae de Monte vobis concesserimus, ut locum praedictae S. Mariae de Monte caperetis, prout pacifice cepistis et nunc quietissime possidetis, et in ipsis litteris

(1) Reg. Lat. t. 408, f. 82.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 149 « e bulla originali ». Cf. supra n. 483, p. 231.

(3) Reg. Lat. t. 407, f. 145 v.

(4) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 150 « e l. 8 bullar. 2 secretor. f. 206 ». Cf. supra n. 776.

Nostris, quod locus ipse esset prioratus subiectus monasterio S. Crucis de Mortaria, ac quod certa silva ipsi loco contigua, modici tamen valoris et fructus, ad eumdem spectaret, non fuerit expressum, unde timere videmini, ne aliquando super his possitis in posterum molestari: Nos, ... primas dictae concessionis apostolicas litteras perinde, ac si dictum in illis et expressum fuisset locum ipsum esse prioratum monasterio S. Crucis de Mortaria subiectum et silvam ipsi loco contiguam ad illum spectare, valere volentes, eumdem locum S. Mariae de Monte de Valle Besagni prope Ianuam, qui erat prioratus subiectus monasterio S. Crucis de Mortaria, cum silva adiacente et contigua ad ipsum prioratum spectare consueta vobis et vestro ordini antedicto de novo auctoritate apostolica, sicut in praedictis primae concessionis litteris continetur, concedimus per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, ... anno 1444, IV nonas maii, ... anno XIV.

779. Confirmat concessionem domus S. Trinitatis extra muros Urbevetan. per Franciscum episcopum Urbevetan. factam fratribus O. F. M. de observ. provinciae Romanae (1).

1444, maii 5, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolicae Nobis iniunctae desuper officium *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum Iacobi de Reate (2), ordinis fratrum Minorum professoris et locorum devotorum Romanae provinciae secundum morem dicti ordinis vicarii, necnon fratrum domus S. Trinitatis extra muros Urbevetan. praedicti ordinis petitio continebat, quod olim venerabilis frater Noster Franciscus episcopus Urbevetan., qui Angeli Corarii, Gregorii XII in sua obedientia, de qua Urbevetan. tunc erat, nuncupati, litteris inhaerens, de consensu capituli ecclesiae Urbevetan., Bartholomaeo Putii, dicti ordinis professori, domum praedictam, tunc ad eos episcopum et capitulum legitime pertinentem, cum claustro, palatio, domibus, hortis et quadam silva ac omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis pro fratrum in dicta domo pro tempore commorantium usu et habitatione perpetuis donavit et consignavit primo et deinde publicis instrumentis super donatione et consignatione huiusmodi confectis propter guerras ... amissis episcopus praedictus, ... donationem et consignationem praedictas confirmans, domum eamdem cum ecclesia, ambitu, hortis, silva et aliis praemissis fratribus praedictis denuo in perpetuum donavit et consignavit ac nonnulla alia fecit, prout in litteris authenticis ipsius episcopi sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte Iacobi et fratrum domus praedictorum, asserentium se per plures annos domum ipsam possedisse et de praesenti possidere, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... donationem, consignationem omniaque alia et singula in litteris contenta huiusmodi et quaecumque inde secuta rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ... confirmamus *etc.*, non obstantibus *etc.* Tenor vero dictarum litterarum talis est:

Franciscus, Dei et Apostolicae Sedis gratia episcopus Urbevetanus, religiosis viris fratri Francisco de Viterbio (3), *vicario ministri Romanae provinciae secundum morem et consuetudinem ordinis Minorum, ac guardianis et fratribus locorum devotorum dicti ordinis Minorum de observantia nuncupatis dictae provinciae salutem in Domino.*

Iis equidem, quae ad cultum Dei dirigendum *etc.* Sane dignum arbitrantes et congruum veritati testimonium perhibere, fidem facimus et tenore praesentium attestamur, quomodo alias a nonnullis annis proxime transactis, anno videlicet Domini 1429, tempore fel. rec. Domini Martini, divina providentia papae V, religioso viro fratri Bartholomaeo Putii de Assisio, dicti ordinis professori, qui per litteras apostolicas fel. quondam rec. Domini Gregorii, divina providentia papae XII, datas Arimini VIII kal. octobris, pontificatus sui anno VIII, quas audivimus, legimus et palpavimus, quinque loca ecclesiastica de novo recipiendi pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis, illorum videlicet, qui sint observantiae regularis, licentiam obtinuerat, etiam Nostris litteris pro dicti cultus augmento venerabilium fratrum Nostrorum canonicorum et capituli Urbevetan. accedente consensu ecclesiam S. Trinitatis, a diu inhabitatam et quasi dirutam, extra et prope Urbevetan. situatam, quoddam monasterium, quod solitae alias erant inhabitare moniales de ordine S. Benedicti, quod tamen tunc ad Nos et dictos canonicos pertinebat, cum claustro, palatio, domibus, terra sive hortis circa et prope dictum quondam monasterium exsistentibus et situatis et sibi contiguis ac toto ambitu ipsius terrae sive hortorum

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 152 « e l. 1 de regular. a. XV (!), f. 185 ».

(2) De Iacobo de Reate cf. supra n. 454, p. 212 et n. 494, p. 239.

(3) Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1801, p. 692.

ac cum quadam silva posita non longe ab ipsa ecclesia, attamen non coniuncta, praedictis omnibus ad dictam ecclesiam et ipsum quondam monasterium spectantibus et pertinentibus et cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, volentes praedictorum omnium et singulorum confinia, nomina et cognomina haberi in praesentibus pro expressis, irrevocabiliter in perpetuum donavimus et realiter consignavimus, tabellionibus publicis de dictis donationibus et consignationibus iuxta vias et consuetudinis formam sollemniter tunc rogatis. Quarum Nostrarum donationis ac consignationis vigore praedictam ecclesiam cum supradictis omnibus ab eo tempore citra continuo ac sine controversia possedistis ac posseditis pacifice de praesenti. Verum, cum guerrarum insultibus, externarum et internarum seditionum nefandis casibus per transacta diu tempora emergentibus evenerit, ut instrumenta donationum et consignationum huiusmodi et Nostrae litterae antedictae deperditae sint, et exinde verisimiliter dubitetis futuris diebus exoriri de iuribus vestris ambiguitatem, et sic iniuste vos in quiete vestra, qua Deo servitis, scandalum afferri posse, a Nobis humiliter postulastis, ut *etc.* Quocirca, devotionem vestram fovere in Domino cupientes, et ut quietius cultui divino possitis insistere et pro statu pacifico civitatis Urbevetan. eiusque dioecesis preces ad Deum fundere, et fructuosas donationem et consignationem, sicut praedicitur, habitas harum serie Nobis et canonicis capituloque praedictis gratas fuisse, fideliter attestamur et de novo praedictam ecclesiam cum omni ambitu suo, hortis circumadiacentibus, silva aliisque praescriptis omnibus et singulis vobis et successoribus vestris in perpetuum donamus et etiam consignamus seu praedictas donationem et consignationem confirmamus, insinuamus et omologamus, supplentes propterea tenore praesentium ex certa Nostra scientia omnes defectus, si qui forsan tunc intervenerint in eisdem, ac volentes in huiusmodi donatione et consignatione antefactis confirmatisque ac de novo nuper vobis concessis et factis omnia et singula plene, integre ac sine defectu aliquo cum clausulis opportunis intelligi et comprehendi, quae in quacumque donatione et consignatione simili vel maiori de iure, consuetudine seu stilo intelligi, poni et comprehendi solent et debent quoquo modo, versutiis et malitiosis ac superfluis interpretationibus, exceptionibus, cavillationibus, quae obesse quomodolibet possent, omni modo et omni ratione sublatis, et non obstantibus in contrarium editis vel facientibus, quibus, quantum possumus, auctoritate Nostra ordinaria derogamus *etc.* In quorum fidem et testimonium praemissorum praesentes Nostras litteras per infrascriptum secretarium Nostrum Iacobum Urbevetan. scribi Nostrique episcopalis sigilli, quo utimur, iussimus appensione muniri.

Datum in Colle Longo, in domibus ad praesens Nostrae residentiae, sub anno Domini 1442, die 26 septembris, tempore sanctissimi in Christo patris et Domini nostri, D. Eugenii, divina providentia papae IV, pontificatus sui anno XII.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, III nonas maii, ... anno XIV.

780. Concedit fratribus domus S. Spiritus in termino villae de Muroveteri (Murviedro), Valentin. dioec., O. F. M. de observ., ut subsint vicario provinciae Aragoniae (1).

1444, maii 5, Romae.

Dilectis filiis guardiano, et fratribus domus S. Spiritus in termino villae de Muroveteri, ordinis fratrum Minorum, Valentin. dioec.

Sacrae religionis sinceritas, sub qua *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod, licet in domo praedicta ab eius primaeva fundatione, per recolendae memoriae Mariam reginam Aragonum dudum facta, regularis observantia continuo viguerit atque hodie vigeat, necnon aliarum omnium domorum de observantia provinciae Aragoniae ... constructiones post fundationem domus vestrae huiusmodi factae fuerint, illaeque ac guardiani et fratres in eis degentes vicario generali de observantia provinciae et ordinis praefatorum subesse noscantur, tamen minister provincialis, qui hactenus fuit et hodie est provinciae et ordinis praefatorum, super domo vestra praedicta eiusque guardianis et fratribus, etiam quoad illos ad alias dicti ordinis domos ac de aliis domibus ipsis alios in domo ipsa vestra transferendos seu ponendos fratres superioritatem et maioritatem hactenus habere et exercere consuevit, prout etiam modernis temporibus habet et exercet, ex quo domus praefata, praesertim propter aequalitatem translationum factarum huiusmodi hactenus non observatam, detrimenta maxima suscepit et suscipit. Quare pro parte charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae, reginae Aragonum illustris, ac vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis ac domui vestrae necnon in ea pro tempore degentibus fratribus supra-

(1) Reg. Lat. t. 414, f. 227; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 151. Cf. supra n. 353, p. 162 et n. 647, p. 305.

dictis omnia et singula privilegia ... aliis domibus et fratribus de observantia ordinis et provinciae praedictorum hactenus concessa perpetuo concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... statuimus atque decernimus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus vos et, qui pro tempore sub observantia in domo vestra huiusmodi permanebunt, guardiani et fratres vicario de observantia ordinis et provinciae huiusmodi iuxta et secundum eius factam ordinationem dumtaxat subesse debeatis pariter et subsitis. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, III nonas maii, ... anno XIV.

781. Monasteria Corporis Christi intra et S. Clarae de Miareto extra muros Mantuan. eximit a iurisdictione ministri generalis O. F. M. et subiicit vicario generali O. F. M. de observantia (1).

1444, maii 11, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolicae Nobis iniunctae desuper *etc.* Hinc est, quod Nos, dilectarum in Christo filiarum... Corporis Christi intra et... S. Clarae de Miareto extra muros Mantuan., ordinis eiusdem sanctae, monasteriorum abbatissarum et conventuum, pro quibus etiam dilectus filius nobilis vir Iohannes Franciscus de Gonzaga, marchio, et dilecta in Christo filia nobilis mulier Paula, eius uxor, marchionissa Mantuan., Nobis super hoc humiliter supplicarunt, precibus annuentes ac circa ipsarum statum salubriter dirigendum intendere volentes, ut eo ferventius ad observationem vitae regularis Deo propitio animentur, quo ampliоribus fuerint Apostolicae Sedis favoribus communitae, praesentis perpetuo valiturae constitutionis edicto monasteria et abbatissas huiusmodi necnon moniales et personas eorumdem ab omni visitatione, correctione, reformatione et cura dilecti filii generalis ministri ordinis fratrum Minorum et cuiuscumque alterius praelati seu fratrum dicti ordinis, per ipsum generalem ad id pro tempore deputandorum, et quorumcumque aliorum superiorum auctoritate apostolica tenore praesentium eximimus et totaliter liberamus necnon monasteria, abbatissas, moniales et personas huiusmodi curae, regimini, visitationi, correctioni, reformationi, obedientiae et iurisdictioni dilecti filii vicarii generalis pro tempore exsistentis dicti ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum subdimus et subiicimus, ita quod nullus alius in monasteria, abbatissas, moniales et personas praedicta, nisi vicarius ipse vel frater seu fratres ab eo deputandus vel deputandi pro tempore quovis quaesito colore et titulo visitationem, correctionem, reformationem, regimen aut iurisdictionem aliquam sub excommunicationis poena, quam contrafacientes ipso facto incurrere volumus, possit quomodolibet exercere, decernentes irritum et inane, quidquid contra exemptionem huiusmodi a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, V idus maii, ... anno XIV.

782. Fratribus O. Praed. et O. F. M. in partibus Transsilvaniae, regni Hungariae, concedit facultatem circa confessiones et sepulturas fidelium ad quinquennium (2).

1444, maii 13, Romae.

Dilectis filiis universis tam fratrum Praedicatorum quam Minorum ordinum professoribus in domibus partium Transsilvan. regni Hungariae eorumdem ordinum commorantibus praesentibus et futuris.

Sacrae religionis sinceritas *etc.* Hinc est, quod Nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut vestrum quilibet ad id idoneus et per superiorem domus seu ordinis, in qua tunc moram traxerit, pro tempore deputatus, quotiens expedire videbitur, in quibusvis civitatibus, terris, villis, oppidis atque locis in partibus Transsilvan., regni Hungariae, consistentibus verbum Dei populo praedicare necnon etiam quorumcumque utriusque sexus fidelium incolarum et habitatorum partium Transsilvan. praedictarum confessiones audire et pro commissis, dummodo talia non exsistant, propter quae sit merito Sedes Apostolica consulenda, debitam absolutionem impendere et salutarem poenitentiam iniungere libere et licite possit, quodque etiam omnes et singulos fideles utriusque sexus huiusmodi id pro tempore eligentes in ecclesiis ac coemeteriis domorum praedictarum ac cuiuslibet earum absque tamen dioecesani locorum ac rectorum parochialium ecclesiarum, infra quarum parochiarum limites pro tempore moram traxerint, et aliorum quorumlibet licentia seu consensu sepelire valeant, Clementis papae V, praedecessoris Nostri, et quibuscumque ... nequaquam obstantibus vobis auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Praesentibus post quinquennium a data huiusmodi praesentium computandum minime valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, III idus maii, ... anno XIV.

(1) Reg. Lat. t. 408, f. 188v.

(2) Reg. Lat. t. 408, f. 4v.

783. Mandat, ut Agneti Alfonsi, sorori III. O. S. Fr., concedat eremitorium S. Crucis loci de Cruma, Compostellan. dioec., pro ipsa et 6 aliis sororibus eiusdem ordinis (1).

1444, maii 13, Romae.

Dilecto filio thesaurario ecclesiae Compostellan.

Piis votis fidelium illis potissime *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Agnetis Alfonsi, sororis tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, petitio continebat, quod olim eremitorio S. Crucis loci de Cruma, Compostellan. dioec., tunc certo modo rectore carente, nonnulli laici, rectores dicti loci, praedictum eremitorium sic rectore carens eidem Agneti sub certis modo et forma concesserunt, ipsaque Agnes, concessionis huiusmodi vigore praedictum oratorium assecuta, illud ex tunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dicta Agnes dubitet concessionem praedictam ex certis causis viribus non subsistere, pro parte eiusdem Agnetis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictum eremitorium sibi per eam et sex alias sorores eiusdem ordinis ac earum quamlibet, quas ipsa ad hoc duxerit eligendas, sub regulari tamen observantia eiusdem ordinis, perpetuo inhabitandum concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si tibi temporis qualitate et loci conditione ac circumstantiis universis pensatis concessionem huiusmodi faciendam videbitur, ... praedictum eremitorium, ut dicta Agnes asserit, nullos redditus habens, ... cum omnibus iuribus et pertinentiis suis praedictae Agneti per eam et sex alias sorores praedictas necnon ipsarum quamlibet sub observantia huiusmodi perpetuo inhabitandum, ut praefertur, auctoritate Nostra concedas, inducens *etc.*, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, III idus maii, ... anno XIV.

784. Iohanni Fernandi de Xericio, clerico, perpetuo beneficiato in parochiali ecclesia S. Michaelis de Oya, Tuden. dioec., Iohannis, tit. S. Petri ad vincula presbyteri cardinalis, familiari continuo commensali, confert in S. Michaelis de Oya unum et in S. Andreae de Comessanna, Tuden. dioec., parochialibus ecclesiis aliud simplicia servitoria beneficia, medietates nuncupata, vacantia ex eo, quod dilectus filius Iohannes Roderici de la Camera, ordinis fratrum Minorum professor, olim, tunc clericus saecularis, in dictis ecclesiis perpetuus beneficiatus et dilecti filii Iohannis, tit. S. Petri ad Vincula presbyteri cardinalis, familiaris continuus commensalis exsistens, domum Hierosolymitan. praefati ordinis ingressus, suscepto illius fratrum habitu professorum, regularem per dictos fratres emitti consuetam professionem sponte emisit (2).

1444, maii 16, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XVII kal. iunii, ... anno XIV.

785. Petro Ferrario, O. F. M., commissario pontificis in Syria, concedit facultates (3).

1444, maii 21, Romae.

Dilecto filio Petro Ferrario, ordinis fratrum Minorum professori.

Pastor bonus, qui propter nimiam charitatem *etc. (ut supra n. 301, p. 139 usque ad)* Hinc est, quod Nos tibi, qui, ut asseris, in domo S. Salvatoris de Baruto, provinciae Damascenae dicti ordinis, degis de praesenti, et quem per alias Nostras litteras in provincia Syriae apud nationes Maronitarum, Drusolitarum et Surianorum commissarium Nostrum instituimus et deputavimus, ita tamen, quod nullam super locis Terrae Sanctae auctoritatem dictarum litterarum vigore haberes, ad hoc, ut singularum christifidelium animarum saluti et infidelium illarum partium ad te pro tempore confluentium reductioni consulere et intendere valeas, omnium et singulorum fidelium eorumdem confessiones audiendi et pro commissis, etiam si simonia et alia talia fuerint, propter quae Sedes Apostolica sit merito consulenda, absolutionis beneficium impendendi et poenitentiam salutarem iniungendi necnon fideles ipsos a quibuscumque sententiis excommunicationum tam a iure quam ab homine latis ac aliis censuris et poenis ecclesiasticis, quomodocumque illas incurrerint seu incurrent, etiam absolvendi, necnon cum ipsis super quibuscumque irregularitatibus, exceptis casibus voluntarii homicidii, bigamiae et mutilationis membrorum, dispensandi, necnon eucharistiae, baptismatis et extremae unctionis aliaque ecclesiastica sacramenta ministrandi ac apostatas a fide et religione ad illas reducendi et reconciliandi eisque poenitentia salutari iniuncta, ut habitum religionis suae recipere et omnia parochialia exercere valeant, indulgendi, et insuper tibi ac omnibus et singulis fratribus dicti

(1) Reg. Lat. t. 408, f. 23v; Wadd. *Reg. Pont.* Eug. IV, n. 153.

(2) Reg. Lat. t. 413, f. 29. Cf. supra n. 547, p. 260.

(3) Reg. Lat. t. 408, f. 212. Cf. supra n. 558, p. 264.

ordinis in partibus praefatis commorantibus, quos ad id elegeris, confessores eligendi, qui vobis et vestrum cuilibet omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti et ore confessi fueritis, plenariam remissionem in mortis articulo auctoritate apostolica concedere possint et, si tu dictique fratres huiusmodi confessoris copiam habere nequiveritis, dummodo contriti fueritis, ut praefertur, remissionem eamdem consequendi, necnon fratribus ipsis aliorum fratrum confessiones audiendi et pro commissis, etiam si simonia aut alia, propter quae Sedes Apostolica esset consulenda, quotiens ipsis videbitur, debitam eis absolutionem impendendi ac salutarem poenitentiam iniungendi, necnon singulos fratrum eorumdem a quibuscumque sententiis, censuris et poenis in ipsos quavis auctoritate a iure vel ab homine promulgatis absolvendi ac praedictis tribus casibus exceptis cum ipsis fratribus super irregularitate per eos quomodolibet contracta dispensandi, necnon schismaticos, excommunicatos et interdictos quoscumque quantumcumque notorios, nisi quos tu seu deputati praedicti evitandos mandaveritis, in quibuscumque eorum negotiis ac etiam in divinis officiis et extra minime evitandi, praeterea omnibus christifidelibus, qui centesimam partem, id est unum pro centenario, de bonis a Deo sibi collatis pro liberatione fidelium captivorum de manibus infidelium erogaverint, ut confessores idoneos eligere valeant, qui eos confessionibus suis diligenter auditis ab omnibus eorum peccatis etiam in singulis Sedi Apostolicae reservatis casibus semel tantum in vita absolvere et deinde in mortis articulo plenariam eis remissionem indulgere valeant, eadem auctoritate concedendi plenam et liberam auctoritate praedicta tenore praesentium concedimus facultatem, decernentes harum serie, quod tu et dicti fratres praesentes et futuri propter transgressionem quarumcumque constitutionum praesentium et futurarum dicti ordinis, nisi id ex contemptu processerit, peccatum aliquod incurrisse seu incurrere minime censeamini.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XII kal. iunii, ... anno XIV.

786. Abbati monasterii S. Mariae in Campis, Fulginaten. dioec., et priori saecularis et collegiatae ecclesiae S. Mariae infra portam Fulginat. ac Iulio Gasparis, canonico Fulginat., mandat, quatenus Petro Fulignoni, rectori parochialis ecclesiae S. Angeli de Scafalibus, Fulginat. dioec., conferant canonicatum et praebendam ecclesiae S. Salvatoris, Fulginat. dioec., vacantia per ingressum et professionem Andreae de Vagnoculis in ordinem fratrum Minorum in domo S. Bartholomaei extra muros Fulginaten. (1).

1444, maii 23, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, X kal. iunii, ... anno XIV.

787. Iohannem Groet, alias Spoerkens, O. F. M., instituit capellanum suum (2).

1444, maii 25, Romae.

Dilecto filio Iohanni Groet alias Spoerkens, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Volentes igitur te, qui, ut asseris, in theologia per plures annos in locis diversis, in quibus generale tunc studium vigebat, studuisti ac parochialem ecclesiam villae Tilforden., Cameracen. dioec., quae notabilis et magnum parochianorum numerum habere dignoscitur, de ordinarii loci ac tui superioris licentia pro illius tunc rectore in spiritalibus laudabiliter gubernasti curamque animarum parochianorum eorumdem exercuisti et inibi in praedicationibus et aliis laudabilibus operibus plurimum utilis fuisti, praemissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, te in Nostrum et Sedis Apostolicae capellanum auctoritate apostolica tenore praesentium recipimus ac numero... aggregamus *etc.* Et nihilominus tecum, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum ... recipere et, quoad vixeris, retinere ... libere et licite possis et valeas auctoritate praedicta harum serie dispensamus, non obstantibus, quod ordinis fratrum Minorum professor exsistas *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VIII kal. iunii, anno XIV.

788. Concedit indulgentias pro reparatione domorum O. Praed. et O. F. M. in Transsilvania a Turcis destructarum (3).

1444, maii 26, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, in Alba et in Varasco ac in Winezia, necnon in Molbata, in Czibinio ac beatae Mariae et S. Crucis in Bistritia, Praedicatorum

(1) Reg. Lat. t. 411, f. 4. (2) Reg. Vat. t. 382, f. 246v. (3) Reg. Lat. t. 408, f. 217; Varasini (Kolozsvár), Czibinio (Nagy Szeben, Hermannstadt) et Bistritiae (Beszterce, Bistritz) erant conventus O. F. M.

et Minorum fratrum ordinum, in partibus Transsilvaniae regni Hungariae consistentes domus videlicet partim a Teucris infidelibus destructae et nonnullae earum in suis structuris et aedificiis plurimum defectuosae exsistant, et ad destructarum reformationes ac aliarum domorum praedictarum reparationes magnis pecuniarum summis opus esse noscatur, sintque propterea fidelium suffragia plurimum opportuna, Nos, cupientes, ut ecclesiae domorum praefatarum congruis honoribus frequententur ac dictae domus debite reformentur pariter et reparentur, et ut christifideles eo libentius ad ecclesias confluant ac ad reparationes et reformationes praedictas manus promptius porrigant adiutrices, quo *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in celebritate omnium sanctorum dictas ecclesias vel earum aliquam devote visitaverint annuatim et ad reparationem seu fabricam earum seu alicuius ipsarum manus porrexerint adiutrices, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VII kal. iunii, ... anno XIV.

789. Mandat, ut Iohannae Roderici, sorori III. O. S. Fr., concedat eremitorium S. Mariae de Lairo apud villam de Treberio (Trevejo), Civitaten. (Ciudad Rodrigo) dioec., pro se et aliis mulieribus eiusdem ordinis (1).

1444, iunii 13, Romae.

Dilecto filio archidiacono ecclesiae Caurien.

Devotis petentium desideriis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Iohannae Roderici, sororis tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, petitio continebat, quod eremitorium S. Mariae de Lairo apud villam de Treberio, Civitaten. dioec., quod antiquitus monasterium monialium exstitit, impraesentiarum penitus inhabitabile exsistat, nec in illo a longo tempore citra divinum officium celebraretur ob illius destructionem, reddituum carentiam ac egestatem, ipsaque Iohanna pro contemplativa et laudabiliori vita per eam deinceps quietius peragenda in huiusmodi eremitorio Altissimo perpetuis temporibus famulari ac illud reparare seu reparari facere necnon libros et ornamenta pro divino cultu necessaria inibi procurare summopere concupiscat, si dictum eremitorium eidem Iohannae pro se et aliis mulieribus in ipso eremitorio sub vita communi degere volentibus pro earum usu et habitatione perpetuo concedatur, Nos ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, et eremitorium praedictum ad praesens habitatore carere reppereris, illud cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Iohannae pro se et mulieribus praedictis, inibi sub regularibus eiusdem ordinis habitu et observantia insimul vivere, ut praefertur, volentibus, pro earum usu et habitatione perpetuo auctoritate Nostra concedas et assignes, faciens eidem Iohannae necnon mulieribus inibi pro tempore degentibus de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis, si quae reperiantur, integre responderi; contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, idibus iunii, ... anno XIV.

790. Concedit fratribus O. F. M. de observ. vicariae Bononiae et Romandiolae facultatem recipiendi ecclesiam S. Mamatis de Ravenna (2).

1444, iunii 13, Romae.

Dilectis filiis fratribus vicariae Bononiae et Romandiolae ordinis B. Francisci, qui dicuntur de observantia.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Hinc est, quod dilectorum filiorum populi et communis Nostrae civitatis Ravennae pro maxima, quam ad vestrum ordinem habent, devotione cupientium, prout Nobis per suas litteras et aliquos ex vestris fratribus significare curarunt, aliquem ex vestris locis apud dictam civitatem Nostram habere, supplicationibus inclinati, audito, quod extra et prope muros ipsius civitatis est quaedam S. Mamatis ecclesia, prioratus nuncupata, quae est de mensa monasterii S. Iohannis evangelistae de Ravenna, quam cives Ravennates pro dicto ordinis vestri loco idoneam iudicantes vobis concedi exoptant, habitoque nuper per Nos dilecti filii Nostri Bissarionis, basilicae duodecim apostolorum cardinalis, Nicaeni vulgariter nuncupati, cui praedictum S. Iohannis evangelistae monasterium exsistit commendatum, assensu, vobis, ut praedictam S. Mamatis ecclesiam cum suis domibus et aedificiis recipere et in ea ac circa ipsam locum cum necessariis officinis pro usu et habitatione vestra et fratrum dicti ordinis instituere, facere et construere et inibi sub regularibus institutis vestri ordinis Altissimo famulari necnon missas et alia divina officia celebrare ac verbum Dei praedicare li-

(1) Reg. Lat. t. 408, f. 101 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 155.

(2) Reg. Lat. t. 408, f. 169 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 154.

bere et licite valeatis, ordinarii loci ... consensu minime requisito, iuribus *etc.* salvis, licentiam et plenariam *etc.* concedimus facultatem. Et nihilominus vobis et universis fratribus in eisdem domibus et loco pro tempore moraturis, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.*, non obstantibus quibuscumque. Verum, quia praedicta S. Mamatis ecclesia certa aratoria et vineata circa se habere dicitur territoria, quibus totis vos minime indigetis, volumus, ut fratres ex vestris qui ad capiendum dictum locum accedent, vocatis dilectis filiis Spiritus Sancti et S. Vitalis monasteriorum de Ravenna abbatibus ac tribus civibus, quos communitas illa duxerit eligendos, eam dictorum territoriorum partem, quae aut pro officinis construendis aut pro horto domus et loco praedictis videbitur necessaria, etiam capiatis et cum certis affixis terminis ad partem designetis, ut perpetuo cognosci possit ipsa territoriorum pars separata ab aliis praedictis territoriis, de quibus simul cum aliis possessionibus dicti olim prioratus certo modo ad decus et utilitatem praedicti monasterii S. Iohannis intendimus disponere. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, idibus iunii, ... anno XIV.

791. Mandat, ut cum Agnete Nino, O. S. Cl., defectum aetatis patiente, dispenset eamque monasterio S. Clarae Vallisoleti, Palentin. dioec., O. S. Cl., praeficiat in abbatissam (1).

1444, iunii 15, Romae.

Dilecto filio abbati saecularis et collegiatae ecclesiae beatae Mariae Vallisoleti, Palentin. dioec.

Inter sollicitudines varias, quibus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Agnetis Nino, monialis monasterii S. Clarae Vallisoleti, ordinis eiusdem sanctae, Palentin. dioec., quod olim praefato monasterio ex eo, quod dilecta in Christo filia Marina Fernandi, etiam monialis, tunc abbatissa dicti monasterii, illius regimini et administrationi, quibus tunc praeerat, ex certis rationabilibus causis in manibus dilecti filii Sancii de Canales, ordinis fratrum Minorum professoris, praefati monasterii visitatoris auctoritate apostolica deputati, coram certis notario publico et testibus fide dignis extra Romanam curiam sponte et libere cesserat, abbatissae regimine destituto, dilectae in Christo filiae conventus eiusdem monasterii, ad futurae inibi abbatissae electionem sive postulationem procedentes, vocatis omnibus, quae voluerunt, potuerunt et debuerunt electioni sive postulationi huiusmodi commode interesse, die ad eligendum sive postulandum praefixa, ut moris est, convenientes in unum, praefatam Agnetem, ordinem ipsum expresse professam, in vicesimo quinto suae aetatis anno dumtaxat constitutam, in earum et dicti monasterii abbatissam concorditer elegerunt sive postularunt, licet de facto, ipsaque Agnes electioni sive postulationi huiusmodi illius sibi praesentato decreto consensit, etiam de facto, in his omnibus statutis a iure temporibus observatis, necnon electionis sive postulationis huiusmodi praetextu possessionem vel quasi regiminis et administrationis bonorum ipsius monasterii assecuta, illa ex tunc gessit et exercuit, similiter de facto. Cum autem secundum praemissa electio sive postulatio huiusmodi viribus non subsistat, ... ac de meritis et idoneitate praefatae Agnetis, quae, ut asserit, dilecti filii nobilis viri Petri Nino comitis nata et adhuc in huiusmodi aetatis anno constituta exsistit, ... certam notitiam non habentes, discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam tibi de cessione huiusmodi legitime constiterit, illam, si canonice admissa non fuerit, auctoritate Nostra admittas eaque per te admissa de meritis et idoneitate huiusmodi eadem auctoritate te diligenter informes et, si per informationem eamdèm dictam Agnetem alias ad regimen et administrationem praedictam utilem et idoneam fore reppereris, ... de persona sua praefato monasterio, cuius fructus, redditus et proventus quadringentarum librarum Turonen. parvorum secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipsa Agnes etiam asserit, non excedunt, ... provideas ipsamque illi praeficias in abbatissam, curam et administrationem *etc.*, contradictores *etc.*, non obstante *etc.* Nos enim cum eadem Agnete, ... ut huiusmodi illius curam, regimen et administrationem in eisdem spiritualibus et temporalibus gerere et exercere libere ac licite valeat defectu aetatis huiusmodi ... *etc.* nequaquam obstantibus ... dispensamus, sibi nihilominus, ut a quocumque maluerit catholico antistite ... munus benedictionis recipere, ac eidem antistiti, ut illud sibi impendere libere et licite possint, facultatem et licentiam concedentes. Volumus autem, quod idem antistes ... ab ea Nostro et Romanae ecclesiae nomine solitum fidelitatis debitae recipiat iuramentum iuxta formam *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XVII kal. iulii, ... anno XIV.

(1) Reg. Lat. t. 408, f. 222.

792. Prorogat facultates Iacobi de Primaditiis et Iacobi de Pisis, O. F. M., easque extendit ad Iacobum archipresbyterum Mutinen. (1).

1444, iunii 16, Romae.

Dilectis filiis Iacobo de Primaditiis de Bononia et Iacobo de Pisis, ordinis Minorum professoribus.

Cum anno proxime anteacto, intendentes adversus perfidos Christi hostes classem parare ad strictum Gallipolis transmittendam, et a christifidelibus, qui spiritualia cuperent suffragia, volentes bonorum temporalium aliquod auxilium quaerere, vobis et cuilibet vestrum ac substituendis a vobis per litteras apostolicas concesserimus, ut omnes et singulos partium exarchatus Ravennatis, qui cum Teucris, Saracenis, paganis aut aliis infidelibus negotiationes seu mercimonia fecerunt vel eis ferrum, lignamina, navigia, funes vel alia armaturarum genera vendiderunt seu ad partes ipsorum infidelium detulerunt, et alios quoscumque christifideles, saeculares et ecclesiasticos et religiosos ordinum quorumcumque ab excommunicationis, suspensionis, interdicti aliisque ecclesiasticis censuris et poenis a iure vel ab homine inflictis contra facientes seu deferentes praedictos per constitutiones et ordinationes apostolicas et promulgationes censurarum, quae contra tales per Romanos pontifices in die Iovis sancta fieri consueverunt, possitis absolvere et pariter possitis omnibus illarum partium concedere, ut confessorem sibi valeant eligere, qui eos ab homicidio, incendio et sacrilegio et aliis criminibus semel tantum in reservatis Sedi Apostolicae et in non reservatis, quotiens fuerit opportunum, absolvere valeat. Item, ut illis, quibus magnae essent facultates, et solverint quinque florenos, aliis vero parvas habentibus facultates, qui iuxta eorum possibilitatem erogarent, plenariam in mortis articulo absolutionem concedere, et cum illis, qui in quarto consanguinitatis et tertio ac quarto affinitatis gradibus scienter vel ignoranter contraxissent, dispensare, et ut omnes ecclesiasticas saeculares et regulares personas super irregularitate contracta, divina non in contemptum clavium celebrando vel audiendo, et quacumque ex causa, exceptis bigamia, homicidio et membrorum mutilatione, absolvere; item ut de male ablatis incertis componere et absolvere, et divini verbi praedicatoribus, ut ea, quae diceretis, annuntiarent populis, mandare possitis, prout in ipsis litteris plenius continetur, Nos, qui praedictam classem dante Domino armari atque expediri magna cum impensa curavimus, cupientes taliter providere, quod classis ipsa necessario tempore in mari valeat teneri, supradictas facultates in omnibus et per omnia, prout in eisdem litteris continetur, ad unum alium annum praesenti die inchoandum extendimus atque prorogamus, volentes, quod dilectus filius Iacobus, presbyter saecularis et archipresbyter Mutinen., de cuius virtute, moribus, doctrina et religiositate bonam in Domino spem obtinemus, eisdem facultatibus vobiscum et per se ipsum atque etiam per substitutos praedicto modo uti valeat, et quod vos, praedicti fratres Iacobus de Primaditiis ac Iacobus de Pisis ac Iacobus presbyter, non solum, prout in dictis litteris apostolicis continetur, quibuscumque praedicatoribus divini verbi praecipere possitis, quod ea dicant circa praedicta, quae illis duxeritis iniungenda, sed vos etiam, quando vobis visum fuerit, praedicationem assumere ac omnibus praedicatoribus pro die et hora, quam vobis assumetis, silentium imponere valeatis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XVI kal. iulii, ... anno XIV.

793. Extendit facultates Iacobo de Primaditiis, O. F. M., pro exarchatu Ravennaten. concessas ad totam Italiam (2).

1444, iunii 16, Romae.

Dilecto filio fratri Iacobo de Primaditiis, ordinis beati Francisci de observantia regulari.

Cum pro maximis Nostris et Romanae ecclesiae necessitatibus impetrandi subsidia a christifidelibus ad armandam classem, quam Domino concedente ad praesens mittimus ad partes orientis adversus perfidos Christi hostes, tibi certas dederimus facultates in exarchatu Ravennaten., prout in litteris apostolicis superinde confectis latius continetur, Nos, cupientes, ut tua devotio, de cuius prudentia et integritate ac vitae munditia spem in Domino amplissimam obtinemus, eo Nobis et ecclesiae utilius serviat, quo maiori et ampliori fueris a Nobis facultate munitus, easdem facultates omnes tibi in praedicto exarchatu concessas ad omnes Italiae partes in omnibus et per omnia auctoritate apostolica extendimus, ut in praedictis omnibus Italiae partibus illas pariter, sicut in praedicto exarchatu valeas exercere; insuper concedentes, ut eos ex fratribus tui ordinis, quos idoneos iu-

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 160.

(2) Reg. Vat. t. 376, f. 159 v.

dicaveris ad ipsas exercendas, omnes facultates, prout videbitur tibi, valeas substituere; volentes quoque auctoritate praedicta, quod durante tempore huiusmodi facultatum tibi concessarum fratribus tui ordinis, qui sint idonei, concedere valeas licentiam, ubicumque voluerint, per Italiam praedicandi et confessiones quorumcumque sine aliquorum praeiudicio audiendi.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XVI kal. iulii, ... anno XIV.

794. Extendit facultates Silvestro de Senis, O. F. M., pro patriarchatu Graden. concessas ad totam provinciam Aquileien. et ad Riccardum de Restis O. F. M. (1).

1444, iunii 16, Romae.

Dilectis filiis Silvestro de Senis et Riccardo de Restis, ordinis beati Francisci de observantia regulari.

Cum pro necessitatibus armandae classis, quam dante Domino ad praesens mittimus ad partes orientis adversus perfidos Christi hostes, tibi Silvestro in patriarchatu Graden. certas concesserimus facultates, prout in litteris apostolicis superinde confectis latius continetur, Nos, cupientes taliter providere, quod dicta classis in ipsa expeditione tempore debito valeat conservari, easdem facultates a praedicto Graden. patriarchatu ad totam provinciam Aquileien. et Graden. patriarchatum auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus, volentes et praedicta auctoritate concedentes, quod easdem facultates, quibus tu, Silvester, in Graden. patriarchatu uti poteras, vos ambo simul et divisim et per substitutos, quos sufficientes et idoneos iudicabitis, exercere valeatis per annum unum a data praesentium inchoandum. Ne autem ab aliquibus impediri aut ad exsecutionem facultatum vobis concessarum aliqualiter tardari possitis, devotioni vestrae praedicta auctoritate concedimus, ut praedicatoribus divini verbi ubicumque in dictis provinciis constitutis mandare valeatis, quod ea dicant et praedicent circa praedicta, quae vos ipsis duxeritis iniungenda. Et insuper, cum placuerit, vos silentio aliis praedicatoribus pro certa hora imposito ubicumque et quandocumque placuerit, praedicare et vestras facultates a Nobis concessas publicare possitis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XVI kal. iulii, ... anno XIV.

795. Fratribus O. F. M. de observ. vicariae Bononiae et Romandiolae concedit ecclesiam S. Perpetuae ad portam Montanariam civitatis Faventiae (2).

1444, iunii 17, Romae.

Dilectis filiis fratribus vicariae Bononiae et Romandiolae, ordinis beati Francisci de observantia regulari.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Hinc est, quod dilectorum filiorum nobilis viri Guidantonii de Manfredis, Nostrae civitatis Faventiae in temporalibus vicarii Nostri, et antianorum ac populi et communis dictae civitatis pro maxima, quam ad vestrum ordinem habent, devotione cupientium, prout Nobis significare curarunt, fratres ex vestris in aliquo loco apud dictam civitatem Nostram habere, supplicationibus inclinati, audito, quod extra et prope muros dictae civitatis ad portam, quae dicitur Montanaria, est quaedam S. Perpetuae ecclesia, olim prioratus vocata, ordinis S. Marci de Mantua, in cuius propter guerras praeteriti temporis iampridem derelictae locum alia praedicti vocabuli S. Perpetuae in ipsa civitate Faventina dudum aedificata exstitit, in qua priores dicti ordinis pro tempore exsistentes habitant, eam pro prioratu S. Perpetuae ordinis antedicti tenentes, et quam praedicti vicarius, antiani, commune et populus ac prior nunc exsistens pro vestri ordinis loco idoneam iudicantes vobis concedi exoptant, vobis, ut praedictam S. Perpetuae extra muros Faventiae ecclesiam, in qua S. Marci de Mantua ordinem et S. Perpetuae vocabulum supprimimus ac exstinguimus, ut de cetero S. Hieronymi ecclesia nuncupetur, capere et in ipsa ac circa eam ecclesiam sive oratorium cum campanili, campanis, coemeterio, domibus et aliis officinis pro vestro loco, usu et habitatione vestra ac fratrum dicti ordinis instituere, facere ac construere et inibi sub regularibus institutis vestri ordinis Altissimo famulari necnon missas et alia divina officia celebrare ac verbum Dei praedicare libere et licite valeatis, ordinarii loci alio super hoc consensu minime requisito, iuribus *etc.* salvis, licentiam et plenariam ... concedimus facultatem. Et nihilominus vobis ac omnibus fratribus in ipsis domibus et loco pro tempore moraturis, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.*, non obstantibus *etc.* Verum, quia praedicta S. Perpetuae extra muros ecclesia certa territoria circa se habere dicitur, quibus totis vos minime indigetis, voluimus, quod fratres ex vestris, qui ad capiendum dictum locum accedent,

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 159. De Riccardo (alias Rizardo) de Restis cf. supra n. 51, p. 31.

(2) Reg. Vat. t. 376, f. 161; Reg. Lat. t. 408, f. 169v.

vocato venerabili fratre Nostro episcopo Faventino et duobus ex praedictis antianis eam dictorum territoriorum partem, quae aut pro officinis construendis aut pro horto domui et loco praedictis videbitur necessaria, etiam capiatis et cum certis affixis terminis ad partem designetis, ut perpetuo dignosci possit ipsa territorii pars ad ecclesiam et locum S. Hieronymi spectans ab aliis praedictis territoriis, quae prioratui S. Perpetuae in civitate exsistenti, prout nunc sunt, volumus remanere. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XV kal. iulii, ... anno XIV.

796. Mandat, ut Georgium de la Porta, O. F. M., absolvat a censuris ratione laesionis letalis Francisci de Papia O. F. M. contractis (1).

1444, iunii 20 Romae.

Dilecto filio vicario venerabilis fratris Nostri episcopi Parmen. in spiritualibus generali.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.* Exhibita siquidem nuper pro parte dilecti filii Georgii de la Porta, ordinem fratrum Minorum expresse professi, Vercellen. dioec., petitio continebat, quod ipse nuper nondum duobus mensibus elapsis, dum ipse guardianus conventus dicti ordinis loci Montisfalconis, Regin. dioec., exsisteret, se pro negotiis suis expediendis ad civitatem Parmen. transtulisset et conventum eiusdem ordinis ibidem intrasset et quondam Franciscum de Papia, dicti ordinis fratrem, etiam expresse professum ac in subdiaconatus ordine, ut creditur, constitutum, una cum dilecto filio Benedicto de Cremona, similiter fratre dicti ordinis, aemulo et oblocutore suo, inibi incedentem repperisset, et postquam ambos salutasset, idemque Benedictus eumdem Georgium turbato vultu inspexisset et deinde, dum ipse Georgius ab eodem Benedicto petivisset, cur ipsum taliter inspiceret et ad petitionem dicti Francisci tam vilis personae sibi verba comminatoria intulisset et oblocutoria dixisset et inter se plura alia verba altercatoria habuissent, dicto quondam Francisco haec et effectu similia dixit. Ex post vero, cum ipse Franciscus haec pro parte negasset et pro parte confessus fuisset, idem Georgius in eumdem Franciscum apud puteum prope refectorium ipsorum fratrum manus violentas iniiciendo cum collirio cappae suae apprehendit et tenuit eique haec et in effectu similia verba, quod si homo alicuius animi vel valoris foret, sibi oculum eruere vellet, dixit et sic eum dispretiando seu parvipendendo dimisit, ac quod deinde hora completorii vel noctis tempore advenientibus, dum ipse Georgius una cum vicario, guardiano et fratribus aliis de ipso conventu Parmen. in secundo claustro constitutus fuerat, dictus Franciscus, diabolico spiritu instigante, ut creditur, ductus, ab alio latere claustri huiusmodi tamquam furiosus veniendo ipsum Georgium pluribus verbis comminatoriis et vilibus aggressus fuit eique, quod ipso fortior foret ipsumque minime timeret, dixit, demum vero contra ipsum Georgium insurgendo eum pugno in faciem percutere visus fuit, et quod ipse Georgius, licet percussioni huiusmodi obviando se cum brachio suo tueretur, nihilominus idem Franciscus ipsum super brachium suum cum pugno percussit, quam percussionem ipse Georgius aegre ferens, non tamen animo ipsum Franciscum letaliter laedendi, sed eius furorem reppellendi eumdem cum pede suo dextro calciato in ventre seu femore suo adeo et taliter trusit et impulit, quod inde in interioribus crepuisse dicitur et ex post intra tres dies debitum naturae persolvit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Georgius, qui presbyter est et in presbyteratus ordine, dum praemissa fierent, constitutus exstitit, a die obitus dicti Francisci missas minime celebravit ac a divinis officiis ob praedicta penitus se retraxit ac ad Romanam curiam pro obtinenda dispensatione ac absolutione a Nobis de et super praemissis habitu pro securitate sua veniendo ad eamdem, non tamen animo per eum dimisso venit, et cui dictus Franciscus in obitu suo, ut ipse Georgius postea a nonnullis intellexit, de praedictis pepercit, de praemissis dolens ab intimis nec in morte dicti Francisci alias, ut credit, culpabilis exsistat, cupiens magnae devotionis zelo deinceps in singulis per eum susceptis sacris ordinibus Altissimo famulari, pro parte dicti Georgii Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus eumdem Georgium, si id humiliter petierit, a casu huiusmodi necnon reatu, qui exinde successit, et ab excommunicationis sententia, quam ipse Georgius propter praemissa incurrisse dignoscatur, necnon apostasiae vitio auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas, imposita per te sibi pro culpa huiusmodi condigna poenitentia secumque deinde, quod in singulis susceptis ordinibus praedictis ministrare libere et licite valeat, eadem auctoritate dispenses, omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per ipsum Georgium

(1) Reg. Lat. t. 408, f. 230 v.

dicta occasione quomodolibet contractam prorsus abolendo.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XII kal. iulii, ... anno XIV.

797. Annullat sententias excommunicationis et interdicti contra fratres et domum O. F. M. observ. Palentin. a ministro provinciae Castellae latas et promulgatas (1).

1444, iunii 20, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolicae Nobis iniunctae desuper officium *etc.* Cum itaque, sicut nonnullorum fide dignorum relatione percepimus, licet olim dilectus filius Lupus de Palentia, ordinis fratrum Minorum professor, ex fervore devotionis cupiens domum S. Francisci Palentin., dicti ordinis, cuius paulo ante guardianus fuerat, ad regularem observantiam eiusdem ordinis reduci et reformari, nonnullis super his a charissimo in Christo filio Iohanne, Castellae et Legionis rege illustri, qui ex singulari devotione, quam ad quoscumque regulares ordines et praesertim ad dictum ordinem fratrum Minorum gerit, reductionem reformationemque praedictas plurimum exoptat, necnon aliquorum magnorum nobilium illarum partium favoribus suffultus, cum quibusdam fratribus dicti ordinis sub huiusmodi observantia degentibus domum ipsam intraverit et illius regiminis ac gubernationis possessionem vel quasi fuerit assecutus, tamen nonnulli officiales dilecti filii ministri provincialis provinciae Castellae iuxta morem praefati ordinis primo et subsequenter ipse provincialis ac dilectus filius generalis minister eiusdem ordinis praefatos Lupum et fratres observantes per suas certi tenoris litteras monuerunt ac mandaverunt eisdem sub excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis tunc expressis, ut infra certum peremptorium tunc per ipsos officiales eis assignatum terminum praefatam domum aliis, qui primo in illa commorabantur, fratribus sub huiusmodi observantia non degentibus, conventualibus nuncupatis, dimitterent, et quia ipse Lupus et fratres observantiae dictis monitionibus et mandatis, prout eis de iure forsan non teneri videbatur, non paruerunt, praefati officiales in eosdem Lupum et fratres observantiae, postquam ipsi a monitione et mandato praedictis et nonnullis aliis sufficientibus eis per officiales, ministros et fratres conventuales praefatos illatis gravaminibus ad Sedem Apostolicam appellaverant, sententias, censuras et poenas praedictas promulgaverunt seu illas eos incurrisse denuntiaverunt et fecerunt ab aliis denuntiari ac domum ipsam ecclesiastico supposuerunt interdicto, Nos, qui ex paternae charitatis officio religionum omnium, quarum fragrantia laudabili sacrosancta militans ecclesia refecta conspicitur, illarumque personas, monasteria, domos et loca quaecumque ad regularem observantiam nostris potissime temporibus reduci et sub illa reformari intensis desideriis affectamus, de praemissis omnibus plenissime informati, attendentes, quod ad ipsius ordinis profectum necnon animarum salutem reductio et reformatio praedictae absque dubio redundant, auctoritate apostolica tenore praesentium omnes et singulas lites et causas super praemissis et eorum vel ipsorum alicuius occasione coram praefatis ministris, officialibus vel quibusvis aliis apostolica seu alia quavis auctoritate in Romana curia vel extra indecisas pendentes ... ad Nos advocamus et penitus exstinguimus dictasque litteras, monitiones et mandata ac omnia inde secuta revocamus, cassamus et annullamus ac nullius roboris vel momenti esse decernimus. Et insuper eosdem Lupum et fratres observantiae illorumque adhaerentes, fautores et sequaces utriusque sexus, ecclesiasticos et saeculares, pro bono pacis et concordiae a praedictis et quibusvis aliis excommunicationum, suspensionum et interdicti ceterisque sententiis, censuris et poenis, si quas praemissorum occasione forsan incurrerunt, absolvimus et absolutos esse decernimus necnon cum eis et ipsorum quolibet super irregularitate, si quam ... quomodolibet contraxerunt, dispensamus omnemque ab eis inhabilitatis et infamiae maculam sive notam ... abolemus necnon Lupum et alios praedictos quo ad honores omniaque alia quaecumque in integrum ac in statum pristinum, in quo etiam, antequam litterae, monitiones et mandata praedicta emanarent, quomodolibet erant, restituimus, reponimus et etiam reintegramus, interdictum quoque, cui praefata domus forsan propter praemissa supposita fuit, relaxamus et relaxatum esse declaramus. Volumus autem, quod praefata domus Palentin. sub regimine et gubernatione fratrum de observantia praedictorum remaneat ac per eos regatur et gubernetur, donec et quousque venerabiles fratres Nostri Sancius Salamantin. et Petrus Calagurritan. episcopi, quibus causam super nonnullis domum et ordinem praedictos concernentibus commisimus, ad Nos referent, Nosque superinde aliud duxerimus providendum. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XII kal. iulii, ... anno XIV.

(1) Reg. Lat. t. 408, f. 123 v.

798. Mandat, ut circa domum S. Francisci Palentin. O. F. M. inquirant et referant, et ut civitatem Palentin. liberent ab ecclesiastico interdicto (1).

1444, iunii 20, Romae.

Venerabilibus fratribus Sancio Salamantin. et Petro Calagurritan. episcopis.

Etsi Romanus pontifex pacis et iustitiae zelator *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Lupus de Palentia ordinis Minorum, fervore devotionis incensus, cupiens domum S. Francisci Palentin. dicti ordinis, cuius paulo ante guardianus fuerat, ad regularem observantiam ordinis eiusdem reduci et reformari, nonnullis super his a charissimo in Christo filio Nostro Iohanne, Castellae et Legionis rege illustri, ... necnon aliquorum magnorum nobilium illarum partium favoribus suffultus, cum quibusdam fratribus dicti ordinis sub huiusmodi observantia degentibus domum ipsam intravit et illius regiminis et gubernationis possessionem vel quasi assecutus exstitit, nonnullis officialibus dilecti filii ministri provincialis provinciae Castellae primo et deinde ipso provinciali ac dilecto filio generali ministro dicti ordinis repugnantibus ac contradicentibus et contra Lupum et fratres praefatos observantiae iuxta morem dicti ordinis sub certis censuris et poenis procedentibus et inter cetera obiicientibus, quod domus praedicta consueta fuit habere ibidem et sustentare fratres conventuales eiusdem ordinis in studio philosophiae et sacrarum litterarum, ad quod dicti fratres de observantia minime idonei esse dignoscuntur nec ad huiusmodi studia dispositi sunt, et plurima alia ipsis fratribus de observantia obiecerunt, propter quae a domo praedicta merito amoveri deberent, Nos igitur, cupientes, prout ex debito pastoralis officii tenemur, ut inter fratres praedictos pax et concordia vigeat, de praedictis certam notitiam non habentes, vobis ambobus simul auctoritate praesentium committimus et mandamus, quatenus vocatis tam fratribus conventualibus quam de observantia praedictis, quorum interest, et aliis, qui fuerint evocandi, diligentius veritatem inquiratis, an in domo praedicta praeteritis temporibus fratres conventuales studio philosophiae et sacrarum litterarum operam dederunt ipsaque domus ad huiusmodi studium apta sit et commoditates ad id requisitas habeat, deinde an aliae domus fratrum praedictorum in vicinis partibus aut regno Castellae et Legionis exsistant, in quibus fratres conventuales praefati studio facultatum praedictarum vacare soliti sint, postremo an fratres praedicti, qui de observantia nuncupantur, in eadem domo S. Francisci residentiam facientes, ad studendum idonei et apti sint, et insuper, si studendi voluntatem habeant, super quibus omnibus et singulis et eorum circumstantiis universis ea, quae vera esse reperietis, in scripturis fideliter redacta vestro sigillo munitis fideliter Nobis quantocius significare curetis, ut iuxta veritatis et iustitiae et aequitatis postulationem paci et tranquillitati fratrum praedictorum providere valeamus. Verum, cum quidam alii fratres dicti ordinis de observantia nuncupati, praesidio praesertim Roderici Henrici, archidiaconi de Tauro, et nonnullorum suorum in hac parte complicum et sequacium, de ecclesia S. Michaelis Palentin. fratribus conventualibus ab eadem et ante a dicta domo S. Francisci vi et percussionibus expulsis atque eiectis dictam ecclesiam S. Michaelis intraverunt, venerabilisque frater Noster episcopus Palentin., huiusmodi casum moleste ferens, civitatem Palentin., quamdiu praefatus Rodericus sive aliquis ex dictis complicibus et sequacibus in eadem resideret, ecclesiastico supposuit interdicto, Nos, quamvis dictum interdictum ab eodem episcopo rite emanatum fuisse consideraverimus, tamen certis rationabilibus causis moti, praesertim, ne innocentium animae detrimentum patiantur, praefatum episcopum per Nostras certi tenoris litteras requisivimus atque in Domino hortati fuimus, ut infra terminum viginti dierum a die praesentationis et notitiae dictarum litterarum computandum certa conditione adiecta dictum interdictum tolleret atque relaxaret civitatemque praedictam ab interdicti huiusmodi labe liberaret. Cum autem praedictorum innocentium fidelium animae quodammodo apud Nos clamitare et supplicare videantur, ut non permittamus de cetero eos dicto interdicto suppositos et divinis officiis privatos fore, horum devotis et humilibus supplicationibus inclinati, vobis tenore praesentium praecipimus et mandamus, ut, si praefatus episcopus infra dictum terminum interdictum huiusmodi non relaxaverit, vos sive alter vestrum dicto termino elapso memoratum interdictum quibuscumque exceptionibus et controversiis sublatis penitus tollatis atque relaxetis praefatamque civitatem ab huiusmodi interdicto liberetis, super quibus omnibus et singulis constitutionibus ... non obstantibus quibuscumque, vobis ambobus simul de et super inquisitione et significatione veritatis huiusmodi et dependentibus ab eisdem, vobis vero et cuilibet vestrum de

(1) Reg. Lat. t. 408, f. 100. Cf. n. praec.

et super relaxatione, ut praemittitur, dicti interdicti et civitatis praedictae liberatione plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XII kal. iulii, ... anno XIV.

799. Mandat, ut civitatem Palentin. liberet ab interdicto occasione occupationis domus S. Francisci et S. Michaelis per fratres O. F. M. de observantia lato (1).

1444, iunii 20, Romae.

Venerabili fratri .. episcopo Palentin.

Nuper ad notitiam Nostram fide dignorum insinuatione deducto, quod, cum inter dilectos filios fratres ordinis Minorum conventuales et eos, qui de observantia nuncupantur, magna controversia suborta fuisset, occasione domus ecclesiae S. Francisci Palentin., quam dicti conventuales fratres prius inhabitabant, Rodericus Henrici, archidiaconus de Tauro, unacum certis suis in hac parte complicibus et sequacibus ex commissione, ut asseritur, charissimi in Christo filii Nostri Iohannis, Castellae et Legionis regis illustris, patrocinium ipsorum fratrum de observantia assumens, dictos fratres conventuales ex praefata domo et ecclesia deinde S. Michaelis Palentin. vi et percussionibus etiam usque ad sanguinis effusionem eiecit et eiusdem domus possessione spoliavit dictosque de observantia fratres in domum praedictam introduxit. Quod tua fraternitas moleste ferens, ut debebat, cum etiam ecclesia praedicta effusione sanguinis ex dictis percussionibus emanante polluta fuerit, civitatem Palentin., quamdiu dictus archidiaconus aut aliquis ex suis complicibus et sequacibus in eadem residentiam faceret, ecclesiastico supposuit interdicto. Nos itaque, quamvis consideremus huiusmodi interdictum a tua fraternitate rite emanatum fuisse, tamen sentientes, quod ex huiusmodi interdicto fidelium innocentium animae, qui dicti interdicti causam non dederunt, detrimentum patiuntur, hac et certis aliis rationabilibus causis animum Nostrum moventibus inducti, fraternitatem tuam, quam ad pacem et tranquillitatem ac salutem animarum curae tuae commissarum sincera voluntate dispositum esse confidimus, charitative requirimus et hortamur in Domino, quatenus infra terminum viginti dierum a die praesentationis et notitiae harum litterarum, si per archidiaconum et complices et sequaces praedictos de reatu huiusmodi satisfactum exstitit, aut iuxta formam ecclesiae consuetam satisfecerint competenter, dictum interdictum tollas ac relaxes et civitatem praedictam ab interdicti huiusmodi labe liberes.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XII kal. iulii, ... anno XIV.

800. Concedit, ut Iacobus de Capua, O. F. M., ab administratione monasterii extra muros Tiburtin., *abbatia* nuncupati, ad monasterium S. Laurentii Panispernae de Urbe, O. S. Cl., pertinentis, nequeat amoveri (2).

1444, iunii 20, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quotiens id a Nobis petitur *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Laurentii Panispernae de Urbe, ordinis S. Clarae, petitio continebat, licet dilectus filius Iacobus de Capua, ordinis fratrum Minorum professor, cui quoddam dicti ordinis monasterium, abbatia nuncupatum, extra muros Tiburtin. versus montes consistens et praefato monasterio S. Laurentii subiectum, ex certis tunc expressis causis ad regendum et gubernandum canonice commendatum exstitit, in suis structuris et aedificiis, quae collapsa et ruinosa exsistebant, eius industria reparaverit eiusque possessiones, tenimenta et bona inculta ad culturam reduxerit ac ex illius bonis distractis et alienatis plurima recuperaverit, tamen abbatissa et conventus praedictae dubitent dictum Iacobum, qui eis, sicut asserunt, plurimum gratus et acceptus ac praefato monasterio S. Laurentii utilis exsistit, a regimine et administratione ipsius abbatiae extra muros Tiburtin. per suos superiores amoveri et ad claustrum monasterii, cuius professor censetur, revocari posse tempore succedente, pro parte abbatissae et conventus praedictarum, asserentium praefato monasterio S. Laurentii occasione amotionis ipsius Iacobi a regimine et administratione huiusmodi, si fieret, detrimentum et incommodum evenire posse, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod praefatus Iacobus a regimine et administratione praefatis per superiores vel quoscumque alios amoveri ac ad monasterium, cuius, ut praefertur, professor exsistit, huiusmodi revocari non possit quovis modo, quinimo ipsorum monasteriorum rector et gubernator illorumque bonorum temporalium cum suis dependentiis et

(1) Reg. Lat. t. 408, f. 37v. Cf. n. praec.

(2) Reg. Lat. t. 408, f. 105v.

annexis director, ministrator atque factor, quoad vixerit, censeri et esse debeat et pro tali ab omnibus reputari, revervata tamen sibi pro suis victu et vestitu dumtaxat ex fructibus, redditibus et proventibus monasteriorum huiusmodi portione tali, de qua decenter sustentari possit. Volumus insuper et dicta eidem Iacobo auctoritate concedimus, quod, si ipsum adeo infirmitate aut alias legitimo impedimento detineri contigerit, quod temporalibus huiusmodi commode insistere non possit, a spiritualibus dicti monasterii, abbatiae nuncupati, saltem quibus libere deserviet, etiam per quosvis nequeat amoveri. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XII kal. iulii, ... anno XIV.

801. Monasterium S. Clarae de Astudillo, O. S. Cl., subiicit curae visitatoris monasterii S. Clarae de Oterdesillas, O. S. Cl. (1).

1444, iunii 20, Romae.

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii S. Clarae de Astudillo, ordinis eiusdem sanctae, Palentin. dioec.

Sacrae religionis sinceritas *etc.* Cum itaque, sicut exhibita nuper pro parte vestra petitio continebat, si vos, quae in dicto monasterio quamplures, etiam in numero generosae, spretis mundi oblectamentis sub clausura ac iugi observantia castimoniae exemplariter vivitis, visitationi, correctioni, punitioni et reformationi dilecti filii Sancii de Canales, ordinis fratrum Minorum professoris (2), et successorum suorum pro tempore exsistentium visitatorum monasterii S. Clarae de Oterdesillas, ordinis S. Clarae et dioecesis praedictorum, subiiceremini, vos non solum sub dictis clausura et castimonia manuteneremini, verum etiam per ipsorum visitatorum curam sollicitam et fructuosum exercitium iuxta salutaria eiusdem ordinis S. Clarae instituta etiam in temporalibus susciperetis incrementum, Nos igitur ... vos et dictum monasterium vestrum necnon illius pro tempore exsistentes abbatissas, moniales et conversas ac alias ipsi vestro monasterio servientes utriusque sexus personas sub cura, visitatione, correctione, punitione et reformatione praedictis ac sub eiusdem modis, formis et conditionibus, sub quibus abbatissae et moniales pro tempore exsistentes dicti de Oterdesillas et quamplurimorum aliorum ipsius ordinis S. Clarae in illis partibus consistentium monasteriorum subiectae fore noscuntur, quamdiu vixeritis, ac ipsae vestri monasterii abbatissae, moniales et conversae pro tempore exsistentes vixerint in observantia regulari, auctoritate apostolica tenore praesentium subiicimus atque submittimus, ita quod interim nullus alius praefati ordinis fratrum Minorum superior in vos ac pro tempore exsistentes abbatissas, moniales et personas huiusmodi vel earum aliquam etiam ratione delicti seu contractus aut rei, de qua ageretur, visitationem, correctionem, punitionem seu reformationem valeat exercere. Et nihilominus vobis ac pro tempore exsistentibus abbatissis, monialibus et personis vestri monasterii huiusmodi necnon dicto vestro monasterio, quamdiu sub observantia praedicta vixeritis et aliae praedictae vixerint, ut praefertur, omnibus et singulis privilegiis *etc.* dicto monasterio de Oterdesillas ... concessis ... uti et gaudere libere et licite possitis et possint, auctoritate praedicta concedimus et etiam indulgemus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XII kal. iulii, ... anno XIV.

802. Concedit sororibus III. O. S. Fr. domus S. Ildephonsi Placentin. eremitorium S. Luciae Placentin. (3).

1444, iunii 27, Romae.

Dilecto filio archidiacono ecclesiae Caurien.

Sacrae religionis, sub qua dilectae in Christo filiae priorissa et sorores domus S. Ildefonsi Placentin., tertii ordinis S. Francisci, *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dictarum priorissae et sororum petitio continebat, quod olim venerabilis frater Noster Gundisalvus, episcopus Placentin., eremitorium S. Luciae Placentin., tunc gubernatore seu eremitis destitutum, eisdem priorissae et sororibus sub regulari eiusdem ordinis observantia degentibus, ut exinde aliquod in suis necessitatibus susciperent relevamen, usque ad eius beneplacitum dedit atque concessit, ipsaeque priorissa et sorores, vigore concessionis et donationis praedictarum possessionem dicti eremitorii apprehendentes, illud ex tunc tenuerunt et possederunt, prout tenent et possident de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ab aliquibus de ipsarum concessionis et donationis viribus haesitetur, dictaeque priorissa et sorores ipsum eremitorium eis ac futuris in dicta domo priorissis et sororibus perpetuo concedi desiderent, Nos ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus,

(1) Reg. Lat. t. 408, f. 103. De monasterio de Astudillo cf. supra n. 176, p. 89.

(2) De Sancio de Canales cf. supra n. 720, p. 342.

(3) Reg. Lat. t. 408, f. 35; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 156.

si est ita, eremitorium praedictum, cuius fructus, redditus et proventus trium librarum Turonen. parvorum secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipsae exponentes asserunt, non excedunt, priorissis et sororibus praesentibus et futuris praedictis auctoritate Nostra perpetuo concedas, tradas pariter et assignes, ita quod ipsae illud perpetuis futuris temporibus tenere ac eius fructus ... percipere et in earum necnon domus praedictae usus et utilitatem convertere libere et licite possint, alienatione *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, V kal. iulii, ... anno XIV.

803. Officiali Lucen. mandat, ut Alfonso Petri, clerico Mindonien. dioec., conferat quoddam perpetuum simplex beneficium, *Octava pars* nuncupatum, in parochiali ecclesia S. Mariae de Galdo dictae dioec., ex eo vacans, quod dilectus filius Iohannes Roderici de Padron, olim illud obtinens et Iohannis tit. S. Petri ad vincula presbyteri cardinalis familiaris, continuus commensalis et clericus saecularis exsistens, domum S. Francisci Hierosolymitan., O. F. M., ingressus, in ea per fratres ipsius domus emitti consuetam regularem professionem emiserat (1).

1444, augusti 1, Romae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, kalendis augusti, ... XIV.

804. Iohanni Fernandi de Xericio, Iohannis tit. S. Petri ad vincula presbyteri cardinalis familiari et continuo commensali, confert canonicatum et praebendam ecclesiae Tuden., ex eo vacantes, quod dilectus filius Iohannes Roderici de la Camera, O. F. M., qui, eiusdem cardinalis familiaris, continuus commensalis exsistens, eos obtinuerat ac postea domum Montis Sion in Hierusalem O. F. M. ingressus, in ea regularem per fratres ipsius ordinis emitti consuetam professionem emisit (2).

1444, augusti 11, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, III idus augusti, ... anno XIV.

805. Francisco de Plano, praecentori ecclesiae Barchinonen., mandat, ut Iacobo de Podiolo, clerico, perpetuo beneficiato in ecclesia Vicen., conferat perpetuum beneficium ad altare S. Michaelis situm in ecclesia B. Mariae de Petrisalbis, ordinis Minorissarum, Barchinonen. dioec., clericis saecularibus assignari consuetum, de iure patronatus laicorum pro tempore Ferrari de Podiolo, parochiae S. Hippolyti de Goltragnano laici exsistens, cuius personae institutio de antiqua et approbata hactenusque pacifice observata consuetudine ad abbatissam praedicti monasterii pertinebat, cuiusque fructus 24 librarum Barchinonen. valorem annuum non excedunt (3).

1444, augusti 17, Romae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XVI kal. septembris, ... anno XIV.

806. Francisco Dominici de Arimino, O. F. M., presbytero, qui in ordine per plures annos etiam post magisterii gradus in theologia susceptionem verbum Dei praedicando laudabiliter vixit, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (4).

1444, augusti 20, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XIII kal. septembris, ... anno XIV.

807. Alanum, episcopum Dolen., (O. F. M.) transfert ad ecclesiam Corisopiten. (5).

1444, augusti 24, Romae.

Venerabili fratri Alano, episcopo Corisopiten.

Romani pontificis *etc.* Dudum siquidem provisiones *etc.* Postmodum vero ecclesia Corisopiten. ex eo apud dictam Sedem vacante, quod venerabilis frater Noster Bertrandus, olim episcopus Corisopiten., regimini eiusdem ecclesiae, cui tunc praeerat, per dilectum filium Ivonem Iohannem, clericum Trecoren. dioec., procuratorem suum, ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus Nostris sponte et libere cessit *etc.* Nos ad provisionem *etc.*, demum ad te, Corisopiten., tunc Dolen. episcopum, consideratis *etc.*

---

(1) Reg. Lat. t. 407, f. 267. Cf. supra n. 547, p. 260; n. 784, p. 369. (2) Reg. Lat. t. 410, f. 181. Cf. n. praec.

(3) Reg. Lat. t. 407, f. 130 v. De monasterio de Petraalba cf. supra n. 323, p. 150.

(4) Reg. Vat. t. 362, f. 234. In margine legitur: « Cassatum de mandato D. N. papae per bullam ». Ipsa bulla est cancellata. Sequitur autem supplicatio Nicolao V facta huius tenoris: Beatissime Pater, Exponitur sanctitati Vestrae humiliter pro parte devoti oratoris, c. s. magistri Francisci de Arimino, ordinis Minorum, quod cum alias per fel. rec. D. Eugenium papam IV, praedecessorem V. S. fuerit habilitatus ad quodcumque beneficium ecclesiasticum ... recipiendi et retinendi, quousque vixerit, non obstantibus, quod sit fratrum Minorum ordinis, licet ex malis et falsis informationibus dicta bulla per eumdem summum pontificem fuerit eidem oratori revocata. Supplicat ergo S. V. praefatus exponens, ut ipsa pro solita clementia et benignitate dignetur de gratia speciali dictam gratiam de novo concedere ad instar praefatae concessionis praedecessoris Vestri praedicti, sicut apparet in registro bullarum. Cum non obstantibus et clausulis opportunis. — Fiat, ut petitur. T.

(5) Reg. Lat. t. 410, f. 178 v. De Alano de l'Espervier cf. supra n. 347, p. 160.

te a vinculo, quo eidem ecclesiae Dolen., cui tunc praeeras, ... absolventes, ad dictam ecclesiam Corisopiten. auctoritate apostolica transferimus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Volumus autem, quod, antequam possessionem administrationis bonorum dictae Corisopiten. ecclesiae recipias, in manibus venerabilium fratrum Nostrorum Briocen. et Veneten. episcoporum fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum iuxta formam *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IX kal. septembris, ... anno XIV.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Corisopiten.; Clero civit. et dioec. Corisopiten.; Populo civit. et dioec. Corisopiten.; Universis vasallis ecclesiae Corisopiten.*

808. Sorores Mantellatas, III O. S. Fr., in civitate Senen. eximit a subiectione et visitatione fratrum III. O. S. Fr. eiusdem civitatis (1).

1444, augusti 31, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Cunctorum statui fidelium *etc.* Cum itaque, sicut pro parte dilectarum in Christo filiarum Catharinae, relictae quondam Gerardi de Cinutiis laici viduae, ministrae et sororum tertii ordinis S. Francisci, Mantellatae nuncupatarum, in civitate Senen. degentium, Nobis nuper exhibita petitio continebat, ex conversatione, quam dilecti filii fratres dicti tertii ordinis, etiam in praefata civitate degentes, quibus in omnibus subiectae fore dicuntur, et quorum capitulis, quae singulis primis diebus Veneris cuiuslibet mensis apud eos celebrantur, ut illi asserunt, interesse obligantur, quique visitationem et gubernationem earum et commissorum per aliquam ipsarum pro tempore inquisitionem, correctionem et punitionem ad se spectare ac omnem iurisdictionem in eas exercere posse contendunt, cum eis habent, pro eo, quod minus honesta a plerisque iudicatur, et illi ut plurimum forenses, alienigenae et variae conditionis personae exsistunt, a quatuor annis proxime praeteritis citra diffamationes dictarum sororum et plura scandala secuta fuerint, quae ante annos eosdem a sexaginta annis retro lapsis, dum praefatae sorores solis ministrae et visitatori dicti ordinis subessent, sequi visa non exstiterunt, pro parte ipsarum sororum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis et statui ipsarum in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos, qui dissensionibus et scandalis, sicut tenemur, libenter obviamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes sorores dicti tertii ordinis in praefata civitate pro tempore degentes a subiectione, visitatione, inquisitione, correctione, punitione, potestate et dominio ac ab omni iurisdictione fratrum praedictorum, si quae illis in eas quovis modo competant, auctoritate apostolica tenore praesentium penitus eximimus pariter et liberamus ac taliter exemptas et liberatas fore decernimus easque in omnibus et singulis earum visitatori atque ministrae pro tempore exsistentibus, prout aliae mulieres in Florentin., Perusin. et Camerinen. civitatibus sub eodem ordine degentes ex privilegiis apostolicis per Nos eis concessis exsistunt, submittimus easque sic subiectas sub obedientia venerabilis fratris .. episcopi Senen. perpetuo volumus permanere, non obstantibus *etc.*, districtius inhibentes fratribus dicti tertii ordinis, qui in eadem civitate pro tempore moram faciunt, communiter et divisim, ne ipsi vel eorum aliquis contra praesentium tenorem et effectum audeant seu praesumant aliquam auctoritatem, potestatem seu iurisdictionem aut aliquod dominium in ipsas sorores vel contra eas quomodolibet exercere. Nos enim ex nunc irritum *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, pridie kal. septembris, ... anno XIV.

809. Concedit facultatem componendi de decimis non solutis in archiepiscopatu Ragusin. in subsidium classis contra Turcos parandae (2).

1444, septembris 3, Romae.

Venerabili fratri Iacobo, archiepiscopo Ragusin., et dilecto filio Antonio de Neapoli, ordinis Minorum professori, nuntio Nostro.

Inter cetera pia et sancta desideria, quae Deus omnipotens sua clementia inspiravit in corde Nostro, primum vidimus Graecos et orientales populos plurimos, tot saeculis ritu Romanae ecclesiae dissidentes, divina suffragante misericordia sub eadem divinae legis veritate Nobiscum coniunctos esse, aliud sanctum desiderium Nos sollicitat et continuo animum Nostrum inflammat, ut nationem Graecorum ac alios fideles

(1) Reg. Lat. t. 416, f. 113v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 157.

(2) Reg. Vat. t. 376, f. 195v. Eadem die iisdem datur alia bulla simillima circa male ablata incerta et relicta ad pias causas; ibidem f. 186v. Huius bullae differentias ad calcem notabimus. De Antonio de Neapoli cf. supra n. 747-750, p. 853 s.

orientales populos, sub acerbissima infidelium oppressione et tyrannide exsistentes, a tanta immanitate et crudelitate liberatos videremus. Quod, ut Deo propitio nostris temporibus assequi possemus, ultra maximum fidelium exercitum, qui in partibus Hungariae pluries paratus plurimasque victorias adversus Turcos et alios infideles adeptus exstitit, cui venerabilis frater Noster Iulianus, episcopus Tusculan., cardinalis S. Angeli, Apostolicae Sedis legatus, Nostra et Romanae ecclesiae auctoritate praeest, parari insuper fecimus maximam classem, cui dilectus filius Noster Franciscus, cardinalis Venetiarum, S. Romanae ecclesiae vicecancellarius, etiam Apostolicae Sedis legatus, Nostra et dictae Sedis auctoritate praesidet, ut his terrestribus maritimisque exercitibus Europae partes a crudelissimo Turcorum iugo Deo propitio liberentur. Cum autem tantum expensarum onus sine fidelium suffragiis tolerare minime valeamus, cupientes insuper, ut fideles tam communis et salutaris boni participes fiant [1], discretioni vestrae cum illis ex civibus Ragusin., qui archiepiscopis Ragusin., qui pro tempore fuerunt, decimas fructuum de praediis eorum perceptorum non solverint, sed aliquibus ecclesiis et monasteriis pro libito voluntatis eorum exhibuerint, iuxta personarum praedictarum et decimarum huiusmodi facultatem pro illa summa et quantitate pecuniarum, quae vobis ambobus videbitur vel alteri vestrum, si alium ex vobis abesse contigerit, pro communi fidelium utilitate et statu christianae religionis augendo de praeteritis dumtaxat decimis huiusmodi componendi [2] et quod reliquum fuerit, personis huiusmodi remittendi easque ac suos filios, haeredes ac successores, res et bona praesentia et futura ab huiusmodi solutione liberandi et perpetuo absolvendi necnon personas ipsas ab omnibus censuris, sententiis et poenis spiritualibus et temporalibus, si quas fortassis praemissorum occasione incurrerunt, in forma ecclesiae consueta absolvendi et in pristinum statum restituendi, et quod ad [3] pecuniarum et decimarum praedictarum solutionem faciendam alicui de cetero facere minime teneantur et ad id a nemine ullo umquam tempore compelli possint, decernendi et declarandi, ita tamen, ut pecuniae huiusmodi, de quibus [4] super dicti decimis compositionem feceritis, in subsidium catholicae fidei et dictae classis ac tam salutaris boni ac communi fidelium utilitate dumtaxat et non in alium usum exponantur et apud illos graves viros, apud quos alias pecuniae pro hac Dei causa depositae fuerunt, fideliter deponantur, qui pecunias ex praefata compositione percipiendas pro subventione classis praedictae dumtaxat exponere teneantur, apostolicis et aliis constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque, plenam et omnimodam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem pariter et potestatem, praesentibus post annum a data praesentium computandum minime valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, III nonas septembris, ... anno XIV.

810. Revocat litteras, quibus Madius de Ydronto, O. F. M., institutus erat administrator ecclesiae Materanen. [5].

1444, septembris 4, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ex apostolicae servitutis officio *etc.* Hodie siquidem venerabilem fratrem Nostrum Marcum, episcopum olim Fundan., in archiepiscopum Acherontin. electum, a vinculo, quo Fundan., cui tunc praeerat, ecclesiae tenebatur, ... absolventes, ipsum ad Acherontin. et Materanen. ecclesias invicem canonice unitas auctoritate apostolica transtulimus *etc.* Cum itaque Nos alias dilectum filium Madium de Ydronto, ordinis Minorum professorem, ipsi ecclesiae Materanen. in spiritualibus et temporalibus administratorem per alias Nostras litteras duxerimus deputandum, Nos certis suadentibus causis deputationem et desuper litteras praedictas eadem auctoritate revocamus per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, pridie nonas septembris, ... anno XIV.

---

(1) *Altera bulla haec habet:* discretioni vestrae cum personis, a quibus incerta et male ablata et per testamentarias voluntates relicta partim pauperibus partim quibusdam ecclesiis propriis ecclesiarum et pauperum nominibus non expressis, quae aut negligentia et iniquitate exsecutorum aut diminutione facultatum nondum distributa sunt, necnon cum mercatoribus, qui cum infidelibus, haereticis, schismaticis Latinis et Graecis mercantias fecerint et ob hoc pecunias et bona illicite acquisiverint contra eorum conscientias, pro illa summa et quantitate pecuniarum, quae vobis ambobus videbitur vel alteri vestrum, si alium ex vobis abesse contigerit, pro communi fidelium utilitate et ampliando christianae religionis statu componendi.

(2) Abhinc ambae bullae concordant.

(3) *Altera bulla:* pecuniarum, rerum et bonorum praedictorum restitutionem faciendam.

(4) *In altera bulla omittitur* super dictis decimis.

(5) Reg. Lat. t. 415, f. 150v. Cf. supra n. 694, p. 236.

811. Approbat et declarat acta quaedam in electione ministri fratrum III. O. S. Fr. in civitate Cremonen. (1).

1444, septembris 5, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Iis, quae pro religiosarum ac aliarum *etc.* Dudum siquidem per Nos accepto, quod in electione tunc futuri ministri fratrum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in civitate Cremonen. commorantium, in qua nonnulli dicti ordinis in eremis habitantes invitis aliis ipsius ordinis fratribus, qui separatim in domibus degunt, interesse nitebantur, variae fuerant dissensiones exortae, Nos tunc per Nostras in forma brevis litteras dilectis filiis praeceptori domus S. Antonii et prioris prioratus S. Petri de Pado, Cremonen., eorum nominibus propriis non expressis dedimus in mandatis, ut ipsi vel eorum alter vocatis, qui forent evocandi, ad electionem ministri huiusmodi iuxta morem alibi observatum ea vice procederent ac alia facerent, quae in praemissis opportuna forent, prout in ipso brevi plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Marci, ministri fratrum praedictorum, petitio continebat, praefatus praeceptor, cui etiam ipse prior ex certis causis vices suas commiserat, electionem iuxta morem huiusmodi celebrari fecerit, ipsorum fratrum desuper consensu et approbatione subsecutis, prout in instrumento publico desuper confecto latius dicitur contineri, pro parte dicti Marci Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... electionem praedictam et quaecumque inde secuta rata habentes, ... confirmamus *etc.* et nihilominus praesenti constitutione statuimus et ordinamus, quod de cetero, quoties eligendi ministri huiusmodi tempus ingruerit, ad electionem ipsam dicti fratres in domibus degentes dumtaxat exclusis eremitanis fratribus admittantur, decernentes harum serie illam prorsus, quae in electione dicti Marci ministri servata exstitit, in futuris electionibus formam observari debere, necnon irritum *etc.*, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, nonis septembris, ... anno XIV.

812. Petro Lenet alias Renys, O. F. M., Francisci, ducis Britanniae confessori, concedit, ut facultas olim ipsi concessa recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum in suo robore maneat, etiamsi eleemosynariam sive domum Dei S. Nicolai extra muros Veneten., quam in commendam tenebat, dimiserit (2).

1444, septembris 11, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, III idus septembris, ... anno XIV.

813. Cornelium O'Cunlis, O. F. M., instituit episcopum Imelacen. (Emly in Hibernia) (3).

1444, septembris 11, Romae.

Dilecto filio Cornelio Ocunlis, electo Imilacen.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Thoma, episcopo Imilacen. regimini Imilacen. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius Thomae episcopi, qui extra Romanam curiam decessit, pastoris solatio destituta, Nos *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem et in theologia baccalaurium, in presbyteratus ordine constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, III idus septembris, ... anno XIV.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Imilacen.; Clero civitatis et dioec. Imilacen.; Populo civitatis et dioec. Imilacen.; Universis vasallis ecclesiae Imilacen.;* praeterea *Archiepiscopo Cassellen.* (Ad cumulum) et *Henrico Angliae regi* (Gratiae divinae).

---

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 193v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 158.

(2) Reg. Lat. t. 408, f. 119v. Cf. supra n. 516, p. 250 et n. 530, p. 254.

(3) Reg. Lat. t. 410, f. 296. Huic electo die 7 octobris 1444 dantur litterae *Sincerae devotionis affectus,* quibus decernitur litteras supra dictas effectum suum sortiri debere. Legitur ibi: « Nuper siquidem ecclesiae Imilacen. tunc vacanti per obitum bon. mem. Thomae, episcopi Imilacen. extra Romanam curiam defuncti... de persona tua... duximus providendum, praeficiendo te *etc.* Cum autem..., licet praedictus Thomas episcopus eidem ecclesiae per decem et novem annos praefuerit..., pro eo tamen, quod a nonnullis asseritur ipsi ecclesiae de persona dilecti filii Roberti de Anglia, fratris ordinis Minorum, provisum fuisse, tu dubites te super dicta ecclesia et eius occasione per eumdem Robertum aut alios suo nomine molestari vel inquietari posse tempore procedente, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque... eidem Roberto in praedicta ecclesia vel ad eam nullum ius competisse sive competere aut interesse aliquod habuisse vel habere necnon provisionem de persona tua per Nos... factam... suum plenarie effectum sortiri debere auctoritate apostolica decernimus per praesentes, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.* Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, nonis octobris, ... anno XIV ». Reg. Vat. t. 377, f. 6; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 159.

814. Praeposito ecclesiae SS. Nazarii et Celsi Brixien. mandat, quatenus priori prioratus S. Salvatoris de congregatione B. Mariae de Frisonaria, S. Augustini, ac guardiano S. Apollonii extra, Minorum, necnon prioris S. Dominici domorum intra muros Brixien., Praedicatorum fratrum ordinum, exsecutoribus testamenti a Georgio de Chizolis, civis Brixien. conditi, concedat facultatem vendendi et commutandi certas possessiones, quarum fructus in pios usus legati erant (1).

1444, septembris 16, Romae.

Ad ea, per quae pauperum et miserabilium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XVI kal. octobris, ... anno XIV.

815. Iohannem Odalay, O. F. M., instituit episcopum Cluanen. (Clonmacnoise in Hibernia) (2).

1444, septembris 18, Romae.

Dilecto filio Iohanni Odalay, electo Cluanen.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Cormaco, episcopo Cluanen., regimini Cluanen. ecclesiae praesidente Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius episcopi, qui extra Romanam curiam decessit, pastoris solatio destituta Nos *etc.*, demum ad te, ordinis Minorum professorem, in theologia baccalaurium, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XIV kal. octobris, ... anno XIV.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Cluanen.; Clero civitatis et dioec. Cluanen.; Populo civit. et dioec. Cluanen.; Universis vasallis ecclesiae Cluanen.;* praeterea *Archiepiscopo Armachan.* (Ad cumulum) et *Henrico regi Angliae* (Gratiae divinae).

816. Episcopo Aquilan. mandat, ut Angelum Antonii de Firmo, O. F. M., qui confisus de verbis quondam Mathiae, tunc abbatis monasterii S. Spiritus de Sulmona, O. S. Ben., Coelestinorum nuncupati, Valven. dioec., asserentis se vi privilegii a Coelestino papa V specialem ad id habere facultatem, ad praefatum monasterium et ordinem se transtulerat, absolvat a censuris et cum eo dispenset super irregularitate eique facultatem concedat ad monasterium B. Mariae de Collemadio extra et prope muros Aquilan. dicti ordinis S. Benedicti transeundi ibique perpetuo remanendi (3).

1444, septembris 19, Romae.

Sedis Apostolicae circumspecta benignitas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XIII kal. octobris, ... anno XIV.

817. Mandat, ut Iohannem Corboldo de Venetiis, O. F. M., restituant in possessionem prioratus B. Mariae Nigroponten., O. Cruciferorum (4).

1444, octobris 10, Romae.

Venerabili fratri episcopo Aquilan. ac dilectis filiis decano et Curado de Sauris, canonico ecclesiae Nigroponten.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis Corboldo de Venetiis, prioris prioratus beatae Mariae Nigroponten., ordinis Cruciferorum, petitio continebat, quod licet dudum prioratus praedictus sive per liberam resignationem Bartholomaei, ultimi ipsius prioratus prioris, de illo ... in manibus dilecti filii Andreae, etiam tunc praefati ordinis generalis magistri, extra Romanam curiam sponte factam et per ipsum Andream quarumdam litterarum Nostrarum vigore extra eamdem curiam admissam, sive per amotionem dilecti filii Iohannis Monzono, ordinis fratrum Praedicatorum professoris, ab illo auctoritate apostolica olim etiam factam, tunc vacaret, vigore praemisso sibi collatum et de illo provisum, ipseque de ordine fratrum Minorum, quem tunc expresse professus erat, ad dictum ordinem Cruciferorum translatus, ita tamen, quod in altero prioratus et hospitalis praefatorum residere, alioquin ad dictum ordinem Minorum redire deberet, necnon obtentu collationis et provisionis praedictarum prioratum cum hospitali huiusmodi assecutus fuisset canonice illaque aliquamdiu tenuisset ac possedisset ac tunc teneret et possideret pacifice et quiete, tamen dilectus filius Petrus Andreae Mauroceno de Venetiis, qui se gerit pro clerico Castellan. dioec., asserens tunc prioratum cum hospitali huiusmodi, ut praemittitur, vacantem, praetextu aliarum litterarum Nostrarum sibi ad vitam suam commendatum exstitisse seque in decimoquinto suae aetatis anno constitutum fore ac dictum Iohannem illum absque concessione sive provisione apostolica per triennium vel circa tunc detinuisse et detinere indebite occupatum, praefatum Iohannem Corboldum prioratu et hospitali praedictis con-

(1) Reg. Lat. t. 414, f. 1.
(2) Reg. Lat. t. 410, f. 174v.
(3) Reg. Lat. t. 408, f. 292v.
(4) Reg. Lat. t. 407, f. 112. Cf. supra n. 679, p. 320.

tra iustitiam spoliavit illaque occupavit et detinuit, prout detinet indebite occupata, fructus percipiendo ex eisdem, et alias ipsum Iohannem super dicto prioratu et hospitali multipliciter molestavit, ortaque propterea inter Iohannem Corboldo et Petrum praedictos super prioratu et hospitali praefatis ac eorum occasione materia quaestionis et causa huiusmodi per appellationem dicti Iohannis ad dictam curiam legitime introducta Nos causam ipsam dilecto filio magistro Berardo de Narnia, capellano Nostro et causarum palatii apostolici auditori, ad ipsius Petri instantiam audiendam commisimus et fine debito terminandam. Qui quidem auditor cognitis illius meritis de consilio et assensu coauditorum suorum causarum dicti palatii, quibus super his relationem fecit fidelem, per suam definitivam sententiam pronuntiavit, decrevit et declaravit, prout haec omnia in libello pro parte dicti Iohannis Corboldo in huiusmodi causa exhibito petita fuerant, occupationes, detentiones et fructuum perceptiones per Petrum factas huiusmodi fuisse et esse temerarias, illicitas, indebitas et iniustas, ipsumque Petrum a prioratu et hospitali praefatis amovendum fore et amovit necnon praefatum Iohannem in corporalem, realem et actualem possessionem prioratus et hospitalis praedictorum eorumque iurium et pertinentiarum omnium restituendum et reintegrandum fore ac restituit et reintegravit, necnon ipsum Petrum in expensis in dicta causa factis ac fructibus perceptis condemnandum fore et condemnavit, a qua quidem sententia pro parte dicti Petri ad Sedem fuit Apostolicam appellatum, prout in instrumento publico desuper confecto ipsius auditoris sigillo munito dicitur plenius contineri. Nos igitur praedictae et aliarum quarumlibet, si quae inter Iohannem Corboldo et Petrum praefatos super prioratu et hospitali praefatis ac eorum occasione in dicta curia vel extra eam ex specialibus commissionibus Nostris indecisae forsan pendere noscuntur, litium et causarum statum praesentibus pro expressis habentes illasque ad Nos harum serie ex certa scientia auctoritate apostolica advocantes et penitus exstinguentes necnon huiusmodi Petro concessas litteras ac super illis habitos processus et omnia inde secuta auctoritate apostolica et scientia supradictis cassantes et annullantes ac pro nullis et infectis haberi volentes, praefati Iohannis Corboldo in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni vestrae ... mandamus, quatenus ... praemissa exsecutioni debitae demandantes eumdem Iohannem Corboldo vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prioratus et hospitalis iuriumque et pertinentiarum praedictorum amoto exinde dicto Petro auctoritate Nostra restituatis et reintegretis ac restitutum et reintegratum iuxta iuris exigentiam defendatis, facientes ipsum prioratus et hospitalis praefatorum pacifica possessione gaudere, necnon de perceptis fructibus plenam et debitam satisfactionem impendi, etiam perinde in omnibus et per omnia, ac si ab eadem sententia minime appellatum fuisset. Et nihilominus legitimis super his per vos habendis processibus eum, quotiens expedierit, aggravare curetis, contradictores *etc.*, invocato *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VI idus octobris, ... anno XIV.

818. Concedit indulgentias pro ecclesia domus de observantia S. Francisci et B. Mariae Magdalenae de poenitentia nuncupata (?) (1).

1444, octobris 10, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia domus de observantia S. Francisci et beatae Mariae Magdalenae de poenitentia nuncupata, nondum in suis structuris et aedificiis ob rerum penuriam perfecta, debite construatur et perficiatur ac libris, calicibus et aliis ad divinum cultum necessariis ornamentis fulciatur et congruis honoribus frequentetur et, ut christifideles eo libentius devotionis causa confluant ad eamdem, quo *etc.* omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis et Corporis Domini nostri Iesu Christi, pentecostes necnon in nativitatis, annuntiationis, purificationis et assumptionis B. Mariae Virginis ac nativitatis beati Iohannis Baptistae ac S. Francisci et beatae Mariae Magdalenae praedictorum festivitatibus, etiam in celebritate omnium sanctorum et per ipsarum ... festivitatum octavas et per sex dies dictam festivitatem pentecostes immediate sequentes ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim et ad constructionem ac perfectionem easdem seu pro libris, calicibus et aliis necessariis acquirendis praedictis manus tunc aut alias quandocumque porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et unam quadragenam, octavarum vero et sex dierum praedictorum diebus ... centum dies de iniunctis eis

(1) Reg. Lat. t. 415, f. 109 v.

poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VI idus octobris, ... anno XIV.

819. Archiepiscopo Neapolitan. mandat, ut Iohannem de Murcis, civem Neapolitan., absolvat a voto ingrediendi ordinem fratrum Minorum, quod ipse decem vel duodecim annis elapsis peste tunc in civitate Neapolitan. vigente fecerat (1).

1444, octobris 14, Romae.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, pridie idus octobris, ... anno XIV.

820. Concedit indulgentias pro hospitali S. Iacobi castri Bosardi, Castren. dioec., a Donato fundato ante suum ingressum in ordinem fratrum Minorum (2).

1444, octobris 14, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Maiestatis divinae *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia hospitalis, quod, sicut nuper accepimus, dilectus filius Donatus, ordinis fratrum Minorum de observantia, antequam eiusdem ordinis professionem emitteret, de bonis sibi a Deo collatis pro receptione et sustentatione pauperum illuc confluentium in castro Bosardi, Castren. dioec., sub vocabulo S. Iacobi apostoli fundari, construi et aedificari fecit, congruis honoribus frequentetur, ipsumque hospitale manuteneatur et gubernetur, necnon christifideles devotionis causa ad dictam ecclesiam eo libentius confluant ac ad huiusmodi manutentionem et gubernationem manus promptius porrigant adiutrices, quo *etc.* omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis *etc.* (*ut supra n. 818*) festivitatibus *etc.* necnon *etc.* ecclesiam hospitalis huiusmodi devote visitaverint annuatim ac ad manutentionem praefatas manus adiutrices porrexerint, singulis videlicet festivitatum ... tres annos et totidem quadragenas, octavarum vero ... diebus centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, pridie idus octobris, ... anno XIV.

821. Albertinum de Tridento, O. F. M., instituit episcopum Esien. (Hesebon in Arabia) (3).

1444, octobris 16, Romae.

Dilecto filio Albertino de Tridento, electo Esien.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Petro, episcopo Esien., regimini Esien. ecclesiae praesidente Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta Nos *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum in sacerdotio constitutum, cui apud Nos de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam regimen *etc.* Volumus autem *etc.* Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XVII kal. novembris, ... anno XIV.

822. Donato de Puteo, O. F. M., capellano honoris pontificio, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (4).

1444, octobris 21, Romae.

Dilecto filio Donato de Puteo, ordinis fratrum Minorum et theologiae professori.

Religionis zelus *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis pro parte tua petitio continebat, tu pro Nobis et S. Romana ecclesia diversa et gravia labores et incommoda pertulisti nequeasque de mendicitate tua tuis indigentiis et necessitatibus subvenire, pro parte tua fuit Nobis humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, dispendiis tuis occurrere cupientes ac te, qui, ut asseris, ordinem fratrum Minorum expresse professus et capellanus honoris Noster exsistis, praemissorum intuitu specialis gratiae favore prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tecum, ut unum beneficium ecclesiasticum ... recipere et quoad vixeris retinere ipsumque in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, necnon illud ... dimittere et eius loco aliud simile vel dissimile unum dumtaxat beneficium ecclesiasticum, si tibi, ut praefertur, canonice conferatur, aut praesenteris seu eligaris ad illud, etiam recipere et similiter quoad vixeris retinere necnon beneficii huiusmodi fructus, redditus et proventus recipere et in tui sustentationem aliosque honestos usus et utilitatem convertere libere et licite valeas, quod dicti ordinis professor exsi-

(1) Reg. Lat. t. 415, f. 163.

(2) Reg. Lat. t. 415, f. 14.

(3) Reg. Lat. t. 410, f. 168. Eidem die 18 octobris litteris *Sincerae devotionis affectus* concedit facultatem exercendi pontificalia in civitate et dioecesi Tridentin. Reg. Lat. t. 415, f. 168v.

(4) Reg. Vat. t. 386, f. 52v. De Donato cf. supra n. 624, p. 294.

stis ... ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus, proviso *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XII kal. novembris, ... anno XIV.

823. Mandat, ut domum S. Salvatoris in terra de Millionico, O. F. M. conventualium, supprimat et eorum loco fratribus de observantia concedat facultatem fundandi domum sub nomine S. Francisci in terra praedicta [1].

1444, octobris 24, Romae.

Dilecto filio.. abbati monasterii de Ogiano, Acherontin. dioec.

Ad ea, per quae regularium *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Antonii de S. Severino, ducis S. Marci, ac universorum hominum incolarum et habitatorum terrae de Millionico, Acherontin. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet olim ex certis Nobis tunc expositis causis dilectis filiis Madio ministro [2] ceterisque fratribus domorum fratrum Minorum in provincia Apuliae consistentium unum in dicta terra de Millionico et tria alia loca infra praefatam provinciam, si illa eis vel alicui ipsorum pia christifidelium largitione concederentur seu donarentur, pro fratribus dicti ordinis de observantia nuncupatis et sub regulari observantia huiusmodi inibi deputandis recipiendi et in singulis locis huiusmodi ecclesiam cum campanili, campana, coemeterio, domibus, hortis, hortalitiis, necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum de observantia huiusmodi construendi per quasdam litteras Nostras facultatem concesserimus [3], tamen idem minister litteris et facultate huiusmodi contra intentionem Nostram ac voluntatem ducis necnon incolarum hominum et habitatorum praedictorum abutendo in loco sibi propterea in dicta terra de Millionico postmodum concesso fratres conventuales dicti ordinis de sua obedientia, eisdem incolis hominibus et habitatoribus totique populo illarum partium non gratos neque acceptos, et non fratres de observantia huiusmodi taliter qualiter deputavit et transmisit, propter quod periculum exstitit, ut gravia inter eosdem fratres conventuales et dictos incolas, homines et habitatores scandala et dissensiones saepe suborirentur gravioraque suboriri timentur in futurum. Quare pro parte ducis, hominum, incolarum et habitatorum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de praemissis omnibus ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, ... ordinem huiusmodi in dicto loco in praefata terra sub vocabulo S. Salvatoris iam, ut asseritur, in quadam domo satis antiqua, et in qua quamplura sub vocabulo eiusdem S. Francisci altaria erecta exsistunt, et plurima fidelium corpora requiescunt, erecta penitus supprimas et exstinguas ipsumque locum pro capella maioris ecclesiae eiusdem terrae relaxes et deputes ac capellam ipsam eidem ecclesiae perpetuo applices et concedas. Et nihilominus praefatis duci, hominibus, incolis et habitatoribus alium locum infra limites dictae terrae sub vocabulo eiusdem S. Francisci, ubicumque vicario, qui pro tempore fuerit, ac fratribus de observantia ipsius provinciae aptius et commodius visum fuerit, cum consilio aliquorum fratrum discretorum ad hoc commissariorum cum ecclesia, campanili ... et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum de observantia huiusmodi, ut dictum est, fundandi ... ac domos, aedificia, campanam et alia quaecumque bona tam ad cultum divinum quam ad humanae naturae sustentationem pertinentia in loco iam erecto huiusmodi apposita et applicata ac etiam corpus seu cadaver quondam Petri de Mangerio, notarii publici, ibidem tumulatum ad locum erigendum praedictum transferendi et transportandi necnon fratribus de observantia huiusmodi in loco erigendo praedicto, ... perpetuo commorandi fel. rec. Bonifatii papae VIII ... nequaquam obstantibus eadem auctoritate licentiam largiaris, ita, quod fratres de observantia huiusmodi in dicto erecto seu incepto loco remanere seu morari possint et debeant, donec et quousque locus erigendus, sicut praefertur, erectus fuerit. Nos insuper fratribus in loco erigendo huiusmodi deputandis, et qui in illo pro tempore fuerint, ut ipsi omnibus et singulis gratiis, privilegiis *etc.* iure tamen parochialis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IX kal. novembris, ... anno XIV.

---

(1) Reg. Lat. t. 415, f. 105 v.

(2) Fortasse idem ac Madius de Ydronto, qui aliquamdiu fuit administrator ecclesiae Materanen.; cf. supra n. 694, p. 326 et n. 810, p. 382.

(3) Cf. supra n. 427, p. 199.

824. Mandat, ut ecclesiam S. Nazarii extra et prope civitatem Novarien. segreget a monasterio S. Dominici, O. S. Cl., eamque concedat fratribus O. F. M. de observantia (1).

1444, octobris 24, Romae.

Venerabili fratri Bartholomaeo, episcopo Novarien.

Sacrae religionis, sub qua dilecti filii fratres ordinis Minorum de observantia nuncupati, provinciae Mediolanen. *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dictorum fratrum petitio continebat, quod olim tu et dilecti filii clerus et populus civitatis Novarien. ex singulari fide et devotione per vos in fratres et ordinem praedictos conceptis ad id dilecti filii Antonii de Rusconibus, generalis ministri dicti ordinis, accedente consensu ecclesiam sine cura S. Nazarii, extra et prope dictam civitatem consistentem, divino cultu penitus destitutam, quae necessitati fratrum praedictorum visa est plurimum convenire, praedictis fratribus obtulistis et quodammodo assignastis. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii S. Dominici Novarien., ordinis S. Clarae, asserentes ecclesiam huiusmodi ad eas legitime spectare, muliebri magis opinione quam aliqua ratione ductae, etiam oblata sibi pro dicta ecclesia condigna et competenti recompensa oblationi et assignationi huiusmodi nullatenus consentire velle videantur, pro parte eorumdem fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus vocatis abbatissa et conventu praedictis ac aliis, qui fuerint evocandi, super praemissis ... te diligenter informes et ... ecclesiam praedictam cum territorio ei adiacente pro hortis et aliis ad usum et habitationem fratrum huiusmodi necessariis officinis a dicto monasterio auctoritate praedicta segreges et dismembres illamque cum territorio huiusmodi competenti vel etiam, si tibi videbitur, nulla praedicto monasterio assignata recompensa dictis fratribus pro aliquorum ex eis usu et habitatione perpetuis perpetuo tenendam et inhabitandam dicta auctoritate concedas, inducens ... eosdem fratres vel procuratorem seu syndicum suum eorum nominibus in corporalem possessionem ecclesiae et territorii praedictorum ac defendens inductos amotis abbatissa et conventu praedictis ac quibuslibet detentoribus ab eisdem ac faciens ipsos fratres ecclesiae et territorii praedictorum pacifica possessione gaudere, contradictores per censuram *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IX kal. novembris, ... anno XIV.

825. Georgio de la Porta O. F. M. concedit licentiam recipiendi beneficia ecclesiastica (2).

1444, octobris 24, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IX kal. novembris, ... anno XIV.

826. Gandulphum de Sicilia O. F. M. instituit commissarium papae in partibus orientalibus eique concedit facultates (3).

1444, novembris 1, Romae.

Dilecto filio fratri Gandulpho de regno Siciliae Italiae, ordinis Minorum in conventu Montis Sion et aliis locis Terrae Sanctae guardiano, in partibus orientalibus Indiae, Aethiopiae, Aegypti et Ierusalem commissario Nostro.

Dum onus universalis gregis dominici *etc. (ut supra n. 300, p. 138)* te in partibus orientalibus Indiae, Aethiopiae, Aegypti et Ierusalem commissarium Nostrum facimus, constituimus et etiam deputamus, tibi nihilominus Nostro et Romanae ecclesiae nominibus omnia et singula, quae dilectus filius generalis ordinis tui facere posset, si personaliter in partibus praedictis interesset, faciendi et agendi tenore praesentium [concedimus facultatem], statuentes, quod tu et qui pro tempore fuerint in dictis partibus a te substituti, super conventus et personas conventuum illam potestatem, facultatem et arbitrium habeatis, quam generalis ipse, si adesset, habere dignoscitur, sic tamen, quod tu et substituti praefati et vobis subiecti fratres per omnia dicto generali obedire et subesse teneamini, praeterquam in his, quae huic mandato et commissioni Nostrae derogare et obviare censeantur, fraternitates insuper seu societates, si quas pietati idoneas esse prospexeritis, cum opportunis constitutionibus ordinare, et ad tertium ordinem beati Francisci, ad habitum et professionem recipere et in eodem ordine visitatores et alios officiales instituere valeatis, quorum omnium tam dicti tertii ordinis quam congregationum singulis personis in dictis congregationibus perseverantibus omnium peccatorum remissionem in mortis articulo ac vere poenitentibus et confessis auctoritate apostolica impen-

(1) Reg. Lat. t. 414, f. 12v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 160. (2) Reg. Vat. t. 363, f. 72v. Cf. supra n. 796, p. 375. (3) Reg. Vat. t. 376, f. 236v; Wadd. *Ann.* ad a. 1444, n. 50. De Gandulpho cf. supra n. 411, p. 192.

dere valeas et valeant, necnon fratribus, de quibus tibi aut eis videbitur, ut ad partes praedictas vadant, qui etiam tibi et illis obedire teneantur, praecipiendi et mandandi ipsosque ad alias quascumque mundi partes cum facultatibus et auctoritatibus supradictis dirigendi ac notarios ad actus publicos in favorem fidei conscribendos creandi et instituendi, quodque tu et qui pro tempore fuerit substitutus seu per aliquem vestrum deputatus super omnia monasteria curae fratrum Minorum in dictis partibus hactenus commissa vel committenda eamdem potestatem habeatis, quam generalis ipsius ordinis minister habere dignoscitur, tenore simili concedentes. Volumus autem, quod per quascumque litteras apostolicas generali ministro dicti ordinis seu aliis quoquomodo concessas vel concedendas in posterum gratiae, indulta et alia supradicta nullatenus intelligantur revocata, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, kalendis novembris, ... anno XIV.

827. Conventui B. Mariae de Paradiso prope muros Viterbien., O. F. M., de observ. indulget, ut ad solutionem quartae partis non teneantur (1).

1444 (?) novembris 5, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus beatae Mariae de Paradiso prope muros Viterbien., ordinis fratrum Minorum.

Digna exauditione vota *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos domum beatae Mariae de Paradiso prope muros Viterbien., vestri ordinis, quam a paucis temporibus citra estis canonice assecuti, in suis structuris et aedificiis pro vestris usu et habitatione necessariis fundari seu construi facere coeperitis, et ad illorum perfectionem christifidelium eleemosynae causantibus guerris, quae partes illas proxime praeteritis temporibus plurimum afflixerunt, nullatenus sufficiant, Nos, attendentes multiplicem fructum, quem vos et alii fratres dicti ordinis sub illius regulari observantia viventes ubilibet in Dei ecclesia dietim affertis et vos in civitate Nostra Viterbien. estis verisimiliter allaturi, ac propterea illa vobis concedere volentes, per quae structurae necnon aedificia huiusmodi perfici et conservari valeant, ... vobis ac domui vestrae praedictae, ut de obventionibus tam de funeralibus quam de quibuscumque et quomodocumque legatis seu relictis, distincte seu indistincte, necnon de datis vel qualitercumque donatis in morte seu mortis articulo in infirmitate dantis, de qua decesserit, quomodocumque directe vel indirecte vobis seu domui praefatae a quibuscumque christifidelibus pro tempore factis, etiam de quibus quarta seu canonica portio dari vel exigi consueverit seu debet de iure, quartam aut aliam quotam vel partem, quovis nomine censeatur, episcopo Viterbien. pro tempore exsistenti ac parochialibus sacerdotibus et ecclesiarum rectoribus seu curatis dare vel solvere de cetero nullatenus teneamini, nec etiam haeredes vel exsecutores ultimarum voluntatum legantium, relinquentium, dantium vel donantium huiusmodi teneantur, nec vos ac illi ad id inviti a quoquam quavis auctoritate compelli possitis ac possint, fel. rec. Bonifatii papae *etc.* contrariis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali dono gratiae indulgemus, praesentibus, quousque sub dicta observantia vixeritis, valituris. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, nonis novembris, ... anno XV (!).

828. Mandat, ut Petro Guidonis, presbytero III. O. S. Fr., concedat capellam S. Mariae de Monticellis, Amelien. dioec., pro fratribus III. O. S. Fr. (2).

1444, novembris 12, Romae.

Venerabili fratri .. episcopo Amelien.

Devotarum Nobis et Apostolicae Sedi personarum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Petri Guidonis, presbyteri S. Leonis dioec., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati professoris, petitio continebat, quod olim dilectus filius Antonius Francisci, prior saecularis et collegiatae ecclesiae S. Laurentii de Crenestello extra muros Amelien. ecclesiam sive capellam sine cura S. Mariae de Monticellis, tuae dioec., quae ipsi ecclesiae S. Laurentii certo modo subiecta exsistit et a pluribus annis citra quandoque per fratres dicti ordinis, nonnumquam vero per alias pauperes personas eremiticam vitam ducentes teneri consuevit, tunc personis huiusmodi carentem, cum domibus et horto sibi adiacentibus necnon omnibus et singulis eleemosynis ac oblationibus, quae eidem ecclesiae sive capellae S. Mariae pro tempore provenirent, medietate illarum, quae in assumptionis, et persolutis ex eis annis singulis ipsi Petro quatuor florenis auri, omnibus aliis, quae in nativitatis B. Mariae festivitatibus percipiuntur, quas dictus Antonius ad suos usus et utilitatem reservavit, dumtaxat exceptis, praefato Petro sub certis modo et forma dedit et

(1) Reg. Vat. t. 377, f. 104a v.

(2) Reg. Lat. t. 414, f. 232v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 161.

concessit, ipseque Petrus, ecclesiam sive capellam S. Mariae praedictam dationis et concessionis huiusmodi vigore assecutus, illam ex tunc tenuit *etc.* Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Petrus dubitet dationem et concessionem praefatas ex certis causis viribus non subsistere seque ab illa pro solo nutu ipsius Antonii seu prioris dictae ecclesiae S. Laurentii pro tempore exsistentis forsan amoveri posse, et, si ecclesia S. Mariae sive capella praedicta cum domibus et horto praefatis dicto Petro per eum et alios fratres eiusdem ordinis perpetuo tenenda ... assignaretur, ipse Petrus in illa cum pluribus fratribus eiusdem ordinis divinis officiis et orationibus iugiter vacando resideret in divini cultus ac religionis ipsius ordinis augmentum necnon magnam habitatorum et incolarum circumadiacentium animarum consolationem. Quare pro parte eiusdem Petri, asserentis, quod ex ipsa ecclesia sive capella S. Mariae nulli annui fructus seu redditus eleemosynis et oblationibus huiusmodi dumtaxat exceptis percipiuntur, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si vocatis dicto Antonio priore et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de praemissis legitime constiterit, ecclesiam S. Mariae sive capellam praedictam cum domibus et horto praedictis ac calicibus, libris, paramentis et aliis ornamentis ecclesiasticis necnon supellectilibus et bonis mobilibus ipsi ecclesiae S. Mariae sive capellae hactenus oblatis, quaecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, eidem Petro aliisque fratribus dicti ordinis praesentibus et futuris per aliquos ex eis perpetuo tenendam, regendam et inhabitandam auctoritate Nostra dones, concedas et appropries, ita quod ex tunc liceat Petro et fratribus praedictis in ipsa ecclesia S. Mariae sive capella coemeterium habere et quaecumque pro ipsorum fratrum usu et habitatione necessaria fundare et construere ... ac omnes et singulas oblationes et eleemosynas, etiam illas, quas ipse Antonius sibi reservavit, ut praefertur, integre percipere necnon in fabricam et utilitatem ecclesiae S. Mariae sive capellae huiusmodi ac sustentationem suam convertere, dioecesani ... licentia nullatenus requisita. Nos enim, si dationem, concessionem, et appropriationem praedictas feceris, Petro et fratribus in domo S. Mariae sive capellae huiusmodi pro tempore commorantibus, quod omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, pridie idus novembris, ... anno XIV.

829. Iohannem (Marcolini de Fano) O. F. M. instituit episcopum Nucerin. (Nocera) (1).

1444, novembris 13, Romae.

Dilecto filio Iohanni, electo Nucerin.

Apostolatus officium *etc.* Sane ecclesia Nucerin. ex eo pastoris solatio destituta, quod Nos hodie venerabilem fratrem Nostrum Antonium, Fulginat., tunc Nucerin. episcopum, licet absentem, a vinculo, quo Nucerin. ecclesiae, cui tunc praeerat, tenebatur, ... absolventes, eum ad ecclesiam Fulginat., tunc vacantem, duxerimus auctoritate apostolica transferendum *etc.*, Nos ad provisionem ipsius Nucerin. ecclesiae *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia *etc.*, teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, idibus novembris, ... anno XIV.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Nucerin.; Clero civitatis et dioec. Nucerin.; Populo civitatis et dioec. Nucerin.*

830. Petit salvum conductum pro Seraphino de Sicilia et duobus sociis O. F. M. (2).

1444, novembris 20, Romae.

Universis et singulis, ad quos praesentes Nostrae litterae pervenerint.

Cum dilecti filii frater Seraphinus de Sicilia, socius guardiani loci Montis Sion (3), et alii duo eius socii fratres ordinis beati Francisci de observantia regulari ad partes ultramontanas pro causis religionem et fidem christianam plurimum concernentibus [habeant se conferre], universitatem vestram in Domino requirimus et hortamur, Nostris et Romanae ecclesiae subditis dantes strictius in mandatis, quatenus praefatos fratres cum eorum comitiva et rebus, quas secum in itinere duxerint deferendas, per omnia Nostra et vestra loca permittentes libere pertransire absque aliqua solutione datii vel gabellae aut alterius oneris vel gravaminis suscipiatis favorabiliter commendatos, providentes eis de scorta, guidis et salvoconductu, si opus fuerit et ipsi vos duxerint requirendos, eosque in cunctis tam favorabiliter tractando, quod vestra omnium devotio et obedientia veniat merito commendanda; praesentibus anno uno a data praesentium inchoando inviolabiliter observandis.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XII kal. decembris, ... anno XIV.

(1) Reg. Lat. t. 410, f. 245. (2) Reg. Vat. t. 376, f. 236 v. (3) Scil. Gandulphi, de quo cf. supra n. 826, p. 388.

831. Robertum (Damiani) O. F. M. instituit episcopum Tiberiaden. (1).

1444, decembris 2, Romae.

Dilecto filio Roberto, electo Tiberiaden.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem *etc.* Postmodum vero ecclesia Tiberiaden. ex eo pastoris solatio destituta, quod Nos etiam dudum venerabilem fratrem Nostrum Iohannem Cepten., olim Tiberiaden. episcopum, apud dictam Sedem tunc constitutum, a vinculo, quo eidem Tiberiaden. ecclesiae, cui tunc praeerat, tenebatur, ... absolventes, ipsum ad ecclesiam Cepten., tunc vacantem, auctoritate apostolica transtulimus *etc.* Nos ad provisionem ipsius Tiberiaden. ecclesiae *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem ac in sacerdotio et aetate legitima constitutum, cui de religionis zelo *etc.*, teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, eius curam et administrationem *etc.* Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IV nonas decembris, ... anno XIV.

832. Abbati monasterii S. Mariae de Victoria, Marsican. dioec., mandat, quatenus Paulo Nicolai de Scansano, O. F. M., qui olim, in decimo suae aetatis anno constitutus, domum terrae Tagliacotii, O. F. M., Marsican. dioec., potius litteras addiscendi quam religionis obtentu, suorum suasione parentum ingressus erat et in eo sub habitu eiusdem ordinis usque ad decimum septimum aetatis annum permanserat ac interim ad minores et subdiaconatus ordines profecerat et dein, considerans, quod in ipsa domo cum animi quiete remanere non poterat, iuvenili simplicitate ductus, putans se non esse voto professionis adstrictum, domum ipsam illicentiatus exiverat et habitu dimisso ad saeculum remeaverat, in quo per 40 annos et ultra, se infra illos ad alios sacros ordines promoveri faciendo et in illis ministrando, permanserat, concedat absolutionem a censuris et poenis ac ab irregularitate et facultatem transeundi ab ordine fratrum Minorum ad aliquod monasterium O. S. Ben. (2).

1444, decembris 2, Romae.

Solet Apostolicae Sedis copiosa benignitas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IV nonas decembris, ... anno XIV.

833. Franciscum, O. F. M., instituit episcopum Veglen. (Veglia in Dalmatia) (3).

1444, decembris 2, Romae.

Dilecto filio Francisco, electo Veglen.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Angelo, episcopo Veglen., regimini Veglen. ecclesiae praesidente Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Angeli, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta Nos *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, baccalaurium formatum in theologia et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, ipsius ecclesiae curam, regimen et administrationem *etc.* Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IV nonas decembris, ... anno XIV.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Veglen.*; praeterea *Archiepiscopo Iadren.* (Ad cumulum).

834. Mandat, ut in causa Geraldae Isserii, monialis monasterii Minorissarum, O. S. Cl., Barchinon., faciat et disponat, prout conscientia dictaverit (4).

1444, decembris 8, Romae.

Venerabili fratri episcopo Barchinonen.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christro filiae Geraldae Isserii, monialis monasterii Minorissarum S. Clarae Barchinonen., ordinis eiusdem sanctae, petitio continebat, quod, cum ipsa olim fervore religionis et zelo devotionis accensa ac ob melioris vitae frugem dictum monasterium intrasset et inibi per illius moniales so-

(1) Reg. Vat. t. 363, f. 96 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 162. Eadem die eidem Roberto dantur litterae *Sincerae devotionis affectus,* in quibus legitur: «Cum autem, sicut accepimus, tu ad ipsam ecclesiam, quae in partibus infidelium et schismaticorum consistit, commode nequires accedere et apud eam personaliter residere, Nos, volentes te praemissorum intuitu favoribus prosequi gratiosis, charissimi in Christo filii Nostri Renati, Siciliae et Hierosolymorum regis illustris, et tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, quod ad praedictam ecclesiam accedere seu apud eam personaliter residere minime tenearis, quodque, postquam munus consecrationis susceperis, in Aquen. et Arelaten. civitatibus, dioecesibus et provinciis dumtaxat, quoties ad id per locorum ordinarios requisitus fueris, et de eorum licentia alias iuxta iuris dispositionem huiusmodi pontificalia exercere libere et licite valeas, ... indulgemus *etc.* Ibid. f. 97. Eidem die 4 decembris 1444 per litteras *Cum Nos pridem ecclesiae Tiberiaden.* conceditur facultas recipiendi munus consecrationis a quocumque maluerit catholico antistite. Ibid. f. 97.

(2) Reg. Lat. t. 414, f. 69 v.

(3) Reg. Lat. t. 410, f. 249 v. Eidem die 12 decembris litteris *Cum Nos nuper ecclesiae Veglen.* datur licentia recipiendi munus consecrationis a quocumque maluerit catholico antistite. Ibid. t. 415, f. 286 v.

(4) Reg. lat. t. 414, f. 179.

litam emisisset regularem professionem necnon in ipso monasterio sub regulari habitu per decem et octo annos vel circa laudabiliter et honeste conversata fuisset et cum Dei timore sua vota illi, cui mancipata erat, exsolvens permansisset et permaneret, quia tamen ipsa Geralda, percipiens quamplurima enormia et nefanda ac oculis divinae maiestati offensiva per aliquas alias eiusdem monasterii moniales perpetrari, nolens ea sub dissimulatione transire, easdem moniales super huiusmodi sic in dies per eas perpetratis delictis diversis vicibus redarguerit et reprehenderit, exhortando ipsas, ut a talibus criminibus perpetrandis pro earum salute se retraherent, ipsae moniales propterea indignatae dictam Geraldam in tanto odio habuerunt et contra ipsam conspirarunt ac taliter cum quodam ministro dicti ordinis, etiam delictorum et criminum huiusmodi conscio et participe, fecerunt et procurarunt, quod ipse minister, parte inaudita et iuris ordine minime servato cum mero rigore procedens, eidem Geraldae velum nigrum et habitum regularem ipsius ordinis amovit, ipsaque Geralda per eumdem ministrum ad monasterium Gerunden. dicti ordinis, admodum frigidum et ipsi Geraldae ac suae complexioni valde contrarium, ita ut illa iam bina vice quasi in articulo mortis propterea constituta fuerit et continuis infirmitatibus detineatur, absque velo et habitu missa exstitit, et, sicut eadem petitio subiungebat, dicta Geralda absque maximo periculo et desperatione vitae suae cum sui animi quiete et sana conscientia in dicto ordine amplius remanere nequit. Quare pro parte eiusdem Geraldae, asserentis id sibi per invidiam et malitiam ac parte indefensa et inaudita aemulis suis procurantibus evenisse, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem Geraldae, quae etiam, ut asserit, iam antiqua exsistit, de monasterio Gerunden. et ordine huiusmodi ad quodcumque aliud monasterium alterius ordinis, in quo benevolas invenerit receptrices, una cum bonis suis sine cuiusvis alterius licentia se transferre et in eo sub illius regulari habitu perpetuo remanere libere et licite valeat, licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus per te ipsum super praemissis omnibus et singulis et circa ea in omnibus et per omnia facias et disponas, prout conscientiae tuae, quam super hoc oneramus, fieri videbitur. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VI idus decembris, ... anno XIV.

835. Caeciliae de Gonzaga, monasterium S. Paulae Mantuan., O. Minorissarum, ingressurae, dat privilegium, ut a nemine transferri possit ad aliud monasterium (1).

1444, decembris 9, Romae.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Caeciliae de Gonzaga.

Eximiae devotionis sinceritas *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu, zelo religionis accensa, mundanis spretis illecebris Altissimo famulari cupiens, monasterium S. Paulae Mantuan., ordinis Minorissarum, ingredi vovisti. Sed Iohannes Franciscus, olim marchio Mantuan., nobilis genitor tuus, dum in humanis vita fungeretur, te monasterium huiusmodi ingredi noluit, timens, ne generalis pro tempore exsistens aut aliquis minister dicti ordinis de ipso monasterio ad aliud te transmitteret, et sicut eadem petitio subiungebat, praefatus Iohannes Franciscus in sua ultima voluntate mandavit, ut alias ipsum monasterium ingredi non deberes, nisi prius de opportuno remedio per Sedem Apostolicam provisum foret. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi, ut, postquam praefatum monasterium ingressa fueris, per generalem aut ministrum seu quemlibet alium officialem praedicti ordinis pro tempore exsistentes seu quamcumque aliam personam ... ex monasterio S. Paulae de Mantua huiusmodi removeri nequas, sed in ipso libere et licite absque alicuius contradictione perpetuo remanere valeas, de gratia speciali tenore praesentium indulgemus, constitutionibus ... ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, V idus decembris, ... anno XIV.

836. Episcopis Tarvien. et Aduren. mandat, ut a Guillelmo Arnaldo (O. F. M.), Aquen. (Dax), tunc Baionnen. episcopo, ad ecclesiam Aquen. translato, recipiant fidelitatis debitae solitum iuramentum (2).

1444, decembris 10, Romae.

Cum nuper venerabilem fratrem Guillelmum Arnaldum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IV idus decembris, ... anno XIV.

---

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 242v. De monasterio Mantuan. O. S. Cl. cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1462, p. 542 et supra n. 6, p. 12 et n. 781, p. 368. In aliis bullis idem monasterium dicitur *Corporis Christi.* (2) Reg. Lat. t. 415, f. 286.

837. Statuit, ne in monasteriis S. Catharinae et S. Clarae, oppidi Nurembergen., et in monasterio de Pillenreut fiant translationes monialium absque consensu abbatis monasterii S. Aegidii, O. S. Ben., et prioris domus O. Carthus. atque rectorum parochialium ecclesiarum S. Sebaldi et S. Laurentii etc. (1).

1444, decembris 10, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Super gregem dominicum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum magistrorum, civium, consulum et rectorum oppidi Nurembergen., Bambergen. dioec., petitio continebat, quod, licet ipsi, quantum in eis fuerit, consiliis, auxiliis et favoribus contulerint, quod S. Catharinae et S. Clarae in oppido praedicto necnon in Pillenreut, unius leucae spatio extra praefatum oppidum, consistentia sub cura ac secundum instituta fratrum Praedicatorum et S. Clarae praedictae viventium necnon canonicorum regularium S. Augustini ordinum monasteria monialium spiritualiter et temporaliter susciperent incrementa, pro eo tamen, quod aliqui superiores monasteriorum eorumdem vel illorum auctoritate suffulti, plerumque de conditionibus et meritis personarum ibidem notitiam verisimiliter non habentes ac sinistris aliquando moti persuasionibus, ipsa monasteria visitare et quasdam illorum moniales dignitatibus etiam abbatissalibus ac administrationibus et officiis, quibus inibi praefuerunt, privare et ab eis amovere necnon alias interdum minus utiles vel idoneas subrogare et aliquas ex ipsis monialibus de dictis monasteriis ad alia regularia loca transferre conati fuerunt, gravissima novitates et scandala sunt suborta et, si deinceps absque consilio et assensu abbatis monasterii S. Aegidii necnon prioris domus ** ibidem, S. Benedicti et Carthusien. ordinum, ac parochialium S. Sebaldi et S. Laurentii ecclesiarum in eodem oppido pro tempore exsistentium rectorum vel aliquorum ex ipsis visitationes in monasteriis ac privationes et amotiones a dignitatibus, administrationibus vel officiis praedictis necnon subrogationes aliarum et translationes monialium huiusmodi per superiores praedictos vel auctoritate praefata fieri non possent, ipsis novitatibus et scandalis obviaretur ac monasteriorum et eorum personarum praefatorum status redderetur magis inde tranquillus, quodque saecularium institutiones sive deputationes ac destitutiones officialium monasteriorum praedictorum cum consensu provisorum eorumdem vel aliorum ad id per dictos consules deputandorum in antea fiant, ac receptores censuum, reddituum, proventuum et aliorum bonorum monasteriorum praefatorum de gestis et administratis desuper ab eis in praesentia provisorum seu deputandorum huiusmodi suas generales eis, quibus illae fieri consueverunt, temporibus computationes faciant, ipsis erit monasteriis multipliciter profuturum. Quare pro parte magistrorum, civium, consulum et oppidi rectorum praefatorum, asserentium, quod in eorum fundis constructa et per ipsorum progenitores praecipue in ipso oppido consistentia monasteria huiusmodi dotata ac in eis pro maiori parte maiorum oppidanorum ibidem filiae moniales exsistunt, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque sincerum, quem magistri civium, consules et oppidi rectores huiusmodi circa votivam monasteriorum et illorum personarum praedictarum directionem gerere comprobantur, affectum in Domino commendantes, ... perpetuae constitutionis edicto auctoritate apostolica statuimus et ordinamus, quod de cetero dicta monasteria vel illorum aliquod per superiores praefatos aut eorum auctoritate absque consilio et assensu abbatis, prioris et ecclesiarum rectorum praedictorum vel aliquorum ex eis, de quibus ipsis consulibus videbitur, visitari aut privationes, amotiones, depositiones, subrogationes seu translationes huiusmodi nullatenus fieri debeant sive possint, ac saecularium institutiones necnon destitutiones officialium cum consensu provisorum ac deputatorum huiusmodi fiant, ipsi quoque receptores praefatis temporibus in praesentia provisorum ac deputatorum eorumdem computationes praedictas, absque tamen alicuius monasteriorum gravamine facere debeant et teneantur. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IV idus decembris, ... anno XIV.

838. Marcum de Ferentino, O. F. M., instituit vicarium provinciae Romanae (2).

1444, decembris 13, Romae.

Dilecto filio fratri Marco de Ferentino, ordinis Minorum, sacrae paginae professori.

Cum certis rationabilibus de causis fratrem Iohannem de Tibure, tui ordinis, sacrae paginae professorem, a ministeriatu provinciae Romanae, quem exercebat, duxerimus amovendum, cupientes, quod ipsa provincia sine capite et rectore non maneat, salubriter providere et de tua vitae munditia, religionis zelo et aliis virtutibus, de quibus Nobis commendaris, spem plenariam

(1) Reg. Lat. t. 415, f. 196.

(2) Reg. Vat. t. 376, f. 241 v.

in Domino obtinentes, te in dicta Romana provincia ordinis tui vicarium cum potestate et auctoritate ministri provincialis auctoritate apostolica tenore praesentium facimus et creamus, permansurum in ipso officio, quousque dilectus filius dicti ordinis generalis minister duxerit aliter providendum, mandantes omnibus et singulis dictae Romanae provinciae fratribus et monialibus eiusdem ordinis et ab aliis ministris provincialibus solitis gubernari, quatenus tibi tamquam ministro provinciali in cunctis, quousque generalis aliter providerit, pareant et intendant. Tu itaque commissum tibi praedictum officium taliter exercere curabis, quod honor Dei et ordinis tui ac provinciae tibi commissae utilitas ex tuis operibus proveniant, et Nos ad committenda tibi maiora pro tuis bonis operibus invitemur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, idibus decembris, ... anno XIV.

839. Angelo Dominici de Zucharis de Assisio, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1444, decembris 16, Romae.

Dilecto filio Angelo Dominici de Zucharis de Assisio, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui, ut asseris, servitiis dilecti filii Nostri Ludovici, tit. S. Laurentii in Damaso presbyteri cardinalis, per octo annos vel circa institisti, prout adhuc insistis, praemissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut beneficium ecclesiasticum ... recipere et quoad vixeris retinere, ... quod ordinis fratrum Minorum professor exsistis, et ... contrariis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali dono gratiae dispensamus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XVII kal. ianuarii, ... anno XIV.

840. Mandat, ut terras, possessiones et bona ad monasterium S. Bartholomaei Anconitan. spectantia assignet domui S. Mariae novae Anconitan. sororum III. O. S. Fr. (2).

1444, decembris 19, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Iohannis de Peneclaria extra muros Anconitan.

Digna exauditione vota *etc.* Nuper siquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum Antoniae Miniati de Senis et Clarae de Firmo necnon aliarum sororum domus S. Mariae novae Anconitan., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Nobis exposito, quod venerabilis frater Noster Iohannes, episcopus Anconitan., attente considerans, quod religio absque loco habili et idoneo commode servari non posset, et praefata domus, quae dudum, tunc monasterium ordinis S. Benedicti exsistens, monasterio S. Bartholomaei, etiam Anconitan., dicti ordinis S. Benedicti, auctoritate ordinaria unita fuerat, praefatis Antoniae, Clarae et sororibus sub regulari observantia eiusdem tertii ordinis Altissimo famulantibus pro earum usu et habitatione habilis ac idonea foret, ipsam domum, tunc monasterium monialibus penitus carens et inhabitatum necnon in magna sui parte ruinosum et deterioratum, cum ipsius ecclesia et infra eius septa consistentibus domibus, possessionibus et aliis bonis ad ipsam domum, tunc monasterium, spectantibus eidem monasterio S. Bartholomaei remanentibus donaverat, dederat et assignaverat, ipsaeque Antonia, Clara et sorores, donationis, dationis et assignationis earumdem vigore praefatam domum, tunc monasterium, assecutae, in illa ex tunc sub observantia praedicta permanserant, prout permanebant, Nos donationem, dationem et assignationem praefatas per alias Nostras litteras approbari et confirmari mandavimus, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictarum Antoniae, Clarae et sororum petitio continebat, in ipsa domo S. Mariae novae virgines et continentes inibi regularem professionem emittentes in dies adeo excrescant, quod non habent, unde sibi pro victu et vestitu aliisque necessariis providere ac se sustentare valeant, et, sicut eadem petitio subiungebat, si a praefato monasterio S. Bartholomaei, cui alias S. Mariae novae praedictum, ut praefertur, et S. Clarae ac S. Agnetis etiam Anconitan. monasteria dicti ordinis S. Benedicti in subventionem necessitatum monialium eiusdem monasterii S. Bartholomaei, quae tunc in numero copioso exsistebant, canonice unita fuerunt, quodque nunc pro sustentatione monialium illius, quae quatuor vel quinque dumtaxat fore noscuntur, amplos et superfluos redditus habet, separarentur, seu quoad illa unio de dicto olim monasterio S. Mariae novae cum possessionibus, terris et bonis facta praedicta revocaretur, cassaretur et annullaretur ipsaque possessiones, terrae et bona praedicta ad ius et proprieta-

(1) Reg. Lat. t. 414, f. 245 v.

(2) Reg. Lat. t. 414, f. 147; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 163. De Antonia Miniati et Clara de Firmo cf. supra n. 763-765, p. 359 s.

tem dictae domus olim monasterii reducerentur et illi restituerentur ac praefatis Antoniae, Clarae et sororibus per eas necnon alias sorores eiusdem tertii ordinis in praedicta domo, olim monasterio, pro tempore degentes perpetuo tenenda et possidenda et usufructuanda donarentur, ... ipsae Antonia, Clara et sorores etiam pro tempore in necessitatibus suis non modicum susciperent relevamen, pro parte dictarum Antoniae, Clarae et sororum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si vocatis dilectis in Christo filiabus abbatissa et conventu dicti monasterii S. Bartholomaei necnon aliis, qui fuerint evocandi, tibi de praemissis legitime constiterit, auctoritate Nostra terras, possessiones et bona praedicta ab ipso monasterio S. Bartholomaei separes et unionem de monasterio S. Mariae novae cum possessionibus, terris et bonis factam praedictam revoces, casses et annulles nulliusque roboris vel momenti fore decernas ipsasque terras, possessiones et bona ad ius et proprietatem dictae domus olim monasterii reducas ac illi restituas necnon praefatis Antoniae, Clarae et sororibus per eas ac alias sorores pro tempore degentes praedictas perpetuo tenenda, possidenda et usufructuanda concedas, ... ita quod ex tunc liceat eisdem Antoniae, Clarae et sororibus etiam pro tempore degentibus per se vel per alium seu alios corporalem possessionem terrarum et bonorum praedictorum propria auctoritate apprehendere illorumque fructus, redditus et proventus in suos ac dictae domus, olim monasterii, usus et utilitatem convertere, dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia super his nullatenus requisita. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XIV kal. ianuarii, ... anno XIV.

841. Mandat, ut capta plena informatione referant de querela ministrae et sororum domus S. Iohannis Tudertin., vulgo *el monasterio de madona Lucretia*, III. O. S. Fr., contra ministram generalem (1).

1444, decembris 26, Romae.

Dilectis filiis Marco de Perusio, priori conventus S. Mariae Tudertin., ordinis Praedicatorum, ac Antonio de Montefalco (2), *vicario provinciae S. Francisci, ordinis Minorum.*

Dilecti filii sal. Pro parte dilectarum in Christo filiarum Lucretiae, ministrae domus S. Iohannis Tudertin., et sororum eius tertii ordinis S. Francisci querela Nobis nuper oblata est, prout in supplicatione continetur, quam vobis praesentibus mittimus interclusam:

Beatissime Pater!

Dudum S. V. ad supplicationem venerabilium dominarum Margarethae S. Annae Fulginat., Franciscae S. Onufrii Florentin., Caeciliae S. Iohannis Tudertin., Margarethae S. Quirici Assisinat., Clarae S. Margarethae Aesculan., Titiae S. Agnetis Viterbien., Margarethae S. Antonii Perusin. et Antoniae S. Elisabeth Aquilan. domorum modernarum tunc ministrarum aliarumque sororum sub regula et observantia tertii ordinis beati Francisci et quae de poenitentia nuncupantur viventium inter alia concessit sororibus singulorum locorum praefatorum unam particularem, quae sororibus quorumlibet locorum praesit, ac omnibus omnium locorum huiusmodi unam aliam generalem ministram singulis trienniis, quae cum visitatoris pro tempore exsistentis consilio loca huiusmodi reformare particularesque locorum eorumdem ministras male se gerentes deponere ipsaque generalis ministra sorores delinquentes punire valeat, eligendi, necnon eidem generali ministrae in eius absentia alii vel alii ex sororibus dictorum locorum, prout sibi videbitur, in praemissis vices suas committendi ac mulieres loca ipsa intrare volentes recipiendi eisque regularem habitum exhibendi et ad professionem solitam admittendi locorumque huiusmodi sororibus loca eorum vendendi et alia magis accommoda emendi necnon illa permutandi ac nova construendi et recipiendi aliaque faciendi et disponendi et consequendi, prout in litteris apostolicis desuper confectis ... plenius continetur (3). Cum autem, Pater Sancte, credatur [intentio] S. V. fuisse et esse, quod ipsa generalis ministra monasteriorum loca huiusmodi tam in spiritualibus quam in temporalibus procurare debeat in augmentum, evenit, quod ipsa generalis, extra civitatem Vestram Tudertinam moram trahens, huiusmodi litterarum auctoritate confisa, nonnulla legata et eleemosynas ad monasterium Tudertin., quod vulgariter dicitur « el monasterio de Madona Lucretia », eiusdem ordinis, spectantia et eidem monasterio facta ac alia illi pie erogata ad alia loca sive monasteria extra civitatem vestram Tudertinam ac eius dioecesim transportare ausa est hactenus et in dies nititur, quod non solum in ipsius monasterii « de Madona Lucretia » cedit maximum praeiudicium atque gravamen ex eo, quod praefatae

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 170. Cf. supra n. 218 et 219, p. 105 s.

(2) De Antonio de Montefalco cf. supra n. 715, p. 340 et n. 772, p. 363.

(3) Vide supra n. 241, p. 113.

moniales earum vitam et victum nisi de eleemosynis et legatis habere non valeant nec possint, verum etiam inter cives Tudertin. maximum generatur scandalum, ac etiam dubitatur, ne in futurum ad dictae generalis ministrae iurisdictionis vilipendium gravior inter cives praedictos oriatur persecutio. Ad obviandum, Pater Sancte, praemissis ac multis aliis malis, quae oriri possent, devotae Vestrae universae sorores eiusdem ordinis in praefato monasterio commorantes, prostratae ad pedes S. V., devote recurrunt supplicando, quatenus, ut ipsae sponso suo, qui est Christus, et cui se devote dedicarunt, cum quiete animi famulatum exhibere valeant, et cum dicta generalis ministra aegre ferat, quod dictae sorores praefati monasterii in transportatione aut alienatione legatorum vel eleemosynarum et aliorum bonorum sibi molestae sint, et in dies plurimum contra bonos mores inquietare ac tumultuare praesumat, digneris omnes dominas morantes in dicto monasterio Tudertin. tam praesentes quam futuras penitus eximere ac liberare a iurisdictione dictae generalis ministrae et omnium aliarum, quae pro tempore erunt, et ab eius sive earum potestate et de gratia speciali concedere eis facultatem, ut de cetero possint constituere, ut faciebant, unam ministram, quae eis praesit, pro illo tempore, quo eis videbitur expediens, et deinde aliam creandi, quae habeat illam omnimodam potestatem ac facultatem super eis et in earum bonis, eleemosynis et legatis factis et fiendis in omnibus et per omnia, quam vigore dictae concessionis S. V. habet vel habebat dicta generalis ministra, huiusmodi tenore dictae concessionis et aliorum, quae hic exprimi deberent, pro sufficienter expressis, constitutionibus ... et aliis quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Quocirca, cum de praedictis plenam per Nos notitiam minime habere possimus, devotioni vestrae ... mandamus tenore praesentium, quatenus vos vel alter vestrum, si alium legitime impeditum esse contigerit, de his, quae in dicta supplicatione continentur, plenam informationem suscipere curetis, super quo vestras conscientias oneramus, et ea quae per huiusmodi informationem reppereritis, Nobis quamprimum per vos vel litteras vestris sigillis munitas referre curetis.

Datum Romae, ... XXVI decembris, ... anno XIV.

842. Dominico de Montegambaro, O. F. M. presbytero, concedit dispensationem a defectu natalium eique confert parochialem ecclesiam, archipresbyteratus nuncupatam, S. Sebastiani de Podio filiorum Ugonis (Poggiofidone), Reatin. dioec. (1).

1444, decembris 30, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, III kal. ianuarii, ... anno XIV.

843. Mandat, ut domum S. Francisci Albinganen., O. F. M., assignet fratribus de observantia (2).

1445, ianuarii 2, Romae.

Dilecto filio Antonio de Marcho, canonico Albinganen.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum communitatis et civium civitatis Albinganen. petitio continebat, quod, licet dudum quondam Guillelmus de Casali, generalis minister ordinis fratrum Minorum, attente considerans, quod in domo S. Francisci Albinganen. dicti ordinis nonnulli fratres conventuales adeo mundanis illecebris involuti essent, quod ex eorum moribus et vita praefati cives plurimum scandalizabantur, et praedicta domus tam in spiritualibus quam temporalibus non parva patiebatur incommoda, ac super his providere cupiens, dictos fratres conventuales a praefata domo revocaverit et eam quibusdam fratribus eiusdem ordinis sub illius regulari observantia degentibus per eos regendam et gubernandam concesserit, ipsique fratres sub observantia degentes vigore concessionis huiusmodi per triennium et ultra in praefata domo resederint ac in illa gratum exhibuerint, prout exhibent, Altissimo famulatum, tamen nonnulli ex conventualibus fratribus dicti ordinis praefatos sub observantia degentes fratres etiam propter ipsorum civium voluntatem ab eadem domo expellere sibique illam vindicare procurant. Quare pro parte eorumdem communitatis et civium Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ea fore vera reppereris, ... dictam domum praedictis et in ea sub observantia huiusmodi pro tempore degentibus fratribus eiusdem ordinis per eos, quamdiu sub observantia huiusmodi degerint, tenendam,

(1) Reg. Lat. t. 414, f. 153 v.

(2) Reg. Lat. t. 415, f. 86 v. Cf. supra n. 326, p. 151.

regendam et inhabitandam eadem auctoritate concedas pariter et assignes, non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod nunc et pro tempore in domo sub observantia degentes fratres huiusmodi sub obedientia et gubernatione dilecti filii Iohannis de Capistrano, dicti ordinis professoris, sint et esse censeantur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IV nonas ianuarii, ... anno XIV.

844. Bartholomaeum de Yano, O. F. M., instituit vicarium provinciae Orientalis eique concedit facultates (1).

1445, ianuarii 4, Romae.

Dilecto filio Barthomaeo de Yano, presbytero ordinis Minorum, in provincia Orientali dilecti filii generalis ministri ordinis praedicti vicario generali.

Dum onus universalis gregis dominici *etc. (ut supra n. 300, p. 138)* te in provincia praedicta Orientali dilecti filii generalis ministri ordinis Minorum vicarium generalem facimus, constituimus et etiam deputamus, tibi nihilominus in Nostro et Romanae ecclesiae nomine omnes et singulos conventus *etc. (ut supra pag. 139 usque ad)* illam potestatem, facultatem et arbitrium habeatis, quam seu quod generalis ipse minister, si adesset, habere dignoscitur. Insuper officium vicariatus huiusmodi *etc. (ut supra p. 139 usque ad)* necnon fratribus, de quibus tibi aut eis videbitur, ut ad partes praedictas vadant, scilicet Orientalis provinciae, qui etiam tibi et illis obedire teneantur, praecipiendi et mandandi ipsosque ad alias quascumque mundi partes licentiare possis et possint, notarios ad actus publicos in favorem fidei conscribendos creandi et instituendi potestatem et facultatem, quodque tu et, qui pro tempore fuerit, vicarius seu per aliquem vestrum deputandus super omnia monasteria curae fratrum Minorum hactenus commissa vel committenda eamdem potestatem habeatis, quam generalis ipsius ordinis minister habere dignoscitur, tenore praesentium concedimus. Volumus autem, quod per quascumque litteras apostolicas generali ministro dicti ordinis seu aliis quoquomodo concessas vel concedendas in posterum gratiae, indulta et alia supradicta nullatenus intelligantur revocata, mandantes insuper omnibus et singulis praelatis et subditis tam eiusdem ordinis quam aliis quibuscumque, cuiuscumque ordinis, status, dignitatis seu conditionis exsistant, ut praefato vicario vel suis in officio successoribus aut aliis fratribus antedictis molestiam aliquam seu contradictionem vel impedimentum, quin suum officium libere exsequantur, inferre non praesumant quoquomodo, sed potius consilium et favorem impendere teneantur, quotiens ab eis fuerint requisiti, sub interminatione divini iudicii, maledictionis aeternae et excommunicationis latae sententiae et privationis officii, beneficii et dignitatis ac omnium actuum legitimorum, quas ipso facto contrafacientes incurrant, et a quibus nonnisi per Sedem Apostolicam vel per ipsum vicarium, qui pro tempore fuerit, praeterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium non valeant obtinere. Non obstantibus *etc.* Nulli igitur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1404 (!), pridie nonas ianuarii, ... anno XIV.

845. Bartholomaeo de Yano, O. F. M., vicario provinciae Orientalis, concedit facultates (2).

1445, ianuarii 4, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastor bonus *etc. (ut supra n. 301, p. 139).* Hinc est, quod Nos, qui per alias Nostras certi tenoris litteras dilectum filium Bartholomaeum de Yano, presbyterum Ordinis Minorum, in provincia Orientali generalis ministri dicti ordinis generalem vicarium super omnes fratres praesentes et futuros in partibus infrascriptis instituimus, ipsique Bartholomaeo et successoribus suis, ut in omnibus partibus tam fidelium quam infidelium constitutis in provincia Orientali, possit et possint singulorum christifidelium civitatum quarumcumque, dioecesium et locorum *etc. (ut in bulla cit. p. 140 usque ad)* conventus alios dicti ordinis recipere. Volumus etiam, ut in Europae partibus, quas Graeci incolunt, Thracia, Macedonia, Illyrico, Epiro, loca capere et construere, prout dictum est, possit et possint, et quae loca omnia intelligantur provinciae Orientali applicata. Volumus similiter, ut capere possit et possint, quibus commiserit, loca similiter construere in Asiae partibus et aedificare, quae loca sic constructa et aedificata intelligantur provinciae Orientali applicata; quae omnia nova et antiqua ac fratres *etc. (ut in bulla cit. p. 140 b usque ad)* frui et gaudere, quodque vicarius praefatus *etc. (ut pag. 141 not. 1 usque ad)* factae vel fiendae in illis par-

(1) Reg. Vat. t. 378, f. 119. Eiusdem tenoris litterae eadem die dantur Ludovico de Senis, sacerdoti ordinis Minorum, in provincia Orientali dilecti filii generalis ministri vicario generali. Reg. Vat. t. 376, f. 248 v.

(2) Wadd. *Ann.* ad a. 1444, n. 51. Alia bulla eiusdem tenoris eadem die data exstat Reg. Vat. t. 376, f. 249 v, ubi tamen pro *Bartholomaeo de Yano* legitur *Ludovicus de Senis.* Cf. n. praec.

tibus, quin etiam licentiam concedere fratribus canendi in ecclesia tantummodo in divinis officiis cantum figuratum possint et valeant vicarii supradicti. Si vero necesse foret, ut minister in praefata Orientali provincia crearetur, possint iidem vicarii *etc. (ut sup. p. 141 not. 1 et deinde in textu usque ad)* prout eos contingit, tenore praesentium indulgemus, volentes nihilominus, quod fratres, qui morantur et pro tempore morabuntur in hospitali Caphae (1), dedicato nomine omnium sanctorum, vel quovis alio nomine iuxta monasterium S. Mariae de Bazario, subiiciantur praedicto vicario ordinis Minorum de observantia in omnibus et per omnia, sicut praedicti fratres provinciae Orientalis. Non obstantibus quibuscumque privilegiis concessis vel concedendis imposterum, etiamsi de eis oporteret fieri mentio specialis de verbo ad verbum. Insuper, quod fratres, qui sunt et pro tempore erunt idonei ad pronuntiandum verbum Dei *etc. (ut supra p. 141).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, pridie nonas ianuarii, ... anno XIV.

846. Instituit procuratores conventus S. Mariae de Aracoeli Urbis, O. F. M. de observantia (2).

1445, ianuarii 6, Romae.

Dilectis filiis Iacobo Lelli Alexii de Cinciis, Iohanni Iacobo de Beccabellis et Laurentio Mazabufalo, civibus Roman.

Exigit devotionis vestrae fervor *etc.* Cum itaque proximis temporibus, scientes locum S. Mariae de Aracoeli de dicta Urbe, ordinis Minorum, parum laudabiliter gubernari, poni fecerimus in eodem fratres dicti ordinis, qui dicuntur pauperes et de observantia regulari, quos per longam multiplicemque experientiam scimus omnes populos, inter quos habitant, vitae exemplo, praedicationibus et aliis salubribus monitis ac suasionibus ad bonos mores et vitae salubris conversationem inducere, ut cum rerum saeculi prosperitate maximos fructus afferant animarum, Nos itaque, cupientes, quod dicti fratres eo ferventius divinis officiis et aliis suorum operum exercitiis intendere valeant, quo suis rerum saecularium curis se noverint relevatos, et omnia redditus, proventus et alia bona dicti loci Aracoeli, quae fratres conventuales habere, tenere et possidere consueverant, quoniam praedicti pauperes sive de observantia nullo modo possunt ex forma regulae suae aut nolunt ipsa habere et possidere, in Nos suscipientes, vobis eadem bona committimus gubernanda, volentes, quod ipsorum bonorum, fructuum et reddituum computum tenentes, eam partem istorum, quae pro reparatione et conservatione aedificiorum ac officiorum et pro supellectili domus et ornamentis ecclesiae necessariis videbitur opportuna, expendatis et distribuatis, et ubi dictos fratres pro aliqua sui victus parte videbitis indigere, eis subveniatis ac eleemosynam faciatis, taliter vos in praedictis habentes, quod, ubi et quando requiremini, bonum computum reddere valeatis. Et insuper vos tres simul et quemlibet vestrum in sociorum absentia praedictorum Aracoeli fratrum et eiusdem loci oeconomos, factores, procuratores ac negotiorum gestores usque ad Sedis Apostolicae beneplacitum facimus et creamus, volentes, ut in omnibus sive litigiis sive parandis ornandisque aedificiis et structuris eorumdemque faciendis et distribuendis expensis et aliis quibuscumque negotiis quietare, absolvere omniaque alia et singula facere, disponere et ordinare libere et licite valeatis, quae fratres praedicti capitulariter facere, disponere et ordinare possent. Vos itaque praedictum a Nobis iniunctum munus taliter, prout speramus, gerere et administrare studeatis, quod a Deo nostro meritum et a Nobis laudem ac gratiam consequi mereamini.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VIII idus ianuarii, ... anno XIV.

847. Fratribus O. F. M. de observantia in conventibus S. Mariae de Aracoeli et S. Francisci in Transtiberim Urbis concedit indultum processus summarii in litibus et exemptionem a gabellis *etc.* (3).

1445, ianuarii 6, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ad ea, per quae religiosorum *etc.* Sane, cum proximis temporibus, considerantes locum S. Mariae de Aracoeli de Urbe, ordinis Minorum, parum decenter in spiritualibus gubernari, et quod in ipso loco, inter alia urbis Romae loca situ aedificiisque celeberrimo, si religiosi essent vitae exemplo et ecclesiasticorum officiorum exercitio praestantes, multa Romano populo tam in spiritualibus quam in temporalibus bona accederent, poni fecerimus in eodem fratres praedicti ordinis, qui dicuntur pauperes seu de observantia regulari, scientes ipsos (sicut ex forma regulae suae tenentur) esse pauperrimos et nullam rerum saeculi, quae ad gubernationem pertinent, habere aptitudinem, et cupientes, ut,

(1) Cf. supra n. 636, p. 300.

(2) Reg. Vat. t. 376, f. 266; iterum t. 378, f. 168 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 164 « ex ipso autographo ».

(3) Reg. Vat. t. 376, f. 266 v.; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 165 « ex originali bulla ».

quando accidunt aliqui casus aut recuperandi et conservandi ea, quae ad ipsum locum spectarent, aut se ab iniuste petentibus defendendi aut aedificia nova construendi aut facta reparandi et instaurandi, faciliorem habeant viam, ne litigiis et eorum perplexitatibus involvantur, tenore praesentium auctoritate apostolica declaramus, decernimus et mandamus, ut in omnibus causis et litigiis supradictos fratres tam Aracoeli quam locum beati Francisci in Transtiberim, in quo ex praedictis fratribus pauperibus de observantia aliqui habitant, aut eorum loca quomodolibet concernentibus, sive ipsae causae et litigia ab eis sive contra eos moveantur, fiat per omnes officiales et iudices almae Urbis tam ordinarios quam delegatos vel subdelegatos aut alios commissarios sive arbitros iustitia de plano, sine strepitu et figura iudicii, terminis abbreviatis, sola facti veritate inspecta; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Insuper, ut dicti fratres praesentes, et qui pro tempore erunt, maiorem suae sustentationis et locorum suorum praedictorum, praesertim Aracoeli, aedificia, officinas atque etiam ecclesias melius reparandi et de novo, si expediens fuerit, construendi commoditatem habeant, eosdem praedicta auctoritate ab omnibus et singulis gabellarum et omnium aliarum solutionum sive exactionum praestationibus et angariis tam pro rebus ad victum suum et vestitum spectantibus quam pro aliis ad fabricarum quarumcumque usum deputandis exemptos reddimus et immunes, mandantes omnibus et singulis praedictae almae Urbis officialibus praesentibus et futuris et aliis, ad quos spectare poterit quomodolibet in futurum, quatenus praedictam exemptionem integre observent et faciant inviolabiliter observari. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VIII idus ianuarii, ... anno XIV.

848. Mandat, ut conventui S. Silvestri de Capite, Urbis, O. S. Cl., concedat licentiam vendendi territorium loci de Coldepero, Nepesin. dioec. (1).

1445, ianuarii 7, Romae.

Venerabili fratri Mathiae, episcopo Reatin., in Urbe residenti.

Apostolicae Nobis desuper iniunctae *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Silvestri de Capite de Urbe, ordinis S. Clarae, Nobis exhibita petitio continebat, quod, licet ipsae ex territorio loci de Coldepero nuncupati in partibus Insulae, Nepesin. dioec., sito, unacum ipso loco ad dictum monasterium spectantibus undecim florenos, monetae in dicta Urbe currentis, annis singulis percipere consueverint, pro eo tamen, quod locus et territorium praefata possessionibus et terris dilecti filii nobilis viri Francisci de Ursinis, eiusdem Urbis praefecti, undique circumdata sunt, ac etiam, quia alii circumstantes per locum et territorium huiusmodi frequenter discurrere solent adeo, quod illorum conductores cum difficultate reperiri possunt, ipsi monasterio minus utilia exsistunt et, si locus ac territorium ipsa dicto praefecto pro pretio noningentorum florenorum similium venderentur et ex pretio huiusmodi alia possessiones et bona eidem monasterio magis utilia sive profutura emerentur, dicti monasterii conditio redderetur melior evidenter, pro parte abbatissae et conventus praedictorum, asserentium eumdem praefectum ad hoc, ut venditio et emptio huiusmodi subsequantur, ac ad evitandum damna, quae in futurum ex ipsis discursionibus et aliis sinistris eventibus ipsi monasterio inferri possent, ad deponendum dictum pretium paratum exsistere, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ita esse necnon venditionem praedictam, si fiat, in evidentem praefati monasterii utilitatem cedere reppereris, ... abbatissae et conventui praefatis, postquam ipse praefectus pretium, quod in emptionem huiusmodi et non in alios usus converti volumus, penes aedem sacram seu aliquam vel aliquas fide et facultatibus idoneam vel idoneas personam seu personas cum recognitionibus et cautelis congruentibus omnino deposuerit et consignaverit, locum et territorium praedicta pro eodem pretio vendendi et alienandi necnon ex ipso pretio alia possessiones et bona huiusmodi eidem monasterio conquirendi et emendi auctoritate apostolica licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VII idus ianuarii ... anno XIV.

849. Iacobo de Colle, O. F. M., domus castri de Gualdo, O. F. M., Nucerin. dioec., concedit facultatem recipiendi emolumenta e servitio capellae fortalitii dicti castri provenientia (2).

1445, ianuarii 9, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Colle, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio contine-

(1) Reg. Lat. t. 414, f. 121 (folia 99-121 a ligatore posita sunt inter fol. 74 et 75). (2) Reg. Lat. t. 414, f. 213.

bat, tu ex domo castri de Gualdo, ordinis fratrum Minorum, Nucerin. dioec., in qua praesentialiter moram trahis cuique in divinorum exhibitione diu noctuque servire dignosceris, causante exilitate oblationum et eleemosynarum inibi pro tempore provenientium tuae vitae necessaria suscipere non vales, et propterea capellae fortalitii dicti castri de consensu illius pro tempore castellani in missis et divinis officiis servire ac exinde aliqua emolumenta pro vitae sustentatione huiusmodi suscipere desideras, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, volentes te, qui presbyter es, praemissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratiae specialis, ... tibi, ut quamdiu vixeris, de consensu castellani pro tempore supradicti dictae capellae in missis et divinis praedictis, quotiens opus exstiterit, seu ad id per eumdem castellanum requisitus fueris, per te ipsum servire ac omnes et singulas pecunias, res et mobilia bona necnon oblationes et eleemosynas ratione servitii huiusmodi, quod pro tempore te praestare contigerit, tibi pro tempore tradenda et assignanda recipere, necnon ex illis pro tempore a te receptis usque ad valorem viginti florenorum auri de camera annis singulis in tuos usus et utilitatem ac pro tuae vitae sustentatione huiusmodi convertere et exponere libere et licite possis, quibuscumque ... nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae indulgemus ac volumus, quod quidquid ex perceptis a te pro tempore praedictis ultra summam viginti florenorum huiusmodi tibi annuatim superesse contigerit, id totum in utilitatem dictae domus effectualiter convertatur et converti debeat. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, V idus ianuarii ... anno XIV.

850. Conventui S. Mariae de Basico, Messanen., O. S. Cl. concedit liberationem a solutione quartae partis (1).

1445, ianuarii 9, Romae.

Dilectis in Christo filiabus Florae abbatissae et conventui monasterii S. Mariae de Basico, Messanen., ordinis S. Clarae.

Digna exauditione vota *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, fructus, redditus et proventus monasterii S. Mariae de Basico, Messanen., ordinis S. Clarae, adeo tenues et exiles exsistant, quod ex illis tu, Flora abbatissa, et, quae sub regulari ipsius ordinis observantia virtutum Domino famulantes quinquaginta vel circa numero fore noscuntur et in dies augmentantur, eiusdem monasterii moniales sustentari et alia vobis pro tempore incumbentia onera supportare commode nequeatis, ac nonnumquam contingat nonnullos christifideles, ipsius monasterii paupertatem considerantes necnon ad illud propter vestram honestam et religiosam vitam singularem gerentes devotionis affectum, vobis et eidem monasterio aliqua de bonis suis in vita seu in morte relinquere, legare et donare, ex quibus, si de illis archiepiscopo Messanen. pro tempore exsistenti vel rectoribus parochialium ecclesiarum seu quibusvis aliis personis quartam partem seu aliam quotam solvere non teneremini, vos in praemissis non modicum perciperetis sublevamen, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... vobis, ut usque ad quinquennium a data praesentium computandum de quibuscumque in vita seu in morte per quosvis christifideles hactenus vobis relictis, donatis, legatis seu alias quomodocumque seu quocumque titulo concessis et, quae donari, legari, relinqui seu concedi contigerit, quaecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, quartam vel aliquam quotam seu partem, quocumque nomine censeantur, archiepiscopo, rectoribus seu quibusvis aliis personis praefatis solvere minime teneamini nec ad id invitae a quoquam quavis auctoritate compelli possitis, auctoritate apostolica de speciali gratia concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, V idus ianuarii ... anno XIV.

851. Antonium de Troia, O. F. M., constituit nuntium in regno Daciae, provincia Saxoniae et aliis partibus Germaniae pro praeparatione expeditionis cruciatae contra Turcos (2).

1445, ianuarii 9, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Pia mater ecclesia, de fidelium salute sollicita, sicut in palmitibus fidei catholicae dilatandis accensae charitatis ardoribus sollerter invigilat et fructuosi operis prosecutionem laborat, sic vias et modos diligenter exquirit, quibus et hostium ipsius fidei conatibus obviet et vires eorum reprimat et contundat, ut christifideles a

(1) Reg. Lat. t. 414, f. 167. Cf. supra n. 659, p. 312.

(2) Reg. Vat. t. 376, f. 257. Eadem bulla sub data d. 20 febr. 1445 exstat ibidem f. 305, et alia sub d. d. 9 martii 1445 ib. f. 309, quae tamen nominibus nuntiorum differunt.

noxiis impugnantium incursibus iuvante Domino tuti in devotionis fervore et pacis pulchritudine conserventur. Cum itaque Nos pro evidenti totius christianae religionis utilitate et fidei catholicae exaltatione necnon pro civitatis Constantinopolitanae et Hungariae ac Cypri regnorum aliarumque provinciarum christianarum tutela et conservatione quamplures et maximos sumptus subire oporteat, quos propter multiplices expensas, quas pro Graecorum, Armenorum et aliorum populorum orientalium a doctrina Romanae ecclesiae dudum dissidentium unione exposuimus et alias praeteritorum temporum calamitates sine fidelium suffragiis tolerare non possumus, cumque infideles ipsi, tot praeliis et certaminibus superati, viribus et animis fracti ac debilitati sint, hanc Nobis et catholicis principibus ac populo occasionem divinitus oblatam non deserentes, magnam classem parari fecimus. Cum magnus fidelium exercitus in Hungaria per venerabilem fratrem Nostrum Iulianum, episcopum Tusculanum, legatum de latere, de Nostra commissione paretur, ut terrestri maritimaque potentia Teucros et alios christiani nominis inimicos christianorum exercitus aggrediatur, ad quod sanctum opus eo ardentius incitavimus, quia Saraceni, civitatem Hierusalem in dedecus christianorum occupantes, longe magis quam praeteritis temporibus adversus christianos, sepulchrum dominicum visitantes, saevierunt, et quod horrendum dictu est, infideles Christi, barbarica et efferata quadam rabie inflammati, imagines Salvatoris Domini nostri Iesu Christi et beatae Mariae virginis et aliorum sanctorum ibidem exsistentes dirui fecerunt, eas nefanda turpitudine et variis ignominiarum generibus afficientes, quae tam perfide et impie fortassis divina sapientia fieri permisit, ut Nos et alii catholici, tam atroci et perversa iniuria provocati, ad comprimendum huiusmodi immanem fidei christianae ignominiam illatam ardentius incitaremur. Nos vero, huic et fidei causae, quae ceteris rebus anteponenda est, omnes Nostras cogitationes atque conatus adhibentes, quemadmodum in dicto terrestri exercitu dictum legatum habemus, qui illi exercitui Nostra et Sedis Apostolicae auctoritate praesidet, ita dilectum filium Nostrum Franciscum, tituli S. Clementis presbyterum cardinalem, S. Romanae ecclesiae vicecancellarium, ad classem huiusmodi contra infideles ipsos conducendam et nationem Graeciae et alias nationes christianas a feritate Teucrorum et aliorum infidelium liberandas legatum pronuntiavimus, quae si Dei misericordia sequitur, recuperatio dominici sepulchri et Terrae Sanctae facile sequi poterit. Accedunt ad superius enarrata imminentia christianis pericula, quod, cum soldanus, Cayri dominus, iam duobus proximis superioribus annis insulam Rhodi, arcem quamdam christianorum adversus barbaros, magna ac terribili classe invaserit adeo, ut parum defuerit, quin ultima vice ipsa Rhodien. civitas et per consequens insula tota fuerit expugnata, et prout certissimis litteris et nuntiis quotidie habemus, iam soldanus ipse classem longe maiorem magisque formidandam primo veris tempore ad oppugnationem dictae insulae transmittendam parat. Nos, nisi pati velimus ipsam insulam ad manus barbarorum in maximam christianorum perniciem devenire, alteram classem parare oportet non minorem ea, quae superius dicta est, qua et dictorum barbarorum conatibus resistatur et, prout Nos in Domino spem habemus, praeparetur et aperiatur via ad Terram Sanctam de manibus barbarorum huiusmodi celeriter eruendam, pro quo quidem sanctissimo ac necessario opere effectui mancipando venerabilem fratrem Nostrum Marcum, patriarcham Alexandrinum, Apostolicae Sedis legatum, cum magna ac sumptuosa classe ex parte iam ordinata duximus transmittendum. Sed cum apostolicae camerae, tum in praedictis operibus tum in aliis quampluribus Nobis et Romanae ecclesiae quotidie incumbentibus oneribus pecuniis exhaustae, non sufficiant facultates, Nos, cupientes, ut huiusmodi Dei et fidei causae eo libentius adiuventur, quo fideles Christi ex hoc dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius ac Nostra auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui de bonis suis a Deo collatis ad expeditionem et alimentum praefatae militiae fidelium pro causa huiusmodi manutenendi exercitus et classis parandae et huius operis expeditione tantum, quantum suae facultates patiuntur, erogaverint et contribuerint et personis ad hoc eligendis et deputandis solverint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, euntibusque personaliter contra huiusmodi soldanum et alios christiani nominis inimicos ad bellandum suis vel alienis sumptibus, vel qui aliquem bellatorem contra ipsos transmiserint et per sex menses continuos aluerint et sustinuerint seu pro expensis unius transmittendi per duos menses pecunias in praedicta causa baroni, comiti, marchioni, duci, principi aut alii temporali domino ** unum vel plures bellatores iuxta quorumlibet facultatem transmiserint aut alia pia et charitativa subsidia secundum ipsorum devotionem et consilium confessoris sui porrexerint cum effectu, auctoritate apostolica concedimus per praesentes, ut quili-

bet ipsorum aliquem idoneum et sufficientem presbyterum in suum possit eligere confessorem, qui confessionibus personae largientis, euntis vel mittentis diligenter auditis plenam omnium suorum delictorum, de quibus veraciter corde contriti et ore confessi fuerint, in forma ecclesiae consueta veniam et remissionem impendat, etiam si talia forent, propter quae Sedes Apostolica esset merito consulenda, et eamdem etiam remissionem peccaminum concedere valeat, quam, qui pro recuperatione Terrae Sanctae accedunt, a Sede Apostolica consecuti sunt; et insuper eidem confessori, ut quaecumque vota peregrinationum et S. Iacobi in Compostella ac sepulchri dominici et quaevis sanctuaria et alia vota, pro quorum exsecutione pecunia sit exponenda, dummodo persona vovens ad huiusmodi prosecutionem negotii tantum de suis pecuniis tribuat, quantum pro complemento huiusmodi votorum verosimiliter exposuisset; cetera vero vota, principaliter castitatis et religionis, si perpetua fuerint, dummodo vovens ipse duos florenos camerae, si temporalia unum, deputandis huiusmodi tradat, commutare possit; necnon quascumque personas a spoliis, rapinis, furtis, usuris et aliis illicitis lucris quibuscumque, quae salva conscientia retineri non possunt, et quorum personae certae; quibus restitutio facienda est, ignorantur, si tantumdem dictis deputandis, vel modicum minus secundum facultates personae huiusmodi ac iuxta conscientiam ipsius confessoris, necnon quascumque personas ecclesiasticas vel saeculares ab apostasia, iniectionibus manuum violentarum in clericos, citra tamen mortem et membrorum mutilationem ac enormem laesionem, ac a periuriis, votorum transgressionibus, adulteriis, incestibus ac sortilegiis, incantationibus, etiam a quacumque excommunicationis sententia, etiam in casibus Romano pontifici reservatis, satisfacto prius competenter laesis et iniurias passis, et super irregularitate, quam propter praemissa celebrando divina aut immiscendo se illis non tamen in contemptum clavium contraxerunt, dummodo pro expensis unius bellatoris per mensem aut dimidium secundum personarum facultates et delicti exigentiam in subsidium fidei dictis deputandis persolverit, ac etiam simoniace ad ordines vel beneficia promotos et promoventes erogando ad huiusmodi expeditionem expensas unius armigeri vel plurium pro sex mensibus aut saltem tribus secundum facultates suas fructuum male perceptorum valorem et iuxta praefati confessoris consilium et conscientiam absolvere, dispensare et fructus male perceptos remittere omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam praemissorum forsan occasione contractam abolere valeat, auctoritate apostolica plenariam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem. Et, ut omnium praemissorum iuxta huius sancti operis necessitatem et desiderium cordis Nostri celeris exsecutio fiat [1], dilectum filium Antonium de Troia, ordinis Minorum professorem, de cuius probitate specialem in Domino fiduciam obtinemus, omnium in praesentibus litteris contentorum exsecutorem et nuntium Nostrum in partibus regni Daciae et provinciae Saxoniae ac aliis Germaniae partibus et provinciis, civitatibus, dioecesibus, terris et locis singulis auctoritate praefata constituimus, ordinamus atque etiam deputamus, omnes alios et singulos exsecutores et nuntios apostolicos quoad singulas facultates per Nos et Sedem Apostolicam in eisdem partibus ex quavis causa eis concessas durante tempore infrascripto simili tenore suspendentes, cui personas ecclesiasticas saeculares vel religiosas cuiuscumque ordinis vel dignitatis, bonae tamen existimationis et famae, ad huius sancti operis exsecutionem cum potestate etiam audiendi confessiones ac omnia et singula faciendi praesentibus litteris denotata deputandi, quas nunc confirmamus et ad praedicta confirmatas esse decernimus, plenam et omnimodam concedimus tenore praesentium facultatem. Volumus autem, ut huiusmodi litterae et facultates in eis contentae nullo modo ad forum iudiciale se extendere possint. Volumus insuper, quod de nominibus et cognominibus personarum, quas ipsum exsecutorem vel ab eodem deputandum seu deputandos ex praefatis causis a sententiis, censuris et poenis huiusmodi absolvere, habilitare necnon de summa pecuniarum, quam tam huiusmodi quam etiam bonorum ablatorum et votorum commutationum ac aliarum rerum praedictarum occasione percipere contigerit, praefatum Marcum legatum vel ab eodem deputandos certificare ipse exsecutor vel ab eo deputandus vel deputandi procurent, summamque praedictam per aliquem vel aliquos Deum timentem

---

[1] *Hoc loco in bulla diei 20 februarii 1445 legitur:* dilectum filium Franciscum de Agropoli, ordinis Minorum de observantia nuncupatorum professorem, vicarium provinciae Terrae Laboris de regno Siciliae, suosque in officio successores, de quorum probitate *etc.* De Francisco de Agropoli cf. infra n. 871. *In altera diei 9 martii 1445 legitur:* dilectos filios Ceccum de S. Iohanne Rotundo et Robertum de Milano, ordinis Minorum de observantia nuncupatorum professores, provinciae S. Angeli de regno Siciliae vicarios eorumque in officio successores *etc.* De his cf. infra n. 861.

seu timentes, quem seu quos ad id deputaverit seu ab eo deputandi substituerint, Venetias quantocius transmittant, qui una cum dicto Marco sive ab eodem deputandis agant et inspiciant oculata fide, ut huiusmodi pecuniae pro hac fidei catholicae utilitate et huius sancti operis expeditione dumtaxat et non in alium usum exponantur atque convertantur, quibus omnibus sub divinae ac Nostrae indignationis poena, ut hoc fideliter et sincera conscientia agant et exsequantur, harum serie praecipimus et mandamus, praesentibus post biennium a data praesentium computandum minime valituris. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, V idus ianuarii, ... anno XIV.

852. Eidem Antonio de Troia, O. F. M., concedit facultates [1].

1445, ianuarii 12, Romae.

Dilecto filio Antonio de Troia, ordinis Minorum professori, nuntio Nostro.

Pia mater ecclesia *etc. (ut n. praec.).* Cum itaque Nos pro evidenti christianae religionis utilitate et fidei catholicae exaltatione necnon pro civitate Constantinopolitana ac Hungariae et Cypri regnorum necnon insulae Rhodi, quam soldanus, Cayri dominus, efferata rabie expugnare conatur, aliarumque provinciarum christianarum tutela et conservatione quamplures ac maximos sumptus subire oporteat, quos sine christifidelium suffragio tolerare non possumus, et propterea ad partes regni Daciae et provinciae Saxoniae ac alias Germaniae partes, provincias, civitates, dioeceses, terras et loca nuntium Nostrum et Apostolicae Sedis te personaliter pro huiusmodi causa destinemus, omnes alios et singulos exsecutores et nuntios apostolicos quoad facultates inferius denotatas per Nos et Sedem Apostolicam in eisdem partibus, ex quavis causa eis concessas, durante tempore infrascripto tenore praesentium suspendentes, Nos, ut huiusmodi ministerium copiosius exsequi valeas et exinde christifidelium suffragia proveniant ampliora, tibi aut a te deputando vel deputandis omnes et singulos, qui cum Turcis, Saracenis aut aliis paganis seu infidelibus navigationes seu mercimonias fecerunt vel eis ferrum, lignamina, navigia, funes aut alia armaturarum genera vendiderunt seu ad portus infidelium huiusmodi detulerunt, et alios quoscumque christifideles saeculares, ecclesiasticos et religiosos ordinum quorumcumque ab excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine contra facientes seu deferentes praedictos per constitutiones et ordinationes apostolicas ac promulgationes censurarum, quae contra tales per Romanos pontifices in die Iovis sancta ferri consueverunt, promulgatas, quomodolibet incurrerunt, si a te humiliter petierint, ita tamen, quod, si propter praemissa per aliquem ex dictis fidelibus fuerit cuicumque satisfactio impendenda, illa infra certum peremptorium, ei ad hoc per te aut deputandum vel deputandos praedictos statuendum, terminum competentem per ipsum rite fiat, alioquin eo lapso termino et alio sibi non suffragante indulto canonico in praefatas sententias, censuras et poenas relabatur eo ipso, in forma ecclesiae consueta absolvendi et poenitentiam salutarem iniungendi, necnon ipsis fidelibus, quod confessor idoneus saecularis vel regularis, quem eorum quilibet duxerit eligendum, illorum confessionibus diligenter auditis pro homicidii, incendii, sacrilegii, incestus et quibuscumque aliis peccatis, criminibus, excessibus, delictis et flagitiis in reservatis semel tantum, in aliis vero quibusvis Sedi Apostolicae non reservatis casibus, quoties fuerit opportunum, debitam absolutionem impendere et poenitentiam salutarem iniungere possit, concedendi, ipsisque omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus [2], qui, si in facultatibus abundent, quinque florenos auri de camera, alioquin magis et minus secundum eorum facultates, prout tibi aut deputando sive deputandis huiusmodi visum fuerit, pie erogaverint, quod singuli confessores, quos elegerint, omnium suorum peccatorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, semel tantum in mortis articulo plenariam remissionem eis in sinceritate fidei, unitate sanctae Romanae ecclesiae ac obedientia et devotione Nostra ac successorum Nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate apostolica concedere valeant, indulgendi: sic tamen,

---

[1] Reg. Vat. t. 376, f. 255; Wadd. *Ann.* ad a. 1444, n. 49. De Antonio Troiano cf. n. praec. et supra n. 558, p. 264.

[2] In alia simili bulla d. d. 27 ianuarii 1445 sequentia verba leguntur hac forma: « qui si in facultatibus abundent, decem florenos auri de camera, alioquin magis et minus secundum eorum facultates, prout tibi et successoribus sive a vobis deputandis huiusmodi visum fuerit, pie erogaverint, quod singuli confessores, quos elegerint, omnium suorum peccatorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, semel tantum in vita et deinde semel in mortis articulo, illis vero, qui tantummodo florenos quinque aut magis vel minus secundum eorum facultates, ut dictum est, erogaverint, semel tantum in mortis articulo dicti confessores similium peccatorum plenariam remissionem eis in sinceritate fidei » *etc. ut supra.*

quod ipsi confessores de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, illa fidelibus ipsis sic confessis per se, si supervixerint, ac per suos haeredes, si tunc forsan transierint, faciendam iniungant, quam ipsi sive dicti haeredes facere teneantur. Et ne, quod absit, propterea fideles ipsi procliviores reddantur ad illicita in posterum committenda, volumus, quod, si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte commiserint, quoad illa eis remissio praedicta nullatenus suffragetur, quodque singuli fideles praefati post eis concessum indultum huiusmodi per unum aut alterum annum singulis sextis feriis impedimento legitimo cessante ieiunent, quod si praedictis sextis feriis ex praecepto ecclesiae, regulari observantia, iniuncta poenitentia, voto vel alias ieiunare tenerentur, una alia die singularum septimanarum eiusdem anni, quo ad ieiunandum, ut praemittitur, non sunt adstricti, ieiunent, et si in dicto anno vel aliqua eius parte impediti legitime fuerint, anno sequenti vel alias quamprimum poterunt, modo simili supplere huiusmodi ieiunium teneantur. Verum, si forsan alias praefatum ieiunium in toto vel in parte quandocumque adimplere commode nequiverint, eo casu confessores idonei, quos ad id elegerint, ieiunium praedictum in alia pietatis opera, prout earum animarum saluti expedire viderint, commutare valeant, quae ipsi pari modo debeant adimplere, alioquin quoad eos Nostra concessio huiusmodi nullius sit roboris vel momenti; necnon cum quibuscumque viris ac mulieribus, qui in quarto consanguinitatis ac tertio seu quarto affinitatis gradibus coniuncti scienter vel ignoranter matrimonia insimul contraxerint, etiam carnali copula subsecuta, cum his, qui ignoranter contraxerunt, ut impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate vel affinitate provenerit, non obstante in huiusmodi matrimonio libere et licite remanere valeant, dummodo mulieres ipsae propter hoc raptae non fuerint, cum his vero, qui scienter carnali copula subsecuta, separatis ab invicem ad tempus, de quo tibi aut deputando vel deputandis praedictis expedire videbitur, si hoc humiliter petierint, ab excommunicationis sententia, quam propterea incurrisse noscuntur, auctoritate Nostra eos absolvendi in forma ecclesiae consueta iniunctis eis inter alia sub virtute iuramenti per eos praestandi, quod de cetero similia non committent nec ea committentibus auxilium, consilium vel favorem praestabunt, et aliis, quae de iure fuerint iniungenda. Et nihilominus, si tibi expediens videbitur, quod dispensatio sit desuper concedenda, mulierque illa propter hoc rapta non fuerit, cum eisdem, ut impedimento, quod ex consanguinitate vel affinitate huiusmodi provenerit, non obstante matrimonium inter se de novo contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, libere et licite remanere valeant, dispensandi, prolem ex huiusmodi matrimoniis scienter vel ignoranter contractis et contrahendis susceptam et suscipiendam legitimam nuntiando et decernendo, necnon cum quibusvis personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus super irregularitate, si quam sententiis aut censuris praedictis aut earum aliqua ligatae missas aut alia divina officia, non tamen in contemptum clavium celebrando aut immiscendo se illis seu alia quavis causa bigamiae, homicidii, mutilationis seu debilitationis membri casibus dumtaxat exceptis quomodolibet incurrerunt, etiam dispensandi ab ipsisque personis omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per eas praemissorum occasione quomodolibet contractam abolendi necnon easdem personas quoad honores et dignitates etiam ecclesiasticas et alias in omnibus plenarie et integre in status pristinos restituendi et reponendi. Et insuper alia, quae in praemissis et circa ea opportuna vel necessaria fuerint, faciendi, disponendi, ordinandi et exsequendi, etiam si mandatum magis speciale exigerent et maiora expressis forent, dummodo facientes, vendentes, deferentes et alii absolvendi praedicti in partem satisfactionum transgressionum suarum huiusmodi ac personae, a quibus incerta et male ablata necnon per testamentarias voluntates relicta debentur, ut praefertur, pro illorum restitutionum satisfactione plus et minus iuxta earum facultates, prout tibi vel deputando seu deputandis praefatis visum fuerit, solverint et in subsidium dictarum expensarum pro suscepta Dei et fidei causa incumbentium contribuerint, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, tibi sive eisdem deputando vel deputandis nihilominus concedentes, ut in quibuscumque locis, ad quae te seu ipsos deputandum vel deputandos ire contigerit, divini verbi praedicatoribus possitis auctoritate apostolica mandare, ut annuntient populis illa, quae tu aut deputandus vel deputandi praedicti ipsis praedicatoribus duxeritis ordinanda. Volumus autem, ut huiusmodi litterae et facultates in eis contentae nullo modo ad forum iudiciale se extendere possint, et insuper quod de nominibus ac cognominibus personarum, quas te sive deputandum aut deputandos praedictos ex praemissis causis a sententiis, censuris et poenis huiusmodi absolvere et rehabilitare necnon de summa pecuniarum, quam tam huiusmodi quam etiam bonorum ablatorum et aliarum rerum praedictarum occasione te aut deputandum vel deputandos praedictos percipere contigerit, venera-

bilem fratrem Nostrum Marcum, patriarcham Alexandrin., quem maritimae classi adversus soldanum et alios infideles praedictos conducendae de venerabilium fratrum Nostrorum eiusdem Romanae ecclesiae cardinalium consilio praefecimus ac ipsum legatum Nostrum cum potestate legati de latere pronuntiavimus, vel ab eodem legato deputandos certificare procures et a te deputandus vel deputandi procurent, summamque praedictam per aliquem vel aliquos Deum timentem vel timentes, quem seu quos ad id deputaveris seu a te deputandus vel deputandi substituerint, Venetias quantocius transmittas seu transmittant, qui una cum dicto legato sive ab eodem deputandis agant et inspiciant oculata fide, ut huiusmodi pecuniae pro hac fidei catholicae utilitate et huius sancti operis expeditione dumtaxat et non in alium usum exponantur atque convertantur. Quibus omnibus sub divinae ac Nostrae indignationis poena, ut hoc fideliter et sincera conscientia agant et exsequantur, harum serie praecipimus et mandamus, quas etiam ad quascumque personas saeculares et ecclesiasticas aliarum partium, provinciarum, civitatum et dioecesium in praedictis partibus et earum singulis commorantes aut per illas transeuntes seu pro praemissis obtinendis ad illas se quomodolibet transferentes extendere volumus, praesentibus post biennium a data ipsarum praesentium minime valituris. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, pridie idus ianuarii, ... anno XIV.

853. Petit salvum conductum pro eodem Antonio Troiano, O. F. M. (1).

1445, ianuarii 13, Romae.

Venerabilibus universis et singulis fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, plebanis, archipresbyteris, ministris, custodibus, guardianis, vicariis et aliis ecclesiarum praelatis, rectoribus ac capitulis et conventibus ceterisque personis ecclesiasticis, Cistercien., Cluniacen., Praemonstraten., SS. Benedicti et Augustini et aliorum quorumcumque ordinum, necnon magistris et praeceptoribus S. Iohannis Hierosolymitan. et beatae Mariae Theutonicorum, dilectis quoque filiis nobilibus et potentibus viris, regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus et baronibus, insuper capitaneis, gubernatoribus, consulibus, antianis, populis, communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et aliorum quorumcumque locorum atque omnibus et singulis christifidelibus, ad quos praesentes advenerint.

Cum dilectum filium fratrem Antonium Troianum, ordinis Minorum, quem virtute et fidelitate suis ad similia aptum et insignem plurimum cognovimus diversarum iam rerum experientia dudum patefacta, ad varias mundi partes nationesve saepenumero destinare contingat et nonnumquam ad sacrosanctam Hierusalem civitatem et ad alia sacra loca ibidem circumstantia et orientalia transferre ob nonnulla Nostra sanctaeque Romanae ecclesiae negotia ardua quidem et totius christianitatis salutem maxime afferentia fideique christianae augmento summe necessaria et opportuna, Nos, affectantes eumdem fratrem Antonium ea tam opportuna Nostri parte peracturum in eundo, stando, practicando, pernoctando, discedendo et redeundo plena et ampla ubique securitate, immunitate et favorabili tractatione gaudere, universitatem vestram et singulos vestrum in Domino requirimus, monemus et hortamur, subditis vero et officialibus Nostris ac praefatae Romanae ecclesiae ubilibet constitutis necnon capitaneis armigerarum gentium, ad Nostra et dictae ecclesiae stipendia militantibus, districte praecipiendo mandamus, quatenus ipsum fratrem Antonium una cum aliquibus fratribus eiusdem ordinis, sociis suis, et duobus saecularibus ultra, tam equestribus quam pedestribus cumque suis libris, pannis, arnesis, peris, rebus et bonis quibuscumque necessariis sibi et opportunis per omnes civitates, terras, oppida, castra, villas, territoria, passus, pontes, portus, flumina et loca quaelibet tam per mare quam per terram absque solutione alicuius angarii, perangarii, telonii, fundi navis, pedagii, datii, gabellae, passagii vel transitus aut alterius cuiuscumque oneris indicti vel indicendi exactione perstare, redire, practicare, transire et pernoctare pro Nostra et Sedis Apostolicae contemplatione et reverentia libere et expedite permittatis; nec eidem eiusque comitivae nec in rebus et bonis suis molestiam, iniuriam et offensam aut aliam noxiam novitatem inferatis nec ab aliis, quoad poteritis, sinatis inferri, quinimo potius eumdem fratrem Antonium et quos supra cum omni benevolentia et humanitate benigne ac favorabiliter recolligatis, recipiatisque; de passagio quoque maritimo tuto aut navigio, cum guidis, scortis et salvis conductibus, denique de socio aut sociis praedicti ordinis, si eguerit aut duxerit requirendum, li-

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 253 v.; Wadd. *Ann.* ad a. 1444, n. 48. Cf. n. praec.

beraliter providere curetis; et taliter in praemissis vos geratis, quod praeter aeternae beatitudinis praemia, quae huiusmodi bonorum operum factores consequuntur, Nostram etiam benedictionem et Sedis Apostolicae gratiam mereamini, et exinde vestra devotio apud Nos et ipsam Sedem merito veniat commendanda pariter et extollenda, durantibus praesentibus ad Nostrum beneplacitum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, idibus ianuarii, ... anno XIV.

854. Collectoribus pecuniarum pro expeditione contra Turcos concedit facultates (1).

1445, ianuarii 13, Romae.

Venerabili fratri Iohanni, episcopo Ferrarien. et dilectis filiis vicario fratrum ordinis Minorum de observantia regulari provinciae Bononiae ac fratri Iacobo de Primaditiis, fratri Francisco de Platea de Bononia et fratri Iacobo de Pisis, praedicti ordinis.

Dum universalis dominici gregis onus *etc.* Sane, cum adversus Teucros, perfidissimos Christi hostes, magnam Europae partem multasque christianorum provincias prementes, pridem ire curaverimus cum Apostolicae Sedis legato terrestrem exercitum, qui Domino exercituum adiuvante post multas variasque habitas de ipso immani hoste victorias barbariem illam, prout speramus, iam debuit Europa expulisse, et pariter classem Nostram sub alio Apostolicae Sedis legato ad Strictum Gallipolis navigare fecerimus, ductu et praesentia eius repulsa fuerunt dictorum Teucrorum auxilia, quae ab Asia in Europam traiicere conabantur, et postmodum Nobis, duarum ipsarum expeditionum expensis supra modum gravatis, tertia suborta sit necessitas subveniendi insulae Rhodi et aliis locis partium Orientis ab hospitali sancti Iohannis Hierosolymitani possessis, adversum quae perfidissimi Saraceni duobus anteactis annis classem potentissimam perduxerunt multaque et maxima damna nostris christicolis intulerunt, qua ratione classem potentissimam magna cum impensa maximisque laboribus parari facimus, Nostris humeris nequeuntibus ferre tanta onera impensarum, omnes christifideles, ut possibile afferant auxilium duximus invitandos. Cupientes itaque habitatores exarchatus Ravennatis ecclesiae ad tanti meriti partem invitare, vos, in quibus fervor orthodoxae fidei et timor Domini sanctus permanet, ad ipsum exarchatum duximus transmittendos, vobis ac vestrum cuilibet, ut ubicumque in dicto exarchatu et quandocumque vobis visum fuerit, verbum Domini praedicare possitis absque aliquorum contradictione, quam sub excommunicationis poena nullus afferre audeat vel praesumat, insuper ut singulorum christifidelium quorumcumque dioecesium et locorum, ad vos aut ad illos, quos duxeritis deputandos, confluentium, confessiones audire et illis, qui in subsidium classis adversus Saracenos ad defensionem Rhodi transmittendae decem ducatos personis per vos deputandis erogaverint, concedere valeatis, ut possint sibi eligere confessores idoneos, qui confessionibus eorum diligenter auditis ipsos iniuncta salutari poenitentia possint ab omnibus peccatis absolvere semel tantum in vita et deinde in mortis articulo plenariam remissionem omnium peccatorum, illis vero, qui tantummodo ducatos quinque erogaverint, in mortis articulo tantum plenariam similiter remissionem peccatorum impendere valeant, et ut illis, quorum audiveritis confessiones pro commissis, etiamsi simonia et alia sint talia, propter quae Sedes Apostolica sit merito consulenda, poenitentiam salutarem iniungere ac beneficium absolutionis impendere necnon eos, qui sententiam excommunicationis tam a iure quam ab homine latam et alias censuras et poenas ecclesiasticas quomodocumque incurrerunt, absolvere, et quoscumque irregulares exceptis casibus voluntarii homicidii, bigamiae et mutilationis membrorum absolvere, liberare et ad beneficia restituere pariterque super emissis quibusque votis de ingressu religionis et observanda castitate exceptis dispensare eaque commutare et ab eisdem absolvere, dummodo illi, qui supradictis vinculis vel aliquo eorum noverint se ligatos, solverint tantam pecuniae quantitatem, quantam pensatis eorum facultatibus vestra vel per vos deputandorum confessorum discretio iudicabit. Illi vero, qui peregrinationis ultramarinae, liminum Apostolorum vel S. Iacobi de Compostella vota emiserint, tantam solvant pecuniae quantitatem, quantam expendissent, si peregrinationum vota complessent. Pro aliis autem votis peregrinationum vel aliis quibuscumque confessorum discretioni summam pecuniae solvendae relinquimus terminandam. Ut etiam super male ablatis incertis necnon super relictis ad pias causas, ubi certarum personarum vel determinatorum locorum expressio non habetur, et cum his, qui in tertio aut quarto affinitatis vel consanguinitatis gra-

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 314. De Iacobo de Primaditiis cf. supra n. 300 et 301, p. 138s; n. 463, p. 221; n. 481, p. 230; n. 636, p. 300; n. 792. 793, p. 373. De Iacobo de Pisis cf. supra n. 792, p. 373.

dibus constituti invicem contraxissent, ut in huiusmodi matrimonio remanere valeant, prolem ex huiusmodi matrimonio susceptam suscipiendamque legitimam nuntiando dispensare et illos, qui ad infideles vetita detulissent aut piraticam exercuissent absolvere et liberare cum illisque componere et dispensare valeatis, si modo solverint ipsis de causis tantam pecuniae quantitatem, quantam vos vel a vobis deputandi eorum facultatum qualitate pensata decreveritis persolvendam. Praeterea, ut retinendos vobiscum aut ad alia loca mittendos fratres dicti exarchatus sive ex vestro sive ex aliis ordinibus ac presbyteros saeculares, prout magis commodum fuerit, accipere eorumque aliquos ad Nostram curiam mittere valeatis, auctoritate apostolica concedimus per praesentes, insuper volentes, quod de summa pecuniarum, quam tam huiusmodi quam etiam bonorum ablatorum et aliarum rerum praedictorum occasione vos aut deputandos praedictos percipere contigerit, venerabilem fratrem Nostrum Marcum, patriarcham Alexandrinum, quem maritimae classi adversus soldanum et alios infideles praedictos conducendae de venerabilium fratrum Nostrorum eiusdem Romanae ecclesiae cardinalium consilio praefecimus ac ipsum legatum Nostrum cum potestate legati de latere pronuntiavimus, vel ab eodem legato deputatos certificare procuretis et a vobis deputati procurent, summamque praedictam per aliquem vel aliquos Deum timentem vel timentes, quem seu quos ad id deputaveritis seu a vobis deputandi substituerint, Venetias quantocius transmittatis seu transmittant, qui una cum dicto legato sive ab eodem deputandis agant et inspiciant oculata fide, ut huiusmodi pecuniae pro hac fidei catholicae utilitate et huius sancti operis expeditione dumtaxat et non in alium usum exponantur atque convertantur, quibus omnibus sub divinae ac Nostrae indignationis poena, ut hoc fideliter et sincera conscientia agant et exsequantur, harum serie praecipimus et mandamus, quas etiam ad quascumque personas saeculares et ecclesiasticas aliarum partium, provinciarum, civitatum et dioecesium in praedictis partibus et earum singulis commorantes aut per illas transeuntes seu pro praemissis obtinendis ad illas se quomodolibet transferentes extendi volumus, praesentibus post biennium a data ipsarum praesentium minime valituris, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, idibus ianuarii, ... anno XIV.

Eadem die litterae eiusdem tenoris dantur mutatis mutandis:

a) *Iohanni de Capistrano, ordinis Minorum de observantia regulari et ipsorum dicti ordinis fratrum de observantia in partibus Italiae vicario.* (ut ubicumque tibi visum fuerit, verbum Domini praedicare possis *etc.* [1]).

b) *Bartholomaeo de Fulgineo, commissario dilecti filii fratris Iohannis de Capistrano, Laurentio de Panormo, devotorum locorum fratrum, qui de observantia nuncupantur, ordinis Minorum provinciae Siciliae vicario, et vestris in officio successoribus ac Seraphino de Sicilia, dicti ordinis et observantiae professori.* (vos ... ad ipsas Trinacriae et Maltae ac Liparis insulas duximus transmittendos, ... ut ubicumque in dictis insulis ... verbum Domini praedicare possitis *etc.* [2]).

c) *Petro de S. Iohanne, vicario de Vandalia, Alphonso de Borox, Fernando de S. Isidoro, Petro de la Pegna, Francisco de Orghaz et Fernando de Salamantica, ordinis Minorum de observantia regulari provinciae Castellae.* (vos ... ad ipsam provinciam regni Castellae duximus transmittendos *etc.* [3]).

d) *Paulo de Sinopoli, ordinis Minorum de observantia regulari, et tuis in officio successoribus.* (te ... ad ipsam provinciam Calabriae duximus transmittendum *etc.* [4]).

855. Extendit facultates Iacobo de Primaditiis et Francisco de Platea concessas ad totam Italiam [5].

1445, ianuarii 13, Romae.

Dilectis filiis Iacobo de Primaditiis de Bononia et Francisco de Platea, fratribus ordinis beati Francisci de observantia regulari, nuntiis Nostris.

Cum pro maximis Nostris ac Romanae ecclesiae necessitatibus impetrandi subsidia a christifidelibus ad armandam classem, quam Domino concedente ad praesens mittimus ad partes Orientis adversus perfidos Christi hostes, vobis certas dederimus facultates in exarchatu Ravennae, prout in litteris apostolicis superinde confectis latius continetur [6], Nos, cupientes, ut vestra devotio, de quorum prudentia ac vitae munditia spem in Domino amplissimam obtinemus, eo Nobis et ecclesiae utilius serviat, quo maiori et ampliori fueritis a Nobis facultate muniti, easdem facultates omnibus vobis in praedicto exarchatu concessas ad omnes Italiae partes in omnibus et per omnia auctoritate apostolica

(1) Reg. Vat. t. 377, f. 1.
(2) Reg. Vat. t. 376, f. 268; t. 377, f. 179 v. De Seraphino de Sicilia cf. supra n. 830, p. 390.
(3) Reg. Vat. t. 376, f. 305.
(4) Reg. Vat. t. 377, f. 4 v.
(5) Reg. Vat. t. 376, f. 289.
(6) Vide n. praec.

extendimus, ut in praedictis omnibus Italiae partibus illas pariter, sicut in praedicto exarchatu, valeatis exercere, volentes etiam, quod non solum praedicatoribus divini verbi praecipere possitis, quod ea dicant circa praedicta, quae illis duxeritis iniungenda, sed vos etiam et a vobis instituti, quando vobis visum fuerit praedicationem assumere ac omnibus praedicatoribus pro die et hora, quam vobis assumetis, silentium imponere valeatis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, idibus ianuarii, ... anno XIV.

856. Loca et conventus O. F. M. provinciae Orientalis eorumque annuos redditus in dominio S. Sedis suscipit eaque per syndicos administrari iubet (1).

1445, ianuarii 13, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ad ordinem Minorum vigilis speculatoris officium *etc.* Sane fide digna relatione percepimus nonnulla ecclesiastica loca et conventus ordinis Minorum provinciae Orientalis annuos redditus et proventus habere et fratres in eis degentes proprium contra eorum regularem professionem emissam et normam dicti ordinis ac apostolicas constitutiones et declarationes habere et retinere. Nos, super his opportunae provisionis remedium paternis studiis adhibere cupientes ac attendentes, quod loca et conventus huiusmodi sita sunt inter christianos numero paucos et copiosam infidelium ac schimaticorum et haereticorum multitudinem, ex quo paucae admodum eleemosynae percipi possunt, omnia et singula redditus et bona praesentia et futura locorum et conventuum praedictorum ac eorum fratrum praesentium et futurorum proprium, mobilia et immobilia bona Nobis et Sedi Apostolicae tenore praesentium appropriamus, concedentes dilectis filiis vicario et universis fratribus dictae provinciae pro tempore exsistentibus facultatem eligendi auctoritate apostolica unum vel plures syndicum vel syndicos illumque vel illos, quando eis videbitur, destituendi, deponendi et alium seu alios de novo instituendi, quem seu quos electum vel electos pro tempore dicta auctoritate confirmamus et confirmatum seu confirmatos esse decernimus, qui syndici eadem auctoritate redditus et bona praedicta fideliter colligant et recipiant ac proprium sollicite gubernent. Volumus autem, quod ipsi syndici, si viderint fratres eorumdem locorum pro tempore indigentiam habere, de eisdem redditibus suis necessitatibus subvenire ac structuras et aedificia dictorum locorum et conventuum vetera resarcire et de novo, prout opus erit, construere debeant, quod, si fratres indigentia non laborent et aedificia ipsa reparatione non eguerint, ipsi syndici dictos redditus et bona pauperibus distribuant, si vero contingeret loca et conventus praedicta eleemosynis et aliis circa victum necessariis quandoque carere et supradicta redditus et bona minus sufficientia censerentur ad huiusmodi necessitates sublevandas, statuimus et ordinamus, ut liceat praedictis syndicis tantum de relictis eisdem fratribus ad se accipere et ex illis fructus recipere, quantum eis videbitur sufficere pro convenienti sustentatione fratrum et reparatione structurarum et aedificiorum, locorum et conventuum praedictorum, decernentes fratres praedictos de eleemosynis sic erogatis et fructibus ac redditibus praefatis per ipsos syndicos contributis necnon iocalibus, paramentis et aliis ornamentis divino cultui necessariis tuta conscientia uti posse et debere, statuentes insuper, ne fratres ipsi iocalia et ornamenta vendere aut alienare quoquomodo praesumant, volentes tamen, si necessitas urgeret, ipsa iocalia et ornamenta ac libros tam sacristiae quam librariae in alia similia, ex quo evidens utilitas sequi possit, per supradictos syndicos commutari posse. Insuper volumus et ordinamus, ut redditus et obventiones duarum domorum, quae olim spectabant ad quamdam ecclesiam S. Basilii, quam et illius territorium charissimus in Christo filius Noster imperator Constantinopolitan. illustris quibusdam Minoribus de observantia pro novo conventu construendo, et qui nunc sub vocabulo S. Antonii de Padua constitutus, pie est largitus, ipsis syndicis pure et libere dentur et consignentur, qui ipsos redditus in necessarios usus divini cultus dumtaxat convertant; contrafacientes excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, idibus ianuarii, ... anno XIV.

857. Petro de Corduba, O. F. M., nuntio suo in regnis Castellae, Legionis, Valentiae, Aragoniae, Navarrae, Portugalliae et Algarbiae, pro collectione pecuniarum ad expeditionem contra Turcos concedit facultates (2).

1445, ianuarii 18, Romae.

Dilecto filio Petro de Corduba, ordinis Minorum de observantia nuncupati professori, in theologia magistro, in Castellae et Legio-

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 252 v.; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 166. Cf. supra n. 302, p. 141.

(2) Reg. Vat. t. 376, f. 277; Wadd. *Ann.* ad a. 1444, n. 46. De Petro de Corduba cf. supra n. 703, p. 331.

nis, Valentiae, Aragoniae, Navarrae, Portugalliae et Algarbii regnis et comitatibus ac omnibus aliis Hispaniarum partibus nuntio et oratori Nostro.

Dudum innumerabilis fidelium strages et christianorum lacrimas ac varia et inaudita calamitatum genera, quae a Turcis et aliis christiani nominis inimicis patiebantur, ex specula summi apostolatus non sine acerbissimo mentis dolore prospicientes ac cogitantes his imminentibus fidei periculis pro viribus desuper Nobis concessis obviare, et quod haec Dei et fidei causa minime negligenda esset, sed ceteris rebus anteponenda, de venerabilium fratrum Nostrorum consilio misimus venerabilem fratrem Nostrum Iulianum, episcopum Tusculanen., cardinalem S. Angeli nuncupatum, ad regnum Hungariae et partes regni finitimas Apostolicae Sedis legatum, qui inter principes illarum partium discordiis, odiis et gravibus inimicitiis dissidentes facta prius et stabilita concordia maximum catholicorum principum et aliorum fidelium exercitum adversus Turcos et alios infideles plurimis iteratisque vicibus auctoritate Nostra parari fecit, cui exercitui Nostro et Sedis Apostolicae nomine praesidens, plurimas victorias cum ingenti infidelium strage divina suffragante clementia saepius reportavit prosecutusque victorias huiusmodi universam pene Graeciam ab immani Turcorum tyrannide diutius oppressam liberavit; quod Deus omnipotens sua misericordia effecisse credendus est, ut Graeci, tot saeculis a ritu et doctrina Romanae ecclesiae dissidentes, unione inter occidentalem et orientales ecclesias in Florentino concilio Nobis praesidentibus edita salutaria ipsius Romanae ecclesiae dogmata et evangelicam veritatem ac SS. Patrum doctrinam debita reverentia recognoscentes eaque dogmata devote complexi, fructum unionis praedictae et cognitionis divinae veritatis pro eorum meritis assequerentur. Haec dum agerentur, ut ipsi Turci et infideles, animis et viribus fracti, ab Europae partibus penitus exstirparentur, parari fecimus magnam classem et multitudinem galearum et navium, cui dilectum filium Nostrum Franciscum, tituli S. Clementis presbyterum cardinalem, S. Romanae ecclesiae vicecancellarium, nepotem Nostrum, de eorumdem fratrum consilio praefecimus eumque illarum partium Apostolicae Sedis legatum etiam deputavimus; qui maria illa latrociniis infidelium et piratarum discursionibus infesta liberavit plurimaque operatus est et continuo operatur ad laudem divini nominis et fidei incrementum. Cum autem soldanus, crucis Christi inimicissimus, huiusmodi calamitatem cervicibus infidelium imminentem ab ipsis deducere et amovere conatus, magna classe et plurimis navibus ac galeis insulam Rhodi ac religionem S. Iohannis Hierosolymitani, ad tutelam ipsius insulae et fidei ab ecclesia deputatam, iis duobus proximis annis aggredi eamque diutius obsideri fecit, quibus dilecti filii magister et conventus Rhodi ac ceterae religiosae personae huiusmodi religionis ordinis vix resistere potuerunt, cumque, ut vera relatione percepimus, infideles ipsi hoc futuro anno dictam insulam maiori potentia maioribusque viribus et odiis aggressuri sunt, Nos, qui ex debito pastoralis officii Nobis iniuncti christifidelium periculis obviare et providere conamur, ne dicta insula et religio praefata, quae in partibus illis ab ecclesia tamquam fidelium propugnaculum et obex adversus infideles constituta et collocata est, in potestatem infidelium perveniat, quod sine maximo fidelium dedecore ac gravissimo detrimento evenire non posset, provocati insuper piis nonnullorum catholicorum regum et principum supplicationibus hunc terribilem casum reformidantium, instituimus hoc futuro anno longe maiorem classem ac plures galeas ac naves parare facere, ut non modo infidelium classi resistat, sed Deo propitio, cuius causa agitur, vires infidelium exterminet et dissipet et exoptatam victoriam de ipsis reportet. Instituimus insuper sepulchrum dominicum et alia loca Terrae Sanctae, quantum Nobis auxilii desuper concessum erit, cum catholicorum regum et principum et aliorum fidelium suffragio ab immani soldani et aliorum infidelium tyrannide liberare, ne diutius tantum fidelibus periculum immineat cum gravissima fidei christianae ignominia atque iactura; cui futurae classi praefecimus venerabilem fratrem Nostrum Marcum, patriarcham Alexandrinum, ex sanguine et prosapia Nostra exortum, eumque ad partes illas de eorumdem fratrum consilio Apostolicae Sedis legatum cum omnimoda legati de latere potestate constituimus atque deputavimus, virum siquidem ob rerum experientiam et praecipuam prudentiam et animi magnitudinem et devotionem et ardens desiderium erga ampliandam catholicam fidem ad id idoneum. Verum, quamvis desideremus, ut haec sancta Dei opera sine aliquo fidelium onere ac suffragio per Nos ipsos prosequi possemus, tamen quia pro reductione Graecorum, Armenorum, Iacobitarum et plurimarum aliarum nationum ad doctrinam Romanae ecclesiae ac exercitibus pluries in dictis partibus paratis ac maritima classe et aliis necessariis quam plurimis expensis innumerabiles pene pecunias exposuimus ac propterea iis exhaustis sine fidelium suffragiis hoc sanctum negotium pro communi omnium

fidelium utilitate et necessaria fidei catholicae causa perficere non valemus, cupientes igitur, ut hoc salutare opus fructus in fide catholica et ecclesia pariat exoptatos, te, de cuius integritate ac vitae honestate fide ac prudentia et sacrarum litterarum peritia ac scientia et augendae christianae religionis ardore plurimum in Domino confidimus, in Castellae, Legionis, Valentiae, Aragoniae, Navarrae, Portugalliae et Algarbii regnis, comitatibus et omnibus Hispaniarum partibus nuntium et oratorem Nostrum apostolica auctoritate tenore praesentium constituimus atque deputamus teque ad regna et partes praedictas pro hac sancta fidei catholicae causa destinamus, omnes alios et singulos exsecutores et nuntios apostolicos quoad facultates inferius denotatas per Nos ad Sedem Apostolicam in dictis regnis et partibus ex quavis causa eis concessas durante tempore infrascripto tenore praesentium suspendentes. Nos, ut huiusmodi ministerium copiosius exsequi valeas *etc. (ut supra n. 852).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XV kal. februarii, ... anno XIV.

858. Iohanni de Capistrano, O. F. M. de observantia, concedit facultatem recipiendi 14 loca pro usu fratrum eiusdem ordinis et observantiae [1].

1445, ianuarii 19, Romae.

Dilecto filio Iohanni a Capistrano, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupati professori.

Inter ecclesiasticos ordines *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis pro parte tua petitio continebat, saepe contingat, nonnullos christifideles ex devotione, quam ad dictum ordinem habent, tuisque sermonibus allici ad terrena in coelestia commutandum, qui pro ipsorum maiorumque suorum animarum salute loca quaedam pro usu et habitatione tui ordinis fratrum fundarent ... et aedificata concederent, si ad id Sedis Apostolicae suffragaretur auctoritas, et, sicut eadem petitio subiungebat, si quatuordecim loca pro usu et habitatione huiusmodi fundandi ... a Sede praedicta facultatem haberes, profecto plurimorum animas Deo lucrifacere posse sperares. Nos igitur ... tibi necnon pro tempore exsistentibus quarumcumque provinciarum iuxta morem fratrum Minorum de observantia nuncupatorum vicariis quatuordecim loca ubicumque consistentia cum ecclesiis, campanilibus, ... officinis, si tibi aut illis alias canonice consignentur, ... recipiendi et perpetuo retinendi, dioecesanorum locorum ... aut eiusdem ordinis superiorum licentia minime requisita eadem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, et insuper universis et singulis dicti ordinis fratribus, quos in locis huiusmodi pro tempore residere contigerit, ut omnibus et singulis indulgentiis *etc.* iure tamen *etc.* contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XIV. kal. februarii, ... anno XIV.

In eumdem modum *Dilecto filio fratri Iohanni Mauberto, vicario generali ultramontano* [2].

859. Iohanni de Capistrano O. F. M. concedit ampliores facultates [3].

1445, ianuarii 22, Romae.

Dilecto filio fratri Iohanni de Capistrano, omnium et singulorum domorum, locorum et conventuum partium cismontanarum ordinis Minorum de observantia vicario generali, nuntio Nostro.

Cum te ad diversas provincias et loca pro maximis fidei catholicae negotiis et amplianda christiana religione nuntium Nostrum destinemus tibique in subsidium huius sancti operis certas facultates concesserimus, ut haec Dei et fidei causa uberius fructus pariat salutares, tibi per te et deputandos etiam quaestores quacumque auctoritate et ad cuiusvis instantiam deputatos, ut titulos deputationis huiusmodi exhibeant, compellendi, eos vero ex his, quos falsarios esse reppereris, capi faciendi, carcerandi et iuxta canonicas sanctiones puniendi ac pecunias, res et bona per eos male ablata percipiendi, brachium saeculare invocandi, quodque, cum te ad loca ecclesiastico interdicto supposita declinare contigerit, pro tempore dumtaxat, quo dictis locis aderis, interdictum quacumque auctoritate et ad cuiusvis instantiam impositum tollendi et relaxandi, necnon personis, quibus aliqua absolutio per te sive a te deputandos concessa fuerit, si eas in locis ecclesiastico interdicto suppositis quocumque tempore mori contigerit, ut in sacro loco sepeliri possint dicto interdicto non obstante, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto, licentiam concedendi, necnon cum quibusvis personis utriusque sexus, cuiuscumque status, gradus, ordinis seu conditionis exsistant, ad quarum manus

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 267; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 167.

(2) Wadd. l. cit.

(3) Reg. Vat. t. 377, f. 51 v.

pervenerint bona cuiuscumque generis praelatorum et aliarum ecclesiasticarum personarum, saecularium et regularium, quae decesserint, quae bona ad cameram apostolicam devoluta sunt et spectant, et quae ea detinent scienter vel ignoranter indebite occupata et propterea sententiis, censuris et poenis tam a iure quam ab homine promulgatis irretiti sunt, super bonis huiusmodi personarum et bonorum praedictorum ac temporis qualitate ponderata, super quo tuam conscientiam oneramus, pro medietate aut maiori vel minori parte, prouti tuae discretioni videbitur, in subsidium huius sancti operis componendi personasque ipsas a censuris, poenis et sententiis huiusmodi in forma ecclesiae consueta absolvendi iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari, et insuper personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, praedicationibus vacantibus, quando exsecutionem tam praesentium facultatum quam aliarum tibi a Nobis in aliis Nostris litteris [1] concessarum facere volueris, ut, si tibi expediens videbitur, tunc et eo tempore a praedicationibus desistant, inhibendi plenam et liberam infra limites tuae commissionis usque ad biennium a data praesentium computandum auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod de pecuniis, quas huiusmodi facultatum vigore te aut a te deputandos percipere contigerit, venerabilem fratrem Marcum, patriarcham Alexandrinum, quem maritimae classis adversus soldanum et alios christiani nominis inimicos conducendae praefecimus ac ipsum legatum cum potestate legati de latere pronuntiavimus, vel ab eodem legato deputandos certificare procuretis ac de pecuniis huiusmodi dicto legato vel ab eodem deputandis plenarie respondeatis.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XI kal. februarii, ... anno XIV.

Eadem die facultates praefatas concedit *Petro de Corduba, ordinis Minorum professori de observantia nuncupati, in theologia magistro.* (Cum te ad Castellae, Legionis, Navarrae, Aragoniae, Portugalliae et Algarbii regna ac comitatus aliasque Hispaniarum partes pro maximis fidei catholicae negotiis et amplianda christiana religione nuntium et oratorem Nostrum destinemus *etc. (ut supra)* [2].

860. Fabianum de Bachia, O. F. M. de observantia, vicarium Bosnae, instituit inquisitorem haereticae pravitatis contra Hussitas cum facultate substituendi alios fratres eiusdem vicariae [3].

1445, ianuarii 23, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Super gregem dominicum Nostrae curae *etc.* Cum itaque, sicut ad Nostrum non sine displicentia grandi pervenit auditum, quod ad praesens in regno Moldaviae haereticae pravitatis et praesertim cuiusdam sectae abominabilis, Hussitarum nuncupatae, satore malorum operum id procurante numerosa personarum multitudo consistat, quae non modo regnicolarum, verum etiam ab ipso regno distantium et praecipue non paucorum regni Hungariae incolarum animas sui perversi dogmatis veneno pestifero infecerunt ac in dies perampius inficere omni studio satagant et conentur, timeaturque, ne, si quantocius eorum perniciosis ausibus opportune non providebitur, etiam ad ceteras fidelium partes transeuntes ac mortiferum venenum suae erroneae doctrinae effundentes, quamplurimos inficiant in suorum et plurimorum aliorum evidens animarum periculum, dispendium quoque perniciosissimum pariter et exemplum. Nos igitur super his, quanto Nobis ex alto permittitur totis providere viribus intenti, et firmam super eo, quod hactenus dilecti filii ordinis Minorum professores de observantia nuncupati et praecipue vicariae Bosnae, qui, ut celebris famaque publica insinuat, se murum facientes pro domo Domini et orthodoxae propagatione fidei, ad confundendas eliminandasque huiusmodi haeresum superstitiones opem et operam efficaces sollertius adhibere, quantum in eis fuit, studuerunt et student, prout tantae rei necessitas exigit, in convincendis eliminandisque dictis erroribus suas impartiri partes debeant, fiduciam in Domino, ut congruit, acceptantes, motu proprio, non ad dilectorum filiorum Fabiani de Bachia, vicarii, et fratrum dicti vicariatus vel alterius pro eis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra mera deliberatione et ex certa scientia auctoritate apostolica tenore praesentium praefatum Fabianum, quem, sicut fide dignorum testimonio accepimus, religionis et fidei sinceritate ac maturitate morum necnon litterarum scientia aliarumque virtutum donis earum largitor Dominus insignivit, et illius successores, qui pro tempore erunt, praefatae vicariae vicarios in Hungariae et Bosnae praedictis ac Moldaviae, Valachiae, Bulgariae, Ra-

(1) Vide supra n. 854*a*).
(2) Reg. Vat. t. 376, f. 289 v. Cf. supra n. 857, p. 408.
(3) Reg. Vat. 376, f. 281; Wadd. *Ann.* ad a. 1444, n. 42.

sciae necnon Sclavoniae ac omnibus et singulis aliis regnis seu partibus, ad quae seu quas vicaria huiusmodi se extendere dignoscitur, inquisitorem et inquisitores haereticae pravitatis perpetuo facimus, constituimus et etiam deputamus, eis per apostolica scripta mandantes et in remissionem peccaminum suorum iniungentes, quatenus huiusmodi inquisitionis officium per Nos ipsorum impositum humeris omnibus odio, timore, favore pariter et amore postpositis sic fideliter et sollicite eorum quisque exsequatur, ut per ipsorum sollicitudinis opera zizaniis perversi germinis e medio tritici exstirpatis, haereticae scilicet pravitatis, venenosis dogmatibus propulsatis in regnis seu partibus praedictis fidei sinceritas vigeat, divinus cultus augeatur et populus christianus in Dei cognitione ac suae salutis acquisitione non decrescat, ipsique Fabianus et vicarii Domino virtutum placidi Nobisque ac dictae Sedi necnon successoribus Nostris Romanis pontificibus reddantur gratiosi, processuri in huiusmodi inquisitionis negotio tam secundum indulgentias et privilegia inquisitoribus pravitatis eiusdem a praefata Sede deputatis seu officia inquisitionis huiusmodi ab eadem Sede habentibus concessa quam etiam secundum canonicas sanctiones. Verum, ne ex inquisitionis officio huiusmodi pacis aemulo procurante inter dioecesanos ordinariosque locorum ex una, et Fabiani ac vicarios praedictos ex altera partibus dissensiones et scandala suscitentur, volumus et motu, deliberatione, scientia ac auctoritate praedictis decernimus, quod in praefato inquisitionis officio iuris ordo de huiusmodi inquisitione conditi per Fabianum et vicarios praedictos perpetuo observetur, ita tamen, quod, si dioecesani et ordinarii vel vacantibus sedibus capitula seu collegia aliqua se de ipso officio intromittere nollent vel negligenter quomodolibet se haberent, seu ubi catholicorum episcoporum copia pro tempore non erit aut haberi non poterit, huiusmodi officium praedictum per se ipsos libere valeant exercere. Et insuper Fabiano et vicariis pro tempore praedictis etiam contra notorios incantatores et notorias incantatrices et in regno Moldaviae episcopis aliisque ordinariis locorum irrequisitis auctoritate Nostra officium inquisitionis huiusmodi exercendi, necnon in omnibus et singulis regnis ac partibus, ad quae seu quas vicaria huiusmodi se extendet, antedictis, quotienscumque sibi opportunum videbitur, perpetuo eorum nomine unum vel duos aut tres seu tot, quot pro huiusmodi officii necessitate opportuni videbuntur, idoneos fratres, de consilio tamen aliquorum discretorum fratrum ordinis et vicariae praedictorum, qui eisdem et prorsus similibus auctoritate et potestate fungantur, substituendi sicque substitutos ad ipsorum nutum revocandi plenam et liberam tenore praesentium licentiam concedimus pariter et facultatem, ita tamen, quod tam Fabianus et vicarii quam substituti pro tempore praedicti de iis, quae in huiusmodi inquisitionis officio saecularia concernunt iudicia, se intromittere aut eis quoquomodo immiscere nullatenus praesumant. Praeterea universos et singulos charissimos in Christo filios Nostros reges ac venerabiles fratres Nostros archiepiscopos, episcopos et dilectos filios principes, duces, comites, palatinos, voyvodas, barones, milites, nobiles, communitates et ceteros quoscumque christifideles, ecclesiasticos et saeculares, in praefatis regnis seu partibus et alias ubilibet commorantes, cuiuscumque status, ordinis vel conditionis fuerint, obsecramus in Domino et per aspersionem sanguinis Domini nostri Iesu Christi exhortamur eisque in remissionem peccatorum suorum iniungimus, quatenus, dum pro parte Fabiani, vicariorum et substituendorum praedictorum vel alicuius eorum fuerint requisiti, ipsis in exercendo inquisitionis officio huiusmodi assistentes, eis auxilium et favorem praestent opportuna nec per se vel alium seu alios sub excommunicationis poena, quam secus facientes ipso facto incurrere volumus, et a qua nonnisi in mortis articulo constituti per alium, quam Romanum pontificem aut Fabianum vel vicarios seu substitutos praedictos vel eorum aliquem absolvi nequeant, dictos Fabianum, vicarios et substitutos praefatos vel eorum aliquem seu aliquos, quominus officium huiusmodi libere exercere possint et exerceant per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, quovis quaesito colore molestare, perturbare aut quomodolibet impedire praesumant. Nos enim, qui dudum voluimus, quod litterae non expedirentur super indulgentiis ad instar, nisi specificarentur, ut reges, archiepiscopi, episcopi, principes, duces comites, palatini, voyvodae, barones, milites, nobiles, communitates ac ceteri christifideles, qui Fabiano, vicariis et substituendis praedictis in exercendo inquisitionis officio huiusmodi eo promptius auxilium, consilium et favorem praestent, quo se ex hoc dono coelestis gratiae refectos fore conspexerint, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui auxilium, consilium vel favorem ipsis Fabiano, vicariis et substituendis pro tempore in huiusmodi exercendo officio praestiterint, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, quod illas et prorsus similes peccatorum suorum remissionum et relaxationum indulgentias consequantur, quae alias in subsidium seu defensionem Terrae Sanctae

auxilium, consilium et favorem praestantibus hactenus per Sedem Apostolicam concessae fuerunt, non obstantibus *etc.* Ceterum, quia difficile foret *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, X kal. februarii, ... anno XIV.

861. Cecco de S. Iohanne Rotundo et Roberto de Milano, O. F. M., nuntiis papae, concedit facultates pro collectione pecuniarum in regno Siciliae ad expeditionem contra Turcos (1).

1445, ianuarii 23, Romae.

Dilectis filiis Cecco de S. Ioanne Rotundo et Roberto de Milano ordinis Minorum de observantia nuncupatorum professoribus, provinciae S. Angeli de regno Siciliae vicariis, et vestris in officio successoribus, nuntiis Nostris.

Pia mater *etc. (ut supra n. 852 p. 403)* et propterea ad partes provinciae S. Angeli, regni Siciliae, ipsiusque civitates, terras et loca nuntios Nostros ... vos personaliter destinemus *etc., ut supra.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, X kal. februarii, ... anno XIV.

862. Iohanni Nicolai de Opavia, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (2).

1445, ianuarii 23, Romae.

Dilecto filio Iohanni Nicolai de Opavia, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Volentes igitur te, qui presbyter est et, ut asseris, ordinem fratrum Minorum professus exsistis ac contra schismaticos et fidei christianae inimicos publice ac intrepide praedicare consuevisti, et pro quo dilectus filius nobilis vir Nicolaus, dux Apamae, Nobis super hoc humiliter supplicavit, praemissorum meritorum intuitu favore prosequi gratioso, ipsius ducis ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum ... recipere et ... retinere libere et licite valeas, quod ordinis Minorum professor exsistis ... nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia dispensamus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, X kal. februarii, ... anno XIV.

863. Annullat divisionem vicariae Bosnae et electionem Fabiani de Bachia, O. F. M., in vicarium Bosnae approbat (3).

1445, ianuarii 24, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Etsi ex debito sollicitudinis pastoralis *etc.* Cum itaque iam per centum annos et ultra eiusdem ordinis fratres de observantia nuncupati adeo omnipotenti Deo in partibus Bosnae, Hungariae, Croatiae, Dalmatiae, Bulgariae et Rasciae ceterisque finibus orientalibus et aquilonariis seu australibus gratum suum exhibuerint famulatum ad lucrifaciendas animas Christi sanguine redemptas, quod odor bonorum operum eorumdem per orbem diffusus multas fidelium mentes coelica suavitate repleverit, devotione pariter et affectione sanctimoniae spiritualis, sed heu, proh dolor! a paucis admodum ferme temporibus satore zizaniae procurante quaedam exorta gravis etiam Nobis ad audientiam relata est discordia inter fratres Hungaros ex una, et Bosnenses ceterosque Sclavos citra flumen Savae residentes ex altera partibus, quod ad divisionem venerint vicariorum ordinis praelibati in tantum, quod Hungari elegerint sibi vicarium pro seipsis, et Bosnenses et Sclavi alium sibi elegerint e converso, Nos igitur, attendentes, quod unio incrementum, divisio ut plurimum detrimentum solet afferre compendii salutaris, motu proprio, non ad ipsorum vel alicuius pro eis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra mera deliberatione, ex certa scientia, auctoritate apostolica tenore praesentium praedictas divisionem, scissuram et separationem, per quoscumque, quavis auctoritate praeditos et quomodocumque in dicta vicaria factas, procuratas vel intentatas, necnon quaecumque inde secuta revocamus, cassamus, irritamus et etiam annullamus nulliusque roboris vel momenti fore decernimus, volumus et mandamus ac vicariam ipsam Bosnae praedictam illiusque fratres praedictos quoad domos et loca citra et ultra flumen Savae ubicumque trans mare Adriaticum consistentia, necnon omnia et singula privilegia ... in eodem statu, in quo, antequam divisiones et separationes praedictae fierent, erant, quomodolibet emanata restituimus, reponimus et reintegramus. Propterea motu, scientia et auctoritate et tenore praedictis volumus, statuimus et ordinamus ac deinceps perpetuis futuris temporibus omnia et singula domos atque loca tam in Bosnae quam aliis provinciis sive regnis consistentia praedicta, quae omnia vicariae Bosnae vocari et nominari praecipimus, per unum vicarium regi

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 309.
(2) Reg. Lat. t. 414, f. 93 v.
(3) Reg. Vat. t. 376, f. 273; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, anno 168. De Fabiano de Bachia cf. n. 860, p. 411.

decernimus, cuius electio ad fratres huiusmodi vicariae, ipsius vero electionis confirmatio ad generalem ministrum praedicti ordinis pro tempore exsistentem spectent et pertineant, quique vicarius sic electus etiam ante confirmationem vicariatus huiusmodi officium libere exercere valeat ac vicario cismontano pro tempore exsistenti subsit, pareat et intendat, cuius auctoritate praedicti fratres vicariae eiusdem regantur et gubernentur, quodque, si minister generalis praedictus praefatam huiusmodi electionem, postquam illa sibi fuerit praesentata, infra triduum forsan recusaverit aut distulerit confirmare, dicta electio eo ipso dicta auctoritate apostolica confirmata sit et esse censeatur; ac sic in vicarium electus absque alia confirmatione officium vicariatus huiusmodi libere et licite valeat exercere; confirmantes praeterea harum serie electionem celebratam per dilectos filios eiusdem ordinis professores regni Hungariae in personam dilecti filii Fabiani de Bachia, dicti ordinis professoris, in tota et integra vicaria praelibata usque ad proximum futurum capitulum in eadem vicaria aequanimiter celebrandum, districtius inhibentes eidem generali ministro et praefatis ac aliis fratribus dicti ordinis necnon universis et singulis christifidelibus utriusque sexus, ecclesiasticis et regularibus ordinum quorumcumque, exemptis et non exemptis, ac laicalibus cuiuscumque etiam dignitatis, ... etiamsi regalis, reginalis, pontificalis, ducalis aut cuiuslibet alterius ecclesiasticae vel mundanae fuerint, ne contra restitutionem, repositionem, reintegrationem, voluntatem, statutum et ordinationem ac omnia alia et singula in praesentibus Nostris litteris contenta per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, quovis quaesito colore venire seu aliquid attentare praesumant, ac decernentes illos ex ipsis generali ministro, fratribus et fidelibus, qui contrarium fecerint, ut praefertur, excommunicationis sententiae, a qua nisi a Romano pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium obtinere nequeant, subiacere eo ipso, ac ex nunc irritum *etc.* Non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod per quascumque litteras apostolicas dicto generali ministro seu aliis sub quibusvis verborum formis quomodolibet concessas vel in posterum concedendas praesentes litterae et in eis contenta huiusmodi nullatenus intelligantur revocata. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IX kal. februarii, .. anno XIV.

864. Commendat Bartholomaeum de Fulgineo, Seraphinum de Sicilia et Laurentium de Palermo, O. F. M. [1].

1445, ianuarii 25, Romae.

Universis et singulis charissimis in Christo filiis quorumcumque regnorum regibus, venerabilibus quoque fratribus archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, plebanis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum praelatis eorumque vices gerentibus ac capitulis et conventibus et aliis personis ecclesiasticis, Cistercien., Cluniacen., Praemonstraten., SS. Benedicti et Augustini ac aliorum quorumcumque ordinum, necnon magistris et praeceptoribus ac fratribus B. Mariae Theutonicorum et Calatraven., necnon marchionibus, comitibus et baronibus ac aliis nobilibus, potentibus, insuper capitaneis, rectoribus, consulibus, antianis, consiliis, populis, communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum ac universis et singulis, ad quos praesentes litterae pervenerint.

Post graves expensas diutinosque labores a Nobis perpessos in Graecorum unione primo et postea in Armenorum, Iacobitarum, Maronitarum, Aethiopum, Bosnensium et aliorum diversae nationis populorum reductione ad sincerum fidei catholicae cultum non parva Nobis impensa opus fuit, ut legatum Apostolicae Sedis anno nunc tertio mitteremus ad inducias in regno Hungariae constituendas, quarum occasione factum est, ut charissimus in Christo filius Noster Hungariae et Poloniae rex post multas victorias de Turcis, Christi hostibus, habitas illos iam, ut speramus, Europae partibus expulerit. Quod quidem nulla ratione idem rex potuisset efficere, nisi classis Nostra, quam magna cum impensa Nostra duxit ad strictum Gallipolis dilectus filius cardinalis Venetiarum, nepos Noster, prohibuisset alios Turcos opem illis ex Asia allaturos. Nunc vero alia premimur expensa Nostros humeros superante mittendi aliam classem ad defensionem Rhodi aliorumque locorum a christianis possessorum in mediterraneo mari a perfidis Saracenis, qui post binum insultum in Rhodienses factum novam parant classem, cum qua minantur non solum Rhodi loca, sed omnes alios christianos usque in Italiam invasuros, quaeque classis Nostra, quam praedicta ratione paramus, non solum Saracenos a Rhodo et aliis christianorum locis repellere, sed uno eodemque in negotio posset Terrae Sanctae ab

---

[1] Reg. Vat. t. 376, f. 272v; t. 377, f. 188v; Wadd. *Ann.* ad a. 1444, n. 45. Cf. supra n. 854 *b)* p. 407.

illorum perfidia liberandae principia modumque exhibere, cuius liberationis dante Domino obtinendae talem tantamque spem habemus, quae vos omnes honoris Dei nostri et propagationis fidei christianae avidos debeat merito laetosque facere. Cupientes itaque, quod vestrum omnium devotio tanti meriti particeps efficiatur, commisimus aliqua dilectis filiis fratribus Bartholomaeo de Fulgineo, commissario dilecti filii fratris Iohannis de Capistrano, Seraphino de Sicilia et Laurentio de Palermo, ordinis Minorum, qui dicuntur pauperes sive de observantia regulari, per seipsos aut alios vobis referenda, quibus velit unusquisque vestrum fidem in dicendis per se aut nuntios plenariam praestare et favores pro facultatum opumque et potentiae qualitate liberaliter exhibere, inhibentes expresse sub excommunicationis latae sententiae poena omnibus et singulis praelatis, ad quorum dioecesim sive praesentiam praedictos fratres Bartholomaeum, Seraphinum et Laurentium ac ab eis substituendos contingeret declinare, ne ipsis aliqualiter contradicant aut aliter sint molesti.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VIII kal. februarii, ... anno XIV.

865. Matthaeum de Regio, O. F. M. de observantia, vicario provinciae Apuliae, nuntio papae in provincia Apuliae pro collectione pecuniarum ad expeditionem contra Turcos, concedit facultates [1].

1445, ianuarii 27, Romae.

Dilecto filio Matthaeo de Regio, ordinis Minorum de observantia nuncupatorum professori, vicario provinciae Apuliae de regno Siciliae, nuntio Nostro, ac tuis in officio successoribus.

Pia mater ecclesia *etc. (ut supra n. 852, p. 403)* et propterea in partibus provinciae Apuliae, regni Siciliae, ipsiusque civitatibus, dioecesibus, terris et locis te et tuos in officio successores nuntios Nostros et Apostolicae Sedis pro huiusmodi causa deputamus *etc. (ut ibidem).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VI kal. februarii, ... anno XIV.

866. Fratres loci S. Pauli extra moenia Bononien., O. F. M. de observantia, a solutione 2 bononinorum pro ecclesia S. Petronii et datiorum eximit [2].

1445, ianuarii 27, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ad ea, per quae religiosorum *etc.* Sane exhibita Nobis, nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum loci S. Pauli extra et prope moenia urbis Nostrae Bononien., ordinis beati Francisci de observantia nuncupatorum, petitio continebat, quod sive ex statuto civitatis sive ex concessione apostolica de omnibus relictis ad pias causas, etiam pro celebrandis missis in subsidium animarum, sive alia ratione ipsi fratres, quando fiunt suo loco huiusmodi relicta et legata, coguntur ad solvendum ecclesiae S. Petronii Bononien. duos bononinos pro libra, pariterque, quando aliquid extra portam civitatis praedictae deferri faciunt aut intra illam portari, sive ad victum et usum familiae necessarium sive ad fabricarum structuram, coguntur ad solvendum datia ordinaria cuilibet imposita. Quare, volentes ipsorum religiosorum in hac parte supplicationibus satisfacere, eosdem et locum praedictum habitaturosque in illo futuris temporibus, in regulari observantia perseverantes, ab omnibus et singulis supradictis duorum bononinorum pro libra et datiorum ordinariorum solutionibus auctoritate apostolica tenore praesentium absolventes, praecipimus et mandamus omnibus et singulis dictae civitatis officialibus praesentibus et futuris, quatenus praedictos fratres et locum ac in eo habitaturos nullatenus praedictorum occasione molestetis aut alias inquietetis. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VI kal. februarii ... anno XIV.

867. Dominico Laurentii de Urbe, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum in Urbe [3].

1445, ianuarii 27, Romae.

Dilecto filio Dominico Laurentii de Urbe, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Tuis itaque in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, qui, ut asseris, ordinem fratrum Minorum expresse professus exsistis ac per plures annos in diversis generalibus studiis in sacra theologia cum labore et expensarum onere studuisti adeo, quod licentiae gradum et magistri insignia recipere meruisti recepissesque, nisi quadam infirmitate, in qua pro sanitate recuperanda libros et patrimonialia bona quamplurima consumpsisti, gravatus fuisses, ut etiam extra domos et loca praefati ordinis honeste commorando, dummodo in eius incedas habitu regulari, quodcumque saeculare beneficium ecclesiasticum curatum, in alma Urbe dumtaxat consistens, ... recipere et quoad

---

[1] Reg. Vat. t. 376, f. 297. Cf. supra n. 566, p. 267. Eug. IV, n. 169.

[2] Reg. Vat. t. 376, f. 268; Wadd. *Reg. pont.*

[3] Reg. Lat. t. 414, f. 69.

vixeris retinere ... valeas, professione huiusmodi ac quibuscumque ... nequaquam obstantibus ... indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VI kal. februarii, ... anno XIV.

868. Vicario et fratribus vicariae Bosnae concedit ampliores facultates, praesertim pro partibus Scythiae, Moldaviae et Septem Sedilium Siculorum (Transsilvaniae) (1).

1445, ianuarii 29, Romae.

Dilectis filiis vicario et fratribus vicariae Bosnae nuncupatis, ordinis Minorum, praesentibus et futuris.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Attendentes igitur, quod vos, qui in partibus praesertim septentrionalibus honorem et propagationem christiani nominis diligenter ac fideliter prosecuti estis et in dies prosequimini, etiam in Scythiae, in quibus paganorum multitudo consistit, ad quas partes suffulti auctoritate apostolica pro lucrifaciendo Christo animas et innumerabiles populos gremio sanctae matris ecclesiae uniendos, dum tempus exstiterit opportunum, sicut accepimus, omni postposito timore libenter intenditis seu aliqui vestrum intendunt proficisci, et in Moldaviae, in quibus tam a longis temporibus pestiferum virus schismatis, quod adhuc nonnullos illarum partium populos, qui ad Romanae ecclesiae unitatem nuper redierunt, inficere non desinit, quam a paucis temporibus citra haereticae pravitatis et potissime Hussitarum letifera pestis in maximum christianae fidei detrimentum quamplura germinarunt perversa germina, quae dietim, nisi desuper opportune provideatur, abundantius succrescent, ac in Septem Sedilibus Siculorum partibus, in quibus, licet haereticae pestis huiusmodi notorie non appareat, propter tamen ecclesiasticarum personarum curae animarum intendere debentium paucitatem necnon dioecesani nimiam distantiam ab eisdem populi quasi doctrinae christianae fidei, cum ibidem admodum pauci vel quasi nulli sint, qui illis verbum divinum annuntient, in dies magis redduntur ignari, pro fidei huiusmodi necnon divini cultus et religionis augmento plurima labores et studia fructuosa impendere poteritis et libenti animo impendetis, ut eo ferventius ipsis laboribus et studiis insistere valeatis, quo vos apostolicis favoribus et gratiis amplioribus per Nos et Sedem praedictam noveritis circumfultos, ac inhaerentes nonnullis gratiis et indultis, per Nos quondam Dionysio de Vylac, vestri ordinis professori et in dictis [partibus] Scythiae, Moldaviae et Septem Sedilibus Siculorum inibi commissario Nostro, ab eo pro tempore substitutis dudum concessis, motu proprio, non ad vestram vel alicuius pro vobis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra mera deliberatione, ex certa scientia, auctoritate apostolica tenore praesentium omnia et singula in eisdem Scythiae, Moldaviae et Septem Sedilibus Siculorum partibus exsistentia et, quae imposterum erunt, necnon Budae et Pest ac Zegedini atque Fori Siculorum et ubilibet consistentia, quae venerabilis frater Noster Iulianus, episcopus Tusculan., in certis partibus dictae Sedis legatus, vobis iam assignavit et imposterum forsan assignabit alia, conventus, domos et loca dicti ordinis, quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, cum omnibus personis, privilegiis, gratiis et indultis, iuribus et pertinentiis suis praefatae vicariae in perpetuum subiicimus, unimus et incorporamus, ita quod sic subiecta, unita et incorporata ac in eis pro tempore degentes fratres omnibus et singulis exemptionibus, immunitatibus, privilegiis, indulgentiis, gratiis, indultis in specie seu genere per Nos vel Sedem praedictam aliis domibus et locis dictae vicariae ipsorumque fratribus hactenus quomodolibet concessis seu imposterum concedendis utantur et gaudeant ac uti et gaudere possint, necnon dilectum filium Fabianum de Bachia (2) ac omnes alios et singulos vicarios dictae vicariae, qui pro tempore erunt, et ab eis pro tempore substitutos tam in subiectis, unitis et incorporatis praedictis quam aliis conventibus domibus et locis praefatae vicariae, Nostros et successorum Nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium, qui pro tempore erunt, ac Sedis praedictae commissarios facimus, constituimus ac etiam deputamus ipsisque Fabiano, vicariis et substitutis, quod Nostro et successorum Nostrorum ac Sedis praefatae nominibus in omnibus et singulis subiectis, unitis, incorporatis et aliis conventibus, domibus ac locis vicariae praefatis eorumque personis illas prorsus et similes ac easdem in omnibus tam gratiam quam iustitiam concernentibus et aliis quibuscumque omnimodam iurisdictionem, potestatem et facultatem habeant et exercere possint, quas generalis minister dicti ordinis pro tempore exsistens in illis habet et, si in dictis partibus praesens foret, habere et exercere posset; praeterea, quod Fabianus seu vicarius pro tempore et substituti praedicti ac omnes et singuli fratres in ipsis

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 285 v.; Wadd. *Ann.* ad a. 1444, n. 43. (2) De eo cf. sup. n. 863, p. 413.

Scythiae, Moldaviae et Septem Sedilibus Siculorum partibus pro tempore commorantes omnium ac singulorum fidelium, et, si ad christianam fidem converti voluerint ac conversi et baptizati fuerint, infidelium, ad eos pro tempore undecumque confluentium, confessiones audire et pro commissis ab eis etiam quantumcumque gravibus et enormibus criminibus et delictis, etiamsi simoniae vel alias talia fuerint, propter quae Sedes ipsa sit merito consulenda, debitam absolutionem impendere et poenitentiam iniungere salutarem necnon illos a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, tam a iure quam ab homine latis et promulgatis, etiam in dictae Sedi reservatis casibus, in forma ecclesiae consueta, iniunctis sibi pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, absolvere et cum eis super quibuscumque irregularitatibus homicidii voluntarii, bigamiae et mutilationis membrorum casibus dumtaxat exceptis dispensare omnemque ab ipsis inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per eos quomodolibet contractam penitus abolere ac illis eucharistiae, baptismatis, chrismatis seu confirmationis, extremae unctionis et alia ecclesiastica sacramenta ministrare, apostatas a fide seu religione ad poenitentiam salutarem et habitum suae religionis necnon alias ad plenariam ipsorum reconciliationem recipere et admittere necnon omnia alia iura parochialia eis ministrare, regere et exercere, capellas quoque, altaria necnon calices et paramenta ecclesiastica, oleum sanctum et chrisma conficere et benedicere ac reconciliandas ecclesias et reconcilianda coemeteria reconciliare, de matrimonialibus et aliis spiritualibus causis cognoscere illasque decidere et in eis illam prorsus iurisdictionem habere et exercere, quam dioecesanus episcopus, si ibidem esset, haberet ac exercere posset, cum schismaticis quoque, haereticis, excommunicatis, interdictis quibuscumque, quantumcumque notoriis, nisi Fabianus et vicarius pro tempore aut substituti praedicti eos vitari mandaverint, in quibuscumque eorum negotiis etiam in divinis officiis et extra, dum tamen in crimine non participent, participare, et insuper, ut vestrorum bonorum operum fructus valeant peramplius propagari, quod Fabianus et vicarius pro tempore et substituti praedicti non modo in dictis Scythiae, Moldaviae et Septem Sedilibus Siculorum partibus, quae vicariae praedictae subiecimus, annexuimus et incorporavimus, ut praefertur, non modo iam constructa ad observantiam praedictam reducere, sed etiam alia conventus, domos et loca unum, duo, tria et plura ac tot, quot ipsi vicario expediens videbitur, pro vestris usu et habitatione de novo acquirere et in eis ecclesias cum campanilibus, campanis, coemeteriis, dormitoriis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis fundare et construere, praeterea quotienscumque confessor seu confessores, quem vel quos vos et vestrum quilibet praesentes et futuri pro tempore de dicti vicarii vel inferioris superioris vestri, si eius copia commode haberi poterit, licentia duxeritis ac duxerit eligendum seu eligendos, vestras et vestrum cuiuslibet confessiones audire ac pro commissis criminibus, excessibus et delictis, etiam in reservatis praedictae Sedi casibus, vobis et cuilibet vestrum debitam absolutionem impendere ac iniungere poenitentiam salutarem, necnon vos et quemlibet vestrum a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris et poenis, a iure seu ab homine promulgatis, etiam in casibus praefatae Sedi reservatis, quotiens similiter opportunum fuerit, absolvere et cum vobis ac vestrum quolibet super irregularitatibus, si quas huiusmodi sententiis ligati missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium celebrando aut immiscendo se illis, seu alias quomodocumque contractis, voluntarii homicidii, mutilationis membrorum et bigamiae casibus praedictis dumtaxat exceptis dispensare omnemque a vobis et quolibet vestrum inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per vos et quemlibet vestrum quomodolibet contractam abolere necnon vobis in sinceritate fidei, unitate sanctae Romanae ecclesiae et devotione Nostra ac successorum Nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus plenariam remissionem in mortis articulo, quam etiam quemlibet vestrum, quem in huiusmodi articulo confessoris copiam non habere contingit, dummodo in vera contritione decedat, consequi volumus, concedere valeant, et insuper, quod fratres vicariae praedictae, qui sunt et pro tempore erunt idonei ad annuntiandum verbum Dei, cum licentia tamen Fabiani aut vicarii pro tempore huiusmodi, qui etiam absque capitulari congregatione de consilio aliquorum fratrum discretorum, quotiens opus fuerit, eos instituere et destituere possit, verbum Dei publice tam in vestris quam aliis ecclesiis et locis publicis civitatum, terrarum et locorum praefatae vicariae ordinariorum locorum, praelatorum ecclesiarum et aliorum quorumcumque licentia desuper nullatenus requisita publice proponere, ita tamen, quod, si in metropolitanis aut aliis cathedralibus seu collegiatis vel aliquorum ordinum ecclesiis praedicare voluerint, praelatorum eorumdem licentiam obtinere teneantur, quod-

que vos et quilibet vestrum ex transgressione quarumcumque constitutionum praedicti ordinis praesentium et futurarum, dummodo, in quantum fragilitas humana patitur, regulam dicti vestri ordinis studeatis observare, peccatum aliquod minime incurratis; praeterea omnibus et singulis christifidelibus, qui de bonis sibi a Deo collatis unum pro centenario, id est centesimam partem, bonorum suorum pro liberatione fidelium captivorum de manibus infidelium seu pro erectione et manutentione domorum et locorum in Scythiae, Moldaviae et Septem Sedilibus Siculorum partibus praedictis dumtaxat pro tempore consistentium et sustentatione vitae fratrum, qui ad infidelium et praesertim dictas Scythiae partes transire voluerint, pie erogaverint, quod confessores saeculares et regulares, etiam ex vobis, quos duxerint eligendos, confessionibus eorum diligenter auditis eis pro commissis ab ipsis excessibus, criminibus et delictis in omnibus, etiam praefatae Sedi reservatis casibus, semel tantum debitam absolutionem impendere et iniungere poenitentiam salutarem necnon eis in sinceritate, unitate et devotione praedictis persistentibus plenariam remissionem in mortis articulo concedere valeant, ita tamen, quod confessores ipsi de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam dictis fidelibus per eos, si supervixerint, vel successores suos, si tunc forte transierint, faciendam iniungant, quam dicti fideles vel successores facere teneantur, quodque per unum annum a tempore, quo sibi concessio huiusmodi concessa fuerit, singulis sextis feriis impedimento legitimo cessante ieiunent, *etc.* Porro si forsan *etc.* Volumus autem *etc.* quodque per quascumque litteras apostolicas dicto generali ministro seu aliis quoquomodo concessas vel imposterum concedendas gratiae, indulta et alia supradicta nullatenus intelligantur revocata. Non obstantibus *etc.* Praesentibus, quoad sub observantia huiusmodi vixeritis, dumtaxat valituris. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IV kal. februarii, ... anno XIV.

869. Fratribus O. F. M. de observantia provinciae S. Antonii concedit speciales facultates pro cura fratrum et sororum III O. S. Fr. (1).

1445, ianuarii 29, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Exposcit dilectorum filiorum vicarii et fratrum provinciae S. Antonii iuxta morem ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum *etc.* Hinc est, quod Nos pro religionis augmento necnon animarum christifidelium salutis profectu, non ad ipsorum vicarii et fratrum vel alterius pro eis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, moderno et qui pro tempore erunt, vicariis dictae provinciae, quod ipsi vicarii per se vel alium seu alios, quem seu quos ipsi ad hoc pro tempore duxerint deputandum vel deputandos, a quibuscumque utriusque sexus christifidelibus in partibus Fori-Iulii, Aquileien. dioec., pro tempore commorantibus, professionem per fratres et sorores tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, per fel. rec. Nicolaum papam IV, praedecessorem Nostrum, approbati, emitti solitam emittere volentibus recipere et admittere eisque regularem habitum per fratres ac sorores praedictos gestari solitum exhibere et illas ex personis feminei sexus dicti tertii ordinis, quae nulla sufficienti desuper licentia suffultae in Udino et Civitatis Austriae terris insimul habitantes aliqua loca pro earum usu et habitatione receperunt, ab excommunicatione aliisque sententiis, censuris et poenis, si quas propterea incurrerunt, absolvere in forma ecclesiae consueta iniunctis pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, eisque, quod iam recepta retinere et aliis similiter praedicti sexus personis, quod in praedictarum Udino et Civitatis Austriae terris praedictorum fratrum et sororum dicti tertii ordinis inhabitationes, domos atque loca cum oratoriis, dormitoriis aliisque pro earum usu et habitatione necessariis officinis de novo construere seu iam constructa vel eisdem concessa recipere, dummodo iam recepta aut recipienda domus atque loca ultra quatuor numero non exsistant, necnon quod confessor seu confessores dicti ordinis Minorum de observantia, quem seu quos utriusque sexus personae, quae professionem tertii ordinis huiusmodi pro tempore emiserint, seu illarum quaelibet pro tempore duxerint vel duxerit eligendum seu eligendos, earum confessionibus diligenter auditis, illis omnibus in reservatis semel tantum, in non reservatis vero Sedi Apostolicae casibus, quoties fuerit opportunum, debitam absolutionem impendere et iniungere poenitentiam salutarem; ipsisque omnibus dioecesani loci et proprii sacerdotis, cuius licentiam super hoc paschali tempore dumtaxat dictae personae petere teneantur, licet eam non obtineant, super iis licentia nullatenus requisita, eucharistiae sacramentum ministrare ac dictis personis illarumque singulis, eis in sinceritate fidei, unitate

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 274 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 148.

S. Romanae ecclesiae ac devotione Nostra et successorum Nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus, plenam remissionem in mortis articulo valeat seu valeant concedere, ita tamen, quod confessor seu confessores huiusmodi de iis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam dictis personis per eas, si supervixerint, vel haeredes seu successores suos, si tunc transierint, faciendam iniungant, quam dictae personae aut haeredes vel successores facere teneantur. Et ne (quod absit) dictae personae per huiusmodi concessionis plenariae gratiam procliviores reddantur ad illicita in posterum committenda, volumus, quod, si ipsae dicti tertii ordinis personae ex confidentia remissionis huiusmodi forsan committerent, quoad illa ipsa remissio nullius sit roboris vel momenti; quodque praefatae personae per unum annum a tempore, quo concessionis huiusmodi notitiam habuerint, singulis sextis feriis impedimento cessante legitimo ieiunent *etc.* Et insuper, quod vicarii et ab eis pro tempore deputati praedicti ad omnium personarum praedictarum tertii ordinis huiusmodi regimen et gubernationem praesidentes, visitatores et alios officiales quoscumque, prout ipsis vicariis ac deputatis pro dictarum personarum animarum salute opportunum fore videbitur, instituere et deputare ac etiam illos nullo iuris ordine observato ad ipsorum nutum destituere et removere libere et licite valeant, ... indulgemus. Volumus autem, quod per quascumque litteras apostolicas generali ministro dicti ordinis Minorum pro tempore exsistenti seu aliis quoquomodo concessas vel in posterum concedendas, praesentes litterae nullatenus intelligantur revocatae. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IV kal. februarii, ... anno XIV.

870. Concedit easdem facultates (ut num. praec.) fratribus O. F. M. de observantia vicariae Bosnae pro cura fratrum et sororum III O. S. Fr. atque confraternitatum a fratribus eiusdem vicariae fundatarum (1).

1445, ianuarii 31, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Exposcit dilectorum filiorum vicarii et fratrum vicariae Bosnae iuxta morem ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum *etc. (ut num. praec. usque ad)* utriusque sexus christifidelibus in quibuscumque partibus seu locis, ad quas vel ad quae dicta vicaria extenditur, pro tempore commorantibus *etc. (ut ibidem usque ad)* illas ex personis feminei sexus dicti tertii ordinis, quae nulla sufficienti desuper licentia suffultae in Hungariae partibus insimul habitantes, *etc. (ut supra usque ad)* et aliis similiter praedicti sexus personis, quod duo, tria et plura ac tot alia domos atque loca, quot ipsis vicariis expediens videbitur, cum oratoriis, dormitoriis ... officinis ubilibet in dicta vicaria denuo construere seu iam constructa vel sibi concessa recipere, confraternitates etiam seu societates pietati idoneas iuxta morem praesertim Italicum, vulgariter Verberatorum seu Flagellatorum nuncupatas, cum opportunis constitutionibus ordinare et ordinatas absque quorumvis praelatorum ecclesiasticorum vel alterius dignitatis contradictione, quibus, ut in talibus desistere debeant, apostolica auctoritate harum serie prohibemus ac interdicimus, in suis devotionibus ac piis operibus fovere *etc.* Necnon quod confessor seu confessores *etc. (ut supra, comprehensis tamen confraternitatibus)* ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, pridie kalendas februarii, ... anno XIV.

871. Francisco de Agropoli, O. F. M. de observantia, vicario provinciae Terrae Laboris, nuntio papae in provincia Terrae Laboris de regno Siciliae pro collectione pecuniarum ad expeditionem contra Turcos, concedit facultates (2).

1445, februarii 1, Romae.

Dilecto filio Francisco de Agropoli, ordinis Minorum de observantia nuncupatorum professori, vicario provinciae Terrae Laboris de regno Siciliae, nuntio Nostro.

Pia mater *etc. (ut supra n. 852, p. 403),* et propterea in partibus provinciae Terrae Laboris de regno Siciliae eiusque civitatibus, dioecesibus, terris et locis te et successores tuos in officio huiusmodi nuntios Nostros facimus *etc. (ut ibidem et in nota 2, p. 403).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, kalendis februarii, ... anno XIV.

872. Seraphino de Sicilia et Laurentio de Panormo, O. F. M., dat ampliores facultates (3).

1445, februarii 1, Romae.

Dilectis filiis fratribus Seraphino de Sicilia, ordinis fratrum Minorum, qui de observantia nuncupantur, professori, ac Laurentio de Pa-

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 284; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 170.

(2) Reg. Vat. t. 376, f. 304 v. Cf. supra n. 851, p. 402 nota.

(3) Reg. Vat. t. 377, f. 177 v. Eadem bulla repetitur ibidem f. 179 v, ubi tamen in inscriptione praemittitur nomen Laurentii de Panormo, de quo cf. supra n. 864, p. 414.

normo, devotorum locorum eorumdem fratrum provinciae Siciliae vicario, ac successoribus eius.

Cum per alias Nostras certi tenoris litteras (1) vos in Trinacriae sive Siciliae, Liparis ac Maltae insulis Nostros instituerimus commissarios atque nuntios ad quaerenda a christifidelibus auxilia pro armanda classe adversus Saracenos, perfidissimos Christi hostes, ducenda et ad alia perficienda, quae ad laudem Dei et amplitudinem tutelamque et conservationem nominis christiani videntur plurimum adiutore Domino profutura, in praedictisque apostolicis litteris nonnullas concesserimus facultates gratiarum illis impartiendarum, qui manus porrigerent adiutrices, Nos, cupientes, ut huiusmodi commissiones Nostras eo efficacius et uberius adimplere possitis, quo maiore a Nobis eritis auctoritate muniti, devotioni vestrae et vestrum singulis et a vobis deputandis, prout in superioribus litteris continetur, cum illegitime ex quocumque damnato coitu genitis utriusque sexus, ut eodem defectu et Pictavien. concilii et quibuscumque constitutionibus apostolicis et statutis municipalibus nequaquam obstantibus in quibuscumque bonis parentum, agnatorum et cognatorum suorum, absque tamen praeiudicio illorum, qui in bonis huiusmodi personis ea relinquentibus ab intestato succedere deberent, [succedere] necnon ad honores, dignitates et officia saecularia promoveri, eligi et assumi ac illa exercere libere et licite valeant, et cum utriusque personis sexus, quae primo et secundo affinitatis gradu ac cum illis, quae spirituali affinitate, non tamen filiali coniunctae scienter ob simplicem fornicationem matrimonium contraxerunt et eam carnali copula consummarunt, iniuncta poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, ut impedimentis, quae ex affinitate huiusmodi perveniunt, non obstantibus in sic contracto matrimonio licite remanere valeant, dummodo mulieres ipsae propter hoc raptae non fuerint, dispensandi ac prolem ex ipsis matrimoniis susceptam et suscipiendam legitimam denuntiandi et eisdem utriusque sexus personis partium praedictarum, de quibus vobis videbitur, ut confessor, quem ipsarum quaelibet duxerit eligendum, eis ... omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et opere confessi fuerint, semel tantum in vita et in mortis articulo plenam remissionem auctoritate apostolica concedere valeat, sic tamen, quod idem confessor, de iis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda *etc.* Et ne, quod absit, personae ipsae propter huiusmodi gratiam reddantur procliviores *etc.* Et insuper, quod per unum annum a tempore, quo huiusmodi concessio sibi per vos facta fuerit et ad suam pervenerit notitiam, computandum singulis sextis feriis *etc.* Insuper devotioni vestrae, ut illarum partium praelatos et auxilium brachii saecularis requirere et implorare possitis ad fratres, qui dicuntur de Mercede, ac alios quoscumque falsificatis litteris apostolicis utentes et pariter eos, qui veris litteris apostolicis per Nos concessis et postea suspensis uti vellent, capiendum et retineri faciendum atque puniendum et bona praedictorum, qui falsis litteris Nostris usi essent, ubicumque reperiantur, arrestare et pro Nobis accipere valeatis; insuper, ut quoscumque fratres vestri ordinis, de quibus vobis videbitur, ut absque superioris eorum licentia ea faciant in praedictis, quae vos eis duxeritis ordinanda, cogere valeatis, plenam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, volentes, quod de summa pecuniarum, quam superiorum gratiarum ratione vos aut substituendos a vobis percipere contigerit, quarum pecuniarum pro ipsis gratiis impendendis summam et quantitatem vestro arbitrio et secundum vestram conscientiam pro qualitate personarum, quibus concedentur, praefigendam relinquimus atque constituendam, venerabilem fratrem Nostrum Marcum, patriarcham Alexandrinum, quem maritimae classi adversus soldanum et alios infideles praedictos ducendae praefecimus ac ipsum legatum cum potestate legati de latere pronuntiavimus, aut ab eodem legato deputandos certificare procuretis, vel a vobis deputandi procurent summamque praedictam *etc. (ut supra n. 851 in fine).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, kalendis februarii, ... anno XIV.

873. Fratribus O. F. M. de observantia vicariae Bononiae et Romandiolae concedit facultatem recipiendi ecclesiam S. Laurentii extra muros civitatis Caesenaten. (2).

1445, februarii 1, Romae.

Dilectis filiis fratribus vicariae Bononiae et Romandiolae, ordinis Minorum de observantia regulari.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Hinc est, quod dilectorum filiorum nobilis viri Malatestae Novelli de Malatestis, Nostrae civitatis Caesenae in temporalibus vicarii Nostri, et populi ac communis dictae civitatis, ... cupientium, prout Nobis significare curarunt, fratres vestri ordinis in

(1) Vide supra n. 854 *b).* (2) Reg. Vat. t. 376, f. 276; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 171.

aliquo loco habere, supplicationibus inclinati, audito, quod extra et prope muros dictae civitatis est quaedam S. Laurentii ecclesia, olim monasterium ordinis S. Benedicti vocata, quod monasterium propter guerras praeteriti temporis iampridem derelictum ecclesiae cathedrali dictae Caesenae univimus, et quam ecclesiam S. Laurentii venerabilis frater episcopus, qui nunc est, vobis concedi contentatur et optat, devotioni vestrae, ut praedictam S. Laurentii ecclesiam capere et ipsa campanile, campanas et coemeterium retinente circa eamdem domos et alias officinas pro vestro loco, usu et habitatione vestra ac fratrum dicti ordinis instituere, facere et construere et inibi sub regularibus institutis vestri ordinis Altissimo famulari necnon missas et alia divina officia celebrare ac verbum Dei praedicare libere et licite valeatis, ordinarii ... consensu minime requisito, iuribus *etc.* salvis licentiam et plenariam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et nihilominus vobis, ... ut omnibus et singulis privilegiis *etc.*, non obstantibus quibuscumque. Verum, quia dicta S. Laurentii ecclesia certa territoria circa se habere dicitur, quibus totis vos minime indigetis, volumus, quod fratres ex vestris, qui ad capiendum dictum locum accedent, vocato venerabili fratre Nostro episcopo Caesenaten. et dilecto filio Christophoro, canonico Caesenaten., ac duobus civibus sibi a communitate assignatis eam dictorum territoriorum partem, quae aut pro officinis construendis aut pro horto, domo et loco praedictis videbitur necessaria, etiam capiant et cum certis affixis terminis ad partem designent, ut perpetuo cognosci possit ipsa territorii pars ad vestrum locum spectans, separata ab aliis praedictis territoriis, quae cum bonis olim monasterii S. Laurentii volumus remanere. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, kalendis februarii, ... anno XIV.

874. Mandat, ut Fabiano de Bachia et fratribus vicariae Bosnae, O. F. M. de observantia, in officio inquisitionis auxilium et favorem praestent [1].

1445, februarii 16, Romae.

Charissimis in Christo filiis regibus et charissimis in Christo filiabus reginis ac venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis necnon dilectis filiis abbatibus et aliis ecclesiasticis praelatis ac personis et voyvodis, principibus, baronibus, nobilibus, civitatum communitatibus ac terrarum, castrorum, oppidorum, villarum aliorumque locorum universitatibus, eorum civibus, incolis et habitatoribus universis Moldaviae, Valachiae, Bulgariae et Rasciae aliorumque regnorum et partium ubilibet consistentium, ad quos praesentes litterae seu eorum transsumpta pervenerint.

Inter desiderabilia cordis Nostri illud intentis desideriis affectantes, ut vinea Domini Sabaoth, ad cuius curam et custodiam sumus, licet immeriti, constituti, debitum reddat suis temporibus fructum, libenter eius culturae intendimus et ad eam vigiles ac fideles operarios transmittimus, per quorum sollicitudinem diligentem et diligentiam sollicitam vinea ipsa ab omni mundana sorde purgata in conspectu regis aeterni se gaudeat devictis hostibus triumphasse. Ineffabili siquidem divinae maiestatis clementia efficere dignata est, ut nostris temporibus Graeci, Armeni et Iacobini a ritu Romanae ecclesiae dissidentes iteratis disputationibus per gravissimos in theologia magistros tam divini quam humani iuris doctores hinc inde editis Nobis in Ferrariensi et Florentino oecumenico concilio praesidentibus Nobiscum et cum ipsa ecclesia in eadem divinae veritatis sententia unirentur ac doctrinam SS. Patrum necnon evangelicam veritatem, quam semper praedicta ecclesia tenuit, docuit et praedicavit ac tenet, docet et praedicat, debita cum reverentia acceptarent. Quorum exemplo provocati nonnulli alii orientales populi, postquam ad almam Urbem redivimus, Spiritus sancti lumine illustrati, huiusmodi salutarem et veram praefatae ecclesiae doctrinam eiusque sancta dogmata praecipuis devotione et reverentia complexi fuere. Est quippe ineffabilis haec Dei omnipotentis misericordia, quae nullo modo explicari potest. Hac nimirum misericordia, qua mensura penitus carente effectum est, ut Graecorum natio, quae sub atrocissimo Turcarum iugo et immani eorum tyrannide languebat et iam prope exstincta fuerat, per terrestrem, cui venerabilis frater Noster Iulianus, episcopus Tusculanen., et maritimum fidelium exercitum, cui dilectus filius Noster Franciscus, tituli S. Clementis presbyter cardinalis, S. Romanae ecclesiae vicecancellarius, Apostolicae Sedis legati, praesunt, fere liberata esse dignoscitur, inducti pariter et confisi ac sperantes, quod illa uberiorem dexterae suae clementiam porrigente quaelibet errantes oves ad unum ovile reducantur, attendentes quoque, quod dilecti filii Fabianus de Bachia, vicarius, et fratres vicariae Bosnae nuncupati, ordinis fratrum Minorum regularis observantiae,

[1] Reg. Vat. t. 377, f. 4v; Wadd. *Ann.* ad a. 1444, n. 41. Cf. supra n. 868, p. 416.

qui in partibus praesertim septentrionalibus honorem Dei et propagationem christiani nominis diligenter ac fideliter prosequentes, pro orthodoxae fidei necnon divini cultus et religionis augmento plurimos labores et studia fructuosa impendere poterunt ac libenti animo impendent, ipsos Fabianum ac illius successores, qui pro tempore erunt, vicariae vicarios in Hungariae, Bosnae, Moldaviae, Valachiae, Bulgariae, Rasciae necnon Sclavoniae ac omnibus et singulis regnis seu partibus, ad quae seu quas vicaria Bosnae huiusmodi se extendere dignoscitur, inquisitorem et inquisitores haereticae pravitatis perpetuo fecimus et etiam deputavimus, ut facilius populos illarum partium ad divini nominis cognitionem ac praefatae ecclesiae unitatem reducere et errantes ab erroribus revocare possent, quam plurima diversa eis gratias, concessiones, facultates et indulta, praesertim divinum cultum et animarum salutem concernentia, concessimus per diversas Nostras litteras, prout in illis, quarum tenores de verbo ad verbum praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Cupientes igitur, ut Fabianus et alii vicarii ac fratres praedicti pro tempore exsistentes, quibus etiam tenore praesentium iniungimus, ut sanctissimam Graecorum, Armenorum, Iacobinorum et aliorum populorum cum Romana ecclesia unionem huiusmodi in regnis seu partibus praedictis publice nuntient et praedicent ac quoscumque non recte de fide sentientes seu alios diversis erroribus inquinatos ad huiusmodi unionis susceptionem verbo et exemplo, prout illis Spiritus sanctus suggesserit, exhortentur in Domino et requirant, ut abiectis penitus erroribus praefatae ecclesiae doctrinam et SS. Patrum dogmata praecipua devotione et reverentia suscipiant ac per mandatorum Domini nostri Iesu Christi semitam incedant, ut tandem aeternam beatitudinem Dei misericordia consequantur, inquisitionis officium et alia per Nos eis iniuncta huiusmodi facilius exsequantur; vos universos et singulos praedictos obsecramus in Domino ac per aspersionem sanguinis Domini nostri Iesu Christi exhortamur vobisque in remissionem vestrorum peccaminum iniungimus, ut Fabiano, vicariis et fratribus praedictis pro tempore in praemissorum exsecutione, quoties pro illorum parte fueritis requisiti, assistentes, opportuna eis auxilia, consilia et favores impendatis nec permittatis ipsos vel eorum aliquos per quoscumque saeculares vel ecclesiasticos, fideles aut infideles, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, directe vel indirecte, quovis quaesito colore super exsecutione huiusmodi impediri, molestari seu perturbari; impeditores, molestatores seu perturbatores quoslibet vos, charissimi in Christo filii reges et charissimae in Christo filiae reginae, voyvodae, principes, barones, milites, nobiles et aliae saeculares personae, per privationis bonorum temporalium et coercitionis personarum; necnon vos, venerabiles fratres Nostri archiepiscopi, episcopi et dilecti filii ecclesiasticae personae praedictae, quoties opus fuerit, aggravando et reaggravando per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc *etc.* Nos enim pro efficaciori et faciliori praemissorum exsecutione Fabiano, vicariis et fratribus praefatis vos et quemlibet vestrum, si per eos requisiti, ipsis, ut praemittitur, assistere recusaveritis vel neglexeritis, seu aliquis vestrum recusaverit vel neglexerit, ad id per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, etiam cum simili invocatione brachii saecularis appellatione remota compescendi necnon in praemissis et circa ea quaecumque necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exsequendi plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus *etc.* Et insuper, ut vos aliique christifideles praedicti ipsis Fabiano, vicariis et fratribus praedictis in exsecutione praemissorum eo promptius assistatis et assistant, eis auxilium, consilium vel favorem pro viribus subministrantes, ut praedicitur, quo ex hoc dono coelestis gratiae vos conspexeritis et se conspexerint esse refectos, vobis omnibus et singulis aliisque personis utriusque sexus vere contritis et confessis, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, trecentos dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus per praesentes; ipsis praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno... 1444, XIV kal. martii, ... anno XIV.

875. Constituit iudicem in causa appellationis Titiae et Constantiae, sororum domus S. Agnetis Viterbien., III O. S. Fr. (1).

1445, februarii 16, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Gallesio, priori ecclesiae S. Mariaenovae, Viterbien.

Iustis et honestis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Titiae et Constantiae alia-

(1) Reg. Lat. t. 414, f. 85; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 147.

rumque sororum domus S. Agnetis Viterbien., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, petitio continebat, quod dudum pro parte dilectae in Christo filiae Antoniae, relictae quondam Antonii Thomasii laici viduae, Viterbien., Nobis exposito, quod olim dictus Antonius, condens de bonis suis in eius voluntate ultima testamentum, inter cetera voluit, quod quaedam domus et vinea tunc expressae, quarum eamdem Antoniam usufructuariam relinquebat, post illius obitum in habitationem et suffragium dictarum sororum foret, ac fructus ipsius vineae, quam pro reparatione dictae domus vendi posse voluit, possent ad reparationem domus huiusmodi deputari, quodque, si praefatae sorores domum ipsam retinere nequirent seu super illa molestarentur, domus et vinea praedictae sub cura et protectione dilectorum filiorum universitatis artis calzolariorum sive cerdonum civitatis Nostrae Viterbien., qui similiter vineam ipsam vendere possent, ita, quod pro habitatione sororum huiusmodi dumtaxat deveniret, prout in instrumento publico superinde confecto dicebatur plenius contineri, et pro parte eiusdem Antoniae Nobis subiuncto, quod in civitate praedicta mulieres sive sorores fratris Bernardini (!) huiusmodi non reperirentur et in domo praefata pro eo, quod illa in loco publico consistebat, religiosae mulieres cum honestate commorari non poterant, ipsaque Antonia ex tunc domum praedictam pro habitatione aliquarum mulierum religiosarum deputare volebat, venerabili fratri Nostro Iohanni, episcopo Viterbien., Nostris dedimus litteris in mandatis, ut, si ita esset, faceret, ut sibi, cuius conscientiam onerabamus, melius videretur, prout in ipsis litteris plenius continetur, quarum praetextu eisdem sororibus ad instantiam dictae Antoniae coram praefato episcopo ad iudicium evocatis pro parte ipsarum sororum fuit inter cetera coram eodem episcopo excipiendo propositum, quod litterae praedictae ex eo subreptionis vitio subiacebant, quod in illis nullas in civitate praedicta fratris Bernardini sorores exsistere dicebatur, cum revera praefata Titia, Constantia et aliae, ut praefertur, exsisterent, ut exsistunt, ac voluntatem testatoris praedicti acceptaverant et acceptabant illamque, quantum in eis erat adimplere volebant, prout erant legitime probare paratae, quodque praeterea illarum vigore contra eam procedere non poterat nec debebat. Et quia dictus episcopus eas super hoc audire contra iustitiam denegavit, praefatae sorores ad Sedem Apostolicam appellarunt. Verum dictus episcopus appellatione huiusmodi, de qua non erat ignarus, et infra cuius prosecutionis tempus, de quo non modicum supererat, dictae sorores erant contemptae, ad nonnullos actus in causa ipsa processit. Quare pro parte dictarum sororum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus revocato in irritum, quidquid post appellationem huiusmodi inveneris temere attentatum, ac vocatis dicta Antonia et aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc-inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota decernas, faciens *etc.* Testes autem *etc.* Non obstante *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XIV kal. martii, ... anno XIV.

876. Concedit indulgentias pro ecclesia B. Mariae de Somlyó, Transsilvan. dioec., O. F. M. de observantia (1).

1445, februarii 24, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Dum praecelsa meritorum insignia *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, ad ecclesiam beatae Mariae semper virginis domus ordinis fratrum Minorum de observantia, quae in territorio villae Somlyo, Transsilvan. dioec., in confinibus Valachiae prope Tatariam seu non longe ab eadem de novo construi coepta et adhuc in suis structuris et aedificiis perfecta non exsistit, ingens fidelium multitudo devotionis causa confluere consueverit ac dietim non cesset confluere, Nos, cupientes, ut dicta ecclesia, quae pro perfectione constructionis huiusmodi magnis expensis necnon libris, calicibus et aliis paramentis ecclesiasticis ceterisque pro divinis celebrandis officiis necessariis plurimum indigere noscantur, in constructione huiusmodi perficiatur et congruis honoribus frequentetur, *etc.* omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in visitationis beatae Mariae virginis ... festo a primis vesperis usque ad secundas vesperas ecclesiam praedictam devote visitaverint annuatim et ad perfectionem, conservationem necnon alia praedicta manus porrexerint adiutrices, septem annos de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VI kal. martii, ... anno XIV.

(1) Reg. Vat. t. 376, f. 291 v.

877. Mandat, ut de Antonio de Oculisnigris, O. F. M., ministro provinciae Aragoniae, inquirat eumque ministeriatu privet atque Iohannem Lobet, O. F. M., custodem custodiae Maioricen., ministrum instituat (1).

1445, februarii 24, Romae.

Dilecto filio priori domus de Portacoeli, Carthusien. ordinis, Valentin. dioec.

Apostolicae sollicitudinis studium *etc.* Cum itaque, sicut ad Nostrum non sine mentis amaritudine diversorum et praesertim nuper charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae, reginae Aragonum illustris, relatione pervenit auditum, dilectus filius Antonius de Oculisnigris, ordinis fratrum Minorum et theologiae professor, ac provinciae Aragonum iuxta morem dicti ordinis provincialis minister, suorum salutis, status et religionis immemor, a pluribus annis citra adeo inhonestam dissolutamque vitam duxerit et ducat adeoque negligenter et male in regimine officii ministeriatus huiusmodi se gesserit et gerat, quod ex ipsis dissolutae vitae exemplo ac negligentia et malo regimine quasi omnes et singulae domus ordinis et provinciae praedictorum cum illarum personis regulari disciplina plurimum destitutae exsistunt et, nisi per Nos desuper opportune provideatur, ad totalem destructionem et desolationem in futurum devenient in animarum periculum necnon domorum et ordinis eorumdem praeiudicium, perniciosum quoque exemplum et scandalum plurimorum, et, sicut accepimus, dicta regina, zelo devotionis, quem ad ipsum ordinem gerit, accensa, non modo praemissis obviari, sed etiam in dictis et aliis eiusdem ordinis domibus in regnis et dominiis suis consistentibus religionem vigere illasque reformari plurimum exoptet, Nos, quorum interest super his salubriter providere, pium et laudabile desiderium reginae huiusmodi in domino plurimum commendantes ac ipsius reginae in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis dicto Antonio et aliis, qui fuerint evocandi, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii sola facti veritate inspecta super praemissis omnibus et singulis ac eorum circumstantiis universis auctoritate Nostra te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ea vel aliquod ipsorum, quod ad id sufficiat, reppereris veritate subniti, dictum Antonium officio ministeriatus huiusmodi eadem auctoritate sententialiter prives et realiter amoveas ab eodem. Et nihilominus, si privationem et amotionem praedictas per te vigore praesentium fieri contigerit, dilectum filium Iohannem Lobet, ordinis et theologiae praedictorum professorem ac custodem custodiae Maioricen. iuxta morem antedictum, per quem, sicut etiam accepimus, propter illius litterarum scientiam, morum honestatem, religiosam vitam et providentiam circumspectam domus ac personae praedictae in eisdem spiritualibus plurimum reformari poterunt et verisimiliter reformabuntur, in provincialem ministrum dictae provinciae cum omnibus et singulis iurisdictionibus, facultatibus, privilegiis, gratiis, indultis et emolumentis, quibus provinciales ministri eiusdem provinciae hactenus quomodolibet usi et gavisi fuerunt seu uti et gaudere potuerunt, dicta auctoritate crees, constituas et deputes, faciens ipsum Iohannem ad officium huiusmodi eiusque liberum exercitium, uti est moris, admitti, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VI kal. martii, ... anno XIV.

878. Monasterium S. Iohannis Ianuae paradisi in territorio castri Guillionisii (Guglionesi), Termulen. dioec., O. Carth., a monasterio S. Martini eiusdem ordinis separat et in domum O. F. M. de observantia commutat (2).

1445, februarii 24, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Neapolitan.

Digna reddimur attentione solliciti *etc.* Sane dilecti filii Iohannes, prior, et conventus monasterii S. Martini supra Neapolim, ordinis Carthusien., sua Nobis nuper petitione monstrarunt, quod dudum fel. rec. Martinus papa V, praedecessor Noster, priori eiusdem monasterii tunc exsistenti monasterium S. Iohannis Ianuae paradisi, situm in territorio castri Guillionisii, eiusdem ordinis, Termulen. dioec., tunc prostratum ruinae subiacens, cum omnibus iuribus et pertinentiis ipsi monasterio uniendi, annectendi et incorporandi illiusque possessiones et bona vendendi, alienandi ... eorumque pretium sive fructus ... in reparationem et fabricam eiusdem capellae per ipsos priorem et conventum ad honorem et sub vocabulo S. Iohannis in dicto monasterio S. Martini tunc fundandae et construendae exponendi et convertendi aliaque disponendi et exsequendi, quae pro augmento divini cultus ac prospero statu monasteriorum eorumdem utilia fore conspiceret, plenam et liberam licentiam ea conditione concessit, quod dicti prior et conventus in praefato monasterio

(1) Reg. Vat. t. 363, f. 188 v.

(2) Reg. Vat. t. 363, f. 184.

S. Iohannis unum deberent tenere capellanum, cui de alimentis et aliis necessariis eorum expensis opportune providere tenerentur, prout in litteris apostolicis desuper confectis ... plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, propter guerrarum turbines aliosque sinistros eventus, quae partes illas diutius afflixerunt, fructus huiusmodi adeo tenues effecti sint, quod deductis oneribus dicti capellani pauca superesse noscuntur, unde, si monasteria ipsa ab invicem separarentur et ex dicto monasterio S. Iohannis fieret una domus ordinis fratrum Minorum de observantia, ac illius fructus, redditus et proventus ipsi monasterio S. Martini perpetuo appropriarentur et assignarentur, divini cultus augmentum, religionis propagatio et utilitas prioris et conventus huiusmodi evidenter subsequerentur. Quare pro parte prioris et fratrum praedictorum, asserentium fructus, redditus et proventus huiusmodi quadraginta florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, ... praefatum monasterium S. Iohannis, ordine Carthusien. ac illius conventualitate in eo prius suppressis et exstinctis a praefato monasterio S. Martini penitus et omnino auctoritate Nostra segreges, dividas et dismembres ipsumque monasterium S. Iohannis in unam domum pro usu et habitatione ordinis fratrum Minorum de observantia huiusmodi cum dormitorio, horto, hortalitiis et aliis necessariis officinis erigas, instituas et commutes ac omnes et singulos fructus ... monasterii S. Martini illius horto dumtaxat excepto priori et conventui huiusmodi reserves et ad eos perpetuo spectare, necnon dictos priores et conventum ad tenendum capellanum huiusmodi de cetero non teneri nec ad id per quemquam posse compelli cuiuscumque licentia vel assensu super praemissis vel aliquo praemissorum minime requisitis eadem auctoritate decernas pariter et declares aliaque in praemissis facias, disponas et exsequaris, quae necessaria vel opportuna fore cognoveris. Nos enim, si segregationem, divisionem, dismembrationem, erectionem, institutionem, commutationem, reservationem, declarationem et decretum ac alia huiusmodi per te praesentium vigore fieri contigerit, guardiano et fratribus dicti ordinis Minorum de observantia, qui in praefata erigenda domo pro tempore reddiderint Altissimo famulatum, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.* Et insuper volumus et decernimus, quod fratres, qui in eadem erigenda domo pro tempore degerint, missas et alia divina officia perpetuo inibi celebrare teneantur, quodque prior et conventus praedicti unam capellam in ipso monasterio S. Martini de novo construere et erigere teneantur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VI kal. martii, ... anno XIV.

879. Henrico de Lanteriis de Laude, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1445, februarii 27, Romae.

Dilecto filio Henrico de Lanteriis de Laude, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui presbyter et, ut asseris, ordinem fratrum Minorum expresse professus exsistis ac dudum bonae mem. Francisci, episcopi Pergamen., obsequiis de licentia Nostra super hoc tibi per alias Nostras litteras concessa per octo annos vel circa insistendo tam in Romana curia quam in concilio Basileen. ante eius translationem per Nos factam diversa ac gravia pertulisti labores et incommoda habesque matrem senio et inopia laborantem, cuius ac tuis necessitatibus debite subvenire non potes, praemissorum intuitu favore prosequi gratiae specialis, ... tecum, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum ... recipere et quoad vixeris retinere ... valeas, quod dicti ordinis fratrum Minorum professor exsistis ... et quibuscumque ... nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus. Proviso *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, III kal. martii, anno XIV.

880. Antonio de Troia, O. F. M., praecipit, ut pergat ad loca commissionis sibi assignatae (2).

1445, martii 4, Romae.

Antonio de Troia, ordinis Minorum, nuntio Nostro.

Dil. fili sal. Intelleximus te, postquam a Nobis nuper extra Romanam curiam discessisti, Venetias accessisse ea intentione, ut ad regnum Daciae et Norvegiae ac alias provincias et loca tibi a Nobis assignata pro exsecutione mandatorum Nostrorum accederes, postmodum vero te, quasi a proposito ulterius procedendi dis-

(1) Reg. Lat. t. 414, f. 243 v. (2) Reg. Vat. 367, f. 172. Cf. supra n. 558, p. 264 et nn. 851-853, p. 400 ss.

tractum eo, quod intellexeris Nos circa ea, quae ad commissionem tuam pertinent, propositum mutavisse, subsistere nec ulterius procedere velle. Satis autem miramur, quod tam leviter motus fueris, et id non sine displicentia audivimus. Quocirca, cum Nos in praedicta materia eiusdem propositi et intentionis sumus, in quo antea fuimus, volumus ac tibi tenore praesentium iniungimus et mandamus, quatenus visis praesentibus accedendi ad praefata tibi assignata loca pro exsecutione commissionis tibi factae iter arripias et cum omni diligentia et sollicitudine dictam commissionem perficias etiam taliter, quod a Deo meritum et a Nobis benevolentiam et gratiam consequi merearis.

Datum Romae *etc.*, IV martii, ... anno XIV.

881. Confirmat traditionem domus S. Mariae Novae Anconitan. pro sororibus III O. S. Fr. (1).

1445, martii 4, Romae.

Dilecto filio Antonio Iacobo Liverii, canonico Anconitan.

Vacantibus praesertim feminei sexus *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Antoniae Miniati de Senis et Clarae de Firmo ac nonnullarum aliarum sororum domus S. Mariae Novae, Anconitan., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim venerabilis frater Noster Iohannes, episcopus Anconitan., attente considerans, quod religio absque loco habili et idoneo commode servari non posset, et praefata domus, quae dudum, tunc monasterium ordinis S. Benedicti exsistens, monasterio S. Bartholomaei etiam Anconitan. dicti ordinis S. Benedicti auctoritate ordinaria unita fuerat, praefatis Antoniae, Clarae et soribus sub regulari observantia eiusdem tertii ordinis Altissimo famulantibus pro earum usu et habitatione habilis ac idonea foret, ipsam domum, tunc monasterium monialibus penitus carens et inhabitatum necnon in magna sui parte ruinosum et deterioratum, cum ipsius ecclesia et infra illius septa consistentibus domibus, possessionibus ac aliis bonis ad ipsam domum tunc monasterium spectantibus dicto monasterio S. Bartholomaei remanentibus, eadem auctoritate ordinaria donavit, dedit et assignavit, ipsaeque Antonia, Clara et sorores donationis, dationis et assignationis earumdem vigore praedictam domum, tunc monasterium, assecutae, in illa ex tunc sub observantia praedicta permanserunt, prout permanent de praesenti. Quare pro parte dictarum Antoniae, Clarae et sororum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ea fore vera reppereris, ... donationem, traditionem et assignationem praedictas, prout provide factae sunt, eadem auctoritate Nostra approbes *etc.* Nos enim, si approbationem ... fieri contigerit, sororibus praesentibus et futuris domus S. Mariae Novae praedictis, quod aliquam ex sororibus dicti tertii ordinis in earum et ipsarum domus praesidentem, quoties illius vacationis casus occurrit, eligere possint necnon in omnibus et per omnia illam ac prorsus similem concessionem sororibus Florentin. et Perusin. domorum concessam habeant illaque uti et gaudere valeant, quodque in antea fratribus cuiusvis ordinis aut presbyteris saecularibus nullatenus subiaceant, sed episcopo Anconitan. pro tempore exsistenti dumtaxat subiectae sint et esse censeantur, ... concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IV nonas martii, ... anno XIV.

882. Archidiacono ecclesiae Cavallicen. mandat, ut Petrum Gualdonis, fratrem domus Burdegalensis, O. F. M., qui de dicta domo, in qua voto professionis se adstrinxerat, de licentia tamen et mandato Geraldi Gauterii, ministri dictae domus, ad monasterium S. Stephani de Vallibus, O. S. Ben., monachorum nigrorum, Xanctonen. dioec., se transtulerat, prioratum de Grazana, O. S. Ben. et dioec. praedictorum, assecutus erat illumque per septem annos vel circa tenuerat, absolvat a censuris et cum eo dispenset in irregularitate, sub conditione, quod antea prioratum realiter et omnino dimittat (2).

1445, martii 6, Romae.

Solet Sedis Apostolicae clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, pridie nonas martii, ... anno XIV.

883. Mandat, ut fratres conventus Tenen. (Thienen., Tirlemont), Leodien. dioec., O. F. M. de observantia, reducant ad obedientiam Iohannis de Mauberto, vicarii generalis pro fratribus O. F. M. de observantia in partibus ultramontanis (3).

1445, martii 8, Romae.

Venerabili fratri .. episcopo Leodien. et dilectis filiis .. abbati monasterii S. Trudonis

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 143 « e l. 6 mixto de div. etc. annis 12, 13, 16, f. 171 ». Reg. Lat. t. 414, f. 22 v. eadem bulla invenitur inchoata, non ad finem perducta et cancellata. Cf. supra n. 840, p. 394.

(2) Reg. Lat. t. 414, f. 86. Eadem die litteris *Religionis zelus* eidem Petro Gualdonis praedictus prioratus de Grazana de novo confertur, ib. f. 86 v.

(3) Reg. Vat. t. 368, f. 95 v.

ac .. decano ecclesiae S. Petri Lovanien., Leodien. dioec.

Ad exsequendum pastoralis officii debitum *etc.* Dudum siquidem dilectus filius Antonius de Rusconibus, theologiae ac ordinis fratrum Minorum professor fratrumque et ordinis huiusmodi generalis minister, suasionibus Nostris intendens, nonnullorum etiam Romanae ecclesiae cardinalium ac praelatorum, ministrorum aliorumque probatissimorum virorum dicti ordinis consilio pariter et assensu intervenientibus, considerata multitudine et diversitate vitae fratrum ordinis huiusmodi, pro bono regimine, gubernatione, manutenentia et augmento omnium et singulorum, praesentium et futurorum, fratrum in conventibus, domibus et locis dicti ordinis, qui de observantia nuncupantur, praesertim in ultramontanis partibus commorantium, in omnibus provinciis, ubi sui ministeriatus auctoritas se extendit, providere ac unum generalem vicarium cum plenaria sibi attributa potestate et auctoritate instituere cupiens, dilectum filium Iohannem de Mauberto, ordinis huiusmodi professorem, constito sibi de illius vitae sinceritate, morum gravitate aliisque sufficientia et meritis suum generalem vicarium in omnibus et singulis provinciis ac vicariis et eorum conventibus et locis partium ultramontanarum super omnes fratres eiusdem ordinis de observantia nuncupatos, praesentes et futuros, usque ad proximum tunc generale dicti ordinis celebrandum capitulum nominavit et instituit ac per suas litteras [1] institutum esse voluit, vices suas sibi plenarie committendo, dans eidem Iohanni liberam auctoritatem, potestatem ac omnimodam sibi quomodolibet attributam facultatem omnes et singulos fratres dicti ordinis in praefatis ultramontanis partibus commorantes et commoraturos ac eorum loca tam in capitibus quam in membris visitandi, publice et privatim vocandi, citandi, examinandi, ponendi et deponendi, corrigendi, pluraque alia faciendi et exsequendi ipsosque fratres de citramontanis partibus, cum licentia tamen, venientes recipiendi, apostatas omnes ad suum huiusmodi ordinem redire volentes cum poenitentia, quae sibi videretur, iniungenda reducendi et acceptandi fratresque huiusmodi conventuales, dummodo suis ministris rebelles non essent et ab eis licentiam peterent et poenitentiam pro delictis effugere non quaererent et ad melioris vitae frugem transire ac regulariter vivere vellent, recipiendi, officiales quoslibet dicti ordinis sibi subiectos, cum opus foret aut casus exigeret, privandi, absolvendi, deponendi et restituendi vel alias loco eorum, si sibi videretur, de consensu tamen fratrum locorum, in quibus officiales aut praefecti exsisterent, vel saltem maioris partis eorumdem instituendi, fratres, conventus, domos et loca huiusmodi, eidem Iohanni ratione vicariatus praefati sibi subiecta, praesentia pariter et futura, reformandi, puniendi et quos noverit habiles et idoneos, ad sacros ordines etiam usque ad sacerdotium inclusive promoveri faciendi pluraque alia etiam faciendi et exsequendi, prout in ipsius Antonii desuper confectis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut ex fide dignorum relatione accepimus, licet dilecti filii minister, conventus et fratres domus Tenen., Leodien. dioec., sub observantia regulae huiusmodi degant, tamen nonnulli ipsorum eidem Iohanni tamquam eorum vicario huiusmodi contra nominationis et institutionis de eo, ut praemittitur, factarum tenorem parere illique subesse recusare praesumant in observationis huiusmodi regulae vilipendium, scandalum quoque et perniciosum exemplum plurimorum, Nos igitur, qui cunctorum christifidelium, praecipue religiosorum, pacem et suarum salutem animarum studiis quaerimus indefessis, ac de praemissis certam notitiam non habentes, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si ministrum, conventum et fratres domus huiusmodi sub praedicta observantia vixisse ac illius habitum gestare et ut tales nuncupari et etiam reputari reppereritis, super quo vestras conscientias oneramus, ministrum et omnes ac singulos conventus et domus huiusmodi fratres, praesentes et futuros, iuxta eiusdem ordinis regularem observantiam tam in capite quam in membris ex nunc et amodo in perpetuum sub Iohannis et successorum suorum ipsius ordinis in ultramontanis huiusmodi partibus pro tempore deputandorum generalium vicariorum ditione, correctione, visitatione, punitione, coercitione ac omnimoda dispositione fuisse et esse eiusque monitionibus et mandatis parere debuisse et debere auctoritate Nostra decernatis et declaretis. Et nihilominus, si declarationem huiusmodi per vos fieri contingat, vigore praesentium Iohanni et successoribus suis huiusmodi, ne per quosvis rebelles et aemulos eorum impediatur auctoritas, ipsis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciatis sibi ab eisdem ministro, conventu et fratribus debita et consueta servitia, iura et honores ac reveren-

[1] Vide supra n. 705, p. 332, not. 2.

tiam exhiberi et insuper legitimis super his per vos habendis servatis processibus eos, quotiens opportunum fuerit, aggravare curetis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Ut autem quorumlibet, si quae, quod absit, in praemissis fieret oppositio, digne, ut congruit, plectatur rebellio, volumus, quod omnes et singuli cuiuscumque gradus aut conditionis exstiterint, qui vicario huiusmodi contra constitutionis et deputationis antedictarum tenorem parere contumaciter recusaverint, canonica monitione praemissa sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi postquam resipuerint, ab alio quam Romano pontifice aut de eius speciali licentia, praeterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium nequeant obtinere. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VIII idus martii, ... anno XIV.

884. Baptistae, electo Concordien., et decano ac thesaurario ecclesiae Tuden. mandat, ut Gundisalvum de Medina, archidiaconum de Olmedo in ecclesia Abulen., inducant in corporalem possessionem simplicium parochialium S. Michaelis de Oya et S. Andreae de Comesana, Tuden. dioec., ecclesiarum perpetuorum beneficiorum, tunc ex eo vacantium, quod dilectus filius Iohannes Roderici de la Camera, O. F. M., illa tunc obtinens, domum Hierosolymitan. dicti ordinis ingressus, regularem per illius fratres emitti solitam professionem emiserat, et quae a Vasco Stephani, pro clerico dictae dioec. se gerente, indebite occupata erant (1).

1445, martii 9, Romae.

Exhibita Nobis pro parte *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, VII idus maii, ... anno XIV.

885. Mandat, ut cognita causa inter Petrum Andreae Mauroceno, clericum Paduan. dioec., et Iohannem Corboldo, O. F. M., de prioratu Cruciferorum et hospitali eidem annexo in insula Nigripontis eumdem prioratum dicto Petro conferat (2).

1445, martii 11, Romae.

Venerabili fratri Laurentio, (3) *episcopo Castellano.*

Vitae ac morum honestas, super quibus apud Nos dilectus filius Petrus Andreae Mauroceno, clericus, perpetuus beneficiatus in plebe S. Fidentii, Paduan. dioec., *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dicti Petri petitio continebat, quod olim, postquam pro parte dilectorum filiorum nobilium insulae Nigropontis, Nigroponten. dioec., Nobis exposito, quod quondam Iohannes Monzono, qui vigore quarumdam litterarum fel. rec. Martini papae V ... per quas idem praedecessor Noster ... transferendi dictum Iohannem de ordine Praedicatorum, cuius tunc professor erat, ad ordinem Cruciferorum ... et prioratum Cruciferorum nuncupatum, eiusdem ordinis, in praefata insula fundatum, cui hospitale S. Laurentii canonice est annexum, dicto Iohanni ... conferendi ... facultatem dilecto filio Andreae, priori eiusdem ordinis Cruciferorum, concesserat ac voluerat, quod idem Iohannes Monzono ... in prioratu seu hospitali praefato ... residere personaliter teneretur, alioquin translatio, collatio et provisio praedictae ... nullius exsistere roboris vel momenti, ac ipse Iohannes Monzono ad dictum Praedicatorum ordinem eo ipso redire teneretur, de praefato ordine Cruciferorum translatus fuerat et dicti prioratus ... sibi collati ac hospitalis eorumdem possessionem assecutus fuerat, in aliquo ex ipsis prioratu et hospitali non residebat, sed hincinde vagabundus incedens, eorum fructus ... cuidam laico pro pecuniis, quas consumebat, arrendaverat sive locaverat, ac huiusmodi prioratus et hospitalis aedificia ad ruinam tendebant, in hospitalique praefato pauperum hospitalitas non servabatur, quodque dilectus filius Iohannes Corboldus de Venetiis, ordinis Minorum professor, qui ab eius pueritia in dicta insula steterat et tunc residebat necnon Graeci et Latini idiomatum peritiam habebat, prioratui et hospitali praedictis esse poterat auctore Domino multipliciter profuturus, Nos bon. mem. Stephano, archiepiscopo Theban., tunc in civitate Nigroponten. residenti, et dilectis filiis decano et archidiacono ecclesiae Nigroponten. aliis Nostris litteris dederamus in mandatis, quatenus ipsi ... translationem, collationem et provisionem huiusmodi nullius subsistere roboris praefatumque Iohannem Monzono ad ipsum ordinem Praedicatorum redire teneri declararent necnon a prioratu et hospitali praedictis realiter amoverent, prout de iure foret faciendum, et ... eumdem Iohannem Corboldo de dicto ordine Minorum ad praefatum ordinem Cruciferorum ... transferrent necnon dictum prioratum ... praefato Iohanni Corboldo conferrent et assignarent, dictus

(1) Reg. Lat. t. 407, f. 8. Eadem die electo Theatin. et decano ac thesaurario supradictis mandat, ut Iohannem Fernandi de Xericio, cantori ecclesiae Tuden., conferant beneficia simplicia servitoria B. Mariae de Tebra et S. Petri de Cesantes, Tuden. dioec., pariter vacantia ingressu Iohannis Roderici de la Camera in domum Hierosolymitan., O. F. M. Reg. Lat. t. 407, f. 11 v. Cf. supra n. 803, 804, p. 380.

(2) Reg. Lat. t. 418, f. 100. Cf. supra n. 817, p. 384.

(3) De Laurentio episcopo cf. supra n. 311, p. 145, not. 3.

Stephanus archiepiscopus, qui cum praefato Iohanne Monzono tam in Romana curia quam extra litigaverat, ad ipsarum litterarum exsecutionem procedens, nulliter de facto et animose iuris ordine praetermisso contra praedictum Iohannem Monzono, non ad ipsius Iohannis Corboldo instantiam, prout de iure fieri debebat, sed per viam inquisitionis procedens, praeter dictarum litterarum formam undecima die post inchoatum per eum processum huiusmodi definitivam, per quam dictum Iohannem Monzono prioratu et hospitali praefatis privavit et amovit ab eisdem, sententiam promulgavit iniquam, a qua pro parte eiusdem Iohannis Monzono ad Sedem Apostolicam appellato dictus Stephanus archiepiscopus duodecimo die post appellationem praedictam ipsum Iohannem Corboldo ad praefatum ordinem Cruciferorum transtulit ac sibi de prioratu et hospitali praedictis providit necnon eumdem in illorum possessionem induci mandavit et fecit. Postmodum vero, cum Nos appellationis, nullitatis et attentatorum causas huiusmodi venerabili fratri Nostro Angelo, episcopo Parentin., tunc in praefata curia residenti, ad instantiam dicti Iohannis Monzono audiendam commisissemus et fine debito terminandam, ipseque Angelus episcopus citationem cum inhibitione ad partes in forma solita decrevisset, ac praefato Iohanne Monzono vita functo Nos causas praedictas dilecto filio Dominico, electo Graden., tunc notario Nostro in praefata Curia residenti, ad instantiam dicti Iohannis Corboldo audiendam commisissemus et fine debito terminandam, ipseque Dominicus, tunc notarius, praedictam sententiam per suam definitivam sententiam confirmasset, Nos de dicto prioratu per obitum Iohannis Monzono huiusmodi vacante et antea dispositioni apostolicae reservato ..., dicto Petro, tunc in quintodecimo suae aetatis anno constituto, ... per alias Nostras litteras sub certis modo et forma commendari mandavimus, praefato archidiacono etiam eius proprio nomine non expresso desuper exsecutore deputato, prout in eisdem posterioribus litteris [1] plenius continetur; ac dilectus filius Matthaeus, archidiaconus dictae ecclesiae, ad ipsarum posteriorum litterarum exsecutionem legitime procedens, quia vocato dicto Iohanne Corboldo ipsum prioratum vacare repperit, earumdem posteriorum litterarum vigore prioratum cum hospitali huiusmodi dicto Petro ... commendavit ac ipsum Petrum in illius corporalem possessionem induxit dicto Iohanne Corboldo tamquam illicito detentore amoto ab eodem, a quibus quidem commenda, inductione et amotione pro parte dicti Iohannis Corboldo, etiam minus veraciter asserentis se per eosdem Matthaeum archidiaconum et Petrum possessione eiusdem prioratus spoliatum fuisse [ad Sedem praedictam appellato] Nos dilecto filio magistro Berardo de Narnia, capellano Nostro et causarum palatii apostolici auditori, causam appellationis huiusmodi audiendam et fine debito terminandam primo et deinde, cum dictus Berardus solum in causa possessorii procederet, ut in illa ac petitorii causa insimul procederet, ad instantiam dicti Petri, ac subsequenter pro parte eiusdem Iohannis Corboldo, minus veraciter asserentis, quod ipse hospitale praefatum, quod dirutum invenerat, reparaverat, lectis fulciverat ac in eo hospitalitatem servaverat, quodque dictus Andreas ipsum infra duos dies a die praesentationis litterarum per ipsum Petrum impetratarum eidem Matthaeo archidiacono factae dicto prioratu illiusque possessione etiam post appellationem per ipsum Iohannem Corboldo interpositam praedictam spoliaverat et se in illo nomine dicti Petri intruserat, necnon lectos exinde Venetias transmiserat, ut dictum Iohannem Corboldo ad possessionem dicti prioratus restitueret ac ipsi Petro super prioratu huiusmodi perpetuum silentium imponeret ac dictum prioratum cum hospitali ad ipsum Iohannem Corboldo spectare declararet, et successive, ut, si sibi constaret ipsum Iohannem Corboldo prioratum cum hospitali huiusmodi possedisse, reaedificasse et ad hospitalitatem reduxisse illudque per prius dirutum invenisse et nullam in eo hospitalitatem servatam ac dictum Iohannem Corboldo infra duos dies a die praesentationis praedictae illo spoliatum fuisse et dictum Petrum se in illo intrusisse, ipsum Iohannem Corboldo ad dictorum prioratus et hospitalis possessionem reponeret eoque restituto, si dictus Petrus in litteris per eum obtentis praedictis contenta legitime probaret, super petitoria partibus iustitiam ministraret et nonnulla alia faceret et exsequeretur, commisimus, ipseque Berardus auditor, in causa possessorii huiusmodi perperam procedens, definitivam sententiam pro dicto Iohanne Corboldo et contra praefatum Petrum sententia promulgavit iniquam. Subsequenter vero Nos praedictae et aliarum quarumlibet, si quae inter Iohannem Corboldo et Petrum praefatos super prioratu et hospitali praedictis ac eorum occasione in dicta curia vel extra eam ex specialibus commissionibus Nostris indecisae forsan pendere noscerentur, litium et causarum status aliis Nostris litteris

(1) Cf. supra n. 679, p. 320.

pro expressis habentes illasque ad Nos ipsarum aliarum litterarum serie auctoritate apostolica ex certa scientia advocantes et penitus exstinguentes necnon huiusmodi Petro concessas litteras ac super illas habitos processus et omnia inde secuta auctoritate apostolica et scientia supradictis cassantes et annullantes ac pro nullis et infectis habentes, ipsius Iohannis Corboldo supplicationibus circumventi, venerabili fratri Nostro episcopo Aquilan. et dilectis filiis decano ac Curado de Sauris, canonico ecclesiae Nigroponten., dictis aliis Nostris litteris (1) dedimus in mandatis, ut ipsi, ... ultimo dictam sententiam debitae exsecutioni demandantes, eumdem Iohannem Corboldo in corporalem possessionem prioratus et hospitalis iuriumque et pertinentiarum praedictorum amoto exinde dicto Petro restituerent, ... facientes ipsum ... de perceptis per ipsum Petrum fructibus plenam et debitam satisfactionem impendi, etiam perinde in omnibus et per omnia, ac si ab huiusmodi ultimodicta sententia appellatum non fuisset, ac subiuncto Nobis, quod, licet dictus Petrus super appellatione per eum interposita huiusmodi debitas in cancellaria apostolica diligentias fecisset, tamen, ut credebatur, praetextu aliarum litterarum Nostrarum illam obtinere nequivisset sicque a prosecutione ipsius causae appellationis interpositae exclusus remansisset ac, cum dictus Andreas de nobili genere procreatus exsisteret, et parentes sui ditissimi fuissent, ipseque adeo pauper non exsisteret, ut lectis, qui in simili hospitali teneri consueverant, indigeret, quod huiusmodi lectos Venetias asportasset, verisimile non erat, et revera dictus Andreas in dicto hospitali nullum lectum invenerat, quinimo dictus Iohannes Corboldo quosdam lectos per dictum Iohannem Monzono ibidem positos abstulerat et aliquem ibi non dimiserat ipseque Andreas domos dicti hospitalis, quas discoopertas et quacumque re mobili vacuas repperit, cooperiri fecerat, Nos tibi aliis Nostris litteris inter alia dedimus in mandatis, quatenus ... tam petitorii quam possessorii causas praedictas audires et appellatione remota debito fine decideres, faciens *etc.*, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Petri petitio continebat, a nonnullis asseratur neutri dictorum Petri et Iohannis Corboldo in eodem prioratu seu ad illum ius competere, Nos, ... dictum Petrum a quibusvis ... sententiis, censuris et poenis ... absolventes ... necnon sibi praemissorum meritorum suorum intuitu ac consideratione dilecti filii Nostri Ludovici, titulo S. Laurentii in Damaso presbyteri cardinalis, camerarii Nostri, pro eodem Petro, dilectissimo consanguineo suo, Nobis super hoc humiliter supplicantis, specialem gratiam facere volentes, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi, postquam illa coram te legitime introducta fuerit, tibi constiterit neutrum eorumdem Petri et Iohannis Corboldo in dicto prioratu seu ad eum ius habere, ipsum prioratum, qui habitu, licet non actu, conventualis exsistit, cuius ac dicti hospitalis adnexi fructus ... nonaginta florenorum auri de camera ... valorem annuum, ut asserunt, non excedunt, ... cum praedicto hospitali ac omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Petro ... commendare procures, inducens ... praefatum Petrum recepto prius ab eo Nostro et Romanae ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito ... iuramento vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prioratus et hospitalis adnexi iuriumque et pertinentiarum praedictorum et defendens *etc.*, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, V idus martii, ... anno XV.

886. Collectoribus pecuniarum pro expeditione contra Turcos concedit facultates (2).

1445, martii 13, Romae.

a) Dilecto filio Ludovico de Saia, ordinis Minorum professori de observantia nuncupati.

Cum te ad provinciam antiquae Castellae pro maximis fidei catholicae negotiis et amplianda christiana religione nuntium et oratorem Nostrum destinemus tibique in *etc. (iuxta formam bullae supra n. 859, p. 410 positae).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, III idus martii, ... anno XV.

b) Dilectis filiis Iohanni de Capistrano, omnium et singulorum domorum, locorum et conventuum partium cismontanarum ordinis Minorum de observantia vicario generali, Francisco de Agropolio, Terrae Laboris, Cecco de S. Iohanne Rotundo et Roberto de Milano, S. Angeli, Matthaeo de Regio, Apuliae, Paulo de Sinopoli, Calabriae de regno Siciliae citra

(1) Vide supra n. 817, p. 384.

(2) Reg. Vat. t. 376, f. 309, 310. De Ludovico de Saia cf. supra n. 722, p. 343; de Francisco de Agropolio n. 871, p. 419; de Cecco de S. Iohanne Rotundo et Roberto de Milano (Milazzo?) n. 861, p. 413; de Matthaeo de Regio n. 865, p. 415; de Paulo de Sinopoli n. 854d, p. 407; de Laurentio de Panormo et Seraphino (de Sicilia) n. 872, p. 419; de Bartholomaeo de Fulgineo n. 864, p. 414.

farum, Laurentio de Panormo, Siciliae ultra farum provinciarum vicariis, et Bartholomaeo de Fulgineo ac Seraphino fratribus dicti ordinis vestrisque in officio successoribus.

Cum vos ad provincias et loca praedicta pro maximis fidei catholicae negotiis *etc. (ut supra).*

Datum, *ut supra.*

887. Iohannem Praepositi de Parisius, O. F. M., instituit poenitentiarium in basilica S. Petri Urbis et capellanum pontificium (1).

1445, martii 13, Romae.

Dilecto filio Iohanni Praepositi de Parisius, ordinis Minorum et sacrae theologiae professori, in basilica principis apostolorum de Urbe ac Romana curia poenitentiario ac capellano Nostro.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos de persona tua, quam ad hoc idoneam et sufficientem per diligentem examinationem factam in praesentia venerabilis fratris Nostri episcopi Praenestin., maioris poenitentiarii, adstantibus ibidem nonnullis poenitentiariis ac in theologia magistris esse cognovimus, ... te in basilica principis apostolorum de Urbe ac Romana curia poenitentiarium et capellanum Nostrum ... constituimus *etc.* . . . .

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, III idus martii, ... anno XV.

888. Iohanni de Tonsis, electo Fanen. (O. F. M.), concedit facultatem, ut a quocumque catholico episcopo consecrari valeat (2).

1445, martii 14, Romae.

Cum Nos pridem ecclesiae Fanen. *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, pridie idus martii, ... anno XV.

889. Archidiacono Vallispirii in ecclesia Elnen. mandat, quatenus Iohannem Anglada, O. F. M., qui de licentia sui superioris ad monasterium S. Petri de Regula, O. S. Ben., Tarvien. dioec., transierat illiusque habitum susceperat, professionem emiserat et per 18 annos in eo permanserat, ab excommunicatione et irregularitate absolvat eique facultatem concedat in ordine S. Benedicti permanendi (3).

1445, martii 18, Romae.

Solet Apostolicae Sedis clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XV kal. aprilis, ... anno XV.

890. Concedit indulgentias pro ecclesia domus S. Francisci O. F. M. de observ. in Milicfarna (Multifarnham), Clonferten. dioec. (4).

1445, martii 20, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cum itaque, sicut dilecti filii guardianus et fratres domus S. Francisci in Milicfarna, ordinis Minorum sub regulari observantia degentium, Clonferten. dioec., Nobis exposuerunt, domus ipsa propter guerrarum turbines, mortalitatum pestes et alios diversos sinistros eventus, qui partes illas, proh dolor, afflixerunt et in dies affligunt, in ecclesia, dormitorio, claustro, structuris, aedificiis et aliis officinis magnam minetur ruinam ac ornamentis, libris, calicibus et paramentis divino cultui necessariis omnino destituta exsistat, et sicut eadem petitio subiungebat, dicti guardianus et fratres restaurationem ac reparationem praemissorum summopere desiderant et illas iam in parte inchoarunt, sed propter eorum inopiam ipsum opus complere et perficere minime possunt, nec ipsius domus ad hoc suppetunt facultates, ... Nos ... omnibus vere poenitentibus et confessis *etc. (concedit iisdem diebus, quibus supra n. 108, p. 57, indulgentias 5 annorum in festivitatibus et 100 dierum infra octavas).* Praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod, si alias *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, XIII kal. aprilis, ... anno XV.

891. Mandat, ut decernat moniales monasterii S. Guillelmi extra muros Ferrarien., O. S. Cl., vi exemptionis non esse liberas a solutione decimae ratione certarum possessionum episcopo Ferrarien. debitae (5).

1445, martii 24, Romae.

Dilecto filio Theodosio Spetie, canonico Ferrarien.

Iustis petentium votis *etc.* Dudum siquidem piae mem. Nicolai IV, et Bonifatii VIII, Iohannis XXII, Clementis VI, Alexandri IV, Benedicti XI, praedecessorum Nostrorum Romanorum pontificum, vestigiis inhaerentes, omnes et singulas abbatissas et conventus singulorum monasteriorum S. Damiani et Minorissarum ac S. Clarae, ordinis eiusdem sanctae, sub generalis ministri aliorumque officialium ordinis fratrum Minorum cura ubilibet consti-

(1) Reg. Vat. t. 383, f. 42 v.
(2) Reg. Lat. t. 418, f. 218.
(3) Reg. Lat. t. 414, f. 81 v.
(4) Reg. Lat. t. 416, f. 105 v.
(5) Reg. Lat. t. 421, f. 88. De monasterio S. Guillelmi cf. supra n. 551, p. 261.

tutorum, ipsaque monasteria ac loca et moniales eorumdem cum omnibus iuribus et pertinentiis ac bonis eorum mobilibus et immobilibus quibuscumque, praesentibus et futuris, ab omni iurisdictione, dominio et potestate quorumcumque legatorum, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, nuntiorum et aliorum quorumcumque ordinariorum iudicum, ad instar praefatorum pontificum concessorum privilegiorum ex certa scientia per alias Nostras litteras prorsus exemimus et perpetuo liberavimus ac sub B. Petri et Sedis Apostolicae protectione suscepimus atque Nostra illaque Nobis et successoribus Nostris Romanis pontificibus canonice intrantibus et dictae Sedi dumtaxat immediate subiacere voluimus, ita quod legati et nuntii dictae Sedis ac iudices praefati aut alia quaevis persona saecularis vel regularis, ecclesiastica vel mundana, quacumque fulgeret dignitate, nulla in abbatissas, conventus, moniales, monasteria sive loca huiusmodi, utpote prorsus exempta, possent excommunicationis vel interdicti sententias promulgare vel iurisdictionem, dominium aut potestatem aliquam exercere ratione delicti, contractus aut rei, de qua ageretur, ubicumque committeretur delictum, iniretur contractus aut res ipsa consisteret, quinimo abbatissas, conventus et moniales easdem cum earum monasteriis atque locis ab omni decimarum, subsidiorum, gabellarum, pedagiorum fructuumque et aliorum huiusmodi solutione, contributione, responsione et aliis quibuscumque perpetuo exemptas, liberas et immunes esse voluimus et nonnulla alia concessimus, prout in dictis litteris plenius continetur (1). Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte venerabilis fratris Nostri Iohannis, episcopi Ferrarien., petitio continebat, licet olim ipse ex fructibus ac redditibus cuiusdam possessionis, quae olim nonnullorum civium Ferrarien. de Bruno nuncupatorum fuerat, aliorumque praediorum et terrarum in pertinentiis villae Frumignanae, Ferrarien. dioec., consistentium decimam levare et percipere consueverit, tamen dilectae in Christo filiae priorissa et moniales monasterii S. Guillelmi extra muros Ferrarien., dicti ordinis S. Clarae, ad quas dicta possessio pleno iure pervenit, asserentes se tam praedictarum quam etiam ipsius episcopi et capituli Ferrarien. litterarum praetextu a solutione dictae decimae exemptas fore, decimam fructuum possessionis huiusmodi praefato episcopo solvere recusarunt, prout adhuc recusant in non modicum ipsius episcopi ac ecclesiae Ferrarien. praeiudicium et gravamen. Quare pro parte dicti episcopi Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si vocatis priorissa et monialibus monasterii S. Guillelmi huiusmodi et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de praemissis legitime constiterit, litteras praedictas, et si qui super illis processus, et in eis contenta priorissae et monialibus praedictis quoad perceptionem dictae decimae per episcopum Ferrarien. pro tempore exsistentem faciendam nullatenus suffragari, neque per ea aliquod praefato episcopo pro tempore praeiudicium generari posse vel debere, quominus ipse episcopus seu episcopi Ferrarien., qui pro tempore erunt, tam ex possessione praedicta quam aliis quibuscumque praediis et terris, quae ad priorissam et moniales praefatas pervenerunt seu aliquo titulo pervenient, ex quibus decima huiusmodi percipi consuevit, ut praefertur, etiam perpetuis futuris temporibus decimam levare, exigere et percipere possint, auctoritate Nostra decernas et quoad hoc litteras, processus et inde secuta huiusmodi casses et annulles. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IX kal. aprilis, ... anno XV.

892. Episcopo Aquilan. mandat, ut Stephaniae Iohannis de Sangro, moniali monasterii S. Clarae Aquilan., O. S. Cl., propter dissensiones inter ipsam et abbatissam et conventum ortas concedat facultatem transeundi ad monasterium S. Mariae de Recomandatis, O. S. Ben., etiam Aquilan. (2).

1445, aprilis 3, Romae.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, III nonas aprilis, ... anno XV.

893. Concedit licentiam erigendi domum fratrum III. O. S. Fr. in certis terris Conoren. dioec. (3).

1445, aprilis 3, Romae.

Dilecto filio archidiacono ecclesiae Conoren.

Piis fidelium votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Donaldi Machoagaill, laici, petitio continebat, quod olim, postquam dilecti filii Semiquinus Machcon, capitaneus suae nationis, et Donaldus Ballach Macdonmaill ac Alexander Machdonmaill, etiam laici Conoren. dioec., quasdam terras, Strad-

(1) Vide supra n. 438, p. 205.
(2) Reg. Lat. t. 416, f. 119 v.
(3) Reg. Lat. t. 418, f. 159. De domo Roseyre (Rosserick) cf. supra n. 574, p. 270, not. 2.

bhaile et Bademegbeadab vulgariter nuncupatas, in dicta dioecesi consistentes et ad eos tunc legitime pertinentes, dicto Donaldo Machoagaill donaverant atque concesserant, ipse Donaldus Machoagaill, de propria salute recogitans ac in coelestibus thesaurare cupiens, ob singularem, quem ad tertium ordinem S. Francisci gerit, devotionis affectum easdem terras cum quadam capella sub vocabulo B. Mariae virginis per eum in eisdem terris fundata et constructa dilectis filiis fratribus domus de Roseyrc eiusdem ordinis, Aladen. dioec., pro una alia domo dicti ordinis apud eamdem capellam construenda et erigenda in perpetuum donavit atque concessit, prout in instrumento publico desuper confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Donaldus Machoagaill dubitet donationes et concessiones huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere, pro parte dicti Donaldi Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ita esse inveneris, donationes et concessiones praedictas ac quaecumque inde secuta auctoritate Nostra approbes et confirmes et nihilominus fratribus dictae domus de Roseyrc terras cum capella huiusmodi recipiendi et perpetuo retinendi ac apud eamdem capellam aliam domum huiusmodi pro usu et habitatione perpetuis aliquorum fratrum eiusdem ordinis de novo construendi et erigendi necnon eamdem capellam, si nondum forsan consecrata fuerit, a quocumque catholico antistite ... consecrari faciendi, dioecesani loci ... licentia super hoc minime requisita, auctoritate Nostra licentiam largiaris. Nos enim ... universis fratribus in dicta erigenda domo pro tempore residentibus, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.*, iure tamen *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, III nonas aprilis, ... anno XV.

894. Matthaeum de Regio, O. F. M., vicarium provinciae Apuliae, instituit inquisitorem haereticae pravitatis in regno Siciliae citra pharum [1].

1445, aprilis 12, Romae.

Dilecto filio Matthaeo de Regio, ordinis fratrum Minorum professori, provinciae Apuliae iuxta morem dicti ordinis vicario.

Super gregem dominicum *etc.* Cum itaque, sicut ad Nostrum non sine cordis amaritudine pervenit auditum, ad praesens in regno Siciliae et praesertim in civitate et dioec. Tranen., inter nonnullos, qui de Iudaeorum caecitate ad fidem Christi, qui est verum lumen, conversi, baptismi sacramentum susceperunt, quaedam letifera pestis haereticae pravitatis perniciosa germina germinaverit ac in dies abundantius succrescat, et, sicut dilecti filii capitulum et clerus Tranen. Nobis nuper insinuare curarunt, tu zelo fidei accensus, tamquam fortis Christi athleta, contra dictos haereticos ipsius fidei inimicos viriliter dimicaturus campum iam intraveris et fortissimis eiusdem fidei armis, videlicet praedicationibus verbi Dei ad populum aliisque exhortationibus nonnullos potentes christianos, qui haereticorum huiusmodi fautores exsistebant, ad tantam cordis contritionem reduxeris, ut non modo ipsis haereticis non favere, sed ut veri fidei zelatores dictos haereticos persequi et illos persequentibus auxilium, consilium ac favorem praestare parati exsistant, Nos firmam super eo, quod, sicut eadem insinuatione cognovimus, murum faciens pro domo Domini et ipsius fidei propagatione ad fugandas eliminandasque ipsius haeresis superstitiones opem et operam efficaces adhibere, quantum in te fuerit, studuisti et studes, prout tantae rei necessitas exigit, in convincenda eliminandaque dicta haeresi tuas impartiri partes debeas, fiduciam in Domino, ut congruit, acceptantes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex Nostra mera deliberatione ac ex certa scientia auctoritate apostolica tenore praesentium te, quem, sicut fide dignorum testimoniis accepimus, religionis et fidei sinceritate ac maturitate morum necnon litterarum scientia aliarumque virtutum donis illarum largitor Dominus insignivit, usque ad beneplacitum Nostrum in dicto regno citra pharum inquisitorem huiusmodi haereticae pravitatis facimus, constituimus et etiam deputamus, tibi per apostolica scripta mandantes et in remissionem peccatorum tuorum iniungentes, quatenus huiusmodi inquisitionis officium per Nos tuis impositum humeris omnibus odio, timore, favore pariter et amore postpositis sic fideliter et sollicite per te vel alium seu alios exsequaris, ut per tuam sollicitudinis operam zizaniis perversi germinis e medio tritici exstirpatis, haereticae scilicet pravitatis venenosis dogmatibus propulsatis, in regno praedicto fidei sinceritas vigeat, divinus cultus augeatur et populus christianus in Dei cognitione ac suae salutis acquisitione non decrescat, processurus in huius-

[1] Reg. Vat. t. 382, f. 256. De Matthaeo de Regio cf. supra n. 886, p. 430 not. 2.

modi inquisitionis negotio tam secundum indulgentias et privilegia inquisitoribus pravitatis eiusdem a praefata Sede deputatis seu officia inquisitionis huiusmodi ab eadem Sede habentibus concessa quam etiam secundum canonicas sanctiones. Per huiusmodi autem constitutionem et deputationem in dicto inquisitionis officio locorum ordinariis, quominus inquisitionis officium super labe praedicta, sicut volunt dictae canonicae sanctiones, exercere valeant, et praedictis vel quibusvis aliis privilegiis praefato ordini vel inquisitoribus seu officio memoratis, si qua sunt eis a dicta Sede concessa, nullum volumus praeiudicium generari.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, pridie idus aprilis, ... anno XV.

895. Mandat, ut de miraculis Bernardini de Senis, O. F. M., diligentem informationem recipiant [1].

1445, aprilis 15, Romae.

Dilectis filiis Nicolao, tit. S. Marcelli, et Guillelmo, tit. S. Martini in Montibus presbyteris, ac Alberto, S. Eustachii diacono cardinalibus.

Sancta fidelium mater ecclesia, Christi Salvatoris nostri sponsa, nos docet, ut fidelium animas superna ac coelesti beatitudine fruentes debita reverentia prosequamur. Quas tunc Deo acceptas et in beatorum numero collocatas ac aggregatas esse intelligimus, cum fidelibus aliquo calamitatis genere oppressis, earum suffragia devote implorantibus, meritis earumdem intercedentibus divina omnipotentia miraculose subvenire dignatur in testimonium beatitudinis earumdem sempiternum. Exhibita siquidem Nobis pro parte charissimi in Christo filii Nostri Alphonsi, Aragonum regis illustris, necnon dilectorum filiorum oratorum Senensis et Aquilanae communitatum petitio continebat, quod, cum religiosae memoriae Bernardinus de Senis, ordinis Minorum professor de observantia nuncupatorum, in civitate Aquilana e vita migraverit, nonnulli claudi et diversis aliis morborum generibus impliciti, considerantes vitae sanctimoniam ipsius Bernardini, ardore devotionis et fidei inflammati, ad eius corpus humiliter accedentes ibidemque prostrati divina benignitate operante ab eorum infirmitatibus liberati sunt et saepius etiam liberantur, prout in publicis instrumentis a gravibus tabellionibus sollemniter editis plenius continetur. Quare rex et oratores praedicti, desiderantes, ut iuxta morem et ritum Romanae ecclesiae idem Bernardinus canonizationis dignitate praefulgeat et sanctorum numero et catalogo aggregetur, pro parte eorumdem Nobis, in publico consistorio praesidentibus, iteratis vicibus per dilectum filium Iustinum de Planca, civem Romanum, advocatum consistorialem, miraculis huiusmodi longo et gravi sermone explicatis, supplicari fecerunt, quatenus aliquibus ex venerabilibus fratribus Nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus committere, ut de et super vita dicti Bernardini et miraculis huiusmodi et eorum circumstantiis universis se sollemniter et diligenter informent et habita super iis informatione matura ea, quae reppererint, Nobis et reliquis cardinalibus fideliter referant, et alias super huiusmodi pia supplicatione opportune providere dignaremur. Nos igitur, gloriam divini nominis ampliari ac catholicam fidem suos sacros palmites continuo dilatare, nostris praesertim temporibus, supremis desiderantes affectibus, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, quorum grave iudicium et praecipuam prudentiam ac fidele consilium in maximis Nostris et dictae ecclesiae negotiis comprobatum a Nobis exstitit, de eorumdem fratrum consilio per apostolica scripta committimus, ut vos aut aliquae ecclesiasticae personae in dignitatibus constitutae comprobatae integritatis et doctrinae sacrarum litterarum peritae, quas ad id deputandas esse duxeritis, super praemissis omnibus et singulis et eorum circumstantiis universis diligentem informationem recipere ac veritatem elicere studeatis et habita super iis matura informatione, quae veritati innixa esse inveneritis sive huiusmodi deputandi invenerint, Nobis in secreto consistorio fideliter referatis, ut una cum vestro et praefatorum cardinalium consilio ad divini nominis laudem ea efficere valeamus, quae SS. Patrum dogmata et sacrorum canonum institutiones ac iustitia et christiana charitas postulat et requirit; super quibus plenam et omnimodam auctoritate apostolica vobis tenore praesentium concedimus facultatem. Verum, cum inter ceteras graviores causas, quae apud Sedem Apostolicam agitantur, haec gravissima sit, et in eadem omnis diligentia et conscientiae sinceritas adhiberi debeat, ut in hac causa non simulata, sed solida veritas elici possit, volumus, ut huiusmodi personae a vobis deputandae, quamquam graves quidem fore existimemus, in manibus vestris praestent iuramentum, ut omnia a vobis eis commissa, solum Deum ac veritatem prae oculis habentes, prout

[1] Reg. Vat. t. 377, f. 35v; Wadd. *Ann.* ad a. 1445, n. 2. De S. Bernardino cf. supra n. 606, p. 286, not. 1.

sacri canones dictant, omni studio et diligentia exsequantur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XVII kal. maii, ... anno XV.

896. Fernando Falcon, O. F. M., de nobili genere procreato et in senio constituto, cui dudum concessa erat facultas recipiendi parochialem ecclesiam de Poboos, Ulixbonen. dioec., quam tamen assequi non potuerat, ad suam et nobilis mulieris Isabellis, ducissae Burgundiae, supplicationes concedit facultatem recipiendi unum beneficium ecclesiasticum (1).

1445, aprilis 16, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XVI kal. maii, ... anno XV.

897. Vicario O. F. M. de observantia provinciae Aragoniae concedit facultatem absolvendi suos subditos a reservatis et ab irregularitatibus (2).

1445, aprilis 17, Romae.

Dilectis filiis .. vicario et fratribus ordinis Minorum, vicariae provinciae Aragoniae iuxta morem dicti ordinis.

Sacrae religionis zelus, sub qua *etc.* Hinc est, quod Nos, cupientes, ut vos eo ferventius officiis et aliis beneplacitis divinis coaptetis et in illis firmius persistatis, quo per Nos et Sedem Apostolicam vos specialibus favoribus et gratiis, praesertim animarum salutem concernentibus, munitos fore conspexeritis, et exinde plures ad ingressum religionis vestrae animentur ac in illam iam ingressi pro similibus obtinendis gratiis ad Sedem praedictam venire sicque hinc-inde vagandi occasionem non habeant, vestris, qui, ut asseritis, sub regulari observantia vestri ordinis fratrum Minorum degitis, supplicationibus inclinati, quod tu, dilecte fili vicari, et successores tui vicarii vicariae provinciae Aragoniae iuxta morem ipsius ordinis, qui erunt pro tempore, necnon tam tui quam illorum commissarii pro tempore exsistentes omnibus et singulis fratribus et in eventum, quo inibi professionem emiserint, novitiis ac conversis ordinis et observantiae praedictorum in dicta vicaria et sub tui vel vicariorum praedictorum obedientia viventibus, praesentibus et futuris, eorum confessionibus diligenter auditis in omnibus, etiam Sedi praedictae reservatis, casibus semel dumtaxat cuilibet eorumdem debitam absolutionem impendere et poenitentiam salutarem iniungere necnon in eisdem reservatis casibus ipsos fratres et conversos ac novitios praesentes et futuros, si hoc humiliter petierint, ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris et poenis tam a iure quam ab homine latis quomodolibet et promulgatis, quibus forsan innodati fuerint, in forma ecclesiae consueta ... absolvere necnon cum eis super irregularitate ... bigamiae, homicidii manualis et mutilationis membrorum casibus dumtaxat exceptis dispensare ... ipsisque, quod nihilominus ad omnes sacros ordines promoveri et in illis ac iam susceptis ... ministrare libere et licite possint, concedere et indulgere libere ac licite auctoritate Nostra semel tantum valeatis ac valeant, devotioni vestrae tenore praesentium indulgemus. Volumus autem, quod, si propter praemissa per fratres novitios et conversos praedictos vel eorum aliquem pro tempore fuerit alicui satisfactio impendenda, illa infra certum peremptorium terminum, eis ad hoc per te vel successores ac commissarios praefatos competentem statuendum, per ipsos rite fiat, alioquin eo lapso et alio eis non suffragante indulto canonico in praedictas sententias, censuras et poenas relabentur eo ipso. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XV kal. maii, ... anno XV.

898. Dominico, tit. S. Crucis in Hierusalem presbytero cardinali, et Adrien. ac Mantuan. episcopis mandat, ut Iohanni de Tuscanella, clerico Romano, magistro artium et medicinae, commendent prioratum O. S. Ben. seu ecclesiam prioratum nuncupatam S. Christinae, Perusin. dioec., vacantem per ingressum Margaritoni Cherubini, clerici Perusin., in ordinem fratrum Minorum (3).

1445, aprilis 18, Romae.

Litterarum scientia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XIV kal. maii, ... anno XV.

899. Iubet, ut domus de Monte, de la Riçafa, de Constantina, de Villaverde et de la Rabida, Corduben. et Hispalen. dioec., O. F. M. de observ., a fratribus conventualibus detentae, restituantur, et ut monasterium S. Clarae Ubeten. (Ubeda), Giennen. dioec., O. S. Cl., ad observantiam reducatur (4).

1445, aprilis 19, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Sacrae religionis, sub qua dilecti filii vicarius et fratres custodiae Hispalen., provinciae

(1) Reg. Lat. t. 416, f. 111 v.
(2) Reg. Lat. t. 416, f. 46 v.
(3) Reg. Vat. t. 363, f. 279 v.
(4) Reg. Vat. t. 377, f. 32.

Castellae, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum *etc.* Ad audientiam siquidem Nostram nonnullorum fide dignorum relationibus pervenit, quod, licet dudum post generale capitulum per fratres ordinis fratrum Minorum in civitate Paduan. ultimo celebratum inter alia per quasdam Nostras litteras statuerimus et ordinaverimus, quod omnes et singuli fratres ordinis et observantiae huiusmodi per duos, unum videlicet cismontanum, cui cismontani, et alium ultramontanum vicarios, cui ultramontani fratres ordinis et observantiae praedictorum cum eorum domibus ac locis subessent, ita quod de illis et domibus praedictis ministri provinciales et alii fratres conventuales eiusdem ordinis, certis exceptis casibus tunc expressis, se intromittere et aliquam in eos necnon domos ac loca praedicta iurisdictionem sibi vindicare non possent, tamen dilectus filius Iohannes de S. Anna, minister provinciae Castellae, et quidam fratres conventuales custodiae et ordinis praedictorum ipsos vicarium et fratres de observantia capere, incarcerare et suarum domorum ac locorum libros, calices et alia ornamenta ecclesiastica asportare ac de Monte et de la Riçafa ac de Constantina necnon de Villaverde et de la Rabida domos dicti ordinis, Corduben. et Hispalen. dioec., per diversas Nostras litteras ipsis fratribus de observantia per Nos sub certis modis et forma concessas detinere necnon quasdam gratias ipsis fratribus de observantia vicariae praedictae super facultate eligendi eorum vicarium et concessionem remissionis in mortis articulo, ac ipsi et nonnullae sorores monasterii S. Clarae Ubeten., ordinis eiusdem sanctae, Giennen. dioec., super confirmatione certarum litterarum dilecti filii Alberti de Sartiano, tunc vicarii generalis praefati ordinis fratrum Minorum, super reductione domus praedicti loci eiusdem ordinis fratrum Minorum et praefati monasterii ad regularem observantiam necnon absolutione vicarii custodiae et guardiani domus Ubeten. praedictorum ab excommunicationis et aliis sententiis, censuris et poenis tunc expressis ac gestorum per eos approbatione et mandato, ut nonnulla bona tunc expressa praedictae Ubeten. ac aliis domibus substracta illis restituerentur, necnon litteras apostolicas subinde confectas, quominus gratiae, mandatum et litterae huiusmodi debitum sortita fuerint et sortiantur effectum, praetextu diversarum appellationum, per eos occasione mandati, gratiarum et litterarum praedictarum huiusmodi seu alicuius eorum per eos ad Sedem praedictam seu alias interpositarum, necnon variis et exquisitis coloribus, viis et modis impedire praesumpserunt et praesumunt in non modicum ipsorum vicarii et fratrum de observantia praeiudicium ac gratiarum, mandati et litterarum praedictorum contemptum, perniciosum quoque exemplum et scandalum plurimorum. Nos igitur, qui ... sinceris desideramus affectibus, ut per Nostrae operationis ministerium singula religionum loca eorumque personae sublata ab eis omnis perturbationis materia, cum exsultatione spirituum sub debito professionis obsequio culmina meritorum scandentes, votiva in spiritualibus et temporalibus suscipiant incrementa, indemnitati et statui vicarii fratrum de observantia et monasterii huiusmodi providere volentes ac sperantes, quod ex eorum vita laudabili et fructuosis operibus non modo incolae et habitatores illarum partium ad rectam salutis semitam, sed etiam quamplura eiusdem ordinis fratrum Minorum domus et loca ac eorum personae ad observantiam huiusmodi reducerentur, ut ipsi vicarius et fratres de observantia eo ferventius divino cultui ac salutis operibus insistant, quo se per Nos et Sedem Apostolicam ab indebitis vexationibus erectos ac specialibus favoribus munitos fore conspexerint, eorumdem vicarii et fratrum de observantia in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium gratias, mandatum, concessionem et litteras praedicta ac omnia et singula in dictis litteris contenta necnon quaecumque inde secuta, quae omnia, quaecumque, quotcumque, qualiacumque fuerint, necnon Nostrorum statuti et ordinationis, etiamsi illa post captiones, incarcerationes et alia per ministrum ac fratres conventuales praesumpta praedicta vel ipsorum aliquod emanaverint, ac litterarum et appellationum huiusmodi tenores de verbo ad verbum praesentibus haberi volumus pro expressis et insertis, approbamus et confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus supplemusque omnes defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem. Et nihilominus etiam pro potioris cautelae suffragio vicarium ac fratres de observantia praedictos eorumque domos et loca, in quibus degunt et quae imposterum ad observantiam huiusmodi reducentur seu alias eis concedentur, ab omnibus dominio, potestate, superioritate, obedientia et iurisdictione provincialium ministrorum, in quibus domus et loca praefata consistunt, et aliorum fratrum dicti ordinis perpetuo eximimus et penitus liberamus necnon curae, regimini, gubernationi et correctioni vicarii ultramontani praedicti submittimus pariter et subiicimus in omnibus et per omnia, prout alii fratres, domus et observantiae praedictorum eorumque domus et loca exempta, liberata, submissa et subiecta exsistunt, privilegiis tamen et exemptionibus eis alias per Nos

concessis in omnibus semper salvis, volentes et decernentes, quod praedicti et, qui pro tempore erunt, vicarii ac fratres de observantia custodiae huiusmodi praefatis et quibusvis aliis exemptionibus, privilegiis, gratiis et indultis sibi per Nos ac Sedem antedictam concessis ac imposterum forsan concedendis uti et gaudere, necnon dilectus filius Sancius de Canales, ipsius ordinis fratrum Minorum de observantia professor, super reductione monasterii, et exsecutores desuper deputati super restitutione bonorum mandata ac super illis habitas litteras huiusmodi per se vel alium seu alios, cui vel quibus super his commiserit vices suas, alias iuxta ipsarum litterarum continentiam atque formam plenariae exsecutioni demandare libere et licite possint et debeant supradictis et aliis per fratres conventuales et moniales vel sorores praedictas ad Nos vel Sedem ipsam seu alias interpositis vel imposterum interponendis appellationibus et contradictionibus, quas omnes et quaecumque inde secuta irrita et inania nulliusque roboris vel momenti fore decernimus, non obstantibus quibuscumque, mandantes quoque universis venerabilibus fratribus Nostris archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis ecclesiasticis praelatis necnon ecclesiarum cathedralium canonicis ubilibet per Castellae et Legionis regna ac dominia charissimi in Christo filii Nostri Iohannis, dictorum regnorum regis illustris, constitutis, quatenus ipsi vel quilibet eorum per se vel alium seu alios ministrum provincialem et fratres conventuales praedictos communiter et divisim auctoritate Nostra moneant et requirant eisque in virtute sanctae obedientiae et sub magisterii gradus et ministeriatus aut alterius officii cuiuslibet privationis necnon infamiae et inhabilitationis ad praemissa ac alia quaecumque honores, dignitates et officia imposterum obtinenda necnon excommunicationis aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, de quibus eis videbitur, per eos in scriptis ferendis, districte praecipiendo mandent, ut infra certum peremptorium eis ad hoc assignandum terminum domos per eos detentas praedictas realiter dimittant, et quod dicti vicarius ac fratres de observantia illa assequi in ipsisque habitare libere et pacifice possint, efficaciter faciant, permittant et procurent ac ipsos archiepiscopos, episcopos, praelatos et canonicos, qui monitionem, requisitionem et mandatum huiusmodi fecerint, de reali et effectuali paritione monitionis, requisitionis et mandati praedictorum certificare debeant, alioquin eodem termino lapso dicta auctoritate praefatos ministrum provincialem et fratres conventuales et quemlibet ex eis communiter et divisim supradictas sententias, censuras et poenas incidisse declarent illosque sententiis, censuris et poenis, in quas eos incidisse declaraverint, innodatos fuisse et esse dominicis aliisque festivis diebus, dum inibi multitudo convenerit ad divina, tamdiu nuntient faciantque ab aliis nuntiari necnon ab omnibus christifidelibus arctius evitari, donec et quousque sic nuntiati, rubore verecundiae perfusi, spiritum assumentes consilii sanioris, a sententiis, censuris et poenis praefatis absolutionis beneficium et reconciliationis gratiam a Nobis vel dicta Sede meruerint obtinere; praeterea quando et quotiens pro parte vicarii et fratrum de observantia custodiae Hispalen., qui pro tempore erunt huiusmodi, fuerint requisiti seu aliquis eorum fuerit requisitus, praefatas et praesentes Nostras litteras sollemniter publicantes non permittant ipsos vicarium et fratres de observantia, quominus exemptionibus, privilegiis, gratiis et indultis utantur et gaudeant ac Sancius et exsecutores praedicti per se vel alium seu alios ad litterarum et mandatorum huiusmodi exsecutionem omnimodam procedant, per ministrum provincialem et fratres praedictos seu quasvis alias personas laicales vel ecclesiasticas, saeculares et regulares dicti fratrum Minorum seu alterius ordinis aut cuiuscumque saecularis vel ecclesiasticae dignitatis, status, gradus vel conditionis, directe vel indirecte, quovis quaesito colore impediri aut alias super illis molestari seu perturbari, impeditores, molestatores et perturbatores necnon quoslibet contradictores et rebelles necnon exsecutores praedictos, si desuper per eosdem fratres de observantia requisiti, mandatum sibi per Nos factum praedictum infra mensem a die requisitionis eis faciendae huiusmodi adimplere neglexerint, quos omnes etiam legitimis super his per ipsos vel ipsorum aliquem habendis servatis processibus, quotiens expedierit, aggravare et reaggravare curabunt, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus *etc.* Nos enim, si dictum monasterium Ubeten. ad regularem observantiam vigore litterarum super reductione praedictarum reduci contigerit, omnibus et singulis monialibus vel sororibus in illo pro tempore degentibus illarumque servitricibus, quatenus tam plenariae remissionis in mortis articulo et eligendi confessorem, quam omnibus aliis et singulis indultis, gratiis, privilegiis et exemptionibus dilectis in Christo filiabus abbatissae et sororibus monasterii de Oterdesillas, dicti ordinis S. Clarae, Palentin. dioec., sub observantia huiusmodi degentibus ipsique monasterio de Oterdesillas per Nos et Sedem praedictam vel alias concessis, quae-

cumque, quotcumque et qualiacumque sint, uti possint pariter et gaudere, eadem auctoritate concedimus per praesentes. Ceterum, quia difficile foret huiusmodi Nostras litteras ad singula loca deferre *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XIII kal. maii, ... anno XV.

900. Extendit facultates pro exarchatu Ravennaten. concessas ad totam Italiam (1).

1445, aprilis 22, Romae.

Dilectis filiis Iacobo de Primaditiis de Bononia et Francisco de Platea, fratribus ordinis beati Francisci de observantia regulari, nuntiis Nostris.

Cum pro maximis Nostris ac Romanae ecclesiae necessitatibus, impetrandi subsidia a christifidelibus ad armandam classem, quam Domino concedente ad praesens mittimus ad partes Orientis adversus perfidos Christi hostes, vobis certas dederimus facultates in exarchatu Ravennae, prout in litteris apostolicis superinde confectis latius continetur, Nos, cupientes, ut vestra devotio, de quorum prudentia ac vitae munditia spem in Domino amplissimam obtinemus, eo Nobis et ecclesiae utilius serviat, quo maiori et ampliori fueritis a Nobis facultate muniti, easdem facultates omnes vobis in praedicto exarchatu concessas ad omnes Italiae partes in omnibus et per omnia auctoritate apostolica extendimus, ut in praedictis omnibus Italiae partibus illas pariter, sicut in praedicto exarchatu, valeatis exercere, volentes etiam, quod non solum praedicatoribus divini verbi praecipere possitis, quod ea dicant circa praedicta, quae illis duxeritis iniungenda, sed vos etiam et a vobis instituti, quando vobis visum fuerit, praedicationem assumere ac omnibus praedicatoribus pro die et hora, quam vobis assumetis, silentium imponere valeatis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Quod si quis obtemperare neglexerit vel contra vestrum praeceptum praedicare praesumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Si autem aliqui, quod non credimus, huiusmodi litteris Nostris directe vel indirecte ausi fuerint contradicere aut vos et a vobis substituendos infamare et in tam pio opere aliqualiter iniuriare vel perturbare, eos ad omnem requisitionem vestram volumus et praecipimus per venerabiles fratres Nostros episcopos, in quorum dioecesibus talia fieri contigerit, carceribus mancipari; et nihilominus devotionis vestrae perturbatores et infamatores praedictos excommunicandi et excommunicatos denuntiandi concedimus facultatem. Ceterum, ut onus istud vobis iniunctum melius ex vestri animi sententia perficere valeatis, ut institutos a vobis ad dictum opus, quoties placuerit, revocare et alios in eorum locum subrogare et deputare possitis, quibus omnibus tam institutis quam subrogatis prohibeatis atque praescribatis, ne alia auctoritate aliqua praeterquam a vobis sibi concessa utantur, tenore et auctoritate praedictis facultatem concedimus et plenariam potestatem, volentes auctoritate praedicta in vestrum et praedictorum ex vestra ordinatione laborantium mercedem et praemium animarum, quod tam vos ambo quam praedicti omnes instituti et instituendi ac subrogandi et alii quomodolibet in hoc pio opere laborantes eamdem plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus ore confessi et corde contriti fueritis et fuerint, remissionem consequamini et consequantur, volentes etiam, quod omnes gratiae per Sedem Apostolicam hactenus concessae circa absolutionem peccatorum et dispensationem in votis et circa casus reservatos tam Sedi Apostolicae quam episcopis, quarum vigore aliquod impedimentum afferri videretur huiusmodi pio operi per vos aut vestros substitutos exercendo, tamdiu suspensae remaneant, quousque vestra huiusmodi facultas et commissio durabit. Et quod eos, qui manus violentas in clericos iniecissent, dummodo laesio sit citra mortem aut membrorum mutilationem aut perpetuam debilitatem, absolvere valeatis.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, X kal. maii, ... anno XV.

901. Francisco de Platea, O. F. M. de observ., concedit facultatem praedicandi verbum Dei et certa privilegia (2).

1445, aprilis 22, Romae.

Dilecto filio fratri Francisco de Platea, ordinis Minorum de observantia regulari.

Religionis zelus *etc.* Scientes itaque te doctrina excultum praedicandi verbi Dei exercitium diu laudabiliter habuisse et cupientes, ut illud eo fructuosius teneas, quo maiorem ad id habueris commoditatem, devotioni tuae, quamdiu in regulari observantia perseveraveris, verbum Dei ubique salva tamen constitutione fel. rec. Clementis papae IV, praedecessoris

(1) Reg. Vat. t. 377, f. 48 et iterum ibid. f. 49; Wadd. *Ann.* ad a. 1445, n. 7. Cf. supra n. 854, 855, p. 406 s.
(2) Reg. Vat. t. 377, f. 47 v. Cf. n. praec.

Nostri, populis praedicandi et, ut id magis commode possis facere, tres ex fratribus tui ordinis tibi gratos tecum retinendi, in conventibus quoque et alibi, prout magis tibi fuerit commodum, habitandi absque aliqua molestia tibi et praedictis sociis per aliquos inferenda, habendi quoque ad tuum usum libros, quoscumque tu ipse tibi procuraveris, et quaerendi eleemosynas vitae tuae et dictorum sociorum tuorum necessarias concedimus auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem perpetuis temporibus duraturam, mandantes quorumcumque conventuum guardianis et fratribus, quatenus te in ipsorum conventu, ut praefertur, recipiant et decenter teneant et praedicandi commoditates praebeant necessarias.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, X kal. maii, ... anno XV.

902. Revocat licentiam recipiendi beneficium ecclesiasticum Francisco Dominici de Arimino, O. F. M., concessam (1).

1445, aprilis 22, Romae.

Ad futuram rei memoriam

Sedis Apostolicae circumspecta benignitas *etc.* Dudum siquidem, postquam dilectum filium fratrem Franciscum de Platea, ordinis fratrum Minorum de observantia (2), ad certas Italiae partes ad praedicandum verbum Dei necnon omnes et singulas pecuniarum quantitates pro classe per Nos contra et adversus perfidos Saracenos, persecutores fidei christianae, armanda colligendum et exigendum nuntium Nostrum transmisimus, quidam Franciscus Dominici de Arimino, pro fratre dicti ordinis et in theologia professore se gerens, cui dudum, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum ... recipere in commendam una cum quibusvis administrationibus, officiis et privilegiis, quoad vixerit, retinere posset, per quasdam litteras Nostras indulsimus, praedicto fratri Francisco de Platea variis modis iniuriatus est, unde factum est, ut ipse frater Franciscus de Platea Nostra mandata minus utiliter exsecutioni potuerit demandare. Nos igitur, praefatum fratrem Franciscum de Arimino in exemplum aliorum, ne similia attentent, pro excessibus, ut praefertur, per eum perpetratis punire volentes, dictas litteras Nostras, per quas, ut beneficium cum cura vel sine cura, ut praefertur, in commendam, quoad vixerit, retinere possit, et omnia et singula contenta in eisdem necnon quaecumque inde secuta ex certa scientia tenore praesentium revocamus, cassamus et annullamus ac pro nullis et infectis haberi volumus, decernimus et etiam declaramus ipsasque de Nostris et aliis quibuscumque registris cassari et aboleri simili tenore mandamus, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, X kal. maii, ... anno XV.

903. Ministro provinciae Apuliae mandat, ut nullatenus se intromittat de loco Termularum (Termoli), fratribus O. F. M. de observantia assignato (3).

1445, aprilis 22, Romae.

Ministro provinciae Apuliae ordinis Minorum.

Dil. fil. sal. etc. Cum pro pacifico et quieto statu et regimine fratrum ordinis Minorum ordinaverimus alias, ut fratres eiusdem ordinis, qui de observantia nuncupantur, per proprium vicarium regantur, et prout accepimus, in provincia S. Angeli in civitate Termularum sit locus eisdem fratribus de observantia olim assignatus, in cuius possessione fratres huiusmodi de observantia impraesentiarum exsistunt, et ad quos incolae et habitatores civitatis et locorum circumstantium, prout accepimus, singularem gerunt devotionem, eapropter devotioni tuae in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam, si secus feceris, ipso facto incurrere volumus, iniungimus et mandamus apostolica auctoritate tenore praesentium, quatenus de huiusmodi loco Termularum te nullatenus intromittas, sed infra 10 dies post receptionem praesentium computandos locum huiusmodi dilecto filio vicario dictae provinciae S. Angeli secundum morem vestri ordinis nuncupato debeas consignare. Si quid autem in dictis locis iuris te habere praetendas, compareas coram Nobis, accepturus iustitiae supplementum.

Romae, XXII aprilis, ... anno XV.

904. De eadem re scribit Carolo de Campobasso (4).

1445, aprilis 22, Romae.

Carolo de Campobasso.

Dil. fil. sal. etc. Per tuas litteras directas venerabili fratri Nostro episcopo Lucerin. et ab eodem episcopo Nobis porrectas intelleximus inter dilectos filios ministrum fratrum conventualium provinciae Apuliae ordinis Minorum ex una et vicarium et fratres de observantia loci

(1) Reg. Vat. t. 377, f. 50. Cf. supra n. 806, p. 380.
(2) Cf. supra n. praec.
(3) Reg. Vat. t. 367, f. 173; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 172.
(4) Reg. Vat. t. 367, f. 173v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 173.

tuae civitatis Termularum dicti ordinis ex alia partibus nonnullas differentias emersisse ministro praefato ad fratres suos conventuales praedictum locum, vicario vero ad illos de observantia pertinere asserentibus. Verum, cum sumus fide dignis relationibus informati praefatum locum ipsis fratribus de observantia deputatum et assignatum esse eosque in ipsius possessione actualiter exsistere, eapropter scribimus dilecto filio .. praefatae provinciae ministro, quatenus de ipso loco Termularum se nullatenus intromittat, sed ipsum dictis fratribus de observantia liberum et quietum dimittat et, si quid in eo iuris habere praetendat, accedat ad praesentiam Nostram, iustitiam recepturus. Quare nobilitatem tuam in Domino requirimus et hortamur, quatenus ipsis fratribus de observantia, qui in praefati loci possessione esse dicuntur, faveas et assistas, ita ut nullatenus in possessione dicti loci de facto perturbentur aut molestentur.

Datum, *ut supra immediate.* (22 aprilis).

905. Mariae, reginae Francorum, concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in loco subtus monasterium monialium Montis Martyris extra Parisios consistente, O. S. Ben. (1).

1445, aprilis 23, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter cetera Nostri cordis desiderabilia *etc.* Cum itaque, sicut pro parte charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae, reginae Francorum illustris, Nobis nuper exhibita petitio continebat, ipsa ob singularem, quem ad ordinem fratrum Minorum, illorum videlicet, qui de observantia nuncupantur, gerit devotionis affectum, necnon ad laudem et gloriam Altissimi religionisque propagationem ac populi devotionis augmentum cupiat atque desideret, quod in quodam loco subtus monasterium monialium Montis Martyris extra muros Parisien., ordinis S. Benedicti, consistente, in quo S. Dionysius palmam martyrii suscipiendo decapitatus fuit, in quo capella ipsius sancti sita exsistit, seu alio quocumque accommodo loco una domus pro usu et habitatione perpetuis quorumdam dicti ordinis fratrum inibi continuo sub regulari ipsius ordinis observantia vivere debentium, effectualiter construatur, Nos, desiderium reginae huiusmodi condignis in Domino laudibus commendantes, et ut illud effectum plenarium sortiatur, quantum cum Deo possumus, providere cupientes, ipsius reginae in hac parte supplicationibus inclinati, capellam praedictam ac domos et habitationes necnon terras ad constructionem domus huiusmodi necessarias, eidem capellae contiguas, et silvam, si qua sit, in eventum erectionis inibi domus huiusmodi dumtaxat, et in quantum illae ad ipsum monasterium pertineant, ab eodem monasterio auctoritate apostolica ex certa scientia separamus et segregamus et nihilominus reginae praedictae in illo, in quo capella, domus et habitationes et terrae segregatae huiusmodi consistunt, seu alio, de quo dictae reginae visum fuerit, civitatis seu dioec. Parisien. ad id accommodo locis unam domum cum ecclesia, campanili, ... officinis pro usu et habitatione perpetuis quorumdam ex fratribus dicti ordinis Minorum, praesentibus et futuris, sub dicta observantia dumtaxat degentibus necnon sub obedientia vicarii generalis pro tempore exsistentis fratrum ordinis et observantiae huiusmodi extra Italiam consistentium permansuris, aedificandi ... necnon fratribus praedictis et eorum singulis domum praedictam recipiendi ... facultatem ac etiam omnibus et singulis guardianis et fratribus in dicta erigenda domo pro tempore commorantibus, ut omnibus privilegiis *etc.*, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, IX kal. maii, ... anno XV.

906. Cardinales Tarentin. et Andegaven. vulgariter nuncupatos instituit conservatores et defensores conventus S. Mariae de Aracoeli de Urbe, O. F. M., ad observantiam regularem reducti (2).

1445, aprilis 24, Romae.

Venerabili fratri Iohanni, episcopo Praenestin., Tarentin., et dilecto filio Guillelmo, tit. S. Martini in Montibus presbytero, Andegaven. vulgariter nuncupatis, S. Romanae ecclesiae cardinalibus.

Quamvis de cunctis orbis ecclesiis, prout ex debito Nobis desuper iniuncti pastoralis officii tenemur, sollicite cogitemus pro eorum statu salubriter dirigendo, inter (3) ceteras tamen ad

(1) Reg. Vat. t. 377, f. 50v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 174.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 175 « ex ipso originali »; Reg. Vat. t. 377, f. 60v. De domo de Aracoeli cf. supra n. 846 et 847, p. 398.

(3) In Reg. Vat. l. cit. ea, quae sequuntur, hoc modo leguntur: inter ceteros tamen ordines ac sacras religiones ad ordinem Minorum Nostrae considerationis intuitum dirigentes, optamus in Domino nostro Iesu Christo, ut, sicut idem ordo per universas orbis provincias per incrementa temporum suos palmites dilatavit, sic ubique virtutum radiis iugiter illustretur et quotidie amplius in religionis observantia conservetur. Ea itaque ratione inducti *etc. (ut supra).*

ecclesias almae Urbis et praesertim, quae venerabilium fratrum Nostrorum S. Romanae ecclesiae cardinalium tituli fore noscuntur et eorum curae et administrationi committi consueverunt, Nostrae considerationis intuitum propensiori studio dirigimus, ut ecclesiae ipsae in locis, in quibus ruinam minantur, reparentur, ac alias in suis aedificiis et structuris debite conserventur. Cum itaque ratione inducti proximis temporibus, videntes conventum S. Mariae de Aracoeli de Urbe, praedicti ordinis Minorum, secundum ipsius ordinis regulam et instituta minime gubernari minusque laudabiliter vivere, amotis inde fratribus eiusdem ordinis conventualibus ipsum locum dedimus atque consignavimus aliis fratribus etiam dicti ordinis, qui dicuntur de observantia; indignum namque visum est locum illum, qui in alma Urbe, christiani orbis domina, celeberrimus exsistit, beati Francisci et eius Minorum ordinis vocabulum habere et regulae observantiam non tenere. Cum itaque vos ex Nostra commissione laudabilem huiusmodi reformationem feceritis, dignum existimamus, ut in dies dante Domino uberiores fructus afferat, defensionem conventus et fratrum illius vobis et vestrum cuilibet demandare. Hinc est, quod Nos motu proprio ... vos ambos simul et quemlibet vestrum in alterius absentia conservatores et defensores dicti loci atque conventus beatae Mariae de Aracoeli et fratrum ordinis Minorum de observantia regulari in eo commorantium auctoritate apostolica tenore praesentium vita vestra durante facimus, ... vobis et vestrum cuilibet, ut praefertur, conservandi et defendendi in quacumque necessitate huiusmodi locum et fratres toties, quoties vobis videbitur expedire, secundum eiusdem canonica instituta, offensores, molestatores et contradictores quoslibet et rebelles ... compescendo, invocato *etc.*, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque potestatem plenam et liberam concedentes.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VIII kal. maii, ... anno XV.

907. Extendit et ampliat facultates concessas pro collectione eleemosynarum in subsidium expeditionis contra Christi hostes ([1]).

1445, aprilis 28, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Capistrano, omnium et singulorum domorum, locorum et conventuum partium cismontanarum ordinis Minorum de observantia vicario generali, nuntio Nostro.

Cum pridem per alias Nostras litteras inter ceteras tibi a Nobis mandatas facultates concesserimus, quod, ubicumque verbum Domini praedicares, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, volentibus in subsidium expeditionis contra perfidos Christi hostes florenos auri quinque erogare, tu et a te deputandi eis indulgere valeretis, quod singuli confessores, quos elegissent, omnium suorum peccatorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuissent, semel tantum in mortis articulo plenariam remissionem eis, in sinceritate fidei, unitate S. Romanae ecclesiae ac obedientia et devotione Nostra et successorum Nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus, auctoritate apostolica concedere valerent, prout in ipsis litteris ([2]) plenius continetur, Nos, ut haec Dei et fidei causa uberius fructus pariat salutares, volentes ea tibi concedere, per quae animarum saluti provideri possit, tibi et deputandis praedictis cuicumque patrifamilias sive eius locum tenenti, volenti pro persona sua in subsidium dictae causae quinque et pro qualibet persona familiae suae unum florenos auri pie erogare, quod singuli confessores, quos elegerint, omnium suorum peccatorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, semel tantum in mortis articulo remissionem iuxta aliarum Nostrarum litterarum continentiam et tenorem concedere valeant, indulgendi necnon cum quibusvis viris et mulieribus supra secundum consanguinitatis vel affinitatis gradum exclusive invicem coniunctis ac tam de et super impedimento cognationis spiritualis et criminis quam ceteris quibuslibet impedimentis, erogando aliquid plus vel minus iuxta personarum facultatem in subsidium huiusmodi sancti operis, dispensandi plenam et liberam dicta auctoritate tenore praesentium concedimus facultatem et insuper discretioni tuae, quod pauperibus personis tam tertii ordinis beati Francisci quam aliis iuxta earum facultatem cum solutione, quae tibi discrete visa fuerit, causa praedicta supradictam remissionem in mortis articulo modo praedicto impertiri valeas, simili tenore remittimus, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, IV kal. maii, ... anno XV.

908. Mariae, marchionissae Esten., concedit licentiam semel in mense ingrediendi monasterium S. Guillelmi Ferrarien., O. S. Cl. ([3]).

1445, aprilis 28, Romae.

Dilectae in Christo filiae, nobili mulieri Mariae, marchionissae Esten., dilecti filii no-

([1]) Reg. Vat. t. 377, f. 42 v.
([2]) Vide supra n. 854 a, p. 407, n. 859, p. 410, n. 886 b, p. 430.
([3]) Reg. Vat. t. 377, f. 39. De monasterio S. Guillelmi cf. supra n. 891, p. 431.

bilis viri Leonelli, marchionis Esten., Ferrariae pro Nobis et S. Romana ecclesia in temporalibus vicarii generalis, uxori.

Devotionis tuae sinceritas promeretur *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, quae, ut asseris, monasterium monialium religiosarum inclusarum S. Guillelmi, ordinis S. Clarae, extra muros Ferrarien ** et illud cum aliis matronis seu honestis mulieribus intrare desideras, favore apostolico prosequi, in hac parte tuis supplicationibus inclinati, tibi indulgemus, ut cum duabus matronis seu mulieribus honestis huiusmodi praefatum S. Guillelmi monasterium religiosarum praedictarum semel in mense dumtaxat, horis congruentibus, anno quolibet intrare et inibi refectionem recipere libere et licite valeas, dummodo priorissae, vel quae monasterio ipsi praefuerit, ad id accedat assensus, et tu dictaeque matronae seu mulieres ibidem non pernoctetis, monasterii et ordinis praedictorum statutis ... nequaquam obstantibus. Volumus autem, quod huiusmodi Nostra concessio per quamcumque generalem revocationem per litteras apostolicas super hoc factam et per Sedem Apostolicam vel alias faciendam nullatenus revocata censeatur, nisi de concessione Nostra huiusmodi *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae, apud S. Petrum, anno ... 1445, IV kal. maii, ... anno XV.

909. Fratribus O. F. M. de observ. custodiae Hispalen., provinciae Castellae, dat licentiam recipiendi domos intra custodiam praedictam consistentes eisque concedit aliqua privilegia (1).

1445, mali 1, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Dum praeclara dilectorum filiorum vicarii et fratrum custodiae Hispalen., provinciae Castellae, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, religionis merita *etc.* Attendentes igitur, quod vicarius et fratres praedicti ... variis et diversis hactenus multiplicarunt, prout in dies multiplicant, virtutum meritis sub charitate et eiusdem observantiae unione virtutum Domino iugiter famulando ad divini nominis laudem ac singulare et praecipuum salutare plurimorum exemplum, praefatis et aliis vicariis et fratribus custodiae et ordinis praedictorum, qui pro tempore erunt, ut ipsi eo ferventius se divinis beneplacitis coaptent, quo per Nos et Sedem Apostolicam specialibus favoribus et gratiis se munitos fore conspexerint, eorum in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus, quod ipsi omnes et singulas domos conventuales eiusdem ordinis in Hispalen. custodia dictae provinciae consistentes, si eis per illarum fratres concedentur, quaecumque, quotcumque et qualescumque fuerint, ad observantiam huiusmodi reducere et reformare necnon unum cum certo iuxta illum oliveto in Villa de Veas, Cartaginen. dioec., consistente, alias fratribus eiusdem ordinis, ut asseritur, canonice concessum, licet de concessione huiusmodi fides fieri nequeat, iam aedificari inceptum ac de novo quinque alia domos seu loca, si ipsis pia fidelium largitione concedantur, pro aliquorum ex eis usu et habitatione perpetuis recipere ac de novo cum ecclesiis, coemeteriis, hortis, hortalitiis et aliis officinis pro usu et habitatione huiusmodi necessariis fundare et construere ... illaque cum ossibus defunctorum, prout illis pro usu et habitatione praedictis magis accommodum fuerit, de loco ad locum mutari facere, ita quod fratres in eis pro tempore degentes omnibus et singulis exemptionibus ... uti et gaudere possint, quodque in reservatis semel tantum, in non reservatis vero Sedi praedictae casibus, quotiens fuerit opportunum, confessor seu confessores, quem vel quos vicarii, et de licentia vicarii dictae custodiae pro tempore exsistentis vel inferioris superioris ipsorum, si eius copia commode haberi poterit, licentia quilibet fratrum praedictorum et aliarum eis in ipsarum domibus servientium personarum duxerit ac duxerint eligendum vel eligendos, ipsorum et cuiuslibet eorum confessiones audire ... necnon ipsos et eorum quemlibet a quibuscumque ... sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine promulgatis absolvere et cum ipsis ac eorum quolibet super irregularitatibus ... dispensare omniaque ab eis et ipsorum quolibet inhabilitatis et infamiae maculam ... abolere et insuper, quod dictus vicarius pro tempore et illis ex fratribus ordinis huiusmodi, quos ad id ipse vicarius, qui pro tempore fuerit, duxerit deputandos, in quibuscumque civitatibus, castris, villis et locis in praefata custodia consistentibus a quibuscumque utriusque sexus christifidelibus professionem per fratres et sorores tertii ordinis de poenitentia nuncupati emitti solitam emittere volentibus recipere et admittere eisque regularem habitum per fratres et sorores tertii ordinis antedictos gestari solitum exhibere necnon a personis, quae professionem huiusmodi emiserint, quotiens fuerit opportunum, confessiones audire illisque diligenter auditis eis in omnibus

(1) Reg. Vat. t. 377, f. 44.

praeterquam in dictae Sedis reservatis casibus pro commissis ab eis criminibus, excessibus et delictis debitam absolutionem impendere et iniungere poenitentiam salutarem necnon ipsis eucharistiae sacramentum ministrare, praeterea quod dictus vicarius illos ex fratribus praedictis, qui sunt et pro tempore erunt idonei ad nuntiandum verbum Dei, etiam absque consensu fratrum in capitulari congregatione congregatorum, de consilio tamen aliquorum fratrum discretorum, quotiens opus fuerit, instituere et destituere possit, necnon sic instituti verbum Dei publice tam in ipsorum fratrum quam aliis ecclesiis et locis publicis civitatum, terrarum et locorum praefatae custodiae ordinariorum locorum, praelatorum ecclesiarum et aliorum quorumcumque licentia desuper nullatenus requisita, publice proponere ita tamen, quod, si in metropolitanis vel cathedralibus seu collegiatis vel aliorum ordinum ecclesiis praedicare voluerint, praelatorum eorumdem licentiam obtinere teneantur, quodque vicarius pro tempore praedictus venire seu aliquos ex fratribus suis transmittere ad Romanam curiam et ad ministrum generalem necnon ad capitulum generale praedicti ordinis, ubicumque illud celebrari contingeret, libere et licite possint et valeant alicuius desuper licentia nullatenus requisita, et insuper quod vicarius et fratres praedicti ex transgressione constitutionum praedicti ordinis, dummodo votum obedientiae non laedatur, et in quantum humana fragilitas patitur, regulam ipsius ordinis studeant observare, peccatum aliquod minime incurrant. Volumus autem, quod per quascumque litteras apostolicas dicto generali ministro seu aliis quoquo modo concessas vel imposterum concedendas gratiae, indulta et alia supradicta nullatenus intelligantur revocata, non obstantibus *etc.* praesentibus vero, quoad sub observantia praedicta vixerint, dumtaxat valituris. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, kalendis maii, ... anno XV.

910. Confirmat traditionem certorum bonorum a monasterio B. Mariae de Targia *delle piaggie* Cortonen., O. S. Cl., ratione haereditatis Petri Andreutti, civis Cortonen., factam Petro, filio naturali dicti Petri [1].

1445, maii 5, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Humilibus supplicum votis *etc.* Sane pro parte dilectae in Christo filiae Franciscae, dilecti filii Michaelisangeli Nicolai, civis Cortonen., in praesentiarum uxoris, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet dilecta in Christo filia Agatha, quondam Petri Andreutti, civis Cortonen., nata, etiam tunc monialis monasterii beatae Mariae de Targia « delle piaggie », Cortonen., ordinis S. Clarae, infra annum suae probationis tunc exsistens, de bonis ad dictum genitorem suum, dum vixit, spectantibus, in quibus ipsa ab intestato successerat, in eius voluntate ultima coram abbatissa et monialibus tunc exsistentibus dicti monasterii nulla desuper scriptura interveniente ac de ipsarum abbatissae et monialium consensu testamentum condens, inter cetera florenos ducentos auri super quadam domo cum horto in civitate Cortonen. consistente quondam Petro, eiusdem Petri Andreutti filio naturali, reliquisset necnon praefatum monasterium reliquorum bonorum praedictorum universalem haeredem instituisset ac successive dictae abbatissa et moniales domum ipsam cum horto et pro recuperandis bonis dictae haereditatis, a diversis personis occupatis, pro pretio ducentorum florenorum auri alteri vendidissent, ac postmodum quondam Iacobus de Florentia, ordinis fratrum Minorum sacraeque theologiae professor, tunc in partibus illis et dicto ordine fratrum Minorum commissarius, de quorumdam proborum ipsius ordinis fratrum Minorum religiosorum consilio concessionem omnem per abbatissam et moniales dicti ordinis factam vel faciendam dicto Petro occasione huiusmodi legati dumtaxat approbasset et moniales tunc exsistentes monasterii huiusmodi, inter alia tunc asserentes et confitentes relictum Petro filio factum ab Agatha de consensu tunc abbatissae et monialium huiusmodi, de quibus tunc nonnullae inibi superviventes exsistebant, ut praefertur, emanasse ac dictos ducentos florenos in recuperationem plurium bonorum de haereditate praedicta ab aliis tunc occupatorum ad utilitatem ipsius monasterii expositos fuisse et commissos ac etiam ipsum Petrum filium tam in bonorum occupatorum praedictorum recuperatione post magnos litium anfractus subsecuta quam alias negotia ipsius procurando ac illius possessiones locando et ad culturam reduci faciendo et plura alia utilitatem eiusdem monasterii concernentia faciendo plurimos personales labores diutius sustulisse necnon etiam dicta Francisca, tunc adulta et innupta, gravatum fuisse ac bonis ad illam condecenter maritandam tunc carere, ac considerantes, quod praefatus Petrus pluribus annis

---

[1] Reg. Vat. t. 363, f. 267. Cf. supra n. 356, p. 164. — Sub hac die Reg. Lat. t. 416, f. 184v inveniuntur litterae supra n. 779, p. 366 positae, quae Wadd. erronee attribuit anno 1444.

tunc iam elapsis ex domo ipsa super illius venditione huiusmodi nullam utilitatem perceperat et alias admodum pauper exsistebat, habitis tunc inter eas super hoc diversis tractatibus ac matura deliberatione tandem ratione ducentorum florenorum, ut praefertur, expositorum ac in remunerationem laborum susceptorum praedictorum necnon etiam ex gratitudine, qua erga illum causantibus bonis eius genitoris praefato monasterio, ut praefertur, relictis uti debere putabant ac alias ex pietate et misericordia ductae, unum palatium ac nonnullas terrarum petias et quaedam alia bona ex bonis haereditariis praefatis ad monasterium ipsum tunc legitime pertinentia ac valorem sexcentorum florenorum auri de camera vel circa eidem Petro, Petri filio, etiam pro omni eo, quod ratione praemissorum vel alias ab eodem monasterio ratione bonorum paternorum petere posset, dederunt et in solutum tradiderunt, prout in quodam publico instrumento super traditione et datione ac litteris super approbatione commissarii huiusmodi confectis plenius continetur. Post quam quidem dationem et traditionem idem Petrus filius dicta sibi data bona praedicta, dum vixit, et successive praefata Francisca, quam dicto Petro eius genitore vita functo idem Michaelangelus in uxorem accepit, tenuerunt et possederunt, prout etiam hodie praefata Francisca tenet et possidet pacifice et quiete. Quare pro parte dictae Franciscae Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, praemissa pie et aeque compensantes ac domus, palatii, terrarum et aliorum bonorum datorum omnium qualitates, quantitates, loca, vocabula, valores atque confines necnon instrumenti et litterarum praedictorum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, relictum ac dationem et traditionem domus, palatii, terrarum et bonorum per Agatham ac abbatissam et moniales successive facta necnon in dictis instrumento et litteris contenta et inde secuta auctoritate apostolica ex certa scientia approbamus, ratificamus et confirmamus necnon praesentis scripti patrocinio communimus, ac supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus ad securiorem praemissorum cautelam volumus ac dictae Franciscae eiusque haeredibus et successoribus dicta auctoritate concedimus, quod ipsa palatium, terras et bona Petro Petri data et tradita et per Franciscam hodie possessa praefata omnia et singula, etiamsi illa meliorata fuerint et ad dictum monasterium quomodolibet forsan pertinent, quae omnia ad similem cautelam ab eodem monasterio ex nunc realiter segregamus, tenere, possidere et usufructuare ac de illis, prout de aliis propriis eorum bonis, disponere libere et licite possint et valeant etiam perinde in omnibus et per omnia, ac si dictus Petrus Andreutti, dum vixit, illa eidem Petro filio specialiter libere reliquisset, ipseque Petrus filius tunc ad id sufficienti et canonica dispensatione suffultus fuisset, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, III nonas maii, ... anno XV.

911. Mandat, ut 50 libras ab Antonio Gazoli, laico Caesenat., legatas pro aedificatione capellae in ecclesia S. Francisci de Caesena, O. F. M., convertat in constructionem librariae eiusdem domus [1].

1445, maii 12, Romae.

Venerabili fratri episcopo Caesenaten.

Honestis supplicum votis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Francisci de Caesena, ordinis Minorum, nuper exhibita petitio continebat, quod olim quondam Antonius Gazoli, laicus Caesenat., ... de bonis sibi a Deo collatis condens in eius voluntate ultima testamentum, in illo inter alia voluit et ordinavit, quod post eius obitum in ecclesia praefatae domus una capella pro sua parentumque suorum christifidelium defunctorum animarum salute de novo construi et aedificari deberet, ac pro capellae huiusmodi fundatione et aedificatione quingentas libras monetae Bononien. in illis partibus currentis reliquit, dimisit atque legavit certis desuper exsecutoribus deputatis, prout in quodam instrumento publico desuper confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, in praefata ecclesia quamplures capellae similes constructae et fabricatae subsistant, ita ut ex illis ecclesia ipsa plurimum occupetur, quarum aliquae domui et fratribus praedictis ex pia fidelium donatione pleno iure pertinere noscuntur, et, si summa pecuniarum relictarum huiusmodi in una libraria pro conservatione librorum ad ipsos fratres pertinentium dudum per eosdem fratres acquisitorum et acquirendorum in praefata domo construenda et aedificanda, qua libraria domus ipsa plurimum indigere dignoscitur, vice huiusmodi de novo construendae capellae deputaretur, commutaretur et assignaretur, guardianus et fratres praedicti pro huiusmodi testatoris voluntate fideliter adimplenda unam ex ipsis capellis cum paramentis, libris, calicibus

[1] Reg. Lat. t. 416, f. 271 v. Cf. supra n. 578, p. 271.

et aliis ornamentis ad divina celebranda necessariis, etiam ad eos, ut praemittitur, pertinentibus, ad valorem quingentarum librarum monetae huiusmodi et ultra ascendentibus, praefatis exsecutoribus assignarent ac unum ex fratribus domus huiusmodi in dicta capella singulis diebus perpetuis futuris temporibus pro anima testatoris et aliorum in instrumento nominatorum huiusmodi missam et alia divina officia celebraturum iugiter deputarent. Quare pro parte guardiani et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui ultimas testantium voluntates, illas praesertim, ex quibus divini cultus provenit incrementum, exsecutioni debitae demandari ac religiosorum studio piae vitae Altissimo famulantium necessitatibus subveniri totis desideriis affectamus, de praemissis certam notitiam non habentes, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de huiusmodi expositis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi praemissa reppereris veritate subniti, ... postquam dicti guardianus et fratres unam ex capellis ad ipsos pertinentibus huiusmodi cum libris, calicibus et aliis necessariis ornamentis, ut praemittitur, consignaverint ac unum ex eisdem fratribus in capella ipsa pro animarum defunctorum huiusmodi die qualibet missam celebraturum perpetuo deputaverint, ut praefertur, seque et domum ipsam ad id cum effectu faciendum et observandum sollemniter obligaverint, summam librarum seu pecuniarum legatarum huiusmodi in aedificationem et constructionem librariae praedictae auctoritate praefata commutes, deputes et assignes ceteraque ad haec exsequenda facias, ordines atque disponas, prout secundum Deum et conscientiam tuam videris expedire, necnon exsecutores praefatos ac omnes alios et singulos, apud quos summa ipsa pecuniae in depositum vel alias assignata consistit, ad illa pro aedificatione et constructione librariae huiusmodi et non alias tradendum et assignandum sine diminutione quacumque auctoritate Nostra compellas, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, IV idus maii, ... anno XV.

912. Mandat, ut Nicolao de Rogeriis, O. F. M., conferant ecclesiam S. Martinelli in Panarella, Urbis, in regione Arenulae (Regola) (1).

1445, maii 12, Romae.

Venerabili fratri episcopo Melfien. et dilectis filiis Laurentio de Minutulis ac Nicolao de Leys, basilicae principis apostolorum de Urbe canonicis.

Religionis zelus *etc.*, super quibus dilectus filius frater Nicolaus de Rogeriis de Urbe, ordinis Minorum, capellanus Noster, apud Nos fide digno commendatur testimonio *etc.* Exhibita siquidem nuper pro parte dicti Nicolai petitio continebat, quod olim parochiali ecclesia S. Martinelli in Panarella de dicta Urbe, de regione Arenula, quam quondam Iohannes Factorini, monachus monasterii S. Pauli extra muros dictae Urbis, ordinis S. Benedicti, olim ipsius ecclesiae rector, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Iohannis, qui curialis non exsistens ac in dicta Urbe, in qua proprium domicilium habebat, et in qua cum Nostra curia residebamus tunc, prout residemus, diem clausit extremum, vacante, dilectus filius Noster Ludovicus, tit. S. Laurentii in Damaso presbyter cardinalis, cum ad cardinalem ipsius pro tempore exsistentem dictae ecclesiae collatio, provisio et omnimoda dispositio de antiqua et approbata ac hactenus pacifice observata consuetudine pertineat, ecclesiam ipsam sic vacantem eidem Nicolao auctoritate ordinaria et etiam ex concessione seu commissione Sedis Apostolicae contulit et de illa ecclesia providit, ipseque Nicolaus collationis et provisionis huiusmodi vigore eamdem ecclesiam exstitit assecutus. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Nicolaus dubitet, collationem et provisionem praedictas ex certis causis viribus non subsistere et, sicut accepimus, praefata ecclesia adhuc, ut praefertur, vacare noscatur, Nos, volentes dicto Nicolao, qui etiam sacrae theologiae professor ac in basilica principis apostolorum de dicta Urbe poenitentiarius Noster exsistit, praemissorum meritorum suorum intuitu et, ut ipse contemplationi ac praedicationi verbi divini commodius intendere possit, gratiam facere specialem, discretioni vestrae ... mandamus, quatenus ... ecclesiam praedictam, cuius fructus, redditus et proventus triginta florenorum auri secundum communem aestimationem valorem annuum, ut idem Nicolaus asserit, non excedunt, ... cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dicto Nicolao auctoritate Nostra conferre et assignare curetis, inducentes *etc.*, non obstantibus *etc.*, aut quod idem Nicolaus dicti ordinis fratrum Minorum professor exsistit. Nos enim cum eodem Nicolao, ut ipsam ecclesiam ... recipere et retinere iliusque curam gerere et exercere libere et licite valeat, constitutionibus ... nequaquam obstantibus auctoritate apostolica de spe-

(1) Reg. Lat. t. 423, f. 129. Cf. supra n. 730, p. 347.

ciali gratia dispensamus. Et insuper ex nunc irritum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, IV idus maii, ... anno XV.

913. Francisco Bartholomaei de Fighino, O. F. M., qui pauperem et infirmam suam matrem sustentare sibi proponit et pro quo, ut capellano suo, nobilis vir Malatesta de Malatestis, miles Ariminen., supplicat, concedit dispensationem ad unum beneficium ecclesiasticum curatum recipiendum (1).

1445, maii 13, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, III idus maii, ... anno XV.

914. Mandat, ut fratribus domus S. Catharinae de terra S. Petri (Galatinae), O. F. M. de observ., concedat licentiam recipiendi ecclesiam S. Mariae novae de Racale, Neritonen. (Nardò) dioec. (2).

1445, maii 18, Romae.

Dilecto filio archidiacono ecclesiae Neritonen.

Ad ea ex susceptae servitutis officio *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum custodis et fratrum domus S. Catharinae de terra S. Petri, ordinis fratrum Minorum de observantia, Hydruntin. dioec., petitio continebat, quod venerabilis frater Noster Stephanus, episcopus Neritonen., ex ingenti, quam ad fratres et ordinem huiusmodi gerit, devotione ecclesiam S. Mariae novae de Racale, Neritonen. dioec., ad praesens rectore carentem, custodi et fratribus praedictis pro ipsorum usu et habitatione perpetuis concedere et donare, ipsique custos et fratres ecclesiam praedictam recipere et apud illam domum pro plurium ex eis, qui inibi missas et alia divina officia celebrent, verbum Dei populo publice proponant, usu et habitatione praedictis cum coemeterio, claustro et aliis necessariis officinis fundare et construere exoptant *etc.* Quare pro parte dictorum custodis et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si tibi expediens videatur quod huiusmodi concessio fiat, super quo tuam conscientiam oneramus, eisdem custodi et fratribus ecclesiam praedictam cum aedificiis sibi adiacentibus ac aliis iuribus et pertinentiis suis recipiendi et apud illam domum cum coemeterio, claustro, campanili, ... officinis pro nonnullorum ex dictis fratribus usu et habitatione perpetuis fundandi et construendi ... licentiam largiaris, iure *etc.*, non obstantibus *etc.* Nos enim ... omnibus ac singulis fratribus, qui in ipsa ... morabuntur, quod quibuscumque privilegiis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XV kal. iunii, ... anno XV.

915. Iohannem de Bucharone, O. F. M., instituit episcopum Sagonen. (Sagona in Corsica) (3).

1445, maii 21, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Bucharone, electo Sagonen.

Romani pontificis *etc.* Dudum siquidem *etc.* Postmodum vero ecclesia Sagonen. ex eo apud Sedem ipsam vacante, quod Nos venerabilem fratrem Valerium (4) Saonen., tunc Sagonen. episcopum, apud Sedem praedictam constitutum, a vinculo, quo eidem ecclesiae Sagonen. ... tenebatur, ... absolventes, ipsum ad ecclesiam Saonen., tunc vacantem ... duximus tranferendum, *etc.* Nos praefatam ecclesiam Sagonen. sic vacantem, dilecto filio Nostro Georgio, tit. S. Anastasiae presbytero cardinali, per eum, quoad viveret, tenendam, regendam et gubernandam auctoritate praedicta per alias Nostras litteras commendavimus, prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum itaque hodie dictus Georgius cardinalis commendae huiusmodi in manibus Nostris sponte et libere cesserit, Nosque cessionem huiusmodi duxerimus admittendam, Nos ad provisionem eiusdem ecclesiae Sagonen. *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum, religionis zelo ... insignitum, direximus oculos Nostrae mentis *etc.*, de persona tua ... eidem ecclesiae Sagonen. ... providemus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XII kal. iunii, ... anno XV.

Simili modo eodem die scribit *Capitulo ecclesiae Sagonen.; Clero civitatis et dioeces. Sagonen.; Populo civitatis et dioeces. Sagonen.;* praeterea *Archiepiscopo Pisan.* (Ad cumulum).

(1) Reg. Lat. t. 416, f. 175.

(2) Reg. Lat. t. 416, f. 186; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 176. Coco, Primaldus, *I Francescani nel Salento,* Vol. I, Lecce 1921, p. 278.

(3) Reg. Lat. t. 421, f. 204 v.

(4) Apud Eubel, *Hier. cath. med. aevi,* II², p. 227, 229, vocatur Valerianus (Calderini).

916. Mandat, ut fructus monasterii S. Spiritus extra civitatem Regin. (Reggio in Aemilia), O. S. Marci de Mantua, quod in domum fratrum O. F. M. erectum erat, assignet pro fundatione prioratus O. S. Aug. (1).

1445, mali 26, Romae.

Dilecto filio Gaspari de Taculis, canonico Regin.

Ex supernae providentia maiestatis *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum civium Regin. Nobis exposito, quod, cum ipsi, zelo devotionis accensi, propter singularem, quam ad dilectos filios ordinis fratrum Minorum professores gerebant devotionem, de bonis eis a Deo collatis in civitate Regin. sive prope eam, in loco tamen ad id congruo et honesto, unam domum cum ecclesia, campanili, campana, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione aliquorum professorum eorumdem, qui inibi Altissimo perpetuo famularentur, de novo fundare ... aut iam fundatam et constructam, si illam iustis modis acquirere valerent, parare desiderabant, si eis super hoc Apostolicae Sedis suffragaretur auctoritas, Nos, ut, si esset ita, eisdem civibus domum cum ecclesia, campanili, ... officinis huiusmodi fundandi ... aut iam fundatam et constructam, si eam acquirere valerent, ut praefertur, parandi, necnon eisdem professoribus eam recipiendi per quasdam primo, et deinde pro parte eorumdem civium Nobis etiam exposito, quod, licet ipsi, locum idoneum ad fundationem huiusmodi faciendam sollicite inquirentes, quoddam ruinosum monasterium ordinis S. Marci de Mantua sub vocabulo S. Spiritus et illius ecclesiam, pro parte diruptam, extra civitatem praedictam, per priorem gubernari solitum, et cui ecclesiae cura non imminebat animarum, ac in quo nullus prior tunc et per longa tempora saltem continuam residentiam fecerat nec faciebat, ad hoc quamplurimum idoneum et honestum invenerant ipsumque totis viribus propriis sumptibus et expensis reaedificare ac reformare affectabant, tamen dubitabant priorem monasterii huiusmodi ad praemissa nolle praebere consensum, Nos per alias Nostras litteras dilecto filio archidiacono ecclesiae Regin. eius proprio nomine non expresso dedimus in mandatis, ut, si esset ita, nomen, dignitatem priorissalem et dictum ordinem S. Marci in eo supprimens, civibus ac fratribus praefatis, quod monasterium ipsum in domum fratrum huiusmodi etiam illius prioris, ut praefertur, ad id non accedente consensu, fructibus tamen ipsius prioratus eidem priori, quoad viveret, reservatis erigere necnon fratribus praedictis, ut ex tunc in dicto monasterio sub eadem observantia commorare et devote Altissimo famulari valerent, auctoritate Nostra licentiam largiretur, ac dicto archidiacono cedente priore huiusmodi praefatos fructus in aliquem pium usum convertendi et deputandi facultatem concessimus, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis de Caronibus, olim prioris dicti monasterii per priorem soliti gubernari, petitio continebat, dilectus filius Iohannes de Catania, archidiaconus Regin., ad ipsarum litterarum exsecutionem procedens, illarum vigore suppressionem fecerit ac civibus et fratribus praedictis licentiam concesserit antedictas et amotis exinde dicto Iohanne et dilectis filiis ipsius monasterii canonicis inibi tunc exsistentibus bona ad olim praefatum monasterium spectantia certo pio loco dictae civitatis tunc expresso applicavit, ipseque Iohannes prior pro animae suae salute ac divini cultus et religionis augmento necnon suis et praefati ordinis honore ac utilitate et, ne ipse cum alio olim dicti monasterii canonico sine claustro permaneat, necnon ex aliis rationabilibus causis unum prioratum dicti ordinis S. Augustini pro sua et dicti socii necnon aliorum ipsius ordinis S. Augustini canonicorum usu et habitatione perpetuis in praefata civitate fundare et erigere desideret, ac patronus ecclesiae S. Marci Regin., quae de iure patronatus laicorum seu domus Pontis de Ruberia, Regin. dioec., exsistit, consentiat, quod ipsa ecclesia S. Marci in prioratum eiusdem ordinis S. Augustini erigatur, pro parte eiusdem Iohannis de Caronibus, asserentis se terras, possessiones et bona ad dictum olim monasterium spectantia pacifice possidere, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si ... tibi de praemissis legitime constiterit et ad id dicti patroni assensus accesserit, auctoritate Nostra praefatam ecclesiam S. Marci in prioratum conventualem dicti ordinis S. Augustini erigas ac illi omnia et singula terras, possessiones et bona ad praefatum olim monasterium S. Spiritus pertinentia, quorum necnon ipsius ecclesiae S. Marci fructus, redditus et proventus quinquaginta florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum ... non excedunt, applicatione de ipsis terris, possessionibus et bonis per dictum Iohannem archidiaconum pio loco facta praedicta per te primitus revocata ac ipsius ecclesiae S. Marci fructibus, redditibus et proventibus moderno rectori per eum, quoad

(1) Reg. Lat. t. 423, f. 129 v.

vixerit, percipiendis et in suos usus convertendis dumtaxat reservatis cum omnibus iuribus ... applices, appropries et assignes, ita quod ex tunc priori ipsius erigendi prioratus tunc exsistenti domorum, hortorum et hortalitiorum dictae ecclesiae contiguorum pro sua et canonicorum usu et habitatione praedictis, cedente vero vel decedente praefato moderno rectore seu fructus ... ecclesiae S. Marci huiusmodi quomodolibet dimittente, iurium et pertinentiarum praedictorum corporalem possessionem ... apprehendere ac illius fructus ... percipere et exigere ... liceat *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VII kal. iunii, ... anno XV.

917. Approbat ea, quae circa professionem et iuramenta sororum III. O. S. Fr., domus Ganden., Tornacen. dioec., gesta sunt (1).

1445, maii 26, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Annuere solet Sedes Apostolica piis votis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum sororum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, in quadam domo apud parochialem ecclesiam S. Iohannis Ganden., Tornacen. dioec., insimul commorantium, petitio continebat, quod, licet ipsae et quaelibet earum a plerisque annis citra professionem per sorores dicti ordinis emitti solitam in domo praefata in manibus visitatoris eiusdem ordinis vel suorum superiorum sollemniter emiserint ac etiam tria dicti ordinis, prout illius suadent instituta regularia, substantialia vota servare velle etiam cum sollemnitatibus in talibus fieri solitis iuraverint, pro eo tamen, quod in praedictis Sedis praefatae auctoritas non intervenit, ipsae sorores se super his inquietari et molestari posse dubitent tempore succedente, Nos, quorum interest, super praemissis ipsis sororibus salubriter providere volentes, earum in hac parte supplicationibus inclinati, omnia et singula, quae circa professionis emissionem ac iuramenta per ipsas praestita huiusmodi alias rite facta sunt, auctoritate apostolica ratificamus et approbamus, quodque singulae sorores similia vota ac professiones inibi emitti solitas emittere libere liciteque possint, ipsis dicta auctoritate concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VII kal. iunii, ... anno XV.

918. Mandat, ut Roderico de Onna, O. F. M., proroget facultatem praedicandi verbum Dei (2).

1445, maii 27, Romae.

Iacobo de Oratoribus, Apostolicae Sedis nuntio.

Dil. fil. sal. etc. Cum, prout accepimus, dilectus filius Rodericus de Onna, ordinis Minorum, in praedicatione verbi Dei in Castellae et Legionis regnis plurimum utilis ac fructuosus sit, et propterea Nos sibi alias, ut commode praedicationis verbi Dei officium exercere posset, certam licentiam et exemptionem a superiorum suorum obedientia usque ad certum tempus concesserimus, prout in litteris sibi superinde concessis continetur, Nos, cupientes praefatum Rodericum in praefato praedicationis officio utiliter iuxta datam sibi a Deo gratiam perseverare, devotioni tuae licentiam praedictam sibi a Nobis concessam prorogandi iuxta eiusdem tenorem ad tempus, de quo tibi visum fuerit, super quo tuam conscientiam oneramus, plenam damus et concedimus tenore praesentium facultatem, volentes, quod praefatus frater Rodericus de pecuniis, quae ratione indultorum super plena absolutione in mortis articulo ab eodem iuxta formam sibi a Nobis concessam fidelibus conferenda obvenerint, tibi, qui fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum collector exsistis, respondeat, licet alias ordinaverimus, ut de eisdem responderetur venerabili fratri archiepiscopo Toletano.

Datum Romae, XXVII maii, ... anno XV.

919. Mandat, ut pecunias e facultatibus indulgentiarum collectas consignet mercatoribus societatis de Medicis (3).

1445, maii 29, Romae.

Guidoni de Arimino, ordinis Minorum de observantia.

Dil. fil. sal. Nonnullorum relatione accepimus certam pecuniarum quantitatem collectam ex facultatibus indulgentiarum tibi concessis per dilectum filium Franciscum, tit. S. Clementis presbyterum cardinalem, ecclesiae Romanae vicecancellarium, Apostolicae Sedis legatum, apud te esse, qua cum Nobis opus sit pro classis Nostrae contra Teucros sustentatione, volumus ac tenore praesentium iniungimus et mandamus, quatenus omnes et singulas dictarum pecuniarum quantitates, quae penes te sunt, tradas et consignes illis mercatoribus, qui istic pro socie-

(1) Reg. Lat. t. 416, f. 120; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 177.

(2) Reg. Vat. t. 367, f. 174.

(3) Reg. Vat. t. 367, f. 174.

tate de Medicis sunt, recepta ab eis duplici quietantia, quarum unam ad Nos quamprimum transmittas per proprium aut fidum nuntium, alteram apud te retineas, non obstante, quod habueris alias in mandatis dicto Francisco cardinali de dictis pecuniis respondere.

Romae, XXIX maii, ... anno XV.

Sub hoc tenore fuit scriptum *Iacobo de Primaditiis dicti ordinis.*

920. Mandat, ut successive vendat bona monasterii S. Cerboni, Lucan. dioec., olim monialium O. Cist., et pretium convertat in fabricationem domus O. F. M. de observ. et in emptionem ornamentorum ecclesiasticorum atque librorum pro eadem domo (1).

1445, iunii 1, Romae.

Venerabili fratri episcopo Lucan.

Humilibus supplicum votis *etc.* Dudum siquidem nonnullorum civium civitatis Lucan., asserentium monasterium monialium S. Cerboni, Cistertien. ordinis, tuae dioec., in quo non vigebat regularis observantia, ad tantam monialium paucitatem devenisse, ut pro derelicto haberi posset, supplicationibus inclinati, dilectis filiis fratribus provinciae Thusciae, ordinis fratrum Minorum iuxta morem eiusdem ordinis, sub regulari observantia ipsius ordinis degentibus, in monasterio huiusmodi, in quo abbatissalem dignitatem exstinximus, locum recipiendi et retinendi, necnon in ipso et eius territorio, domibus contiguo, ecclesiam sive oratorium cum campanili, campana, coemeterio, domibus, horto decenter spatioso et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione sua et fratrum dicti ordinis construendi et aedificandi necnon quoscumque fratres ordinis Minorum inibi deputandi, qui missas et alia divina officia celebrare ac verbum Dei praedicare libere et licite valerent, ordinarii loci super hoc consensu minime requisito, iuribus tamen parochialium ecclesiarum et quorumlibet aliorum in omnibus semper salvis per quasdam primo et deinde, postquam ipsi fratres dictum monasterium fuerant assecuti, domum, quam inibi pro suis usu et habitatione fundari seu reparari facere coeperant, per certa tunc expressa spatia ampliandi necnon in silvis et nemoribus ad dictum olim monasterium pertinentibus lignamina pro domus et horti praedictorum reparatione ac clausura necnon ipsorum fratrum usu scindi et adduci faciendi licentiam pariter et facultatem inter cetera per alias Nostras litteras concessimus, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur (2). Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum communitatis et civium dictae civitatis petitio continebat, praefata domus in sua fundatione perfecta non sit, et ad illius perfectionem magnae requirantur expensae, quas dicti fratres etiam mediantibus fidelium ipsarum partium piis eleemosynis nullatenus subire possint, et, sicut eadem petitio subiungebat, si omnia et singula terrae, possessiones, iura et iurisdictiones et bona ad dictum olim monasterium pertinentia, quae per sex ex monialibus ipsius olim monasterii in quadam domo in praedicta civitate consistente insimul commorantibus abbatissa ipsius olim monasterii vita functa tenentur et usufructuantur, venderentur, ac pretia ex venditionibus huiusmodi provenientia in fabricam praedictae domus converterentur, ipsa domus in fundatione seu reparatione huiusmodi perfici commode posset in non modicum animarum eorumdem civium aliorumque fidelium dictae civitatis consolationem, pro parte communitatis et civium praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae ac successori tuo episcopo Lucan., qui pro tempore erit, una cum duobus seu pluribus civibus dictae civitatis, ad id per eosdem communitatem et cives pro tempore deputandis, terras, possessiones, iura, iurisdictiones et bona praedicta, quae omnia et singula per eorum nomina, cognomina, designationes, loca et verum valorem praesentibus haberi volumus pro expressis, successive tamen, videlicet cedentibus vel decedentibus praefatis monialibus pro rata seu parte cedentium vel decedentium aut cedentis vel decedentis, quibuslibet personis publica subhastatione praevia plus offerentibus cum omnibus et singulis sollemnitatibus ac cautelis in talibus fieri solitis vendendi necnon pretia ex huiusmodi venditionibus provenientia in perfectionem fundationis seu reparationis huiusmodi necnon emptionem librorum et aliorum ornamentorum ecclesiasticorum pro divino cultu eisdem fratribus necessariorum convertendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, kalendis iunii, ... anno XV.

(1) Reg. Vat. t. 377, f. 95.

(2) Cf. supra n. 696, p. 327.

921. Senatorem, conservatores et capita regionum Urbis instituit advocatos et defensores fratrum O. F. M. de observ. domus Aracoelitanae Urbis (1).

1445, iunii 5, Romae.

Dilectis nobilibus viris senatori et conservatoribus ac capitibus regionum Nostrae almae Urbis praesentibus et futuris.

In eminentis Apostolicae Sedis specula *etc.* Nuper siquidem ad audientiam Nostram non sine displicentia grandi deducto, quod in domo beatae Mariae de Aracoeli de Urbe, ordinis fratrum Minorum, quae inter alias eiusdem ordinis domos tum propter loci situm tum etiam propter sumptuosa illius aedificia singularis et admodum sollemnis fore dignoscitur, nulla penitus observantia vigebat divinusque cultus negligebatur ac illa nonnullorum inibi degentium fratrum culpa, incuria seu negligentia causantibus quamplura in spiritualibus passa fuerat detrimenta, Nos, indignum existimantes domum ipsam, quae in praefata Urbe, christiani orbis matre, celeberrima exsistit, dicti ordinis vocabulum et non rem, videlicet illius regularem observantiam, tenere ac propterea illam reformari et ad observantiam praedictam reduci cupientes, reformationem et reductionem praefatas venerabili fratri Nostro Iohanni, episcopo Praenestin., et dilecto filio Nostro Guillelmo, tit. S. Martini in Montibus presbytero cardinali, oraculo vivae vocis commisimus primo, et deinde, cum episcopus et cardinalis praedicti reformationem reductionemque huiusmodi fecissent et, sufficienti a Nobis super his facultate suffulti, auctoritate facultatis huiusmodi amotis ab illa fratribus eiusdem ordinis conventualibus domum ipsam nonnullis fratribus praedicti ordinis de observantia nuncupatis dedissent et assignassent, eosdem episcopum et cardinalem simul ac ipsorum quemlibet in alterius absentia conservatores et defensores praedictae domus fecimus, constituimus et deputavimus sub certis modo et forma, prout in Nostris desuper confectis litteris, quarum tenores de verbo ad verbum praesentibus haberi volumus pro insertis, plenius continetur (2). Nos itaque vitam laudabilem et opera fructuosa dictorum fratrum de observantia condignis in Domino laudibus commendantes et sperantes, quod ipsi, qui, sicut notorie constat, a nonnullis citra et praesertim Nostris temporibus quamplura domus et loca eiusdem ordinis in diversis mundi partibus consistentia plurimum reformarunt ac fidelibus earumdem partium devotionis et humilitatis ac piae vitae et castitatis exemplum fuerunt pariter et exsistunt, ex eorum multiplicatis virtutibus ac fructuosis operibus dictam domum utiliter et salubriter regent, dirigent et gubernabunt, quodque exinde vos et cives et incolae praefatae Urbis multa vestrarum animarum consolationes et gaudia sentire poteritis, plurimaque etiam salubria et utilia ad laudem et gloriam divini nominis populique devotionis augmentum et animarum salutem provenire debeant, ut ipsi fratres de observantia maiores animarum fructus afferre et aliis divinis beneplacitis ferventius insistere valeant, quo vestra fuerint protectione muniti, motu proprio, auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium vos et quemlibet vestrum, praesentes et futuros, perpetuos advocatos, protectores et defensores ac advocatum, protectorem et defensorem domus et fratrum de observantia huiusmodi facimus, constituimus et deputamus ac vobis et cuilibet vestrum, quoties nomine ipsorum fratrum de observantia fueritis requisiti seu aliquis vestrum fuerit requisitus, eosdem fratres in pacifica possessione praefatae domus et alias adversus eiectos et quoscumque alios fratres, praesertim conventuales dicti ordinis ipsorumque conventualium fratrum superiores et ceteros quoslibet mundanos vel ecclesiasticos, saeculares seu religiosos, cuiuscumque nobilitatis, status, ... ipsorum fratrum de observantia impetitores, molestatores et perturbatores, manutenendi et defendendi ac ipsos impetitores, molestatores, perturbatores et contradictores quoslibet districtione, qua convenit, et etiam per personarum, dummodo, si religiosi seu alias ecclesiastici Romana curia extra Urbem exsistente, si vero laici fuerint, quandocumque captionem et incarcerationem, ac laicos huiusmodi etiam per pecuniarias et alias formidabiliores poenas, de quibus vobis videbitur, compescendi et coercendi omnia quoque alia et singula, statum, commodum, utilitatem, conservationem et augmentum domus ac fratrum de observantia necnon conservationem et augmentum domus ac observantiae huiusmodi quomodolibet concernentia in iudicio et extra procurandi, faciendi et exsequendi plenam ac liberam tenore praesentium concedimus facultatem, non obstantibus constitutionibus ... ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, nonis iunii, ... anno XV.

---

(1) Reg. Vat. t. 377, f. 134; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 178 « ex ipso autographo et reg. Vat. ». (2) Cf. supra n. 906, p. 440.

922. Franciscum Martini, O. F. M., instituit episcopum Cien. et Termeniarum (Ceos et Thermia ex insulis Cycladibus) (1).

1445, iunii 9, Romae.

Dilecto filio Francisco Martini, electo Cien. et Termeniarum.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bonae mem. Francisco Barberii, episcopo Cien. et Termeniarum, regimini Cien. praesidente Nos *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum Francisci, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum expresse professum et in sacerdotio constitutum, litterarum scientia praeditum *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, V idus iunii, ... anno XV.

Simili modo eodem die scribit *Capitulo ecclesiae Cien. et Termeniarum; Clero civitatis et dioc. Cien. et Termeniarum; Populo civitatis et dioec. Cien. et Termeniarum;* praeterea *Archiepiscopo Athenarum.* (Ad cumulum).

923. Iacobo de Reate, O. F. M., concedit facultatem distribuendi certa bona relicta per Iohannem Serangeli, civem Cornetan. (2).

1445, iunii 19, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Reate, ordinis fratrum Minorum professori.

Ad ea, per quae fidelium voluntates *etc.* Sane pro parte dilecti filii Simonis Lelli, civis Cornetan., ac dilectae in Christo filiae Angilae Lelli de Corneto, sororis tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod quondam Iohannes Serangeli, civis Cornetan., condens in eius ultima voluntate testamentum, bonorum suorum Angilam, tunc ipsius Iohannis uxorem, ac Simonem praefatos, donec et quousque ipsa Angila viveret et vidualem ac honestam et castam vitam servaret, universales haeredes instituit ac voluit, quod post obitum Angilae praedictae seu ante, si vidualem vitam non servaret, bona praedicta tam ad collegii notariorum quam ad contratae Concharum, civitatis Nostrae Cornetan., rectores praesentes et futuros pervenire, quodque ipsi illam conservare et manutenere ac de eorum fructibus unam in bonorum manutentionem huiusmodi et aliam in nubendis puellis orphanis ac aliam partes eorumdem in certis eleemosynis faciendis convertere et exponere necnon de eo, quod ex eisdem fructibus non erogatum, ut praefertur, superesset, bona stabilia emere ac alias sub certis modo et forma in dicto testamento expressis disponere deberent, prout in quodam instrumento publico desuper confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefata Angila plura pecunias, res et bona mobilia ex haereditariis bonis praedictis in pios usus erogaverit seu distribuerit ac de cetero residuum in similes usus convertere intendat, si ei desuper apostolica suffragetur auctoritas, pro parte Simonis et Angilae praedictorum, etiam asserentium melius et salubrius saluti animae dicti testatoris consultum fore, si bona ipsa in vita dictae Angilae in usus huiusmodi distribuantur, quam si post eius obitum in tempus, quo ad ipsos rectores pervenire debeant, huiusmodi distributio differatur, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut voluntatem huiusmodi commutare eisque, quod bonis praedictis, reservatis tamen aliquibus ex illis pro ipsorum vitae sustentatione et aliis, quae pro dote ipsius Angilae obligata exsistunt, quae maluerint, eorum vita durante in praefatos usus erogare valeant, concedere necnon per Angilam erogata huiusmodi confirmare de benignitate *etc.* Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praedictis ... te diligenter informes et ... tibi ac uni ex rectoribus et alteri ex collegio vel contrata praefatis per te ad hoc eligendis etiam in vita dictae Angilae bona in usus huiusmodi distribuendi ac in praemissis omnibus et singulis et circa ea disponendi et ordinandi ac alias, prout tibi et illis pro salute animae dicti testatoris melius videbitur expedire, faciendi plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem, non obstantibus ... ac quod ordinis Minorum professor exsistis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XIII kal. iulii, ... anno XV.

924. Iohanni episcopo Gibelden., O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium (3).

1445, iunii 23, Romae.

Venerabili fratri Iohanni, episcopo Gibelden., in civitate Morinen. ad praesens residenti.

Personam tuam *etc.* Hinc est, quod Nos, vo-

(1) Reg. Lat. t. 421, f. 126v.

(2) Reg. Lat. t. 418, f. 12. De Iacobo de Reate cf. supra n. 779, p. 366.

(3) Reg. Lat. t. 418, f. 15. — Dschebail in Syria. Frater iste vocabatur Ioh. de Bonsyes (Bonsiis); pontificalia exercebat in dioecesibus Cameracen. et Morinen.; cf. Eubel *Hierarchia*, II², 159. Vide supra n. 305, p. 143.

lentes tibi, qui baccalaurius in theologia ac, ut asseritur, ordinem fratrum Minorum expresse professus exsistis et ex fructibus ecclesiae tuae Gibelden., utpote ab infidelibus occupatae, parum aut nihil percipis annuatim, ut statum tuum decenter tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere ac te praemissorum intuitu necnon consideratione dilecti filii Nostri Iohannis, tit. S. Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, asserentis te pro eo in civitate et dioecesi Morinen. pontificalia exercere, favore prosequi gratiae specialis, ipsius itaque cardinalis ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut quodcumque, saeculare, curatum aut regulare ordinis cuiuscumque ecclesiasticum beneficium in civitate vel dioecesi Morinen. huiusmodi et in terris et in locis, in quibus idioma Flandriae, quod, ut asseris, ignoras, loquitur (!), constitutum ... tibi per te, quoad vixeris, una cum dicta ecclesia Gibelden. tenendum, regendum et etiam gubernandum per quemcumque commendari possit tuque illud in commendam huiusmodi recipere et retinere ac eius fructus, redditus et proventus debitis et consuetis illius supportatis oneribus in tuos et ipsius beneficii usus convertere ... libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, non obstantibus, quod dicti ordinis professor exsistis ac idioma praedictum ignoras *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, IX kal. iulii, ... anno XV.

925. Prorogat facultates pro collectione subsidiorum expeditionis contra Turcos etc. concessos (1).

1445, iulii 1, Romae.

Dilectis filiis Iacobo de Bononia et Iacobo de Pisis, ordinis Minorum professoribus, ac Iacobo archipresbytero Mutinen.

Cum anno proxime anteacto, intendentes adversus perfidos Christi hostes classem parare ad strictum Gallipolis transmittendam et a christifidelibus, qui spiritualia cuperent suffragia, volentes bonorum temporalium aliquod auxilium quaerere, vobis et cuilibet vestrum ac substituendis a vobis per litteras apostolicas concesserimus, ut omnes et singulos partium archiepiscopatus Ravennaten., qui cum Teucris, Saracenis, paganis aut aliis infidelibus negotiationes seu mercimonia fecerunt vel eis ferrum, lignamina, navigia, funes vel alia armaturarum genera vendiderunt seu ad partes ipsorum infidelium detulerunt et alios quoscumque christifideles saeculares et ecclesiasticos et religiosos ordinum quorumcumque ab excommunicationis, suspensionis, interdicti aliisque ecclesiasticis censuris et poenis a iure vel ab homine inflictis et contra facientes seu deferentes praedictos per constitutiones et ordinationes apostolicas et promulgationes censurarum, quae contra tales per Romanos pontifices in die Iovis sancta fieri consueverunt, latis possitis absolvere et pariter possitis omnibus illarum partium concedere, ut confessorem sibi valeant eligere, qui eos ab homicidio, incendio, sacrilegio et aliis criminibus semel tantum in reservatis Sedi Apostolicae, et in non reservatis, quotiens fuerit opportunum, absolvere valeat; item, ut illis, quibus magnae essent facultates et solverint quinque florenos, aliis vero parvas habentibus facultates, qui iuxta eorum possibilitatem erogarent, plenariam in mortis articulo absolutionem concedere, et cum illis, qui in quarto consanguinitatis et tertio ac quarto affinitatis gradibus scienter vel ignoranter contraxissent, dispensare, et ut omnes ecclesiasticas, saeculares et regulares, personas super irregularitate contracta divina, non tamen in contemptum clavium, celebrando vel audiendo et quacumque ex causa exceptis bigamia, homicidio et membrorum mutilatione absolvere, item, ut de male ablatis incertis componere et absolvere et divini verbi praedicatoribus, ut ea, quae diceretis, annuntiarent populis, mandare possitis, prout in ipsis litteris plenius continetur, Nos, qui praedictam classem dante Domino armari atque expediri magna cum impensa curavimus, cupientes taliter providere, quod classis ipsa necessario tempore in mari valeat teneri, supradictas facultates in omnibus et per omnia, prout in eisdem litteris continetur, ad duos alios annos praesenti die inchoandos extendimus atque prorogamus, addentes, quod vos et quilibet vestrum omnes et singulos praedictarum partium, qui defectum natalium patiuntur, legitimare valeatis, et quod vos non solum, prout in dictis litteris apostolicis continetur, quibuscumque praedicatoribus divini verbi praecipere possitis, quod ea dicant circa praedicta, quae illis duxeritis iniungenda, sed vos etiam, quando vobis visum fuerit, praedicationem assumere ac omnibus praedicatoribus pro die et hora, quam vobis assumetis, silentium imponere valeatis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, kalendis iulii, ... anno XV.

(1) Reg. Vat. t. 379, f. 25 v. et t. 377, f. 88. Cf. supra n. 792, p. 373.

926. Matthaeo de Gimena, O. F. M., episcopatum Agrigentin. abdicanti, reservat pensionem annuam 30 unciarum Carlinorum super fructibus eiusdem ecclesiae (1).

1445, iulii 23, Romae.

Dilecto filio Matthaeo de Gimena, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Cum itaque hodie tu regimini et administrationi ecclesiae Agrigentin., cui tunc praeeras, in manibus Nostris sponte et libere cesseris, Nosque cessionem huiusmodi admittentes et venerabilem fratrem Nostrum Antonium, Agrigentin., olim Cephaluden. episcopum, a vinculo, quo ecclesiae Cephaluden., cui tunc praesidebat, tenebatur, de fratrum Nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, auctoritate apostolica eumdem Antonium episcopum ad dictam ecclesiam transtulerimus, ... Nos, volentes tibi, qui, ut asseris, ordinem fratrum Minorum expresse professus exsistis, ne propter cessionem huiusmodi nimium dispendium patiaris, de alicuius subventionis auxilio providere ac praemissorum meritorum intuitu gratiam facere specialem, tibi super fructibus, redditibus et proventibus mensae episcopalis Agrigentin. pensionem annuam triginta unciarum Carlinorum argenti in regno Siciliae currentium tibi, quoad vixeris, vel procuratori tuo ad hoc a te speciale mandatum habenti per Antonium praefatum et successores suos, qui essent pro tempore, Agrigentin. episcopos annis singulis pro una in nativitatis et pro alia medietatibus pensionis eiusdem in resurrectionis Domini nostri Iesu Christi festivitatibus cum effectu persolvendam auctoritate praefata tenore praesentium reservamus, constituimus et etiam assignamus, decernentes quemlibet ex Antonio et successoribus ipsis ad solutionem dictae pensionis faciendam iuxta reservationis, constitutionis et assignationis huiusmodi tenorem fore efficaciter obligatum ac volentes et eadem auctoritate statuentes, quod quilibet ex Antonio et successoribus eisdem, qui in praefatis terminis vel saltem infra triginta dies ex tunc immediate sequentes pensionem ipsam tibi vel dicto procuratori cum effectu non persolverit aut desuper cum altero vestrum amicabiliter non concordaverit, ex tunc lapsis diebus eisdem sententiam excommunicationis incurrat, a qua, donec tibi vel eidem procuratori de pensione tunc debita huiusmodi integre satisfactum seu cum altero vestrum super hoc amicabiliter concordatum fuerit, absolvi non possit, praeterquam in mortis articulo constitutus. Si vero per sex menses praefatos triginta dies ex tunc immediate sequentes sententiam huiusmodi animo, quod absit, indurato sustinuerit, ex tunc lapsis mensibus eisdem regimine et administratione praefatis suspensus exsistat eo ipso, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, X kal. augusti, ... anno XV.

Simili modo eodem die scribit *Venerabili fratri .. episcopo Lucerin. et dilectis filiis .. S. Martini de Scalis ac beatae Mariae de Nemore, Montisregalis et Agrigentin. dioec. monasteriorum abbatibus.*

Religionis zelus, ... super quibus dilectus filius Matthaeus de Gimena, ordinis fratrum Minorum professor, *etc.* Quocirca *etc.*

927. Lucam de Sarzana, O. F. M., instituit episcopum Cephaluden. (Cefalù in Sicilia) (2).

1445, iulii 23, Romae.

Dilecto filio Lucae de Sarzana, electo Cephaluden.

Apostolatus officium *etc.* Sane ecclesia Cephaluden. ex eo pastoris solatio destituta, quod Nos hodie venerabilem fratrem Nostrum Antonium, episcopum Agrigentin., tunc Cephaluden., licet absentem, a vinculo, quo ipsi ecclesiae ... tenebatur, ... absolventes, eum ad ecclesiam Agrigentin., tunc vacantem, duximus auctoritate apostolica transferendum *etc.*, Nos *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, religionis zelo ... insignitum, direximus oculos Nostrae mentis *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, X kal. augusti, ... anno XV.

Simili modo eodem die scribit *Capitulo ecclesiae Cephaluden.; Clero civitatis et dioec. Cephaluden.; Populo civitatis et dioec. Cephaluden.; Universis vasallis ecclesiae Cephaluden.;* praeterea *Archiepiscopo Messanen.* (Ad cumulum); atque *Alphonso, regi Aragonum illustri* (Gratiae divinae).

(1) Reg. Lat. t. 416, f. 70v. Eodem die litteris *Quam sit onusta dispendiis* Antonius, episcopus Cephaluden., transfertur ad ecclesiam Agrigentin. Reg. Lat. t. 421, f. 148. De B. Matthaeo de Gimena, ab Agrigento nuncupato, cf. supra n. 620, p. 293.

(2) Reg. Lat. t. 421, f. 141. Eidem die 12 aug. 1445 litteris *Cum Nos pridem* concedit facultatem accipiendi munus consecrationis a quocumque maluerit catholico antistite. Reg. Lat. t. 418, f. 24. Cf. n. praec.

928. Mandat, ut habita informatione provideat super petitione sororum III. O. S. Fr. de Urbe circa earum exemptionem a ministro fratrum eiusdem ordinis (1).

1445, iulii 28, Romae.

Venerabili fratri Honofrio Francisco, episcopo Melfien., in Romana curia residenti.

Benigne petitiones illas *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum ministrae et sororum tertiae regulae ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in Urbe commorantium petitio continebat, saepe contingat pro eo, quod de ordine exsistens et Urbe huiusmodi oriundus aliquis ad hoc saltem aptus et idoneus ac eis conveniens non reperiatur, ipsas aliquem extraneum ipsisque ministrae et sororibus penitus ignotum in earum eligere ministrum et propterea inter ministram et sorores ac sic electum ministrum praedictos, qui fuerunt pro tempore, contentiones, rixae et quaestiones plerumque fuerint exortae necnon successu temporis subsequi formidentur, nisi desuper opportune provideatur, et sicut eadem petitio subiungebat, si ministra et sorores praedictae ad instar sororum domus Perusin. (2) eiusdem ordinis regerentur et gubernarentur, per hoc contentionibus, rixis et quaestionibus huiusmodi obviaretur, necnon ipsarum ministrae et sororum in Urbe, ut praemittitur, commorantium quieti et saluti provideri speraretur, pro parte ministrae et sororum in Urbe commorantium huiusmodi Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis, quod deinceps ad instar sororum domus Perusin. praedictarum per ministram dumtaxat regi et gubernari debeant, concedere ipsasque et singulas earum praesentes atque futuras ab omni superioritate, dominio, potestate, correctione et visitatione ministri huiusmodi pro tempore deputati seu deputandi eximere et liberare necnon eis quascumque alias mulieres, de quibus ipsis videbitur, cum eis in humilitatis spiritu virtutum Domino famulari volentes, recipiendi et admittendi aliaque circa haec necessaria et opportuna faciendi ac ministrae et sororibus in Urbe, ut praefertur, commorantibus praefatis, tam praesentibus quam futuris, chorda et non corrigia de cetero utendi licentiam largiri ac alias eis super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes ac iuxta huiusmodi tuam habendam informationem super his omnibus provideas, prout tuae conscientiae videbitur melius faciendum, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, V kal. augusti, ... anno XV.

929. Antonium, O. F. M., episcopum, transfert ab ecclesia Gallipolitan. ad Mutilen. (Mottola) (3).

1445, iulii 30, Romae.

Venerabili fratri Antonio, episcopo Mutilen.

Quam sit onusta dispendiis *etc.* Sane ecclesia Mutilen. ex eo vacante, quod Nos hodie venerabilem fratrem Nostrum Petrum Gallipolitan., tunc Mutilen. episcopum, licet absentem, a vinculo, quo Mutilen. ecclesiae ... tenebatur, ... absolventes, ipsum ad ecclesiam Gallipolitan., tunc vacantem, auctoritate apostolica duxerimus transferendum *etc.*, Nos ad provisionem ipsius Mutilen. ecclesiae *etc.* demum ad te, tunc Gallipolitan. episcopum, ... convertimus oculos Nostrae mentis. Intendentes igitur tam ipsi Mutilen. ecclesiae quam eius gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo praefatae Gallipolitan. ecclesiae ... tenebaris, ... absolventes, te ad eamdem Mutilen. ecclesiam auctoritate praedicta transferimus illique praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Volumus autem, quod, antequam *etc.* in venerabilium fratrum Nostrorum. Astunen. et Castellinaten. episcoporum manibus solitum fidelitatis debitae *etc.* Quocirca fraternitati tuae *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, III kal. augusti, ... anno XV.

Simili modo eodem die scribit: *Capitulo ecclesiae Mutilen.; Clero civitatis et dioec. Mutilen.; Populo civitatis et dioec. Mutilen.;* praeterea *Archiepiscopo Tarentin.* (Ad cumulum).

930. Mandat, ut bona ecclesiae S. Mariae de Sabineto prope terram Rodigii (Rovigo), Adrien. dioec., convertat in domum fratrum O. F. M. de observ. ibidem erigendam (4).

1445, augusti 1, Romae.

Venerabili fratri episcopo Adrien.

Decet Romanum pontificem *etc.* Cum itaque, sicut nuper accepimus, dilecti filii commune et

(1) Reg. Lat. t. 423, f. 154v.

(2) Cf. supra n. 456, p. 213.

(3) Reg. Lat. t. 421, f. 135v. Die 21 aug. 1445 litteris *Cum Nos nuper* mandatur Astunen. et Castellinaten. episcopis, ut ab Antonio episcopo recipiant fidelitatis iuramentum. Reg. Lat. t. 422, f. 121v. Apud Eubel, *Hierarchia*, II², p. 157 appellatur Antonius de Neatoro. Cf. supra n. 650, p. 308.

(4) Reg. Vat. t. 364, f. 112; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 179.

homines terrae Rodigii, tuae dioec., zelo devotionis accensi, quamdam domum ordinis S. Francisci de observantia cum ecclesia, claustro, dormitorio et aliis necessariis officinis iuxta licentiam a Nobis desuper emanatam construere et aedificare proponant nullumque locum reperiant ad id magis idoneum, quam ecclesiam sine cura S. Mariae de Sabineto, de iure patronatus marchionis Esten. pro tempore exsistentem, sitam extra praedictam terram in loco utique solitario et ab hominum habitatione remoto, quae, si supprimeretur, ac illius structurae et aedificia in constructionem et fabricam ipsius erigendae domus converterentur, omnesque fructus, redditus et proventus, possessiones et bona dictae ecclesiae S. Mariae venderentur et illorum pretium ad usum et utilitatem eiusdem domus necnon fratrum in ea pro tempore degentium deputarentur, profecto domus ipsa ibidem celeriter perficeretur, ac divinus in ea vigeret cultus cum animarum salute eorumdemque communis et hominum devotionis augmento. Quare pro parte dictorum communis et hominum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui cultum et ordinem huiusmodi augeri summopere affectamus, de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, ... ecclesiae S. Mariae praedictae, si vacat ad praesens, seu quamprimum per cessum vel decessum illam obtinentis vacare contigerit, ... illiusque nomen et saecularitatem, dummodo marchionis huiusmodi expressus accedat assensus, auctoritate Nostra penitus et omnino supprimas et exstinguas necnon structuras, aedificia, fructus, redditus, proventus, possessiones et bona huiusmodi vendas eorumque pretium in constructionem et fabricam dictae domus ac alias in usus et utilitatem fratrum in ea pro tempore degentium convertas, deputes et assignes aliaque facias, disponas et exsequaris, quae in praemissis necessaria cognoveris et opportuna, iure tamen *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, kalendis augusti, ... anno XV.

931. Iohanni de Colle, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1445, augusti 2, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Colle, ordinis fratrum Minorum et theologiae professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui presbyter et, ut asseris, baccalaurius in decretis exsistis, quique multiplices labores in continuatione studii in facultate theologiae hactenus tam ordinarie quam extraordinarie in diversis universitatibus et locis legendo ac docendo sustinuisti, ... favore prosequi gratioso, ... tibi, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum ... tibi, quoad vixeris, commendari possit, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali dono gratiae concedimus ac tecum, quod illud una cum quibusvis administrationibus et officiis dicti ordinis Minorum, quae te pro tempore canonice obtinere contigerit, similiter quoad vixeris, in commendam retinere ... valeas, eadem auctoritate dispensamus per praesentes, non obstantibus, quod praefatum ordinem Minorum expresse professus exsistis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, IV. nonas augusti, ... anno XV.

932. Mandat, ut Iacobo de Cingulo (Cingoli), O. F. M., ad fratres de observantia transgresso, concedat absolutionem a censuris et facultatem alienandi bona patrimonialia eaque convertendi ad certos usus (2).

1445, augusti 14, Romae.

Venerabili fratri Honofrio Francisco, episcopo Melfien., in Romana curia residenti.

Iustis et honestis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Iacobi de Cingulo, ordinis fratrum Minorum professoris, petitio continebat, quod, licet olim ipse, cum in domo castri de Cingulo, dicti ordinis, Auximan. dioec., in qua professionem emisit, resideret, nonnulla possessiones et bona in territorio dicti castri sita et ad eum, dum in saeculo ageret, ex paterna haereditate pervenientia ad instar aliorum in eadem domo residentium et conventualiter viventium fratrum per aliquos annos etiam sui superioris oculis conniventibus detinuerit et fructus licet paucos ex illis perceperit, tamen, quia postmodum dictus Iacobus ob frugem melioris vitae ad consortium fratrum dicti ordinis sub regulari observantia degentium transivit et sub huiusmodi observantia in theologia studendo vivit de praesenti, possessiones et bona huiusmodi vendere et alienare ac pretium ex eis redigendum tam in studii, cui insistit, quam etiam in eius genitricis in Urbe commorantis, quae inopiae et familiae gubernandae onus sustinere dignoscitur, subventionem convertere et exponere desiderat, si ei

(1) Reg. Lat. t. 416, f. 309 v.

(2) Reg. Lat. t. 416, f. 249.

desuper Apostolicae Sedis patrocinium suffragetur. Quare pro parte dicti Iacobi Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eum ab omnibus et singulis sententiis, censuris et poenis, si quas ex institutis regularibus praemissorum occasione incurrit, absolvere ac possessiones ac bona vendendi et pretium huiusmodi convertendi, ut praefertur, licentiam et facultatem concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes, et si ... ita esse reppereris, ... circa absolutionem, venditionem et pretii conversionem ac alia ... facias, disponas et exsequaris, prout eidem conscientiae tuae melius videbitur expedire, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XIX kal. septembris, ... anno XV.

933. Mandat, ut Iohannellae Surrentinae de Neapoli, moniali monasterii S. Spiritus Salernitan., O. S. Cl., concedat licentiam transeundi ad monasterium B. Mariae de Albano, Neapolitan., O. S. Cl. (1).

1445, augusti 14, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Ianuarii extra muros Neapolitan.

Humilibus supplicum votis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Agnetis, abbatissae beatae Mariae de Albano, Neapolitan., et Iohannellae Surrentinae de Neapoli, monialis S. Spiritus Salernitan., ordinis S. Clarae, monasteriorum petitio continebat, in dicto monasterio beatae Mariae praeter abbatissam praefatam, quae in senili aetate constituta est ac visus defectum patitur, duae dumtaxat moniales iuvenes et adhuc novitiae residere noscantur et, si dicta Iohannella de monasterio S. Spiritus, in quo quamplures aliae moniales inopia laborantes exsistunt et ordine S. Clarae, quem expresse professa exsistit, huiusmodi ad praefatum monasterium beatae Mariae transferretur, ex hoc tam monasterii beatae Mariae et Iohannellae praedictorum statui et directioni salubriter provideri posset, pro parte dilecti filii abbatis monasterii S. Pauli extra muros Urbis necnon Agnetis abbatissae et Iohannellae praefatarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, eidem Iohannellae, ut etiam superioris sui licentia super hoc minime requisita de monasterio S. Spiritus et ordine S. Clarae praedictis ad monasterium beatae Mariae huiusmodi transire ac in eo sub illius habitu et professione regularibus perpetuo remanere libere et licite valeat, auctoritate Nostra concedas, non obstantibus *etc.*

Datum Romae, apud S. Petrum, anno ... 1445, XIX kal. septembris, ... anno XV.

934. Mandat, ut Anfrosinam Ram, monialem monasterii S. Clarae Barchinonen., O. S. Cl., absolvat a censuris eique concedat licentiam remanendi in monasterio O. S. Aug. (2).

1445, augusti 24, Romae.

Dilecto filio Francisco de Plano, canonico Barchinonen.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.* Dudum siquidem, videlicet sub data pridie kal. martii, pontificatus Nostri anno XII, pro parte Anfrosinae Ram, monialis monasterii S. Clarae Barchinonen., ordinis eiusdem sanctae, Nobis exposito, quod ipsa, etiam tunc ordinem ipsum, ut asserebat, expresse professa exsistens, in illo ac dicto monasterio cum animi sui quiete ac sana conscientia ex certis legitimis causis amplius remanere non poterat, et quod ex magno devotionis fervore ad ordinem religiosarum S. Iohannis Hierosolymitan. singularem gerat affectum ac in illo sub eius regulari habitu virtutum Domino famulari cupiebat, Nos tunc ad ipsius Anfrosinae supplicationem bonae mem. Dominico, episcopo Portuen., tunc. tit. SS. Iohannis et Pauli presbytero cardinali, per alias Nostras litteras in commissione dedimus et mandatis, ut in praemissis et circa ea auctoritate Nostra faceret, prout ipsius conscientiae, quam tunc desuper duximus onerandam, videretur melius expedire, prout in dictis litteris plenius continetur (3). Et deinde, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictae Anfrosinae petitio continebat, licet dilectus filius Antonius de Oculisnigris, ordinis fratrum Minorum professor, pro ministro provinciali provinciae Aragoniae iuxta morem dicti ordinis ac superiore dicti monasterii se tunc gerens (4), praefatam Anfrosinam tunc invitam de dicto monasterio ad quarumdam illius tunc monialium sinistram informationem ad monasterium monialium, etiam S. Clarae, extra muros Vicen., ordinis sanctae huiusmodi, sub clausura perpetua inibi degentium, post datam litterarum et illis exsecutioni minime demandatis transtulisset, tamen postea genitor et nonnulli amici ipsius Anfrosinae, considerantes tunc, quod ipsa

(1) Reg. Lat. t. 416, f. 94.
(2) Reg. Lat. t. 416, f. 197. (3) Vide supra n. 649, p. 308.
(4) De Antonio de Oculisnigris cf. supra n. 877, p. 424; infra, n. 938, p. 458.

in dicto monasterio Vicen. propter aeris inibi intemperiem, et quia in loco valde frigido eius dispositioni et qualitati contrario consistit, permanere nequibat, eamdem Anfrosinam de dicto monasterio Vicen. absque illius tunc abbatissae licentia abstraxerunt et ad domum paternam duxerunt, in qua, postquam sub paterna custodia sub habitu regulari monialium dicti ordinis S. Clarae aliquamdiu permanserat, tandem ad procurationem charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae, reginae Aragonum illustris, ad monasterium B. Mariae Montisalacris, Barchinonen., ordinis S. Augustini, traducta ac sub custodia et commenda dilectarum in Christo filiarum illius priorissae et monialium posita exstitit, prout etiam hodie permanet. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefata Anfrosina propter praemissas et alias rationabiles causas ad id animum suum moventes ad dictum monasterium S. Clarae Barchinonen. redire non intendat neque in illo proficere posse confidat, pro parte dictae Anfrosinae, etiam asserentis, quod propter supervenientes in corpore episcopi huiusmodi [infirmitates] ad dictarum litterarum exsecutionem ante illius obitum processum non fuerit, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi de absolutionis debitae beneficio ab excommunicationis sententia, quam propter praemissa incurrit, ac alias super praemissis statui suo opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus praefatam Anfrosinam, si id humiliter petierit, a sententia praedicta auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesiae consueta iniunctis *etc.* Et insuper de praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ea vera esse reppereris, ... eidem Anfrosinae, quod in dicto monasterio beatae Mariae de consensu priorissae et illius monialium praedictarum perpetuo remanere aut ad aliud quodcumque dicti ordinis S. Augustini monasterium, in quo benevolas receptatrices invenerit, se transferre ac in eo etiam perpetuo remanere necnon regularem habitum iuxta consuetudinem monasterii, in quo eam remanere contigerit, gestare eius tunc regularibus institutis se perpetuo conformando, dummodo in monasterio huiusmodi, in quo, ut praefertur, remanserit, tantum tria substantialia regulae serventur, libere et licite possit, licentiam liberam et plenam auctoritate Nostra concedas, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, IX kal. septembris, ... anno XV.

935. Carolo, duci Borbonii, concedit facultatem fundandi duas domos O. F. M. de observ. (1).

1445, septembris 6, Romae.

Dilecto filio nobili viro Carolo, duci Borbonii.

Eximiae devotionis sinceritas *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu ob singularem, quem ad S. Franciscum ac ordinem fratrum Minorum geris devotionis affectum, et ut personae utriusque sexus in terris, villis, castris et locis tuo temporali dominio subiectis pro tempore commorantes ex vita laudabili necnon virtutibus et fructuosis operibus fratrum pro tempore exsistentium dicti ordinis plura suarum animarum gaudia et consolationes sentire valeant, duas domos conventuales in totidem ex terris, villis, castris et locis praefatis pro usu et habitatione perpetuis quorumdam dicti ordinis fratrum sub illius regulari observantia pro tempore degentium fundare, construere et erigere ... proponis, Nos igitur, ... tuum propositum huiusmodi condignis in Domino laudibus commendantes et, ut illud optatum sortiatur effectum, quantum cum Deo possumus, providere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, nobilitati tuae duas domos conventuales cum ecclesiis ... et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione perpetuis nonnullorum pro tempore exsistentium et sub huiusmodi observantia degentium eiusdem ordinis fratrum dumtaxat in totidem locis terrarum, villarum et castrorum praedictorum ad id accomodis et honestis tam de tuis quam aliorum fidelium ad illa pia subsidia impendere volentium quorumcumque licentia desuper minime requisita fundandi necnon fratribus de observantia praedictis domos praefatas recipiendi et retinendi ac in eis perpetuo commorandi iuribus parochialium ecclesiarum ... semper salvis plenam et liberam licentiam et facultatem necnon etiam omnibus et singulis guardianis et fratribus in praefatis domibus, postquam in parte vel in toto constructae fuerint, sub dicta observantia pro tempore degentibus, ut generali vicario in omnibus et provincialibus vicariis et aliis super dictos fratres de observantia nuncupatos pro tempore deputatis in sua dumtaxat provincia iuxta morem eiusdem ordinis observantiae et non generali aut aliis provincialibus ministris seu custodibus vel alicui ipsorum seu alteri ab eis aliter, quam a Nobis decretum est, deputato seu commisso parere et intendere ac etiam omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite possint et valeant,

(1) Reg. Lat. t. 422, f. 45 v.

auctoritate apostolica tenore praesentium elargimur, concedimus et etiam indulgemus, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VIII idus septembris, ... anno XV.

936. Francisco Furtii, fratri domus S. Petri de Magella de Diano, O. Coelest., dioec. Caputaquen., concedit licentiam transeundi ad domum O. F. M., in qua regularis observantia viget (1).

1445, septembris 7, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VII idus septembris, ... anno XV.

937. Mandat, ut confirmet concordiam initam inter moniales monasterii Ambianen. O. S. Cl. et episcopum, decanum et canonicos eiusdem civitatis (2).

1445, septembris 15, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Martini Ambianen.

Regimini universalis ecclesiae *etc.* Dudum siquidem pro parte dilecti filii nobilis viri Philippi militis, domini loci de Sancuses, Ambianen. dioec., et dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Mariae de Lully domicellae, eiusdem Philippi contoralis, Nobis exposito, quod ipsi ob singularem, quem ad ordinem S. Clarae gerebant devotionis affectum, de bonis eis desuper collatis, etiam christifidelium charitativis concurrentibus praesidiis, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam dictaeque sanctae reverentiam necnon pro religionis et divini cultus augmento aliquod huiusmodi ordinis monasterium cum ecclesia, campanili, ... officinis pro usu et habitatione aliquarum dicti ordinis monialium, quarum una abbatissa esset, in aliquo ad hoc apto et congruo loco in villa de Corbeya, dictae dioec., aut in aliqua ex praedicta vel Atrebaten. seu Tornacen. dioecesibus construere ... desiderabant, Nos, huiusmodi desiderio annuentes, eisdem Philippo et Mariae monasterium huiusmodi cum ecclesia, campanili et aliis necessariis praemissis pro usu et habitatione monialium in loco praedicto construendi ... licentiam auctoritate apostolica duximus concedendam (3). Postmodum vero, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Iohannae abbatissae et conventus monasterii tunc in civitate Ambianen. pro earum usu et habitatione ac receptatione vigore litterarum et licentiae huiusmodi constructi et aedificati petitio continebat, postquam ipsae monasterium praedictum pro praemissis usu et habitatione acceptantes, inibi sub regulari dicti ordinis castimonia Altissimo aliquamdiu famularant, cum inter venerabilem fratrem Nostrum Iohannem, episcopum Ambianen., ac dilectos filios decanum et capitulum ecclesiae Ambianen. ex una, necnon inter abbatissam et conventum praedictos ex altera partibus super constructione et fundatione monasterii huiusmodi necnon iure funerali, oblationibus ac certis aliis tunc expressis ac illarum occasione dissensionis quaestionisque materia suborta fuisset, Philippus et Maria ac abbatissa et conventus praedicti cum eisdem episcopo, decano et capitulo super praemissis in certum etiam tunc expressum concordiae modum devenerunt, nonnulla inter se ordinationes et capitula huiusmodi concordiam contingentia concipientes, quae hincinde observari disposuerunt firmiter ac promiserunt, et quae postmodum, utpote iusta et rationabilia, per generalem (!) ordinis fratrum Minorum ministrum in provincia Franciae secundum morem ordinis fratrum Minorum laudata pariter et approbata fuere, prout in authenticis litteris sive instrumentis publicis superinde confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte abbatissae et conventus praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, qui de praemissis certam notitiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse inveneris, concordiam praemissam, ac prout illam contingunt, omnia et singula in litteris sive instrumentis praedictis contenta et quaecumque inde secuta eadem auctoritate approbes atque confirmes, supplendo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XVII kal. octobris, ... anno XV.

938. Iohannem Lobet, O. F. M., confirmat in officio ministeriatus provinciae Aragoniae (4).

1445, septembris 20, Romae.

Dilecto filio Iohanni Lobet, ordinis fratrum Minorum et theologiae professori, provinciae Aragoniae iuxta morem eiusdem ordinis provinciali ministro.

Religionis zelus *etc.* Dudum siquidem ad audientiam Nostram non sine mentis amaritudine

(1) Reg. Lat. t. 416, f. 192 v.

(2) Reg. Lat. t. 423, f. 187; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 180.

(3) V. supra n. 600, p. 283.

(4) Reg. Lat. t. 423, f. 183 v. Cf. supra n. 877, p. 424.

diversorum et praesertim charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae, reginae Aragonum illustris, relatione perducto, quod quondam Antonius de Oculisnigris, ordinis fratrum Minorum et theologiae professor ac provinciae Aragoniae iuxta morem dicti ordinis tunc provincialis minister, suorum salutis, status et religionis immemor, a pluribus annis tunc citra adeo inhonestam dissolutamque vitam duxerat et ducebat adeoque negligenter et male in regimine officii ministratus huiusmodi se gesserat et gerebat, quod ex ipsius dissolutae vitae exemplo ac negligentia et malo regimine quasi omnes et singulae domus ordinis et provinciae praedictorum cum illarum personis regulari disciplina plurimum destitutae exsistebant, et nisi per Nos desuper opportune provideretur, ad totalem destructionem ac desolationem in futurum devenirent in animarum periculum necnon ordinis et domorum praedictorum praeiudicium perniciosumque exemplum et scandalum plurimorum, Nos dilecto filio priori domus de Porta Coeli, Carthusien. ordinis, Valentin. dioec., eius proprio nomine non expresso aliis Nostris litteris dedimus in mandatis, ut vocatis dicto Antonio et aliis, qui forent evocandi, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu ac figura iudicii sola facti veritate inspecta super praemissis omnibus et singulis ac eorum circumstantiis universis auctoritate Nostra se diligenter informaret, et si per informationem eiusmodi ea vel aliquod ipsorum, quod ad id sufficeret, reperiret veritate subniti, dictum Antonium officio ministratus huiusmodi eadem auctoritate sententialiter privaret et realiter amoveret ab eodem et nihilominus, si privationem et amotionem praedictas per eum dictarum litterarum vigore fieri contingeret, te in provincialem ministrum dictae provinciae cum omnibus et singulis iurisdictionibus, facultatibus, privilegiis, gratiis, indultis et emolumentis, quibus provinciales ministri eiusdem provinciae, qui eatenus fuerant, quomodolibet usi et gavisi exstiterant seu uti et gaudere poterant, dicta auctoritate crearet, constitueret et deputaret, prout in eisdem litteris plenius continetur. Postmodum vero, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, dilectus filius Petrus Ferrarii, prior dictae domus, ad ipsarum litterarum exsecutionem legitime constitit, praefatum Antonium dicto officio per suam definitivam sententiam, quae nulla provocatione suspensa in rem dicitur transivisse iudicatam, privavit et amovit realiter ab eodem necnon te in provincialem ministrum dictae provinciae cum iurisdictionibus, facultatibus, privilegiis, gratiis, indultis et emolumentis supradictis eadem auctoritate creavit, constituit et deputavit, tuque creationis, constitutionis et deputationis earumdem vigore dictum officium assecutus, illud ex tunc laudabiliter gessisti, prout geris de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, creationem, constitutionem et deputationem praedictas ex certis causis viribus non subsistere dubites, dictusque Antonius post privationem, amotionem, creationem, constitutionem et deputationem praefatas extra Romanam curiam fuerit vita functus, Nos, volentes te praemissorum meritorum tuorum intuitu necnon consideratione dictae Mariae reginae pro te Nobis super hoc humiliter supplicantis favore prosequi gratioso, praefatae reginae ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod litterae necnon creatio, constitutio et deputatio praedictae ac quaecumque inde secuta valeant plenamque roboris firmitatem obtineant, etiamsi dictum officium per privationem et amotionem vel obitum huiusmodi sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona seu per liberam resignationem praefati Antonii vel alterius de illo extra eamdem curiam sponte factam vacet, dummodo tempore datae praesentium non sit in eo alicui specialiter ius quaesitum, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XII kal. octobris, ... anno XV.

939. Nicolaum Antonii, O. F. M., instituit episcopum Insulen. (Isola in Italia inf.) (1).

1445, septembris 24, Romae.

Dilecto filio Nicolao Antonii, electo Insulen.

Inter cetera, quae superna dispositione *etc.* Dudum siquidem provisiones *etc.* Postmodum vero ecclesia Insulen. ex eo pastoris solatio destituta, quod Nos dudum venerabilem fratrem Crucettum (2), Cotronen., tunc Insulen. episcopum, licet absentem, a vinculo, quo ipsi Insulen. ecclesiae, cui tunc praeerat, tenebatur, ... absolventes, ipsum ad ecclesiam Cotronen. tunc vacantem duximus ... transferendum *etc.* Nos ad provisionem ipsius Insulen. ecclesiae *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum ac sacrae theologiae

(1) Reg. Lat. t. 421, f. 225. Eidem, qui iam in manibus Prosperi, S. Georgii ad Velum aureum diaconi cardinalis, fidelitatis iuramentum praestitit, die 26 sept. 1445 litteris *Cum Nos nuper* datur facultas recipiendi munus consecrationis a quocumque maluerit catholico antistite. Reg. Lat. t. 422, f. 172v. (2) Cf. supra n. 757, p. 357.

professorem et in sacerdotio constitutum, religionis zelo ... insignitum, direximus oculos Nostrae mentis, *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VIII kal. octobris, ... anno XV.

Simili modo eodem die scribit: *Capitulo ecclesiae Insulen.; Clero civitatis et dioec. Insulen.; Populo civitatis et dioec. Insulen.;* praeterea *Archiepiscopo Sanctae Severinae* (Ad cumulum); atque *Alphonso, Aragonum regi illustri.* (Gratiae divinae).

940. Concedit facultatem fundandi monasterium O. S. Cl. in villa de Corbeia, Ambianen. dioec. (1)

1445, octobris 20, Romae.

Dilecto filio nobili viro Philippo, domino loci de Sancuses, Ambianen. dioec., militi, et dilectae in Christo filiae nobili mulieri Mariae de Lulli, eius contorali.

Exigit singularis devotionis affectus, quem ad Nos *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos, qui ad ordinem S. Clarae singularem geritis devotionis affectum, ... de vestra vestrorumque progenitorum animarum salute recogitantes, de bonis a Deo vobis collatis etiam christifidelium charitativis concurrentibus praesidiis ad omnipotentis Dei laudem et gloriam ac dictae sanctae reverentiam aliquod in villa de Corbeia, Ambianen. dioec., monasterium cum ecclesia, campanili, campana, claustro, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione aliquarum dicti ordinis monialium, quarum una abbatissa sit et censeatur, in loco ad hoc apto et congruo construere et aedificare seu construi et aedificari facere propensius exoptetis, apostolici desuper praestolantes praesidium favoris, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... vobis monasterium huiusmodi cum ecclesia ... et aliis supra dictis pro usu et habitatione praemissis in loco huiusmodi pro dictis monialibus, quarum una sit et censeatur abbatissa, ut praefertur, ipsius construendi monasterii, construendi et fundandi ... ipsisque abbatissae et monialibus monasterium praedictum acceptandi et inhabitandi alicuius super hoc licentia minime requisita licentiam auctoritate apostolica elargimur et nihilominus abbatissae et monialibus in supradicto construendo monasterio pro tempore degentibus, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere liciteque possint et valeant, eadem auctoritate concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.* Nulli ergo, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XIII kal. novembris, ... anno XV.

941. Confirmat ea, quae circa suppressionem ordinis S. Trinitatis et redemptionis captivorum et introductionem ordinis S. Clarae in monasterio S. Trinitatis, Valentin., gesta sunt (2).

1445, octobris 21, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae servitutis Nobis iniunctae desuper officium *etc.* Dudum siquidem pro parte charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae, reginae Aragonum illustris, Nobis exposito, quod monasterium S. Trinitatis, Valentin., ordinis S. Trinitatis et redemptionis captivorum, a plerisque temporibus citra propter inordinatam et dissolutam vitam duorum fratrum, olim ordinis Praedicatorum professorum, tunc ad monasterium et ordinem S. Trinitatis huiusmodi translatorum, adeo in regulari disciplina et sanctimonia ac alias in eisdem spiritualibus gravia sustinuerat detrimenta, quod monasterium ipsum divinis officiis, quae prius in illo non cessaverant, penitus destitutum et satore malorum operante reliquis fratribus a dicto monasterio exclusis ad instar lupanaris reductum exstiterat in Dei offensam ac religionis et cleri vilipendium perniciosumque exemplum ac scandalum plurimorum, ac etiam pro parte dictae reginae supplicato, ut in dicto monasterio pro illius ad debitam observantiam reductione et divini cultus augmento ordinem S. Trinitatis penitus supprimere ac duos fratres praedictos ab illo realiter amovere necnon fratres seu sorores alicuius ordinis mendicantium sub regulari observantia degentium in ipso monasterio instituere inibique aliam dignitatem erigere necnon monasterium ipsum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis praefatis instituendis personis perpetuo donare et consignare ac personis ipsis, ut omnibus et singulis privilegiis et indulgentiis ordini et fratribus S. Trinitatis huiusmodi eatenus quomodolibet concessis uti et gaudere possent, concedere dignaremur, Nos tunc dilecto filio Nostro Alphonso, tit. SS. Quatuor Coronatorum presby-

(1) Reg. Lat. t. 422, f. 255v. Cf. supra n. 937, p. 458, et n. 600, p. 283.

(2) Reg. Vat. t. 377, f. 270v. De Iohanne Lobet O. F. M. cf. supra n. 938, p. 458; De monasterio O. S. Cl. de Gandia cf. supra n. 702, p. 330, de Tordesillas (= Oterdesillas) cf. supra n. 66, p. 40.

tero cardinali, qui etiam ecclesiae Valentin. praesse dignoscitur, Nostris aliis litteris inter alia commisimus et dedimus in mandatis, ut per se ipsum vel per alium, si ad id sufficienter intendere non valeret, per eum eligendum super praemissis omnibus et singulis auctoritate Nostra se diligenter informaret, et si per informationem huiusmodi ita esse reperiret, circa ipsum monasterium provideret, ordinaret et disponeret, prout sibi pro bona observantia regulari in dicto monasterio instituenda melius videretur faciendum, prout in eisdem litteris plenius continetur. Postmodum vero, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictae reginae petitio continebat, dilectus filius Bartholomaeus Paschasii, canonicus et praepositus dictae ecclesiae in utroque iure baccalaurius, cui praefatus cardinalis, tunc etiam in Romana curia residens, super his in totum vices suas commiserat, ad exsecutionem dictarum litterarum rite procedens, illarum vigore, quia sibi diligenti informatione facta de expositis huiusmodi legitime constabat et id sibi fieri bene videbatur, etiam dictis duobus fratribus, videlicet Bernardo Ullan, tunc ministro conventuali dicti monasterii et etiam provinciali dicti ordinis S. Trinitatis provinciae Aragoniae, ac Andrea Maliras ad hoc vocatis et auditis, eosdem fratres ab eodem monasterio realiter amovit et in illo ordinem S. Trinitatis huiusmodi penitus suppressit ac inter alia pro instituenda ibidem bona observantia regulari providit statuitque et ordinavit atque decrevit, quod in ipso monasterio abbatialis dignitas erigeretur et moniales sive sorores ordinis S. Francisci sub regulari observantia viventes instituerentur, ad quas privilegia, indulgentiae et alia iura quaecumque ordini et fratribus dicti ordinis S. Trinitatis concessa omnino transferrentur, iure parochiali et quolibet alio in omnibus semper salvo, necnon dilectum filium Iohannem Lobet, sacrae theologiae et ordinis fratrum Minorum professorem, vice et nomine earumdem monialium in corporalem, realem et actualem possessionem dicti monasterii iuriumque et pertinentiarum eiusdem nemine contradicente induxit et alia fecit, prout in quibusdam litteris authentice desuper confectis dicitur plenius contineri. In quo quidem monasterio S. Trinitatis dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales sive sorores monasterii villae de Gandia, Valentin. dioec., dicti ordinis S. Francisci, alias S. Clarae, vigore quarumdam aliarum Nostrarum litterarum desuper concessarum translatae sub huiusmodi regulari observantia viventes habitant de praesenti, Altissimo die noctuque famulando, etiam inibi per dictam reginam diversis operibus et reparationibus factis et aliis valde sumptuosis iam praeparatis et inceptis; a quibus quidem amotione et provisione, statuto, ordinatione, inductione, processu et aliis, sicut praemittitur, per dictum Bartholomaeum commissarium gestis ac alias a cardinali et commissario praedictis dictus Andreas, etiam tamquam vicarius generalis et locum tenens dicti ministri seu alias, necnon dilecti filii nobiles viri Petrus Roiç Strina, Eximius Petri Strina, Iacobus Strina, Odoardus Guillelmi Strina, Iacobus Guillelmi Strina et Arnaldus Guillelmi Strina, domicelli dictae dioec., asserentes se fore de genere quondam Guillelmi Strina, fundatoris hospitalis S. Guillelmi et ecclesiae dicti monasterii S. Trinitatis, quae constructa praetendebant in horto eiusdem fundatoris, ad Sedem Apostolicam, ut dicitur, appellarunt, licet appellationibus huiusmodi tamquam frivolis delatum non fuerit, quae omnia et singula sic per eumdem Bartholomaeum commissarium gesta cum suppletione defectuum, si qui forsan in illis intervenissent, auctoritate certarum aliarum litterarum, in quibus tamen de appellationibus huiusmodi nulla exstitit facta mentio, postea confirmata et approbata fuerunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Bernardus occasione praemissorum abbatissam et moniales praedictas coram quondam Iohanne Lohier, tunc capellano Nostro et causarum palatii apostolici auditore, ex commissione apostolica in causam traxerit, ac ipse Bernardus et Andreas fratres necnon domicelli appellantes praefati easdem abbatissam et moniales super eodem monasterio S. Trinitatis et contra, sicut praefertur, gesta, confirmata et approbata indebite et iniuste multipliciter et incessanter vexaverint, molestaverint, perturbaverint et inquietaverint ac fecerint et faciant, quominus ipsae abbatissa et moniales in ipso monasterio in pace et tranquillitate vitam regularem ducere et Altissimo vota sua reddere valeant, in ipsarum magnum dispendium et gravamen ac divini cultus non modicam diminutionem, pro parte reginae et abbatissae et monialium praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut amotioni, suppressioni, translationi, provisioni, statuto, ordinationi, decreto, inductioni et aliis gestis necnon confirmationi et approbationi praefatis pro illorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere *etc.* Nos igitur, de praemissis sufficienter certiorati et plenam notitiam habentes ac super his eisdem abbatissae et monialibus ... salubriter providere et materiam litis amputare cupientes necnon statum causae huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ... amotionem, suppressionem, translationem, provisionem, statutum, ordinationem, decretum, inductionem et alia gesta necnon confirmationem et approba-

tionem ac etiam litteras omniaque et singula in illis contenta praedicta et quaecumque inde secuta rata et grata habentes, ea omnia apostolica auctoritate et ex certa scientia confirmamus et approbamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplendo *etc.* Et nihilominus praedicta et quascumque alias causas inter abbatissam et moniales necnon fratres et domicellos praedictos tam in Romana curia quam etiam extra eam coram quibuscumque iudicibus ex commissionibus apostolicis vel alias tam coniunctim quam divisim super praemissis quomodolibet motas et pendentes ... ad Nos harum serie advocamus ac lites huiusmodi penitus exstinguimus et super molestationibus, inquietationibus et aliis praemissis fratribus, domicellis praedictis et quibuscumque aliis perpetuum silentium imponimus ac insuper abbatissae et monialibus dicti monasterii S. Trinitatis nunc et pro tempore exsistentibus et in eo commorantibus, quod omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis et gratiis ordini et fratribus dictae S. Trinitatis et de Tordesillas eiusdem ordinis, Palentin. dioec., ac dicto de Gandia monasteriis quomodolibet apostolica vel quacumque auctoritate concessis et imposterum concedendis in omnibus et per omnia uti, frui et gaudere possint et debeant, quodque dicta regina, quoad vixerit, dicti monasterii S. Trinitatis patrona exsistat, necnon in illo cum decenti familia et comitiva matronarum et domicellarum intrare et inibi pernoctare, prout sibi et devotioni suae fieri videbitur, aliaque etiam iuxta quamdam facultatem per Nos dudum desuper sibi concessam facere et exercere libere et licite valeat, eadem auctoritate concedimus per praesentes, non obstantibus praemissis, et quod dilectus filius minister generalis dicti ordinis S. Trinitatis ad praemissa per dictum Bartholomaeum commissarium sic gesta vocatus non exstiterit, *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XII kal. novembris, ... anno XV.

942. Matthaeo de Regio, O. F. M., mandat, ut procedat contra Paulum, archiepiscopatu Regin. privatum, in eius tamen intrusione perseverantem, et contra fautores eiusdem [1].

1445, octobris 22, Romae.

Dilecto filio Matthaeo de Regio, ordinis fratrum Minorum professori.

Apostolicae Sedis providentia circumspecta *etc.* Dudum siquidem Paulum de Signia, olim. Regin. archiepiscopum, causantibus pluribus et diversis eius culpis, excessibus et delictis, ipsum ad regimen et administrationem Regin. ecclesiae, cui tunc praeerat, indignum reddentes, regimine et administratione praefatis de fratrum Nostrorum consilio auctoritate apostolica privavimus ... necnon de persona venerabilis fratris Nostri Guillelmi de Logothetis, archiepiscopi Regin., tunc in minoribus constituti, ... eidem ecclesiae per privationem huiusmodi tunc vacanti providimus ipsumque illi praefecimus in archiepiscopum et pastorem, curam *etc.* ac etiam venerabilibus fratribus Nostris suffraganeis necnon dilectis filiis capitulo et vasallis dictae ecclesiae cleroque et populo civitatis et dioec. Regin. inter cetera dedimus in mandatis, ut dictum Guillelmum *etc.* Et deinde, videlicet postquam idem Guillelmus archiepiscopus vigore suarum provisionis et praefectionis praedictarum possessionem regiminis et administrationis bonorum memoratae ecclesiae seu maioris partis eorum adeptus exstiterat et in illa aliquamdiu permanserat, ad notitiam Nostram fideli insinuatione deducto, quod praefatus Paulus, mala malis accumulans, laicali potentia suffultus, eumdem Guillelmum archiepiscopum de facto, cum de iure non posset, possessione huiusmodi, in qua tunc erat, spoliare praesumpserat ac de dictis regimine et administratione se immiscuerat, prout etiam tunc immiscebat, Nos universis et singulis episcopis, electis, abbatibus et nonnullis tam ecclesiasticis quam laicalibus personis tunc expressis inter alia dedimus [in] mandatis, ut praefatum Paulum propter eius culpas et demerita contemnentes, ei nullam obedientiam in spiritualibus vel temporalibus exhiberent neque de fructibus, redditibus atque proventibus mensae archiepiscopalis Regin. aliqualiter responderent, prout in diversis aliis Nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Cum itaque, sicut ad audientiam Nostram ex quorumdam notabilium, etiam fide dignorum, relatione pervenit, praefatus Paulus, suorum salutis, status et honorum immemor, omni Dei timore postposito in sua intrusione huiusmodi animo indurato etiam in Nostrum et praedictae Sedis contemptum perseverare non desinat, ac etiam plures tam clerici quam laici pro eo, quod contra mandatum in posterioribus litteris Nostris comprehensum huiusmodi facere praesumpserunt seu illi debite parere non curarunt,

[1] Reg. Vat. t. 377, f. 254. De Matthaeo de Regio O. F. M. cf. supra n. 894, p. 433.

sententiam praedictam damnabiliter incurrerint, Nos, obstinantiam Pauli huiusmodi ulterius tolerare non valentes ac adversus eius et quoscumque sibi in praemissis fautores et adhaerentes illo volentes dicto Guillelmo archiepiscopo remedio subvenire, per quod Pauli et ei adhaerentium seu faventium praedictorum audacia compescatur et aliis similia de cetero committendi aditus praecludatur, et alias de probitatibus et virtutibus tuis plenam in Domino fiduciam obtinentes ac sperantes, quod ea, quae tibi committenda duxerimus, circumspectione provida et exacta diligentia prosequeris, tibi, qui etiam omnium et singularum domorum ordinis fratrum Minorum sub regulari observantia degentium in provincia Apuliae iuxta morem dicti ordinis consistentium necnon illarum pro tempore guardianorum et fratrum vicarius generalis ac etiam in toto regno Siciliae citra pharum haereticae pravitatis inquisitor exsistis, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus Paulum praedictum omnesque et singulos sibi in intrusione huiusmodi vel alias in praeiudicium dicti Guillelmi archiepiscopi super praemissis auxilium, consilium vel favorem praestare seu alias ipsum Guillelmum archiepiscopum, quominus ipse possessionem regiminis et administrationis bonorum huiusmodi libere adipisci et consequi possit, quomodolibet impedire praesumentes exhortari primo et deinde, si tuis exhortationibus huiusmodi tunc intendere recusaverint, illos ac etiam suffraganeos, capitulum, clerum, populum et vasallos praefatos, etiam omnes et singulos, sub excommunicationis et aliis gravioribus etiam pecuniariis, de quibus tibi videbitur, poenis, pro una camerae apostolicae ac pro alia medietatibus earumdem praefato Guillelmo archiepiscopo applicandis, monere auctoritate Nostra procures; videlicet, ut Paulus ab intrusione, necnon alii praesumptores ab auxiliis, consiliis, favoribus et impedimentis huiusmodi, ac etiam suffraganei, clerus, populus et vasalli praedicti, ut iuxta mandata eis facta praedicta dictum Guillelmum archiepiscopum debita honorificentia prosequi eique tamquam vero eorum patri et pastori obedire, parere et intendere, necnon dicti vasalli consueta iura atque servitia exhibere ipsumque regimen et administrationem bonorum, fructuum quoque reddituum et proventuum quorumlibet dictae Regin. ecclesiae libera et quieta perceptione pacifice gaudere permittant, infra certum per te eis desuper praefigendum terminum studeant et procurent, alioquin Paulum et alios omnes et singulos supradictos, cuiuscumque gradus, status, ordinis vel conditionis fuerint et quacumque ecclesiastica seu mundana dignitate praefulgeant, qui monitis tunc tuis huiusmodi debite parere neglexerint, sententias et poenas praedictas incurrisse eadem auctoritate declares illosque in ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, excommunicatos publice nunties et ab aliis nuntiari necnon ab omnibus arctius evitari facias, donec ab eisdem sententiis et poenis meruerint tunc absolutionis beneficium obtinere. Et nihilominus, si praefatus Paulus sententiam excommunicationis huiusmodi per sex menses a die lapsi termini per te in monitione statuendi huiusmodi computandos animo, quod absit, sustinuerit indurato, ex tunc eisdem lapsis mensibus eum tamquam haereticum et schismaticum puniendum fore etiam praefata auctoritate nunties et declares ac contra ipsum ulterius necnon alias adversus alios tunc monitos et inobedientes supradictos ad aggravationem, prout alias iuris fuerit, procedere procures. Et insuper tibi Paulum et alios omnes et singulos ex supradictis, qui praemissorum occasione excommunicationum et alias sententias, censuras et poenas praedictas hactenus incurrerunt et de cetero forsan incurrent, quotiens tibi expedire videbitur, dicta auctoritate ab illis omnibus et singulis plenarie absolvendi omnemque ab eis inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per ipsos propterea quomodolibet contractam penitus abolendi ac tum Paulo et aliis ex praedictis, qui ecclesiastici fuerint, super irregularitate, si quam ... contraxerint, dispensandi necnon etiam, si tibi pro bono pacis et quietis visum fuerit, Paulo et aliis ex supradictis, qui fructus, redditus et proventus mensae praedictae indebite pro tempore perceperint, illos omnes et singulos dicta auctoritate integre et plenarie remittendi et, quod ad illorum vel alicuius partis eorum satisfactionem minime teneantur, concedendi ac etiam monitiones, vocationes et processus per te vigore praesentium habendos per edictum publicum in locis publicis extra civitatem et dioec. praefatas consistentibus, quos duxeris desuper eligendos, affigendum necnon alia omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et opportuna faciendi et exsequendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, volentes etiam ac harum serie statuentes, quod omnes et singuli monitiones, vocationes et processus per edictum publicum faciendi seu habendi huiusmodi perinde arctent Paulum et alios praefatos, ac si illi tunc eis praesentialiter et personaliter intimati et insinuati fuissent, non obstantibus, quod professor dicti ordinis exsistas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XI kal. novembris, ... anno XV.

943. Mandat, ut Obertino Guillelmi de Tortagnis de Imola, III. O. S. Fr., conferat hospitale pauperum Imolen. a Matthaeo de Medexina indebite occupatum (1).

1445, octobris 23, Romae.

Venerabili fratri episcopo Imolen.

Gerentes in desideriis cordis Nostri *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, hospitale pauperum Imolen. de poenitentia nuncupatum, quod per fratres tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati gubernari consuevit, et quod quondam Dux Cechi, frater dicti ordinis, olim ipsius hospitalis rector, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Ducis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad praesens, licet illud dilectus filius Matthaeus de Medexina, pro fratre eiusdem ordinis se gerens, absque alicuius de eo sibi factae apostolicae vel ordinariae collationis, provisionis seu commissionis adminiculo propria temeritate per quatuor annos vel circa detinuerit, prout detinet, indebite occupatam, Nos, volentes dicto hospitali de gubernatore secundum cor Nostrum utili et idoneo, per quem circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, providere, ac probitatis et virtutum meritis, quibus persona dilecti filii Obertini Guillelmi de Tortagnis de Imola, fratris eiusdem ordinis, asserentis, quod professionem per eosdem fratres emitti solitam regularem emisit, quodque formidandum est, quod ipsum hospitale, propter quorumdam illius gubernatorum, qui hactenus fuerunt, incuriam et negligentiam deterioratum, ad profanos usus de cetero non deducatur, et quod ipse Obertinus illius structuras et aedificia non modica reparatione indigentia de bonis suis patrimonialibus reparari facere ac in eo hospitalitatem et alia charitatis opera etiam plus solito tenere ipsiusque conditionem in spiritualibus et temporalibus multipliciter meliorem efficere proponit, fide dignorum testimoniis iuvari percepimus, diligenter attentis, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si vocatis dicto Matthaeo et aliis, qui fuerint evocandi, hospitale praedictum, cuius fructus, redditus et proventus decem florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipse Obertinus etiam asserit, non excedunt, ut praemittitur, vacare reppereris, illud ... cum omnibus iuribus et pertinentiis suis praefato Obertino, si sit idoneus, et aliud canonicum non obsistat, per eum, quoad vixerit, iuxta constitutionem fel. rec. Clementis papae V, praedecessoris Nostri, in concilio Viennen. super hoc editam tenendum, regendum et gubernandum auctoritate Nostra committere procures, inducens *etc.*, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, X kal. novembris, ... anno XV.

944. Mandat, ut post resignationem Guidonis, prioris prioratus S. Petri de Meyrosio, O. S. Ben., Nemausen. dioec., eumdem prioratum conferat Petro de Cahusaco, O. F. M., reservata Guidoni annua pensione 60 scutorum auri de Francia (2).

1445, octobris 24, Romae.

Venerabili fratri Amico, episcopo Aquilan., in Romana curia residenti.

Apostolicae Sedis circumspecta benignitas *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Guido de Vesinhio, prior prioratus S. Petri de Meyrosio, ordinis S. Benedicti, Nemausen. dioec., propter personae suae indispositionem dictum prioratum, prout congrueret, regere et gubernare commode et utiliter nequeat per se ipsum ac propterea ac ex certis aliis rationabilibus causis prioratum ipsum, quem obtinet, sponte et libere resignare proponat, Nos, votis ipsius Guidonis in hac parte favorabiliter annuentes et tam sibi, qui S. Benedicti, ne propter resignationem huiusmodi nimium dispendium patiatur, quam dilecto filio Petro de Cahusaco, ordinis fratrum Minorum et theologiae professori, qui Minorum ordinis huiusmodi, ut asserunt, expresse professi, ac dictus Guido de nobili genere ex utroque parente procreatus exsistunt, apud Nos de religionis zelo ... commendatis, ... de alicuius subventionis auxilio providere specialemque gratiam facere volentes, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, ab eodem Guidone vel procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto resignationem huiusmodi ... auctoritate Nostra hac vice dumtaxat recipias et admittas eaque per te recepta et admissa prioratum praedictum, qui ... a monasterio S. Guillelmi de Desertis, dicti ordinis S. Benedicti, Lodoven. dioec., dependet ac per illius monachos gubernari consuevit, ... cuiusque fructus, redditus et proventus centum et viginti librarum Turonen. parvorum secundum communem aestimationem valorem annuum, ut idem Petrus asserit, non excedunt, ... cum omnibus iuribus et pertinentiis suis Petro, qui presbyter est, etiam asserenti, quod dilecti filii abbas dicti monasterii necnon officiarii charissimi in Christo filii Nostri Caroli, Francorum regis illustris,

(1) Reg. Lat. t. 416, f. 226.

(2) Reg. Lat. t. 423, f. 26.

in partibus illis exsistentes ad hoc consentiunt, quodque ipse ob egregias eius praedicationes verbi Dei ac alias clero et populo partium earumdem gratus admodum et acceptus exsistit, per eum, quoad vixerit, tenendum ac in spiritualibus et temporalibus regendum et gubernandum commendare necnon Guidoni praefatis super fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi pensionem annuam sexaginta scutorum auri de Francia per eumdem Petrum eiusque successores dictum prioratum pro tempore obtinentes Guidoni praefato etiam, quoad vixerit, vel procuratori suo ad hoc ab eo speciale mandatum habenti annis singulis in locis et terminis ac sub censuris et poenis per te de ipsorum Guidonis et Petri consensu ad id statuendis integre persolvendam reservare, constituere et assignare eadem auctoritate procures, inducens *etc.* contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.* Nos enim ex nunc irritum decernimus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, IX kal. novembris, ... anno XV.

945. Mandat, ut pecunias et bona a Guillelmo O. F. M., priore poenitentiariorum pontificiorum, in civitate Senen. relicta consignent vicario generali episcopi Senen. (1).

1445, octobris 26, Romae.

Dilecto filio Matthaeo Antonii Guidonis, campsori, et dilectae in Christo filiae Marchesanae, relictae olim Bartholomaei Cechi de Usunna, militis de Senis.

Cum intellexerimus olim fratrem Guillelmum, ordinis fratrum Minorum, qui erat prior dilectorum filiorum minorum poenitentiariorum Nostrorum, nuper defunctum, reliquisse in civitate Senarum nonnulla pecunias et alia bona in vestris manibus, ad Nosque spectet praedictorum pecuniarum et aliorum bonorum distributio, quam pro illius anima facere intendimus, vobis et vestrum utrique mandamus, quatenus ipsa pecunias et bona, quotquot et quaecumque sint, consignetis dilecto filio vicario venerabilis fratris Nostri episcopi Senen., qui de ipsis Nostram voluntatem plenarie exsequetur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VII kal. novembris, ... anno XV.

946. Cicho Petri de Cassano, presbytero Cusentin., reservat parochialem ecclesiam S. Nicolai de Ruvella, Cusentin. dioec., vacantem per ingressum Petri de S. Blasio, rectoris, in domum S. Francisci Cusentin., O. F. M. de observ. (2).

1445, octobris 27, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VI kal. novembris, ... anno XV.

947. Mandat, ut puniat quosdam fratres O. F. M., O. Praed. et O. Merced. capt. (3).

1445, octobris 29, Romae.

Dilecto filio Angelo, abbati Reatin., fructuum, reddituum et proventuum camerae apostolicae in insula Siciliae collectori.

Obstinata quorumdam in sceleribus pravitas exigit, ut, sicut vulnera, quae sanari nequeunt, nisi ferrum apponatur et ignis, ipsos superioris auctoritas puniat et in abruptum vitiorum conversos debita animadversione compescat. Nuper siquidem fide dignorum relatione intellexi-mus fratres Antonium Sicilo, Lucam Gorzana de Agrigento, Antonium Zaco de Messana, ordinis Minorum, et fratrem Iulianum, ordinis Praedicatorum et quosdam ex fratribus, qui dicuntur de Mercede captivorum, aliosque plerosque diversorum ordinum religiosos vitam ducere dissolutam et penitus abominandam, cum partim foeneratores et pecuniarum per modos quoscumque illicitos direptores, partim sint notorii concubinarii et nihil de honestate religionis atque modestia, tamquam eis, quidquid libeat, liceat, retinentes adeo, ut horribilis contra ipsos per totam insulam, praesertim apud bonos et graves sentiatur infamia. Nos itaque tanta flagitia, tanta religionis et ordinis clericalis dedecora, brevi, si negligantur, in pessimum exemplum et plurimorum perniciem transitura, nolentes relinquere impunita, volumus et apostolica tibi auctoritate ... mandamus, quatenus inquisita per te diligentius veritate de iure et de facto summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate reperta, ut opera eorum sequantur illos, personaliter et realiter eosdem, prout delictorum exiget qualitas, punias, corrigas et castiges. Quod, ut melius facere possis, eidem devotioni tuae invocandi ad hoc auxilium brachii saecularis et alia faciendi omnia, quae iudicaveris quomodolibet opportuna, concedimus

(1) Reg. Lat. t. 377, f. 263.

(2) Reg. Lat. t. 419, f. 209 cum bulla exsecutoriali data *Archiepiscopo Regin. et archidiacono et Angelo Arditi, canonico ecclesiae Cusentin.*

(3) Reg. Vat. t. 377, f. 266v. Eadem bulla parum mutata exstat ibidem f. 215v, sed sub data V idus iunii (= 9 iun. 1445).

auctoritate praedicta tenore praesentium facultatem.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, IV kal. novembris, ... anno XV.

948. Mandat, ut convocet vicarios provinciales sibi subditos ad capitulum 1) pro electione vicarii generalis cismontani, 2) pro electione vicarii ultramontani (1).

1445, octobris 31, Romae.

1) *Dilecto filio Iohanni de Capistrano, ordinis fratrum Minorum professori et fratrum eiusdem ordinis de observantia nuncupatorum citra montes vicario generali.*

Regimini universalis ecclesiae disponente Domino *etc.* Sane cum Nos dudum, videlicet kalendis augusti, pontificatus Nostri anno XIII, constitutionem et deputationem, quibus dilectus filius Antonius de Rusconibus, sacrae theologiae professor et generalis minister totius ordinis Minorum, te ac dilectum filium Iohannem de Mauberto, eiusdem ordinis etiam professorem, domorum, locorum et conventuum fratrum dicti ordinis Minorum de observantia nuncupatorum, citra et ultra montes consistentium, vicarios generales fecit, constituit et deputavit, per quasdam alias Nostras litteras confirmaverimus, et approbaverimus, prout in ipsis plenius continetur (2), et inde experientia teste didicerimus non sine cordis laetitia deputationem et constitutionem huiusmodi ipsius ordinis fratribus de observantia nuncupatis in suo statu plurimum profecisse, cum silentio quodam reclamationum, quae aures Nostras saepissime propulsabant, et mentis quietudine, qua devotae contemplationi et sacrarum litterarum studiis disponuntur, fugata evagationis materia, cum multitudine ad eamdem observantiam convolantium novitiorum, ut igitur liberius et licentius in bono perseverent et perseverantia notior habeatur, portenturque ad aream Domini manipuli plenae messis, tenore praesentium, motu proprio, non ad alterius super hoc Nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa Nostra scientia auctoritate apostolica tibi committimus et mandamus, quod tu convocare possis et debeas hoc anno, quo instat finis officii tui vicariatus, ubi et quando tibi placuerit, vicarios et discretos provinciarum et vicariarum tibi subiectarum ante finem tui officii capitulariter congregare, qui sic congregati facultatem habeant eligendi et eligere teneantur unum religiosum eiusdem ordinis in vicarium generalem cismontanum et electione facta eam, quam primum commode fieri poterit, generali ministro totius ordinis faciant praesentari, quam ipse minister infra triduum confirmare ipsique electo committere debeat plenarie vices suas, ut in dictis aliis, de quibus supra fit mentio, factis concessione et commissione continetur; quam quidem electionem, si infra triduum huiusmodi dictus generalis confirmare distulerit, ex tunc electus ipse cum praedicta potestate confirmatus omnimode censeatur usque ad triennium tunc secuturum Nostra et Sedis Apostolicae auctoritate; interim autem, donec confirmatus fuerit, exerceat auctoritate Nostra officium ipsum vicarius provinciae, ubi capitulum fuerit celebratum. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, pridie kal. novembris, ... anno XV.

2) Eodem die simili forma cum necessariis mutationibus scribit: *Dilecto filio Iohanni de Mauberto, ordinis fratrum Minorum professori et fratrum eiusdem ordinis de observantia nuncupatorum ultra montes vicario generali.*

949. Mandat, ut domum sororum de poenitentia, Maioricen., III. O. S. Fr., erigat in monasterium O. S. Ben. aut S. Aug. (3).

1445, novembris 3, Romae.

Dilectis filiis Bernardo Berardi, archidiacono, et Nicolao de Montealto, canonico ecclesiae Maioricen.

Ex supernae maiestatis providentia *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum ministrae et sororum domus tertiae regulae de poenitentia nuncupatae S. Francisci, Maioricen., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim in civitate Maioricen. quaedam domus sub nomine sororum poenitentiae, regulae et sancti praedictorum, Maioricen., pro usu et habitatione perpetuis aliquarum sororum dictae regulae fundata, erecta et deputata exstitit, in qua paucae earumdem in principio habitare coeperunt primo, et deinde successu temporis illarum numerus de licentia bonae mem. tunc episcopi Maioricen. usque ad duodecim augmentatus, ibidemque oratorium sub invocatione beatae Elisabeth continentis erectum fuit, quae, dum insimul in dicta domo in numero huiusmodi Domino devote famularentur, tria videlicet obedientiae ac paupertatis et castitatis vota in ingressu dictae regulae emittebant, prout hodie

(1) Wadd. *Ann.* ad a. 1445, n. 4 et 5 « e l. 5 bullarum f. 306 ».

(2) Vide n. 705, p. 332.

(3) Reg. Lat. t. 422, f. 61.

emittunt, demum vero dictae sorores a venerabili fratre Nostro Aegidio, episcopo Maioricen., duodecimum huiusmodi ad decimum octavum numerum ampliandi licentiam obtinuerunt, et ibidem ecclesia, in qua divinum celebratur officium, constructa exstitit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictae sorores habitum et vestitum secundum regulam praedictam gestare et in illis incedere non videantur, quinimo tam propter vota huiusmodi quam alias caerimonias suas potius moniales quam dictae regulae sorores iudicantur, propter quod earum status quasi incertus vacillat, ipsaeque cupiant sub regulari habitu S. Augustini aut S. Benedicti ordinum perpetuo Domino reddere vota sua, pro parte ministrae et sororum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus per vosmetipsos de praemissis ... vos diligenter informetis et ... domum praedictam cum habitationibus, hortis, officinis et pertinentiis suis omnibus ad ipsam domum spectantibus in monasterium per abbatissam aut priorissam deinceps regendam et gubernandam S. Benedicti aut S. Augustini ordinum huiusmodi pro usu et habitatione perpetuis dictarum sororum creare et erigere necnon sorores in dicta domo degentes illius ordinis esse, quem maior pars earum elegerit, statuere et decernere illisque sororibus habitum regularem per moniales ordinis, quem, ut praefertur, ipsae elegerunt, gestari solitum exhibere ac earum ministram, si ipsae S. Benedicti, in abbatissam praeficere, et si S. Augustini ordinum huiusmodi elegerint, in priorissam constituere et ordinare necnon omnia et singula bona, possessiones et redditus dictae domui qualitercumque data, legata et relicta sub nomine sororum dictae regulae, quae nunc possident, confirmare et quae de cetero eidem domui sive monasterio dabuntur seu legabuntur et dante Domino ipsae sorores sive tunc moniales adipisci poterunt, illa recipiendi et de illis disponendi et in suos usus convertendi eis licentiam concedere eadem auctoritate curetis aliaque faciatis et ordinetis, quae circa ea necessaria fuerint seu etiam opportuna. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, III nonas novembris, ... anno XV.

950. Nicolao de Gemma, canonico Cusentin., mandat, ut Orlando Thomae Abiosii, presbytero eiusdem dioec., conferat parochialem ecclesiam S. Angeli de Tricente Bavilationis Dopnicorum (Donnici) et ecclesiam S. Sophiae sine cura illi canonice annexam, Cusentin. dioec., vacantem per ingressum Antonii de Vico de Dopnicis, illius rectoris, in domum S. Francisci Cusentin. O. F. M. (1).

1445, novembris 20, Romae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Romae, apud S. Petrum, anno ... 1445, XII kal. decembris, ... anno XV.

951. Confirmat consignationem monasterii *Religionis veteris* prope civitatem Parmen., Iacobo de Primaditiis et fratribus O. F. M. de observ. factam (2).

1445, novembris 29, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Aeterni pastoris vices divina dispensatione gerentes in terris *etc.* Dudum siquidem, cum dilecti filii populus et commune civitatis Parmen., accensi desiderio habendi in aliquo loco ex suis aliquos ex dilectis filiis fratribus ordinis Minorum de observantia regulari, et dilectus filius frater Iacobus de Primaditiis de Bononia dicti ordinis Nobis supplicaverint, ut monasterium « religionis veteris » sic dictum, extra et prope muros dictae civitatis praedictis fratribus dari et consignari faceremus, Nosque, audientes monasterium illud mensae episcopali Parmen. unitum esse, commiserimus per litteras apostolicas (3) dilecto filio Hermanno Lusco, canonico Parmen., ut, si consensus venerabilis fratris Nostri Dalfini, episcopi Parmen., interveniret, praedictum monasterium « religionis veteris » cum hortis et hortalitiis dumtaxat daret eidem fratri Iacobo de Primaditiis ceterisque fratribus ordinis Minorum de observantia regulari licentiam capiendi et eidem episcopo dandi, et idem episcopus, tunc Basileae exsistens, a dilectis filiis Conrado, marchione de Careto, commissario et potestate, antianis et canonicis civitatis praedictae per nuntios et litteras requisitus, consensum ad praedicta necessarium per suas litteras praestitisset, idemque Hermannus canonicus, visis litteris supradictis commissa sibi per Nos exsecutus, antedictum religionis veteris monasterium cum structuris et aedificiis et tanto territorio, quantum ad officinas et hortos ac hortalitia illi, quibus per episcopum praedictum commissum fuerat, iudicarent necessarium, consignaverit et consignari fecerit eidem fratri Iacobo et aliis fratribus praedictis, prout haec omnia et alia superinde gesta plenarie constant

(1) Reg. Lat. t. 419, f. 200v. (2) Reg. Lat. t. 378, f. 16v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 181. (3) Vide supra n. 149, p. 77.

et apparent per litteras apostolicas ac episcopi praefati et alia instrumenta superinde confecta, quae omnia hic haberi volumus pro sufficienter expressis, Nos praedictam monasterii religionis veteris et territorii huiusmodi consignationem, ut praefertur, factam, ratam habentes et gratam supplentesque omnes defectus, si qui intervenerint in eadem, illa et quaecumque inde secuta praesentis scripti patrocinio auctoritate apostolica communimus volumusque ut, cum praedictus frater Iacobus, modestia uti volens, parvam territorii quantitatem pro officinis et hortalitiis acceperit, si crescente et multiplicante fratrum numero, ut alia ratione contingeret vicarium provinciae Bononiae eorumdem fratrum cum guardiano et discretis ipsius loci et S. Mariae de Nuntiata, alias religionis veteris nominati, iudicare eis opus esse maiori territorio, illud ex contiguo cum quanto minori detrimento territorii ad mensam episcopalem remanentis poterunt, super quo eorumdem fratrum conscientias gravamus, accipere et in dicti loci S. Mariae usus convertere possint et valeant pro eorum libito voluntatis. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, III kal. decembris, ... anno XV.

952. Mandat, ut confirmet excambium certarum possessionum factum inter Nicolaum, marchionem Esten., et monasterium S. Guillelmi extra muros Ferrarien. O. S. Cl. (1).

1445, decembris 1, Romae.

Venerabili fratri .. episcopo Ferrarien.

Ut illa, quae pro ecclesiarum et monasteriorum *etc.* Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Leonelli, marchionis Esten., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim quondam Nicolaus, marchio Esten., eius genitor, cupiens cuidam atrio suo, Belriguardo nuncupato, in dioec. Ferrarien. consistenti, in quo mirae pulchritudinis aedificia construi fecit, redditibus et facultatibus congruis provideri, nonnullas ad monasterium S. Guillelmi extra muros Ferrarien., ordinis S. Clarae, et quasdam alias ad plebem villae Vigueriae, dictae dioec., spectantes possessiones, terras ac decimas eis prius per probos et expertos viros ad certum tunc expressum valorem aestimatis de consensu abbatissae monasterii et commendatarii plebis praedictorum, qui tunc fuerunt, pro usu atrii Belriguardi huiusmodi sibi acquisivit et ab ipsis abbatissa et commendatario dicto atrio Belriguardo assignari procuravit necnon in excambium possessionum, terrarum et decimarum earumdem monasterio et plebi praedictis tot alios fructus, redditus et proventus, tunc ad ipsum quondam Nicolaum marchionem legitime pertinentes, tradidit pariter et assignavit, ex quibus tam monasterii, quam plebis praedictorum conditio melior effecta est evidenter, prout in instrumento publico superinde confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti Leonelli Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et ... excambium huiusmodi ac omnia et singula in praefato instrumento contenta et quaecumque inde secuta auctoritate Nostra approbes et confirmes, supplendo *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, kalendis decembris, ... anno XV.

953. Valentino Antonii O. F. M. concedit licentiam commorandi in societate Nicolai de Furca, III. O. S. Fr. (2).

1445, decembris 2, Romae.

Dilecto filio Valentino Antonii, ordinis fratrum Minorum professori.

Providentia Sedis Apostolicae circumspecta *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim, postquam tu, tunc mere saecularis exsistens, in quodam eremitorio sectando vitam eremiticam et illam ducendo per spatium sex annorum vel circa permanseras, ad quamdam domum fratrum Minorum te transferens, in illa cum dilectis filiis fratribus eiusdem domus per spatium annorum quatuor vel circiter sub ipsorum regula permansisti. Et deinde, cum desiderares cum dilectis filiis eiusdem ordinis fratribus de observantia nuncupatis in domo ipsorum aliquando commorari et Altissimo sub eadem observantia famulari ac per fratres huiusmodi ob tui capitis defectum ac debilitatem personae receptus minime exstitisses, verum ad quemdam eremiticum locum alicuius super hoc licentia non obtenta te auctoritate propria transferens, in eremitorio huiusmodi per sex alios annos vel circiter permansisti sub habitu fratrum de tertio ordine S. Francisci de poenitentia nuncupatorum, servando vitam eremiticam. Cum autem causantibus huiusmodi tuis defectibus cupias in societate dilecti filii Nicolai de Furca (3) et sociorum eius vitam eremiticam ducere et cum illis commorari sub dicto tertio ordine desideres, Nos, volentes te

(1) Reg. Lat. t. 422, f. 69v. Cf. supra n. 908, p. 441. (2) Reg. Lat. t. 423, f. 146. (3) Est B. Nicolaus a Furca Palenae.

in hoc laudabili proposito confovere, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut in societate huiusmodi et sub vita eremitica ac dicto tertio ordine commorari illumque ducere et alias Altissimo famulari valeas, praemissis ac aliis ... non obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, IV nonas decembris, ... anno XV.

954. Statuit, ne de cetero fratres conventus S. Francisci Assisinat. se intromittant de regimine capellae B. Mariae de Portiuncula fratrum O. F. M. de observ., atque ut eleemosynae ibidem oblatae apud eosdem fratres de observ. permaneant (1).

1445, decembris 3, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet ex debito summi pontificatus *etc.* Sane, licet, ut accepimus, locus S. Mariae de Portiuncula sive de Angelis, extra muros Assisinat., dilectis filiis vicario et fratribus ordinis S. Francisci de observantia, provinciae eiusdem sancti, pro eorum usu et habitatione canonice assignatus ac alias sub eorum cura, regimine et gubernatione in perpetuum deputatus fuisset, ipseque locus per sedecim annos et ultra sub eisdem cura, regimine et gubernatione fratrum praedictorum perstitisset, tamen dilecti filii fratres et conventus S. Francisci Assisinat. eiusdem domus quadam ex consuetudine sive ordinatione certis diebus festivis, praesertim in festivitatibus B. Mariae Virginis necnon in primis vesperis kalendis augusti usque ad secundas vesperas capellam eiusdem loci, ad quam pro tunc non modica ob singularem, quem ad illum ge runt devotionis affectum, christifidelium confluit multitudo, occupare, panes quoque, tobaleas, libros, calices, iocalia necnon alia, quae per ipsos christifideles iuxta illorum facultatem aut devotionem fiunt offertoria, ab inde deportare et sibi applicare consueverunt in praefati loci non modicum praeiudicium et gravamen, cum etiam praefatus locus propter frequentem advenientium et transeuntium tam saecularium quam religiosarum aliarumque pauperum personarum hospitalitatem necnon fratrum ibidem commorantium et aliorum undecumque per totius anni circulum et praecipue kalendis huiusmodi in multitudine copiosa illuc confluentium continuis sumptibus et expensis gravatus exsistat, ipsique fratres de observantia, qui illa in civitate et districtu Assisinat. propter guerras, quibus partes illae diutius afflictae fuerunt, eleemosynarum copiam, quibus huiusmodi personae sustentari et procurari valeant, erogare et conquirere minime possint, aliquibus pro huiusmodi hospitalitatis conservatione subsidiis et christifidelium suffragiis indigere noscantur, Nos igitur, cupientes, ut ea, quae pie circa vicarium et fratres observantiae antedictos facta sunt, illibata perseverent, Nostros ad eos ob multiplicia, quae Altissimo dieque ac noctu inibi exhibent praeconia laudum, motus paternos dirigentes pariter et affectus, praesentis perpetuae et irrefragabilis constitutionis edicto hacque in perpetuum valitura sanctione, ne ullo umquam tempore fratres conventus huiusmodi de cura, regimine et gubernatione dictae capellae ac rerum quarumlibet in loco et capella praedictis pro tempore oblatarum ex nunc inantea se intromittere per se aut per alium seu alios, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, causa vel occasione debeant atque possint, quodque regimen, cura et gubernatio loci et capellae praedictorum ad ipsos fratres de observantia praesentes et futuros solum et in solidum spectare necnon oblationes et alia inibi pro tempore facta offertoria apud eos in eorum ac fratrum et peregrinorum ac personarum praedictorum usus et subventionem convertenda permanere debeant, exceptis oblationibus pecuniariis, pro quibus recipiendis iuxta formam quarumdam litterarum fel. rec. Nicolai papae IV, praedecessoris Nostri, super praemissis in favorem dictae domus S. Francisci ac fratrum in ea pro tempore degentium dudum emanatorum duo viri idonei, qui non sint ipsius ordinis, per ministrum provinciae praedictae et vicarium eiusdem super fratres de observantia constitutum deputentur, qui recipere et sic receptas in utilitatem locorum huiusmodi auctoritate Nostra convertere debeant, auctoritate apostolica constituimus, decernimus ac etiam ordinamus, inhibentes fratribus conventualibus huiusmodi pro tempore exsistentibus sub excommunicationis poena, quam, si secus fecerint, eos et eorum quemlibet incurrere volumus ipso facto, ne per se vel alios vicarium et fratres de observantia aut eorum aliquem super his molestent vel eis gravamina seu damna vel iniurias inferant vel inferri permittant quoquomodo, quibuscumque constitutionibus ... nequaquam obstantibus eadem auctoritate concedimus per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, III nonas decembris, ... anno XV.

(1) Reg. Vat. t. 364 f. 101v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 182.

955. Iacobo de Primaditiis O. F. M. concedit amplas facultates (1).

1446, ianuarii 1, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Primaditiis de Bononia, ordinis Minorum, qui dicuntur de observantia regulari, commissario Nostro.

Suadent Nobis probata in multis arduisque Nostris, Romanae ecclesiae et fidei christianae negotiis tuae devotionis fides atque integritas et in exsequendis commissionibus tibi factis maxima diligentia, ut omnia tibi confidenter committamus, quae ad Dei nostri honorem, fidei et religionis augmentum et locorum piorum reformationem conservationemque votive fieri cupimus et impleri. Cum itaque in partibus ultramarinis, praesertim orientalibus, et in provincia Romaniae multa sint loca tui ordinis fratrum et sororum, quae propter nimiam a Romana curia distantiam et alias ob praelatorum idoneorum carentiam minus bene, quam cupiamus et fieri deberet, gubernantur, cupientes dictorum locorum et inhabitantium fratrum ac sororum reformationi, bono regimini et animarum saluti salubriter providere eaque ratione mittentes devotionem tuam ad easdem partes, te in ipsis ultramarinis orientalibus partibus et maxime in provincia Romaniae commissarium Nostrum cum potestate et plena facultate omnia et singula dictarum partium loca fratrum et sororum dicti ordinis et eorum conventus, fratres, moniales et sorores tam in capite quam in membris visitandi, reformandi, citandi, puniendi, carcerandi, privandi, instituendi et destituendi, omniaque alia et singula faciendi, ordinandi, praecipiendi, mandandi et disponendi, quae huiusmodi visitationem et reformationem exigere et exposcere iudicabis, aut quae dilectus filius tui ordinis generalis minister facere posset, si personaliter interesset, auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus atque etiam deputamus, volentes, ut, si forte aliquos vel aliquas invenias tuis mandatis et ordinationibus inobedientes aut aliter resistentes, eos omnes per censuras ecclesiasticas et invocationem brachii saecularis valeas coercere, mandantesque auctoritate et tenore praedictis omnibus et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis civitatum, terrarum, locorum, in quibus loca per te visitanda erunt, ut, quoties a te fuerint requisiti, quoscumque ex praedictis mandatis tuis obedire recusantes carcerent et puniant, prout duxeris ordinandum. Ut autem huiusmodi commissionem tibi per Nos factam eo commodius exsequi possis, quo pluribus a Nobis gratiarum concessionibus fueris communitus, omnes utriusque sexus in praedictis commissionis tuae locis, qui tibi aut substituendis a te fratribus tui ordinis voluerint confiteri, audiendi et a peccatis, quae fuerint confessi, etiam si talia forent, propter quae Sedes Apostolica esset merito consulenda, per te ipsum aut praedictos a te substituendos absolvendi in forma ecclesiae consueta, eos quoque ex fratribus tui ordinis clericos, qui viderentur tibi parum idonei ad divinum celebrandum officium, etiamsi pro clericis professionem emisissent, faciendi laicos, et saeculares quoscumque ad ordinem tuum venire cupientes recipiendi et ad professionem admittendi illosque in locis, de quibus tibi videbitur, deputandi absque eo, quod aliquis tui ordinis praelatus id valeat prohibere, necnon ab illis fratribus novitiis, per te, ut praefertur, receptis, et pariter ab aliis, qui a quocumque alio et in quibuscumque locis novitii essent recepti, petendi, ut ex bonis, quae sunt dimissuri, eleemosynas tibi faciant, ad locum Constantinopolitanum deferendas, pariterque petendi pro dicto et aliis ultramarinis locis tui ordinis eleemosynas a quocumque et in quacumque provincia; praedicandi quoque verbum Dei, ubicumque te esse contigerit, tam in conventibus fratrum tui ordinis quam alibi exceptis cathedralibus et parochialibus ecclesiis, quarum praelati et rectores id gratum non haberent, assumendi etiam tecum et in societate tua tres tui ordinis fratres tam in Italia quam extra eam et commorandi, quanto tempore volueris, in quocumque tui ordinis loco cum dictis tribus sociis absque eo, quod praelati eorumdem locorum te possint, priusquam volueris, eiicere et licentiare; et libros aliaque ad tuum sociorumque tuorum usum necessaria portandi tecum licentiam, potestatem et plenam auctoritate et tenore praefatis concedimus facultatem, volentes atque mandantes, quod in aliquo supradictorum nullus Nobis inferior ullo modo te valeat impedire.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, kalendis ianuarii, ... anno XV.

956. Francisco Antonii de Falerono, O. F. M., ad suam atque prioris ac vexilliferi iustitiae nuncupatorum civitatis Firman. petitionem concedit facultatem recipiendi unum quodcumque beneficium ecclesiasticum curam animarum habens (2).

1446, ianuarii 6, Romae.

Litterarum scientia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VIII idus ianuarii, ... anno XV.

(1) Reg. Vat. t. 378, f. 7v; Wadd. *Ann.* ad a. 1445, n. 9. (2) Reg. Lat. t. 423, f. 213.

957. Blasio Rami, canonico Ilerden., in Romana curia residenti, mandat, ut Nicolaum Clavelli, commendatarium domus S. Spiritus Ilerden., hospitalis eiusdem S. Spiritus in Saxia de Urbe, O. S. Aug., qui praetextu quarumdam litterarum Alexandri papae V. quamplures fratres O. F. M. aliorumque ordinum mendicantium in fratres dicti hospitalis receperat, absolvat ab excommunicatione et irregularitate (1).

1446, ianuarii 8, Romae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VI idus ianuarii, ... anno XV.

958. Confirmat electionem Beatricis in abbatissam monasterii S. Clarae, Valentin., O. S. Cl. (2).

1446, ianuarii 8, Romae.

Dilectae in Christo filiae Beatrici, abbatissae monasterii S. Clarae Valentin., ordinis eiusdem sanctae.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim monasterio S. Clarae, Valentin., ordinis eiusdem sanctae, cui quondam Yolans, illius abbatissa (3), dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Yolantis, quae extra Romanam curiam diem clausit extremum, abbatissae regimine destituto dilectae in Christo filiae conventus eiusdem monasterii pro celebranda futurae inibi abbatissae electione ... die ad eligendum praefixa, ut moris est, convenientes in unum ac per viam scrutinii procedentes, votis earum, quae quadraginta numero erant, in diversa divisis viginti octo te ordinem ipsum expresse professam et in aetate legitima constitutam ac novem Sibiliam de Cintillis et duae Claram Garsiae necnon una ex eis Damiatam de Blanes dilectas in Christo filias, quae se gerunt pro monialibus ipsius monasterii, in earum et dicti monasterii abbatissam elegerunt, tuque electioni de te factae huiusmodi illius tibi praesentato decreto consentiens, illam a dilecto filio Iohanne Lobet, ordinis fratrum Minorum professore et in provincia Aragoniae ipsius ordinis fratrum Minorum iuxta illius morem ministro provinciali, cum ad ministrum provincialem eiusdem ordinis in dicta provincia pro tempore exsistentem confirmatio electionis abbatissae praedicti monasterii tam ex fratrum Minorum ac S. Clarae ordinum huiusmodi institutis etiam per Sedem Apostolicam approbatis quam etiam de antiqua et approbata hactenusque observata consuetudine pertineat, ac auditis prius per eumdem ministrum pro parte Sibiliae et nonnullarum monialium eam eligentium huiusmodi coram eo propositis et obiectis et allegatis ac super his cum nonnullis ipsius ordinis fratrum Minorum et theologiae professoribus consilio et deliberatione praehabitis, etiam postquam quatuor ex monialibus Sibiliam eligentibus huiusmodi electioni de te, utpote a maiori parte ipsarum conventus factae, acquieverant et adhaeserant, ac pro parte eiusdem Sibiliae ab electione de te, ut praemittitur, facta huiusmodi seu illius confirmatione ad Sedem eamdem appellatum fuerat, obtinuisti auctoritate ordinaria confirmari in his omnibus statutis a iure temporibus observatis, tuque electionis de te factae et confirmationis praedictarum vigore possessionem vel quasi regiminis et administrationis bonorum dicti monasterii assecuta fuisti. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, apud quos de religionis zelo, vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque virtutum donis multipliciter commendaris, tuis et ipsius monasterii statui et indemnitatibus super his opportune provideri cupientes ac de Sibilia, Clara et Damiata monialibus electiones factas et appellationem praedictas necnon quaecumque inde secuta, prout sunt, irrita et inania ac nullius roboris vel momenti fore reputantes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod electio de te facta et ipsius confirmatio praedictae necnon quaecumque inde secuta ab earum omnium data valeant plenamque roboris firmitatem obtineant perinde in omnibus et per omnia, etiamsi dictum monasterium, cuius fructus, redditus et proventus illis deductis, qui pro victu, vestitu et aliis pro sustentatione monialium eiusdem monasterii ac supportatione onerum illi pro tempore incumbentium necessarii exsistunt, viginti florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, per obitum Yolantis huiusmodi sive alias quovis modo ... vacet, etiamsi *etc.*, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VI idus ianuarii, ... anno XV (4).

(1) Reg. Lat. t. 423, f. 111v. (2) Reg. Vat. t. 378, f. 44v.

(3) De Yolanda abbatissa cf. supra n. 702, p. 330 et *Bull. Franc.* t. VII, n. 1113, p. 382; n. 1138, p. 393; n. 1580, p. 596; de Sibilia de Cintillis ib. n. 1620, p. 614; de Damiata de Blanes supra n. 99, p. 54.

(4) Post hanc bullam iuxta Wadd. *Ann.* ad a. 1446 n. 2 collocari deberent litterae *Ut sacra ordinis Minorum* d. d. 11 ianuarii 1446, quas remittimus ad diem 23 iulii huius anni. Vide infra.

959. Melfien. et Ausaren. (= Absaren., Ossero, suffr. Iaderen.) episcopis ac plebano ecclesiae S. Mariae de Cassia (Cascia), Spoletan. dioec., mandat, ut Marcum Convegne de Rocca Porene, Spoletan. dioec., qui domum S. Mariae de Ocusio (Ocosce), O. F. M., Spoletan. dioec., ingressus et ibi 14 aetatis anno professus erat ac usque ad 17 aetatis annum permanserat, postea autem ad monasterium S. Mariae Annuntiatae de Cassia, ordinis S. Petri de Magella, transierat, per Benedictum de Cassia priorem receptus et a Lotto, episcopo Spoletan., parochialem ecclesiam, *praepositura* nuncupatam S. Montani, eiusdem dioec., obtinuerat eamque per decem annos cum dimidio rexerat, absolvant a censuris et irregularitatibus eique concedant facultatem perpetuo remanendi in monasterio et ordine S. Petri de Magella, imposita tamen obligatione dimittendi ecclesiam praedictam (1).

1446, ianuarii 12, Romae.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, pridie idus ianuarii, ... anno XV.

960. Fratri Iohanni de Vitrina, O. F. M. professori, licentiato in theologia, pro quo, ut capellano suo, nobilis vir Ludovicus, Dalphinus Viennen., supplicaverat, ut decentius sustentari valeat, concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (2).

1446, ianuarii 30, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, III kal. februarii, ... anno XV.

961. Benedicto Monçon, canonico Oscen., mandat, ut Martino Ciresvella, monacho monasterii S. Victoriani, O. S. Ben., Ilerden. dioec., cum quo dudum dispensatum erat, ut transire valeret de ordine fratrum Minorum ad ordinem S. Benedicti, conferat prioratum monasterii S. Petri Veteris, Oscen., O. S. Ben., vacantem per obitum Petri Cardoni prioris (3).

1446, februarii 5, Romae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, nonis februarii, ... anno XV.

962. Iohanni de Mauberto, O. F. M. de observ., concedit facultatem recipiendi 14 loca pro fratribus O. F. M. de observ. (4).

1446, februarii 9, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Mauberto, ordinis Minorum fratrum de observantia nuncupatorum professori.

Inter ecclesiasticos ordines in domo Domini militantes id ex benedictione coelesti ordini tuo et illius fratribus magis adscribitur, ut efficax testatur experientia rerum, quod, ubicumque degunt, populos ad salutis gratiam evocant, sibi proficientes per vitae meritum et aliis nihilominus per exemplum. Cum itaque, sicut exhibita Nobis pro parte tua petitio continebat, saepe contingat nonnullos christifideles ex devotione, quam ad dictum ordinem habent, tuisque sermonibus allici ad terrena in coelestia commutandum, qui pro ipsorum maiorumque suorum animarum salute loca quaedam pro usu et habitatione tui ordinis fratrum fundarent, construerent et aedificarent vel fundata ... concederent, si ad id Sedis Apostolicae suffragaretur auctoritas, et, sicut eadem petitio subiungebat, si nonnulla loca pro usu et habitatione huiusmodi fundandi ... aut fundata ... recipiendi a Sede praedicta facultatem haberes, profecto plurimorum animas Deo lucrifacere posse sperares. Nos igitur ... tibi necnon pro tempore exsistentibus quarumcumque provinciarum iuxta morem fratrum Minorum de observantia nuncupatorum vicariis quatuordecim loca ubicumque consistentia cum ecclesiis, campanilibus, campanis, hortalitiis et aliis necessariis officinis, si tibi aut illis alias canonice consignentur, vel in locis ad id congruentibus et honestis vobis per eosdem christifideles forsitan assignandis domibus, ecclesiis cum campanilibus ... et necessariis officinis huiusmodi fundari ... faciendi ac recipiendi et perpetuo retinendi dioecesanorum locorum, in quibus huiusmodi loca fuerint, aut eiusdem ordinis superiorum licentia minime requisita eadem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et insuper universis et singulis dicti ordinis fratribus, quos in locis huiusmodi pro tempore residere contigerit, ut omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis *etc.* iure tamen parochialium *etc.*, fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, V idus februarii, ... anno XV.

---

(1) Reg. Lat. t. 423, f. 109. Eadem die eisdem episcopis ac plebano litteris *Hodie pro parte* mandat, ut eidem Marco Convegne, pro quo parochiani supplicaverant, praedictam ecclesiam parochialem, « praeposituram S. Montani » nuncupatam, Spoletan. dioec., conferant. Ibid. f. 110.

(2) Reg. Lat. t. 423, f. 78.

(3) Reg. Lat. t. 423, f. 115 v.

(4) Reg. Vat. t. 378, f. 110.

963. Nicolao de Azara, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1446, februarii 12, Romae.

Dilecto filio Nicolao de Azara, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui presbyter es et, ut asseritur, cum praedicationibus et aliis bonis operibus tuis, quae in diversis locis dioec. Tridentin. omnipotentis Dei gratia operatus es, quam plurimos haereticos et schismaticos, qui perditionis alumno Amadeo, olim duci Sabaudiae, mortalium omnium infelicissimo, adhaerere ausi fuerint, ad viam salutis et veritatis reduxisti ac schisma et varios errores, qui ibidem iam pullulare inceperant, protinus exstirpasti, praemissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratiae specialis, dilectorum filiorum nobilium virorum Georgii et Petri, fratrum, comitum de Lotrono, ac Caesaris et Antonii de Martinengo, praedictae et Brixien. dioec. domicellorum, pro te eorum dilecto Nobis humiliter supplicantium, necnon tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut quodcumque ecclesiasticum cum cura beneficium, saeculare vel regulare, ... recipere et retinere ac illud simpliciter vel ex causa permutationis ... dimittere ... libere et licite valeas, ita quod de illius fructibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, pridie idus februarii, ... anno XV.

964. Monasterio S. Clarae, Valentin., O. S. Cl., de novo concedit annuam pensionem super annuis redditibus duarum praepositurarum ecclesiae Valentin. (2).

1446, februarii 12, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et monialibus monasterii S. Clarae, Valentin., ordinis eiusdem sanctae.

Iniuncta Nobis desuper pastoralis officii sollicitudo *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod dudum Petrus de Luna, papa Benedictus XIII in sua obedientia, de qua partes ipsae erant, nuncupatus, sibi exposito, quod quondam Yolans (3), filia ducis Gandiae, tunc abbatissa monasterii praedicti, ex obventionibus, emolumentis et eleemosynis eiusdem monasterii commode sustentari non valebat, procuratori seu administratori fructuum, reddituum et proventuum duarum praepositurarum, quas in ecclesia Valentin., dum in statu cardinalatus esset, ex dispensatione Sedis Apostolicae obtinebat, prout etiam tunc ad manus suas retinebat, ut Yolanti abbatissae praedictae vel procuratori suo ad hoc ab ea potestatem habenti anno quolibet, ut ex illis vitae suae necessaria decentius ministrare posset, centumquinquaginta florenos auri de Aragonia, quinquaginta videlicet ex eis in dominica prima adventus Domini et alios quinquaginta in nativitatis, ac restantes quinquaginta florenos in resurrectionis dominicae festivitatibus traderet et realiter ac cum effectu solveret, dedit in mandatis, ipsaque Yolans abbatissa per se vel procuratorem suum dicti mandati vigore annuatim per tredecim annos vel circa praefatos centumquinquaginta florenos realiter percepit. Postmodum vero idem Petrus, in sua obedientia papa Benedictus XIII., ut praemittitur, nominatus, veridice informatus, quod etiam tunc praefata Yolans ex obventionibus, emolumentis et eleemosynis monasterii praedicti adhuc decenter sustentari non valebat, in et super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et emolumentis dictarum duarum praepositurarum anno quolibet, quamdiu Yolans abbatissa huiusmodi viveret, per se vel procuratorem suum ad hoc ab ea legitime constitutum in terminis supradictis a praefato procuratore seu administratore fructuum, reddituum et proventuum praepositurarum huiusmodi ipso Petro vivente ac deinde successive post obitum suum a praepositis easdem praeposituras ex tunc obtenturis seu pro tempore obtinentibus annuatim percipiendos et habendos ac per eos eisdem Yolanti vel procuratori suo ad hoc ab ea legitime constituto realiter et cum effectu persolvendos ac in necessitatibus vitae suae convertendos similes centumquinquaginta florenos auri de Aragonia Yolanti huiusmodi concessit, constituit et assignavit, prout in litteris apostolicis desuper confectis (4), quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, adhuc etiam hodie ex obventionibus, emolumentis et eleemosynis dicti monasterii vos vel aliae personae ad vestrum servitium necessariae in eodem monasterio degentes et Altissimo famulantes commode sustentari non valeatis et, si huiusmodi annua pensio, subventio seu eleemosyna centumquinquaginta florenorum auri de Aragonia praedictorum, quae per obitum praefatae Yolantis exspiravit, super eisdem duabus

(1) Reg. Lat. t. 423, f. 62 v.

(2) Reg. Vat. t. 378, f. 45 v. cum exsecutoriali eiusdem diei et similis formae directa *Venerabili fratri episcopo Oscen., in Romana curia residenti, et dilectis filiis Vallisdignae ac S. Bernardi, Valentin. dioec., monasteriorum abbatibus.*

(3) Cf. supra n. 702, p. 330 et n. 958, p. 471, nota 3.

(4) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1138, p. 393.

praeposituris seu illarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et emolumentis de novo imponeretur et constitueretur dictoque monasterio pro vestra ac aliarum abbatissae et monialium pro tempore exsistentium sustentatione concederetur, donaretur et assignaretur, idem monasterium, cuius fructus, redditus et proventus exiles sunt, non modicum susciperet relevamen. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, monasterii huiusmodi et vestris ac aliarum abbatissae et monialium pro tempore exsistentium necessitatibus et indigentiis occurrere cupientes vobisque et aliis abbatissae et monialibus pro tempore exsistentibus huiusmodi de alicuius subventionis auxilio providere volentes, similem annuam pensionem, subventionem seu eleemosynam centumquinquaginta florenorum auri de Aragonia etiam similium, quam super duabus praeposituris huiusmodi, quae, ut accepimus, de mense aprilis et de mense maii in praefata ecclesia Valentin., ubi consistere dignoscuntur, communiter nominantur, seu illarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis auctoritate apostolica imponimus, constituimus et assignamus eidem monasterio per illius abbatissam pro tempore exsistentem seu procuratorem suum ad hoc ab ea legitime constitutum in terminis seu festivitatibus supradictis recipiendam et in communes necessitates eiusdem monasterii abbatissae et omnium monialium pro tempore exsistentium convertendam sibique per illos, qui praefatas praeposituras obtinent et pro tempore obtinebunt seu illarum fructus recipiunt et pro tempore recipient, in eisdem terminis realiter et cum effectu persolvendam donamus, concedimus et assignamus, necnon, quod abbatissa monasterii huiusmodi pro tempore exsistens illam per se vel procuratorem suum ad hoc ab ea, ut praemittitur, legitime constitutum nomine suo et monasterii huiusmodi exigere et recipere ac communes necessitates suas et omnium monialium pro tempore exsistentium praedictarum convertere et distribuere libere et licite possit et teneatur, eadem auctoritate etiam concedimus, volumus et indulgemus, decernentes eos, qui dictas praeposituras pro tempore obtinebunt seu earum fructus recipiunt et pro tempore recipient, ad solutionem annuae pensionis, subventionis et eleemosynae huiusmodi iuxta donationis, concessionis et assignationis praedictarum tenorem fore efficaciter obligatos ac volentes et auctoritate praedicta statuentes, quod quisquis ex eis, qui praeposituras huiusmodi obtinent seu pro tempore obtinebunt aut earum fructus recipiunt seu pro tempore recipient, in terminis seu festivitatibus supradictis vel saltem infra triginta dies post immediate sequentes annuam pensionem, subventionem seu eleemosynam per eum tunc debitam huiusmodi non solverit cum effectu, lapsis diebus eisdem sententiam excommunicationis incurrat, a qua, donec abbatissae monasterii praedicti pro tempore exsistenti vel illius procuratori ad hoc ab ea legitime constituto de pensione, subventione seu eleemosyna huiusmodi tunc debita integre satisfactum vel alias cum ea aut eius procuratore amicabiliter super hoc concordatum fuerit, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinere. Si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes sententiam ipsam animo, quod absit, sustinuerit indurato, ex tunc lapsis mensibus eisdem praepositura huiusmodi privatus exsistat, illaque vacare eo ipso censeatur. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, pridie idus februarii, ... anno XV.

965. Beatrici abbatissae monasterii S. Clarae, Valentin., O. S. Cl., concedit remissionem plenariam in articulo mortis (1).

1446, februarii 12, Romae.

Provenit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, pridie idus februarii, ... anno XV.

966. Beatrici abbatissae et sororibus monasterii S. Clarae Valentin., O. S. Cl., concedit facultatem eligendi confessarium, de consensu tamen provincialis sui ordinis (2).

1446, februarii 12, Romae.

Benigno sunt vobis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, pridie idus februarii, ... anno XV.

967. Iacobo Iohannis Brunetti de Colle, O. F. M., concedit licentiam retinendi ecclesiam S. Catharinae, loci de Colle, Vulterran. dioec. (3).

1446, februarii 23, Romae.

Dilecto filio Iacobo Iohannis Brunetti de Colle, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelo *etc.* Hinc est, quod Nos tibi, qui, ut asseris, sexagesimum tuae aetatis annum

(1) Reg. Vat. t. 378, f. 35. Cf. n. praec. et supra n. 958, p. 471.

(2) Reg. Vat. t. 378, f. 35. Cf. n. praec.

(3) Reg. Lat. t. 423, f. 221 v.

transcendens ac senio gravatus exsistis et propterea in loco de Colle, Vulterran. dioec., in quo una ordinis fratrum Minorum domus consistit, et ex quo originem traxisti, reliquum tuae vitae ducere proponis necnon tuae personae necessaria commodius suscipere posse confidis, cuique Nos dudum, ut capellae castri de Gualdo, Nucerin. dioec., in missis et aliis divinis officiis, quotiens ad id requisitus fores, servire ac ratione servitii huiusmodi oblationes inibi pro tempore obvenientes percipere ac ex illis usque ad viginti florenos auri de camera in tuos usus et utilitatem convertere libere et licite posses, per alias Nostras litteras [1] duximus concedendum, ut etiam praefatae domui minus onerosus exsistas, providere necnon praemissorum meritorum intuitu specialis favore gratiae prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut ecclesiam S. Catharinae dicti loci, quae sine cura exsistit et ad archipresbyteratum collegiatae ecclesiae dicti loci pleno iure spectare et nullos certos fructus habere dignoscitur, quamdiu vitam duxeris in humanis, retinere, ita quod illa interim dumtaxat et non amplius ab eodem archipresbyteratu segregata remaneat, eique in missis et aliis divinis officiis deservire necnon omnes et singulas oblationes inibi pia fidelium largitione pro tempore provenientes integre percipere et habere ac in tuos usus et utilitatem convertere et exponere, dummodo ad hoc dilecti filii moderni archipresbyteri praefatae collegiatae ecclesiae expressus accesserit vel accedat assensus, libere et licite possis et valeas, quod dicti ordinis professor exsistas, ac quibuscumque ... nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus. Volumus autem, quod, quamprimum dictae ecclesiae S. Catharinae vigore praesentium servire inchoaveris, aliae litterae praedictae necnon concessio et alia in ipsis contenta nullius exsistant roboris vel momenti. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VII kal. martii, ... anno XV.

968. Concedit indulgentias pro ecclesia S. Francisci de Paazo, Lamecen. dioec., (Lamego in Portugallia) fratrum eremitarum III. O. S. Fr. [2].

1446, februarii 23, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia seu oratorium beati Francisci domus de Paazo nuncupata, ordinis tertiae regulae eiusdem sancti, Lamacen. dioec., per dilectos filios pauperes eremitas eiusdem loci de Paazo pro eorum habitatione fundata et constructa in suis aedificiis decentius conservetur et manuteneatur in eisdem necnon calicibus et aliis ornamentis ecclesiasticis ad divinum cultum necessariis instruatur necnon iidem pauperes eremitae in vitae necessariis subsidium aliquod percipere valeant et, ut christifideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem necnon ad conservationem et alia praemissa manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refertos, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in celebritate omnium sanctorum huiusmodi ecclesiam seu oratorium devote visitaverint annuatim ac ad conservationem et alia praemissa manus adiutrices porrexerint seu inibi pias eleemosynas erogaverint, duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis in Domino misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VII kal. martii, ... anno XV.

969. Mandat, ut ingressum Victoriae Andreae Crispii in monasterium B. Mariae de Basico, Messanen., O. S. Cl., et donationes huic monasterio factas approbet atque confirmet [3].

1446, februarii 23, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Pantaleonis, Messanen. dioec.

Annuere solet Sedes Apostolica *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Victoriae Andreae Crispii, monialis monasterii beatae Mariae de Basico, Messanen., petitio continebat, quod, postquam ipsa habitum sororum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati receperat, et Nos ei viro suo adhuc in humanis agente praefato monasterio totiens quotiens vellet absque incursu poenarum sacrorum canonum ingrediendi et egrediendi licentiam et facultatem concesseramus [4], ipsaque monasterium huiusmodi obtentu licentiae et facultatis huiusmodi per plures annos continuo visitavit, dicto vita functo marito causa remanendi ibidem, Altissimo inibi famulandi ingressa, professionem per illius sorores emitti solitam emisit regularem necnon

(1) Vide supra n. 849, p. 399.
(2) Reg. Lat. t. 421, f. 54. Cf. supra n. 740, p. 351.
(3) Reg. Lat. t. 423, f. 95v.
(4) Vide supra n. 522, p. 252.

omnia et singula sua bona monasterio donavit et assignavit antedicto, pro parte ipsius Victoriae Nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationi et assignationi huiusmodi pro earum subsistentia firmiore robur apostolicae confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, ingressum monasterii et emissionem professionis auctoritate Nostra approbes et ratifices necnon donationem et assignationem bonorum huiusmodi per ipsam Victoriam, ut praemittitur, factas dicta auctoritate confirmare non postponas, supplendo *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VII kal. martii, ... anno XV.

970. Mandat, ut Andream Crispii defunctum et Victoriam eius viduam, monasterium B. Mariae de Basico O. S. Cl. ingressam, absolvat a voto visitandi sepulchrum dominicum (1).

1446, martii 3, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Pantaleonis, Messanen. dioec.

Vota fidelium, per quae animarum *etc.* Sane pro parte dilectae in Christo filiae Victoriae, monialis monasterii S. Mariae de Basico, Messanen. dioec., ordinis S. Clarae de observantia, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, postquam olim quondam Andreas Crispii, laicus, etiam Messanen., tunc sponsus dictae Victoriae et in humanis agens, ex certis rationabilibus causis sepulchrum dominicum peregre visitare voverat et praepeditus votum huiusmodi vita sua durante commode adimplere nequiverat ac demum in suo ultimo testamento inter cetera dictae Victoriae, ut votum ipsum adimplere procuraret aut alias disponeret, quod ipse Andreas a voto huiusmodi liber et absolutus remaneret, iniunxerat, dictus Andreas voto huiusmodi nondum adimpleto, sicut Domino placuit, diem vitae suae clausit extremum, ac deinde dicta Victoria praefatum monasterium ingressa illi omnia bona sua dedit et professionem per moniales eiusdem inibi emitti solitam emisit regularem. Quare pro parte ipsius Victoriae, asserentis votum ipsum adimplere commode non posse, Nobis [fuit] humiliter supplicatum, ut pro exoneratione conscientiae suae et animae dicti Andreae salute dictum votum relaxare et ab illo eosdem Andream et Victoriam absolvere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui salutem quaerimus singulorum, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si ita est, praefatos Andream et Victoriam a voto praedicto auctoritate Nostra absolvas illudque eis penitus relaxes. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, V nonas martii, ... anno XV.

971. Episcopo Cavallicen. concedit facultatem condendi testamentum non obstante, quod ordinis fratrum Minorum professor exsistat (2).

1446, martii 3, Romae.

Quia praesentis vitae conditio *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, V nonas martii, ... anno XV.

972. Mandat, ut civibus Brixien. concedat licentiam donandi Alberto de Sartiano, O. F. M., hospitale pauperum S. Mariae de Serpente, Brixien., pro fundatione monasterii O. S. Cl. (3).

1446, martii 7, Romae.

Dilecto filio praeposito ecclesiae SS. Nazarii et Celsi Brixien.

Inter universa opera *etc.* Sane pro parte dilecti filii Alberti de Sartiano, ordinis fratrum Minorum professoris, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod quamplures devotae virgines, viduae et aliae mulieres in civitate et dioec. Brixien. commorantes ob melioris vitae frugem ad ordinem S. Clarae singularem gerentes devotionis affectum dictum ordinem profiteri necnon sub illius regularibus habitu et observantia Altissimo famulari desiderant, quodque dilecti filii communitas et cives civitatis praedictae, laudabili mulierum huiusmodi desiderio ducti, quoddam monasterium cum ecclesia, coemeterio, campanili, campanis, domibus, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro illarum et aliarum mulierum eiusdem ordinis et illius regularis obervantiae usu et habitatione perpetuis in praedicta civitate construere proponentes, domos, hortos et aedificia dumtaxat hospitalis pauperum S. Mariae de Serpente, Brixien., possessionibus et bonis illius pro hospitali per eos de novo auctoritate apostolica fundando reservatis eidem Alberto pro fundatione et constructione monasterii huiusmodi concedere et assignare intendunt, si eis desuper per Nos licentia con-

(1) Reg. Lat. t. 423, f. 54v. Cf. n. praec.
(2) Reg. Lat. t. 417, f. 278. Episcopus Cavallicen. tunc erat Petrus Porquerii, Eubel *Hier. cath.*, II², p. 123.
(3) Reg. Lat. t. 423, f. 120.

cedatur, quodque prope dictum hospitale S. Mariae quaedam domus et una capella sub vocabulo S. Crucis ad monasterium S. Nicolai de Verxiano extra muros Brixien., Cluniacen. ordinis, et quae omnia dudum pro fundatione et constructione cuiusdam monasterii dilecto filio Iohanni, abbati eiusdem monasterii S. Nicolai, concedi sub certis modo et forma per alias Nostras litteras mandavimus, nonnullae domus livellariae ac petiae terrae aliaque immobilia bona, murata nuncupata, eidem monasterio propinqua et ad domum de Gambera, Brixien., ordinis fratrum Humiliatorum, pro fundatione et constructione de novo fundandi monasterii antedictis plurimum necessaria fore noscuntur. Quare pro parte dicti Alberti Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, eisdem communitati et civibus domos et aedificia hospitalis S. Mariae praedicta, illi videlicet circumvicina, praefato Alberto pro fundatione et constructione dicti monasterii ordinis S. Clarae de novo fundandi, donandi et concedendi, ac dicto Alberto per se vel alium seu alios in ipsis domibus et aedificiis hospitalis S. Mariae monasterium eiusdem ordinis S. Clarae sub illius vel alterius, de quo ipsi Alberto videbitur, sancti vel sanctae vocabulo pro abbatissa et sororibus inibi sub regularibus habitu et observantia secundum regularia monasterii S. Clarae Mantuan. eiusdem ordinis S. Clarae instituta perpetuo et conventualiter Altissimo servituris cum ecclesia ... et aliis officinis praedictis fundandi et construendi ac inibi dignitatem abbatissalem, quae superior ibidem sit, creandi et erigendi necnon unam ex sororibus dicti ordinis S. Clarae, quae pro hac prima vice professionem per sorores dicti ordinis S. Clarae emitti solitam a quibuscumque in praefato fundando monasterio ordinis S. Clarae regularem professionem emittere volentibus recipiat et eis regularem habitum exhibeat, deputandi ac fundando monasterio ordinis S. Clarae praedicto de persona idonea providendi et eam illi in abbatissam praeficiendi necnon omnia alia et singula in praemissis ac circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exsequendi plenam et liberam licentiam pariter et facultatem auctoritate Nostra largiaris. Et nihilominus domum et capellam ad monasterium S. Nicolai pertinentes, si ad id data sibi pro his sufficienti recompensa praefatus Iohannes vel tunc exsistens abbas eiusdem monasterii S. Nicolai consenserit, necnon alia domos, petiam et bona ad domum de Gambera pertinentia huiusmodi similiter ipsi domui de Gambera pro illis data sufficienti recompensa praefato Alberto pro constructione seu ampliatione de novo construendi monasterii S. Clarae huiusmodi eadem auctoritate concedas pariter et assignes. Nos enim, si monasterium ordinis S. Clarae huiusmodi vigore praesentium fundari et construi contigerit, quod illud ac ipsius abbatissa et sorores inibi pro tempore exsistentes omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, nonis martii, ... anno XV.

973. Galeatio Mantuan., civitatis Perusin. gubernatori, ac Perusin. episcopis mandat, ut certa domos et casalena et hortalitia in burgo S. Petri, civitatis Perusin., sita, ad monasterium S. Petri Perusin., O. S. Ben., pertinentia et Francisco de Coppolis, civi Perusin., pro se ac suis filiis et nepotibus utriusque sexus, quorum sola Caecilia, Francisci praefati filia, novitia monasterii S. Luciae Fulginat., O. S. Cl., superstes est, in emphyteusin data, reducat ad possessionem monasterii S. Petri praefati, postquam dicta Caecilia professionem sui ordinis emiserit (1).

1446, martii 9, Romae.

Iniunctum Nobis desuper *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, VII idus martii, ... anno XV.

974. Mandat, ut bona Angeli de Monte Peschali, Senen. dioec., et Marthae, mulieris Senen., ab Angelo de Apiano, O. F. M., inquisitore haereticae pravitatis, damnatorum inquirat et teneat usque, quid de eis sit agendum, notificetur (2).

1446, martii 11, Romae.

Vicario episcopi Senen.

Dil. fil. sal. Intelleximus quemdam olim Angelum de Monte Peschali, Senen. dioec., dudum a dilecto filio Angelo de Apiano, fratre ordinis Minorum et inquisitore haereticae pravitatis, de haeresi damnatum et supplicio affectum, bona aliqua possedisse, quae in cedula praesentibus interclusa continentur. Quocirca cum bona huiusmodi et alia, si quae sunt, camerae apostolicae confiscata sint, discretioni tuae committimus et mandamus apostolica auctoritate tenore praesentium, quatenus de bonis huiusmodi diligenter inquiras et ea ad manus tuas habere procures ac nomine Nostro et camerae praedictae sequestrata teneas, quousque quid agere de illis debeas, tibi duxerimus intimandum. Est autem intentionis Nostrae, quod bona huiusmodi in aliquos pios usus in loco, ubi dictus Angelus moram trahebat, exponantur. Idem te facere vo-

(1) Reg. Lat. t. 423, f. 14v.

(2) Reg. Vat. t. 367, f. 178v.

lumus de bonis, quae fuerunt cuiusdam Marthae, mulieris Senen., etiam ab eodem inquisitore damnatae, quae in eiusdem cedulae fine continentur. Volumus insuper ac eidem discretioni tuae committimus et mandamus, quatenus processus seu eius authenticam copiam factam adversus praefatum Angelum Nobis quamprimum transmittere procures.

Datum Romae, ... XI martii, ... anno XVI.

975. Iacobo de Capua, O. F. M., monasterium S. Angeli vallis Artenae regenti, concedit licentiam residendi in quocumque monasterio intra vel extra Urbem atque recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1446, martii 12, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Capua, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui presbyter es, et, ut asseris, in monasterio S. Angeli Vallis Artenae, ordinis S. Clarae, monasterio S. Laurentii Paulisparne (2) de Urbe, dicti ordinis, subiecto, cuius monasterii S. Angeli regimen et administrationem etiam auctoritate quarumdam litterarum Nostrarum geris, pro eo, quod dictum monasterium S. Angeli in nemoribus et loco silvestri consistit ac monachis caret, causantibus guerrarum turbinibus et aliis sinistris eventibus commode residere non potes, sitque plerumque necessarium, ut ad praefatam Urbem seu civitatem Tiburtin. vel alia loca contigua te transferas et inibi resideas, donec ad dictum monasterium S. Angeli redire et in eo residere secure valeas, praemissorum meritorum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut, quandocumque et quotiescumque contigerit te a praefato monasterio S. Angeli absentare, in aliquo monasterio vel aliqua ecclesia quacumque in dicta Urbe vel extra, in quo vel in qua voluntarios inveneris receptores, residere et inibi, quotiens volueris ac iuxta sanam conscientiam tibi videbitur, missas necnon alia divina officia celebrare et si aliquid exinde pro mercede vel salario concedi seu assignari contigerit, illud pro sustentatione vitae tuae recipere et retinere necnon quodcumque et qualecumque beneficium ecclesiasticum per saeculares clericos regi solitum, si tibi alias canonice conferatur vel instituaris ad illud, recipere et, quoad vixeris, retinere libere et licite valeas, superioris tui licentia super hoc minime requisita nec ab huiusmodi beneficio a quoquam quavis auctoritate invitus amoveri possis, auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae, apud S. Petrum, anno ... 1445, IV idus martii, ... anno XVI.

976. Ad instantiam sororum monasterii S. Mariae de Basico, Messanen., O. S. Cl., indulget, ut duo fratres domus B. Mariae de Iesu, O. F. M., resideant in loco S. Pauli Messanen. pro confessionibus sororum audiendis (3).

1446, martii 12, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii S. Mariae de Basico, Messanen., ordinis S. Clarae.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, pro eo, quod monasterium vestrum S. Mariae de Basico, Messanen., ordinis S. Clarae, a domo beatae Mariae de Iesu, ordinis fratrum Minorum, Messanen. dioec., per tria milliaria remotum exsistit, plerumque contingat aliquas ex sororibus dicti monasterii, non habentes copiam sacerdotum conventus praedictae domus, sub quorum cura et regimine degitis, absque confessione ac sacramentorum ecclesiasticorum perceptione decedant, aliaque forsan pericula subsequentur, et si duo ex fratribus praefatae domus sub regulari observantia eiusdem ordinis fratrum Minorum degentibus, qui confessiones vestras audirent et vobis ministrarent ecclesiastica sacramenta, in ecclesia sive loco S. Pauli, etiam Messanen., residerent, vestrarum animarum saluti consuleretur et periculis obviaretur antedictis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod duo ex fratribus praefatae domus beatae Mariae de Iesu per eorum superiorem pro tempore eligendi in ecclesia sive loco S. Pauli huiusmodi residere et vestrum cuiuslibet confessiones audire illisque auditis vobis debitam absolutionem impendere et iniungere poenitentiam salutarem necnon ecclesiastica sacramenta ministrare libere et licite possint, vobis, quae, sicut asseritis, sub regulari observantia dicti ordinis S. Clarae Altissimo famulamini, et duobus fratribus praedictis auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali dono gratiae indulgemus, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, IV idus martii, ... anno XVI.

---

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 6 v. Cf. supra n. 800, p. 378.
(2) Sic; i. e. Panispernae.
(3) Reg. Lat. t. 429, f. 198. Cf. supra n. 969 970, p. 475 sq. De domo B. Mariae de Iesu O. F. M. cf. supra n. 202, p. 98.

977. Monasterium S. Stephani, O. S. Cl., in burgo Suessan. (Sessa in Italia inferiore), eximit a iurisdictione vicariorum provincialium et guardianorum O. F. M. (1).

1446, martii 18, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et monialibus monasterii S. Stephani in burgo Suessanen., ordinis S. Clarae.

Sacrae religionis sinceritas *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos in monasterio praedicto vitam honestam atque laudabilem praesentialiter ducere studeatis ac de cetero concedente Altissimo laudabilius vivere proponatis, ad huiusmodi propositum consequendum necnon ex certis aliis rationabilibus causis ad id animos vestros moventibus vos et monasterium necnon futuras abbatissas et moniales huiusmodi ab omni visitatione, correctione et superioritate ac iurisdictione vicariorum provincialium, guardianorum et aliorum superiorum quorumlibet, praesentium et futurorum, ordinis fratrum Minorum, illius generali ministro pro tempore exsistenti interim, quod ipsum ad dictum monasterium se personaliter forsan conferre contigerit, dumtaxat excepto eximi et liberari necnon capellanum idoneum, ad vestrum et earum nutum eligendum, habere ferventius affectatis, Nos, super hoc vestro ac monasterii necnon futurarum abbatissarum et monialium praedictarum statui, quantum cum Deo possumus, providere volentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vos ac futuras abbatissas et moniales necnon monasterium praedicta ac omnia et singula vestra et illorum bona praesentia et futura ab omnimodis visitatione, correctione, superioritate et iurisdictione vicariorum provincialium, guardianorum et aliorum superiorum, praesentium et futurorum, huiusmodi dicto ministro generali interim, quod se personaliter conferret, ut praefertur, dumtaxat excepto auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo eximimus et totaliter liberamus necnon episcopo Suessanen. pro tempore exsistenti subiicimus ac exempta, libera et subiecta esse decernimus, ita quod vicarii provinciales, guardiani et alii superiores praedicti, praeterquam dictus minister, ut praefertur, nullam in vos ac abbatissas et moniales futuras necnon monasterium et bona praedicta etiam ratione delicti seu contractus aut rei, de qua ageretur, ubicumque committatur delictum aut iniatur contractus seu res ipsa consistat, visitationem, correctionem, superioritatem et iurisdictionem valeant exercere. Et nihilominus vobis ac praedictis futuris abbatissis et monialibus, quotiens expedire videbitur, de consilio tamen atque consensu guardiani pro tempore exsistentis domus S. Francisci Suessanen. dicti ordinis fratrum Minorum regularis observantiae, quemcumque honestum et idoneum sacerdotem saecularem vel cuiusvis ordinis regularem in vestrum ac suum capellanum eligendi necnon eidem sacerdoti sic pro tempore electo missas et alia divina officia in ecclesia praefati monasterii celebrandi ac, quotiens opus fuerit, vestras ac ipsarum futurarum abbatissarum et monialium confessiones audiendi necnon vobis et ipsis pro commissis, etiam si talia fuerint, propter quae sit merito Sedes Apostolica consulenda, debitam absolutionem impendendi ac eucharistiae et alia ecclesiastica sacramenta ministrandi plenam et liberam auctoritate praedicta harum serie concedimus facultatem perpetuis futuris temporibus duraturam. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XV kal. aprilis, ... anno XVI.

978. Mandat, ut eremitorium S. Mariae des Villares infra limites parochiae de Marialva, Lamecen. dioec., uniat eremitorio fratrum III. O. S. Fr. de Paazo, eiusdem dioec. (2).

1446, martii 19, Romae.

Venerabili fratri episcopo Visen.

Personas religiosas studio piae vitae *etc.* Exhibita siquidem Nobis pro parte dilectorum filiorum universorum fratrum domus sive eremitorii de Paazo, de tertio ordine S. Francisci de poenitentia nuncupatorum, Lamecen. dioec., petitio continebat, quod, cum olim quondam Gundisalvus, ordinis Praedicatorum professor, condens in eius voluntate ultima testamentum, inter cetera quoddam eremitorium, quod ipse de bonis a Deo sibi collatis in quadam sua possessione infra limites parochialis ecclesiae de Marialva, dictae Lamecen. dioec., situata pro suae animae et suorum remedio sub vocabulo S. Mariae des Villares fundaverat et erexerat, ad inhabitandum et incolendum Christi pauperibus reliquisset, suis haeredibus, ne de huiusmodi eremitorio se aliquatenus intromitterent, expresse mandando, prout in testamento huiusmodi dicitur plenius contineri; ac locus ille successu temporis ad saeculares usus pene devenisset, nonnulli ex religiosis pauperibus dicti eremitorii de Paazo, qui locus ab eodem des Villares eremitorio per quindecim milliaria distat, locum ipsum sive

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 196.

(2) Reg. Lat. t. 429, f. 204 v. Cf. supra n. 968, p. 475.

eremitorium des Villares receperunt, illum inhabitarunt et per nonnulla tempora pacifice tenuerunt, prout tenent et inhabitant de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, quia locus ipse des Villares reparatione indiget non modicum sumptuosa, fratres ipsi ad illam manus apponere non sunt ausi, ex eo quod per testatorem praefatum, cuiusmodi pauperes, qui illum inhabitaturi forent, exsistere deberent, in eodem testamento non fuit expressum, nec etiam auderent, nisi alia forent facultate muniti, pro parte exponentium praefatorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, ... de praemissis certam notitiam non habentes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de expositis huiusmodi ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi praemissa reppereris veritate fulciri, ... locum sive eremitorium des Villares praefatum, cuius ultra unum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis praefato loco sive eremitorio de Paazo, cuius ultra duos florenos auri de camera fructus, redditus et proventus secundum communem aestimationem valorem annuum, ut iidem fratres asserunt, non excedunt, auctoritate Nostra in perpetuum unias, incorpores et annectas, ita quod ex tunc liceat dilecto filio ministro et fratribus dicti eremitorii sive domus de Paazo, praefati des Villares loci necnon iurium et pertinentiarum praedictorum corporalem possessionem auctoritate propria apprehendere et perpetuo retinere illiusque fructus, redditus et proventus in suos et dictorum locorum usus et utilitatem convertere cuiuscumque alterius super hoc licentia minime requisita. Nos enim, si unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi per te fieri contigerit, ut praefertur, volumus et apostolica auctoritate concedimus, quod fratres ipsi, qui in eisdem de Paazo ac des Villares locis seu eremitoriis pro tempore morabuntur, omnibus et singulis privilegiis ... gaudeant et utantur, quibus fratres huiusmodi in regno Castellae commorantes utuntur et gaudent *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XIV kal. aprilis, ... anno XVI.

979. Pro reparatione et ampliatione claustri et ecclesiae monasterii S. Trinitatis, Valentin., O. S. Cl., concedit fidelibus subsidia conferentibus remissionem plenariam in articulo mortis et certae personae deputatae facultatem recipiendi male ablata incerta [1].

1446, martii 23, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Ecclesiarum ac monasteriorum *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, ad monasterium S. Trinitatis in capite pontis extra muros Valentin. dudum pro usu et habitatione sororum et sanctimonialium sub regulari observantia beati Francisci viventium exclusis ab eo nonnullis fratribus S. Trinitatis et redemptionis captivorum nuncupatis in eo tunc degentibus, quorum culpa et negligentia monasterium ipsum admodum collapsum et deformatum erat, auctoritate apostolica erectum et institutum, et in quo nonnullae nobiles virgines tam de regali prosapia quam nobili et militari genere procreatae sub regulari castimonia residere noscuntur, ob illarum exemplaris vitae frugem ac religionis sanctimoniam adeo christifidelium numerus quodam devotionis ardore allectorum concursus nonnumquam exuberare consueverit, quod monasterium ipsum ac illius claustrum et ecclesia, quae plurimum arcta et angusta exsistunt, ad illorum receptionem nequaquam sufficiant, ac virgines praefatae monasterium cum illius claustro et ecclesia huiusmodi sic reparari ac ampliari et augeri ferventer exoptent, quod tam claustri secretum quam ecclesiae huiusmodi patulum fidelibus ipsis, ut decet, praebeant se capacia, quod sine opportuno fidelium auxilio raro aut numquam poterit explicari, cum ad ea peragenda praefati monasterii facultates adeo tenues sint, quod suppetere posse minime videantur, Nos, cupientes, ut monasterium cum claustro et ecclesia huiusmodi in eorum structuris et aedificiis debite reparentur, amplientur et augeantur et ad perfectionem integram feliciter deducantur, utque ipsi fideles ad ea manus promptius porrigant adiutrices, quo exinde suarum animarum salutem se speraverint adipisci, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui hinc ad duos annos a data praesentium computandos ad opus reparationis et ampliationis seu fabricae structurarum et aedificiorum monasterii et ecclesiae huiusmodi quinque florenos, quorum quilibet undecim solidorum monetae illarum partium valoris exsistat, seu tantamdem in aliis bonis quantitatem ipsis bene valentibus illi, qui ad id per charissimam reginam Mariam Aragonum illustrem seu dilectas in Christo filias abbatissam et conventum praefati monasterii pro tempore deputatus fuerit, realiter et cum effectu dederint seu persolverint aut alias per se ipsos, si ad id apti fuerint, seu alios similiter aptos propriis sumptibus per mensem laboraverint, quod singuli confessores, quos singuli fideles praedicti, qui ad opus praedictum dederint seu

[1] Reg. Vat. t. 378, f. 43 v; et iterum ibid. t. 379, f. 95 v (inclusa in alia bulla *Tanta est charissimi* d. d. 2 decembris 1446); vide infra. De monasterio S. Trinitatis cf. supra n. 941, p. 460.

persolverint aut laboraverint, ut praefertur, duxerint eligendos, plenariam remissionem omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, semel dumtaxat in mortis articulo eis ... concedere valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, sic tamen, quod iidem confessores de iis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda *etc.* Et ne, quod absit, fideles sic laborantes seu solventes praedicti propter huiusmodi gratiam reddantur procliviores ad illicita imposterum committenda, volumus, quod illis, qui ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forsan committerent, quoad illa praedicta remissio nullatenus suffragetur. Ceterum, ut reparatio et ampliatio seu fabrica huiusmodi celerius et commodius perfici valeant, deputando praedicto per dictos duos annos quaecumque male ablata, iniuste acquisita bona a quibusvis personis partium illarum eos, quibus de bonis ipsis satisfactio impendenda vel restitutio facienda foret, ignorantibus petendi, exigendi et recipiendi ac cum illis ex detentoribus bonorum huiusmodi ad integram illorum satisfactionem non sufficientibus, qui cum eodem deputando desuper componere voluerint, iuxta quantitates bonorum ac facultates detinentium personarum huiusmodi, prout sibi videbitur, exponendi eaque ad opus et fabricam huiusmodi integre convertendi et exponendi necnon eos, a quibus illa receperint, tam de receptis huiusmodi quam de aliis praefatis male ablatis bonis, ad quorum restitutionem et satisfactionem integram, si eadem compositio non intervenisset, tenerentur, plenarie absolvendi, liberandi et quietandi necnon quietantiarum et alias opportunas litteras desuper concedendi ac omnia et singula in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria vel opportuna faciendi, disponendi et exsequendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, X kal. aprilis, ... anno XVI.

980. Mandat, ut casset electionem Orietae de Perronibus et confirmet electionem Petrae de Squarzaficis in abbatissam monasterii S. Leonardi extra muros Ianuen., O. S. Cl. (1).

1446, martii 23, Romae.

Dilecto filio priori monasterii S. Theodori extra muros Ianuen. per priorem soliti gubernari.

Inter curas multiplices *etc.* Sane pro parte dilecti filii Antonii de Rusconibus, ordinis fratrum Minorum generalis ministri, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias dilectus filius Ludovicus de Cafarellis, etiam tunc minister provincialis dicti ordinis provinciae Ianuen., statui et indemnitati monasterii monialium S. Leonardi extra muros Ianuen., ordinis S. Clarae, intendens ac considerans, quod monasterium huiusmodi, cuius abbatissa pro tempore exsistens et moniales sub regula S. Francisci degunt, et quod tunc per liberam resignationem dilectae in Christo filiae Elianae de Spinolis, illius abbatissae, in manibus dicti ministri provincialis extra Romanam curiam sponte factam et rite admissam, vacare noscebatur, pro eo, quod ipsius monasterii moniales, ad futurae inibi abbatissae electionem procedentes, ex eis, quae decem et octo tunc numero erant, illarum votis in diversa divisis novem Orietam de Perronibus et septem Petram de Squarzaficis necnon duae aliae singulas alias duas ex dicti monasterii monialibus in discordia in ipsarum eiusdem monasterii abbatissas elegerant, tam in spiritualibus quam in temporalibus dispendia et detrimenta quam plurima sustinebat, volensque, quantum in eo erat, praemissis ac aliis, quae exinde progressu temporis prodire trepidabantur, obviare periculis et inconvenientiis, praefatam Petram, tamquam ad gubernandum et regendum monasterium huiusmodi magis idoneam, confirmavit, ei ipsius monasterii curam, regimen et administrationem commisit ipsamque ad illa gerenda pariter et exercenda deputavit. Et deinde, cum inter ceteras dicti monasterii moniales propterea rixae, dissensiones et scandala non modica suborta fuissent, praefatus generalis, cupiens etiam desuper opportunum remedium adhibere, quamdam antiquam et laudabilis vitae approbatam ipsius ordinis de observantia monialem ad regendum et gubernandum praefatum monasterium in eisdem spiritualibus et temporalibus deputavit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, occasione discordiarum in electionibus huiusmodi, ut praemittitur, factarum et praecipue quoad praefatam Orietam, rixae, iurgia et dissensiones diversae in dicto monasterio emerserint ac maiores inibi, nisi modis et mediis congruis provideatur, oriri formidentur in dies, pro parte eiusdem generalis (!) Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis Orieta praedicta necnon aliis, qui fuerint evocandi, super praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem eamdem electionem de persona Orietae factam huiusmodi minus canonicam fore inveneris, super quo tuam conscientiam oneramus, de Orietae et quaecum-

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 197.

que inde secuta eadem auctoritate casses, irrites et annulles sibique super monasterio praedicto et illius regimine ac administratione perpetuum silentium imponas necnon, si alias rite processerit, de Petrae praedictarum personis factas, ut praemittitur, electiones huiusmodi, si ipsam Petram ad regimen et administrationem dicti monasterii, cuius fructus, redditus et proventus trecentorum florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, utilem et idoneam, super quo tuam conscientiam etiam oneramus, fore inveneris, cum suppletione quorumcumque defectuum ... dicta auctoritate approbes et confirmes singulaque circa haec necessaria et opportuna facias, disponas, ordines et exsequaris, prout secundum Deum utilitatemque dicti monasterii melius videbitur expedire, non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, X kal. aprilis, ... anno XVI.

981. Mandat, ut Ludovico de Saia et fratribus O. F. M. de observ. concedat licentiam recipiendi eremitorium S. Mainetis de Abundo prope turrim de Basaurta, Calagurritan. dioec. (Calahorra in Hispania) (1).

1446, martii 30, Romae.

Dilecto filio priori prioratus S. Catharinae de Cornejo, Burgen. dioec.

Votis fidelium *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ludovici de Saia (2), ordinis fratrum Minorum professoris, custodis eorumdem fratrum de observantia nuncupatorum in provincia regni Castellae et S. Iacobi citra portus consistentium, petitio continebat, quod olim dilecti filii Didacus Lupi de Anuerbay et Iohannes Sancii ac nonnulli alii laici, Calagurritan. dioec., veri patroni cuiusdam eremitorii sub vocabulo S. Mainetis de Abundo prope turrim de Basaurta, dictae dioec., consistentis, dicto Ludovico pro se et aliorum fratrum dicti ordinis praesentium et futurorum usu et habitatione cum certo fundo et aliis suis iuribus et pertinentiis ad eosdem patronos pleno iure spectante devotionis et pietatis intuitu concorditer et unanimiter concesserunt pariter et donarunt, quarum concessionis et donationis vigore dicti fratres de observantia eremitorium praedictum de mandato eiusdem Ludovici ex tunc inhabitarunt, prout inhabitant de praesenti, sedulum *etc.* Quare pro parte Ludovici et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessionem ... confirmare ipsisque Ludovico, fratribus praesentibus et futuris, ut huiusmodi eremitorium perpetuo tenere, inhabitare illudque necessariis et opportunis et alias consuetis officinis reficere et ampliare, quodque eis, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere valeant, concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam tibi de donatione ... constiterit, illas, dummodo in alicuius iniuriam vel detrimentum non cedant, ... auctoritate Nostra approbes et confirmes, ipsisque Ludovico et fratribus eremitorium praedictum ad eorum et aliorum fratrum praedictorum usum pro tempore recipiendi ... facultatem concedas. Nos enim, si appropriationem ... fieri contigerit, ut praefertur, eisdem Ludovico et fratribus praesentibus et futuris, quamdiu in observantia huiusmodi inibi vixerint, ut omnibus privilegiis *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, III kal. aprilis, ... anno XVI.

982. Iacobo Brenequini, de notabili et vetusta familia oriundo, qui parentum et amicorum suasionibus inductus ordinem fratrum Min. professus, sed eleemosynas ostiatim petere erubescens, relicto ordine ad saeculum reversus, ut presbyter saecularis vixit, postea ad ipsum ordinem redire cupiens, propter infirmitates in oculis et pedibus et fratrum derisiones in eo permanere non valebat, concedit facultatem transeundi ad quodcumque monasterium O. S. Ben. (3).

1446, aprilis 2, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, IV nonas aprilis, ... anno XVI.

983. Mandat, ut membrum, capellam S. Angeli nuncupatum, segreget a monasterio monialium S. Iohannis de Ascorzono et hominibus terrae Terami, Aprutin. dioec., concedat licentiam in eo erigendi domum O. F. M. de observ. (4).

1446, aprilis 9, Romae.

Venerabili fratri episcopo Pennen.

Quamvis de cunctis religiosorum ordinum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum communis et hominum terrae Terami, Aprutin. dioec., petitio continebat, quod ipsi dudum praedicationibus et aliis bonis operibus dilecti filii Iacobi de Monteprandono (5), eiusdem ordinis professoris, inducti ad honorem et laudem omnipotentis Dei et beati Francisci unam

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 183, « e l. 1 de regular. et dign. vac. a. XVI, f. 72 ».

(2) Cf. supra n. 886 a, p. 430.

(3) Reg. Lat. t. 429, f. 288.

(4) Reg. Lat. t. 430, f. 260 v.

(5) Est S. Iacobus de Marchia, cf. supra n. 520, p. 251.

domum eiusdem ordinis de novo construere et aedificare ferventer exoptant, sed ad rem huiusmodi conficiendam nullum reperiunt locum magis accommodum, quam quoddam monasterii monialium S. Iohannis de Ascorzono pro earum aliquando mansione prope muros terrae praedictae membrum, capellam S. Angeli communiter nuncupatum. Et, sicut eadem petitio subiungebat, si dictum membrum ab eodem monasterio segregaretur et pro constructione et fundatione dictae domus deputaretur, parati essent in recompensam membri huiusmodi infra muros dictae terrae locum alium habitabilem abbatissae et monialibus dicti monasterii ipsis consentientibus assignare, in quo commodius et honestius possent, ubi opus esset, vivere et morari ac in membro praedicto domum fratrum huiusmodi sub vocabulo beatae Mariae de Gratiis sufficientem pro usu et habitatione fratrum ipsius ordinis, qui de observantia nuncupantur, construere et fundare, in qua fratres ipsi poterunt perpetuo habitare et divina ibidem officia celebrare. Quare pro parte dictorum communis et hominum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut membrum huiusmodi facta recompensa praedicta segregari et domum huiusmodi cum ecclesia, coemeterio, campanili, campana, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis construi et aedificari posse concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi reppereris ita esse, communi et hominibus data recompensa, ut praefertur, domum cum ecclesia et aliis praemissis aedificandi et construendi necnon vicario et fratribus dicti ordinis domum et ecclesiam huiusmodi, si tamen loca praedicta fratribus et monialibus ipsis sint congrua et honesta, recipiendi fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus, iure tamen parochialis *etc.* Et nihilominus, si domum et ecclesiam huiusmodi fundari ... contigerit, ut praefertur, fratribus ibidem pro tempore moraturis eadem auctoritate concedas, quod omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, V idus aprilis, ... anno XVI.

984. Matthaeo de Octaleni, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1446, aprilis 12, Romae.

Dilecto filio Matthaeo de Octaleni, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui presbyter es, et pro quo dilectus filius nobilis vir Sigismundus Pandulphus, in civitate Nostra Ariminen. pro Nobis et S. Romana ecclesia in temporalibus vicarius generalis et gentium armorum praelibatae ecclesiae vicecapitaneus, asserens te capellanum suum fore, Nobis super hoc humiliter supplicavit, praemissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratiae specialis, vicecapitanei huiusmodi ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut quodcumque ecclesiasticum beneficium curatum ... tibi commendari, tuque illud in huiusmodi commendam recipere ... libere et licite valeas *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie idus aprilis, ... anno XVI.

985. Mandat, ut Paulum de Teramo O. F. M. capiat et puniat (2).

1446, aprilis 13, Romae.

Archiepiscopo Corfien.

Ven. fr. sal. Cum fide digna perceperimus relatione, quemdam Paulum de Teramo, professum olim ordinem fratrum Minorum, habitu illius ordinis abiecto et monastico assumpto hinc inde quotidie divagari in animae suae salutis interitum ac religionis vilipendium et contemptum, eapropter fraternitati tuae apostolica auctoritate tenore praesentium committimus et mandamus, quatenus eumdem Paulum apostatam ac vagabundum quamprimum capi facias, habita quoque super apostasia ac aliis, qui de ipso feruntur, excessibus diligenti inquisitione, eumdem pro natura et conditione excessuum punire iuxta SS. Patrum instituta procures. Nos enim tibi eumdem Paulum capi faciendi, detinendi, corrigendi, et puniendi ac brachium saeculare ad hoc, si opus fuerit, invocandi, plenam et liberam dicta auctoritate damus et concedimus facultatem.

Datum Romae, ... XIII aprilis, ... anno XVI.

986. Mandat, ut Iohanni Fruosini de Florentia, III. O. S. Fr., concedat ecclesiam ruralem S. Martini ad Balneum de Aqua, Pisan. dioec., pro fratribus III. O. S. Fr. (3).

1446, aprilis 13, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Iusti extra muros Vulterran.

Sacrae religionis, sub qua dilectus filius Iohannes Fruosini de Florentia, tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati professor, *etc.*

(1) Reg. Lat. tom. 429, fol. 208 v. (2) Reg. Vat. t. 367, f. 179. Cf. supra n. 609, p. 287. (3) Reg. Lat. t. 429, f. 257.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dicti Iohannis petitio continebat, quod ipse olim iam tribus annis elapsis ecclesiam ruralem et sine cura S. Martini ad Balneum de Aqua, Pisan. dioec., tunc per multa ante tempora rectore carentem ac penitus derelictam, necnon vepribus et diversis aliis herbis silvestribus plenam, de consensu quorumdam laicorum se illius patronos fore etiam tunc asserentium auctoritate propria apprehendit ac ex tunc in ea cum nonnullis dicti ordinis fratribus permansit necnon interim illam vepribus et herbis huiusmodi mundavit ac in eius structuris et aedificiis reparavit et alias multipliciter bonificavit, et si illa dicto ordini perpetuo concedatur, peramplius bonificare intendit. Quare pro parte Iohannis ac fratrum et laicorum praedictorum, etiam asserentium, quod post apprehensionem huiusmodi missae in ecclesia praedicta interdum celebratae fuerunt et modernis temporibus celebrantur, et quod inibi de cetero celebrationem missarum huiusmodi succedente tempore incrementum suscipere deberet, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ea vera esse reppereris, ... ecclesiam praedictam, cuius fructus, redditus et proventus unius floreni auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut dictus Iohannes etiam asserit, non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis ordini praedicto per Iohannem et eius confratres praedictos ac illis deficientibus per quosdam ipsius ordinis fratres perpetuo tenendam, regendam et etiam gubernandam auctoritate Nostra praedicta perpetuo concedas pariter et assignes, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, idibus aprilis, ... anno XVI.

987. Mandat, ut fratres et sorores III. O. S. Fr. in civitate Ferrarien. manuteneat sub cura fratrum domus S. Spiritus extra muros Ferrarien. O. F. M. de observ. eique concedit facultatem corrigendi fratres et sorores III. O. S. Fr. (1).

1446, aprilis 13, Romae.

Venerabili fratri Iohanni, episcopo Ferrarien.

Cum de fraternitatis tuae prudentia *etc.* Nos igitur, cupientes, ut dilecti filii fratres et dilectae in Christo filiae sorores tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in civitate Nostra Ferrarien. degentes sub cura et regimine dilectorum filiorum fratrum domus S. Spiritus extra muros Ferrarien., ordinis S. Francisci, qui sub ipsius ordinis regulari observantia Altissimo famulari noscuntur, iuxta eiusdem tertii ordinis instituta laudabiliter vivant, prout in aliis Nostris litteris, quas dudum ad te direximus, latius continetur, ac ne per aliquorum cavillationes suum bonum propositum impediatur, idcirco eidem fraternitati tuae committimus et mandamus, quatenus fratres et sorores praefatos, dicti tertii ordinis sub cura et regimine dictorum fratrum domus S. Spiritus manuteneas et defendas non obstante, quod per dilectum filium Nicolaum, eiusdem tertii ordinis ministrum, quidam Christophorus in ministrum fratrum et sororum civitatis Ferrarien. tertii ordinis huiusmodi electus fuisse asseratur. Nos enim eidem fraternitati tuae ipsum Christophorum et quoscumque alios dicti tertii ordinis fratres et sorores corrigendi, puniendi et carcerandi ac de ipsis nunc et in futurum disponendi et exsequendi, prout tuae videbitur conscientiae, plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, idibus aprilis, ... anno XVI.

988. Mandat, ut Petro de Cahusaco, O. F. M., conferant prioratum S. Petri de Meyrosio, O. S. Ben., et eumdem Petrum transferant ad ordinem S. Ben. (2).

1446, aprilis 21, Romae.

Venerabili fratri episcopo Lodoven. et dilectis filiis abbati monasterii Salvanesii, Vabren. dioec., ac officiali Vabren.

Religionis zelus *etc.*, super quibus apud Nos dilectus filius Petrus de Cahusaco, ordinis fratrum Minorum et theologiae professor *etc.* Dudum siquidem per Nos accepto, quod dilectus filius Guido de Vesinhio, tunc prior prioratus S. Petri de Meyrosio, ordinis S. Benedicti, Nemausen. dioec. *etc. (repetuntur contenta in bulla supra n. 944, p. 464 posita),* prout in dictis litteris plenius continetur. Postmodum vero, sicut exhibita Nobis nuper pro parte ipsius Petri petitio continebat, dicto prioratu per liberam resignationem eiusdem Guidonis de illo, quem, ut praemittitur, obtinebat, per dilectum filium Petrum Tremolhas, clericum Ruthenen. dioec., procuratorem dicti Guidonis ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus praedicti Amici

(1) Reg. Vat. t. 407, f. 8, inclusa in bulla Nicolai V *Romani pontificis providentia circumspecta* d. d. 14 mart. 1448.
(2) Reg. Lat. t. 429, f. 216 v.

episcopi in praefata *(Romana)* curia sponte factam et per eumdem Amicum episcopum in dicta curia ipsarum litterarum vigore auctoritate Nostra admissam, vacante praefatus Amicus episcopus inter alia dictum prioratum sic vacantem eidem Petro ... commendavit, ipseque Petrus commendae huiusmodi obtentu dictum prioratum assecutus, illum ex tunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dilecti filii abbas et conventus monasterii S. Guillelmi de Desertis, dicti ordinis S. Benedicti, Lodoven. dioec., a quo ipse prioratus dependet, et per cuius monachos idem prioratus gubernari consuevit, cupiant, quod dictus Petrus regularem habitum gestet et regularibus institutis ipsorum se conformet, ac idem Petrus ad ordinem S. Benedicti huiusmodi singularem gerat devotionis affectum, Nos, volentes dicto Petro praemissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos ... prioratum praedictum ... dicto Petro auctoritate Nostra conferre et assignare curetis, inducentes eumdem Petrum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prioratus iuriumque et pertinentiarum praedictorum et defendentes inductum amoto *etc.* ac facientes *etc.* eumque, quam primum illius possessionem fuerit vigore praesentium pacifice assecutus, de praefato ordine fratrum Minorum, quem, ut asserit, expresse professus exsistit, ad dictum monasterium transferatis faciatisque inibi in monachum recipi atque fratrem ac sincera in Domino charitate tractari sibique de ipsius prioratus fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae, apud S. Petrum anno ... 1446, XI kal. maii, ... anno XVI.

989. Confirmat erectionem monasterii S. Luciae de Leonessa, Spoletan. dioec., O. S. Cl., et instrumentum publicum desuper confectum (1).

1446, aprilis 21, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolicae Nobis iniunctae desuper officium *etc.* Sane pro parte dilectae in Christo filiae Bonae, abbatissae monasterii S. Luciae de Leonessa, ordinis S. Clarae, Spoletan. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim bon. mem. Franciscus, episcopus Spoletan., nonnullis mulieribus tunc expressis, in ecclesia S. Luciae de loco Leonessae, dictae dioec., commorantibus ac sub religionis habitu Altissimo vota sua reddere cupientibus, pro earum usu et habitatione perpetuis dictam ecclesiam, quam in monasterium erigerent et aliquam ex approbatis regulis ibidem instituerent necnon in ea sepulturam pro personis inibi commorantibus haberent, concessit et subsequenter, postquam ecclesiam in monasterium huiusmodi erexissent, easque sub dicta regula approbata vivere contingeret, ipsas et dictum monasterium cum adiacentiis, iuribus et pertinentiis suis ab omni iure episcopali et alio quocumque gravamine de prioris et capituli Spoletan. consensu, reservata tamen eidem episcopo et suis successoribus media libra cerae annis singulis in festo S. Luciae per moniales dicti monasterii pro annuo censu persolvenda, exemit et liberavit, prout in instrumento publico superinde confecto, cuius tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dictae abbatissae, asserentis, quod dicta ecclesia in monasterium erecta et ibidem regula S. Clarae instituta fuerunt, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... concessionem, erectionem, institutionem, exemptionem et liberationem praedictas ac quaecumque inde secuta rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et insuper universis et singulis monialibus, quas in praefato monasterio pro tempore commorari contigerit, ut omnibus et singulis privilegiis ... libere et licite uti et gaudere valeant, eadem auctoritate indulgemus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Tenor vero instrumenti praedicti talis est:

In Dei nomine. Amen.

Anno Domini ab eius salutifera nativitate, Domini nostri Iesu Christi 1445, indictione VIII, tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, D. Eugenii, divina clementia papae IV., regnante serenissimo principe et domino nostro, D. Alphonso, Dei gratia rege Aragonum, Siciliae citra et ultra farum *etc.* et die VI mensis februarii, in praesentia mei, Colae Lelli Iuctii, de terra Leonessae, publici imperiali auctoritate notarii, etiam iudicis ordinarii, et horum testium ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, videlicet Ser Iohannis Arigenti, Ser Bartholacini Lelli et Ser Benedicti Antonii, Colae Sinibaldi de Leonessa, convocato

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 63; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 184.

et coadunato capitulo monialium monasterii ecclesiae S. Luciae de Leonessa, dioec. Spoletan., in loco dicti monasterii, ubi similis congregatio per moniales eiusdem monasterii fieri solet, de mandato venerabilis dominae, D. Bonae, filiae quondam Petri Chrochelle de Leonessa, abbatissae dicti monasterii, ad sonum campanae, ut moris est, in quo quidem capitulo, et conventu interfuerunt infrascriptae moniales, videlicet dicta domina abbatissa et domina Margarita, filia quondam Colae Amici de Leonessa, et domina Sanctella, filia quondam Colettae Vameti de dicta terra Leonessae, moniales dicti monasterii vocem habentes in ipso monasterio; quae quidem domina abbatissa et moniales, habentes certitudinem indubitatam de quodam privilegio iam concesso monialibus construere iam volentibus et optantibus ipsum monasterium cum oratorio, per reverendum in Christo patrem et dominum, D. fratrem Franciscum, olim et tunc episcopum Spoletan., coram dictis dominabus abbatissa et monialibus particulariter lecto et vulgarizato ad ipsarum dominarum plenam et claram intelligentiam, tenoris et continentiae infrascriptae, videlicet:

Fr. Franciscus, miseratione divina episcopus Spoletan., dilectis in Christo Illuminatae, Mariae, Franciscae, Clarae, Iohannae, Nicoliae, Gregoriae, Agneti, Agathae et Mariae, in Christo devotis, apud Leonessam, Spoletanae dioec., commorantibus, salutem in Domino sempiternam.

Pios petentium affectus curae incumbit Nostrae pastoralis officii prosequi effectu favoris gratiae specialis et potissime in iis, quae ad dispositionem et ordinationem religionis spectare noscuntur. Sane, dilectae in Christo filiae, pro parte vestra per magistrum Iohannem Berardi Odonis, procuratorem vestrum, Nobis exstitit humiliter supplicatum, quod de benignitate solita vobis fabricandi ecclesiam sub titulo B. Luciae et ibidem monasterium construendi, ubi nunc dignoscimini commorari, impertiri licentiam dignaremur, necnon, et quod ecclesiae et monasterio per vos auctoritate huiusmodi construendis exemptionis et protectionis Nostrae privilegium pietatis intuitu concedere dignaremur. Vestris igitur votis et petitionibus, quas de zelo charitatis procedere credimus, grato concurrentes assensu, apud locum praedictum construendi ecclesiam sub praedicto vocabulo, oratorium erigendi, donec ecclesiam duxeritis construendam, monasterium faciendi et sepulturas huiusmodi pro personis [in dicto monasterio] dumtaxat morantibus et in posterum moraturis vobis liberam concedimus facultatem. Verum, quia decet aliquam de approbatis regulam vos habere, vobis concedimus, ut unam ex iis, quae vobis magis placuerit, assumere valeatis, et ut in ea possitis Altissimo quietius famulari, contemplatione Dei vestraeque devotionis obtentu, vos videlicet [cum] loco et adiacentibus loco vestro ab episcopali iure et alterius cuiuscumque gravaminis de consensu et voluntate prioris et capituli Spoletan. post a vobis acceptam regulam de approbatis et post constructam ecclesiam et erectum monasterium ex nunc, prout ex tunc, duximus eximendas et praesentibus eximimus, reservata Nobis tantum in monasterio vestro et ecclesia, annuente Domino apud dictum locum vestrum construendis, pro censu mediam libram cerae Nobis Nostrisque successoribus in festo B. Luciae annis singulis persolvendam, in cuius rei testimonium praesentes litteras per Andream, subscriptum notarium, publicari mandavimus et Nostri sigilli fecimus appensione muniri, praesentibus D. Octaviano, canonico Tiburtino, D. Bartholo de Rocca et D. Philippo, capellanis ecclesiae S. Iohannis Spoletan., testibus vocatis et rogatis.

Datum Spoleti in camera palatii episcopalis, anno Domini 1295, indictione VIII et die XIII iunii, pontificatus domini Bonifatii papae VIII, anno I. Quibus omnibus et singulis supradictis D. Thomas prior, D. Bartholus, D. Iacobus, D. Berardus, D. Simon, DD. Girardi et D. Simon, DD. Riccardi, canonici maioris ecclesiae, praesentes consenserunt, die et loco praedictis coram me Andrea, subscripto notario, et testibus supradictis.

Ego Andreas Palmerii de Spoleto, imperiali auctoritate et nunc supradicti domini episcopi notarius, praesens fui et mandatum praedicti domini episcopi et dictorum prioris et canonicorum scripsi et publicavi et meum signum apposui, omisso signo dicti notarii, et signo episcopali a pede dicti privilegii pendente in quadam zagana sita more solito.

Animadvertentes et considerantes tenorem et effectum ipsius privilegii, quod moniales dicti monasterii gaudere non possunt effectualiter exemptionibus in eo concessis, nisi primo moniales dicti monasterii assumpserint aliquam regulam approbatam, et constructo monasterio et oratorio in eodem, cupientes, ut decet sub regula approbata subiacere et Deo servire, ut tenentur, ad hoc, ut in ipso privilegio et gratia gaudere possent, ideo constituta dicta domina abbatissa cum consensu, praesentia et voluntate ac auctoritate dictarum aliarum monialium et ipsae moniales cum consensu, praesentia et voluntate ac auctoritate dictae dominae abbatis-

sae, nomine et vice dicti monasterii, capituli et conventus nemine discordante de earum communi concordia et voluntate, vigore dicti privilegii et exemptionis elegerunt et eligere disposuerunt et voluerunt regulam B. Clarae virginis, ordinis beati et seraphici Francisci, approbatam per sanctam matrem ecclesiam et summos pontifices, sub qua approbata regula se gerere et gubernare cupiebant Domino concedente et promiserunt omnia et singula facere et observare, quae secundum dictam regulam approbatam facere et observare tenentur, et dare et assignare domino episcopo Spoletan. singulis annis in festo S. Luciae virginis, sub cuius vocabulo et nomine dictum monasterium exstitit constructum et aedificatum, mediam libram cerae, prout in ipso privilegio continetur, pro censu debito dicti monasterii absque aliqua contradictione, rogantes me notarium suprascriptum, ut de praedictis publicum conficerem instrumentum.

Actum Leonessae in dicto monasterio, videlicet in toccho dicti monasterii, iuxta hortum dicti monasterii et alia bona dicti monasterii, stratam publicam et alia latera, et ego, Cola Lelli Iuctii, de terra Leonessae, publicus imperiali auctoritate notarius et iudex ordinarius, praedictis omnibus et singulis interfui, et rogatus scribere scripsi et publicavi meoque solito signo signavi et apposui consuetum.

Nulli ergo *etc.* Nostrae confirmationis, suppletionis, communitionis et concessionis infringere *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XI kal. maii, ... anno XVI.

990. Nardo de Insula Maiori, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1446, aprilis 23, Romae.

Dilecto filio Nardo de Insula Maiori, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos tibi, qui, ut accepimus, ob litterarum scientiam, vitae exemplaritatem, Dei timorem, singularem prudentiam, iustitiae zelum, charitatis fervorem aliasque tibi a Deo praestitas naturae dotes, quibus multipliciter insignitus exsistis, fere singula ordinis fratrum Minorum, quem, ut asseris, expresse professus exsistis, in provincia beati Francisci officia obtinuisti et laudabiliter exercuisti, verbum Dei in diversis locis populo annuntiando et cum augmento devotionis fidelium animas Domino lucrifaciendo, pro tuis commodius supportandis oneribus de alicuius subventionis auxilio providere teque praemissorum meritorum tuorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, tibi, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum ... recipere et, quoad vixeris, una cum quibusvis administrationibus, officiis, praeeminentiis et favoribus dicti ordinis Minorum in commendam retinere ac per te vel alium seu alios in spiritualibus et temporalibus regere ... auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae indulgemus, proviso *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, IX kal. maii, ... anno XVI.

991. Mandat, ut Francisco de Verzino, III. O. S. Fr., conferat capellam S. Mariae de Prissano in territorio castri S. Lucidi, Cusentin. dioec., amoto inde Nicolao de Cotrona, presb. Cotronien. (2).

1446, aprilis 27, Romae.

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Cusentin. et .. episcopo Oppiden.

Humilibus personarum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Francisci de Verzino de Calabria, fratris tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, petitio continebat, quod olim capella S. Mariae de Prissano in territorio castri S. Lucidi, Cusentin. dioec., sita, quae, ut ab aliquibus asseritur, de iure patronatus comitissae Geracen. pro tempore exsistentis exsistit, tunc per obitum quondam Antonii Magna, olim perpetui ipsius capellae capellani, extra Romanam curiam defuncti, vacante dilectus filius Nicolaus de Cotrona, presbyter Cotronien., asserens se ad capellam huiusmodi, ut praefertur, vacantem per dilectam in Christo filiam Palmam, comitissam Geracen., quae ad praesens in loco de Terranova, Oppiden. dioec., residet, praesentatum fore, in illa se intrusit ac eam per aliquod tempus absque canonica institutione detinuit, prout detinet, indebite occupatam. Et, sicut dictus Franciscus Nobis referri curavit, praefatus Nicolaus semel dumtaxat anno quolibet in festo nativitatis B. Mariae ad capellam praefatam, quae nullos certos redditus habet, accedere solitus est et eleemosynas, quae ibidem in festo praedicto a christifidelibus erogantur, non in reparationem ipsius capellae, qua plurimum indiget, sed in usus proprios convertere curavit et curat in ipsius capellae detrimentum et animae suae periculum. Cum au-

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 249.

(2) Reg. Lat. t. 429, f. 264 v.

tem, sicut eadem petitio subiungebat, si capella praefata, in qua divinus cultus fere destitutus exsistit, cum domibus, habitationibus, hortis, hortalitiis ac aliis iuribus et pertinentiis suis eidem Francisco pro ipsius et nonnullorum dicti ordinis fratrum usu et habitatione perpetuis concederetur, ipsi fratres ibidem missas et alia divina officia celebrarent seu celebrari facerent et eleemosynas in huiusmodi reparationem et aliarum rerum illi necessariarum subventionem converterent et exponerent ac animarum saluti proficua opera inibi exercerent, pro parte dicti Francisci Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati vestrae ... mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si vocatis Nicolao, et, si dicta capella de iure patronatus fuerit, ut praefertur, marchionissa (!) praedictis et aliis, qui fuerint evocandi, vobis de praemissis legitime constiterit, et ad id ipsius marchionissae consensus accesserit, capellam praedictam ... cum domibus, habitationibus, hortis, hortalitiis, iuribus et pertinentiis supradictis Francisco et fratribus huiusmodi praesentibus et futuris pro eorum usu et habitatione perpetuis amoto exinde dicto Nicolao et alio quolibet illicito detentore auctoritate Nostra concedere pariter et assignare curetis, ita quod liceat Francisco et fratribus *etc.*, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Paulum extra muros Urbis, anno ... 1446, V kal. maii, ... anno XVI.

992. Mandat, ut Robertum de Villequier, O. F. M., transferat ad ordinem et monasterium Montis S. Michaelis in periculo maris, Abrincen. dioec., O. S. B. (1).

1446, maii 5, Romae.

Dilecto filio Nostro Guillelmo, tit. S. Martini in Montibus presbytero cardinali.

Pietatis debitum adimplemus *etc.* Cum itaque dilectus filius Robertus de Villequier, ordinis Minorum et sacrae theologiae professor, cupiat, sicut accepimus, de dicto ordine ad monasterium Montis S. Michaelis in periculo maris, ordinis S. Benedicti, Abrincen. dioec., se transferre et in eo una cum dilectis filiis conventu dicti monasterii virtutum Domino famulari, Nos, charissimi in Christo filii Caroli, regis Francorum illustris, pro eodem Roberto, dilecto suo, Nobis super hoc humiliter supplicantis, supplicationibus in hac parte favorabiliter annuentes, circumspectioni tuae ... mandamus, quatenus praefatum Robertum de dicto ordine Minorum ad monasterium huiusmodi sui superioris licentia minime requisita seu obtenta auctoritate Nostra transferas ac eum inibi recipi facias in monachum et in fratrem ac iuxta eorumdem monasterii et ordinis S. Benedicti consuetudinem regularem habitum exhibeas necnon ab eo professionem regularem per monachos ipsius monasterii emitti consuetam recipias et admittas sibique de communibus monasterii proventibus sicut uni alteri eiusdem monasterii monacho integre ministrari et provideri ac eum inibi sincera in Domino charitate tractari facias et procures. Nos enim cum eodem Roberto super defectum natalium, quem patitur, de nobili soluto genitus et soluta, ut eo non obstante, postquam per te ad monasterium et ordinem S. Benedicti huiusmodi translatus fuerit et professionem emiserit, ut praefertur, quodcumque beneficium ecclesiasticum cum cura et sine cura per monachos dicti ordinis S. Benedicti obtineri solitum, etiamsi dignitas abbatialis aut prioratus vel praepositura exsistat, ... recipere et retinere ... libere et licite valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus, dictoque Roberto nihilominus de uberioris dono gratiae concedentes, quod in quibuscumque gratiis etiam beneficialibus ac litteris aliis per eum seu pro eo a Sede Apostolica vel alias quomodolibet impetrandis nullam de defectu et dispensatione huiusmodi de cetero teneatur facere mentionem, quodque gratiae et litterae praedictae subrepticiae minime censeantur, defectu praedicto ... ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, III nonas maii, ... anno XVI.

993. Confirmat electionem Iacobi de Primaditiis in vicarium generalem O. F. M. de observ. partium cismontanarum (2).

1446, maii 6, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Primaditiis, ordinis fratrum Minorum professori et fratrum eiusdem ordinis de observantia nuncupatorum citra montes electo vicario generali.

Regimini universalis ecclesiae disponente Domino *etc.* Sane cum Nos dudum, videlicet kalendis augusti, pontificatus Nostri anno XIII, constitutionem et deputationem, quibus dilectus

(1) Reg. Vat. t. 365, f. 484. Eidem Guillelmo cardinali die 9 maii 1446 litteris *Sollicitae considerationis indagine* mandat, ut eumdem Robertum de Villequier, monachum monasterii Montis S. Michaelis in periculo maris (Mont-Saint-Michel), Abrincen. dioec. (Avranches), monasterio S. Maximi Miciacen. (Saint-Mesmin, Micy), O. S. Ben., Aurelianen. dioec., praeficiat in abbatem. Ibidem f. 484v.

(2) Reg. Vat. t. 378, f. 123v; Wadd. *Ann.* ad a. 1446, n. 6.

filius Antonius de Rusconibus, sacrae theologiae professor et generalis minister totius ordinis Minorum, dilectos filios Iohannem de Capistrano citra montes et Iohannem de Mauberto ultra montes omnium domorum, locorum et conventuum fratrum dicti ordinis Minorum de observantia nuncupatorum vicarios generales fecit, instituit et deputavit, per quasdam alias Nostras (1) confirmaverimus et approbaverimus, prout in ipsis plenius continetur, et inde experientia teste didicerimus non sine cordis laetitia deputationem et institutionem huiusmodi ipsius ordinis fratribus de observantia nuncupatis in suo statu plurimum profecisse, cum silentio quodam reclamationum, quae aures Nostras saepissime propulsabant, et mentis quietudine, qua devotae contemplationi et sacrarum litterarum studiis disponuntur fugata evagationis materia cum multitudine ad eamdem observantiam convolantium novitiorum. Ut igitur libentius et liberius in bono perseverent et perseverantia notior habeatur, portenturque ad aream Domini manipuli plenae messis, per certas alias Nostras litteras motu proprio et ex certa scientia auctoritate apostolica commisimus et mandavimus dilecto filio Iohanni de Capistrano, quod vicarios et discretos provinciarum et vicariarum sibi tunc subiectarum ante finem sui officii capitulariter congregaret, qui sic congregati facultatem haberent eligendi et eligere tenerentur unum religiosum eiusdem ordinis in vicarium generalem cismontanorum fratrum de observantia praefatorum et electione facta eam quamprimum commode fieri posset, generali ministro totius ordinis facerent praesentari, quam ipse minister infra triduum confirmare ipsique electo committere deberet plenarie vices suas, ut in dictis aliis, de quibus supra fit mentio, factis confirmatione, commissione et concessione plenarie continetur (2). Quam quidem electionem, si infra triduum huiusmodi dictus generalis minister confirmare distulerit, ex tunc electus ipse cum praefata potestate confirmatus omnimode censeretur usque ad triennium tunc secuturum Nostra et Apostolicae Sedis auctoritate, interim autem, donec confirmatus fuisset, ipsum eadem auctoritate exerceret officium vicarius provinciae, ubi capitulum praefatae electionis contingeret celebrari. Nos igitur, attendentes, quod propter distantiam et absentiam generalis ministri, qui nunc in ultramontanis partibus dicitur commorari, fratres praedicti de observantia nuncupati non parvum detrimentum in regimine pati possent, electionem huiusmodi de te factam motu proprio, non ad tui vel alterius pro te Nobis oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate et ex certa scientia, supplendo omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eadem, auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, tibi per apostolica scripta mandantes, quatenus praedicti vicariatus officium diligenter exsequaris cum omni plenitudine potestatis, sicut in primis Nostris litteris confirmationis vicariatus praedicti dilecti filii Iohannis de Capistrano plenius continetur. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie nonas maii, ... anno XVI.

994. Antonio de Rusconibus, O. F. M. ministro generali, mandat, ne quidquam mutet circa regimen observantium (3).

1446, maii 6, Romae.

Dilecto filio fratri Antonio de Rusconibus, sacrae paginae professori, ordinis Minorum generali ministro.

Cum omnia a Nobis gesta ... cupimus conservari, tum illa maxime perpetuam habere firmitatem et optamus et operam adhibemus, quae pro divini cultus augmento et religionis conservatione a Nobis matura et digesta deliberatione contingit ordinari. Non dubitamus tuam devotionem esse memorem eorum, quae in civitate Senarum conclusa fuerunt a te de vicariis institutis a te citra et ultra montes pro regimine fratrum tui ordinis, qui de observantia nuncupantur. Quam dispositionem et ordinationem Nostram litteris apostolicis confirmavimus, Deoque cooperante non poenituit. Nos huiusmodi ordinationis, quandoquidem omnia inter vos et fratres dicti ordinis postmodum pacifice successerunt, nec dissidia, clamores aut aliae contentiones, sicut aliquando alias cum christifidelium scandalo contingebat, intervenerunt, et quod tuo ordini non parum decus affert, ipsorum de observantia dicti ordinis fratrum Minorum numerus crevit et reputatio eorum vitae inter populos est adaucta. Quibus attentis et aliis rationibus animum Nostrum moventibus volumus et tuae devotioni stricte mandamus, ut in generali capitulo proxime celebrando aut alibi nihil prorsus facias aut intentes, quod praedictae ordinationi Nostrae aliqualiter contradicat, nisi forte aliter Nos duxerimus mandandum. Ideoque ministris provincialibus mandabis, ut de dicto-

(1) Cf. supra n. 705, p. 332.
(2) Vide supra n. 948, p. 466.
(3) Wadd. *Ann.* ad a. 1446, n. 3. Petr. Rodulphius, *Historiarum seraphicae religionis libri tres*, Venetiis 1586, f. 191r.

rum de observantia regimine nullatenus se intromittant, nisi eo modo, quo fuit Senis concorditer ordinatum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie nonas maii, ... anno XVI.

995. Mandat, ut Iohanni Pacheco, marchioni de Villena, concedat licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in civitate vel dioecesi Conchen. (Cuenca) (1).

1446, maii 14, Romae.

Dilecto filio thesaurario ecclesiae Segobien.

Piis votis *etc.* Sane pro parte dilecti filii viri Iohannis Pacheco, marchionis de Villena, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse, zelo devotionis accensus, ... [domum cum] ecclesia, coemeterio, campanili, ... officinis pro quorumdam fratrum ipsius ordinis sub illius regulari observantia viventium, ad hoc per eumdem Iohannem eligendorum vel assumendorum, usu et habitatione perpetuis ... in civitate vel dioecesi Conchen. fundare ... desiderat *etc.* Quare pro parte eiusdem Iohannis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... dilecti filii nobilis viri Henrici, principis Asturiarum, charissimi in Christo filii Nostri Iohannis, Castellae et Legionis regis illustris primogeniti, Nobis super hoc supplicantis humiliter, ac dicti marchionis in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si tibi ... licentiam huiusmodi concedendam fore videbitur, ... domum huiusmodi fundandi et construendi necnon fratribus ad id per eum eligendis ... pro huiusmodi eorum et aliorum ipsius ordinis fratrum usu et habitatione recipiendi ... dioecesani loci *etc.* minime requisita ac iure *etc.* salvo, plenam ... licentiam largiaris; Nos enim, ... quod dicta fundanda domus et fratres in illa pro tempore degentes omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie idus maii, ... anno XVI.

996. Praepositis maioris et S. Georgii ac SS. Cosmae et Damiani Ianuen. ecclesiarum mandat, ut conferant Lanfrancho de Savignonis, presbytero Ianuen., ecclesiam B. Mariae *del Belvedere*, Ianuen. dioec., per tres circiter annos ab Obertino de Serravalle, O. F. M., indebite occupatam (2).

1446, maii 14, Romae.

Nobilitas generis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie idus maii, ... anno XVI.

997. Concedit indulgentias pro oratorio S. Francisci in territorio Balagivae, Alerien. dioec., a Marino de Calvi, III. O. S. Fr., fundato pro receptione infantium illegitime natorum (3).

1446, maii 14, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, oratorium in territorio Balagivae, Alerien. dioec., insulae Corsicae, situm et sub vocabulo S. Francisci confessoris per dilectum filium Marinum Calvi, fratrem et eremitam tertiae regulae eiusdem sancti de poenitentia nuncupatae, cum suffragio nonnullorum christifidelium illarum partium in hunc finem et effectum fundatum et inceptum, quod infantes ex damnato coitu in dicta insula concepti, ne a suis genitricibus interficerentur aut ut abortivi abiicerentur, in dicto oratorio baptizarentur et reciperentur, in suis structuris et aedificiis nondum sit perfectum, nec ad illius perfectionem ipsius oratorii suppetunt facultates, sed eorumdem fidelium suffragia sint plurimum opportuna, Nos ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui praefatum oratorium in festo eiusdem S. Francisci devote visitaverint annuatim ac ad aedificiorum et structurarum ipsius perfectionem et conservationem manus porrexerint adiutrices, duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie idus maii, ... anno XVI.

998. Vicario et fratribus O. F. M. de observ. provinciae S. Francisci concedit licentiam colligendi eleemosynas intra dictam provinciam et partes illi contiguas pro servanda hospitalitate in domo S. Mariae de Angelis (4).

1446, maii 18, Romae.

Dilectis filiis vicario et fratribus ordinis fratrum Minorum provinciae S. Francisci iuxta morem eiusdem ordinis.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, domus S. Mariae de Angelis prope civitatem Nostram Assisinaten., vestri ordinis, propter fratrum inibi continuo et tam saecularium quam religiosarum personarum praesertim in kalendis augusti ad illam confluentium frequentem hospitalitatem continuis sumptibus et expensis plurimum gravetur, vosque per

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 185 « e l. 3 de div. form. a. XVI, f. 64 ».

(2) Reg. Lat. t. 427, f. 274 v.

(3) Reg. Lat. t. 430, f. 190 v.

(4) Reg. Lat. t. 429, f. 239 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 186. Cf. supra n. 954, p. 469.

dictam civitatem ac illius districtum propter ipsorum paupertatem et gravissimas guerrarum conditiones, quae partes illas diutius afflixerunt, tot eleemosynas invenire nequeatis, quae pro sumptibus et expensis huiusmodi sufficere valeant, Nos vobis, qui, ut asseritis, sub regulari observantia dicti ordinis degitis, illa vobis concedere volentes, per quae praedictam hospitalitatem commodius servare valeatis, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis et successoribus vestris, quod fratres in praedicta et aliis domibus eiusdem ordinis in provincia S. Francisci iuxta morem ipsius ordinis consistentibus commorantes, praesentes et futuri, de licentia vicarii dictae provinciae pro tempore exsistentis per provinciam huiusmodi et illi contiguas partes quascumque eleemosynas ipsorum fratrum statui convenientes et concessas, alterius cuiuscumque dignitatis et status licentia desuper nullatenus requisita petere, recipere et ad S. Mariae ac alias domus huiusmodi transmittere vel deferre illisque uti libere liciteque possint seu valeant, constitutionibus ... ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae concedimus pariter et indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XV kal. iunii, ... anno XVI.

999. Iacobo de Primaditiis, vicario generali O. F. M. de observ. in partibus cismontanis, concedit facultates circa fratres evagantes (1).

1446, maii 19, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Primaditiis de Bononia, ordinis Minorum fratrum de observantia nuncupatorum in partibus cismontanis vicario generali.

Cum ex Nostra dispositione fueris electus et per Nos confirmatus vicarius generalis in omnibus partibus citramontanis quoad fratres de observantia nuncupatos ordinis antedicti, et non sine displicentia perceperimus, quod nonnulli ex dictis fratribus sub fictis simulatisque coloribus, tamquam filii prodigi extra curam patrisfamilias evagantes, tuam obedientiam effugiunt tuasque ordinationes et mandata contemnunt, Nos, cupientes tuum officium nec infructuosum fore nec aliqualiter frustratorium, omnibus et singulis fratribus antedictis tam praesentibus quam futuris in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae praecipimus et mandamus, quatenus omni appellatione et contradictione remotis in cunctis licitis et honestis, quae tuam regulam, ordinem, statum et officium concernentia iam ordinasti vel imposterum ordinabis, tibi pareant aequanimiter et intendant, nihilominus harum serie tibi concedentes, ut omnes et singulos evagantes huiusmodi et a tua obedientia devios quoquomodo, quantumcumque sub alterius praelati ordinis nomine se pallient, revocare, reducere et reformare valeas ac punire cum plenitudine auctoritatis tibi traditae in tui vicariatus confirmatione, contradictores et rebelles *etc.*, invocando etiam ad praedicta, cum tuae discretioni videbitur opportunum, auxilium brachii ecclesiastici et saecularis. Et quotiescumque a te fuerint requisiti evagantes et rebelles antedicti aut ab aliquo loco tuae curae non commisso revocati, teneantur coram te personaliter comparere et tibi cum effectu obedire sub poena excommunicationis praedictae et privationis omnium actuum legitimorum, quam poenam ipso facto incurrant tam praedicti rebelles quam faventes, receptantes vel eosdem auxiliis prosequentes. Nolumus enim dictos fratres suam inobedientiam sub alicuius praelati vestri ordinis nomine posse palliare, constitutionibus *etc.* non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XIV kal. iunii, ... anno XVI.

1000. Mandat, ut fratribus et sororibus III O. S. Fr. in terra Clavari (Chiavari), Ianuen. dioec., concedat hospitale pauperum B. Mariae de Misericordia extra muros Clavari consistens (2).

1446, maii 28, Romae.

Dilecto filio archipresbytero ecclesiae S. Stephani de Lavania, Ianuen. dioec.

Votis illis, per quae loca devotionis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universorum fratrum ac dilectarum in Christo filiarum sororum regulae tertii ordinis S. Francisci in terra Clavari, Ianuen. dioec., commorantium petitio continebat, quod olim bon. mem. Pileus, archiepiscopus Ianuen., hospitale pauperum beatae Mariae de Misericordia nuncupatum, situm extra muros dictae terrae, tunc vero rectore carens, praefatis sororibus pro earum usu et habitatione ordinaria auctoritate concessit et assignavit, quarum concessionis et assignationis vigore sorores praedictae, corporalem ipsius hospitalis possessionem apprehendentes, ex tunc in illo sub huiusmodi regula pacifice vixerunt, prout vivunt de praesenti, devotum et sedulum exhibentes Altissimo famulatum. Cum autem, sicut eadem petitio sub-

(1) Reg. Vat. t. 378, f. 123. Cf. supra n. 993, p. 488. | (2) Reg. Lat. t. 429, f. 17 v.

iungebat, habitationes dicti hospitalis adeo arctae sint, quod fratres et sorores praedicti, qui in numero copioso creverunt, quando illuc se conferunt, non possunt ibidem nisi cum eorum incommoditate morari, et si illas, prout affectant, ampliare incipiant, dubitant super hospitali praedicto molestari posse tempore procedente, quare pro parte dictorum fratrum et sororum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de expositis huiusmodi auctoritate Nostra te diligenter informes et ... hospitale praedictum, cuius fructus, redditus et proventus novem ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipsi fratres et sorores asserunt, non excedunt, dummodo alicui alias canonice commissum non sit, praefatis fratribus et sororibus per ipsos tam praesentes, quam futuros perpetuo tenendum, regendum et gubernandum auctoritate Nostra concedas pariter et assignes, faciens eas pacifica dicti hospitalis possessione gaudere ac sibi de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvenientibus universis integre responderi, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, V kal. iunii, ... anno XVI.

1001. Mandat, ut oratorium S. Michaelis archangeli, Cusentin. dioec., concedat fratribus eremitis III. O. S. Fr., amoto inde Angelo Russo rectore (1).

1446, maii 31, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Cusentin.

Piis fidelium votis *etc.* Ad audientiam siquidem Nostram dilectis filiis universis fratribus eremitis tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in oratorio S. Michaelis archangeli, tuae dioec., commorantibus referentibus pervenit, quod olim, postquam quondam Petrus de Ferrante et dilecta in Christo filia Antonia, relicta dicti Petri vidua, in civitate Cusentin. moram trahens, animarum suarum saluti salubriter consulere cupientes, ad dictum oratorium, tunc in suis aedificiis et ecclesia destructioni subiacens, ut ibidem Altissimo vota sua piae vitae studio quietius redderent, se contulerant ac aedificia oratorii et ecclesiae huiusmodi de bonis eis a Deo collatis reparari et ampliari, ipsius quoque ecclesiae altare pro missis inibi celebrandis libro, calice, paramentis et aliis ad id necessariis fulciri fecerant necnon ibidem per plures annos laudabiliter vivendo et missas huiusmodi celebrari faciendo permanserant, ac demum praefata Antonia ab ipso oratorio dicti Petri obitu superveniente discesserat, dilectus filius Angelus Russo, ipsius ecclesiae rector, suorum status, salutis et honoris immemor ac Dei timore postposito divini cultus potius diminutionem quam augmentum quaerens, librum, calicem et paramenta huiusmodi ex dicta ecclesia amoveri et auferri fecit adeo, quod ibidem missae, prout solitum fuerat, celebrari nequeunt, et alias ipse Angelus publice concubinam tenere necnon praefatis fratribus, ut ab huiusmodi oratorio discederent, diversas iniurias ac minas inferre praesumpsit ac praesumit in animae suae periculum, divini cultus detrimentum ac religionis opprobrium et perniciosum plurimorum exemplum. Quare pro parte dictorum fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictum Angelum praefata ecclesia privare ipsumque ab illius possessione realiter amovere et ad huiusmodi rerum ablatarum restitutionem compellere necnon praefatis eremitis ecclesiam ipsam una cum dicto oratorio necnon habitationibus, possessionibus et bonis suis quibuslibet pro eorum usu et habitatione perpetuis habendi et retinendi, in ipsa quoque ecclesia, quae redditibus caret, per unum capellanum idoneum in sacerdotio constitutum missas huiusmodi celebrari faciendi licentiam et facultatem concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, attendentes, quod veris exsistentibus supradictis praefatus Angelus dicta ecclesia indignus exsistit, huiusmodi quoque supplicationibus inclinati, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus vocatis dicto Angelo et aliis, qui fuerint evocandi, super praemissis ... inquiras auctoritate Nostra diligentius veritatem et, si per inquisitionem huiusmodi ea fore vera reppereris, ... circa privationem, amotionem, restitutionem et concessionem praedictas procedas, facias, disponas et exsequaris, prout eidem conscientiae tuae melius videbitur expedire. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie kal. iunii, ... anno XVI.

1002. Mandat, ut decernant hospitale pauperum S. Petri in loco Collefloreto (Colfiorito), Fulginaten. dioec., ad fratres III. O. S. Fr., civitatis Fulginaten., pertinere (2).

1446, iunii 18, Romae.

Venerabili fratri episcopo Fulginat. et dilecto filio abbati monasterii de Saxovivo, Fulginat. dioec.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filio-

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 263 v.

(2) Reg. Lat. t. 429, f. 226.

rum ministri et fratrum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in civitate Nostra Fulginat. commorantium petitio continebat, quod, licet quondam Raynucius Francisci, dicti ordinis professor, de bonis sibi a Deo collatis quoddam hospitale pauperum sub vocabulo S. Petri in loco de Collefloreto, Fulginaten. dioec., de licentia ordinarii dicti loci fundaverit, construxerit et dotaverit ac ministro et fratribus praedictis ipsius hospitalis regimen et administrationem commiserit necnon omne ius sibi in praedicto hospitali seu ad illud quomodolibet competens dederit et assignaverit, iidemque minister et fratres vigore commissionis, concessionis et donationis huiusmodi ipsum hospitale cum possessionibus et bonis per quadraginta annos et ultra pacifice tenuerint ac possederint ac etiam tunc tenerent et possiderent, tamen dilectus filius Nardus de Aesculo, frater hospitalis S. Iohannis Hierosolymitan., falso asserens praefatum hospitale S. Petri ad dictum hospitale S. Iohannis spectare et pertinere, ipsos ministrum et fratres, quominus dictum hospitale S. Petri pacifice possideant, contra iustitiam impedire et facere praesumpsit et praesumit in non modicum eorumdem ministri et fratrum praeiudicium atque damnum. Quare pro parte eorumdem ministri et fratrum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si et postquam vocatis dicto Nardo et aliis, qui fuerint evocandi, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta vobis de praemissis legitime constiterit, dictum hospitale S. Petri cum omnibus possessionibus, iuribus et pertinentiis suis ad ipsos ministrum et fratres spectare et pertinere illudque per eos regi et gubernari debere decernere ac super illo praedicto Nardo et quibusvis aliis fratribus eiusdem hospitalis S. Iohannis perpetuum silentium imponere auctoritate Nostra curetis, facientes ministrum et fratres praedictos eiusdem hospitalis S. Petri possessione pacifica gaudere, contradictores *etc.*, invocato *etc.* Non obstantibus, si Nardo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XIV kal. iulii, ... anno XVI.

1003. Mandat, ut deputent ecclesiam S. Fortunati oppidi Montisfalci, Spoletan. dioec., pro fundatione domus O. F. M. de observ. ([1]).

1446, iunii 27, Romae.

Venerabilibus fratribus Perusino et Eugubino episcopis ac dilecto filio vicario venerabilis fratris Nostri episcopi Spoletani in spiritualibus generali.

Iniunctum Nobis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum oppidi Montisfalci, Spoletan. dioec., petitio continebat, quod ipsi, ad ordinem fratrum Minorum singularem gerentes devotionis affectum, iuxta ecclesiam S. Fortunati, quae per medium milliare vel circa prope dictum oppidum consistit et, licet habitu curata sit, actu tamen sine cura exsistit, quamque venerabilis frater Noster Latinus, archiepiscopus Tranen., in commendam seu alias ex concessione et dispensatione apostolica obtinet, mediantibus suis et aliorum christifidelium eleemosynis unam domum dicti ordinis cum ecclesia, campanili, campanis, ... officinis necessariis pro usu et habitatione perpetuis aliquorum fratrum praedicti ordinis regularis observantiae fundare ... proponunt *etc.* Quare pro parte dictorum universitatis et hominum asserentium, quod dilectus filius Antonius Santi, laicus praedictae dioec., ius patronatus seu praesentandi personam idoneam ad dictam ecclesiam, dum vacat, auctoritate quarumdam litterarum fel. rec. Martini papae V, praedecessoris Nostri, concessum sibi fuisse praetendit, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum ecclesiam praedictam cum structuris et spatio terreni praedicto pro fundatione et constructione huiusmodi deputare ac eisdem universitati et hominibus, quod ipsa ecclesia, si opus erit vel alias fratribus praedictis videbitur, demolita iuxta eam domum cum ecclesia, campanili ... praedictis fundare et construere necnon aliquibus ex fratribus ordinis et observantiae praedictorum, quod domum huiusmodi ... pro suis usu et habitatione recipere ... possint, dioecesani *etc.* minime requisita, ... quodque cedente vel decedente praedicto Latino archiepiscopo vel ecclesiam alias quomodolibet dimittente duo boni et probi viri, quos ad id episcopus Spoletan. pro tempore exsistens de fratrum in ipsa domo pro tempore degentium consensu elegerit seu deputaverit pro tempore, omnia et singula possessiones, iura et bona ad dictam ecclesiam spectantia regere et gubernare ac illorum fructus, redditus et proventus, qui viginti quinque florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipsi universitas et homines asserunt, non excedunt, in fabricam et constructionem fabricae et domus praedictarum ac emptionem librorum et aliorum ornamento-

([1]) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 187 « e l. 3 de div. form. a. XVI, f. 122 ».

rum ecclesiasticorum pro cultu divino inibi necessariorum convertere possint ac debeant, statuere, decernere et ordinare auctoritate Nostra procuretis, contradictores ... compescatis. Nos enim ... tenore praesentium ius patronatus huiusmodi ac concessionem de illo Antonio factam necnon litteras Martini praedictas ac quaecumque inde secuta revocamus, cassamus et annullamus nulliusque roboris vel momenti fore necnon, quod fructus, redditus et proventus ex ecclesia seu possessionibus, iuribus et bonis praedictis per triennium a data praesentium computandum provenientes in fabricam praedictam convertantur, decernimus ac fratribus in praedicta domo pro tempore degentibus, quod omnibus et singulis exemptionibus ... uti possint, ... indulgemus, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, V kal. iulii, ... anno XVI.

1004. Mandat, ut cum Antonio Petri, presbytero O. F. M., domus Quinqueecclesien. (Fünfkirchen, Pecs in Hungaria) dispenset super irregularitate ex defectu indicis sinistrae manus (1).

1446, iunii 30, Romae.

Venerabili fratri episcopo Quinqueecclesien.

Exuberans Apostolicae Sedis clementia *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Antonii Petri, ordinis fratrum Minorum professoris, petitio continebat, quod, licet olim ipse quemdam armigerum, ne infra coemeterium domus Quinqueecclesien. dicti ordinis, in qua idem frater Altissimo serviebat, equitaret, saepius amicabiliter requisivisset et monuisset, idem tamen armiger in ecclesiae et Dei ipsiusque fratris contemptum per coemeterium praedictum cum eodem equo cursitavit, unde frater ipse, animadvertens dictum armigerum requisitiones huiusmodi omnino vilipendere, ipsum eiusque equum ad hoc, ut ex dicto exiret coemeterio, cum quadam parva virgula absque aliqua armigeri et equi laesione percussit, quam quidem percussionem armiger praedictus iniquo ferens animo, eidem fratri dixit: Tu, frater, mihi talem hodie fecisti verecundiam, quod te propriis manibus interficiam; cumque postmodum frater ipse minas huiusmodi non advertens, una cum alio eiusdem ordinis fratre pannum pro cappa sua a quodam mercatore levandi causa extra claustrum eiusdem domus exiisset, praefatus armiger in eumdem fratrem Antonium irruens, eius indicem sinistrae manus, cum qua idem Antonius suum caput, quod dictus armiger cum quodam ense, quem propriis ferebat manibus, abscindere, prout ex eius impetu et aspectu videbatur, intendebat, illaesum praeservare conabatur, totaliter amputavit, propter quod idem Antonius, qui presbyter est, ad altaris ministerium et iuxta canonum instituta inhabilis effectus est. Quare pro parte tam dicti Antonii, asserentis se nullo alio respectu, quam tutandae ecclesiasticae libertatis causa armigerum et equum huiusmodi percussisse, quodque sibi mortis periculum imminebat, nisi ictum ipsum cum manu praedicta reparasset, quam dilectorum filiorum ministri provincialis ac universorum fratrum dicti ordinis in regno Hungariae commorantium Nobis fuit humiliter supplicatum, ut statui dicti Antonii in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... cum eodem Antonio, dummodo ex hoc scandalum non generetur in populo, ut missas et alia divina officia celebrare ac in susceptis per eum presbyteratus et aliis sacris ordinibus ministrare libere et licite valeat amputatione indicis huiusmodi ac constitutionibus ... nequaquam obstantibus auctoritate Nostra dispenses, omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam, si quam praemissorum occasione forsan incurrit, penitus abolendo.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie kal. iulii, ... anno XVI.

1005. Declarat Fabianum de Bachia vicarium et fratres vicariae Bosnae O. F. M. de observ. procedere posse contra presbyteros saeculares asserentes actum carnalem inter personas non legitime coniugatas peccatum non esse atque eisdem fratribus dat ampliores facultates absolvendi a censuris et irregularitatibus (2).

1446, iulii 3, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Prae cunctis Nostrae mentis desiderabilibus catholicae incrementum fidei affectantes, nimio utique dolore replemur, cum audimus vel sentimus aliquos, praesertim clericali militiae adscriptos, ad ipsius fidei depressionem quacumque malignitate satagere vel damnabilibus ipsam depravando depressionibus seu commentis eam mendacibus pervertendo, ad quorum iniqua sternenda molimina eo animosius insurgimus, quo in animarum stragem perniciosius eos agnoscimus aspirare. Dudum siquidem ad Nostrum non sine displicentia grandi auditum perducto, quod tunc in regno Moldaviae haereticae pravitatis et praesertim cuiusdam sectae abominabilis,

(1) Reg. Lat. t. 423, f. 208v.

(2) Reg. Vat. t. 378, f. 210v; Wadd. *Ann.* ad a. 1446, n. 11.

Hussitarum nuncupatae, satore malorum operum id procurante, numerosa personarum multitudo exsistebat, quae non modo incolarum, verum etiam ab ipso regno distantium et praecipue non paucorum regni Hungariae incolarum animas perversi dogmatis veneno pestifero infecerant, ac in dies sperantes, inficere omni studio satagebant et conabantur, timebaturque, ne, si quantocius eorum perniciosis ausibus opportune non provideretur, etiam ad ceteras fidelium partes transeuntes et mortiferum venenum suae erroneae doctrinae effundentes quamplurimos inficerent in suarum et plurimorum aliorum evidens animarum periculum, dispendium quoque perniciosissimum pariter et exemplum. Nos super his, quantum Nobis ex alto permittebatur, totis providere viribus intenti et firmam super eo, quod eatenus dilecti filii ordinis fratrum Minorum professores de observantia nuncupati et praecipue vicariae Bosnae, qui, ut celebris famaque publica insinuabat, se murum facientes pro domo Domini et orthodoxae propagationis fidei, ad confundendas eliminandasque huiusmodi haeresis superstiones opem et operam efficaces solertius adhibere, quantum in eis foret, studuissent et studerent, prout tantae rei necessitas exigeret, in convincendis eliminandisque dictis erroribus suas impertiri partes deberent, fiduciam in Domino, ut congruebat, acceptantes, motu proprio dilectum filium Fabianum de Bachia, vicarium dictae vicariae, et illius successores, qui pro tempore essent, ipsius vicariae vicarii, in Hungariae et Bosnae praedicti necnon Moldaviae, Valachiae, Bolachiae, Bulgariae, Rasciae necnon Sclavoniae ac omnibus et singulis aliis regnis et partibus, ad quae seu quas vicaria huiusmodi se extendere noscebatur, inquisitorem et inquisitores haereticae pravitatis per alias Nostras litteras perpetuo fecimus, constituimus et etiam deputavimus sub certis modo et forma, prout in eisdem litteris [1] plenius continetur. Cum autem, sicut ad audientiam Nostram plurimorum fide dignorum relatione pervenit, in aliquibus ex regnis seu partibus antedictis nonnulli presbyteri aut etiam parochialium ecclesiarum rectores vel alia beneficia ecclesiastica etiam dignitates, personatus, administrationes seu officia obtinentes aliaeque personae ecclesiasticae pudicitiae laxatis habenis ac vitam ducentes plurimum dissolutam concubinas publice tenere illasque plurimum honorare et, quod deterius fore dignoscitur, ad allegandum eorum in peccato huiusmodi excusationem actum carnalem etiam inter non legitime coniugatos peccatum non esse publice asserere et praedicare non verentur in maximam Dei offensam et animarum periculum, perniciosum quoque exemplum ac scandalum plurimorum; et a nonnullis revocetur in dubium, an Fabianus et successores praedicti contra presbyteros et personas ecclesiasticas huiusmodi, tamquam contra haereticos, dictarum litterarum vigore procedere possint, Nos, ex debito commissi Nobis officii huiusmodi errorem detestabilem, ne propagetur ulterius et per eum corda fidelium damnabiliter corrumpantur, ab ecclesia catholica necessario exstirpare debemus, motu proprio, non ad ipsius Fabiani vel alterius ... instantiam, sed ex Nostra certa scientia, apostolica auctoritate tenore praesentium decernimus et declaramus Fabianum et successores praedictos contra presbyteros et personas praedictas ac quoscumque alios, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, actum carnalem inter alios quam inter legitime coniugatos non esse peccatum asserere et pertinaciter tenere praesumentes, tamquam contra haereticos iuxta ipsarum litterarum continentiam atque formam procedere posse et debere in omnibus et per omnia perinde, ac si in ipsis litteris, quod contra presbyteros, personas et alios asserentes praedictos procedere possent et deberent, expressum fuisset. Et insuper, ut Fabianus et successores praedicti eo facilius inquisitionis officium huiusmodi exsequi possint, quo personas, praesertim ecclesiasticas, sibi in exsecutione huiusmodi assistentes, favoribus apostolicis prosequi poterunt, eisdem Fabiano et successoribus praedictis, quod omnium et singularum ecclesiasticarum tam saecularium quam ordinum quorumcumque regularium personarum, quas ad exsecutionem huiusmodi pro tempore duxerint eligendas, confessiones audire et pro commissis ab eis etiam quantumcumque gravibus et enormibus criminibus et delictis, etiamsi simonia et talia fuerint, propter quae Sedes Apostolica sit merito consulenda, crimine falsificationis litterarum apostolicarum dumtaxat excepto, debitam absolutionem impendere et poenitentiam salutarem iniungere necnon illos a quibuscumque excommunicationis ... sententiis ... absolvere et cum eis super quibuscumque irregularitatibus homicidii voluntarii, bigamiae et mutilationis membrorum casibus dumtaxat exceptis dispensare ... possint et valeant, ... concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, V nonas iulii, ... anno XVI.

---

[1] Vide supra n. 860, p. 411. Cf. etiam n. 863, p. 413; n. 868, p. 416; n. 874, p. 421.

1006. Fratribus vicariae Bosnae O. F. M. de observ. concedit novas facultates [1].

1446, iulii 3, Romae.

Dilectis filiis vicario et fratribus vicariae Bosnae, ordinis fratrum Minorum sub regulari eiusdem ordinis observantia viventibus praesentibus et futuris.

Dum salubria laborum vestrorum studia, quae mundanis abiectis illecebris cum additione voluntariae paupertatis pro augmento fidei orthodoxae impenditis incessanter, etiam in ipsius fidei hostium partibus verbum Domini non absque personarum vestrarum discrimine praedicando, debita consideratione pensamus, ea vobis libenter concedimus, per quae sublatis quibusvis dispendiis cum animarum salute ampliores in Dei ecclesia fructus afferre valeatis. Cum itaque, sicut nonnullorum fide digna relatione non sine ingenti mentis exsultatione percepimus, in regno Hungariae illiusque confinibus et Transsylvanis partibus nonnulli populi, Rutheni nuncupati, gens quidem satis populosa et grandis numero, exsistant, qui divina illustrati gratia ac gentium caecitatem de eorum cordibus deponentes, ad fratres vicariae vestrae propter illorum religiosam et laudabilem vitam necnon fructuosas, quas eis continuo faciunt, praedicationes singularem gerentes devotionis affectum, per ipsos fratres sacri baptismatis unda renasci et evangelicae doctrinae pabulo pasci et enutriri ac quod ipsorum animarum curam dictorum fratrum regimini et gubernationi nunc subesse ferventius concupiscant: Nos, qui dudum vobis, ut eo ferventius laboribus et studiis, quae pro fidei huiusmodi et divini cultus ac religionis augmento plurima et fructuosa impendere poteratis, insistere valeretis vel possetis, diversa privilegia, exemptiones, immunitates, indulgentias, gratias et indulta per diversas Nostras litteras concessimus, ipsorum populorum pio desiderio favorabiliter annuentes ac sperantes, quod pro huiusmodi et etiam circumadiacentium aliorumque infidelium populorum reductione ipsorumque animarum salute pro viribus elaborare valeatis, motu proprio, non ad ... instantiam, ... quod fratres vicariae praedictae, ad hoc per illius vicarium pro tempore exsistentem electi seu deputati etiam pro tempore, quoad praedictos Ruthenos et alios, quos vestris vel alterius vestrum praedicationibus et exhortationibus ad fidem catholicam converti contigerit, ac catholicorum sacerdotum copiam non habentes, qui iam ad fidem ipsam conversi fore noscuntur, et quoscumque alios populos ubilibet consistentes praedictis ac omnibus et singulis aliis privilegiis, exemptionibus ... per Nos ac praedecessores Nostros Romanos pontifices seu alias sub quibusvis verborum formis quomodolibet concessis ... in omnibus et per omnia uti et gaudere ipsisque iam ad fidem conversis et, quos converti contigerit, populis illorumque singularibus utriusque sexus personis, quicumque et quotcumque numero fuerint, quos omnes et singulos quoad ipsorum animarum curam vestris aut illorum etiam saecularium presbyterorum, quos ad id dicti deputati fratres duxerint pro tempore deputandos, regimini et gubernationi, donec et quousque Sedes Apostolica aliud super hoc duxerit ordinandum, per praesentes subesse decernimus, baptismatis, chrismatis seu confirmationis, eucharistiae aliaque ecclesiastica sacramenta ministrare ac in huiusmodi infidelium partibus unum, duo, tria aut plura et tot loca seu domus, quot eis videbitur, cum ecclesiis, campanilibus ... et aliis pro fratrum vicariae et ordinis praedictorum usu et habitatione perpetuis fundare et construere seu fundari et construi facere aut iam forsan fundata et constructa, quae necnon alia omnia domos et loca ordinis et observantiae praedictorum ubilibet a mari Adriatico usque ad confines Tatariae consistentia, quaecumque et quotcumque numero sint, de dicta vicaria esse illique perpetuo subesse quibuscumque apostolicis seu aliis privilegiis vel litteris illis sub quibusvis verborum formis concessis nequaquam obstantibus motu, scientia et auctoritate praedictis decernimus per praesentes, recipere illaque inhabitare; necnon omnes et singuli in regno Hungariae singulis festis diebus trium sanctorum regum, videlicet Stephani, Ladislai, Emerici, in quibus iuxta illarum partium consuetudinem propria celebrantur officia huiusmodi, et in Ragusina civitate et dioecesi aliisque locis dilectorum filiorum communitatis Ragusinae temporali dominio subiectis domibus commorantes fratres in ipsis domibus earumque ecclesiis pro festo maiori duplici officium S. Blasii martyris, ipsorum communitatis Ragusinae patroni, propter populorum devotionem in festo eiusdem S. Blasii dicere, legere ac cantare libere et licite valeant, nec ad dicendum officium divinum iuxta alium morem seu ritum teneamini. Et cum, sicut etiam accepimus, in diversis locis dictae vicariae quamplures sint utriusque sexus personae sub vitae castimonia, nullum tamen ex ordinibus approbatis professae, Altissimo aliquae in propriis, quaedam vero in locis de licentia dioecesanorum locorum ad id deputatis laudabiliter famulantes, quae ad regulam tertii ordi-

[1] Reg. Vat. t. 378, f. 211; Wadd. *Ann.* ad a. 1446, n. 12. Cf. n. praec.

nis S. Francisci de poenitentia nuncupati singularem gerentes devotionis affectum, ipsam regulam libenter profiterentur et sub illa in aliquibus domibus in communi ad instar et ad similitudinem ac in omnibus et per omnia iuxta modum et formam nonnullarum domorum eiusdem tertii ordinis in Italia consistentium ac privilegia, gratias et indulta eis per Sedem praedictam vel alias concessa vivere ferventius concupiscant, quod dictus vicarius seu fratres per eum ad hoc pro tempore deputati etiam unam, duas, tres, quatuor aut plures et tot, quot eis expedire videbitur, domos, in locis tamen ad id congruentibus et honestis, pro personarum huiusmodi dictam regulam profiteri volentium usu et habitatione perpetuis in omnibus et per omnia iuxta modum, formam, privilegia, gratias et indulta domibus Italiae concessa antedicta fundandi, construendi et in eis vivendi licentiam personis regulam profiteri volentibus huiusmodi concedere possint libere et licite, quodque regulam profitentes et in communi viventes personae utriusque sexus huiusmodi sub cura et regimine vestris degant, ita quod fratres vicariae praedictae per vicarium huiusmodi deputati earum confessiones audire, eucharistiae et alia ecclesiastica sacramenta eis ministrare valeant, ac omnium et singulorum christifidelium in domibus seu locis vestris ubilibet consistentibus sepeliri eligentium, iure parochialium ecclesiarum semper salvo, liberam habeatis sepulturam, auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus: districtius inhibentes universis et singulis dioecesanis locorum et parochialium ecclesiarum rectoribus ac christifidelibus, ecclesiasticis, saecularibus et ordinum quorumcumque regularibus necnon laicis cuiuscumque status ..., dioecesanis, rectoribus et ecclesiasticis, ne de animarum cura sic conversorum et, quos pro tempore converti contigerit, populorum ac singularium personarum eorumdem quoquomodo se intromittant, aut fratres sive etiam presbyteros saeculares pro tempore deputatos praedictos, quominus curam huiusmodi gerant, vosque in quibuscumque domibus seu locis ubilibet consistentibus vestris inibi sepeliri eligentium liberam habeatis sepulturam, ita quod cadavera defunctorum de loco, in quo erunt, ad domos seu ecclesias vestras absque eo, quod prius iuxta quarumdam partium consuetudinem, quam velut corruptelam penitus reprobamus, ad parochiales seu alias ecclesias deferantur, deferre et deferri facere valeatis, impedire per se vel per alios directe vel indirecte, et illos, qui dictis fratribus alias debite confessi, ac quibus pro commissis ab eis peccatis debita absolutio impensa necnon iniuncta poenitentia salutaris fuerint, a sacratissimi eucharistiae sacramenti communione tamquam, nisi prius eis iterum confiteantur, indignos repellere, ac praedictis ecclesiasticis ac laicis personis, ne aliquos fratres vicariae praedictae etiam vigore cuiuscumque indulti seu concessionis, sub quacumque verborum forma per Nos vel Sedem praefatam etiam motu simili concessi seu concessae, aliquos fratres ipsius vicariae in ipsorum capellanos, nisi de speciali dicti vicarii seu custodum vel fratrum sufficientem desuper ab ipso vicario facultatem habentium licentia, habere praesumant; et si quos forsan habuerint, illos infra mensem, postquam praesentes Nostrae litterae sibi intimatae fuerint, dimittere penitus et omnino teneantur, decernentes omnes et singulos, qui contra inhibitionem Nostram huiusmodi in aliquo venire praesumpserint, excommunicationis sententiam, a qua praeterquam in mortis articulo constituti nonnisi per praedictum vicarium aut fratres ad id per eum deputatos absolvi possint, incurrere ipso facto, ac ex tunc omnes et singulas litteras super licentia seu facultate recipiendi quoscumque fratres in eorum capellanos quibusvis personis ecclesiasticis vel saecularibus per Nos vel Sedem praedictam sub quacumque verborum forma concessas et in posterum forsan concedendas, nisi in illis specifice et expresse de vicaria huiusmodi mentio fiat, ad fratres vicariae huiusmodi nullatenus se extendere ac irritum et inane *etc.* Volumus autem, quod per quascumque litteras apostolicas generali ministro dicti ordinis Minorum seu aliis quoquomodo per Nos aut Sedem praedictam concessas ... ipsae praesentes litterae aut in eis contenta nullatenus intelligantur aut censeri debeant revocatae. Non obstantibus *etc.*, praesentibus, quoad sub observantia praedicta vixeritis, dumtaxat valituris. Verum, quia difficile foret huiusmodi Nostras litteras ad singula loca deferre *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, V nonas iulii, ... anno XVI.

1007. Statuit et auget iura vicariorum generalium et provincialium fratrum O. F. M. de observ. [1].

1446, iulii 23, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ut sacra ordinis Minorum religio, cuius zeli sinceritas, ex suis laudabilibus clarens operibus,

[1] Reg. Vat. t. 379, f. 151 v. Ibidem in margine legitur: « Non detur copia, nisi de mand. d. n. papae », et in fine, f. 154: « Item similis bulla de verbo ad verbum, excepto quod ubi superius est hoc vocabulum *ultramontanis* in alia

commendabile plurimum catholicae fidei praestare non desinit augmentum, ab omni reddatur, quantum permiserit Altissimus, adversitate secura, internis gerimus insitum votis affectum, ut submoto quod officit et subrogato quod proficit nihil maneat, quod fratres a coepti forsitan retrahat salubritate propositi aut ullatenus robur sacrae religionis infringat. Sane siquidem dilectus filius Antonius de Rusconibus, sacrae theologiae professor ac ordinis Minorum generalis minister, Nobis suadentibus et nonnullis etiam sacrae theologiae professoribus et probis ipsius religionis viris suasionis Nostrae propositum laudantibus assentientibusque et idipsum consulentibus duos instituit vicarios, dilectos scilicet filios Iohannem de Capistrano in et super omnes in partibus cismontanis et Iohannem de Mauberto in et super omnes in partibus ultramontanis eiusdem ordinis fratres de observantia nuncupatos professores cum plenaria sui officii potestate utrique singillatim concessa, ut ex suis Nostris insertis litteris evidenter apparet (1). Cum igitur ex praefata institutione status quietem fugata vagationis materia, sacro studio attentionem, personarum augmentum et plurima bona, ut certa experientia didicimus, ipsis fratribus de observantia nuncupatis necnon christianae religioni ex eorum exemplari vita accessisse intelligamus et plura Domino concedente in futurum evenire speretur, si eadem institutio futuris temporibus perseveret, Nos, qui singulorum, praesertim regulari observantiae deditorum, quietem pariter et salutem intensis desideriis affectamus, inhaerentes constitutionibus et statutis super huiusmodi dispositionibus editis sacri Constantiensis concilii et fel. rec. Martini papae V, praedecessoris Nostri, motu proprio, non ad alicuius ... instantiam, sed ex certa scientia auctoritate apostolica de consilio et assensu venerabilium fratrum Nostrorum S. Romanae ecclesiae cardinalium statuimus, decernimus et ordinamus, ut deinceps vicarius generalis ipsorum fratrum de observantia ultramontanus circa finem triennii, ex quo ad officium vicariatus electus fuerit, possit et debeat convocare vicarios et discretos a vocem in congregatione habentibus deputatos quarumlibet vicariarum et provinciarum sibi subiectarum in loco per ipsum vicarium generalem deputando circa finem ipsius triennii capitulariter facere congregari: quorum, si qui infirmitate vel legitimo impedimento detenti interesse non possent, per nuntios ab eis deputatos vel suppletionem vocis eorum iuxta eorum consuetudinem praesentia suppleatur, qui sic congregati facultatem habeant omnia et singula faciendi, ordinandi atque disponendi, quae de iure, consuetudine et ex privilegiis possunt fratres eiusdem ordinis in eorum generali capitulo congregati et praecipue (2) eligendi; et eligere sint adstricti unum religiosum eiusdem ordinis in eorum similem vicarium generalem. Cuius electionem, si a maiori (3) parte eligentium celebretur, quamprimum commode fieri poterit, generali ministro totius ordinis faciant praesentari; ipse vero generalis minister infra triduum a praesentatione sibi facta praedictum electum (4) confirmare teneatur concedendo et committendo ei plenarie vices suas, ut supra, dando scilicet ei liberam auctoritatem et potestatem ac omnimodam facultatem suam super omnes et singulos fratres de observantia nuncupatos et, si alio nomine quipiam eorum nominentur, in partibus ultramontanis commorantes et commoraturos tam in capitibus quam in membris visitandi publice et private, vocandi, citandi, inquirendi, examinandi, procedendi, iudicandi, amovendi, terminandi, decidendi, sententiandi, approbandi, reprobandi, corrigendi, arctandi, detinendi, puniendi, carcerandi et a carceribus liberandi, ad actus legitimos restituendi, fratres vicariarum et provinciarum huiusmodi collocandi et commutandi, expellendi et revocandi, fratres de ultramontanis (5) partibus cum bona licentia venientes recipiendi, apostatas omnes ad ordinem redire volentes cum poenitentia, quae eidem vicario videbitur iniungenda, reducendi et acceptandi, fratres conventuales, dummodo suis ministris non sint rebelles et ab eis licentiam petierint et poenitentiam non effugiant delictorum, veraciter cupientes ad meliorem frugem se transterre et vivere regulariter, recipiendi, officiales et praelatos quoslibet sibi subiectos, cum opus fuerit aut casus exegerit, privandi, absolvendi, deponendi et restituendi vel alios loco eorum de consensu tamen fratrum eorumdem locorum, in quibus huiusmodi officiales aut praelati existunt, vel saltem maioris partis eorumdem

---

est *cismontanis* et econtra; excepto quod in ista secunda non est illa clausula: *non obstantibus constit. et ordin.* etc., usque ad *data*». Wadd., *Ann.* ad a. 1446, n. 2 eamdem bullam habet « e l. 5 bull., f. 308 », sed datam anno inc. 1445, III id. ianuarii, anno XV (11 ian. 1446) et in aliquibus a forma supra posita discrepantem. Eius varias lectiones, quae aliquo modo sensum tangunt, infra notabimus.

(1) Vide supra n. 705, p. 332.

(2) omnia et singula — et praecipue *om.* Wadd.

(3) a duabus partibus: Wadd.

(4) praedictam electionem: Wadd.

(5) cismontanis: Wadd., quod etiam contextui magis congruit.

[substituendi]; fratres, conventus, domos, loca et eremitoria praedicta praesentia pariter et futura ei subiecta [1] informandi et reformandi, absque socio vel sine licentia de citramontanis partibus venientes seu ultra montes delinquentes [2] puniendi; et quos noverit habiles et idoneos, etiam ad sacros ordines usque ad sacerdotium inclusive promoveri faciendi, ad confessionis et praedicationis officia promovendi et promotos, cum eidem vicario videbitur, privandi vel suspendendi, omnes et singulos fratres sibi subiectos ab omnibus peccatis suis, poenis spiritualibus et temporalibus, excommunicationibus, suspensionibus, transgressionibus regulae et statutorum casibus, irregularitatibus et censuris praefato ministro generali commissis vel reservatis libere absolvendi, liberandi et dispensandi, quoties opus fuerit, se quoque ab huiusmodi absolvi, liberari et dispensari faciendi, etiam, quoties ei videbitur oportere, ad omnes provincias et vicarias et ad praesentiam ipsius generalis ac Romanam curiam accedendi et mittendi, fugientes a saeculo ac quoscumque volentes Deo in dicto ordine deservire tam pro laicis quam pro clericis ad habitum et professionem recipiendi. Gratiae sive litterae quaecumque a praedicto generali ministro eisdem fratribus concessae vel destinatae vel imposterum concedendae, si tales essent, per quas ab observantia regulari distraherentur fratres huiusmodi, aut quae scandalum in regimine eidem vicario commisso parerent, habeantur pro infectis. Contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris et dicti ordinis remedia, etiam per invocationem brachii ecclesiastici vel saecularis, si opus fuerit, compescendi, congregationes in provinciis et vicariis omnibus ei subiectis sive pro aliis utilibus negotiis et occurrentiis opportunis faciendi sive fieri faciendi et generaliter specialiterque omnia alia et singula circa fratres, conventus, domos et loca huiusmodi faciendi, exercendi, disponendi, ordinandi, administrandi et statuendi, quae ipse minister generalis facere posset, si personaliter interesset; easdem insuper auctoritates et gratias, potestates et facultates per ipsum ministrum generalem eidem vicario concessas vel earum partem aliis fratribus, quos ad hoc iudicaverit idoneos, committendi et concedendi necnon per ipsos praedicti vicarii commissarios committi et concedi faciendi. Mandet propterea ipse generalis minister, quod mandatum in commissione praedicto vicario facta in scriptis appareat, omnibus et singulis fratribus in praedictis ultramontanis partibus commorantibus et commoraturis, praelatis et subditis ad meritum salutaris obedientiae in virtute Spiritus Sancti, quatenus omni appellatione postposita, quam nullo modo facere liceat, in omnibus et per omnia firmissime pareant et obediant eidem vicario toto tempore sui vicariatus tamquam personae ipsius ministri generalis et nullo colore vel causa possint ipsi fratres sub poena excommunicationis et carceris ac privationis officiorum et omnium actuum legitimorum latae sententiae ad subterfugiendum correctionem, reformationem et praedicti vicarii seu vicariorum obedientiam ad conventus, domos et eremitoria seu alia quaecumque loca illius curae non commissa aufugere neque, si iam aufugerint, vel deinceps se aufugere contingeret, ministri, custodes, guardiani seu quicumque alii fratres eidem praefato vicario non subditi, cuiuscumque conditionis, gradus et dignitatis exsisterent, sub poena privationis officii sui et excommunicationis latae sententiae et privationis omnium actuum legitimorum audeant illos recipere aut forte receptos vel imposterum recipiendos retinere contra eiusdem vicarii velle vel vicariorum illi subditorum; aut, si quid aliud facultatis et auctoritatis in dictis litteris continetur, quarum tenorem hic volumus haberi pro sufficienter expresso, ac si de eis de verbo ad verbum facta esset mentio specialis. Quae commissio assumptione ad dignitatem, suspensione, depositione vel obitu ipsius generalis committentis nullatenus exspiret, sed firma auctoritate apostolica ad tempus concessum [3] et stabilis perseveret. Quo triduo elapso et electo non confirmato [4] electus ipse confirmatus cum plenaria potestate huiusmodi usque ad successoris electionem [5] habeatur Sedis Apostolicae auctoritate, infra quod tempus non valeat dictus vicarius suo renuntiare officio sine scitu vicariorum omnium vicariarum et provinciarum discretorumque aut maioris partis eorumdem. Possit nihilominus praedictus vicarius convocare omnes vicarios illi subiectos discretosque infra tempus sui officii in loco per ipsum deputando, quoties sibi opus visum fuerit [6]. Et si tempore electionis praedicti vicarii vacaret generalatus officium aut generalis excommunicatus esset vel suspensus [7], electum ipsum vicarium cum praemissa potestate confirmatum censeri et esse volumus atque ordinamus. Interim vero, dum fuerit con-

(1) constructa: Wadd.
(2) seu ultra montes delinquentes: *om.* Wadd.
(3) concessionis: Wadd.
(4) electione non confirmata: Wadd.
(5) ad triennium: Wadd.
(6) infra quod tempus — visum fuerit: *om.* Wadd.
(7) aut generalis — suspensus: *om.* Wadd.

firmatus, is, qui praedictum vicariatus officium exercuit ante electionem (1), exerceat officium vicarii generalis et praemissa, quae circa convocationem, congregationem, ordinationem, dispositionem, exsecutionem (2), electionem, praesentationem et confirmationem et commissionis stabilitatem per praefatos dilectos filios generalem ministrum et eius praefatum vicarium et ceteros, ut praemittitur, fieri volumus, ita et per inferiores ministros et eorum vicarios provinciales huiusmodi et qui adesse habent, esse et debere fieri in suis propriis provinciis et vicariis singulis annis (3) statuimus et ordinamus vicaria Bosnae propter illius amplitudinem excepta (4). Si vero generalis vicarius infra sui officii tempus (5) ex hac luce migraverit seu alias ab officio amotus fuerit, vicarius, in cuius provincia eum mori vel amoveri (6) contigerit, nuntiet quamcitius poterit, aliis vicariis ultramontanis et de consilio atque assensu duorum proximorum vicariorum determinet locum et tempus, nisi fuissent per vicarium ante ipsius obitum deputata, et convocet, qui fuerint convocandi, pro successoris vicarii electione celebranda; quo vacationis tempore auctoritate Apostolicae Sedis exerceat officium vicariatus huiusmodi vicarius ipse, in cuius provincia obiit vel amotus fuerit (7) praedictus vicarius generalis cum plena potestate praemissa. Hoc idem intelligi volumus de vicariis provinciarum seu vicariarum, cum eos mori vel amoveri contigerit, provincias seu vicarias regi et gubernari per guardianum, in cuius guardiania talia evenerint, salva semper et reservata praedicti vicarii generalis, ut praemittitur, potestate (8). Generalis vero aut quisquam ministrorum vel custodum seu frater dicti ordinis praedicto vicario generali seu ceteris vicariis vel cuipiam fratri eiusdem familiae de observantia nuncupatae molestiam seu impedimentum aliquod inferre non audeat nec praesumat sub poena excommunicationis latae sententiae, privationis officii omniumque actuum legitimorum, ut in praedictis litteris continetur (9); nisi quod praefatus minister generalis per se dumtaxat personaliter visitare et corrigere possit et valeat praedictum vicarium generalem, fratrem seu fratres, conventum, domum, locum et eremitorium eiusdem familiae pie, benigne ac charitative ad meliorem frugem provocando; et si quidquam, quod absit, reppererit criminosum, ipsum vicarium de consilio et consensu maioris et sanioris partis fratrum domus, eremitorii, loci vel conventus visitatorum in eodem loco et non extra corrigere valeat, punire, poenitentiare et emendare, secundum quod delicti qualitas exegerit faciendum. De regimine vero et cura fratrum praedictorum de observantia nuncupatorum se aliter non intromittat. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, X kal. augusti, ... anno XVI.

1008. Ludovico de Saia, O. F. M., committit decisionem causae inter Philippum de Astorga, ministrum provinciae Compostellan., et fratres domorum Legionen., de Mayorga, Villalpando et Tauro, Legionen. et Zamoren. dioec., O. F. M. (10).

1446, Iulii 24, Romae.

Dilecto filio Ludovico de Saia, custodi fratrum ordinis Minorum citra Portus, in Castellae et Legionis regnis.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii generalis ministri fratrum ordinis Minorum petitio continebat, quod alias, cum dilectus filius Philippus de Astorga, minister provinciae Compostellan. secundum morem dicti ordinis, prout eius officio tunc incumbebat, Legionen. civitatum ac de Mayorga et Villalpando necnon de Tauro, Legionen. et Zamoren dioec., eiusdem ordinis, domos illarumque personas secundum statuta et consuetudines ordinis praedicti visitare reformareque disponeret, plerique fratrum domorum earumdem obedientiae bonum detestabiliter postponentes et correctionis ac disciplinae ministerium refugere molientes, postquam eidem Philippo diversas iniurias et iacturas irrogarant occasione visitationis et reformationis huiusmodi, et ut illae non fierent, ad Apostolicam Sedem appellarunt. Quare pro parte dicti generalis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut appellationem huiusmodi necnon omnes alias et singulas, quae praemissorum occasione dictum ordinem contingunt, causas alicui in partibus illis committere et alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, revolventes, quod appellationis re-

(1) vicarius, in cuius provincia contigerit fieri huiusmodi electio: Wadd.

(2) ordinationem, dispositionem, exsecutionem: *om.* Wadd.

(3) singulis annis *om.* Wadd.

(4) vicaria Bosnae — excepta: *om.* Wadd.

(5) infra triennium: Wadd.

(6) seu alias ab officio amotus fuerit, ... vel amoveri *om.* Wadd.

(7) vel amotus fuerit: *om.* Wadd.

(8) Hoc idem — potestate: *om.* Wadd.

(9) sub poena — continetur: *om.* Wadd.

(10) Reg. Lat. t. 429, f. 80 v. De Ludovico de Saia cf. supra n. 981, p. 482; de Philippo de Astorga n. 722, p. 343.

medium ideo nullatenus adinventum est, ut alicui religionis et ordinis observantiam intercipere conanti patrocinium debeat impartiri, necnon universas, quae forsitan dicta occasione per Nos commissae sunt, causas ad Nos harum serie praesentium advocantes, huiusmodi quoque supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis ipsarum domorum fratribus praedictis necnon aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hincinde propositis, quod iustum fuerit, summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii auctoritate Nostra appellatione remota decernas, faciens, quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.* Seu ne iudices *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, IX kal. augusti, ... anno XVI.

1009. Mandat, ut loco prioratus S. Spiritus, Reginen., (Reggio Emilia), O. S. Marci de Mantua, fratribus O. F. M. assignati, ecclesiam S. Marci Reginen. in prioratum eiusdem ordinis S. Marci erigat eumque conferat Petro Iohannis de Oleo, clerico Reginen. (1).

1446, iulii 30, Romae.

Dilecto filio archidiacono Mantuan.

Dignum arbitramur *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum civium Reginen. Nobis exposito, quod, cum olim ipsi, zelo devotionis accensi, propter singularem, quam ad dilectos filios ordinis fratrum Minorum professores gerebant devotionem, de bonis eis a Deo collatis in civitate Reginen. sive prope eam in loco tunc ad id congruo et honesto unam domum cum ecclesia, campanili, campana, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione aliquorum professorum eorumdem, qui inibi Altissimo perpetuo famularentur, de novo fundare ... aut iam fundatam, ... si illam iustis modis acquirere valerent, parare desiderabant, si eis super hoc Apostolicae Sedis suffragaretur auctoritas, Nos, si esset ita, eisdem civibus domum cum ecclesia ... fundandi ... necnon eisdem professoribus eam recipiendi per quasdam primo, et deinde pro parte eorumdem civium Nobis etiam exposito, quod, licet ipsi, locum idoneum ad fundationem huiusmodi faciendam sollicite inquirentes, quoddam ruinosum monasterium ordinis S. Marci de Mantua sub vocabulo S. Spiritus et illius ecclesiam pro parte diruptam extra civitatem praedictam per priorem gubernari solita, et cui ecclesiae cura imminet animarum, ac in quo nullus prior tunc et per longa tempora saltem continuam residentiam fecerat neque faciebat, ad hoc quamplurimum idoneum et honestum invenerant ipsumque totis viribus propriis sumptibus et expensis reaedificare et reformare affectabant ac dubitabant priorem monasterii huiusmodi ad praemissa nolle praebere consensum, Nos per alias Nostras dilecto filio archidiacono ecclesiae Reginen. eius proprio nomine non expresso dedimus in mandatis, ut, si esset ita, nomen, dignitatem priorissalem et dictum ordinem S. Marci in eo supprimens, civibus ac fratribus praefatis, quod monasterium ipsum in domum fratrum huiusmodi etiam illius prioris, ut praefertur, ad id non accedente consensu, fructibus tamen ipsius prioratus eidem priori, quoad viveret, reservatis erigere necnon fratribus praedictis, ut in dicto monasterio sub eadem observantia commorari et devote Altissimo famulari valerent, auctoritate Nostra licentiam largiretur, ac dicto archidiacono cedente priore huiusmodi praefatos fructus in aliquem pium usum convertendi et deputandi facultatem concessimus. Postmodum vero pro parte dilecti filii Iohannis de Caronibus, olim prioris dicti monasterii, Nobis exposito, quod dilectus filius Iohannes de Catania, ad ipsarum priorum litterarum procedens exsecutionem, illarum vigore suppressionem fecerat ac civibus et fratribus praedictis licentiam concesserat antedictas et amotis exinde dicto Iohanne et dilectis filiis ipsius monasterii canonicis inibi exsistentibus bona ad olim praefatum monasterium spectantia certo pio loco dictae civitatis tunc expresso applicaverat, ... ipseque Iohannes prior ... unum prioratum dicti ordinis S. Marci pro sua et dicti socii necnon aliorum ipsius ordinis S. Marci canonicorum usu et habitatione perpetuis in praefata civitate fundare et erigere desideraret, ac patronus ecclesiae S. Marci Reginen., quae de iure patronatus laicorum seu domus Pontis de Rubera, Reginen. dioec., exsistit, consentiebat, ac quod ipsa ecclesia S. Marci in prioratum eiusdem ordinis erigeret, pro parte quoque eiusdem Iohannis de Caronibus, asserentis se terras et possessiones ac bona ad dictum olim monasterium spectantia pacifice possidere, Nobis humiliter supplicato, ut super his opportune providere ... dignaremur, Nos dilecto filio Gaspari de Taculis, canonico Reginen., per alias Nostras litteras mandavimus, quatenus ... praefatam ecclesiam S. Marci in prioratum conventualem dicti ordinis S. Marci, licet praefatae ecclesiae S. Marci rectoris consensus ad id non accederet, erigeret ac illi omnia et

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 153 v.

singula terras, possessiones et bona ad praefatum olim monasterium S. Spiritus pertinentia ... applicatione de ipsis terris, possessionibus et bonis per dictum Iohannem archidiaconum pio loco facta per ipsum Gasparem canonicum primitus revocata ac ipsius ecclesiae S. Marci fructibus, redditibus et proventibus moderno rectori per eum, quoad viveret, percipiendis et in suos usus convertendis dumtaxat reservatis cum omnibus iuribus et pertinentiis suis perpetuo applicaret, appropriaret et assignaret, ita quod ex tunc priori ipsius erigendi prioratus tunc exsistenti domorum, hortorum et hortalitiorum dictae ecclesiae S. Marci contiguorum pro sua et canonicorum usu et habitatione praedictis, cedente vero vel decedente praefato moderno rectore seu fructus ... ecclesiae S. Marci huiusmodi alias quomodolibet dimittente iurium et pertinentiarum praedictorum corporalem possessionem ... apprehendere ac illius fructus ... percipere et exigere necnon in suos et dicti erigendi prioratus usus et utilitatem convertere liceret dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia super hoc minime requisita, et nihilominus ... prioratum erigendum praedictum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis praefato Iohanni de Caronibus conferret et assignaret, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur (1). Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Petri Iohannis de Oleo, clerici Reginen., petitio continebat, dictus Iohannes de Caronibus, antequam posteriores litterae praedictae ipsi Gaspari praesentarentur, extra eamdem curiam fuerit vita functus, et dictus Petrus Iohannis, quod posteriores litterae huiusmodi debitae exsecutioni demandentur, se intendere pro posse paratum offerat ac, sicut accepimus, sub regulari habitu una cum conventu dicti erigendi monasterii virtutum Domino famulari desideret, Nos unionem, annexionem et incorporationem de bonis olim monasterii S. Spiritus huiusmodi mensae episcopali Reginen. per bon. mem. Thomam, archiepiscopum Ravennat., auctoritate ordinaria, ut asseritur, factas, etiam si illae auctoritate apostolica confirmatae sint, ac illarum vigore venerabilis frater Noster Baptista, episcopus Reginen., ipsorum bonorum possessionem assecutus exsistat, necnon litteras et instrumenta desuper habita ... ac quaecumque inde secuta auctoritate apostolica ex certa scientia ipsarum praesentium tenore litterarum revocantes, ... volentes, quod eumdem Petrum Iohannis, asserentem se ex bonis civibus praefatae civitatis originem traxisse et iam habitum dicti ordinis S. Marci gestare ac in decimo septimo vel circa suae aetatis anno constitutum fore necnon in decretis studere velle, favore prosequi gratioso, ipsius Petri Iohannis et dilectorum filiorum Francisci de Cerosolis, generalis dicti ordinis S. Marci, necnon conventus monasterii S. Marci Mantuan., ordinis eiusdem sancti, a quo praefatum olim monasterium S. Spiritus dependebat, ... Nobis desuper humiliter supplicantium, ac ipsius Petri Iohannis in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus super expositis et subiunctis in posterioribus litteris praedictis etiam absque alicuius vocatione te ... diligenter informes et ... ad ipsarum posteriorum exsecutionem litterarum ... procedas in omnibus et per omnia perinde ac si *etc.*, et nihilominus ... Petrum Iohannis, si fuerit idoneus et aliud canonicum non obsistat, in ipso erigendo prioratu in fratrem recipias sibique iuxta eiusdem ordinis S. Marci consuetudinem regularem habitum exhibeas *etc.* Praeterea ... prioratum sic erectum praedictum ... praefato Petro Iohannis eadem auctoritate Nostra conferas et assignes, inducens *etc.* contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, III kal. augusti, ... anno XVI.

1010. Agnetae Wrinserin, viduae Argentinen. (Strassburg), concedit facultatem ingrediendi monasterium S. Clarae Argentin., O. S. Cl., in quo duas habet filias, dummodo singulis vicibus ultra medium diem naturalem non permaneat (2).

1446, augusti 3, Romae.

Devotionis tuae sinceritas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, III nonas augusti, ... anno XVI.

1011. Fratribus O. F. M. de observ. provinciae Portugalliae concedit licentiam eligendi vicarium provincialem, cui etiam dat facultates (3).

1446, augusti 6, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Dum praeclara dilectorum filiorum fratrum in Alemquerien., Lerenen. et Satuvalen., Ulixbonen., Colimbrien. et Elboren. dioec., necnon in Visen. (4) et nonnullis aliis domibus ordinis fratrum Minorum, provinciae Portugalliae iuxta morem dicti ordinis, sub observantia praedicti ordinis degentium religionis merita debita considerationis acie revolvimus, pensantes, quantum illa studio piae vitae dietim in praefata pro-

(1) Vide supra n. 916, p. 447. (2) Reg. Lat. t. 428, f. 120 v.
(3) Reg. Lat. t. 429, f. 79; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 188.
(4) Nomina hodierna locorum sunt *Alemquier, Leiria, Setubal, Vizeu.*

vincia affert in Dei ecclesia fructum, ducimur non immerito, ut ea fratribus praedictis favorabiliter concedamus, per quae dicta religio propagari ac ipsi fratres huiusmodi studio sibi et aliis ad animarum salutem proficere valeant pariter et prodesse. Attendentes igitur, quod praefati fratres, mundanis spretis illecebris cum additione voluntariae paupertatis iuxta salubria eiusdem ordinis instituta in illius regulari observantia exemplariter viventes, variis et diversis hactenus multiplicarunt, prout in dies multiplicant, virtutum merita sub charitatis et eiusdem observantiae unione virtutum Domino iugiter famulando ad divini nominis laudem ac singulare et praecipuum salutis plurimorum exemplum, praedictis ac omnibus aliis fratribus in praefatis domibus, locis seu eremitoriis dicti ordinis in praefata provincia consistentibus sub observantia huiusmodi pro tempore degentibus, ut ipsi eo ferventius divinis beneplacitis se coaptent, quo per Nos et Sedem Apostolicam specialibus favoribus et gratiis se munitos fore perspexerint, eorum in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus, quod ipsi annis singulis in locis et terminis ad id per ultramontanum vicarium generalem primo, et successive per eorum provincialem pro tempore exsistentem vicarium statuendis et ordinandis se capitulariter congregare et in huiusmodi capitulis, ad quae singuli guardiani vel singuli vicarii singularum domorum aut singulorum locorum vel eremitoriorum praedictorum cum singulis fratribus eorumdem, ad hoc per fratres domorum vel locorum seu eremitoriorum huiusmodi aut maiorem partem ipsorum electis, accedere teneantur, unum in eorum vicarium provincialem eligere, qui quidem sic in vicarium provincialem electus, dummodo concorditer ab ipsis vel maiori parte eorum electus fuerit, si minister provincialis dictae provinciae pro tempore exsistens electionem electi in vicarium huiusmodi infra triduum, postquam illa praesentata fuerit, confirmare neglexerit, vel si dicta provincia ministro caruerit, aut minister ipse excommunicationis sententia innodatus vel alio tam iuris quam facti impedimento detentus seu a praedicta provincia absens fuerit, eo ipso dicta auctoritate apostolica confirmatus sit et esse censeatur, et ipse in vicarium electus ac confirmatus pro tempore, quem nihilominus ac omnes et singulos fratres praedictos sub obedientia et iurisdictione generalis vicarii ultramontani ordinis et observantiae praedictorum pro tempore exsistentis persistere volumus atque decernimus, omnia et singula domos, loca et eremitoria praedicta ac in eis degentes fratres visitare, monere, corrigere, punire et etiam cum invocatione brachii saecularis, si opus fuerit, incarcerare et a carceribus relaxare necnon in eosdem fratres plenariam et omnimodam iurisdictionem et potestatem habere, quoscumque etiam Altissimo militaturos saeculum abnegantes, alias tamen ad id idoneos, ad professionem admittere eisque habitum regularem exhibere necnon illis, ad id tamen idoneis, ut ad omnes etiam sacros ordines per quemcumque catholicum antistitem gratiam et communicationem Sedis Apostolicae habentem rite et statutis a iure temporibus promoveri facere, de quibus sibi videbitur, et fratribus praedictis, quod ad Romanam curiam vel alia loca se transferre et inibi aliquamdiu morari libere et licite valeant, licentiam concedere, libros quoque usui fratrum, quos pro tempore decedere contigerit, usui aliorum fratrum, de quibus etiam sibi videbitur, distribuere, ac omnia alia et singula, quae provincialis minister de iure vel consuetudine potest facere, exsequi valeat, necnon fratres ipsi de eorum vicarii pro tempore exsistentis consilio et assensu in praedicta provincia quinque alias domos seu quinque alia loca, ... si sibi alias canonice concedantur, recipere et in ipsis, quas seu quae cum ecclesiis, campanilibus, campanis, coemeteriis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro aliquorum ex ipsis usu et habitatione perpetuis de novo reparari et aedificari facere valeant, per aliquos ex ipsis perpetuo inhabitare libere et licite possint, volentes et decernentes, quod fratres in quinque domibus sive locis recipiendis praedictis pro tempore degentes omnibus et singulis exemptionibus, privilegiis ... uti et gaudere valeant. Non obstantibus *etc.*, praesentibus, quoad praedicti fratres sub regulari observantia huiusmodi vixerint, dumtaxat et non alias valituris. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, VIII idus augusti, ... anno XVI.

1012. Nicolao, electo Balneoregien., O. F. M., circa litteras suae provisionis concedit perinde valere, ac si in illis de privatione Conradi de Matelica, O. F. M., de dicta ecclesia Balneoregien. mentio facta esset (1).

1446, augusti 6, Romae.

Dilecto filio Nicolao, electo Balneoregen.

Ad ea ex apostolicae servitutis *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Benedicto, episcopo Balneo-

(1) Reg. Lat. t. 428, f. 232v.

regen. *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Benedicti, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, Nos eidem ecclesiae sic vacanti de persona dilecti filii Conradi de Matelica, ordinis fratrum Minorum professoris, ... duximus auctoritate apostolica providendum et deinde litteris apostolicis super huiusmodi provisione non confectis ex certis causis praefatae ecclesiae tunc, ut praefertur, vacanti, de persona tua ... providimus teque, etiam ordinem ipsum expresse professum, eidem ecclesiae praefecimus in episcopum et pastorem, prout in Nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, antequam provisio et praefectio de persona tua huiusmodi per Nos fierent, dilectus filius Ludovicus de Garsiis de Bononia, decretorum doctor, curiae causarum camerae apostolicae auditoris locumtenens, per suam definitivam sententiam, quae nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, eumdem Conradum, tunc electum Balneoregen., propter hoc ad sui praesentiam legitime evocatum, suis culpis et demeritis exigentibus vigore commissionis per Nos desuper sibi factae omni iure sibi in praefata ecclesia sive ad eam quomodolibet competenti privaverat et amoverat realiter ab eadem, de quo in praefatis litteris pro te emanatis nulla prorsus mentio facta fuit, Nos igitur personam tuam, cui de religionis zelo ... apud Nos fide digna testimonia perhibentur, gratioso favore prosequi intendentes ac tuo et ipsius ecclesiae statui providere volentes, tuis in hac parte petitionibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod provisio et praefectio de persona tua factae et litterae desuper confectae huiusmodi perinde valeant plenamque roboris firmitatem obtineant, ac si in eis de privatione ipsa plena et expressa mentio facta fuisset, etiamsi dicta ecclesia per privationem huiusmodi vel alias quovis modo vacaverit seu ad praesens vacet ac propterea dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservata fuerit seu exsistat, et nihilominus ea, quae circa regimen et administrationem praedicta per te alias rite gesta sunt, ratificamus et approbamus. Non obstantibus praemissis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, VIII idus augusti, ... anno XVI.

1013. Mandat, ut confirmet statutum Dominici, tit. S. Crucis in Hierusalem presbyteri cardinalis, de 20 salmis frumenti quotannis monasterio S. Claudii Fulginaten., O. S. Cl., dandis ratione nonnullorum molendinorum (1).

1446, augusti 6, Romae.

Venerabili fratri Galeatio, episcopo Mantuano, civitatis Nostrae Perusin. pro Nobis et Romana ecclesia gubernatori.

Apostolicae Nobis desuper iniunctae *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Claudii Fulginat., ordinis S. Clarae, petitio continebat, quod, licet olim nonnulla molendina, molendina S. Claudii nuncupata, et in catasta molendinorum loci S. Iohannis ab Aqua sita ac ad eas vigore cuiusdam legati legitime spectantia, per vicarios seu dominos temporales civitatis Fulginat. pro tempore exsistentes tyrannice occupata fuissent, postquam tamen molendina ipsa cessante tyrannide huiusmodi ad cameram apostolicam devenerunt, dilectus filius Noster Dominicus, tit. S. Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis, tunc in partibus illis Apostolicae Sedis legatus, volens indemnitati abbatissae et conventus praedictarum providere, iuxta relationem dilecti filii Andreae de Fano, tunc in civitate Perusin. et provincia ducatus Spoletan. dictae camerae thesaurarii, cui, ut de praemissis plenam reciperet informationem, commiserat, sibi factam matura etiam super hoc deliberatione praehabita abbatissae et conventui praefatis viginti salmas frumenti ad mensuram dictae civitatis, quod ex dictis molendinis praefatae camerae nomine percipitur, annis singulis in earum subsidium perpetuis futuris temporibus dari et assignari statuit et decrevit ac mandavit thesaurario dictae camerae in eisdem civitatibus, provincia et locis pro tempore exsistenti, ut frumentum huiusmodi singulis mensibus abbatissae et conventui praefatis pro rata quantitatis dictarum salmarum perpetuo tradere et assignare deberet, prout in litteris authenticis praefati cardinalis eius sigillo munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte abbatissae et conventus earumdem Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, ... statutum et decretum et litteras praedicta eadem auctoritate approbes et confirmes, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, VIII idus augusti, ... anno XVI.

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 91 v.

1014. Lupo Roderici de Turribus, canonico Corduben., in Romana curia residenti, mandat, ut Elviram Sancii de Aquilar (Aguilar), monialem monasterii S. Clarae Salamantin., O. S. Cl., quae in duodecimo aetatis suae anno monasterium S. Mariae dominarum Salamantin., sub cura fratrum ordinis Praedicatorum exsistens, ingressa et post aliquot dies suae germanae sororis, monialis O. S. Cl., suasionibus inducta, ad monasterium S. Clarae transgressa ibique professa erat, postmodum vero cum eadem sua sorore monasterium reliquerat et ad curiam Romanam se contulerat, absolvat a censuris eique facultatem concedat transeundi ad praefatum monasterium S. Mariae (1).

1446, augusti 13, Romae.

Solet Apostolicae Sedis clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, idibus augusti, ... anno XVI.

1015. Concedit facultatem fundandi monasterium O. S. Cl. in villa de Corbeya, Ambianen. dioec. (Corbie, Amiens) (2).

1446, augusti 22, Romae.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Isabellae, ducissae Burgundiae.

Exigunt personae tuae multiplicum dona virtutum *etc.* Cum itaque ... tu, quae de clara regum Portugalliae prosapia originem traxisti necnon Burgundiae, Lotharingiae, Brabantiae et Limburgiae ducissa ac Flandriae, Arthesiae, Burgundiae, Hannoniae, Hollandiae, Zelandiae et Namurci comitissa exsistis, ad ordinem S. Clarae singularem geris devotionis affectum, ... aliquod in villa de Corbeya, Ambianen. dioec., monasterium cum ecclesia, campanili, ... officinis pro usu et habitatione nonnullarum dicti ordinis monialium, quarum una abbatissa sit, ... aedificari facere propensius peroptes, ... pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi monasterium huiusmodi cum ecclesia ... supradictis pro usu et habitatione praemissis ... construendi et erigendi, ... ipsisque abbatissae et monialibus monasterium praedictum acceptandi et habitandi cuiusvis licentia super hoc minime requisita licentiam ... elargimur. Et insuper abbatissae et monialibus in supradicto construendo monasterio pro tempore degentibus, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Et nihilominus venerabili fratri episcopo Solubrien. et dilectis filiis abbati monasterii Averbodien. et decano ecclesiae S. Petri Lovanien., Leodien. dioec., ... mandamus, quatenus ipsi ... praemissa omnia et singula, ubi, quando et quoties eis expedire videbitur, ac pro parte dictae ducissae fuerint super hoc requisiti, eadem auctoritate sollemniter publicantes ac debite exsequentes ipsique ducissae efficacis defensionis praesidio assistentes, ipsam vel procuratorem suum eius nomine in corporalem, realem et actualem possessionem loci ... inducant eadem auctoritate et defendant inductos amotis exinde quibuslibet illicitis detentoribus nec permittant eamdem ducissam vel dictum procuratorem pro ea necnon artifices et operarios ac quoscumque alios pro praemissorum constructione et erectione quomodolibet pro tempore deputatos institutasque etiam pro tempore abbatissam et moniales in monasterio, ecclesia, domo et aliis praedictis erigendis eorumque circumstantiis per dilectos filios abbatem et conventum monasterii de Corbeya, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, dictae Ambianen. dioec., seu quoscumque alios, etiamsi regalis et imperialis vel alterius cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis exsistant, indebite gravari aut molestari seu eis iniurias, molestias et iacturas irrogari, praeterea legitimis per eos et quemlibet eorum super his habendis servatis processibus eos, quoties expedierit, aggravare procurent, contradictores *etc.*, invocato *etc.* Ut autem quorumlibet, si qua, quod absit, in praemissis fiat oppositio, digne, ut congruit, plectatur rebellio, volumus, quod omnes et singuli cuiuscumque etiam dignitatis, gradus, ... qui Nostris huiusmodi litteris ac in eis contentis contumaciter parere recusaverint necnon eisdem ducissae vel eius procuratori aut artificibus et operariis pro praemissorum erectione, constructione et complemento pro tempore, ut praefertur, deputatis ... impedimenta seu perturbationes irrogare praesumpserint, canonica monitione praemissa sententiam excommunicationis ipso facto incurrant, a qua ab alio quam Romano pontifice aut de eius speciali licentia, praeterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium nequeant obtinere. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XI kal. septembris, ... anno XVI.

1016. Petro, episcopo Albanen., O. F. M., commendat abbatiam saecularis et collegiatae ecclesiae S. Loberii de S. Loberio, Aduren. dioec. (Aire in Aquitania) (3).

1446, augusti 25, Romae.

Dum exquisitam tuae circumspectionis industriam *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, VIII kal. septembris, ... anno XVI.

Simili modo eodem die de hac re scribit *Epi-*

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 311 v. (2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 189 « ex arch. secr. l. 5 bull. f. 334 ». Cf. supra n. 940, p. 460. (3) Reg. Lat. t. 431, f. 228 v. Cf. supra n. 508, p. 246.

scopo Gerunden. et officialibus Avinionen. et Tarinen.

1017. Domum S. Catharinae, oppidi S. Petri de Galalatina, Hydruntin. dioec., O. F. M. de observantia, subiicit vicario provinciae Apuliae et ab ea segregat hospitale antea cum dicta domo coniunctum (1).

1446, augusti 31, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto Nobis licet immeritis *etc.* Sane, cum bonae mem. Raymundus de Orsinis, princeps Tarentinus, ... in S. Petri de Galatina, oppido Hydruntin. dioec., quamdam ecclesiam sub vocabulo S. Catharinae cum claustro, dormitoriis, hortis et aliis officinis ad instar domus conventualis ac unum illi congruum (2) hospitale ad usum pauperum accommodatum de bonis sibi a Deo collatis pulchro et sumptuoso opere fundari, construi et erigi fecerit et etiam utrumque competenter dotaverit et deinde ecclesiam et hospitale praedicta eorumque pro tempore rectores, personas et bona praesentia et futura ab omni ordinaria iurisdictione eximi ac Sedi Apostolicae immediate supponi et illorum ius patronatus sibi ac successoribus suis perpetuo reservari obtinuerit, postea ecclesiam praefatam fratribus ordinis Minorum provinciae Bosnae dictis per quosdam ex eis iuxta morem dicti ordinis regenda et gubernanda concessit, qui quidem fratres provinciae Bosnae dictam ecclesiam et locum cum multis interim eis et eidem ecclesiae ac hospitali pia fidelium largitione relictis spoliis per quinquaginta annos et ultra contra eorum regulam incaute et indebite tenuerunt, partem bonorum eorumdem et dicti hospitalis, de consensu tantum rectoris eiusdem, in suos usus interim convertendo, et nuper domus S. Catharinae praedictae ac illius guardianus et fratres ad obedientiam vicarii generalis fratrum de observantia nuncupatorum provinciae cismontanae ordinis praedicti etiam de voluntate fratrum dictae provinciae Bosnae reducti fuerint, ad propriam eorum provinciam Apuliae, ac sub illa perpetuo remanere nec de praedictis olim fratribus Bosnae et bonis dictae domui relictis neque de illis ac aliis de cetero nisi in eleemosynam secundum formam regulae et declarationis summorum pontificum, praesertim bonae mem. Clementis V et Nicolai III, praedecessorum Nostrorum, concedendis bonis aliquid habere intendant, quinimo ipsis ecclesiae praefatae concessis et relictis olim de bonis ex nunc reddant, ac alias dilectus filius nobilis vir Iohannes Antonius de Ursinis, princeps Tarentinus, praefati olim Raymundi natus et haeres, sub cuius temporali dominio locus ipse consistit, ex zelo charitatis et devotionis ardore plurimum desideret, quod in praedicto hospitali bona hospitalitas perpetuo servetur, quodque relicta praedicta et alia ex nunc in antea ibi relinquenda bona ad usum et utilitatem praefati hospitalis et pauperum ad illud pro tempore confluentium necnon fratrum praedictorum, quia rector et procurator hospitalis praefati eisdem prout aliis Christi pauperibus subveniendum esse iudicarent, absque dolo et fraude convertantur et exponantur, Nos, praedicti principis Tarentini supplicationibus inclinati, ecclesiam praedictam S. Catharinae cum structuris et officinis propriis necnon coemeteriis, campanilibus, campanis, iocalibus, libris calicibusque et rebus ad perpetuum divinum cultum deputatis, et quae praesentialiter fratres pro eorum habitatione et cultu praedictis tenent, ab hospitali, et bona praedicta relicta omnia et singula ab ecclesia et domo praefatis tenore praesentium auctoritate apostolica segregamus ac perpetuo dimembramus eademque sic dimembrata bona hospitali praedicto libere ac perpetuo concedimus ac pariter ecclesiam cum eiús domibus et aedificiis, rebus et bonis huiusmodi ad perpetuos usus et habitationem et divinum cultum ipsorum fratrum ordinis Minorum de observantia nuncupatorum absque alia obligatione concedentes volentesque, quod ecclesia, domus et locus praedicti omnibus et singulis aliis privilegiis, libertatibus, indultis et gratiis apostolicis, illis praesertim, quibus aliae ecclesiae, domus et loca Italiae dicti ordinis necnon illorum pro tempore guardiani et fratres utuntur et gaudent, uti et gaudere possint et valeant in futuro; insuper praefato Iohanni Antonio principi et eius haeredibus et successoribus de consilio dumtaxat et non aliter guardiani et fratrum in dictis ecclesia et loco et domo S. Catharinae pro tempore exsistentium, quatenus videbitur expedire, ut rectorem pro tempore exsistentem praefati hospitalis ab illius gubernatione et administratione realiter amovere et unum vel duos probos et fideles viros ad nutum patroni seu patronorum ac rectoris pro tempore dicti hospitalis revocabilis, qui dicti hospitalis procuratores nuncupantur et omnia illius pro tempore bona ac fructus iuxta ordinationem principis infra annum a data praesen-

(1) Primaldus Coco, O. F. M., *I Francescani nel Salento*, Lecce 1921, p. 279. De domo S. Catharinae cf. supra n. 914, p. 446. (2) Fortasse *contiguum*.

tium computandum desuper faciendam gubernare et administare necnon de perceptis et administratis, habitis et expensis singulis annis patrono vel patronis ac rectori pro tempore praedicto rationem, bonum et fidelem computum reddere teneantur, eligere atque etiam ex causa evidenti dicti hospitalis partem permutare pro aliis bonis et partem vendere, ita quod pretium pro tempore venditorum in emptionem bonorum aliorum stabilium pro dicto hospitali convertatur, patrono quoque seu patronis pro tempore huiusmodi admittere alium inibi vel alios deputare, et quod quilibet ad regimen dicti hospitalis patronus seu patroni huiusmodi pro tempore nominatus seu nominati et deputatus seu deputati vigore sive nominationis vel deputationis huiusmodi absque alia institutione seu confirmatione apostolica dictum hospitale regere et gubernare licite libere possint et valeant, facultatem atque potestatem auctoritate praedicta plenariam concedentes, constitutionibus *etc.* non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie kalendas septembris, ... anno XVI.

1018. Mandat, ut confirment institutionem Guillelmi Iragillich in ministrum provinciae Hiberniae O. F. M. (1).

1446, septembris 10, Romae.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Tuamen. et Clonferten. ac Cluanen. episcopis.

Ad apostolicae dignitatis apicem superna dispositione vocati, in decorem sacrae religionis, sub qua dilecti filii fratres ordinis Minorum devotum et sedulum exhibent Domino famulatum, ingenti mentis exsultatione reficimur prospicientes, quod ipsi per bonorum exercitium operum et praeclara sanctitatis merita ceteros ad divinae maiestatis obsequium trahunt per exempla, et propterea dictos fratres apostolicis favoribus libenter prosequimur ac specialibus praerogativis per amplius stabilimus. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Guillelmi Iragillich, ordinis fratrum Minorum et in theologia professoris, petitio continebat, quod, licet in provincia Hiberniae secundum morem eiusdem ordinis pro fratribus domorum et conventuum ibidem, inter quos Anglicanae et Hibernicae nationum sunt, unicus pro tempore minister esse consueverit, ipseque Guillelmus in ministrum dictae provinciae per dilectum Antonium de Rusconibus de Comis (2), generalem dicti ordinis ministrum, deputatus et institutus fuerit, quia tamen aliqui fratrum nationis Anglicanae huiusmodi statuto regio desuperque Romani pontificis et Apostolicae Sedis legati confirmatione etiam sub excommunicationis poena caveri praetendunt, quod ipsi nullatenus alicui, qui de dicta natione Hibernica fuerit, tamquam eorum ministro debeant obedire, praedictus Guillelmus dissensionum propterea materias ibidem succedere pertimescit, pro parte generalis et Guillelmi praedictorum, asserentium, quod multo plures et valentiores inibi Hibernicae quam Anglicanae nationum huiusmodi fratres exsistunt, quodque charissimus in Christo filius Noster Henricus, rex Angliae illustris, in hoc, quod idem Guillelmus in provincia praedicta minister sit, expresse consensum exhibuit, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum super praemissis auctoritate Nostra vos diligenter informetis et, si ita esse inveneritis, deputationem et institutionem huiusmodi ... confirmetis et approbetis, quodque fratres etiam nationis Anglicanae huiusmodi in omnibus, quae ad officium ministri ibidem de iure vel consuetudine pertinent, eidem Guillelmo tamquam suo ministro, quamdiu in officio praedicto fuerit, parere et obedire teneantur, ... decernatis ac ipsos ad id per censuras ecclesiasticas ... compellatis. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, IV idus septembris, ... anno XVI.

1019. Mariae et Aldoncae ac Iohannae, monialibus monasterii S. Clarae de Astudillo, Palentin. dioec., O. S. Cl., concedit licentiam deponendi velum capitis in praesentia medicorum (3).

1446, septembris 12, Romae.

Dilectis in Christo filiabus Mariae et Aldoncae natis, ac Iohannae nepti quondam Petri Manricii (4), olim regni Legionis praesidis, monialibus monasterii S. Clarae de Astudillo, ordinis eiusdem sanctae, Palentin. dioec.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, tu, filia Maria, quadam gravi detinearis infirmitate, ac tu, necnon vos, filiae Aldonca et Iohanna, propter rheuma descendens de capitibus vestris in illis et aliis vestrorum corporum partibus plerumque patiamini, Nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati,

(1) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 190 « e l. 1 de regular. etc. a. XVI, f. 106 ».

(2) Scilicet Novocomo, Como.

(3) Reg. Lat. tom. 429, fol. 99. De Aldonca cf. supra n. 176, p. 89; de monasterio de Astudillo ibid. et n. 801, p. 379.

(4) Manrique.

ut quotiens medicos monasteria sive loca, in quibus pro tempore moram traxeritis ad curandum vos ingredi contigerit, quaelibet vestrum in ipsorum medicorum et cum illis ingredientium praesentia, quotiens opus fuerit, velum sive pannum, quo ad cooperiendum facies vestras secundum regularia instituta ordinis S. Clarae, quem expresse professae exsistitis, uti soletis, de huiusmodi vestris faciebus deponere libere et licite possitis, vobis et cuilibet vestrum auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie idus septembris, ... anno XVI.

1020. Concedit facultatem fundandi monasterium B. Mariae Virginis de la Esperanza in palatio loci de Amusco, O. S. Cl., sublata obligatione ex testamento fundandi monasterium monachorum O. S. Ben. in loco de Balbanera, Calagurritan. dioec. ([1]).

1446, septembris 12, Romae.

Venerabili fratri episcopo Palentin.

Inter curas multiplices *etc.* Sane pro parte nobilis viri Didaci Manricii, domicelli et praesidis regni Legionis, ac dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Leonoris, quondam Petri Manricii ([2]), dicti regni etiam praesidis, uxoris, domicellae Palentin. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet dictus Petrus in eius ultima voluntate disposuerit et ordinaverit, quod ipse Didacus, suus primogenitus, quem testamenti sui exsecutorem deputaverat, in loco de Balbanera, Calagurritan. dioec., de bonis eidem Petro a Deo collatis aliquod, in quo quindecim monachi sub regula S. Benedicti et quinque alii, qui illis servirent, pro tempore commorari et Altissimo famulari deberent, monasterium construeret, ... necnon praedictae Leonori, ut ipsis monachis et servientibus, postquam ei constaret, quod in observantia regulari viverent, et cum quinquaginta millibus morabitinorum monetae illarum partium, quos ipse Petrus in loco S. Dominici de la Calçada, dictae dioec., percipiebat et habebat, viginti millia pro sustentatione eorumdem singulis annis traderet et assignaret, nihilominus Didacus propter guerras ... monasterium in loco de Balbanera huiusmodi minime construi et erigi fecit, nec Leonor praedicta viginti millia morabitinorum huiusmodi monachis et servientibus praedictis ex certis aliis tunc expressis causis tradidit vel assignavit; quodque ipsa Leonor, considerans, quod duabus eius filiabus et cuidam suae nepti, tunc monialibus monasterii monialium S. Clarae, loci de Astudillo, dictae dioec., causantibus guerris ... non modicum foret periculosum in huiusmodi monasterio de Astudillo permanere, super hoc a Nobis primo et deinde a conservatoribus ipsius monasterii de Astudillo licentia obtenta filias et neptem huiusmodi de dicto monasterio de Astudillo ad locum de Amusco ([3]), eiusdem dioec., in palatio suae habitationis recepit, et subsequenter, cum una ex filiabus praedictis adeo foret infirmitate praeventa, quod de loco de Amusco huiusmodi absque personali periculo se transferre non poterat, et propterea altera filiarum earumdem illam dimittere nollet, ipsa Leonor exinde mota et habita etiam desuper ab ordinario loci licentia speciali in loco de Amusco et palatio huiusmodi unum sub vocabulo B. Mariae Virginis de la Esperanza sub regulari observantia ordinis S. Clarae huiusmodi monasterium de bonis sibi a Deo collatis pro una abbatissa et viginti vel pluribus numero monialibus ibidem sub praemissa observantia perpetuo Domino famulaturis construi et aedificari facere incepit, quod quidem monasterium Didacus et Leonor praedicti, etiam per hoc dispositioni et ordinationi Petri huiusmodi satisfacere satagentes, summopere perficere disponunt *etc.* Quare pro parte dictorum Didaci et Leonoris Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... mandamus, quatenus, si et postquam de praemissis tibi legitime constiterit, necnon summa viginti millium morabitinorum pro usu et sustentatione abbatissae et monialium earumdem ac alia pro praemissa sustentatione competens assignata fuerit, eisdem Didaco et Leonori monasterium in palatio ac sub vocabulo beatae Mariae Virginis de la Esperanza huiusmodi loco construendi monasterii in loco de Balbanera huiusmodi perficiendi ac pro abbatissa et viginti vel pluribus monialibus praedictis dotandi licentiam auctoritate Nostra largiaris. Nos enim ... monasterium illiusque abbatissam, ... moniales ac alias eius personas visitationi et correctioni dilecti filii Sancii de Canales, fratris ordinis Minorum, sub cuius obedientia, visitatione et correctione S. Clarae loci de Oterdesillas, dictae dioec., ac alia dicti ordinis S. Clarae monasteria exsistunt, auctoritate apostolica subiicimus *etc.* Et insuper abbatissae, monialibus et personis in dicto monasterio de la Esperanza etiam pro tempore commorantibus, ut, quamdiu in regulari dicti ordinis S. Clarae observantia vixerint, omnibus et singulis privi-

([1]) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 191 « e l. 3 de div. form. a. XVI, f. 135 ».

([2]) Cf. n. praec.

([3]) Wadd. *Famusco.*

legiis *etc.* Volumus autem, quod dicta Leonor pro usu et habitatione suis ac eius familiae partem palatii praedicti eam contingentem, quoad vixerit, retinere libere et licite valeat, praedicta parte post eius decessum ad praedictum monasterium de la Esperanza cum omnibus iuribus et pertinentiis suis omnino perventura. Praeterea omnibus et singulis, cuiuscumque status, nobilitatis vel conditionis fuerint, sub excommunicationis poena, quam eos alias eo ipso incurrere volumus, strictius inhibemus, ne se de praedicta parte post obitum eiusdem Leonoris quomodolibet intromittere, aut quominus monasterium de la Esperanza ac illius abbatissa et moniales ipsius partis ac iurium et pertinentiarum huiusmodi pacifica possessione gaudere valeant, impedire audeant *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie idus septembris, ... anno XVI.

1021. Sororibus III. O. S. Fr. civitatis Parmen. in congregatione viventibus concedit, ut litterae apostolicae eis datae perinde valeant, ac si in illis, quod iuxta formam sororum de Fulgineo vivere debeant, non sit expressum (1).

1446, septembris 15, Romae.

Dilectis in Christo filiabus universis sororibus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupatis in civitate Parmen. commorantibus.

Devotarum Nobis et Apostolicae Sedi *etc.* Dudum siquidem pro parte vestra Nobis exposito, quod olim quondam Gaspar de Castagneto, civis Parmen., ... condens in eius voluntate ultima testamentum, inter alia quoddam hospitium, de « la Campagna » nuncupatum, et alias, in quibus ipse Gaspar, dum viveret, habitare consuevit, ac omnes et singulas alias domos, infra limites parochiae parochialis ecclesiae S. Prosperi, Parmen., consistentes et ad eumdem Gasparem legitime pertinentes, cum hortis, curtis ac omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis sororibus vestri ordinis in civitate Parmen. commorantibus et sub ipsius ordinis regulari observantia viventibus, praesentibus et futuris, pro vestris ipsarumque sororum usu et habitatione sub certis modo et forma reliquerat et legaverat, prout in instrumento publico superinde confecto dicebatur plenius contineri, et vos, quae legati huiusmodi vigore praedictarum domorum possessionem fueratis assecutae, insimul sub regula eiusdem ordinis iuxta modum et formam ac institutiones et ordinationes dilectarum in Christo filiarum sororum dicti ordinis, dominarum de Fulgineo nuncupatarum, in Nostra Fulginaten. et Florentin. civitatibus insimul viventium, Altissimo famulari ferventius desideraretis, ac pro parte vestra Nobis humiliter supplicato, ut vobis in domibus praedictis unam domum sub vocabulo S. Mariae Gratiarum cum ecclesia, campana et pro vestris cadaveribus dumtaxat sepeliendis coemeterio, hortis, ... officinis pro vestris usu et habitatione perpetuis fundandi et construendi ac in illa ... iuxta modum, formam, institutiones et ordinationes praedictas Altissimo famulandi licentiam elargiri, quodque vos et domus ac ecclesia ... omnibus et singulis immunitatibus, ... sororibus de Fulgineo nuncupatis praefatis in specie seu in genere concessis, uti et gaudere possetis, vobis ac sororibus in ipsa fundanda et construenda domo pro tempore commorantibus, praesentibus et futuris, concedere de benignitate apostolica dignaremur, Nos vobis domum ipsam cum ecclesia ... et officinis praedictis in praefatis vobis relictis et legatis domibus, dioecesani loci ... licentia minime requisita fundandi et construendi licentiam per alias Nostras litteras elargiti fuimus et voluimus, quod vos ac in fundanda et construenda domo huiusmodi pro tempore commorantes sorores praedictae iuxta modum et formam, institutiones et ordinationes antedictas et in illa vivere perpetuo teneremini, quodque omnibus et singulis immunitatibus ... in omnibus ... uti possetis pariter et gaudere, prout in eisdem litteris plenius continetur (2). Postmodum vero, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos, quae earumdem litterarum vigore praedictam domum ingressae, ecclesiam cum campanili, ... officinis construxistis, cum aliquas ex sororibus de Fulgineo nuncupatis praedictis, quae vos in observantia eiusdem ordinis ac modo et forma, institutionibus et ordinationibus antedictis instruerent et informarent, habere nequivissetis, quasdam ex sororibus dicti ordinis in civitate Placentin. commorantibus et sub observantia huiusmodi viventibus de licentia et beneplacito dilecti filii Iohannis de Capistrano, ordinis fratrum Minorum professoris et in partibus citramontanis fratrum dicti ordinis de observantia nuncupatorum tunc vicarii generalis, recepistis. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, vos pro eo, quod sorores in Placentin. commorantes praedictae, iuxta quarum modum, institutiones et ordina-

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 167; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 192.

(2) Vide supra n. 632, p. 299.

tiones vivitis, in aliquibus a modo, forma, institutionibus et ordinationibus sororum de Fulgineo nuncupatarum praedictarum discrepare noscuntur, et, licet non minus virtuose quam illae vivant, dubitetis litteras praedictas ac quaecumque inde secuta viribus non subsistere, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... apostolica vobis auctoritate concedimus, quod litterae praedictae et inde secuta praedicta a data praesentium valeant plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus et per omnia perinde, ac si in eisdem litteris, quod iuxta modum et formam, institutiones et ordinationes sororum de Fulgineo antedictas vivere teneremini, nullatenus appositum fuisset. Et insuper vobis, ... quod omnibus et singulis privilegiis ... gaudere valeatis, ... concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XVII kal. octobris, ... anno XVI.

1022. Concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in oppido vel villa, Bisuntin. aut Lausanen. dioec. (1).

1446, septembris 19, Romae.

Dilecto filio Ludovico de Cabilone, principi Aurayce (2).

Sincerae devotionis affectus *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu ob singularem, quem ad ordinem fratrum Minorum de observantia nuncupatorum geris devotionis affectum, de bonis tibi a Deo concessis pro tuae tuorumque progenitorum animarum salute unam domum cum ecclesia, campanili, campana, claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione perpetuis quorumdam religiosorum ordinis fratrum Minorum sub illius regulari observantia pro tempore degentium in certo loco ad id accommodo et honesto alicuius ex oppidis seu villis, in Bisuntin. aut Lausanen. dioecesibus consistentibus, tuo temporali dominio subiectis, ad hoc per te eligendo, ad honorem ac sub nomine et vocabulo beatae Mariae Virginis, Dei genitricis, ac S. Francisci fundare ... desideres atque proponas, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi domum cum ecclesia, campanili ... pro usu et habitatione perpetuis quorumdam fratrum ordinis et observantiae huiusmodi iuxta desiderium praedictum fundandi ... necnon eisdem fratribus domum praefatam recipiendi et in ea perpetuo commorandi plenam et liberam licentiam necnon etiam domui praedictae ac guardiano et fratribus ordinis et observantiae eorumdem in illa pro tempore degentibus, ut ... omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere valeant, auctoritate apostolica concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XIII kal. octobris, ... anno XVI.

1023. Mandat, ut moniales O. S. Cl. defendant in usu exemptionis ab exactionibus olim concessae (3).

1446, septembris 27, Romae.

Venerabilibus fratribus Palentin., Calagurritan. et Corduben. episcopis.

Dudum siquidem in favorem dilectarum in Christo filiarum abbatissarum et conventuum universorum monasteriorum S. Damiani et Minorissarum ac S. Clarae, ordinis eiusdem sanctae, sub generalis ministri aliorumque officialium ordinis fratrum Minorum ubilibet constitutarum, litteras Nostras concessimus tenoris subsequentis:

Eugenius episcopus, servus servorum Dei Ad perpetuam rei memoriam.

Licet Romanus pontifex *etc.* [*ut supra n. 438, p. 205*].

Datum Florentiae, anno ... 1439, idibus augusti, ... anno IX.

Cupientes itaque, ut huiusmodi Nostrae litterae ac omnia et singula in eis contenta perpetuo inviolabiliter observentur, fraternitati vestrae ... mandamus, quatenus vos, ... efficacis eisdem abbatissis et conventibus defensionis praesidio assistentes, non permittatis eas ipsarumque monasteria ac loca per legatos, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, nuntios, ordinarios et iudices praedictos seu alios quoscumque super huiusmodi suis iuribus, bonis et pertinentiis quibuscumque contra earumdem litterarum continentiam atque formam quomodolibet molestari, facientes abbatissas, conventus, moniales, monasteria et loca huiusmodi immunitate ... pacifice gaudere, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Seu si legatis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, V kal. octobris, ... anno XVI.

(1) Reg. Lat. t. 428, f. 204.
(2) Louis de Chalon, prince d'Orange.
(3) Reg. Lat. t. 429, f. 158; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 193.

1024. Domos O. F. M. in locis temporali dominio Petri Voyslan, voivodae Bosnae inferioris, subiectis exsistentes a superioritate vicarii Bosnae eximit easque episcopo Faren. (Pharen., Hvar in Dalmatia) gubernandas committit (1).

1446, octobris 15, Romae.

Dilecto filio nobili viro Petro Voyslan, voivodae partium inferiorum Bosnae.

Eximiae devotionis affectus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod, licet nonnulli praedecessores tui infra terras et loca eorum tunc et tuo nunc temporali dominio subiectas de bonis eis a Deo collatis quasdam domus cum ecclesiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione perpetuis plurium religiosorum ordinis fratrum Minorum construxerint, aedificaverint pariter et dotaverint, tuque etiam illas in earum structuris et officinis postmodum reparaveris et conservaveris necnon fratribus in eis tunc degentibus tam de necessariis ad cultum divinum quam alias de decimis ac aliis bonis tuis abunde administraveris, tamen fratres ipsi pro tantorum beneficiorum impensione tibi contumeliam reddiderint ac damna intulerint et in dies inferre non cessant, necnon etiam vicarius provinciae Bosnae iuxta morem dicti ordinis fratres tibi suspectos necnon statui tuo insidiantes ad habitandum in dictis domibus in non modicum ipsius tui status periculum ponere non veretur. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, domos praedictas a superioritate et subiectione vicarii provinciae praedictae auctoritate apostolica harum serie eximimus necnon venerabili fratri Nostro episcopo Faren. domos praedictas eosque pro tempore fratres regendi et gubernandi et super ipsis omnimodam gubernationem exercendi necnon, quotiens opus fuerit, visitandi ac dictorum fratrum excessus et delicta corrigendi ipsosque fratres, prout opportunum exstiterit, ad alia dicti ordinis loca transferendi et alios inibi denuo ponendi, contradictores ... compescendi aliaque desuper necessaria et opportuna faciendi et exsequendi alias iuxta canonicas sanctiones ac regularia praefati ordinis instituta plenam et liberam facultatem auctoritate praedicta per praesentes concedimus, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, idibus octobris, ... anno XVI.

1025. Fernando de Castroalbo, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (2).

1446, octobris 17 Romae.

Dilecto filio Fernando de Castroalbo, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui presbyter es, praemissorum meritorum tuorum intuitu necnon consideratione charissimi in Christo filii Alphonsi, Aragonum regis illustris, pro te dilecto suo Nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gratioso, praefati regis ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut quodcumque ecclesiasticum saeculare beneficium curatum, quoad vixeris, tibi commendari possit tuque ipsum in huiusmodi commendam recipere et retinere ac illius fructus, redditus et proventus percipere valeas, ... auctoritate apostolica concedimus per praesentes, proviso *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XVI kal. novembris, ... anno XVI.

1026. Priori generali ordinis fratrum S. Hieronymi sub regula S. Augustini degentium mandat, ut fratrem Fernandum de Torija, O. F. M., qui olim domum S. Blasii de Villaviciosa, O. S. Hieronymi, Toletan. dioec., ingressus ibique ultra 12 annos moratus, cum licentia sui superioris ad ordinem fratrum Minorum transierat, in domo S. Francisci de Guadalajara, O. F. M. et dioec. praedictae, professus et ad omnes sacros ordines promotus, postmodum vero ad ordinem S. Hieronymi redire desiderabat, a censuris et irregularitatibus absolvat eique facultatem concedat redeundi ad ordinem S. Hieronymi (3).

1446, octobris 26, Romae.

Sedis Apostolicae copiosa clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, VII kal. novembris, ... anno XVI.

1027. Mandat, ut monasterium monialium B. Mariae de Mari, Gerunden. dioec., O. S. Ben., concedant fratribus O. F. M. de observ. (4).

1446, octobris 27, Romae.

Venerabili fratri episcopo Gerunden. et dilectis filiis archidiacono ac sacristae ecclesiae Gerunden.

Piis fidelium votis *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectae in Christo filiae Beatricis de Pau, tunc monialis monasterii S. Danielis extra muros Gerunden., ordinis S. Benedicti, Nobis exposito, quod monasterium beatae Mariae de Mari, per priorissam gubernari solitum, dicti ordinis,

(1) Reg. Vat. t. 379, f. 28.
(2) Reg. Lat. t. 429, f. 176 v.
(3) Reg. Lat. t. 429, f. 35.
(4) Reg. Lat. t. 429, f. 131 v.

Gerunden. dioec., causante sterilitate possessionum eiusdem, ex quarum fructibus et redditibus ipsius monasterii moniales inibi pro tempore degentes vivere solebant, ac ex certis aliis causis tunc expressis ad tantam desolationem devenerat, quod monasterium ipsum a quindecim annis tunc citra conventu caruerat, prout carebat, Nos tunc de persona eiusdem Beatricis eidem monasterio, cuius fructus, redditus et proventus viginti librarum Barchinonen. secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asserebant, non excedebant, tunc certo modo vacanti per alias Nostras litteras providimus, praeficiendo eam illi in priorissam *etc.* prout in eisdem litteris plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Iohannis de Villarubia, vicarii, ac fratrum ordinis Minorum de observantia nuncupatorum in regno Aragoniae commorantium petitio continebat, praefatum monasterium a viginti annis citra conventu caruerit, prout caret etiam de praesenti, necnon in eius structuris et aedificiis admodum diruptum et collapsum exsistat et, nisi de opportuno remedio celeriter succurratur, ad maiorem ruinam et desolationem deveniat, verisimiliter formidetur, in eo quoque raro vel numquam divina officia celebrentur, et, sicut eadem petitio subiungebat, si praefata Beatrice ad aliud eiusdem ordinis monasterium translata necnon in eodem monasterio beatae Mariae priorissatus dignitate ac ordine S. Benedicti huiusmodi suppressis penitus et exstinctis monasterium ipsum beatae Mariae vicario et fratribus praedictis concederetur illudque in domum conventualem pro usu et habitatione perpetuis aliquorum fratrum dicti ordinis Minorum, qui inibi sub regulari observantia eiusdem ordinis Altissimo perpetuo famularentur, missas et alia divina officia celebrando ac verbum Dei populo annuntiando, erigeretur, ex hoc religionis propagatio et cultus huiusmodi cum animarum salute non mediocriter susciperet incrementum. Quare pro parte vicarii et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si vocatis Beatrice praefata necnon aliis, qui fuerint evocandi, vobis de praemissis legitime constiterit, eamdem Beatricem a regimine et administratione dicti monasterii beatae Mariae auctoritate Nostra realiter amoveatis seu sibi factam commendam ac litteras praedictas et quaecumque inde secuta cassetis, revocetis et annulletis nulliusque exsistere roboris vel momenti dicta auctoritate decernatis ipsamque Beatricem ad aliquod aliud eiusdem ordinis S. Benedicti monasterium, in quo voluntarias inveniretis receptrices, eadem auctoritate transferatis ac inibi in monialem et sororem recipi faciatis et sincera in Domino charitate tractari necnon sibi pro eius vitae sustentatione omnes et singulos fructus, redditus et proventus ex terris, possessionibus et bonis dicti monasterii S. Mariae provenientes per eam, quoad vixerit, levandos et percipiendos ac deductis oneribus in suos et dicti monasterii, ad quod forsitan translata fuerit, usus et utilitatem libere exponendos et convertendos reservare, constituere et assignare praefata auctoritate curetis. Subsequenter vero dignitate et ordine S. Benedicti huiusmodi per vos in eodem monasterio S. Mariae eadem auctoritate suppressis penitus et exstinctis monasterium ipsum cum omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis praefatis vicario et fratribus praesentibus et futuris dicta auctoritate concedatis pariter et assignetis eisque monasterium beatae Mariae praefatum recipiendi ac in domum conventualem dicti ordinis Minorum cum ecclesia, campanili, campana necnon claustro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum huiusmodi construendi, erigendi ... ac etiam iam forsan facta et constructa renovandi, mutandi et ampliandi ac in illa sub eadem observantia perpetuo commorandi et habitandi, dioecesani loci ... licentia super hoc minime requisita, iure tamen parochialis ecclesiae ... salvo, necnon praefata Beatrice reservatione, constitutione et assignatione fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi, si illas vigore praesentium feceritis, forsan cedente aut ipsa etiam decedente terras, possessiones et bona praedicta per aliquam personam seu aliquas personas fide et facultatibus idoneam aut idoneas ad id per eosdem fratres in dicta domo pro tempore degentes deputandam seu deputandas pro competenti pretio seu competentibus pretiis vendendi et alienandi ipsumque pretium seu ipsa pretia recipiendi ac in fabricam, constructionem et reparationem dictae domus necnon librorum et aliorum ornamentorum ecclesiasticorum emptionem seu alias in domus huiusmodi usus et utilitatem, prout eisdem fratribus melius expedire videbitur, integre et fideliter exponendi et convertendi plenam et liberam auctoritate praedicta licentiam largiamini et etiam facultatem. Nos enim universis et singulis fratribus, quos in dicta domo post illius fundationem et constructionem sub observantia huiusmodi pro tempore degere contigerit, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, VI kal. novembris, ... anno XVI.

1028. Mandat, ut Minichelum Georgii, laicum Narnien., cogat ad dimittendum bona locata et ad satisfaciendum pauperibus eremitis S. Mariae in Silva et S. Iohannis de Cesato, Narnien. dioec., congregationis Angeli Chiarini (Clareni) (1).

1446, novembris 9, Romae.

Venerabili fratri .. episcopo Narnien.

Iustis et honestis supplicum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universorum pauperum eremitarum S. Mariae in Silva et S. Iohannis de Cesato, tuae dioec., domorum de societate seu congregatione fratris Angeli Chiarini nuncupatorum, petitio continebat, quod olim quondam Paulus Iocii presbyter, de bonis sibi a Deo collatis condens in eius voluntate ultima testamentum, inter alia voluit et ordinavit, quod in certis tunc expressis domibus, ad ipsum legitime pertinentibus, quoddam hospitale sub vocabulo S. Crucis fundaretur et construeretur, ipsumque hospitale suum universalem haeredem in omnibus bonis suis, quae ad usum illorum ex dictis pauperibus eremitis, qui in praefato hospitali pro tempore degerent, cedere voluit, instituit ipsiusque hospitalis patrimonium inter alios rectores ecclesiae hospitalis S. Iacobi Narnien. pro tempore exsistentes, qui de consensu pauperum eremitarum praedictorum eiusdem hospitalis S. Crucis administratorem eligere deberent, sub certis modo et forma deputavit. Et deinde praefato testatore vita functo tunc rectores praefati hospitalis S. Iacobi de pauperum eremitarum praedictorum consensu omnia et singula bona antedicta domibus, in quibus dictum hospitale S. Crucis fundari et construi iuxta voluntatem et ordinationem praefatas debebat, dumtaxat exceptis dilecto filio Minichelo Georgii, laico Narnien., in arrendam seu locationem usque ad novem annos sub annua responsione triginta librarum monetae illarum partium rectori ecclesiae hospitalis S. Iacobi huiusmodi pro tempore exsistenti annis singulis persolvenda dederunt et concesserunt, ita tamen, quod, si dictus Minichelus in solvenda responsione huiusmodi negligens foret, liceret rectori pro tempore praedicto bona praefata ab eodem Minichelo auferre, prout in diversis instrumentis publicis superinde confectis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Minichelus responsionem antedictam per tres annos praeteritos recusaverit et ad praesens recuset solvere, super his locis et temporibus congruis requisitus, pro parte dictorum pauperum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si, postquam vocatis dicto Minichelo et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de praemissis vel, quod ipse Minichelus pacta et conventiones inter ipsum et pauperes eremitas habita praedicta non servaverit, legitime constiterit, ipsum Minichelum ad libere dimittendum et relaxandum dictis pauperibus eremitis omnia et singula bona sibi locata huiusmodi et ad satisfaciendum eis integre de responsione per eum trium annorum praedictorum debita per censuram ecclesiasticam vel alia iuris remedia appellatione postposita auctoritate Nostra cogas et compellas. Non obstantibus, si dicto Minichelo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, V idus novembris, ... anno XVI.

1029. Mandat, ut monasterium S. Iacobi Collis Lucis prope terram de Cingulo (Cingoli) segreget a monasterio monialium S. Catharinae, eiusdem terrae, O. Cist., atque concedat fratribus O. F. M. de observ. (2).

1446, novembris 12, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Primaditiis de Bononia, fratrum ordinis Minorum de observantia pro citramontanis vicario generali.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum terrae de Cingulo, Auximan. dioec., petitio continebat, quod ipsi, qui ad fratres ordinis Minorum de observantia propter eorum laudabilem et religiosam vitam singularem gerunt devotionis affectum, ... quamdam domum ordinis et observantiae eorumdem in dicta terra vel extra iuxta eam fore et consistere desiderabant, quodque prope ipsam terram quoddam monasterium S. Iacobi Collis Lucis, monasterio monialium S. Catharinae eiusdem terrae, Cistercien. ordinis, sub protectione Sedis Apostolicae dudum auctoritate apostolica unitum, esse dignoscitur, quod in suis structuris et aedificiis penitus collapsum et dirutum exsistit, et in quo aliquae moniales non habitant neque etiam secure et honeste praesertim guerrarum temporibus habitare possunt, et, si dictum monasterium S. Iacobi cum ecclesia et domibus infra illius septa dumtaxat consistentibus ac quadam petia terrae et silvae illi adiacentibus et ad ipsum monasterium S. Iacobi pertinenti-

(1) Reg. Lat. t. 428, f. 179 (alias 181). Edita est apud *Arch. Franc. Hist.*, VI, 1913, 735.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 194 « e l. 3 de div. form. a. XV, f. 8 ». Cf. supra n. 932, p. 455.

bus pro fundatione et constructione domus ad usum et habitationem nonnullorum fratrum ordinis et observantiae huiusmodi universitati et hominibus praedictis concederetur, ipsi universitas et homines dictum sic concessum monasterium in domum antedictam erigerent *etc.* Quare pro parte universitatis et hominum praedictorum, asserentium, quod dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus dicti monasterii S. Catharinae ad id accedit expressus consensus, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus per teipsum de praemissis eorumque circumstantiis universis auctoritate apostolica te diligenter informes ... et, dummodo abbatissae et conventus praedictarum ad id accedat assensus, ut praefertur, unionem, annexionem et incorporationem de monasterio S. Iacobi monasterio S. Catharinae factas quoad ecclesiam, domos infra septa consistentes, petiam terrae et silvam huiusmodi dumtaxat eadem auctoritate dissolvas, revoces, casses et annulles ac dictum monasterium S. Iacobi in illo ordine Cistercien. et dignitate abbatissali penitus suppressis et exstinctis cum ecclesia, domibus, petia terrae et silva praedictis ad erigendam et construendam domum huiusmodi cum ecclesia, campanili, ... officinis pro usu et habitatione praedictis ipsis universitati et hominibus necnon dilectis filiis Petro de S. Severino, professori, ac Iacobo, provinciali Marchiae Anconitanae, ordinis et observantiae praedictorum, iuxta morem ipsius ordinis vicario, *etc.* quam huiusmodi sic constructam domum pro aliquorum ex eisdem fratribus usu et habitatione perpetuis recipere ... possint, dicta auctoritate concedas, non obstantibus *etc.* iure *etc.* Nos enim *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie idus novembris, ... anno XVI.

1030. Prorogat ad triennium exemptionem monasterii B. Mariae de Basico, Messanen., O. S. Cl., a solutione quartae partis (1).

1446, novembris 16, Romae.

Dilectis in Christo filiabus Florae, abbatissae, et conventui monasterii beatae Mariae de Basico, Messanen., ordinis S. Clarae.

Sacrae religionis zelus, sub qua *etc.* Dudum siquidem pro parte vestra Nobis exposito, quod fructus, redditus et proventus vestri monasterii beatae Mariae de Basico, Messanen., ordinis S. Clarae, adeo tenues et exiles forent, quod ex eis tu, Flora abbatissa, et quae sub regulari ipsius ordinis observantia virtutum Domino famulantes quinquaginta vel circa numero fore noscebantur et in dies augmentabantur, eiusdem monasterii moniales sustentari et alias vobis pro tempore incumbentia onera supportare commode non poteratis, ac nonnumquam contingebat nonnullos christifideles, ipsius monasterii paupertatem considerantes necnon ad illud propter vestram honestatem et religiosam vitam singularem gerentes devotionis affectum, vobis et dicto monasterio aliqua de bonis suis in vita seu in morte relinquere vel legare et donare, ex quibus, si de illis archiepiscopo Messanen. pro tempore exsistenti vel rectoribus parochialium ecclesiarum seu quibusvis aliis personis quartam partem vel aliam quotam solvere non teneremini, vos in praemissis non modicum perciperetis sublevamen, Nos vobis per alias Nostras litteras, ut usque ad quinquennium à data ipsarum litterarum computandum de quibuscumque in vita vel in morte per quosvis christifideles vobis relictis, donatis, legatis seu alias quomodocumque vel quocumque titulo concessis, et quae donari, legari, relinqui seu concedi interim contingeret, quaecumque, quotcumque et qualiacumque forent, quartam vel aliam quotam seu partem, quocumque nomine conferentur, archiepiscopo, rectoribus seu quibusvis aliis personis praefatis solvere minime teneremini nec ad id invitae a quoquam quavis auctoritate compelli possetis, concessimus, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, personae in dicto monasterio dietim numero et meritis augmententur ac in illo conventu baronum et aliorum diversorum nobilium filiae et consanguineae exsistant necnon ad ipsum in dies transeant, ac dictum monasterium alia illarum partium monasteria religione et sanctitate praecellat et inter ea maiori veneratione habeatur, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut quinquennium praedictum in perpetuum vel ad aliquos alios annos extendere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, dictum quinquennium ab illius fine usque ad triennium auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia extendimus pariter et prorogamus. Volumus autem, quod quidquid vobis infra triennium huiusmodi donari, legari, relinqui seu concedi contigerit, in fabricam praedicti monasterii et non alias penitus et omnino convertantur, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XVI kal. decembris, ... anno XVI.

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 275. Cf. supra n. 850, p. 400.

1031. Mandat, ut conventionem inter Georgium de Teodino et guardianum ac fratres domus S. Iohannis Suessan., O. F. M., de haereditate Tofani Constantini, civis Suessan., cassent et voluntatem testatoris exsequantur (1).

1446, novembris 28, Romae.

Venerabili fratri episcopo Caiaccen. et dilecto filio venerabilis fratris Nostri archiepiscopi Capuan. in spiritualibus vicario generali.

Ad id, quod christifidelium ultimae voluntates *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum procuratorum domus S. Iohannis Suessan., ordinis fratrum Minorum, ac nonnullorum laicorum Suessanorum, consanguineorum et amicorum quondam Tofani Constantini, civis Suessan., petitio continebat, quod olim dictus Tofanus, de salute propria recogitans ac cupiens terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, de bonis sibi a Deo collatis condens in eius voluntate ultima testamentum, inter alia legavit, voluit et mandavit, quod, si quondam Iohannes Constantini, eius frater, civis Suessan., tunc in humanis agens, quem in praefatis bonis certis tunc ex eis per ipsum factis legatis exceptis suum universalem haeredem instituit, si absque haeredibus decederet, de bonis ipsis una capella seu ecclesia sub vocabulo S. Christophori, ac cuius ius patronatus nonnullis tunc per eum expressis, quos testamenti sui huiusmodi exsecutores reliquit, reservavit, intus quemdam hortum, tunc expressum, ad eum legitime pertinentem, fundaretur et dotaretur, quodque, si dicti exsecutores ecclesiam seu cappellam huiusmodi fundare et dotare negligerent, tunc unam capellam in ecclesia huiusmodi fundare et dotare deberent. Postmodum vero dilectus filius Georgius de Teodino, qui tantum ex exsecutoribus praedictis superstes exsistit, non modo praefatam cappellam intus hortum et in ecclesia huiusmodi fundare neglexit, quinimo, ut verisimiliter creditur, non advertens ad bonum salutis dicti testatoris, cum tunc guardiano et fratribus praedictae domus conveniens, ut a quibusdam asseritur, loco bonorum eorumdem quamdam tunc expressam terram seu possessionem ad ipsum Georgium spectantem et uncias decem Carlenorum argenti pro dicta capella construenda in ecclesia domus huiusmodi assignare et dare permisit, necnon tunc guardianus et fratres praedicti resignarunt, donarunt et tradiderunt eidem Georgio omne ius ac omnem actionem sibi in praefatis bonis seu ad illa quomodolibet competentia, prout in diversis instrumentis publicis superinde confectis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, licet dictus Georgius terram seu possessionem praefatam, quae parvi valoris fore dignoscitur, eisdem guardiano et fratribus assignaverit, ac dilecti filii guardianus et fratres eiusdem domus nunc exsistentes terram seu possessionem et etiam, si illas forsitan habuissent, uncias praedictas Georgio restituere parati sint, necnon conventio, resignatio, traditio, donatio et alia praemissa in enormem laesionem voluntatis antedictae aliorumque malum exemplum cesserint et cedant, pro parte procuratoris et, qui voluntatem huiusmodi exsecutioni demandari cupiunt, consanguineorum et amicorum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel alter vestrum vocatis dicto Georgio Teodino et aliis, qui fuerint evocandi, super praemissis ... vos diligenter informetis et, si per informationem huiusmodi ea reppereritis veritate subniti, eadem auctoritate conventionem, resignationem et traditionem praedictas ac omnia et singula in instrumento conventionis huiusmodi contenta et inde secuta revocetis, cassetis et annulletis nulliusque roboris vel momenti fore decernatis necnon voluntatem praedictam quoad fundationem et dotationem praefatas ac omnia alia et singula illas concernentia plenarie exquiratis seu exquiri faciatis, contradictores *etc.*, invocato *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, IV kal. decembris, ... anno XVI.

1032. Pro perfectione monasterii S. Trinitatis Valentin., O. S. Cl., suspendit ad biennium indulgentias ecclesiae parochiali de Peñiscola concessas (2).

1446, decembris 2, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Tanta est charissimi in Christo filii Nostri Alfonsi, regis, et charissimae in Christo filiae Mariae, reginae Aragonum illustrium, devotio tantique sunt dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium monasterii S. Trinitatis de Capite montis extra muros Valentin. sub regulari observantia beati Francisci viventium virginitatis et honestatis fructus, ut Nos semper inveniant in gratiarum largitione benignos. Dudum etiam praefatarum reginae atque monialium piis supplicationibus inclinati in favorem monasterii huiusmodi litteras concessimus tenoris subsequentis:

(1) Reg. Lat. t. 428, f. 179v. Cf. supra n. 977, p. 479. | (2) Reg. Vat. t. 379, f. 95v.

Eugenius episcopus etc.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Ecclesiarum ac monasteriorum *etc.* [*ut supra n. 979 p. 480*].

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, X kal. aprilis, ... anno XVI.

Cum autem, sicut nuper regis, reginae, abbatissae et monialium praedictorum significatione percepimus, pro eo, quod Nos post datam litterarum huiusmodi plenariam indulgentiam porrigentibus manus adiutrices fabricae ecclesiae parochialis de Peniscola, Dertusen. dioec., per alias litteras concessimus, reparatio et ampliatio monasterii et eius ecclesiae atque claustri plurimum retardetur ac infra biennium huiusmodi fieri non posse dubitatur, maxime quia christifideles ad praefatam parochialem ecclesiam, tamquam eis magis accommodam, libentius confluunt, quam ad monasterium antedictum. Quare rex, regina, abbatissa et moniales praedicti Nobis humiliter supplicarunt, ut in praemissis salutare remedium adhibere paterna diligentia curaremus. Nos itaque, huiusmodi supplicationibus inclinati ac cupientes, ut monasterium eiusque ecclesia et coemeterium quantocius perficiantur et amplientur, litteras indulgentiarum per Nos porrigentibus fabricae parochialis ecclesiae huiusmodi concessarum, quarum tenorem atque formam, ac si de verbo ad verbum praesentibus inserti forent, haberi volumus pro expressis, necnon processus habitos per easdem et quaecumque inde secuta usque ad biennium a data praesentium computandum apostolica auctoritate praesentium tenore suspendimus et suspensa esse decernimus ac volumus, statuimus et ordinamus, quod porrigentes ad fabricam monasterii illius ecclesiae atque claustri manus adiutrices ex nunc usque ad duos annos proxime sequentes indulgentiam consequantur iuxta insertarum litterarum huiusmodi continentiam atque formam, ita quod litterae et indulgentiae ipsi parochiali ecclesiae per Nos, ut praemittitur, concessae huiusmodi dumtaxat durante biennio nullius exsistant roboris vel momenti. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, IV nonis decembris, ... anno XVI.

1033. Roderico de Portu, O. F. M., concedit facultatem recipiendi unum beneficium ecclesiasticum (1).

1446, decembris 3, Romae.

Dilecto filio Roderico de Portu, ordinis fratrum Minorum et theologiae professori.

Religionis zelus *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu, qui, ut asseris, per quadraginta annos verbum Dei et evangelicam doctrinam laudabiliter praedicasti, adeo laboribus et senio confractus exsistas, quod, nisi tibi desuper opportune provideatur, praefatos labores continuare non poteris, Nos, volentes te, qui, ut asseritur, dilecti filii nobilis viri Alphonsi, ducis Bragantiae et charissimi in Christo filii Nostri Iohannis, Portugalliae regis illustris nati, confessor exsistis, ... favore prosequi gratioso, ... tibi, ut unum dumtaxat saeculare vel ordinis cuiuscumque regulare cum cura aut sine cura ecclesiasticum beneficium, cuius fructus ... quadraginta librarum Turonen. parvorum secundum communem aestimationem valorem annuum non excedant, ... tibi ... commendari possit, ... quod ordinem fratrum Minorum expresse professus sis, ... nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali dono gratiae indulgemus, proviso *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, III nonas decembris, ... anno XVI.

1034. Statuit, ut deinceps ministeriatus provinciae S. Iacobi (in Hispania) triennio tantum duret, et ut capitulum provinciale celebretur pro novi ministri electione (2).

1446, decembris 12, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Dispositione divina gregi dominico quamvis immeriti praesidentes, dum laudabilia dilectorum filiorum fratrum ordinis Minorum provinciae S. Iacobi iuxta morem dicti ordinis merita intra Nostrae mentis recensemus arcana et ad commendabiles, quibus operosis eorum ministeriis erga Deum et homines indesinenter exuberant, fructus digne Nostros diffundimus cogitatus, ad ea intendimus, per quae ab ipsis quibuslibet sublatis dispendiis eorum status dirigatur salubriter et feliciter gubernetur ac in spiritualibus votivis iugiter proficiat incrementis. Hinc est, quod Nos, attendentes, quod, sicut fide dignorum relatione percepimus, ministri provinciales ordinis et provinciae praedictorum, qui a nonnullis annis citra fuerunt, pro eo, quod ipsi seu aliqui eorum officium ministeriatus provinciae huiusmodi non ad certum vel determinatum tempus, sed ad eorum vitam rexerunt et gubernarunt, suarum regulae et constitutionum immemores, propter quod ipsi fratres eorumque loca gravia hactenus sustinuerunt et,

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 292. (2) Reg. Vat. t. 379, f. 110; Wadd. Reg. pont. Eug. IV, n. 195.

nisi desuper opportune provideatur, graviora in dies sustinebunt detrimenta, ac super his indemnitati dictorum fratrum et ordinis opportune providere volentes, auctoritate apostolica praesenti perpetua et irrefragabili constitutione statuimus et ordinamus, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus officium ministri dictae provinciae, cuius, dum pro tempore vacabit, electio ad fratres ipsius provinciae spectet et pertineat, prout pertinet et spectat secundum eorum instituta et laudabiles consuetudines hactenus observatas, dumtaxat triennio duret et non amplius, quo elapso tunc ipsius provinciae minister exsistens a praefato officio [absolutus] sit et esse dictumque officium vacare censeatur ac vacet ipso facto, nec aliquis ad huiusmodi officium pro proximo tunc futuro triennio reeligi possit, nec reelectio huiusmodi, si fieret, valeat aut alicuius exsistat roboris vel momenti; et insuper, ut statutum et ordinatio praedicta ex nunc et imposterum votivum et debitum sortiantur effectum, dicta auctoritate dilectum filium Philippum de Astorica [1], dicti ordinis professorem, qui iam per quinquennium et ultra dictam provinciam rexit et gubernavit, prout de praesenti regit et gubernat, a praefato ministeriatus officio ex certa scientia realiter amovemus, districtius inhibentes sub excommunicationis poena, quam contrafacientes, postquam praesentium notitiam habuerint, [eo ipso incurrant], Philippo, ne ulterius se de officio huiusmodi aliquatenus intromittat, necnon omnibus et singulis fratribus praedictis, ne eidem Philippo tamquam ministro in aliquo pareant vel intendant, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, ac mandantes dilecto filio Alphonso de Villanova, eiusdem ordinis professori, sacrae theologiae praesentato, conventus Villaripendensis [2], Legionen. dioec., quatenus omnes et singulos fratres dictae provinciae, qui ad similia vocari consueverint, ad provinciale capitulum, quod infra decem menses a data praesentium computandos in loco et termino ad id per ipsum Alphonsum statuendis et ordinandis celebrari volumus et decernimus per praesentes, sub excommunicationis aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, etiam officiorum, quae obtinent, privatione, convocet et celebrari faciat, contradictores *etc.* Volumus autem ad evitandas expensas fratrum dictae provinciae, quae exinde provenire possent, in eundo ad generalem ministrum pro huiusmodi provincialis confirmatione, quod generalis minister dicti ordinis pro tempore exsistens aliquem propinquiorem provincialem ministrum vel alium, de quo ei videbitur, deputet, qui ipsum ministrum, si in dicto termino canonice fuerit electus, sua auctoritate confirmet. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie idus decembris, ... anno XVI.

1035. Mandat, ut Petro de Arimino eiusque sociis pauperibus eremitis III. O. S. Fr. concedat monasterium B. Mariae novae, castri Montisulmi, Firman. dioec., O. S. Ben. [3].

1446, decembris 14, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Vagnoculo, canonico Fulginat. in civitate Nostra Firman. residenti.

Piis fidelium praesertim eremitarum *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Petri de Arimino et sociorum suorum fratrum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati petitio continebat, ipsi sub paupere et eremitica vita ac regulari observantia eiusdem ordinis degentes numero plurimum augmentati sint et in dies augmententur nec pro ipsorum usu et habitatione loca sufficientia habeant, et, sicut eadem petitio subiungebat, si monasterium monialium beatae Mariae novae, terrae seu castri Montisulmi, ordinis S. Benedicti, Firman. dioec., quod in suis structuris et aedificiis, nisi quamprimum reparentur, in brevi ruinae penitus subiacebit, et in quo aliqua monialis seu dictum ordinem S. Benedicti professa non residet, quodque tanto tempore vacavit, quod de eius vero vacationis modo certa notitia non habetur, dicto ordine S. Benedicti et abbatissali dignitate in eo primitus suppressis penitus et exstinctis cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eisdem Petro et sociis per ipsos vel aliquos ex eis perpetuo tenendum, regendum et gubernandum concederetur, assignaretur et appropriaretur, ipsi Petrus et socii inibi domum pro eorum usu et habitatione antedictis repararent seu de novo fundarent et construerent aut reparari vel de novo fundari et construi facerent in Dei nominis laudem et non mediocre religionis augmentum. Quare pro parte eorumdem Petri et sociorum, asserentium, quod fructus, redditus et proventus dicti monasterii sedecim florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, quodque dilecta in Christo filia Magdalena de Serenano, quae se gerit pro

(1) De eo cf. supra n. 1008, p. 500.
(2) Apud Wadd. *Villabipandentis*. Forsitan legendum *Villalpanden.*
(3) Reg. Lat. t. 428, f. 188.

moniali dicti monasterii, absque eo, quod de persona sua ipsi monasterio apostolica vel alia auctoritate provideretur ac ipsa illi in abbatissam praeficeretur, dictum monasterium seu illius regimen et administrationem per quindecim [annos] detinuit, et deinde dilectus filius Antonius de Civitatenova, qui se gerit pro presbytero Firman., nullo sibi desuper canonico suffragante titulo monasterium seu regimen et administrationem praedictam occupavit et per duos annos vel circa detinuit, prout detinet indebite occupata, praefata Magdalena in eodem monasterio nihilominus permanente, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut monasterium ipsum dicto ordine S. Benedicti et abbatissali dignitate in eo, ut praemittitur, suppressis penitus et exstinctis cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis eisdem Petro et sociis per ipsos vel aliquos ex eis aut ipsis deficientibus alios ex fratribus eiusdem tertii ordinis perpetuo tenendum, regendum et gubernandum concedere, appropriare et assignare ac alias eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... de praemissis certam notitiam non habentes ac omnes et singulas qualitates dictae Magdalenae causasque specificas et determinatas, ex quibus clare constet ipsi Magdalenae in monasterio seu regimine et administratione praedictis ius competere, praesentibus pro expressis haberi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam vocatis Antonio et Magdalena praefatis necnon aliis, qui fuerint evocandi, tibi de praemissis legitime constiterit, in dicto monasterio ordinem S. Benedicti et abbatissalem dignitatem supprimere et penitus exstinguere illudque cum omnibus iuribus et pertinentiis antedictis Petro et sociis praefatis per eos vel aliquos ex eis aut deficientibus alios ex fratribus eiusdem tertii ordinis, ut praemittitur, perpetuo tenendum, regendum et gubernandum concedere, appropriare et assignare dictamque Magdalenam ad aliud eiusdem ordinis monasterium seu locum, in quo voluntarias invenerit receptrices, transferre ac ipsam inibi in monialem recipi et sororem necnon sincera in Domino charitate tractari facere auctoritate Nostra procures, inducens *etc.* contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Aut si Antonio et Magdalenae *etc.* Nos enim ... Petro et sociis ac aliis fratribus praedictis, quod in eodem monasterio seu eius solo domum cum ecclesia, campanili, campana, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro suis usu et habitatione perpetuis reparare aut de novo fundare et construere seu reparari, fundari et construi facere ac illis ex Petro, sociis et fratribus praedictis, qui domum reparandam, fundandam seu construendam huiusmodi pro tempore inhabitabunt, ac ipsa domus omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite possint, iure tamen *etc.* salvo, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali dono gratiae concedimus pariter et indulgemus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XIX kal. ianuarii, ... anno XVI.

1036. Iohanni de Mauberto, vicario generali O. F. M. de observ. in partibus ultramontanis, mandat, ut capitulum convocet, cui concedit facultates capituli generalis [1].

1446, decembris 17, Romae.

Dilecto filio fratri Iohanni de Mauberto, ordinis Minorum, qui dicitur de observantia regulari, partium ultramontanarum vicario.

Cupimus, et quantum ex alto Nobis fuerit concessum, intendimus omnia facere, per quae fratres tuae commissi curae multos messis manipulos in horreum dominicum proferant. Volumus itaque et mandamus tibi, ut convocatis ad te omnibus vicariis tibi subiectis aliisque tui ordinis fratribus, de quibus tibi videbitur, ac vicariis antedictis in locum per te ipsum deputandum, scilicet idoneum et tolerabilem omnibus, a quibus sic congregatis vicariis et fratribus apostolica auctoritate volumus omnia posse fieri et ordinari pro gubernatione fratrum, conventuum, domorum, locorum et eremitoriorum tuae vicariae subiectorum, quae generalis minister tui ordinis cum generali capitulo tam de iure quam de consuetudine et ex forma privilegiorum posse facere consuevit. In primis autem volumus tales a vobis ordinationes fieri, per quas omnes fratres quorumcumque locorum et quarumcumque vicariatuum atque provinciarum tui officii ad unum eumdemque vivendi modum, quantum fieri potest, reducantur tam circa habitus gestationem quam circa fratrum receptionem et alia quomodolibet occurrentia. Nam, ut id facere possitis, consuetudines, statuta, ordinationes qualitercumque factas ac etiam privilegia a Sede Apostolica concessa, etsi talia forent, de quibus habenda esset mentio specialis, in quantum Nostrae voluntati supradictae adversentur, auctoritate praedicta tenore praesen-

[1] Wadd. *Ann.* ad a. 1446, n. 9 « ex autographo ». — Eamdem sed datam 28 dec. 1446 exhibet Nic. Glassberger, *Chronica*, ap. *Analecta Franc.* II, Ad Cl. Aquas 1887, p. 327 s.

tium revocamus, declarantes Nostrae intentionis esse fratres dicti ordinis de observantia ad nullas teneri culpas atque offensas, quae in eiusdem ordinis statutis sive ordinationibus tam apostolicis quam generalibus continentur, sed solummodo teneri et obligari per superiores suos impositis poenis. Futurae autem, de qua supra diximus, congregationi vestrae concedimus facultatem ordinandi et declarandi, in quibus locis et provinciis fratres debeant ieiunia regulae in cibis quadragesimalibus observare, et in quibus debeant primae consuetudines irritari vel aliter se habere.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XVI kal. ianuarii ... anno XVI.

1037. Episcopo Tiburtin. mandat, ut Paulum Blasii de castro Tragoni (Dragoni), Caiaccen. dioec., O. F. M., qui infra septimum aetatis suae annum et in infirmitate constitutus a Blasio genitore suo ordini fratrum Min. devotus, postmodum in eodem ordine professionem emiserat et deinde ad monasterium S. Spiritus de Sulmona, O. S. Ben., Coelestinorum nuncupatum, Valven. dioec., transierat, ab illius abbate Antonio receptus, absolvat a censuris et irregularitatibus eique obligationem imponat transeundi ad monasterium B. Mariae de Mago, eiusdem O. S. Ben., Aquilan. dioec., ibique perpetuo remanendi (1).

1446, decembris 20, Romae.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XIII kal. ianuarii ... anno XVI.

1038. Decernit, ut omnes domus O. F. M., quae tempore capituli Montispessulan. sub regulari observantia fuerunt, a vicariis generalibus vel cismontano vel ultramontano cum potestate ministri generalis, et a vicariis provincialibus cum potestate ministri provincialis regantur (2).

1446, decembris 23, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Vacantibus sub religionis observantiae studio *etc.* Hinc est, quod Nos, cupientes, ut professores ordinis fratrum Minorum, qui cum additione voluntariae paupertatis iuxta salubria eiusdem ordinis instituta sub illius observantia exemplariter viventes, per diversas mundi partes tam variis et diversis virtutum meritis quam etiam personarum numero plurimum multiplicati, ex religiosis et operosis eorum ministeriis magna in Dei ecclesia afferunt incrementa, sub uno eodemque regimine ac charitatis et eiusdem observantiae unione virtutum Domino iugiter famulentur ad divini nominis laudem ac singulare et praecipuum salutis plurimorum exemplum, motu proprio, non ad ipsorum professorum fratrum vel alicuius eorum seu alterius pro eis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra certa scientia auctoritate apostolica tenore praesentium volumus atque decernimus, quod omnia et singula domos, conventus et eremitoria et alia loca, quocumque nomine censeantur, in quibus aliqui ex professoribus praedictis tempore generalis capituli in loco Montispessulani, Magalonen. dioec., tam per praedictos quam alios eiusdem ordinis fratres proxime celebrati vixerunt seu permanserunt, a quovis illa quacumque auctoritate reformata, constructa seu fundata sint et ubicumque consistant ac quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, citra montes videlicet citramontani, ultra montes autem consistentia ultramontani generalium vicariorum ordinis et observantiae praedictorum regimini et gubernationi in perpetuum subsint et subiecta sint ac esse censeantur. Et in singulis provinciis tam in citramontanis quam ultramontanis partibus consistentibus praedictis loco provincialium ministrorum fratres ordinis et observantiae praedictorum singularum provinciarum huiusmodi singulos provinciales vicarios eligere et deputare possint ac debeant in omnibus et per omnia, prout provinciales ministri eliguntur et deputantur; quodque citramontani in citramontanis et ultramontani in ultramontanis partibus, quae generali dicti ordinis in praefati ordinis, et singuli provinciales vicarii praedicti in singula sibi commissarum provinciarum domus, conventus, eremitoria et loca illorumque fratres, quae singulis provincialibus ministris in provinciarum eis commissarum domus, conventus, eremitoria et loca ipsorumque fratres et personas ex privilegiis etiam apostolicis aut de iure vel consuetudine seu alias quoquomodo competere dignoscuntur, illa et prorsus eadem dominium, potestatem et superioritatem ac iurisdictionem habeant, mandantes districtius omnibus et singulis guardianis, vicariis et fratribus domorum, conventuum ac locorum ordinis et observantiae ubilibet consistentium praedictorum sub excommunicationis poena, quam ipso facto contrafacientes incurrant, a qua, praeterquam in mortis articulo constituti, nonnisi per Romanum pontificem vel ali-

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 113v. Cf. supra n. 816, p. 384. Monasterium de *Mago* idem est, quod l. cit. dicitur de *Collemadio* (Collemaggio).

(2) Reg. Vat. t. 379, f. 98v; Wadd. *Ann.* ad a. 1446, n. 8 « e registro veteri ordinis f. 215 ».

quem ex generalibus vel provincialibus vicariis praefatis, quibus et quorum cuilibet super his plenariam per praesentes concedimus facultatem, absolvi possint, quatenus infra quindecim dierum spatium, postquam praesentium notitiam habuerint, citramontani citramontano, ultramontani vero ultramontano generalibus ac ipsi et eorum quilibet suo provinciali vicariis efficaciter et humiliter pareant et intendant. Non obstantibus *etc.* Verum, quia difficile esset *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, X kal. ianuarii, ... anno XVI.

1039. Iohanni de Mauberto, O. F. M. de observ. vicario generali in partibus ultramontanis, concedit facultatem recipiendi 15 loca in Hispania (1).

1446, decembris 23, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Mauberto, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum in partibus ultramontanis generali vicario.

Inter cetera desiderabilia cordis Nostri *etc.* Attendentes igitur, quod dilecti filii professores ordinis fratrum Minorum, praesertim, qui in partibus Hispaniarum sub regulari observantia eiusdem ordinis degunt, honorem Dei et propagationem christiani nominis diligenter ac fideliter pro fide huiusmodi necnon divini cultus et religionis augmento in eisdem plurima labores et studia fructuosa impendere poterunt, ... ipsorum professorum in hac parte supplicationibus inclinati, tibi et successoribus tuis vicariis praefati ordinis in dictis partibus, qui pro tempore erunt, per vos vel alium seu alios quindecim domos, conventus atque loca dicti ordinis, quinque videlicet in Castellae et totidem in Aragoniae ac etiam totidem in S. Iacobi provinciis consistentia, si illa vobis per regem vel reginam aut alium temporalem dominum vel aliam saecularem aut ecclesiasticam personam, cuius temporali dominio civitas, terra, castrum seu locus, infra quam, quod seu quem conventus, domus et loca praedicta consistunt aut subiecta erunt, vel ipsarum civitatis, terrae, castri seu loci universitatem vel communitatem aut per ipsorum conventuum, domorum seu locorum eorumdem fratres vel eorum maiorem partem, ad id tamen generalis et, infra cuius provinciam conventus, domus et loca praedicta erunt, provincialium ministrorum expresso accedente consensu, vobis assignabuntur seu concedentur, vel totidem alia loca, quinque videlicet in singulis provinciis praedictis, si vobis ex fidelium largitione concedantur, aut illa ex eleemosynis vobis erogatis seu erogandis acquirere poteritis, recipiendi et in eorum quolibet ecclesiam sive oratorium cum campanili, ... officinis construi et aedificari faciendi pro usu et habitatione perpetuis aliquorum ex fratribus ordinis seu observantiae praedictorum, vobisque ac dictis fratribus inibi perpetuo morandi dioecesanorum locorum ... licentia super hoc minime requisita ac iuribus parochialium ecclesiarum ... salvis, fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus, plenam et liberam ... licentiam elargimur. Et insuper, quod domus, conventus et loca praedicta per vos recipiendi ac fratres in eis pro tempore degentes omnibus et singulis privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, X kal. ianuarii, ... anno XVI.

1040. Reprobat certos articulos circa potestatem fratrum mendicantium audiendi confessiones christifidelium et praecipit, ut decretalem *Super cathedram* Bonifatii VIII et aliam *Vas electionis* Iohannis XXII inviolabiliter faciant observari (2).

1447, ianuarii 16, Romae.

Universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis electis et abbatibus ubilibet constitutis, ad quos praesentes litterae pervenerint.

Gregis Nobis crediti *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Bonifatius papa VIII, praedecessor Noster, in sua, quae incipit « Super cathedram » (3), constitutione sive decretali, quam postea piae mem. Clemens papa V, etiam praedecessor Noster, in Viennen. concilio innovavit, et quae subsequenter ad eremitarum S. Augustini et beatae Mariae de Monte Carmelo ordinum fratres per Sedem Apostolicam extensa fuit, inter cetera statuit et ordinavit, quod in singulis civitatibus et dioecesibus, in quibus Praedicatorum et Minorum ordinum fratrum loca consisterent, ac in locis ipsis vicinis, in quibus loca huiusmodi non haberentur, magistri et priores provinciales Praedicatorum aut eorum vicarii et generalis ac provinciales ministri necnon custodes Minorum ordinum praedictorum ad praesentiam praelatorum ibidem se conferrent per se vel fratres, quos ad hoc idoneos fore putarent, humiliter petituri, ut fratres, qui ad hoc electi forent, in eorum civitatibus ac dioecesibus confessiones suorum subditorum confiteri sibi volentium au-

(1) Reg. Vat. t. 379, f. 97 v; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 196.

(2) *Bull. ord. fr. Praed.* t. III, p. 206, n. 304; praeterea inclusa in bulla Nicolai V *Provisionis Nostrae* d. d. 30 maii 1448, Reg. Lat. t. 446, f. 105 v et 267 v.

(3) Vide *Bull. Franc.* t. IV, n. 179, p. 498.

dire libere valerent et huiusmodi confitentibus, prout secundum Deum expedire cognoscerent, poenitentias imponere salutares ac beneficium absolutionis impendere, de licentia, gratia et beneplacito eorumdem; praefatique magistri, priores ac ministri studerent eligere personas idoneas, sufficientes, vitae probatae, discretas, modestas atque peritas ad tam salubre ministerium et officium exsequendum, quas sic electas praelatis ipsis praesentarent vel facerent praesentari, ut de illorum licentia, gratia et beneplacito in civitatibus et dioecesibus eorumdem personae sic electae huiusmodi confessiones sibi confiteri volentium audirent et eis imponerent poenitentias salutares ac beneficium absolutionis impenderent, prout in ipsa constitutione sive decretali plenius continetur. Et, licet postmodum ad piae rec. Iohannis papae XXII, etiam praedecessoris Nostri, notitiam deducto, quod quondam Iohannes de Polliaco, magister in theologia, sequentes articulos tenuerat publiceque docuerat, videlicet, quod confessi fratribus licentiam generalem confessiones audiendi habentibus eadem peccata, quae confessi fuerant, iterum proprio sacerdoti confiteri tenerentur, ac stante statuto « Omnes utriusque sexus » in concilio generali nec Deus nec Romanus pontifex facere posset, quod parochiani non tenerentur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti, scilicet parochiali curato, confiteri, quodque non posset papa generalem dare potestatem audiendi confessiones, imo nec Deus, quin confessus generalem habenti licentiam teneretur eadem iterum suo proprio sacerdoti veluti parochiali curato confiteri, dictus Iohannes praedecessor, a verbis, quae « Vas electionis » [1] protulit, exordium sumens, habita hinc inde per plures sacrae paginae professores examinatione diligenti necnon de venerabilium fratrum suorum S. Romanae ecclesiae cardinalium consilio et assensu praefatos articulos tamquam falsos et erroneos et a sana doctrina devios auctoritate apostolica damnaverit et reprobaverit; ipseque Iohannes de Polliaco veris rationibus opinioni, quam dudum habuerat, contrariis, et quibus respondere non poterat, demonstratis eosdem articulos non esse veros affirmans, illos in consistorio publico necnon ipsorum Iohannis papae et cardinalium praesentia revocaverit, tamen, sicuti nuper fratrum ordinum eorumdem lamentabili querela ad Nostrum non sine displicentia gravi pervenit auditum, plures ecclesiasticae necnon aliae utriusque sexus personae reprobos superstitiososque articulos huiusmodi amplexantes fideliumque animas inficere ac eos, ut fratribus ordinum huiusmodi non confiteantur, et ab illorum devotione retrahere molientes, nedum praedictos sed et alios etiam sacris canonibus omnino contrarios articulos adstruere publice non verentur, videlicet quod confessio fratribus sic electis et admissis facta dubitabilis et incerta sit, unde tenerentur omnes incertum dimittere ac sic solum confiteri suis sacerdotibus curam animarum habentibus sub poena peccati mortalis. Et quamvis ipsi fratres admissi auctoritatem habeant confessiones audiendi et absolvendi, tamen ad eos accedendi populus subiectus sine licentia proprii sacerdotis non habet potestatem. Fratres quoque privilegia pro confessionibus audiendis et sepulturis habendis petentes in peccato mortali et Romani pontifices illa mendicantibus concedentes sive confirmantes etiam in simili peccato et excommunicati sunt; ac dicti fratres mendicantes non pastores, sed fures, latrones et lupi censentur; sacerdos autem curatus mendicantibus confessiones audiendi licentiam dans magis super ipso statuto « Omnes utriusque sexus » dispensat, quam papa fratribus licentiam tribuens iuxta formam decretalis antedictae. Nos igitur, animarum et alia, quae praemissorum articulorum occasione, nisi prodeuntes inde confutarentur errores, succedere possent, pericula trepidantes ac illis, quantum in Nobis fuerit, obviare cupientes, omnes articulos praedictos una cum venerabilibus fratribus Nostris S. Romanae ecclesiae cardinalibus mature inspeximus et per diversos in iure canonico doctores ac sacrae paginae professores diligenter examinari fecimus, et quia protinus illos falsos et erroneos ac eisdem canonibus adversos fore repperimus, illos de dictorum fratrum Nostrorum S. Romanae ecclesiae cardinalium consilio et assensu auctoritate apostolica pro falsis, erroneis et adversantibus sacris canonibus, damnatos reprobatosque declaramus atque decernimus. Quocirca universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestrum, quando super his a quocumque praedictorum ordinum Praedicatorum, Minorum et aliorum mendicantium super praemissis privilegiatorum magistro generali ac provinciali ministro, vicario vel alio gerente officium fueritis requisiti ad confutandos et reprimendos ac penitus tollendos huiusmodi errores, prout in praefatis decretali sive constitutione, « Super cathedram » ac extravagante « Vas electionis » continetur, diligenti studio atque cura provideatis ac intendatis praefatasque constitutiones

[1] Vide *Bull. Franc.* t. V, n. 437, p. 208.

integre servantes, faciatis ab omnibus inviolabiliter observari et, si quos forsan huiusmodi damnatos, ut praefertur, articulos aut aliquem seu aliquos eorum pertinaciter asserere vel tenere seu praedicare invenietis, contra illos communiter vel divisim tamquam contra haereticos et de catholica fide suspectos procedere necnon ipsos et eorum quemlibet iuxta tantorum excessuum qualitatem et per censuram ecclesiasticam et alia opportuna iuris remedia auctoritate praedicta compescere studeatis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XVII kal. februarii, ... anno XVI.

1041. Iohanni, episcopo Faren., O. F. M., qui ecclesiam suam, a Goswino quodam detentam, adipisci non potuit, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1447, ianuarii 18, Romae.

Venerabili fratri Iohanni, episcopo Faren.

Personam tuam Nobis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu, de cuius persona ecclesiae Faren., tunc pastore carenti, fuit auctoritate apostolica provisum, possessionem vel quasi regiminis et administrationis eiusdem ecclesiae, quam de facto quidam Goswinus detinet et occupat, propter illius et adhaerentium ei potentiam nec potueris hucusque nec posse speres adipisci, senio quoque necnon diversis infirmitatibus sis gravatus, Nos tibi, qui, ut asseris, ordinis fratrum Minorum professor exsistis, ne in dignitatis episcopalis opprobrium egestate comprimaris, de subventionis alicuius auxilio providere volentes ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum ... tibi ... tenendum, regendum et gubernandum commendari possit ac illud in huiusmodi commendam tu recipere ac retinere libere liciteque valeas, eadem auctoritate apostolica concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XV kal. februarii, ... anno XVI.

1042. Sororibus loci S. Mariae de Candeloria, Panormitan. dioec., III. O. S. Fr., concedit absolutionem a censuris et facultatem in congregatione vivendi (2).

1447, ianuarii 18, Romae.

Dilectis in Christo filiabus Antoniae Varange de Panormo, sorori tertiae regulae S. Francisci, loci S. Mariae de Candeloria, Panormitan. dioec., et aliis sororibus in numero duodecim ad praesens in eodem loco commorantibus.

Exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod, postquam Iohannes papa XXII, praedecessor Noster, inter alias extravagantes in quadam incipiente « Sancta Romana ac universalis ecclesia » (3) omnibus et singulis utriusque etiam sexus de tertia regula S. Francisci sub excommunicationis sententia et poena, quam contrafacientes incurrere voluit ipso facto, districte praecipiendo inhibuerat, ne congregationes facerent neque in eis mendicarent, vos tamquam simplices et iuris ignarae, credentes bene agere et Altissimo sub humilitatis spiritu servire, habitus per sorores de tertia regula huiusmodi gestari consuetos recepistis illosque gerendo per duodecim annos vel circa in loco ecclesiae S. Mariae de Candeloria, Panormitan. dioec., vobis, ut asseritis, per bon. mem. Bertinum, archiepiscopum Panormitan., et cives Panormitan. assignato, sub humilitatis spiritu vivendo in congregatione stetistis et eleemosynas a christifidelibus petistis. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, postquam noviter ad notitiam vestram dicta inhibitio pervenit, bonarum mentium more timentes praefatam excommunicationis sententiam propterea incurrisse, Nobis humiliter supplicastis, ut vobis in praemissis de benignitate apostolica providere dignaremur. Nos igitur, huiusmodi devotis supplicationibus vestris inclinati, ut confessor, quem duxeritis eligendum, vos et quamlibet vestrum ab huiusmodi sententia, quam propter praemissa quomodolibet incurristis, in foro conscientiae iniuncta poenitentia salutari auctoritate Nostra in forma ecclesiae consueta absolvere possit et valeat, vobis et cuilibet vestrum, et dicto confessori vos absolvendi, ut praefertur, tenore praesentium concedimus et etiam indulgemus facultatem. Praeterea, ut absque scrupulo et remorsu conscientiae vivere et in dicto loco stare possitis, vobis et cuilibet vestrum, ut sub humilitatis spiritu in dicto loco bene, caste, pacifice et laudabiliter vivendo libere et impune stare et permanere et alias ad consortium vestrum venire volentes recipere possitis necnon unam ex vobis in matrem seu ministram, quae dictum locum regere et gubernare habeat, quotiens opus fuerit, de vestri visitatoris consensu eligere possitis, ita tamen, quod in huiusmodi electione solae illae vocem habeant, quae per triennium in vestra congregatione fuerint, quam eo ipso,

(1) Reg. Lat. t. 428, f. 150. Hic episcopus deest ap. Eubel, *Hier. cath.*; forsitan idem est, de quo agitur supra n. 1024, p. 511.

(2) Reg. Lat. t. 442, f. 1, contenta in bulla Nicolai V *Provisionis Nostrae* d. d. 3 octobris 1447.

(3) *Bull. Franc.* t. V, n. 297, p. 154.

dum per maiorem partem vocum vestrarum electa fuerit, confirmatam censeri volumus, aliaque circa haec necessaria et opportuna facere et exsequi libere et licite possitis alicuius licentia super hoc minime requisita, per praesentes similiter concedimus et etiam indulgemus, praemissis ac constitutionibus *etc.* non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XV. kal. februarii, ... anno XVI.

1043. Statuit, ut in domo Nurimbergen. (Nürnberg), Bambergen. dioec., O. F. M., introducatur regularis observantia (1).

1447, ianuarii 29, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ex apostolicae servitutis officio *etc.* Sane nonnullorum relatione percepimus, quod in domo oppidi Nurimbergen., ordinis fratrum Minorum, Bambergen. dioec., quae inter alias domus dicti ordinis partium earumdem sollemnis et sumptuosis aedificiis fundata exsistit, tam temporum malitia quam etiam personarum, quae in ipsa domo a nonnullis temporibus citra vixerunt, culpa seu negligentia aut verius malitia nulla viget observantia regularis, divinus negligitur cultus, nec speratur etiam, nisi per Nos alias desuper provideatur, quod aliqua inibi in spiritualibus proveniant incrementa, quodque nonnulli ex dilectis filiis burgimagistris, scabinis, consulibus et proconsulibus necnon incolis dicti oppidi, zelo devotionis accensi, domum ipsam ad regularem observantiam reduci et reformari pie desiderant. Nos igitur ... motu proprio, non ad ipsorum fratrum de observantia vel alterius pro eis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex Nostra certa scientia, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, decernimus et ordinamus, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus in praedicta domo regularis observantia fiat et servetur, ac ipsa per fratres ordinis et observantiae huiusmodi iuxta illorum ritus, mores, consuetudines et privilegia eis desuper etiam a Sede Apostolica concessa regatur et gubernetur, necnon generali ultramontano et provinciae Argentinae provinciali vicariis ordinis et observantiae eorumdem pro tempore exsistentibus in omnibus et per omnia subiecta sit et esse censeatur, et ipsi vicarii vel alter eorum per se vel alium seu alios corporalem possessionem dictae domus apprehendere et in ea fratres ipsorum ordinis et observantiae ponere necnon praedictam domum iuxta mores, statuta, consuetudines et privilegia antedicta regere et gubernare seu regi et gubernari facere possint ac debeant in omnibus et per omnia, quemadmodum alia domus et loca ordinis et observantiae eorumdem reguntur et gubernantur; necnon omnes et singulas proprietates, quae ex largitione christifidelium vel ex ultimis voluntatibus pro defunctorum peragendis anniversariis et missarum celebrationibus ac praedicatione ad populum seu alias quomodolibet praedictae domui concessae fuerint, quaecumque, quotcumque et qualescumque, necnon cuiusvis annui valoris sint, a praedicta domo separamus ac dividimus, ac guardianum et fratres in eadem domo pro tempore commorantes a iuramentis, promissionibus, obligationibus, conditionibus et pactis quibuscumque, quibus forsan proprietatum huiusmodi vel alicuius earum occasione quomodolibet obligati essent, absolvimus et penitus liberamus, decernentes illos et quemlibet eorum ad ipsorum observationem nullatenus teneri ac mandantes dilectis filiis guardiano necnon omnibus et singulis fratribus et personis eiusdem domus, quatenus infra sex dierum spatium, quorum duos pro primo et duos pro secundo et reliquos duos pro tertio peremptorio terminis eis assignamus, postquam praesentium notitiam quomodolibet habuerint, a praedicta domo penitus recedant, ulterius ad praedictam domum nullatenus reversuri, nisi forsan infra spatium huiusmodi ad dictam observantiam se reduxerint et vicariorum praedictorum dominio, iurisdictioni, potestati et obedientiae se subiecerint in omnibus et per omnia realiter et cum effectu; nec ipsi per se vel alium seu alios directe vel indirecte quomodolibet fratres ordinis et observantiae huiusmodi vel aliquos eorum, quominus dictam domum cum libris, calicibus aliisque ornamentis ecclesiasticis ac utensilibus et ceteris bonis quibuscumque ad ipsam spectantibus assequantur et in ipsa domo permaneant, necnon libris, calicibus, ornamentis ecclesiasticis ac utensilibus et bonis praedictis utantur iuxta superiorum suorum mandata pacifice et quiete, quoquo modo facere aut impedire praesumant. Nos enim in guardianum et fratres praedictos ac omnes alios et singulos tam laicos quam ecclesiasticos, cuiuscumque gradus, status vel conditionis fuerint, qui contra mandatum Nostrum huiusmodi per se vel per alium seu alios directe vel indirecte quomodolibet venire praesumpserint, excommunica-

(1) Reg. Lat. t. 429, f. 116; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 197. Eam edidit P. Max. Straganz, O. F. M., ap. *Freiburger Diözesan-Archiv*, XXVIII (N. S. I) Freiburg i. Br. 1900, 373-8.

tionis sententiam, quam dictos praesumptores incurrere volumus ipso facto, et a qua nonnisi per Nos vel successores Nostros Romanos pontifices canonice intrantes, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi queant, dicta auctoritate promulgamus per praesentes. Et insuper burgimagistros, scabinos, consules et proconsules praedictos necnon dilectos filios universitatem dicti oppidi rogamus et exhortamur in Domino, quatenus statutum, decretum et ordinationem Nostra huiusmodi ac omnia et singula in praesentibus contenta ipsasque praesentes litteras, quotiens pro parte dictorum vicariorum vel alterius eorum fuerint desuper requisiti seu aliquis eorum fuerit requisitus, quantum in eis erit, debitae exsecutioni demandent necnon terras, villas, possessiones, iura, iurisdictiones, fructus, census, redditus, proventus et alia bona quaecumque in ecclesiarum fabricas et alios pios et licitos usus, prout eis seu maiori parti ipsorum videbitur, quorum desuper conscientias oneramus, et quibus super his plenam et liberam dicta auctoritate facultatem concedimus per praesentes, distribuant et convertant, dioecesani ... licentia super hoc minime requisita; ipsosque vicarios et fratres de observantia per eos vel alterum ipsorum transmissos seu inibi pro tempore degentes pro divina et dictae Sedis ac Nostra reverentia propensius commendatos habeant sicque eis benevolos et favorabiles exhibeant, quod vicarii et fratres transmissi praedictae domus possessionem apprehendere et in illa cuiuscumque contradictione non obstante pacifice et quiete morari valeant, ac illis inde perennis vitae praemium et a Nobis condigna proveniat actio gratiarum. Praeterea, ut omnis, per quam effectus seu exsecutio praesentium impediri seu retardari quomodolibet posset, tollatur materia, effectum seu exsecutionem huiusmodi cuiuscumque exceptionis, subreptionis etiam et nullitatis proponendae vel appellationis interponendae seu cuiusvis alterius quaesiti coloris praetextu per guardianum et fratres conventuales praedictos vel quosvis alios directe vel indirecte quomodolibet impediri nullatenus posse scientia et auctoritate praedictis decernimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Cupientes autem, ut praesentes Nostrae litterae votivum quantocius sortiantur effectum, dilectis filiis abbati monasterii S. Aegidii, dicti oppidi, et Ratisbonen. ac Helmestadien., Moguntinae dioec., ecclesiarum praepositis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum ipsas praesentes litteras, quamprimum sibi praesentatae fuerint, vel earum notitiam quomodolibet habuerint, debitae exsecutioni demandent ac dictas litteras, ubi, quando et quotiens pro parte vicarii seu fratrum de observantia huiusmodi vel alicuius eorum desuper requisiti seu aliquis eorum fuerit requisitus, auctoritate Nostra sollemniter publicantes, ipsos fratres de observantia in possessionem praefatae domus eadem auctoritate Nostra inducant et defendant inductos amotis guardiano et fratribus de non observantia huiusmodi et quibuslibet aliis detentoribus ab eadem ac faciant ipsos fratres et vicarium de observantia ipsius domus possessione pacifica gaudere, contradictores *etc.*, invocato *etc.*, et nihilominus illos ex guardiano et fratribus de non observantia et personis praedictis, quas huiusmodi excommunicationis sententiam incurrisse eis legitime constiterit, tamdiu excommunicatos publice nuntient et ab aliis nuntiari faciant ac ab omnibus arctius evitari, donec et quousque spiritum assumentes consilii sanioris a Nobis vel Sede praedicta absolutionis beneficium necnon reconciliationis gratiam meruerint obtinere. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, IV kal. februarii, ... anno XVI.

1044. Statuit, ut in domo Mechlinien., Cameracen. dioec., O. F. M., introducatur regularis observantia (1).

1447, februarii 1, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ex apostolicae servitutis officio *etc.* [*ut supra n. praec. cum sequentibus variationibus*]: percepimus, quod in domo oppidi Mechlinien., ordinis fratrum Minorum, Cameracen. dioec. *etc.* Et insuper scabinos et consules praedictos necnon dilectos filios universitatem ac etiam decanum et capitulum beati Rinoldi, dicti oppidi, rogamus *etc.* Cupientes autem ... venerabili fratri Nostro episcopo Melfien. ac dilectis filiis archidiacono Antverpien. in ecclesia Cameracen. ac decano ecclesiae Liren., Cameracen. dioec., per apostolica scripta mandamus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, kalendis februarii, ... anno XVI.

1045. Moniales O. S. Cl. et sorores III. O. S. Fr. subiicit regimini vicarii generalis O. F. M. de observ. cismontani eique concedit facultates (2).

1447, februarii 5, Romae.

Dilecto filio fratri Iacobo de Primaditiis de

(1) Reg. Vat. t. 379, f. 173; Wadd. *Reg. pont.* Eug. IV, n. 198.

(2) Wadd. *Ann.* ad a. 1447, n. 4 «ex ipso autographo».

Bononia, ordinis Minorum de observantia regulari.

Ordinis tui *etc.* Sane, cum post concordiam inter dilectos filios fratres, qui dicuntur conventuales, et vos alios, quibus de regulari observantia est appellatio, unius eiusdemque Minorum ordinis, semifactam, Nos, intendentes, quod post dilectum filium fratrem Iohannem de Capistrano, tui ordinis de observantia, in partibus cismontanis vicarium, alter illius successor crearetur, eidem per litteras apostolicas [1] commiserimus, quod, ubi et quando sibi placeret, ante sui officii finem vicarios et discretos provinciarum sibi subiectarum pro alterius vicarii creatione capitulariter congregaret et facta huiusmodi congregatione in alma Urbe apud Aracoeli locum tu in ea fueris canonice in cismontanum vicarium electus, Nosque electionem ipsam confirmaverimus [2], postmodumque dilectus filius frater Antonius de Rusconibus, sacrae paginae professor, ordinis praedicti generalis minister, te duxerit confirmandum, prout supradicta omnia constant per litteras apostolicas et praedicti generalis, quas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ad Nostramque notitiam pervenerit esse in tui vicariatus partibus cismontanis nonnulla monasteria S. Clarae, quarum familiae, in regulari observantia viventes et partim primi, partim secundi, partim tertii ordinis partim aliter appellatae, sub tuo vicariatu et a te tuisque successoribus regi et gubernari intensissimis dicuntur desideriis affectare: Nos, qui certum tenemus easdem mulierum, monacharum sive sororum appellatarum monasteria, loca et familias ubicumque infra tui vicariatus terminos in regulari observantia viventes, tam praesentes quam futuras, tuae et tuorum in vicariatus cismontani officio successorum curae, gubernationi atque regimini auctoritate apostolica praesentium tenore subiicimus et subiectas et suppositas esse volumus atque decernimus, intendentes eadem auctoritate atque volentes, quod tu et successores tui per vos ipsos et alios, quos duxeritis substituendos, potestatem facultatemque habeatis easdem moniales et sorores sive primi sive secundi sive tertii aut alterius ordinis S. Clarae et B. Francisci, praesertim collegialiter et in communi viventes, et earum monasteria atque loca tam in capite quam in membris visitandi, corrigendi, amovendi, deponendi, transferendi et alia omnia et singula faciendi, quae generalis minister ordinis vestri in eisdem monasteriis et locis de iure et consuetudine posse facere consuevit, provinciales autem vicarii vobis subiecti easdem potestatem facultatemque habeant, quas ministri provinciales etiam de iure vel consuetudine habere consueverunt, et, ut supradictae moniales ac sorores melius gubernentur, volumus, quod in electione et creatione abbatissarum, ministrarum et matrum illae tantummodo ex ipsis sororibus et monialibus vocem habeant, quae per annos tres vel circa in earumdem monasteriis et collegiis fuerint, in qua creatione et electione maior pars vocum, ad minus medietatem superans, debeat convenire, in omnibusque tertii ordinis sororum et monialium collegiis fratres tui ordinis de accessu et ingressu se habeant, sicut observatis cum monasteriis S. Clarae. Si autem visitatoribus earum ex sororibus tertii ordinis, quae minime vivunt collegialiter, concessa esset a Sede Apostolica aliqua auctoritas et facultas, Nos, ipsas praesentium tenore auctoritate apostolica revocantes, volumus, quod tu et tui in vicariatus officio successores huiusmodi visitatores amovendi et alios instituendi auctoritatem facultatemque habeatis. Praeterea, cum in regula B. Clarae iubeatur ieiunium perpetuum, quod quidem nimis rigorosum esse tenemus, placet et volumus, quod supradictae et tertii vel aliorum ordinum sorores solummodo teneantur ad illa ieiunia, ad quae vos, fratres ordinis Minorum regulam servantes, obligati estis, et eosdem modos servent in cibo quadragesimali exceptis debilibus et infirmis; in aliis vero ieiuniis, ut sunt quatuor tempora, vigiliae apostolorum et similia, servetur consuetudo religionis, secundum quam liceat ova lacticiniaque comedere. Cum etiam in aliquibus monasteriis sorores sive monachae incedant nudis pedibus discalceatae, quod nimis rigorosum existimamus, placet et volumus, quod sorores sive monachae possint deferre illa, quae nomine calceamentorum non censentur, puta zocholos ligneos et sandalia atque etiam, cum oportuerit, calceamenta. Item, cum in aliquibus monasteriis, locis et congregationibus iniungant silentium perpetuum, quod quidem nimis rigorosum exsistit, tibi tuisque in officio successoribus et provinciarum vobis subiectarum vicariis cum discretorum consilio dispensandi tam in aliis quibusque perpetuis quam in silentio supradicto concedimus facultatem. Insuper, cum dilectus filius frater Iohannes de Capistrano, tuus in vicariatus officio praedecessor, declaraverit, quod in regula prima B. Clarae contineantur centum et tria praecepta regularia, in quorum transgressione moniales sive sorores professae peccatum mortale incurrunt, idque

(1) Vide supra n. 948, p. 466.

(2) Cf. supra n. 993, p. 488.

nimis durum scrupulosumque iudicemus, auctoritate et tenore praedictis declaramus et volumus, quod in nullius praedictorum trangressione, praeterquam eorum quatuor, quae concernunt principalia vota obedientiae, paupertatis, clausurae, castitatis, et insuper electionis abbatissae et depositionis, peccatum mortale incurrant. Item, cum quaedam praedictarum monasteria et loca in mendicitate vivant, placet et dispensamus, quod in ferculo sive minestra sagina et lardo uti possint; constitutionibus apostolicis et privilegiis, immunitatibus, gratiis ac indultis omnibus et singulis supradictis monasteriis et locis ac eorum capellanis per Sedem Apostolicam et aliter quomodocumque concessis aliisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, nonis februarii, ... anno XVI.

1046. Fratribus O. F. M. de observ. in citramontanis partibus praecipit, ut obediant Iacobo de Primaditiis, vicario generali ([1]).

1447, februarii 9, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Dum praeclara merita religionis dilectorum filiorum vicarii et fratrum ordinis Minorum sub ipsius ordinis regulari observantia in citramontanis partibus commorantium debita meditatione pensamus et consideramus, quantum ex dictorum fratrum operosis ministeriis militans ecclesia suscipit incrementa, ad illa merito intendimus, per quae sublatis quibusvis dispendiis et animarum periculis eorumdem fratrum religionis status augeri et in bono statu valeant conservari. Cum autem, sicut ad Nostrum non sine displicentia grandi pervenit auditum, licet Nos dudum decreverimus, quod omnia et singula conventus, domus, eremitoria et loca fratrum ordinis et observantiae Minorum in dictis partibus consistentia illorumque personae per unum vicarium generalem, qui in conventus, domos, eremitoria, loca et personas praedictas eadem superioritatem, dominium, potestatem et iurisdictionem haberet, cum quibus dilectus filius Antonius de Rusconibus, minister generalis praedicti ordinis, dilectum filium Iohannem de Capistrano, ipsorum ordinis et observantiae professorem, in vicarium generalem domorum conventuum, eremitoriorum, locorum et personarum eorumdem deputavit, ac illis necnon omnibus aliis et singulis, quae generali ministro eiusdem ordinis pro tempore exsistenti in domos, conventus, eremitoria et loca praedicti ordinis illorumque personas de iure vel consuetudine seu ex privilegio vel alias quomodolibet competere noscebantur, ac etiam singularum provinciarum in dictis partibus consistentium iuxta morem eiusdem ordinis quaecumque conventus, domos, eremitoria et loca eorumdem ordinis et observantiae illorumque personae per singulos vicarios provinciales illa et eadem ac prorsus similia iurisdictionem, dominium et potestatem in sibi commissis habentes, quae provincialibus ministris dicti ordinis in eis commissis conventibus, domibus, eremitoriis et locis ac illorum personis de iure vel consuetudine seu alias quomodolibet competunt, gubernentur, tamen plerumque nonnulli ex fratribus ordinis et observantiae eorumdem, stabilitatis violato proposito variis coloribus et exquisitis figmentis et praesertim sub palliatione obedientiae alicuius praelati dicti ordinis vicariorum et superiorum suorum obedientiam subterfugere cupientes, generalis et provincialium vicariorum huiusmodi pro tempore exsistentium monitionibus et mandatis recusant seu negligunt aut non curant obedire in non modicum ipsorum animarum periculum et religionis diminutionem pariter et contemptum, Nos igitur, attendentes, quod, si per regulares personas bonum obedientiae, quae melior est quam victima et unum ex tribus substantialibus dictae religionis exsistit, negligitur, de facili ipsius religionis nervus seu disciplina dissolvitur, ac statui religionis huiusmodi super praemissis salubriter providere volentes, motu proprio, non ad dictorum fratrum aut alterius Nobis super haec oblatae petitionis instantiam, sed ex Nostra scientia hac perpetua et irrefragabili constitutione tenore praesentium universos et singulos fratres ordinis et observantiae praedictorum, tam praesentes quam futuros, monemus eisque in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus singularum videlicet provinciarum illarum singulis provincialibus, ac omnium provinciarum huiusmodi fratres et provinciales vicarii dilecto filio Iacobo de Primaditiis, moderno, et aliis generalibus vicariis pro tempore exsistentibus praedictis appellatione et contradictione quibuslibet remotis in omnibus et singulis licitis et honestis, regulam, statum et ordinem ipsorum fratrum ordinis et observantiae necnon officium eorumdem vicariorum quomodolibet concernentibus, quae dicti vicarii pro tempore duxerint ordinanda seu illis

([1]) Reg. Vat. t. 380, f. 57; Wadd. *Ann.* ad a. 1447, n. 2 « e registro nostro veteri f. 215 ». *Bull. Franc. Terrae Sanctae,* n. 42. Cf. n. praec.

iniunxerint, humiliter pareant et intendant necnon illa efficaciter studeant adimplere, districtiusque inhibemus universis et singulis ecclesiasticis tam saecularibus quam praedicti et alterius cuiuscumque ordinis regularibus ac laicis personis, cuiuscumque status, gradus et ordinis vel conditionis exsistant, etiamsi regali, reginali, patriarchali, archiepiscopali, episcopali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana dignitate praefulgeant, ne fratres ordinis et observantiae praedictorum, praefatis vicariis, ut praemittitur, non parentes aut quovis modo inobedientes, etiam sub palliatione obedientiae seu alio quovis quaesito colore receptare aut illis auxilium, consilium et favorem quoad inobedientiam huiusmodi quoquo modo per se vel per alium seu alios directe vel indirecte praestare audeant; quod si contravenire praesumpserint, excommunicationis necnon, si professores dicti ordinis exstiterint, dignitatum et officiorum suorum privationis et ad illa ac quaecumque alia similia imposterum obtinenda inhabilitationis sententias, a quibus etiam, praeterquam in mortis articulo constituti, excessibus nonnisi per Romanum pontificem et dictum vicarium generalem fratres de observantia huiusmodi non parentes, reliqui etiam per generalem ministrum dicti ordinis pro tempore exsistentem, quibus super his plenariam concedimus facultatem, absolvi, restitui seu dispensari non possint, et quas eosdem contrafacientes incurrere volumus ipso facto, promulgamus per praesentes; ac vicariis pro tempore praedictis fratres inobedientes praefatos, per se vel alium seu alios capiendi et incarcerandi seu capi et incarcerari faciendi ac alias contra eos tamquam apostatas iuxta ipsius ordinis regularia instituta eisdem concessa privilegia etiam cum invocatione brachii saecularis procedendi; necnon omnia in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi et exsequendi plenam ac liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, decernentes fratres ordinis et observantiae praedictorum suam inobedientiam huiusmodi sub cuiusvis prelati dicti ordinis nomine seu obedientia nullatenus palliare posse. Et insuper, sicut etiam ad auditum Nostrum pervenit, quamplures fratres seu aliae personae in conventibus, domibus, eremitoriis atque locis praefati ordinis, praedictis vicariis non subiectis, eleemosynas quaestuando petere et nonnulla alia minus honesta contra constitutiones et declarationes apostolicas necnon statuta et consuetudines eiusdem ordinis facere et attentare praesumpserunt et dietim praesumunt in non modicum fratrum ordinis et observantiae eorumdem scandalum et plurimorum perniciosum exemplum, Nos, ut talium praesumptorum audacia de cetero compescatur, Iacobo et singulis generalibus et provincialibus vicariis praedictis et ipsorum cuilibet dicta auctoritate praesumptores huiusmodi, cuiuscumque status, gradus vel conditionis fuerint, capiendi et incarcerandi ac in carceribus detinendi ... necnon alias eos puniendi et corrigendi, contradictores *etc.*, invocato *etc.* plenam et liberam etiam tenore praesentium concedimus facultatem, non obstantibus *etc.* Et insuper, quia difficile foret *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, V idus februarii, ... anno XVI.

NICOLAUS PAPA V

(olim Thomas Parentucelli de Sarzana)

electus Romae apud ecclesiam S. Mariae supra Minervam anno 1447 die 6 martii, coronatus die 19 martii, obiit Romae anno 1455 die 24 martii.

1047. Angelo de Perusio, O. F. M., procuratori in Romana curia fratrum conventualium, eiusque successoribus concedit domum et ecclesiam parochialem S. Salvatoris de Unda, prope pontem ruptum in Urbe [1].

1447, martii 19, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit *etc.* Dudum siquidem pro parte dilecti filii Angeli de Perusio, ordinis Minorum et theologiae professoris, in Romana curia dicti ordinis procuratoris, fel. rec. Eugenio papae IV, praedecessori Nostro, exposito, quod, cum fratres dicti ordinis, conventuales nuncupati, nullum in Urbe locum haberent, in quo procurator eiusdem ordinis, in eadem curia pro tempore exsistens, moram trahere posset, quodque alias, cum nonnulli viri religiosi, sub regula S. Pauli, primi eremitae, degentes, parochialem ecclesiam S. Salvatoris de Unda, sitam prope Pontem ruptum de dicta Urbe, necnon illius domos, turrim, hortos et hortalitia illi contigua, ad ipsam ecclesiam legitime pertinentia, quam aliquamdiu tenuerant et possederant, certis legitimis causis moti, penitus dimisissent, ipse Angelus de licentia et mandato eiusdem praedecessoris solo verbo ei facto pro sui et successorum suorum procuratorum praefati ordinis usu et habitatione perpetuis corporalem dictae ecclesiae cum domibus et aliis suis bonis et rebus praedictis, infra cuius parochiae limites duae vel tres domus vel circa erant habitatae et praesentialiter etiam habitantur, apprehendit possessionem illamque assecutus ex tunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice de praesenti. Et deinde pro parte dicti Angeli praefato Eugenio humiliter etiam tunc supplicato, ut ecclesiam ac domos, turrim et hortos praedictos cum omnibus iuribus et pertinentiis suis Angelo ac eius successoribus praedictis in eadem pro tempore exsistentibus pro dictis eorum usu et habitatione perpetuis libere concedere, donare, conferre et assignare, ita quod per se vel alium idoneum sacerdotem, eiusdem ordinis professorem, curam animarum parochianorum, si qui fuissent, praesentium et futurorum, eiusdem ecclesiae gerere et exercere eisque ecclesiastica sacramenta ministrare libere et licite possent, de benignitate apostolica dignaretur, quod idem Eugenius, statui dictorum procuratorum super hoc providere volens, in ea parte eiusdem Angeli precibus inclinatus, VI idus ianuarii, pontificatus sui anno XV, in praefata ecclesia dictum ordinem S. Pauli, primi eremitae, penitus suppressit et exstinxit ac quascumque concessiones, gratias et litteras eisdem fratribus eremitis de ecclesia, domibus, turri ac iuribus et pertinentiis suis praefatis per ipsum vel Sedem Apostolicam alias forsan factas et concessas, quarum tenores de verbo ad verbum suis, si desuper confectae fuissent, litteris haberi voluit pro sufficienter expressis, auctoritate apostolica ex certa scientia cassavit, abolevit et annullavit ac pro cassis, abolitis et nullis haberi voluit et mandavit praefatamque ecclesiam praedictam, cuius fructus, redditus et proventus octo florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut idem Angelus asserebat, non excedebant, cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis eidem Angelo et successoribus suis procuratoribus praefatis per eos perpetuo tenendas, possidendas, regendas et gubernandas, ita quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, indultis et immunitatibus dicto ordini ac illius domibus et personis per Sedem Apostolicam generaliter concessis et concedendis uti et gaudere possent, auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praefatarum perpetuo concessit ac libere donavit pariter et assignavit necnon Angelo et cuilibet successorum suorum huiusmodi curam animarum gerendi et exercendi ac sacramenta huiusmodi ministrandi, ut praefertur, plenam

[1] Reg. Lat. t. 442, f. 200v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 5.

et liberam praefatarum serie, si confectae fuissent, licentiam dedit et concessit necnon dictam ecclesiam cum turri, domibus, hortis ac aliis iuribus et pertinentiis supradictis a solutione charitativi subsidii et aliarum quarumcumque impositionum, gabellarum, annui census et exactionum, etiam salis et cuiusvis alterius pedagii, a iurisdictione quoque et subiectione cuiuscumque personae ac loci ecclesiastici auctoritate et tenore praefatis exemit et totaliter liberavit, decernens ac statuens ex tunc ecclesiam cum turri et aliis bonis, iuribus et pertinentiis praedictis dumtaxat procuratorum et successorum eorumdem iurisdictionibus subesse, decernens ex tunc omnes et singulos processus quascumque excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias in se continentes, si quos contra tenorem praefatae concessionis, donationis, assignationis, liberationis et exemptionis haberi seu promulgari contingeret scienter vel ignoranter, irritos et inanes nulliusque exsistere roboris vel momenti; voluit autem, quod Angelus et sui successores praedicti omnes et singulos fructus, redditus et proventus dictae ecclesiae in ipsius ecclesiae et domorum fabricam et utilitatem omnino convertere deberent. Non obstantibus *etc.* Ne autem Angelus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XIV kal. aprilis, ... anno I.

1048. Iohanni Heimelich, O. F. M., in theologia lectori, capellano et confessario Ludovici, lantgravii Hassiae, concedit, ut receptio eius in capellanum S. Sedis et facultas recipiendi beneficium ecclesiasticum, XIV kal. iulii, pontificatus anno XVI concessae ab Eugenio IV, perinde valeant, ac si super his litterae praedecessoris praefati confectae fuissent (1).

1447, martii 19, Romae.

Rationi congruit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XIV kal. aprilis, ... anno I.

1049. Zanino de Vigueria, O. F. M., pro quo ut capellano suo nobilis vir Iohannes, marchio Montisserrati, supplicavit, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (2).

1447, martii 19, Romae.

Rationi congruit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XIV kal. aprilis, ... anno I.

1050. Iohanni Fernandi de Medina, rectori parochialis ecclesiae de Sotodosos, Seguntin. dioec., Alfonsi, electi Toletan., in Romana curia procuratori, reservat simplex servitorium beneficium in ecclesia S. Thomae Toletan., quod vacare speratur per ingressum Alvari de Zuazo in domum S. Iacobi extra muros Papien. O. F. M. de observantia (3).

1447, martii 19, Romae.

Rationi congruit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XIV kal. aprilis, ... anno I.

1051. Praecentori ecclesiae Barchinonen. mandat, ut audiat et decidat causam inter Petrum Vernet et Nicolaum Romra, clericos Barchinonen., circa parochialem ecclesiam SS. Gervasii et Protasii, Barchinonen. dioec., ad quam illius vacationis occurrente tempore eius patronus (tunc Franciscus Soribes) abbatissae (tunc Margaritae) monasterii de Petrisalbis, O. S. Cl., eiusdem dioec., personam idoneam praesentare debet, quam dicta abbatissa et patronus simul ordinario loci praesentare debent (4).

1447, martii 19, Romae.

Rationi congruit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XIV kal. aprilis, ... anno I.

1052. Archiepiscopo Bituricen. mandat, ut Iohanni Iacobi, monacho monasterii S. Sulpitii extra muros Bituricen., O. S. Ben., qui cum licentia ministri provinciae Turonen. a domo Bituricen., O. F. M., ad praefatum monasterium transierat et plurimos inibi monachos in grammatica et cantu instruxerat, concedat facultatem recipiendi quodcumque beneficium O. S. Ben. (5).

1447, martii 19, Romae.

Rationi congruit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XIV kal. aprilis, ... anno I.

---

(1) Reg. Vat. t. 432, f. 67.

(2) Reg. Lat. t. 436, f. 21.

(3) Reg. Lat. t. 438, f. 284. Eodem die Iohanni Roderici de Poza, canonico Calagurritano, reservat praestimoniales portiones de Quintanilla de Cueza ac de Aldea maiori et de Mambrilla, Palentin. dioec., pariter vacantes per ingressum eiusdem Alvari in O. F. M. de observ. Reg. Lat. t. 432, f. 262. Item eodem die archidiacono ecclesiae Calagurritan. mandat, ut Iohanni Garsiae de Fresnos, clerico Seguntin. dioec., reservet praestimonia et simplicia beneficia parochialium ecclesiarum S. Iohannis de Otero, de los Galegos ac de Yertega et de Bernui cum palatio, dioec. Segobien., eodem modo vacantia. Reg. Lat. t. 433, f. 27.

(4) Reg. Vat. t. 441, f. 256. Cf. supra n. 805, p. 380.

(5) Reg. Lat. t. 432, f. 85v.

1053. Abbati monasterii S. Angeli de Calaserva, Eugubin. dioec., mandat, ut Angelum Iohannis de Callio, qui ante decretum Martini V ab ordine fratrum Minorum ad monasterium de Mutino, O. S. Ben., postea vero propter discordias et guerras capitales in illis partibus exortas ad monasterium S. Petri de Massa, pariter O. S. Ben., transierat, a censuris et irregularitatibus absolvat eique concedat facultatem in O. S. Ben. et monasterio de Massa perpetuo remanendi (1).

1447, martii 19, Romae.

Rationi congruit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XIV kal. aprilis, ... anno I.

1054. Laurentium, episcopum Puteolan., O. F. M., transfert ad ecclesiam Tricaricen. (Tricarico) (2).

1447, martii 29, Romae.

Venerabili fratri Laurentio, episcopo Tricaricen.

Quam sit onusta dispendiis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV kal. aprilis, ... anno I.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Tricaricen.; Clero civitatis et dioec. Tricaricen.; Populo civitatis et dioec. Tricaricen.; Universis vasallis ecclesiae Tricaricen.*

1055. Sororibus III O. S. Fr. oppidi S. Audomari, Morinen. dioec., concedit remissionem plenariam in articulo mortis et facultatem emittendi tria vota substantialia religionis (3).

1447, aprilis 1, Romae.

Dilectis in Christo filiabus sororibus tertii ordinis S. Francisci ac pauperibus et infirmis necnon servientibus hospitalis B. Mariae de Sole, extra muros oppidi S. Audomari de S. Audomaro, Morinen. dioec.

Vestrae devotionis exposcit sinceritas *etc.* Hinc est, quod Nos, vestris supplicationibus inclinati, vobis tenore praesentium indulgemus, quod saecularis vel regularis sacerdos *etc.* Praeterea, ut vos, sorores, eo ferventius in humilitatis spiritu Altissimo famuletis et pauperum servitiis insistatis, quo maioribus per Nos et Sedem Apostolicam favoribus et gratiis fueritis communitae, vobis, videlicet magistrae praefati hospitalis pro tempore exsistenti, in vestri ministri, et aliae sorores praesentes et futurae in praedictae magistrae manibus tria vota substantialia religionis ad instar aliorum dicti ordinis religiosorum in manibus suorum superiorum eadem voventium anno probationis elapso, quotiens opus fuerit, libere et licite vovere et emittere necnon fugientes a saeculo ad habitum probationis recipere ac in huiusmodi hospitali in communi perpetuo vivere valeatis, ipsaque magistra dicta vota recipere ac ad earum consortium admittere possit, de licentia tamen visitatorum earumdem, libere et licite, concedimus pariter et indulgemus per praesentes. Insuper, ut visitator praefatus, alioquin alius sacerdos idoneus saecularis vel regularis, de licentia tamen dicti visitatoris, quem vos sorores praesentes et futurae duxeritis eligendum, confessionibus vestris diligenter auditis, quotiens opus fuerit, nisi talia forent, propter quae Sedes Apostolica merito consulenda exsistat, absolvere et poenitentiam iniungere salutarem necnon sacramentum eucharistiae recipere, quotiens opus fuerit, etiam a religiosis et de ordinibus mendicantium, iure tamen parochialis ecclesiae in omnibus semper salvo praefata auctoritate tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, kalendis aprilis, ... anno I.

1056. Defendit famam S. Bernardini de Senis adversus calumniatores (4).

1447, aprilis 14, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universalis ecclesiae regimini *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenio papae IV, praedecessori Nostro, pro parte Amadei de Landis, laici, tunc in civitate Mediolani commorantis, inter alia exposito, quod olim, postquam dilectus filius Franciscus de la Cruce, canonicus Mediolanen., tunc vicarius in spiritualibus generalis archiepiscopi Mediolanen., et quondam Iohannes de Puteo Bonello, ordinis fratrum Praedicatorum professor, tunc inquisitor haereticae pravitatis in illis partibus auctoritate apostolica deputatus, ad falsam denuntiationem quorumdam malevolorum minus veraciter praetendentes ipsum Amadeum haeresis labe fore respersum, contra eum ad hoc vocatum seu citatum ex officio descenderant ad inquisitionem, nonnulli mendicantium ordinum professores in praedicta civitate Mediolanen. et dioecesi moram trahentes ausu temerario dictum Amadeum,

(1) Reg. Lat. t. 434 f. 11 v.
(2) Reg. Lat. t. 435, f. 112 v. Cf. supra n. 151, p. 78.
(3) Reg. Vat. t. 387, f. 6.
(4) Wadd. *Ann.* ad a. 1447, n. 8. « e bulla originali et e l. 1. de regular. f. 103 ». De S. Bernardino Senensi cf. supra n. 40, p. 27 et n. 895, p. 434.

non confessum nec convictum neque sententia cuiusvis condemnatum, inquisitionis negotio huiusmodi etiam indeciso manente praefata labe respersum fore in facie ecclesiae populi multitudine ad audiendum verbum Dei inibi congregata publice praedicare non erubuerant in animarum suarum periculum ac non modicum praedicti Amadei famae denigrationem pariter et iacturam; quodque, licet vicarius et inquisitor praedicti, in praedicto inquisitionis negotio rite postmodum procedentes, ipsum Amadeum nulla haeresis labe respersum esse invenissent eumque innocentem fuisse per suam sententiam declarassent, tamen dicti professores post praedictam sententiam, sicut ipsum Amadeum dicta labe respersum fuisse publice praedicarant, ita eum ab ipsa labe incontaminatum fore publice praedicare non curarant; idem praedecessor dilecto filio Iosepho de Brippio, canonico Mediolanen., aliis suis litteris dedit in mandatis, ut vocatis, qui forent vocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum foret, appellatione remota decerneret, faciens *etc.* Postmodum vero praedictus Ioseph, ad litterarum ipsarum exsecutionem procedens, postquam per suas certi tenoris litteras, quas in maioris et domus S. Francisci ecclesiarum Mediolanen. valvis ac in broleto novo civitatis Mediolanen. affigi fecit, omnes et singulos, quorum intererat vel interesse poterat, seu quos negotium illud tangebat seu tangere poterat, alicuius personae nomine non expresso ad singulos actus necessarios usque ad sententiam definitivam inclusive citari fecerat ac in negotio ipso de aliquorum testium receptione ad nonnullos actus processerat, per suam assertam sententiam pronuntiavit et declaravit Bernardinum de Senis, ordinis fratrum Minorum professorem, ausu inconsulto dictum Amadeum, non confessum nec convictum neque sententia alicuius iudicis condemnatum, praedicta labe haeresis respersum fore publice praedicasse et ipsum Amadeum, virum catholicum, taliter praedicari non debuisse ac Bernardinum praedictum ad sic praedicandum de facto processisse necnon eum et quoslibet alios praedicatores teneri et debere publice praedicare praedictum Amadeum indebite et iniuste praedicatum fuisse et ab ipsa labe incontaminatum fore; requirens nihilominus et monens omnes et singulos, qui super his requisiti forent, ac eis et eorum singulis in virtute sanctae obedientiae et sub quibusdam censuris et poenis iniungens, quatenus infra sex dies tunc proxime futuros post praesentationem seu notificationem praedictorum huiusmodi litteras apostolicas, sententiam et processum publicare et facere publicari deberent; praedictum quoque Bernardinum, quoties requisitus foret, publice praedicare praedictum Amadeum fore iniuste praedicatum et a labe haeresis incontaminatum et taliter praedicari non debuisse debere cum effectu; alioquin in omnes et singulos inobedientes et in quoscumque contradictores et rebelles ac praedictum Amadeum super praemissis in aliquo impedientes necnon ipsum impedientibus dantes consilium, auxilium vel favorem excommunicationis sententiam inter cetera promulgavit et alia fecit, prout in instrumento publico super praemissis confecto plenius continetur. Quam assertam sententiam praedictus Amadeus Bernardino praefato (quem illius notitiam, licet per plura tempora postmodum supervixerit, numquam habuisse comperimus) intimare vel insinuare seu ad notitiam deducere nullo umquam tempore curavit. Post cuius Bernardini dormitionem in Domino antiqui hostis invidia procurante, cuius est proprium, ut quorum actus viventium contaminare non potest, eorum famam, ne illa christifidelibus bonae opinionis odore et exemplo fructifera reddatur, mordere et labefactare non desinat, praedictus Amadeus inimici hominis instigatione ad eiusdem Bernardini claram celebremque famam et in populo christiano fructus uberes afferentem denigrandam per quosdam mendicantium et aliorum quorumdam ordinum professores praedictam assertam sententiam coram populo ad audiendum divina congregato pluries publicari ac dictum Bernardinum, quod dolenter referimus, dictae sententiae ac praedicationis per praedictum Bernardinum de dicto Amadeo factae et aliorum superius expressorum praetextu mortalis peccati culpam incurrisse ac sententia excommunicationis ligatum fuisse et in mortali peccato ac excommunicatione decessisse praedicari et diffamari procuravit et fecit ipseque asserere et dietim disseminare seu diffamare, ut satanae minister, polluto ore non erubuit nec erubescit. Cum igitur Nobis apertissime et indubio ac per clara documenta constiterit praedictam sententiam contra non legitime citatum ac in praedictis dicti praedecessoris Nostri litteris non comprehensum et nullo legitimo iuris vel iudicii ordine servato inimico spiritu procurante prolatam fuisse et multiplicibus nullitatis et iniustitiae vitiis et defectibus subiacere ac Bernardinum praefatum iustitiae zelo et animarum utilitate exigente et ante inchoatam aliquam inquisitionem errores quosdam ipsius Amadei, ne fideles animas inficerent, ac ipsum Amadeum iuste, sancte et religiose corripuisse et reprehendisse; praedictumque Amadeum per praedictos vicarium et inquisitorem sic absolutum fuisse, quia prius errores illos, de quibus inquisitus fuerat, coram illis publice abnega-

verat et detestatus fuerat et cum iuramento promiserat sub certis poenis tunc expressis se de cetero neque ipsos articulos nec alium a fide catholica deviantem asserere, dogmatizare vel tenere, prout in dicto instrumento desuper confecto seriosius continetur: Nos, praedicta attendentes ac, quod, si praedictus bon. mem. Bernardinus, de cuius fide, animi puritate, charitatis ardore et sanctissima praedicatione plurimam dictus praedecessor confidentiam et notitiam habebat, ac cuius rectam doctrinam et merita ferventissime commendabat, eidem praedecessori nominatus fuisset, praedictas litteras nullatenus concessisset, contra quem etiam easdem concedere suae numquam intentionis fuisse comperimus, ut etiam idem praedecessor in certis aliis litteris venerabili fratri Nostro episcopo Lauden. et dilecto filio vicario in spiritualibus generali venerabilis fratris Nostri archiepiscopi Mediolanen. directis apertissime declaravit, quodque alias multipliciter praedictae litterae subreptitiae et obreptitiae emanarunt, et considerantes, quod, nisi cohibeantur huiusmodi excessus, animarum pericula et scandala exinde verisimiliter oriri poterunt, ac, ut calumniandi viros gloriosos et veritatis evangelicae fidelissimos praedicatores, qualem praedictum Bernardinum fuisse cognovimus, cuius vita sanctitate et obitus innumeris miraculis, ut fide dignorum relatione percepimus, clarent et redolent, licentia comprimatur, super his opportune providere volentes, ex certa Nostra scientia et non ad alicuius super hoc Nobis oblatae petitionis instantiam, sed motu proprio ac de praemissis plenissime informati, processus praedictos, testium receptionem, sententiam seu pronuntiationem, declarationem, monitiones, requisitiones, mandata ac litteras praedictas a dicto Ioseph emanatas et omnia alia praemissa ac quaecumque inde secuta, quorum omnium tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate apostolica tenore praesentium nulla et invalida ac nullius roboris vel momenti fuisse et esse decernimus et declaramus eaque nihilominus, in quantum opus sit, cassamus, revocamus, irritamus et annullamus ac dictam sententiam iniquam, iniustam et irritam esse decernimus; necnon litteras ipsas de registris Nostris, processus vero, testes, sententiam et alia praemissa de libris seu protocollis notariorum, qui illa in scriptis redegerunt et alias ubicumque scripta sint, per omnes et singulos, ad quos pertinet seu quomodolibet pertinere potest vel etiam poterit, infra sex dierum spatium, postquam praesentium Nostrarum litterarum notitiam habuerint, sub excommunicationis poena, quam eos ipso facto, si contrafecerint, incurrere volumus, penitus aboleri eisque fidem aliquam in iudicio seu extra, ubicumque exhibita seu ostensa fuerint, nullatenus adhiberi debere decernimus et mandamus. Et insuper, quia Nobis apertissime constitit dictum Bernardinum, catholicae fidei fidelissimum praedicatorem et salutis animarum christiani populi ardentissimum zelatorem, iuste, sancte et religiose ac secundum divina et humana mandata praedicti Amadei errores corripuisse et confutasse ac, quidquid circa praemissa vel praemissorum occasione per eum praedicatum fuit, recte, sancte, iuste et religiose ab eodem Bernardino processisse, praesenti perpetuo valitura constitutione decernimus et declaramus eumdem Bernardinum, cuius doctrinam infinitis fidelibus ad animarum salutem procul dubio profecisse, et quem pro reductione aberrantium ab ipsius fidei cultu verbis et operibus ac praedicationibus per diversa mundi loca plurimum laborasse certissima veritate didicimus, propterea nullum peccatum mortale seu veniale incurrisse, sed potius Dei exinde gratiam et animae suae merita acquisivisse, necnon ipsum dictorum sententiae, pronuntiationis, declarationis, requisitionis, monitionis et mandati ac quorumlibet aliorum per Ioseph praedictum contra praedictum Bernardinum seu alias prolatorum seu factorum vel aliquorum inde secutorum praetextu nulla sententia excommunicationis seu alia censura, poena, inobedientia vel delicto aliquo quomodolibet ligatum fuisse seu esse, sed ipsum Bernardinum in quibusvis locis, in quibus praedicationis officium exercuit, quaecumque circa praemissa praedicavit, publicavit et evangelizavit, praedicare licite potuisse. Praeterea omnibus et singulis tam clericis quam religiosis et laicis, cuiuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis vel conditionis exsistant, qui contra ipsum Bernardinum occasione praemissorum aliquid in eorum praedicationibus vel aliis locis publicis dicere, detrahere vel publicare praesumpserunt hactenus vel in futurum praesument, sub eiusdem excommunicationis poena et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus in praedicationibus et aliis locis publice revocent, quae de tanto viro male et iniuste dicere, detrahere seu publicare non erubuerunt, ipsumque Bernardinum in praemissis iuste et debite processisse, dixisse et praedicasse nullasque propterea censuras et poenas vel peccatum aliquod quomodolibet incurrisse publice praedicent et asseverent, ipsis nihilominus et praecipue dicto Amadeo ceterisque personis, ne de cetero praemissorum occasione eius famae detrahant, perpetuum silentium imponentes et praedicta facere vel attentare sub

dictae excommunicationis sententia prohibentes, mandantes nihilominus sub eiusdem excommunicationis poena quibuscumque clericis vel religiosis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis exsistant, quatenus ad omnem requisitionem guardianorum dicti ordinis Minorum de observantia vel alicuius eorum in missis et praedicationibus praesentes Nostras litteras et omnia in eis contenta publicent, praedicent et insinuent, ac omnibus et singulis locorum ordinariis ac eorum vicariis ceterisque praelatis et officialibus, qui per aliquem ex guardianis praedictis super praemissis fuerint requisiti, quatenus omnes et singulos tam religiosos quam clericos seu etiam laicos, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis exsistant, ad quos praedicta vel aliquod praedictorum tangunt vel tangit vel tangere quomodolibet poterit, etiam ubicumque morentur, ad sic de registris Nostris et libris seu protocollis notariorum ac alias, ubicumque praemissa scripta reperiantur, abolendum, male et iniuste praedicata vel publicata revocandum, praedicandum et has Nostras litteras publicandum ceteraque alia, ut supra praemittitur, faciendum per censuram ecclesiasticam et omnia alia iuris remedia omni appellatione remota auctoritate Nostra compellant, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praemissis ac dictis aliis praedicti praedecessoris Nostri litteris praedictis, episcopo Lauden. et vicario praedicti archiepiscopi Mediolanen. super praemissis et eorum occasione directis, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, etiamsi ad illarum executionem quomodolibet sit processum, et aliis apostolicis constitutionibus *etc.*; aut si ipsis communiter vel divisim *etc.* Ceterum, quia difficile foret praesentes Nostras litteras, quas apud vicarium fratrum dicti ordinis Minorum de observantia provinciae Mediolanen. pro tempore exsistentem remanere volumus, ad quaecumque loca deferri *etc.* Nulli ergo *etc.* Nostrae constitutionis, declarationis, concessionis, revocationis, irritationis, annullationis, mandati, impositionis, prohibitionis et voluntatis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XVIII kal. maii, ... anno I.

1057. Vicario generali citramontano O. F. M. de observ. committit congregationem capituli vicariorum et fratrum sibi subiectorum (1).

1447, aprilis 27, Romae.

Generali vicario citramontano [*ordinis fratrum Minorum de observantia*].

Dil. fili sal. etc. Quia experientia teste cognovimus magnos ac uberrimos esse animarum fructus, quos laudabilis vita fratrum tui ordinis in horreum dominicum quotidie cumulat, cupimus atque intendimus, quantum Nobis ex alto permittitur, praedictis fratribus opportunos praebere favores, quo in suae regulae puritate, prout hactenus fecerunt, se valeant conservare, neque ipsa in re aliquid detrahemus de ardore et zelo, quem bon. mem. Eugenium IV, praedecessorem Nostrum, novimus habuisse. Quare devotioni tuae committimus et mandamus, ut omnibus vicariatus tui provinciarum vicariis aliisque fratribus, qui videbuntur idonei, in locum, quem duxeris deputandum, congregatis auctoritate Nostra et vigore officii tibi commissi illa omnia facias, ordines, disponas, reformes et iubeas cum maioris partis congregatorum voluntate, quae ad bonum regimen, vivendi conformitatem et integram regulae vestrae observantiam et ad melius quietiusque Domino famulandum necessaria ac utilia videbuntur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die XXVII aprilis, anno 1447.

1058. Episcopo Tornacen. mandat, ut monasterio S. Petri Bromen., O. S. Ben., guerris plurimum diminuto, cuius campanile et campanae incendio ex fulgure proveniente consumpta remanserunt, quodque vacabat cessione Nicolai de Laines, abbatis, senio confracti et sensibus hebetati, praeficiat Nicolaum de Chardin, O. F. M., pro quo Philippus, dux Burgundiae, ac conventus praefati monasterii supplicarunt, in abbatem, reservata tamen praedicto Nicolao de Laines annua pensione (2).

1447, maii 2, Romae.

Romani pontificis providentia circumspecta *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VI nonas maii, ... anno I.

---

(1) Nic. Glassberger, *Chronica*, ap. *Analecta Franciscana*, t. II, Ad Claras Aquas, 1887, p. 318.

(2) Reg. Lat. t. 435, f. 84v. — Sub hac die (2 maii) in *Umbria seraphica* apud *Miscellanea francisc.*, t. V, Foligno 1890, p. 30, commemoratur bulla Nicolai V *Digna reddimur*, qua abbatissae O. S. Cl. iniungit, ut omni anno officio suo renuntiet in manu visitatoris, ut non admittat ad habitum vel professionem sine licentia visitatoris, et concedit capellano monialium facultatem eis administrandi ecclesiastica sacramenta.

1059. Fratribus in Bosna constitutis concedit facultatem eligendi vicarium et limites eius iurisdictionis circumscribit (1).

1447, maii 14, Romae.

Dilectis filiis custodibus, guardianis ceterisque fratribus ordinis Minorum in regno Bosnae constitutis.

Cupientes circa bonum statum vestrum et locorum vobis commissorum salubriter providere, volumus et tenore praesentium mandamus vobis, ut auctoritate Nostra eligatis et deputetis in regno Bosnae tantum et suis confinibus, qui fratribus vestri ordinis praesit, unum vicarium, cuius auctoritas et officium contineatur et claudatur infra antiquos confines et limites, videlicet a flumine Drava usque ad Adriaticum mare. Volumus quoque et statuimus, ut privilegia per summos pontifices, praedecessores Nostros, vicariae Bosnae concessa solum huiusmodi Bosnae vicario nec in aliis partibus constitutis suffragentur; quodque praefatus per vos eligendus pro tempore vicarius per generalem ministrum dicti vestri ordinis confirmetur et illi obedire teneatur, iuxta ipsius statuta et consuetudines hactenus observatas, concessionibus ... ceterisque in contrarium editis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie idus maii, ... anno I.

1060. Cornelium Omulalay, O. F. M., instituit episcopum Clonferten. (2).

1447, maii 22, Romae.

Dilecto filio Cornelio Omulalay, electo Clonferten.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Thoma, episcopo Clonferten., regimini Clonferten. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum praedicti episcopi, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, Nos *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, ordinem ipsum expresse professum, in theologia baccalaurium et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XI kal. iunii, ... anno I.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Clonferten.; Clero civit. et dioec. Clonferten.; Populo civit. et dioec. Clonferten.; Universis vasallis ecclesiae Clonferten.;* praeterea *Archiepiscopo Tuamen.;* (Ad cumulum); et *Henrico, regi Angliae* (Gratiae divinae).

1061. Mandat, ut fratribus et sororibus III O. S. Fr. ex ipso ordine expulsis auferant mantellum et habitum dicti ordinis (3).

1447, maii 31, Romae.

Universis locorum ordinariis ipsorumque vicariis et aliis officialibus per Lombardiae et alias circumadiacentes partes constitutis, ad quos praesentes litterae pervenerint.

Apostolicae Nobis iniunctum desuper *etc.* Cum itaque, sicut ad Nostrum non sine displicentia grandi pervenit auditum, plerumque contingat nonnullos ex fratribus et sororibus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati sub regimine et gubernatione seu visitatione dilectorum filiorum fratrum ordinis Minorum de observantia, provinciae Mediolanen. iuxta morem eiusdem ordinis Minorum, in diversis civitatibus et dioecesibus Lombardiae et aliarum circumadiacentium partium commorantibus, suorum salutis ac religionis seu professionis immemores, aliqua excessus et delicta perpetrare, propter quae non immerito iuxta regulam et instituta dicti tertii ordinis ab ipsorum fratrum seu sororum tertii ordinis consortio expelluntur, ac pro eo, quod dicti fratres et sorores sic expulsi, de per eos commissis non dolentes sed mala malis accumulantes, plura enormia seu inhonesta committunt, alii fratres et sorores honeste viventes, cum ipsi et dicti expulsi fratres et sorores unum et eumdem habitum gestent, plurimum diffamentur: Nos, super his salubriter providere volentes, discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum, quotiens pro parte fratrum vel sororum honeste viventium desuper fueritis requisiti seu aliquis vestrum fuerit requisitus, postquam ipsi fratres vel sorores honeste viventes pretium seu valorem mantelli vel habitus, quem dicti expulsi fratres vel expulsae sorores gestaverint, eisdem expulsis fratribus vel sororibus persolverint seu solvere obtulerint realiter et cum effectu, auctoritate Nostra dictum mantellum seu habitum ab ipsis expulsis fratribus vel sororibus incontinenti post expulsionem eorum auferatis et illum solventi-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 6. « e l. 1. de regular. a. I, f. 7 ».

(2) Reg. Lat. t. 435, f. 50; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 7. Cf. supra n. 543, p. 259, ubi ecclesia Clonferten. pariter dicitur vacare per obitum Thomae episcopi.

(3) Reg. Lat. t. 442, f. 28.

bus praedictis tradatis seu auferri et tradi faciatis, non permittentes fratres vel sorores sic expulsos huiusmodi mantellum seu habitum praedictum gestare, contradictores *etc.*, invocato *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie kal. iunii, ... anno I.

1062. Mandat, ut Iohanni de Rubeis, converso O. F. M., conferat hospitale pauperum S. Spiritus Cremonen. per conversos O. S. Aug. regi solitum (1).

1447, iunii 1, Romae.

Venerabili fratri episcopo Cremonen.

Gerentes in desideriis cordis Nostri *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis de Rubeis, conversi ordinis fratrum Minorum, petitio continebat, quod olim hospitali pauperum S. Spiritus, domus beati Facii nuncupato, Cremonen., quod de iure patronatus laicorum exsistit et per conversos ordinis S. Augustini gubernari consuevit, et quod quondam Antonius de Bariliis, dicti ordinis S. Augustini conversus ac ipsius hospitalis rector, minister nuncupatus, dum viveret, gubernabat, per obitum eiusdem Antonii, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante dilectus filius nobilis vir Iohannes Galeaz de Ponzonibus, miles Cremonen., verus patronus dicti hospitalis ac exsistens in pacifica possessione vel quasi iuris praesentandi, personam idoneam ad illud, dum vacat, postquam ipsum hospitale per nonnullos successive absque canonico titulo detentum et occupatum fuerat, ac dilectus filius Raphael de Caymis illius possessionem, cui etiam de facto incumbebat, realiter dimiserat, eumdem Iohannem in rectorem seu ministrum dicti hospitalis elegit sive nominavit, ipseque Iohannes obtenta prius per eum super hoc a dilecto filio ministro provinciali dicti ordinis Minorum provinciae Lombardiae iuxta morem eiusdem ordinis licentia electionis sive nominationis huiusmodi praetextu ipsum hospitale exstitit assecutus, licet de facto, nullos tamen fructus percipiens ex eodem. Cum autem secundum praemissa electio sive nominatio praedictae viribus non subsistant et, sicut accepimus, dictum hospitale adhuc, ut praefertur, vacare noscatur, Nos ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ipsum Iohannem ... absolvas in forma ecclesiae consueta iniunctis *etc.* Et nihilominus ... hospitale praedictum, cuius fructus, redditus et proventus, qui in sustentationem pauperum et alios pios usus convertuntur, centum florenorum auri secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipse Iohannes asserit, non excedunt, ... praefato Iohanni, si alias sit idoneus, et aliud canonicum non obsistat, per eum, quoad vixerit, tenendum ... committas, inducens *etc.* contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod idem Iohannes, quamprimum dicti hospitalis possessionem fuerit vigore praesentium pacificam assecutus, ex tunc illum gestet habitum, qui per conversos ordinis S. Augustini huiusmodi geri consuevit ac illorum institutis regularibus se conformet *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, kalendis iunii, ... anno I.

1063. Mandat ut fratribus O. F. M. provinciae Romandiolae concedat ecclesiam S. Luciae in burgo Castri Bononien. (Castel Bolognese), Imolen. dioec. (2).

1447, iunii 6, Romae.

Dilecto filio vicario venerabilis fratris Nostri episcopi Imolen. in spiritualibus generali.

Ut ea, quae pro religionis propagatione *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum ministri et fratrum ordinis Minorum beati Francisci provinciae Romandiolae nuper Nobis exhibita petitio continebat, quod olim dilecti filii universitas et homines Nostri Castri Bononien., Imolen. dioec., considerantes, quod, si domus una dicti ordinis prope castrum ipsum consisteret, suarum animarum saluti tam in divinis audiendis officiis quam aliis salubribus monitionibus debita foret cum honestate consultum, ac animadvertentes parochialem ecclesiam S. Luciae, sitam in burgo eiusdem castri, nullos fructus, redditus vel proventus habere, illam tunc per liberam resignationem dilecti filii Iohannis de dicto castro, ipsius ecclesiae rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus venerabilis fratris Nostri Petri, episcopi Imolen., extra Romanam curiam sponte factam et per eumdem episcopum extra eamdem curiam auctoritate ordinaria admissam vacantem, cum suis domo et habitatione praefatis ministro et fratribus ad hoc, ut cum Sedis Apostolicae licentia claustrum, dormitorium refectorium, hortum, cellarium et alias necessarias officinas pro eorum usu et habitatione ibidem construere, erigere et aedificare ... seu construi erigi et aedificari facere tenerentur, praefati episcopi ad hoc expresso accedente consensu unanimiter et concorditer maxima cum devotione assignarunt, cuius assignationis vigore minister et fratres praedicti possessionem dictae ecclesiae, prout iuxta constitutiones dicti ordinis

(1) Reg. Lat. t. 442, f. 2v. (2) Reg. Lat. t. 436, f. 171v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 8.

possunt, de simili consensu fuerunt pacifice assecuti et illius domum inhabitant de praesenti, sperantes ab eadem Sede gratiam huiusmodi obtinere. Quare pro parte dictorum ministri et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut assignationem huiusmodi ac aliis praemissis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere necnon eis circa dictam ecclesiam ... claustrum, dormitorium, refectorium, hortum, cellarium et alias officinas huiusmodi construendi, aedificandi et erigendi ... licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi praemissa vera esse reppereris, ... assignationem praedictam et quaecumque inde secuta auctoritate Nostra approbes et confirmes ac dictis ministro et fratribus licentiam fundandi, erigendi, construendi ... dormitorium, claustrum ... et alias officinas huiusmodi pro eorum usu et habitatione plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra largiaris. Nos enim ... universis et singulis fratribus dicti ordinis, quos in eadem domo pro tempore residere contigerit, ut omnibus privilegiis *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VIII idus iunii, ... anno I.

1064. Mandat, ut sororibus III O. S. Fr. Aquilan. sub regula S. Clarae vivere volentibus assignet monasterium Corporis Christi in loco de S. Victorino (1).

1447, iunii 6, Romae.

Dilecto filio archipresbytero ecclesiae S. Victorini de Aquila.

Gloriae perennis ac sempiternae beatitudinis *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Antoniae de Florentia, Euphrosynae, Gabrielae et Hieronymae de Tuderto ac Franciscae de Assisio, Iacobellae de S. Iohanne Rotundo necnon Clarae, Iacobae, Elisabeth, Ludovicae, Angelae, Caeciliae, Agathae et Luciae de Aquila, mulierum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati professarum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsae, quae per multos annos in congregatione satis honeste, caste, laudabiliter et devote, aliquae etiam ex eis cum sinceritatis et virginalis pudoris integritate vixerunt, ad perfectiorem statum ac frugem melioris necnon arctioris vitae aspirantes, consiliis et praedicationibus dilecti filii Iohannis de Capistrano, ordinis fratrum Minorum professoris, inductae, primam regulam beatae Clarae profiteri et in illo perpetuo Altissimo famulari ferventius concupiscunt; quodque in civitate Aquilana, in qua, nec etiam a Mantuana et Nostris Ferrarien. et Pisauren. civitatibus citra, aliquod monasterium dictae regulae, in quo huiusmodi suum pium desiderium adimplere valeant, non exsistit, tempore piae mem. Clementis papae VI, praedecessoris Nostri, quondam Iohannes Iacobi, alias Galioffi, ac eius haeredes ex ipsius Iacobi testamentaria dispositione quoddam monasterium sub vocabulo Corporis Christi, alias Eucharistiae, cum ecclesia, campanili, campana, claustro, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis in loco de S. Victorino iuxta rem haeredum dicti Iacobi, vias publicas et alios tunc expressos confines, in quo virgines Deo dicatae et aliae honestae mulieres [Altissimo famularentur], pro praedecessorum et successorum suorum animarum salute fundarunt et construxerunt necnon sufficienter dotarunt illiusque et ecclesiae cuiusdam tunc expressi hospitalis per eos constructi curam bonae memoriae Paulo, tunc electo Aquilan., submiserunt, ipsorum monasterii, ecclesiae et hospitalis iure patronatus sibi et successoribus reservato; ac deinde ad dictorum patronorum petitionem et instantiam dictus Paulus electus disposuit et ordinavit moniales in illo monasterio pro tempore recipiendas habitum suscipere et ordinem fratrum Praedicatorum profiteri ac sub cura et regimine fratrum ordinis Praedicatorum huiusmodi vivere, quemadmodum dilectae in Christo filiae sorores monasterii de Nuntiata Aquilan., ordinis S. Augustini, suscipiunt, profitentur et subsunt, et quod in praedicto fundando monasterio aliqua, nisi per eosdem patronos praesentata fuerit, in illius sororem recipi non deberet, ac gubernatio, visitatio ac correctio earumdem sororum fundandi monasterii, nisi de voluntate, consilio et assensu dictorum patronorum fieri non deberet; ac dictus Paulus electus pro se suisque successoribus promisit ecclesiam monasterii S. Eucharistiae et hospitale huiusmodi bene regere et gubernare et in nullo opprimere et gravare ac nihil aliud quam unam libram cerae annuatim in festo S. Maximi persolvendam exinde contra dictorum patronorum illiusque priorissae et sororum pro tempore exsistentium [consensum] ... extorquere. Et, sicut eadem petitio subiungebat, venerabilis frater Noster Amicus, episcopus Aquilan., et dilectus filius Nardus de Roma, viceprocurator dilecti filii Iacobi de Regno, generalis procura-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V. n. 9 « e l. 1 de regular. a. I, f. 64 ». Cf. supra n. 841, p. 395. Quae primo loco nominatur inter sorores, est B. Antonia de Florentia.

toris dicti ordinis fratrum Praedicatorum in Romana curia, de consensu et voluntate dilectorum filiorum nobilium virorum Petri Lalli, militis, et Iohannis Baptistae de Camponischis, fratrum, et Antonii Baptistae, etiam militis, et Galioffi de Galioffis fratrum, domicellorum Aquilanorum, ad quos ius patronatus huiusmodi, ut a nonnullis asseritur, haereditario iure pervenit, coram dilecto filio Nostro Iohanne, S. Mariae Transtiberim presbytero cardinale, insimul convenerunt, ut omnia et singula silvae, prata, vineae, campi aliaque mobilia et immobilia bona, redditus et proventus ipsius monasterii Corporis Christi quodam prato tunc expresso ex illis excepto, quod mensae episcopali Aquilanae in recompensam iuris et librae cerae antedictae assignari voluerunt et assignarunt cum quinquaginta ducatis auri, quos tunc deposuerunt, praedicto episcopo postmodum, ut asseritur, persolutis praedictae domui S. Dominici pro illius fundatione et reparatione applicarentur, ac in dicto monasterio Corporis Christi praedictus ordo S. Clarae institueretur ipsumque monasterium Corporis Christi regimini et gubernationi vicarii fratrum dicti ordinis fratrum Minorum de observantia provinciae Pennen. iuxta morem eiusdem ordinis Minorum subiiceretur, prout in instrumento seu instrumentis publicis superinde confecto seu confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictarum mulierum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi de conventione et aliis praemissis tibi legitime constiterit, in praedicto monasterio Corporis Christi S. Augustini supprimas et S. Clarae ordines instituas ipsumque monasterium Corporis Christi ab omnibus dominio, superioritate et subiectione fratrum ordinis Praedicatorum eximere et penitus liberare illudque regimini et gubernationi dicti vicarii penitus subiicere necnon mulieribus praedictis per eas et alias sorores dicti ordinis S. Clarae iuxta ritus, mores et instituta monasterii Corporis Christi Mantuan. eiusdem ordinis S. Clarae perpetuo tenendum, regendum et inhabitandum cum ecclesia ... et pro sepeliendis sororibus, illarumque servitoribus, servitricibus ac aliis devotis personis dicti ordinis S. Clarae coemeterio ac hortis, hortalitiis ac aliis necessariis officinis concedere et assignare, necnon quaecumque possessiones, domos, silvas, prata, vineas et bona mobilia et immobilia, redditus quoque et proventus ad praedictum monasterium Corporis Christi Aquilan. pertinentia domui praedictae S. Dominici pro fundatione et reparatione antedictis concedere et assignare ipsique monasterio Corporis Christi Aquilan. et illis personis dicti ordinis S. Clarae pro tempore exsistentibus, quod omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VIII idus iunii, ... anno I.

1065. Christophoro de Modoëtia, fratrum O. F. M. de observ. provinciae Mediolan. vicario, concedit licentiam recipiendi 4 loca in dicta provincia [1].

1447, iunii 7, Romae.

Dilecto filio Christophoro de Modoetia, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum provinciae Mediolanensis vicario.

Inter cetera desiderabilia cordis Nostri *etc.* Attendentes igitur, quod dilecti filii professores ordinis fratrum Minorum, praesertim qui in dicta provincia Mediolan. sub regulari observantia eiusdem ordinis degunt, ad honorem Dei et propagationem christiani nominis diligenter ac fideliter pro fide huiusmodi necnon divini cultus ac religionis augmento in eisdem plurima labores et studia fructuosa impendere poterunt et libenti animo impendent et, ut dicti professores eo ferventius dictis laboribus ac studiis insistere valeant, quo se apostolicis favoribus et gratiis amplioribus per Nos et Sedem Apostolicam noverint circumfultos: ipsorum professorum in hac parte supplicationibus inclinati, tibi et successoribus tuis vicariis dictae provinciae Mediolanen., qui pro tempore erunt, per vos vel alium seu alios quatuor loca in dicta provincia Mediolanen., si vobis ex eleemosynis aut alias fidelium largitione concedantur, recipiendi et in eorum quolibet ecclesiam sive oratorium cum campanili, campanis, coemeterio, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis ac aliis necessariis officinis construi et aedificari faciendi sive constructa et aedificata recipiendi pro usu et habitatione perpetuis aliquorum ex fratribus inibi perpetuo moraturorum dioecesanorum locorum et aliorum quorumcumque licentia super hoc minime requisita ac iuribus parochialium ecclesiarum et alterius cuiuslibet alias in omnibus semper salvis, fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur. Et insuper, quod domus per vos recipiendae praedictae ac fratres in eis pro tem-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 10. « e l. 1. de regul. anno I, f. 56 ».

pore degentes omnibus et singulis privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VII idus iunii, ... anno I.

1066. Antonio de Zetzina, fratrum O. F. M. de observ. provinciae Ianuen. vicario, concedit licentiam recipiendi 2 loca in dicta provincia (1).

1447, iunii 7, Romae.

Dilecto filio Antonio de Zetzina, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, provinciae Ianuens. vicario.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Tuis igitur supplicationibus inclinati tibi et successoribus tuis vicariis praedictae provinciae, qui pro tempore erunt, per vos vel alium seu alios duo loca in dicta provincia Ianuen., si vobis ex eleemosynis aut alias fidelium largitione conceduntur, recipiendi et in eorum quolibet ecclesiam sive oratorium cum campanili, campanis, coemeterio, claustro, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis ac aliis necessariis officinis construi et aedificari faciendi sive constructa et aedificata recipiendi pro usu et habitatione perpetuis aliquorum ex fratribus inibi perpetuo moraturorum, dioecesanorum locorum et aliorum quorumcumque licentia super hoc minime requisita ac iuribus parochialium ecclesiarum et alterius cuiuslibet alias in omnibus semper salvis, fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur. Et insuper, quod domus per vos recipiendae praedictae ac fratres in eis pro tempore degentes omnibus et singulis privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VII idus iunii, ... anno I.

1067. Thomae, archiepiscopo Tarsen., O. F. M., confessori Annae, ducissae Sabaudiae, concedit facultatem recipiendi unum vel duo beneficia ad collationem episcopi vel ecclesiae Gebennen. necnon abbatis et conventus monasterii S. Michaelis de Clusa, O. S. Ben., Taurinen. dioec., spectantia (2).

1447, iunii 14, Romae.

Personam tuam Nobis et Apostolicae Sedi devotam *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XVIII kal. iulii, ... anno I.

1068. Mandat, ut Ursulam de Sentserni, abbatissam, et moniales monasterii S. Clarae Ilerden., O. S. Cl., absolvat a censuris earumque causam appellationis decidat (3).

1447, iunii 16, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Terraconen. et dilecto filio archidiacono Ilerden.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Ursulae de Sentserni et aliarum monialium monasterii S. Clarae, Ilerden., ordinis eiusdem sanctae, petitio continebat, quod olim monasterio praedicto per obitum quondam Iolantis de Turribus, illius abbatissae, quae extra Romanam curiam decessit, vacante praedictae moniales, quae tunc conventum ipsius monasterii praesentabant, ad electionem futurae inibi abbatissae procedentes, vocatis omnibus, quae voluerunt, potuerunt ac etiam debuerunt electioni huiusmodi commode interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris, convenientes in unum dictam Ursulam, etiam tunc ordinem ipsum expresse professam et in aetate legitima constitutam, in earum necnon praefati monasterii abbatissam concorditer elegerunt et, licet Ursula, electioni huiusmodi illius sibi praesentato decreto consentiens, ac conventus praedictae electionem praefatam dilecto filio Iohanni Lobet (4), ordinis Minorum et in theologia professori ac provinciali provinciae Aragoniae secundum morem dicti ordinis Minorum, infra quam monasterium ipsum consistit, cum ad provincialem dictae provinciae pro tempore exsistentem confirmatio electionis abbatissae praefati monasterii de antiqua et approbata hactenusque pacifice observata consuetudine pertineat, debite praesentasset, petentes illam auctoritate ordinaria confirmari, in his omnibus statutis a iure temporibus observatis, tamen dictus Iohannes nulla rationabili subsistente causa confirmationem huiusmodi facere recusavit et nihilominus sub excommunicationis poena Ursulam, ut electioni huiusmodi renuntiaret, ac alias moniales praedictas, ne deinceps eam pro electa ibidem tenerent vel reputarent, monuit ac mandavit eisdem clavesque dicti monasterii ad se violenter recepit, et subsequenter Ursulam aliasque moniales praefatas pro eo, quod monitionibus et mandatis huiusmodi, sicuti nec tenebantur, non paruerant, fecit excommunicatas publice nuntiari ac in eodem monasterio cessari mandavit a divinis, unde pro parte

(1) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 11. e l. 1. de regul. anno I, f. 13 ».

(2) Reg. Lat. t. 432 f. 120. Huius concessionis exsecutionem eodem die litteris *Hodie specialem venerabili fratri Nostro Thomae* committit Abbati monasterii S. Rangueberti, Lugdunen. dioec., et Gebennen. ac Lausanen. officialibus. Ibid. f. 121.

(3) Reg. Lat. t. 442, f. 185.

(4) Cf. supra n. 938, p. 458.

dictarum Ursulae et aliarum monialium, exinde sentientium indebite se gravari, fuit ad Sedem Apostolicam appellatum Nobisque supplicatum humiliter, ut causam appellationis huiusmodi et negotii principalis aliquibus in partibus illis committere necnon ipsas Ursulam et alias moniales ab excommunicationis huiusmodi sententia ad cautelam absolvi mandare ac alias eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum vocatis Iohanne praedicto necnon aliis, qui fuerint evocandi, praefatae Ursulae et aliis monialibus, si hoc humiliter petierint, recepta tamen prius ab ipsis cautione idonea super eo, quod excommunicatae habentur, quod, si dictam excommunicationis sententiam in eas latam vobis constiterit fore iustam, Nostris et ecclesiae mandatis parebunt, absolutionis huiusmodi beneficium ad cautelam, si et prout iustum fuerit, auctoritate Nostra impendatis, super aliis vero auditis hinc inde propositis, quod iustum exstiterit, appellatione postposita decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XVI kal. iulii, ... anno I.

1069. Committit causam canonizationis S. Bernardini Senensis (1).

1447, iunii 17, Romae.

Venerabili fratri Iohanni, episcopo Praenestin., Tarentin., ac dilectis filiis Guillelmo, titulo S. Martini in montibus presbytero, ac Petro, S. Mariae novae diacono cardinalibus.

Cum fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, bon. mem. Nicolao, tit. S. Marcelli presbytero, et Alberto, S. Eustachii diacono cardinalibus, sub data Romae apud S. Petrum, anno incarnationis dominicae 1445, XVII kal. maii, pontificatus sui anno XV, commissionem fecerit in haec verba:

Sancta fidelium mater ecclesia *etc. (ut supra n. 895, p. 434).*

Et post factam commissionem praedictam eisdem praedecessore ac S. Marcelli et S. Eustachii cardinalibus viventibus supradictis religiosae memoriae frater Bernardinus novis continuo miraculis coruscavit, prout in dies coruscare dicitur. Nos eamdem commissionem, prout a dicto praedecessore Nostro facta fuit, vobis facimus per praesentes, dantes omnes facultates, quae in eiusdem Nostri praedecessoris litteris continentur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XV kal. iulii, ... anno I.

1070. 1) Petro, voivodae partium inferiorum Bosnae, 2) Thomae regi Bosnae, 3) Catharinae reginae Bosnae concedit facultatem secum habendi duos fratres O. F. M. ut capellanos (2).

1447, iunii 18, Romae.

1) *Dilecto filio nobili viro Petro, voivodae partium inferiorum Bosnae.*

Devotionis tuae sinceritas, quam ad Nos et Romanam geris ecclesiam, prout semper opere demonstrasti, dum inter haereticos constitutus, tu solus catholicus inter principes regni Bosnae sanctam fidem catholicam illibatam servasti, promeretur, ut petitionibus tuis, quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque in hac parte supplicationibus inclinati, devotioni tuae, ut duos fratres ordinis Minorum de observantia regulari, ubicumque te illos in vicaria Bosnae reperire contigerit, quos ad hoc duxeris eligendos, in tuos capellanos, quotiens opus fuerit, recipere illosque apud te tamquam tales in servitiis tuis ad celebrandum missas et alia divina officia tenere necnon eos ad civitates, villas et loca quaecumque superiorum suorum dicti ordinis licentia non requisita pro tuis necessitatibus libere et licite ducere ac transmittere possis, dictisque fratribus, ut servitiis tuis insistere aliaque singula praemissa facere possint et valeant, tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XIV kal. iulii, ... anno I.

2) *Charissimo in Christo filio Thomae, regi Bosnae illustri.*

Devotionis tuae sinceritas, quam ad Nos et Romanam geris ecclesiam, prout nuper etiam opere demonstrasti, dum te ad orthodoxae fidei unitatem sponte cum christifidelibus tui regni reduxisti, promeretur *etc.* (*ut supra, addito tamen post* loca quaecumque « etiam ad Romanam curiam »).

Datum, *ut supra.*

(1) Reg. Lat. t. 445 f. 195; Wadd. *Ann.* ad a. 1447, n. 9 « ex ipso autographo ». Cf. n. 1056, p. 530.

(2) Reg. Vat. t. 406, f. 65v. 66. De Petro voivoda cf. n. 1024, p. 511.

3) *Charissimae in Christo filiae Catharinae, reginae Bosnae illustri.*

Devotionis tuae sinceritas, quam ad Nos et Romanam geris ecclesiam, prout nuper etiam opere demonstrasti, dum te ad orthodoxae fidei unitatem sponte cum christifidelibus reduxisti, promeretur *etc. (ut supra).*

Datum, *ut supra.*

1071. Antonio de Oliveto, O. F. M., nuntio apostolico in Albania et Sclavonia, concedit facultates (1).

1447, iunii 20, Romae.

Dilecto filio Antonio de Oliveto, fratri ordinis Minorum de observantia regulari, nuntio apostolico.

Cum te ad partes Albaniae et Sclavoniae pro causis fidei Nostrum et Sedis Apostolicae nuntium ad praesens mittamus, cupientes illas tibi facere concessiones, in vim quarum christifidelibus earum partium te possis gratiorem reddere ac utiliorem, devotioni tuae non obstante, quod ordinis Minorum exsistis, per teipsum et substituendos a te baptizandi ad fidem christianam cuiuscumque sexus ac aetatis venire volentes, et baptizatos apostatas reconciliandi necnon alia ecclesiae sacramenta excepto dumtaxat chrismatis sacramento conferendi et peccata sua confitentes ab excommunicationibus atque ab omnibus casibus et censuris, etiam Sedi Apostolicae reservatis, bigamia, homicidio voluntario et mutilatione membrorum dumtaxat exceptis, semel tantum absolvendi, cum regularibus et in votis, religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis, dispensandi, et verbum Domini, ubicumque in dictis provinciis opus esse iudicabis, praedicandi facultatem concedimus auctoritate apostolica per praesentes, volentes, quod pro praedictis et aliis exsequendis commissionibus tibi factis, fratres tui et aliorum quorumcumque ordinum voluntarios accipere et tecum retinere vel ad diversa loca mittere possis et valeas. Ceterum, quia cupimus dilecto filio nobili viro Georgio Castriothi, domino in Albania, a fidelibus christianis favores et praesidia adversus Teucros praestari, eidem devotioni tuae convocandi et requirendi fideles illarum partium, ut praedicto Georgio favoribus assistant, et omnes, qui id facere enitentur, ab omnibus casibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis semel tantum absolvendi et eisdem, si forte tunc obierint, in mortis articulo plenariam absolutionem concedendi potestatem auctoritate praedicta tribuimus per praesentes.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XII kal. iulii, ... anno I.

1072. Iohannem de Capistrano, O. F. M., deputat executorem decretorum de iudaeis et Saracenis (2).

1447, iunii 23, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Super gregem dominicum Nobis licet immeritis *etc.* Dudum siquidem ad audientiam Nostram deducto iudaeos in omnibus Italiae partibus et provinciis certis indultis et concessionibus eis a Sede Apostolica ad futuram rei memoriam vel ab aliis quibuscumque concessis adeo erronee et perverse uti, ut his, quae eis gratiose et ad bonum et honestum finem et effectum concessa sunt, illi abutantur multaque sub eo praetextu inhonesta et turpia committant, ex quibus christianae religionis et fidei puritas non parum laeditur et mentes catholicorum christifidelium saepe scandalum patiuntur, ob quod per fel. rec. Eugenium papam IV, praedecessorem Nostrum, concessiones, privilegia et indulta huiusmodi iudaeis sub quibuscumque dominis, etiam in terris Nobis et Romanae ecclesiae mediate vel immediate subiectis, commorantibus, ut praemittitur, concessa usque ad terminos iuris communis dumtaxat operari nec ulterius aliquo pacto se extendi nec aliam quam ipsius iuris communis interpretationem pati aut recipere exstitit declaratum. Cum autem, sicut veridica relatione non sine displicentia grandi percepimus, licet a diversis Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris de iudaeis et Saracenis quamplura salubria constitutiones et decreta ac decretales epistolae emanaverint, praefati tamen iudaei et Saraceni in praefatis Italiae provinciis et locis commorantes, propriis affectibus et antiquae eorum perfidiae incumbentes, dum constitutionum, decretorum et decretalium epistolarum huiusmodi sensum legitimum ad sua vota non habent, ut illis illudere valeant, adulterinum intellectum superadducunt et veterem ipsorum malitiam ac temeritatem in christifideles continuare et in dies eorum nequitia praesumptuosius uti non verentur, in maximum christianae fidei vilipendium animarum quoque periculum pariter et iacturam, Nos, ut iudaei et Saraceni praedicti ac illorum fautores impii christiani poenarum impositionibus territi vereantur inantea in eorum perniciosos usus relabi, et chri-

(1) Reg. Vat. t. 406, f. 70v; Wadd. *Ann.* ad a. 1447, n. 13.

(2) Reg. Lat. t. 445, f. 196v; Wadd. *Ann.* ad a. 1447, n. 11 « ex ipso autographo ».

stifideles in sua persistentes fidelitate constanter non habeant propter illorum claudicare perfidiam, remediis, quibus possumus, prout ex debito pastoralis officii tenemur, praecavere cupientes ac ad orthodoxae fidei corroborationem et exaltationem praesentis perpetuo valiturae et irrefragabiliter observandae constitutionis edicto auctoritate apostolica omnia et singula constitutiones, decreta et decretales epistolas praedicta, quorum omnium tenores de verbo ad verbum praesentibus haberi volumus pro insertis, innovamus necnon sancimus, statuimus et ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus christiani cum iudaeis et Saracenis comedere aut bibere seu ipsos ad convivia admittere vel eis cohabitare aut cum ipsis balneari vel ab eis infirmitatis aut debilitatis seu alio quocumque tempore medicinam vel potiones seu vulnerum aut cicatricum curationes sive aliquod medelae genus accipere non debeant, ac christiani non permittant iudaeos et Saracenos contra christianos dignitatibus saecularibus praefici vel officia publica exercere. Iudaei quoque et Saraceni non possint esse arrendatores, collectores, conductores seu locatores fructuum, bonorum vel rerum christianorum seu eorum computatores, procuratores, oeconomi, negotiorum gestores, negotiatores, mediatores, proxenetae, concordatores sponsalium vel matrimoniorum tractatores, obstetrices, seu in domibus aut bonis christianorum aliquod opus exercere vel cum christianis societatem, officium aut administrationem in aliqua communione vel arte seu artificio habere ac nullus christianus iudaeis vel eorum congregationi seu Saracenis in testamento aut ultima voluntate aliquid relinquere possit vel legare. Iudaei quoque synagogas novas erigere aut construi facere non audeant, sed antiquas dumtaxat, non tamen ampliores vel pretiosiores solito, reficere valeant. Et in lamentationum ac dominicae passionis diebus per loca publica seu publice non transeant vel incedant nec ostia vel fenestras teneant apertas et ipsi iudaei ac Saraceni ad solvendum quascumque de quibusvis rebus et bonis decimas adstricti censeantur et contra eos in quibusvis casibus christiani testes esse possint, sed iudaeorum et Saracenorum contra christianos in nullo casu testimonium valeat, et apud christianos iudices et communes dumtaxat, non autem apud christianos iudices pro eis specialiter deputatos nec eorum seniores iudaei et Saraceni in quibuscumque causis agant et conveniantur, nec possint iudaei et Saraceni nutricem vel familiarem aut servitorem utriusque sexus christianum in domo tenere nec etiam christiani in sabbatis seu iudaeorum festivitatibus iudaeis ipsis ignem accendant vel cibum aut panem seu quodcumque aliud opus servile ad decorem cultus festivitatum eorumdem quomodolibet exhibeant vel servitium aut obsequium aliquod praestent vel intendant, saeculares quoque iudices christiani iudaeos vel Saracenos Deum aut gloriosissimam beatam Mariam virginem, eius genitricem, vel aliquos sanctos blasphemantes aut in hoc quomodolibet delinquentes pecuniaria vel alia graviori, de qua eis videbitur, poena, puniant et corripiant, necnon omnes et singuli iudaei et Saraceni cuiuscumque sexus et aetatis vel conditionis distinctum habitum ac notoria signa, per quae evidenter a christianis cognosci possint, ubique deferant et cum christianis non habitent, sed segregati et separati inter se degant, a christianis quoque usuras minime exigant, recipiant vel extorqueant necnon extortas illis, a quibus extorserunt, protinus sine difficultate restituant, et insuper, ut tam christifideles quam iudaei et Saraceni in praefatis Italiae partibus commorantes, praesentes et posteri, ad decretorum et decretalium epistolarum ac praedictarum et praesentis Nostrae constitutionum huiusmodi observationem omnimodam noverint efficaciter se teneri nec vigore seu praetextu quorumvis privilegiorum, exemptionum, libertatum, immunitatum, concessionum et indultorum eis quomodolibet et a quibuslibet concessorum ab observantia praedicta valeant aliquatenus se tueri, omnia et singula privilegia, exemptiones, libertates, immunitates, concessiones et indulta per fel. rec. Martinum papam V seu Eugenium IV ceterosque praedecessores Nostros Romanos pontifices ac alios quoscumque quibusvis christifidelibus ac eisdem iudaeis et Saracenis in specie vel in genere sub quibuslibet verborum formis etiam motu proprio et sub quacumque forma vel expressione verborum contra praemissa vel eorum aliquid quomodolibet facta vel concessa, quae omnia similiter praesentibus, ac si de verbo ad verbum inserta forent, pro sufficienter expressis haberi volumus, necnon quaecumque inde secuta eadem auctoritate cassamus, revocamus et annullamus ac nullius decernimus roboris vel momenti. Praeterea universos et singulos venerabiles fratres Nostros archiepiscopos, episcopos et dilectos filios principes, dominos temporales, capitaneos, barones, milites, nobiles, communitates et ceteros quoscumque christifideles ecclesiasticos et saeculares in praefatis Italiae partibus commorantes, cuiuscumque status, gradus vel conditionis fuerint, obsecramus in Domino et per aspersionem sanguinis domini nostri Iesu Christi exhortamur eisque in remissionem suorum peccaminum iniungimus, ut et ipsi decreta, decre-

tales epistolas et constitutiones praedicta observent et per eorum tam christianos quam iudaeos et Saracenos subditos faciant inviolabiliter observari. Et nihilominus eisdem utriusque sexus fidelibus ac iudaeis et Saracenis praefatis, praesentibus et futuris, praecipimus et mandamus, quatenus infra quindecim dierum spatium a die publicationis praesentium in loco, in quo ipsi degunt, faciendae computandorum omnia et singula decreta, decretales epistolas et constitutiones praedicta ac in illis et praesentis Nostrae constitutionis litteris contenta observare incipiant et observent cum effectu nec de cetero ullo umquam tempore contra praemissa vel aliquid praemissorum in toto vel in parte per se vel alium seu alios quovis quaesito colore directe vel indirecte venire, facere seu aliter attentare audeant vel praesumant; alioquin lapsis diebus eisdem iudaei vel Saraceni, qui mandato, praecepto et litteris huiusmodi resistere praesumpserint et cum effectu non paruerint, privationis seu amissionis omnium bonorum suorum mobilium et immobilium poenam incurrant, quae quidem bona vel eorum pretium per exsecutorem seu exsecutores infrascriptos in fabricae seu reparationis cathedralium et aliarum ecclesiarum ac piorum locorum utilitatem, ubi bona huiusmodi consistunt, prout exsecutori seu exsecutoribus eisdem visum fuerit, converti volumus et harum serie auctoritate praedicta exponi mandamus. Et quia parum est iura condere, nisi per aliquem exsecutioni debitae demandentur, dilectum filium fratrem Iohannem de Capistrano, ordinis Minorum professorem, omnium praedictorum exsecutorem auctoritate apostolica deputamus, instituimus et ordinamus, concedentes eidem plenam et liberam potestatem tam per se ipsum quam per idoneos religiosos sui ordinis vel alterius per eumdem, cum sibi visum fuerit, deputandos inquirendi, admonendi, exhortandi et sollicitandi principes ac praelatos et dominos tam ecclesiasticos quam saeculares praedictos, ut omnia et singula praedicta faciant diligentius observari, quibus in aliis ordinis negotiis occupatis seu alias negligentibus seu ultra praefatum terminum retardantibus ipse idem dilectus filius Iohannes de Capistrano per se vel per suos deputandos, ut praefertur, procedere valeant et ea exsecutioni debitae effectualiter demandare, contradictores *etc.*, invocato *etc.* Verum, quia difficile foret *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IX kal. iulii, ... anno I.

1073. Ad se revocat causam inter Hilarium, olim O. F. M., abbatem monasterii S. Marciani extra muros Terdonen, O. S. Ben., et Iohannem, episcopum Terdonen., et decernit Hilarium ad solutionem pensionis non teneri (1).

1447, iunii 27, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ad ea ex iniuncto Nobis desuper *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, V kal. iulii, ... anno I.

1074. Roderico de Villalacu, O. F. M., concedit ecclesiam S. Andreae de Muga prope villam de Bastida, Calagurritan dioec., pro habitatione fratrum O. F. M. de observ. (2).

1447, iunii 30, Romae.

Dilecto filio priori monasterii S. Mariae de Stella, Calagurritan. dioec.

Inter cetera desiderabilia cordis Nostri *etc.* Sane pro parte dilecti filii Roderici de Villalacu, ordinis fratrum Minorum professoris, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim venerabilis frater Noster Petrus, episcopus Calagurritan., pro divini cultus et religionis augmento ecclesiam sine cura S. Andreae de Muga prope villam de Bastida, Calagurritan. dioec., quae tunc ruinam minabatur, eidem Roderico et nonnullis aliis fratribus dicti ordinis sub illius regulari observantia degentibus per aliquos ex eis tenendam, regendam et inhabitandam, donec et quousque illa sibi per Sedem Apostolicam concederetur, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate ordinaria dedit, concessit et assignavit, ipsique Rodericus et fratres, praefatam ecclesiam dationis, concessionis et assignationis earumdem obtentu assecuti, nulla pro eo desuper a Sede praedicta licentia obtenta tamquam capellani dictae ecclesiae inibi permanentes, illam, quam mediantibus fidelium eleemosynis in suis structuris et aedificiis reparari facere coeperunt, ex tunc inhabitarunt, prout inhabitant de praesenti. Cum autem datio, concessio et assignatio praedictae iuxta constitutionem fel. rec. Bonifatii papae VIII, praedecessoris Nostri, ... viribus non subsistant ac, sicut eadem petitio subiungebat, dicti Rodericus et fratres dubitent se ex praemissis excommunicationis sententiam incurrisse, pro parte eorumdem Roderici et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus eosdem Rodericum et fratres, si id a te humiliter petierint, ab excommunicationis aliisque sententiis, censuris et poenis ... hac vice dum-

(1) Reg. Vat. t. 406, f. 83. Cf. supra n. 739, p. 351. (2) Reg. Lat. t. 442, f. 37 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 12.

taxat absolvas in forma ecclesiae consueta iniunctis *etc.* Et nihilominus, si tibi temporis qualitate et loci conditione ac circumstantiis universis pensatis id videbitur faciendum, ... ecclesiam praedictam, quae sine cura est et fructibus, sicut accepimus, ac rectore caret, cum ombus iuribus et pertinentiis supradictis Roderico et fratribus praefatis per aliquos ex eis perpetuo tenendam, regendam et inhabitandam, ita quod apud seu iuxta illam domum cum campanili, campana, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis pro ipsorum fratrum usu et habitatione necessariis officinis fundare et construi facere possint, iure parochialis ecclesiae et cuiuslibet alterius alias in omnibus semper salvo, eadem auctoritate Nostra concedas pariter et assignes, non obstantibus *etc.* Nos enim ... eisdem Roderico et fratribus, quod domus per eos apud seu iuxta ecclesiam fundanda huiusmodi ac fratres in ea pro tempore degentes omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, ... anno 1447, pridie kal. iulii, ... anno I.

1075. Monasteria de Oterdesillas et Palentin. de Amusco aliaque in regnis Castellae et Legionis consistentia, O. S. Cl., eximit a iurisdictione episcoporum et a quibuscumque solutionibus (1).

1447, iunii 30, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet Romanus pontifex religiosas personas *etc.* Cum itaque ..., licet fel. rec. Iohannes papa XXII, praedecessor Noster, universis abbatissis et conventibus monialium inclusarum ordinis S. Clarae sive S. Damiani, attendens regularitatis observantiam, in qua vivebant, vestigia piae mem. Bonifatii papae VIII, etiam praedecessoris Nostri, sequi volens, ut ad praestationem decimarum de quibuscumque possessionibus et aliis omnibus bonis suis, quae tunc habebant et in futurum acquirere possent, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet ordinariorum, etiam archiepiscoporum et episcoporum, et quibuslibet talliis ac collectis et ad exhibendum pedagia, telonia et alias exactiones quibusvis regibus et principibus seu aliis personis saecularibus minime tenerentur, per litteras suas indulserit, nihilominus nonnullae ex dilectis in Christo filiabus abbatissis et conventibus monasteriorum monialium dicti ordinis seu S. Damiani in regulari observantia viventes in regnis Castellae et Legionis consistentium contra tenorem et effectum dicti asserti indulti, dum ab ordinariis locorum, ubi consistunt, super solutione decimarum seu subsidiorum vexarentur, illas per certos annos, licet invitae, solvere compulsae fuerunt in non modicum suorum et dictorum monasteriorum damnum et iacturam. Quare pro parte abbatissarum et conventuum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis et dictis monasteriis, quae sunt et erunt pro tempore in dictis regnis, super hoc de opportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ad ordinem et monasteria praedicta specialem gerimus devotionis affectum, Iohannis et Bonifatii praedictorum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, earumdem abbatissarum et conventuum in hac parte supplicationibus inclinati, ut in eisdem monasteriis eo devotius divinis intendere possint, et ne propter solutionem praedictam indultum per Iohannem praedecessorem praedictum, ipsis, ut praemittitur concessum, interruptum censeatur et quaestiones ac differentiae inter ipsas et ordinarios locorum tempore procedente propterea oriantur, ut indultum ipsum, de quo Nobis alias, quam per transsumptum scriptum fides fieri non potuit, in suo robore permaneat, S. Clarae de Oterdesillas et Palentin. de Amusco ac omnes alias in eadem regulari observantia in ipsis regnis ad praesens et pro tempore monasteriorum dicti ordinis in regulari observantia viventes abbatissas et conventus ad omnem abundantem cautelam, quamdiu in regulari observantia permanserint, cum omnibus iuribus et pertinentiis, seque ac bonis suis mobilibus et immobilibus quibuscumque tam praesentibus quam futuris ab omni iurisdictione, dominio, potestate necnon exactione, correctione et visitatione quorumcumque archiepiscoporum, episcoporum et ordinariorum locorum, qui sunt et erunt pro tempore, et ab eis deputatis seu deputandis iudicibus, delegatis seu subdelegatis, auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium prorsus eximimus et perpetuo liberamus ac sub beati Petri et Sedis Apostolicae protectione suscipimus atque Nostra, illasque et illa Nobis et successoribus Nostris Romanis pontificibus canonice intrantibus et dictae Sedi dumtaxat volumus subiacere, ita quod archiepiscopi, episcopi, ordinarii et ab eis deputati seu deputandi iudices, delegati seu subdelegati praedicti aut quaevis alia persona saecularis vel regularis, ecclesiastica vel mundana, quacumque praefulgeat dignitate, nullam in abbatissas, conventus, moniales, monasteria sive loca huiusmodi, utpote prorsus a Nobis exempta, ra-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 13. « e l. 1 de regul. a. I, f. 251 ». De monasterio de Amusco cf. supra n. 1020, p. 508.

tione delicti vel contractus aut rei, de qua agetur, in iudicio vel extra, ubicumque committatur delictum vel initiatur contractus seu res ipsa consistat, possint excommunicationis, suspensionis vel interdicti aut quamcumque sententiam promulgare aut iurisdictionem praestare aut dominium exercere, sed coram Nobis et dicta Sede dumtaxat seu Nostris et ipsius Sedis legatis teneantur de iustitia respondere, quinimo abbatissas, conventus et moniales supradictas cum eorum monasteriis et locis ab omni decimarum, primitiarum, exactionum, subsidiorum, gabellarum, pedagiorum et aliorum onerum quorumcumque solutione, contributione et aliis quibuscumque perpetuo exemptas esse volumus, immunes exemptaque libera et immunia, piae mem. Innocentii papae IV, praedecessoris Nostri, et aliis quibuslibet ... non obstantibus quibuscumque. Et nihilominus omnibus et singulis archiepiscopis, episcopis, iudicibus delegatis et subdelegatis praedictis et aliis quibuscumque, cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis exsistant, ac aliis quibuscumque, etiam reginali, regali aut alia quacumque praefulgeant dignitate, sub poena excommunicationis, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto, districte praecipiendo mandamus nihilominus, ne abbatissas, conventus et monasteria ac loca huiusmodi super praemissis et certa causa impetant, vexent, perturbent quomodolibet vel molestent, decernentes ex nunc omnes et singulas excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias et quoscumque processus quasvis censuras et poenas ecclesiasticas in se continentes, quas vel quos adversus abbatissas, conventus, moniales et monasteria et loca praedicta contra tenorem et formam Nostrae exemptionis huiusmodi haberi contigerit seu etiam promulgari, irritas et inanes nulliusque exsistere roboris vel momenti. Per hoc autem dilectis filiis generali ministro ac aliis ordinis Minorum huiusmodi pro tempore exsistentibus officialibus nullum, quin omnem, quam hactenus habuerunt et de praesenti habent, curam, dispositionem et quamlibet aliam ordinationem in abbatissas, conventus, monasteria et loca praedicta libere et licite valeant exercere, volumus praeiudicium generari. Ceterum, ne abbatissae, conventus, moniales, monasteria et loca praedicta contra tenorem exemptionis et alia praedicta in posterum per aliquem molestentur, venerabilibus fratribus archiepiscopo Hispalen. et episcopo Oveten. ac dilecto filio priori monasterii S. Benedicti Vallisoleti, Palentin. dioec., per priorem soliti gubernari, mandamus, quatenus ipsi aut alter eorum per se vel alium seu alios abbatissis, conventibus, monialibus, monasteriis et locis praedictis, quae sunt et erunt pro tempore, quotiens pro parte eorumdem fuerint requisiti seu alter eorum fuerit requisitus, in praemissis et circa ea efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittant eas earumque monasteria et loca per archiepiscopos, episcopos, ordinarios, iudices et alios praefatos seu alios quoscumque super huiusmodi exemptione necnon iuribus, bonis et pertinentiis quibuscumque contra praesentium litterarum continentiam atque formam quomodolibet molestari, facientes abbatissas, conventus, monasteria et loca huiusmodi plena ubique immunitate, exemptione et libertate praedictis gaudere; contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie kal. iulii, ... anno I.

1076. Iohanni de Capistrano O. F. M. renovat facultates pro exstirpatione fraticellorum « de la opinione » (1).

1447, iulii 3, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Capistrano, ordinis fratrum Minorum professori, haereticae pravitatis inquisitori.

Apostolicae Sedis providentia circumspecta *etc.* *(ut supra n. 63, p. 39).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, V nonas iulii, ... anno I.

1077. Iohannem Gasto, alias Leutsol, O. F. M., instituit episcopum Castren. (Castro in Sardinia) (2).

1447, iulii 3, Romae.

Dilecto filio Iohanni Gasto, alias Leutsol, electo Castren.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Francisco, episcopo Castren., regimini Castren. ecclesiae praesidente Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata Castren. ecclesia per obitum eiusdem Francisci episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta Nos *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, V nonas iulii, ... anno I.

Simili modo eodem die scribit *Capitulo ecclesiae Castren.* et *Populo civ. et dioec. Castren.*

(1) Reg. Vat. t. 406, f. 77; Wadd. *Ann.* ad a. 1447, n. 10 « e bulla originali ».

(2) Reg. Lat. t. 435, f. 137; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 14.

1078. Mandat, ut decretum capituli provincialis provinciae Siciliae in civitate Messanen. celebrati, ne officium ministri provincialis ultra triennium extendatur, confirmet et observari faciat (1).

1447, iulii 4, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitan.

Sedis Apostolicae copiosa benignitas *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum Nicolai Tirro et Antonii de Stabili, ordinis fratrum Minorum professorum et in theologia magistrorum, in regno Siciliae ultra pharum residentium, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsi et dilecti filii Iohannes de Capistrano, tunc fel. rec. Eugenii papae IV, praedecessoris Nostri, vicarius et commissarius in provinciali capitulo per fratres dicti ordinis dudum in civitate Messanen. pro electione futuri eorum provincialis ministri celebrato ab eodem Eugenio deputatus, Antonius de Sichilo (2), Antonius de Plaza, Ansaldus de Ocra, etiam dicti ordinis professores et magistri in theologia, et quamplures alii diversorum conventuum dicti ordinis et diversarum civitatum et locorum dicti regni et provinciae Siciliae in civitate Messanen. praedicta in unum capitulariter pro electione praedicta facienda congregati fratres, provide considerantes gravia dispendia, scandala, gravamina et pericula, quae ex diutina longaevaque permanentia ministrorum dicti ordinis in provincia praedicta deputatorum hactenus eidem provinciae evenerunt, unanimiter et concorditer nemine discrepante inter cetera statuerunt, ordinaverunt et decreverunt, quod officium ministri provinciae huiusmodi in antea ultra triennium nullatenus extendatur, et qui in ministrum dictae provinciae in capitulo praefato tunc eligeretur, coram omnibus fratribus et eidem capitulo praesidentibus et in manibus definitorum eiusdem ad sancta Dei evangelia praestaret iuramentum, quod non procuraret aut acceptaret electionem de se factam ultra terminum praedictum neque absolutionem et dispensationem iuramenti huiusmodi occasione officium praedictum ultra praefatum triennium exercendi impetraret, quodque, si forsan in posterum dispensatio huiusmodi a quocumque summo pontifice aut generali ministro ordinis praefati motu proprio illi concederetur, ea sub poena periurii per se vel aliam personam nullatenus uteretur et, si ipsum attentare contrarium contingeret, ipso facto omni actu legitimo privatus exsisteret, nullusque fratrum dictae provinciae illi amplius obedire teneretur, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Quare pro parte Nicolai et Antonii de Stabili praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, dictis supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si et postquam tibi de statutis, ordinationibus et decretis praedictis legitime constiterit, illa necnon litteras praedictas ac omnia et singula in eis contenta et quaecumque inde secuta, sicuti rite facta prospexeris, auctoritate Nostra approbes pariter et confirmes omnesque defectus suppleas, si qui forsan intervenerint in eisdem, et nihilominus statuta, ordinationes et decreta huiusmodi facias ab omnibus et singulis fratribus dictae provinciae per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia appellatione cessante inviolabiliter observari, constitutionibus apostolicis necnon dicti ordinis statutis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV nonas iulii, ... anno I.

1079. Mandat, ut monasterio S. Benedicti Conversan., O. Cist., abbatissam praeficiat Zanziam Nardonen. (Nardo, prov. Lycien.), monialem monasterii S. Clarae Nardonen., O. S. Cl. (3).

1447, iulii 4, Romae.

Venerabili fratri episcopo Vigilien.

Sollicitae considerationis indagine *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, monasterium S. Benedicti Conversan., ordinis Cistercien., cui quondam Francisca, ipsius monasterii abbatissa, dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Franciscae, quae extra Romanam curiam diem clausit extremum, ad praesens sit abbatissae regimine destitutum, Nos, cupientes eidem monasterio *etc.* ac de meritis et idoneitate dilectae in Christo filiae Zanziae Nardonen., monialis monasterii S. Clarae Nardonen., ordinis eiusdem sanctae, quae, ut asseritur, ordinem ipsum expresse professa exsistit et per dilectas in Christo filias conventum dicti monasterii S. Benedicti in illius sic vacantis abbatissam de facto postulata exstitit, et pro qua etiam dilectus filius nobilis vir, Iohannes Antonius, princeps Tarentin. et regni Siciliae magnus comestabilis, Nobis super hoc humiliter supplicavit, apud Nos de religionis zelo *etc.*, certam notitiam non habentes, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de meritis et idoneitate huiusmodi te diligenter informes et ... de persona ipsius Zanziae monasterio S. Benedicti praefato, cuius fructus, redditus et proventus centum et quinquaginta flo-

(1) Reg. Lat. t. 442, f. 36 v.
(2) Cf. supra n. 947, p. 465.
(3) Reg. Lat. t. 435, f. 174 v.

renorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut etiam asseritur, non excedunt, ... provideas ipsamque Zanziam dicto monasterio S. Benedicti praeficias in abbatissam, eius curam *etc.*, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.* Et nihilominus, si eamdem Zanziam praefato monasterio S. Benedicti in abbatissam praefeceris, ... sibi munus benedictionis *etc.* Volumus autem, quod tu vel idem antistes, qui praefatae Zanziae munus huiusmodi impendetis, ab ea Nostro et Romanae ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum recipiatis iuramentum *etc.* quodque dicta Zanzia, quam primum vigore praesentium possessionem vel quasi regiminis et administrationis bonorum dicti monasterii S. Benedicti fuerit pacifice assecuta, ex tunc illum regularem gestet habitum, qui in dicto monasterio S. Benedicti geritur et habetur eiusque regularibus institutis se conformet.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV nonas iulii, ... anno I.

1080. Episcopo Ausaren. et abbati monasterii S. Trudonis de S. Trudone ac decano ecclesiae B. Mariae de S. Trudone, Leodien. dioec., mandat, ut conferant Henrico Katthyns, rectori parochialis ecclesiae S. Nicolai in Sacrinio (Zickeren), extra muros oppidi S. Trudonis, unum altare B. Mariae virg. in parochiali ecclesia S. Martini in Weustherk et alterum clericis saecularibus assignari solitum S. Matthiae in domo fratrum III O. S. Fr. de poen. nuncup. praedictae dioec. ([1]).

1447, iulii 11, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, V idus iulii, ... anno I.

1081. Donato de Puteo, O. F. M., provisori collegii Italicorum Parisien., concedit facultatem fundandi capellam in dicto collegio ([2]).

1447, iulii 14, Romae.

Dilecto filio Donato de Puteo, sacrae theologiae professori, collegii universitatis Parisien. Italicorum provisori et magistro ac Nostro et Sedis Apostolicae capellano.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, te in officio provisoris et magistri collegii Italicorum pauperum scholarium beatae Mariae de Charitate in monte S. Hilarii Parisien. auctoritate apostolica approbantes et confirmantes ipsumque officium tibi de novo concedentes teque in eodem officio constituentes et deputantes, tibi, ut unam capellam sub eiusdem beatae Mariae virginis in dicto collegio, ubi locus magis idoneus tibi esse videbitur, quoniam aliam capellam praedicti collegii prostratam esse intelleximus, fundandi et cum omni sollemnitate requisita, postquam fundata fuerit, missas et alia divina officia celebrandi et celebrari faciendi plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie idus iulii, ... anno I.

1082. Fratribus conventuum S. Mariae novae Neapolitan., S. Francisci de Gaeta, S. Francisci de Surrento et S. Francisci de Castello ad mare, O. F. M. de observ., concedit licentiam, ut bona eorumdem conventuum olim ad fratres conventuales spectantium vendi possint ([3]).

1447, iulii 18, Romae.

Dilectis filiis fratribus locorum S. Mariae de la Nova de Neapoli, S. Francisci de Gaieta, S. Francisci de Surrento et S. Francisci de Castello ad mare, ordinis Minorum de observantia regulari.

Cum proximis temporibus ad supplicationem christifidelium civitatum et terrarum, in quibus loca habetis, bon. mem. nonnulli Nostri praedecessores ipsa loca a fratribus vestri ordinis conventualibus habitata vobis concedi ac tenenda et habitanda dari voluerint ac curaverint insuperque iusserint bona immobilia, quae dicti conventuales tenuerant ac possederant, gubernari per aliquos saeculares, qui eorum bonorum fructus, redditus et proventus converterent in utilitatem reparationemque locorum vestrorum ac necessitates vestras, et Nobis fide digna relatione innotuerit tantam esse necessitatem reparationis ecclesiarum, aedificiorum et officinarum ac provisionis librorum et ornamentorum in praedictis locis vestris faciendarum, ut christifidelium eleemosynae largitionesque nullatenus sufficere videantur, Nos, considerantes, quod aliquando dici Nobis fecistis eam possessionum et bonorum immobilium retentionem pro locis vestris, ut praedicitur, factam, licet per procuratores saeculares viros illa gubernentur, aliqualiter contra regulae vestrae puritatem fieri, cum proprietatis suspicione non careat, et prop-

([1]) Reg. Lat. t. 433, f. 24.
([2]) Reg. Vat. t. 406, f. 103. Cf. supra n. 822, p. 386.
([3]) Reg. Vat. t. 406, f. 96v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 15. Eadem bulla sub die 2 iun. 1448 etiam exstat apud Wadd. t. 12. *Reg. pont.* Nic. V, n. 7 « e l. 1 de regul. a. II, f. 11 » cum pleniore clausula, de qua vide notam seq.

terea vestris in hac parte supplicationibus inclinati, procuratoribus ipsis, quorum nomina et cognomina hic haberi volumus pro sufficienter expressis, omnia ipsa bona, quotquot et qualiacumque sint (1), vendendi et alienandi pro pretio, quod iustum et decens sit, et pecunias inde perceptas in reparationem et fabricam ecclesiarum, aedificiorum et officinarum locorum vestrorum earumdemque ecclesiarum, librorum et ornamentorum necessitatem, prout vos in singulo loco duxeritis ordinandum, facultatem potestatemque auctoritate apostolica concedimus per praesentes.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XV kal. augusti, ... anno I.

1083. Concedit et disponit nonnulla statum prosperum fratrum III O. S. Fr. in Italia concernentia (2).

1447, iulii 20, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii Nobis licet immeritis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum universorum fratrum ordinis praelibati [III. O. S. Fr. de poenit.] in Italiae partibus commorantium Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsi pia largitione fidelium quamplura in diversis civitatibus, terris, castris, villis et aliis Italiae locis domos, oratoria atque loca pro ipsorum usu et habitatione perpetuis conquisiverunt, in quibus a mundanis semoti occupationibus sub solito eremitorio habitu hactenus laudabiliter vixerunt et de cetero eo sincerius in illis divinis laudibus et orationibus vacare proponunt, quo ab externis molestiis, curis et infestationibus magis fuerint expediti. Quare pro parte fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eos aliquibus statum ipsorum prosperum concernentibus apostolicis adminiculis confovere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, piam fratrum eorumdem intentionem plurimum in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fratribus praedictis praesentibus et futuris domos, oratoria atque loca praedicta, quae fratres ipsi pacifice possident, perpetuo retinendi et in illis residendi necnon de licentia ordinarii pariter et consensu capellas, oratoria et domos de novo fundandi et construendi et altaria erigendi aliaque necessaria pro missis et aliis divinis officiis celebrandis faciendi, capellas quoque et altaria huiusmodi per aliquem catholicum antistitem gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentem consecrari ac in eisdem domibus, oratoriis et locis huiusmodi missas et officia per eorum sacerdotes et alios pro eorum devotione celebrare volentes celebrari faciendi ipsisque sacerdotibus celebrandi et confessiones dictorum fratrum in domibus, oratoriis et locis huiusmodi degentium audiendi illisque pro commissis, nisi talia fuerint, propter quae Sedes ipsa sit merito consulenda, debitam absolutionem impendendi ac salutarem poenitentiam iniungendi ac ecclesiastica sacramenta, quotiens expedierit, ministrandi parochialium ecclesiarum iuribus semper salvis, et insuper pro ipsorum fratrum status directione ac discutiendis eorum vitae meritis corrigendisque et emendandis defectibus et erroribus ac domorum et locorum huiusmodi conservatione et manutentione capitulum congregandi et in illo unum ex ipsis, qui sufficiens et idoneus reputetur ac eis praesit necnon per exempla et vitae merita prosit, in eorum visitatorem et patrem principalem necnon quatuor alios ex eis magis expertos ac Deum timentes, quorum consilio et assensu idem visitator occurrentia negotia procurare et promovere debeat, eligendi et deputandi necnon tam locis et temporibus congruis futura capitula celebrandi quam etiam omnia et singula ad conservationem et augmentum personarum et locorum dicti ordinis necessaria et opportuna statuendi et ordinandi ac etiam delationi habitus aliquid, per quod a simplicibus eremitis, qui nul-

(1) *In bulla d. d. 2 iun. 1448 hoc loco inseritur:* etiam relicta sub onere dicendi missam dietim per fratres dictorum locorum et qualitercumque alienari prohibita per eos, qui ipsa bona concesserant, etiamsi clausulam apposuissent, quod in casu, quod alienarentur, ad haeredes ipsorum vel hospitalia seu alias ecclesias vel pauperes devolverentur, vel aliae conditiones quaecumque essent appositae, quas hic haberi volumus pro sufficienter expressis.

(2) Reg. Lat. t. 442, f. 216 et t. 436 f. 220v. (inclusa in alia bulla *Hodie siquidem* eiusdem diei, qua Eugubin. et Cremonen. episcopis ac abbati monasterii S. Pauli extra muros Urbis committit, ut « visitatori et patri principali universorum fratrum necnon etiam quatuor fratribus eiusdem ordinis, qui per generale capitulum eorumdem fratrum nuper et successivis temporibus per eos celebrandum ad conservationem et augmentum tam personarum quam locorum dicti ordinis una cum visitatore et patre principali praefato pro tempore eligentur, et eorum cuilibet efficacis defensionis auxilio » assistant et eisdem facultatem concedit « huiusmodi capitulum in loco congruo ... tam pro hac prima vice quam etiam deinde successivis temporibus de triennio in triennium et etiam, quoties opus fuerit et necessitas exegerit, convocandi mandandique et praecipiendi universis et singulis fratribus eiusdem ordinis per Italiam dumtaxat constitutis, ut ad capitulum et locum huiusmodi personaliter se conferre et convenire omnino debeant ». Huius bullae transsumptum exstat Reg. Vat. t. 410, f. 88. Cf. infra, n. 1095, p. 553, nota 3.

lius ordinis sunt, discernantur, honeste tamen, addendi vel immutandi, necnon in singulis domibus, oratoriis, capellis et aliis eorum locis et hospitalibus singulos ministros idoneos deputandi et eligendi, ipsique sic electi et deputati absque alterius apostolicae vel ordinariae confirmationis adminiculo in spiritualibus et temporalibus iuxta ipsius ordinis mores et instituta regularia regant pariter et gubernent et revoluto triennio huiusmodi visitationis officium cesset, praeterea visitatori praefato et aliis in eodem celebrando capitulo pro tempore deputatis visitatoribus domos, oratoria, capellas, hospitalia et loca huiusmodi eorumque personas, quotiens expedierit, in capite et in membris visitandi et reformandi et, si opus fuerit, corrigendi et puniendi ac personas easdem ab ipsorum domorum, oratoriorum, capellarum, hospitalium et locorum regiminibus realiter amovendi illosque privandi et eis habitum auferendi ac ad huiusmodi regimina alios idoneos ponendi et deputandi ipsosque privatos et amotos, si dictis visitatoribus videbitur, ad propria regimina reponendi, contradictores ... compescendi ac etiam, si opus fuerit, brachii saecularis auxilium invocandi, omniaque alia et singula in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria vel opportuna faciendi et exsequendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem et etiam potestatem. Universis etiam fratribus eiusdem ordinis, qui in ipsis locis pro tempore residebunt, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XIII kal. augusti, ... anno I.

1084. Donato de Puteo, O. F. M., theologiae professori, confirmat facultatem ab Eugenio IV datam recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1447, iulii 21, Romae.

Sedis Apostolicae circumspecta *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XII kal. augusti, ... anno I.

1085. 1) Agneti, conversae monasterii monialium O. S. Cl., Corporis Domini nuncupati, Ferrarien., 2) Iohanni, sorori tertiae regulae S. Francisci, monasterii S. Clarae Corporis Domini praedicti servitiis insistenti, concedit facultatem eligendi confessarium (2).

1447, iulii 23, Romae.

Benigno *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, X kal. augusti, ... anno I.

1086. Petit salvumconductum pro Donato de Puteo O. F. M. (3).

1447, iulii 24, Romae.

Universis et singulis, ad quos praesentes Nostrae litterae pervenerint.

Cum dilectus filius Donatus de Puteo, ordinis fratrum Minorum, theologiae professor, capellanus Noster, pro nonnullis Nostris et Romanae ecclesiae negotiis ad diversas mundi partes habeat personaliter se conferre, Nos, cupientes eumdem Donatum cum comitiva, sociis, famulis, equis, salmis, libris, rebus et bonis suis omnibus in eundo, stando et redeundo plena ubique securitate et immunitate ac favorabili tractatione gaudere, universitatem vestram et vestrum singulos requirimus et hortamur in Domino, subditis vero Nostris et gentium armigerarum capitaneis et conductoribus ubicumque ad Nostra et dictae ecclesiae stipendia militantibus districte mandamus, quatenus eumdem Donatum cum comitiva, sociis, familiaribus equestribus et pedestribus, usque ad numerum quatuor, equis, salmis, libris, rebus et bonis praedictis per Nostra et vestra territoria, passus, portus, pontes et loca quaelibet tam per aquam quam per terram absque solutione alicuius datii, pedagii, telonei, fundinavis vel gabellae aut alterius cuiuscumque indicti vel indicendi oneris exactione ire, stare et redire pro Nostra et Apostolicae Sedis reverentia libere permittatis nullamque sibi sociisque et familiaribus in personis, rebus et bonis eorum inferatis iniuriam, molestiam vel offensam aut aliam obnoxiam novitatem nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri, quinimo dictum Donatum benigne commendatum habentes sibi ac sociis et familiaribus huiusmodi, quoties pro parte ipsorum fueritis requisiti, de securo transitu, scorta, salvoconductu et receptu sic liberaliter providere curetis, quod vestra exinde devotio apud Nos et Sedem ipsam possit merito commendari. Praesentibus post annum minime valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IX kal. augusti, ... anno I.

(1) Reg. Vat. t. 406, f. 101. Vide supra n. 822, p. 386, quae bulla huic praesenti inserta est. Cf. etiam n. 1081, p. 546.

(2) Reg. Lat. t. 435, f. 273, 273v. De monasterio Corporis Chr. Ferrarien. cf. sup. n. 183, p. 91.

(3) Reg. Vat. t. 406, f. 103. De Donato de Puteo cf. supra n. 1084.

1087. Prioribus et syndico civitatis Assisii mandat, ut ex oblationibus ecclesiae S. Mariae Angelorum anno 1447 porrectis 150 floreni Clarissis dentur pro reparatione sui monasterii S. Clarae Assis. (1).

1447, iulii 25, Romae.

Prioribus et syndico Assisien.

Dil. filii sal. Cum, ut intelleximus, monasterium monialium S. Clarae civitatis illius in suis aedificiis non modica reparatione indigere noscatur, volumus et ita vobis hac serie expresse committimus et mandamus, quod de eleemosynis, quae de praesenti anno per christifideles ecclesiae B. Mariae de Angelis porrigentur et dabuntur, centum et quinquaginta floreni in reparationem dicti monasterii S. Clarae convertendi per vos recipiantur omni exceptione remota. In qua re plenam vobis damus tenore praesentium facultatem, et ita omnino faciatis.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die XXV iulii 1447, ... anno I.

1088. S. Bartholomaei de Metina de Campis et B. Mariae de Parrazes, Salamantin. et Segobien. dioec., monasteriorum abbatibus mandat, ut Petrum de S. Michaele, O. F. M., theologiae professorem, qui anno aetatis duodecimo domum S. Francisci Metinae de Campis, Salamantin. dioec., O. F. M., ingressus, post annum decimumquintum professionem emiserat, postea autem suis demeritis exigentibus de domo Sorien., eiusdem ordinis, Oxomen. dioec., ab illius guardiano eiectus et expulsus fuit, de commissis dolens, ad domum ordinis fratrum S. Spiritus Montispessulan. sub regula S. Augustini degentium transiit, absolvant a censuris, poenis et irregularitate eique concedant licentiam in ordine S. Spiritus perpetuo remanendi (2).

1447, iulii 27, Romae.

Solet Sedis Apostolicae copiosa benignitas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VI kal. augusti, ... anno I.

1089. Subiectionem monasterii S. Margaritae, O. S. Cl., extra muros Eugubin., sub episcopo Eugubin. revocat illudque restituit iurisdictioni ministri provinciae S. Francisci (3).

1447, iulii 29, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Sedis Apostolicae providentiae *etc.* Sane nuper, postquam ex gravi querela dilectorum filiorum ministri et fratrum ordinis Minorum, provinciae S. Francisci, percepimus, quod dudum, postquam nonnullae moniales monasterii S. Margaritae, ordinis S. Clarae, extra muros Eugubin., senserant dilectum filium Nostrum Dominicum, tit. S. Crucis in Ierusalem presbyterum cardinalem, in civitate Perusin. et partibus vicinis tunc Apostolicae Sedis legatum et dicti ordinis Minorum protectorem, in diversis locis dictae provinciae regularem observantiam observari debere procurare, dubitantes, ne ipsae, prout dicti ordinis S. Clarae monasteria monialium Perusii et Fulginei consistentia, ex parte dicti legati tunc ad regularem observantiam monita, per ministrum dictae provinciae ad observantiam huiusmodi redigi deberent, ne idem legatus in civitate Eugubin. reformationem huiusmodi etiam perficeret, ob diversas promissiones ipsis, si se regimini et protectioni episcopi Eugubin. subiicerent, per nonnullos factas motae, immemores votorum religionis et professionis suae, fratribus dicti ordinis obloquentes, se episcopo Eugubin., qui tunc fuit et foret pro tempore, in non modicum ordinis fratrum Minorum praedictorum praeiudicium et gravamen subiicere praesumpserunt, et deinde, dum fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, ad sinistram informationem dictarum monialium abbatissam et moniales dicti monasterii S. Margaritae a iurisdictione, correctione et visitatione ministri et fratrum dicti ordinis Minorum per litteras suas, licet nulliter et de facto, exemerat ac episcopo Eugubin. pro tempore exsistenti eiusque visitationi, correctioni et iurisdictioni easdem subiecerat, dictaeque litterae ad notitiam legati praefati tamquam protectoris ordinis Minorum huiusmodi pervenerant, idemque legatus, utpote protector, dicto episcopo scripserat, ne de dicto monasterio S. Margaritae se impediret, prout nec de illo legatione huiusmodi durante se impedivit, et deinde legatione huiusmodi finita, dum dictus episcopus se de dicto monasterio ingerere et possessionem illius capere vellet, nonnulli fratres et moniales ex praedictis ab his ad dictum praedecessorem Nostrum et Sedem Apostolicam appellarunt causaque appellationis huiusmodi venerabili fratri Nostro Baptistae, episcopo Camerinen., tunc unum ex locis palatii Nostri apostolici causarum auditorum tenenti, per eumdem praedecessorem commissa exstitit, et demum exspirante appella-

(1) *Arch. Franc. hist.* t. 5, 1912, p. 293; *Storia documentata della Porziuncola. Bolle, brevi e diplomi pontificii riguardanti il santuario e l' indulgenza della Porziuncola* t. I, n. 79, p. 85.

(2) Reg. Lat. t. 442, f. 167.

(3) Reg. Lat. t. 442, f. 44; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 16.

tionis tempore ad prosequendum eamdem, dum dictus episcopus senserat Nos per certum breve Nostrum ministro dictae provinciae scripsisse et reformationem dicti monasterii S. Margaritae praefatae commisisse, idem episcopus huiusmodi monasterium manu armata et violenta cum magno strepitu dictis monialibus et fratribus reclamantibus ingressus fuit ac moniales inibi existentes in non modicam dicti ordinis S. Clarae verecundiam extraxit et ad alia monasteria ordinis S. Benedicti transtulit. Quare pro parte ministri et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis et dicto ordini Minorum in praemissis celeriter providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, prout tenemur, in praemissis celeriter providere volentes, litteras exemptionis dicti monasterii S. Margaritae ac abbatissae, monialium eiusdem necnon subiectionis earumdem episcopo praefato a dicto praedecessore tamquam per praeoccupationem seu circumventionem obtentas et emanatas ac omnia inde secuta ex praemissis et certis aliis rationabilibus causis ad hoc animum Nostrum moventibus permoti revocamus, cassamus et annullamus et pro infectis haberi volumus nulliusque roboris vel momenti fore decernimus abbatissamque, moniales ac monasterium S. Margaritae praefata, quae sunt et erunt pro tempore, ad obedientiam, visitationem, correctionem, superioritatem et in statum pristinum, in quibus, antequam praemissa contingerent, erant, integre reducimus et reponimus necnon protectorem, ministrum et fratres praefatos quoad visitationem, correctionem et superioritatem abbatissae et monialium dicti monasterii S. Margaritae ac possessionem pristinos plenarie restituimus et reponimus per praesentes, mandantes ex nunc venerabili fratri Nostro Antonio, episcopo Eugubin., sub excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis aliisque censuris ecclesiasticis et poenis, quas, si contra fecerit, ipsum incurrere volumus et declaramus ipso facto, quatenus omnes et singulas moniales, ut praefertur, ex dicto monasterio S. Margaritae extractas quantocius omni contradictione cessante in dictum monasterium et statum pristinum plenarie reponat et restituat et sub iurisdictione, visitatione, correctione et superioritate pristinis ministri et fratrum praedictorum quiete stare permittat nec de illis ac monasterio S. Margaritae huiusmodi de cetero quovis quaesito colore sive ingenio se ingerat vel intromittat, decernentes ex nunc irritum et inane, quidquid per modernum seu pro tempore exsistentem Eugubin. episcopum contra praemissa fieri contigerit seu etiam attentari. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV kal. augusti, ... anno I.

1090. Fratres locorum Domus Dei et Scalae-coeli, Oxomen. et Palentin. dioec., O. F. M., a Petro de Villacreces fundatorum, absolvit a censuris et irregularitate et eos reponit sub iurisdictione ministri generalis aliorumque superiorum totius ordinis (1).

1447, iulii 29, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ad ea, per quae ecclesiasticarum *etc.* Dudum fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, ex certis tunc expressis causis motu proprio auctoritate apostolica ex certa scientia inter alia voluit et decrevit, quod omnia et singula domus, eremitoria ac loca ordinis fratrum Minorum ubicumque consistentia, in quibus regularis observantia vigeret, sub uno ultramontano et alio citramontano, ordinis et observantiae praedictorum, generalibus vicariis perpetuo subessent et subesse deberent, quodque fratres dictae observantiae singularum provinciarum iuxta morem praefati ordinis singulos provinciales vicarios eorumdem ordinis et observantiae, et quod ipsi omnes et singuli generales et provinciales vicarii, videlicet ultramontani in ultramontanis necnon citramontani in citramontanis partibus consistentibus domibus supradictis earumque pro tempore guardianis et fratribus sicut generalis minister et provinciales conventuales nuncupati praefati ordinis antea habere consueverant, plenariam iurisdictionem, potestatem et superioritatem habere valerent, necnon mandavit et districtius inhibuit omnibus et singulis guardianis, vicariis et fratribus ordinis et observantiae praefatorum, sub excommunicationis poena, quam contrafacientes ipso facto incurrere voluit, ne contra voluntatem priorem ac decretum praedicta facere vel venire praesumerent, prout in quibusdam ipsius praedecessoris desuper confectis litteris plenius continetur (2). Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Domus Dei (3) et Scalae-coeli dicti ordinis, Oxomen. et Palentin. dioec., fratrum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsae duae domus per quondam fratrum Petrum de

(1) Reg. Vat. t. 406, f. 226v.
(2) Vide supra n. 705, p. 332.
(3) Domus Dei eadem est ac domus Aquilarien. (Aguilera), de qua cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1159, p. 402; Scala Dei eadem ac domus de Tribuli (Abrojo).

Villacreces (1), praefati ordinis professorem, de vita religiosa ac aliis pluribus meritis et virtutibus, dum vixit, in illis partibus multipliciter commendatum, seu ad eius procurationem fundatae et erectae fuerint ac unum vicarium tamquam earum caput habere necnon alias generali ministro et aliis superioribus pro tempore exsistentibus eiusdem ordinis iuxta illius statuta et ordinationes subesse et obedire necnon aliqui ipsorum ad alias ipsius ordinis domos transferri consueverint, nec adhuc praefatae litterae eis legitime intimatae exstiterint, neque ipsi illas ratas et gratas habuerint ac de cetero non secundum earum continentiam huiusmodi sed, prout hactenus consueverunt, bene et laudabiliter vivere intendant, eorumque vita huiusmodi et ex privilegio piae mem. Martini, papae V, praedecessoris Nostri, approbata fuerit, pro parte fratrum exponentium praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum ac dictarum suarum domorum statui super hoc opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, exponentes praefatos omnes et singulos ab excommunicationis sententia huiusmodi, si quam pro eo, quod inhibitioni et mandato Eugenii praedecessoris huiusmodi non paruerunt, forsan incurrisse noscuntur, harum serie auctoritate apostolica absolventes ac cum eis super irregularitate, si qua sententia praedicta forsan ligati missas et alia divina officia non tamen in contemptum clavium celebrando vel se illis immiscendo quomodolibet contraxisse videntur, dispensantes, volumus ac dicta auctoritate apostolica decernimus, quod Domus Dei et Scalae-caeli domus supradictae eorumque fratres praesentes et futuri ex nunc in antea ullo umquam tempore sub litteris Eugenii praedecessoris ac voluntate, decreto, inhibitione, mandato et aliis in eis contentis huiusmodi vel eorum aliqua parte minime comprehendantur neque comprehendi debeant, quinimo, quod ipsi sub obedientia generalis ministri aliorumque superiorum pro tempore exsistentium totius ordinis huiusmodi perpetuo permanere et alias sub eisdem modis et formis laudabiliter vivere possint et debeant, prout ante dictarum litterarum Eugenii huiusmodi emanationem permanebant pariter et vivebant etiam perinde in omnibus et per omnia, ac si litterae Eugenii praedecessoris huiusmodi nullatenus emanassent. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV kal. augusti, ... anno I.

1091. Alphonso de Palentia, O. F. M. de observ., concedit licentiam recipiendi eremitorium S. Mariae de Gratia apud locum de Carmona, Hispalen. dioec., pro habitatione fratrum O. F. M. de observ. (2).

1447, augusti 2, Romae.

Dilecto filio fratri Alphonso de Palentia, ordinis fratrum Minorum beati Francisci de observantia regulari, dilecti filii Alphonsi de Borox (3), *provinciae regni Castellae dicti ordinis vicarii provincialis vicario.*

Inter ecclesiasticos ordines *etc.* Cum itaque ... dilecti filii rectores et gubernatores loci de Carmona, Hispalen. dioec., ob singularem devotionem, quam ad ordinem fratrum Minorum de observantia nuncupatorum gerunt, ... pro ipsorum suorumque progenitorum animarum salute et ad reverentiam et honorem gloriosi confessoris S. Francisci praefatique ordinis exaltationem et augmentum nonnullos fratres de observantia eiusdem ordinis in eremitorio S. Mariae del Alcor, a dicto loco per duo milliaria vel circa distante, ob carentiam aquarum, hortorum, hortalitiorum et aliorum necessariorum, ut eo quietius Altissimo famulari et christifideles illius loci ... praedicationibus ... instruere possint, cupiant ad eremitorium S. Mariae de Gratia nuncupatum, apud dictum locum situm, transferri huiusmodique eremitorium S. Mariae pro usu et habitatione dictorum et tui ordinis fratrum et in hunc finem, ut ex eremitorio S. Mariae domus et ecclesia pro fratribus huiusmodi sub observantia regulari viventibus cum campanili, campanis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis erigatur, fundetur et construatur, donare intendunt, si ad recipiendum illud ac alia praemissa faciendum Sedis Apostolicae suffragaretur auctoritas; et, sicut eadem petitio subiungebat, si eremitorium praefatum pro usu et habitatione dictorum fratrum erigendi, fundandi, construendi et aedificandi illudque recipiendi a Sede praedicta facultatem haberent, profecto plurimorum christifidelium dicti et etiam propinquorum locorum Deo lucrifacere posse sperarent, Nos igitur ... tibi, ut eremitorium praefatum, si tibi a rectoribus et gubernatoribus praedictis consignabitur, recipiendi illudque pro usu et habitatione dictorum et aliorum fratrum dicti ordinis cum ecclesia, campanili ... et aliis necessariis officinis erigendi, fundandi, construendi et aedificandi ... ac recipiendi et perpetuo retinendi, dioecesani loci, sub quo huiusmodi S. Mariae locus sive eremitorium situatum ex-

(1) De Petro de Villacreces cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 910, p. 305; n. 1118, p. 384; n. 1159, p. 402.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 17 «e l. 1 de regular. a. I, f. 261».

(3) Cf. supra n. 854c, p. 407.

sistit aut dicti ordinis superioris licentia super hoc minime requisita eadem auctoritate apostolica concedimus facultatem. Et insuper universis et singulis fratribus, quos in domo sic erigenda et construenda pro tempore residere contigerit, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite valeant, ac superioribus suis praefati ordinis dumtaxat in omnibus subiacere et subesse debeant, auctoritate praedicta concedimus, iure tamen *etc.*, fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV nonis augusti, ... anno I.

1092. Mandat, ut per probum virum se informet et referat de accusationibus contentis in petitione monialium monasterii S. Mariae matris Domini de Coneglano, Ceneten. dioec., circa visitationes dicti monasterii per fratres O. F. M. (1).

1447, augusti 6, Romae.

Laurentio episcopo Castellan.

Venerabilis frater salutem. Expositum est Nobis pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monialium monasterii S. Mariae matris Domini de Coneglano, Ceneten. dioec., quod, cum olim monasterium et moniales praedicta exsisterent sub cura et protectione episcopi Ceneten., demum ex concessione et decreto fel. rec. Innocentii papae IV, praedecessoris Nostri, exemptae a cura et protectione memorati episcopi fuerunt ac generalis et fratrum ordinis Minorum curae et protectioni subiectae, prout in litteris dicti praedecessoris dicitur contineri. Verum, prout oblata Nobis pro parte abbatissae et conventus praedictarum petitio continebat, praefati fratres circa visitationes, correctiones et reformationes monasterii et monialium praedictorum non secundum Deum et regularia instituta, prout eorum debito incumbit, sed econverso per omnia se habere dicantur in praeiudicium animarum suarum et personarum dicti monasterii ac malum exemplum et scandalum plurimorum, prout in supplicatione Nobis oblata, cuius copiam tibi praesentibus mittimus interclusam, plenius continetur. Quocirca fraternitati tuae, de qua specialem in Domino fiduciam gerimus, committimus et mandamus tenore praesentium, quatenus alicui probo et honesto viro committas, ut ad praefatum monasterium et loca circumvicina personaliter accedat ac se de his, quae in dicta copia continentur, diligenter informet, eidem fraternitati tuae singula fideliter relaturus. Tua vero fraternitas de his, quae circa hanc materiam reppererit, Nos quam primum per suas litteras faciat certiores, ut dictis monasterio et monialibus opportune consulere et providere possimus.

Datum Romae apud S. Petrum, VI augusti, ... anno I.

1093. Concedit facultatem etiam per fratres O. F. M. in ministeriatus saltem officio constitutos absolvendi ab excommunicatione personas, qui intra clausuram monialium O. S. Cl. sub cura fratrum O. F. M. degentium ingressae sunt (2).

1447, augusti 17, Romae.

Generali ministro ordinis Minorum.

Dilecte fili sal. Cum, prout accepimus, fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, decreverit, ut omnes, cuiuscumque status, ordinis vel conditionis exsisterent, clerici aut laici, saeculares vel regulares, qui intra clausuram monasteriorum monialium ordinis S. Clarae, quae sub cura et protectione fratrum ordinis Minorum constitutae sunt, de cetero ingressi fuissent, ipso facto poenam excommunicationis latae sententiae incurrerent, a qua a nemine absolvi possent, nisi a Sede Apostolica et nisi in mortis articulo constituti, ac postmodum dictus praedecessor per quoddam breve tuae devotioni commisisset, ut tu, dilecte fili generalis, excommunicatos huiusmodi per te vel provinciales ministros, quos ad hoc duxeris deputandos, absolvere posses, prout in dicto brevi dicitur contineri, Nos tamen postmodum ex nonnullis rationabilibus causis animum Nostrum moventibus decrevimus ac tibi vivae vocis oraculo commisimus et mandavimus, quatenus huiusmodi absolutionis beneficium nemini in praemisso casu, nisi per te dumtaxat et non per medium alicuius alterius impendere posses. Dudum vero Nobis exposito pro parte devotionis tuae per dilectum filium viceprocuratorem dicti ordinis, quod occurrentibus quotidie quampluribus huiusmodi casibus in diversis partibus orbis non sit possibile te pro tali causa ubilibet interesse, eapropter facultatem substituendi ad actum huiusmodi absolutionis impendendum personam aliquam idoneam tui ordinis concedere tibi de benignitate apostolica dignaremur, huiusmodi igitur supplicationibus inclinati tibi substituendi in tali absolutionis officio personas eiusdem tui ordinis saltem in ministeriatus officio constitutos

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 183. Cf. *Bull. Franc.* t. II, n. 581, p. 409.

(2) Reg. Vat. t. 367, f. 183 v. Cf. supra n. 58, p. 36.

apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus facultatem, super hac re tuam conscientiam onerantes.

Datum Romae apud S. Petrum, XVII augusti, ... anno I.

1094. Mandat, ut summam 150 florenorum monasterio S. Clarae Assisien. concessam convertat in reparationem domus S. Francisci Assisien., si comperiat aedificia monasterii S. Clarae adhuc per annum sine evidenti periculo ruinae permanere posse (1).

1447, augusti 18, Romae.

Iacobo, archiepiscopo Ragusin, gubernatori Perusii.

Venerabilis frater sal. Scripsimus pridem per quoddam breve Nostrum dilectis filiis prioribus et syndicis civitatis Nostrae Assisii, ut de proventibus ecclesiae S. Mariae de Angelis, Assisinaten. dioec., centumquinquaginta florenos auri in reparationem aedificiorum monasterii monialium S. Clarae dictae civitatis exponerent (2). Postmodum vero pro parte dilectorum filiorum custodis et conventus fratrum S. Francisci dictae civitatis Nobis exposito, quod aedificia tam ecclesiae quam ipsius domus S. Francisci multiplici reparatione indigent et, nisi celeriter succuratur, gravissimum ruinae periculum imminet, domum etiam infirmorum dicti conventus a tempore, quo civitas praedae exposita fuit, omni necessaria suppellectili spoliatam esse et propterea dictam pecuniae summam in reparationem et praedictae domus necessaria converti et exponi mandare dignaremur. Eapropter, cum utri maior necessitas maiusque periculum ruinae immineat, per Nosmet informari nequeamus, fraternitati tuae committimus et mandamus, quatenus te diligenter informes de defectibus utriusque monasterii et, si aedificia monasterii S. Clarae adhuc per annum commode et sine evidenti periculo ruinae permanere posse compereris, super quo tuam conscientiam oneramus, volumus, ut praefatam summam florenorum 150 in reparationem ac alia necessaria praedicta dictae domus S. Francisci expendi et converti facias auctoritate Nostra, brevi Nostro praefato ac aliis non obstantibus quibuscumque. Monasterio autem S. Clarae praedicto per aliam viam concedente Domino intendimus providere.

Datum Romae apud S. Petrum, XVIII augusti, ... anno I.

1095. Mandat, ut fratribus III O. S. Fr. in domibus Leodien. dioec. in communi viventibus concedat habitum distinctum ab habitu fratrum in propriis domibus degentium (3).

1447, augusti 19, Romae.

Dilecto filio decano ecclesiae S. Petri Leodien.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.* Cum igitur, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum ministri et universorum fratrum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in certis domibus in civitate et dioecesi Leodien. consistentibus degentium petitio continebat, in civitate et dioecesi praefatis sint quamplures tam ecclesiasticae quam saeculares personae dictum ordinem professae, quarum aliquae singulariter in earum propriis, quaedam vero maioris religionis zelo succensae insimul in certis domibus in communi et sub observantia regulari eiusdem ordinis Altissimo famulantur, et pro eo, quod omnes et singulae personae praedictae unum et eumdem ac prorsus indifferentem habitum gerunt sicque distincte cognosci nequeunt, ac quandoque nonnulla inhonesta et scandalosa per personas in propriis domibus et absque observantia degentes praedictas committantur, ita quod earum aliquae incontinentiae vitio laborant, aliquae vero per mundum vagantes transeunt, unde plura sub observantia degentibus personis scandala et inconvenientia subsequuntur, pro parte eorumdem ministri et fratrum insimul sub observantia viventium Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ut dicti fratres, qui, ut asserunt, tria substantialia vota emittere consueverunt et emittunt, in eisdem domibus insimul viventes sublatis quibusvis dispendiis, ut in humilitatis spiritu Altissimo vota sua commodius exsolvere valeant, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et ... praefatis in eisdem domibus in communi et sub observantia viventibus fratribus praesentibus et futuris, quod eorum caputia ad modum parvae cucullae supra mantellum cum scapulari, quemadmodum fratres dicti ordinis in Zelandia et Hollandiae partibus necnon in dioecesi Morinen. commorantes gestant et portant, gestare et portare libere et licite possint, eadem auctoritate concedas, nec habitum ipsum per alias personas in communi et sub observantia non viventes

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 184. (2) Vide supra, n. 1087, p. 549. (3) Reg. Vat. t. 406, f. 193 v. Cf. supra n. 264, p. 121. — Sub die 20 augusti huius anni in *Umbria seraph.* apud *Miscellanea francisc.* t. V, Foligno 1890, p. 30 commemoratur bulla *Hodie siquidem*, qua fratribus III. O. S. Fr. conceduntur multa privilegia, inter ea celebrandi capitulum et ibi eligendi visitatorem eiusdem ordinis. Cf. supra, n. 1083, p. 547, nota 2.

praedictas gestari permittas. Et nihilominus, quod omnes et singuli fratres etiam sub observantia non viventes praefati singulis annis vel quoties generalia per ministrum et alios fratres praedicti ordinis in praefata dioecesi Leodien. seu alibi secundum usum et consuetudinem dictae regulae capitula celebrari contigerit, ad huiusmodi capitula accedere illisque interesse iuxta eiusdem ordinis regularia instituta ac privilegia apostolica desuper eis concessa teneantur et sint adstricti, quodque eorum generalis minister seu deputatus vel deputati ab eis aut maiori parte eorum inobedientes vel delinquentes fratres iuxta criminum et excessuum per eos pro tempore commissorum exigentiam ac instituta praedicta corrigere, incarcerare et punire ac eos et eorum domos et loca visitare, corrigere et reformare necnon omnia et singula in praemissis ac circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna facere et exsequi, quodque omnes et singuli fratres sub observantia non viventes praedicti unum et eumdem in colore habitum portare nec alium habitum assumere valeant ac sub obedientia et devotione unius generalis ministri in charitate vivere debeant iuxta privilegia eis per bonae mem. Iohannem de Erkel, episcopum Leodien., concessa et a fel. rec. Nicolao papa IV, praedecessore Nostro, confirmata statuere et decernere ipsosque fratres ad servandum praemissa cogere et compellere auctoritate Nostra procures, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XIV kal. septembris, ... anno I.

1096. Requirit, ut monialibus destructi monasterii S. Clarae prope muros Fanen., O. S. Cl., permittat, ut quoddam hospitale in civitate Fanen. ad formam monasterii reducere valeant (1).

1447, augusti 22, Romae.

Sigismundo Pandulpho Malatestae, in civitate Nostra Ariminen. ... in temporalibus vicario.

Dilecte fili sal. Intelleximus referente Nobis dilecto filio procuratore ordinis Minorum, quod, cum tu proximis guerrarum turbinibus dubitares, ne per loci opportunitatem, quam monasterium monialium S. Clarae, prope muros Fanen. situm, praebebat, inimici tui ipsam civitatem invaderent, monasterium, ecclesiam et contingentia eius aedificia demoliri fecisti monialibusque pro earum habitatione quoddam hospitale in ipsa civitate Fanen. situm concessisti, quod quidem accipere et in ipso aedificare ipsumque ad formam monasterii pro earum usu et habitatione reducere vellent, negatum sibi tamen per te asserunt protestatumque, ut, si id facere vellent, aliud in dicta civitate Fanen. hospitale construerent. Verum, cum, prout accepimus, monialibus praefatis ob inopiam valde grave sit in hospitali praefato aedificare et ad usum earum ipsum reducere, nedum aliud hospitale construere, quod eis prorsus, ut asseritur, impossibile esset, nobilitatem tuam in Domino requirimus et hortamur in Domino, quatenus permittas dictas moniales in praedicto hospitali monasterium suum aedificare nullo sibi alterius aedificandi hospitalis iniuncto onere, cum id potius ad tui devotionem pertineat, qui monasterium ipsum demoliri fecisti.

Datum Romae apud S. Petrum, XXII augusti, ... anno I.

1097. Mandat, ut incolis terrae Mortariae, Novarien. dioec., concedat licentiam fundandi domum O. F. M. (2).

1447, augusti 26, Romae.

Dilecto filio vicario venerabilis fratris Nostri episcopi Novarien. in spiritualibus generali.

Piis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum communis et hominum terrae Mortariae, Novarien. dioec., petitio continebat, quod, cum ipsi causante ignis voragine omnia eorum bona mobilia perdiderint et ex eis fere trecenti tam subito quam paulo post interierint, ipsaque terra penitus consumpta ac eius ecclesiae, domus et aedificia solo aequata remanserint, ut beati Francisci precibus et meritis adiuti a talibus periculis in futurum illaesi praeserventur, quamdam domum cum ecclesia, campana, claustro, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis in loco, ubi ecclesia S. Michaelis extra muros eiusdem terrae esse solebat, cuius dumtaxat pars quaedam muri subsistit, ad honorem et laudem dicti beati Francisci, ad quem singularem gerunt devotionis affectum, de bonis eis a Deo collatis fundare, construere et aedificare ... ferventer exoptant, dummodo eis super hoc Apostolicae Sedis suffragetur auctoritas. Quare pro parte dictorum communis et hominum, asserentium, quod venerabilis fratris Nostri Bartholomaei, episcopi Novarien., ac dilecti filii praepositi praepositurae S. Albini eiusdem terrae, ordinis S. Augustini, ad quem collatio et omnimoda dispositio dictae ecclesiae S. Michaelis de antiqua et approbata ac hactenus pacifice

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 184.

(2) Reg. Lat. t. 442, f. 165v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 18.

observata consuetudine pertinet, ad hoc expressus accedit assensus, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam tibi de consensu episcopi et praepositi praedictorum legitime constiterit, eisdem communi et hominibus in eodem loco unam domum cum ecclesia, campana ... et aliis necessariis officinis huiusmodi pro usu et habitatione fratrum Minorum S. Francisci fundandi, erigendi, construendi et aedificandi ... necnon fratribus praedictis eam pro praedictis usu et habitatione recipiendi et tenendi plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra largiaris. Nos enim ... universis et singulis fratribus dicti ordinis, quos in eadem domo pro tempore morari sive residere contigerit, ut privilegiis ... uti et gaudere libere et licite valeant, concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.* iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VII kal. septembris, ... anno I.

1098. Blasium de Camenez, presbyterum Bachien. dioec., qui certis iudicibus consilium dederat exsequendi sententiam capitalem contra duos presbyteros a Iacobo de Marchia, O. F. M., inquisitore haeret. pravitatis, damnatos et iudicibus saecularibus traditos, absolvit ab irregularitate [1].

1447, augusti 26, Romae.

Dilecto filio Blasio de Camenez, presbytero Bachien. dioec.

Solet Sedis Apostolicae exuberans clementia *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod, cum olim dilectus filius Iacobus de Marchia, ordinis fratrum Minorum professor ac haereticae pravitatis inquisitor per Sedem Apostolicam in regno Hungariae deputatus, duos presbyteros dicti regni in crimine haeresis deprehensos et convictos degradari fecisset et manibus quorumdam iudicum saecularium condemnandos et puniendos tradidisset, ipsique iudices eosdem presbyteros comburendos fore pro eorum sententia iudicassent, quia praefati iudices sententiam huiusmodi exsequi retardabant, et propterea dictus inquisitor, hoc aegre ferens, contra ipsos iudices aliqualem indignationem conceperat, praefati iudices, causam huiusmodi indignationis ignorantes, te consuluerunt, qualiter ipsum inquisitorem mitigare possent, tuque eis respondisti, quod, si dictam sententiam contra praefatos presbyteros exsequerentur, ipse inquisitor placaretur, unde dicti iudices ipsius inquisitoris voluntate intellecta ipsos presbyteros eadem die comburi fecerunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tu, sciens ipsos presbyteros comburendos fore, ignarus tamen, quo tempore id fieri deberet, huiusmodi consilium eisdem iudicibus ex abrupto praebueris et ex hoc solum mors ipsorum presbyterorum accelerata fuerit, ac alias in praemissis culpabilis non exsistens, de illis doleas ab intimis, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, volentes te, qui, ut asseris, venerabilis fratris Nostri Iohannis, archiepiscopi Colocen., in spiritualibus generalis vicarius exsistis, apud Nos de vitae ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis alias multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, huiusmodi supplicationibus inclinati, tecum super irregularitate, si quam praemissorum occasione quomodolibet contraxeris, auctoritate apostolica tenore praesentium dispensamus omnemque abolemus inhabilitatis ac infamiae maculam sive notam per te dicta occasione contractam, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VII kal. septembris, ... anno I.

1099. Mandat, ut in monasterio monialium B. Mariae de Cantalupo Mediolanen. ordinem S. Augustini, si quis fuerit, supprimat et statuat abbatissam et moniales sub habitu et regula O. S. Cl. vivere debere [2].

1447, augusti 26, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Ambrosii Mediolanen.

Sacrae religionis, sub qua dilectae in Christo filiae abbatissa, ministra nuncupata, et moniales in monasterio beatae Mariae de assumptione de Cantalupo Mediolanen., sub regula beatae Clarae degentes, devotum et sedulum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dictarum abbatissae et monialium petitio continebat, quod, licet a ducentis annis citra tam ipsae quam aliae abbatissae et moniales dicti monasterii, quae pro tempore fuerunt, habitum eiusdem beatae Clarae gestaverint et quandoque sub ordinis Minorum beati Francisci, quandoque vero sub eiusdem sancti de observantia fratrum cura exstiterint, tamen pro eo, quod a nonnullis asseritur monasterium praedictum in eius primaeva fundatione fuisse et esse ordinis S. Augustini, fratres domus beatae Mariae de Angelis extra muros Mediolanen., ordinis fratrum de observantia huiusmodi, monasterium ipsum ad instar aliorum eiusdem ordinis S. Clarae mona-

(1) Reg. Lat. t. 440 f. 103.

(2) Reg. Lat. t. 442, f. 192; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 19.

steriorum sub eorum cura amplius habere recusant, ex quo dictae abbatissa et moniales non mediocriter remanent perturbatae et ob id plurima incommoda patiuntur. Quare pro parte dictarum abbatissae et monialium, asserentium se cum animi quiete et sana conscientia aliorum quam dictorum de observantia fratrum curae subiectas esse non posse, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut regulam et ordinem S. Augustini, si quis in eodem monasterio institutus exsistat, supprimere et exstinguere ac regulam et ordinem S. Clarae in illo instituere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi praemissa esse vera reppereris, ordinem S. Augustini, si quis in eodem monasterio fuerit vel sit institutus, auctoritate Nostra penitus et omnino supprimas et exstinguas ac modernas et pro tempore exsistentes abbatissas et moniales dicti monasterii sub habitu, regula et ordine S. Clarae perpetuo vivere debere ac ad alterius quam S. Clarae huiusmodi regulae observantiam non teneri nec ad id per quempiam posse compelli praefata auctoritate statuas, ordines pariter et decernas, contradictores *etc.* non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VII kal. septembris, ... anno I.

1100. Ministro generali O. F. M. mandat, ut fratres O. F. M. conventuales et moniales O. S. Cl. civitatis Eugubin. reformet (1).

1447, augusti 30, Romae.

Generali ministro ordinis Minorum.

Dilecte fili sal. Cum fide digna relatione multa Nobis relata fuerint de dilectis filiis fratribus conventualibus tui ordinis ac dilectis in Christo filiabus monialibus monasterii S. Clarae sub cura et protectione eorumdem fratrum constitutis civitatis Nostrae Eugubinae, quae si essent vera, prout non parum suspicamur, non parva correctione et reformatione ac emendatione indigerent, Nos tamen, paterna cum illis benignitate et charitate adhuc agere volentes, honoris etiam tui contemplatione devotioni tuae committimus et mandamus tenore praesentium, quatenus ita domum, fratres, monasterium et moniales huiusmodi corrigas, moneas et reformes, ut viventes demum secundum Deum et regularia eorum instituta non amplius talia de ipsis Nostris auribus ingerantur, sed accipiamus potius odorem bonae famae, qualis ex vitae sanctimonia et effectu religionis solet insurgere, alioquin necessarium Nobis erit opportune providere vel per amotionem eorum et impositionem fratrum de observantia et monialium earum, quae de Fulgineo nuncupantur, vel alias remediis opportunis.

Datum Romae apud S. Petrum, XXX augusti, ... anno I.

1101. Iohannem de Poriaco, O. F. M., instituit episcopum Dimitrien. (Dimitri in Graecia) (2).

1447, septembris 1. Romae.

Dilecto filio Iohanni de Poriaco, electo Dimitrien.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Guillelmo, episcopo Dimitrien., regimini Dimitrien. ecclesiae praesidente, Nos, cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum dicti Guillelmi episcopi, qui extra Romanam curiam decessit, pastoris solatio destituta *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum et theologiae professorem ac in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam, regimen et administrationem *etc.* Volumus autem *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, kalendis septembris, ... anno I.

1102. Mandat, ut fratribus III. O. S. Fr. in domibus Leodien. dioec. in communi viventibus concedant habitum distinctum ab habitu fratrum in propriis domibus degentium (3).

1447, septembris 1, Romae.

Dilectis filiis abbati monasterii S. Trudonis de S. Trudone et praeposito ecclesiae S. Gertrudis, oppidi Lovanien., Leodien. dioec., ac officiali Leodien.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc. (ut supra n. 1095, p. 553).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, kalendis septembris, ... anno I.

1103. Confirmat concessionem domus intra civitatem Suessionen. fratribus O. F. M. factam per abbatem monasterii S. Iohannis de Vineis, extra muros Suessionen., auctoritate Alamanni, presbyteri cardinalis, in provinciis Remen. et Rothomagen. legati a latere (4).

1447, septembris 2, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Desiderantes ab intimis personas ecclesiasticas *etc.* Sane dudum bon. mem. Nicolao, tit.

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 185. Cf. supra n. 1089, p. 549.
(2) Reg. Lat. t. 435, f. 196 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 20.
(3) Reg. Lat. t. 436, f. 68.
(4) Reg. Lat. t. 442, f. 206.

S. Crucis in Ierusalem presbytero cardinali, in regno Franciae et partibus illi adiacentibus Apostolicae Sedis legato, pro parte dilectorum filiorum ministri provinciae Franciae secundum morem, necnon fratrum domus Suessionen., ordinis fratrum Minorum, exposito, quod alias domus praedicta et illius ecclesia, quae in suburbiis Suessionen. consistebant, ad obviandum destructionis civitatis Suessionen. evidenti, quod occasione guerrarum illic tunc vigentium verisimiliter imminebat, periculo destructae et demolitae fuerant sola parva domo, in qua fratres eiusdem domus tute commorari ac missas et alia divina officia commode celebrare non poterant, ibidem remanente, quodque non permitteretur eis propter pericula et discrimina, quae guerris causantibus huiusmodi eidem civitati imminerent, domum praedictam reaedificari facere, ac quod antea fel. rec. Gregorius XI necnon Martinus V [1], Romani pontifices, praedecessores Nostri, ac successive bon. mem. Alamannus, tit. S. Eusebii etiam presbyter cardinalis, in Remen. et Rothomagen. provinciis ac civitatibus et dioecesibus dictae Sedis cum potestate legati de latere nuntius, eisdem fratribus aliquam domum infra muros praefatae civitatis, si eis pia fidelium largitione concederetur seu alias iusto titulo per ipsos acquireretur, ad aedificandum locum pro usu et habitatione ipsorum recipiendi ac inibi ecclesiam seu oratorium cum campanili, campana, coemeterio, domibus et aliis necessariis officinis construendi et aedificandi ac inhabitandi et perpetuo retinendi licentiam et facultatem concesserant, ac subiuncto, quod fratres praedicti tam propter guerrarum turbines, quae illic plus solito vigebant, quam etiam occasione quarumdam quaestionum et controversiarum olim inter ipsos fratres ex una ac dilectos filios praepositum, decanum et capitulum ecclesiae Suessionen. super iure cuiusdam domus seu loci aut fundi per dictos fratres in civitate praefata praemissa largitione acquisiti ac rebus aliis et eorum occasione ex altera partibus subortarum praedictam domum inibique domos et alia necessaria pro usu et habitatione huiusmodi minime construere et aedificare seu construi et aedificari facere poterant, necnon huiusmodi quaestiones et controversiae fuerant sopitae cum conditionibus et modis infrascriptis, videlicet: quod ipsa domus acquisita, ut praemittitur, cum solo, in quo ecclesia et domus destructae huiusmodi exsistebant, eisdem praeposito, decano et capitulo cederent et perpetuo remanerent, ipsique fratres pro construendis et aedificandis alia ecclesia cum oratorio, domibus, claustro et aliis necessariis officinis praemissis quamdam domum in dicta civitate prope mercatum magnum consistentem et ad quondam Ferricum Cursae militem pertinentem cum suis iuribus et pertinentiis liberam et expeditam haberent salvo, quod officiarii, iudices et commissarii eorumdem praepositi, decani et capituli iurisdictionem temporalem infra metas ipsius domus cum pertinentiis huiusmodi, ubi, quando et quotiens vellent, exercere, malefactores quoque capere, detinere et ab inde, quo vellent, ducere ac incarcerare possent, personis fratrum et conversorum ibidem pro tempore degentium exceptis ac immunitate ecclesiae, claustri et dormitorii fratrum et conversorum eorumdem semper salva; ipsaeque partes pro praemissorum observatione se hinc inde debite obligarent renuntiarentque omnibus exceptionibus et specialiter fratres praedicti quibuscumque privilegiis, indultis et concessionibus ac aliis, per quae contra praemissa quomodolibet dicere, facere vel venire possent, prout haec et alia in diversis eorumdem praedecessorum et nuntii superinde confectis litteris dicebatur latius contineri, ac pro parte ministri et fratrum praedictorum eidem legato supplicato, ut acquisitioni et concessionibus huiusmodi ac omnibus aliis in dictis litteris contentis robur apostolicae confirmationis adiicere necnon fratribus praedictis, ut ad acquisitum locum huiusmodi transire et ibidem remanere valerent, licentiam concedere aliasque eis in praemissis opportune providere dignaretur, praefatus legatus, de praemissis certam notitiam non habens, dilecto filio abbati monasterii S. Iohannis in Vineis extra muros Suessionen. eius proprio nomine non expresso per suas litteras mandavit, ut, si per diligentem informationem super his per eum auctoritate apostolica sibi in ea parte commissa habendam ita esse ac acquisitionem in ipsius ecclesiae detrimentum non cedere aliaque supradicta rationabilia fore reperiret, acquisitionem necnon omnia alia praedicta in dictis litteris, ut praemittitur, contenta eadem auctoritate approbaret et confirmaret necnon post approbationem et confirmationem huiusmodi, si illas per eumdem abbatem fieri contingeret, eisdem fratribus, ut se ad acquisitum locum praedictum transferre illumque pro suis usu et habitatione recipere et retinere ac in ea ecclesiam cum campanili ... et aliis necessariis officinis construere et erigere ... valeant, dicta auctoritate licentiam concederet. Postmodum vero,

(1) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1682, p. 642.

sicut exhibita Nobis nuper pro parte eorumdem fratrum petitio continebat, dilectus filius abbas dicti monasterii tunc exsistens, ad directarum sibi litterarum huiusmodi exsecutionem procedens, illarum per eum observata forma acquisitionem et concessionem ac contenta supradicta confirmavit et approbavit necnon fratribus praedictis licentiam concessit iuxta continentiam et tenorem directarum litterarum earumdem. Quare pro parte ipsorum fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, huiusmodi supplicationibus inclinati, factas per ipsum exsistentem abbatem confirmationem et approbationem ac concessionem praefatas dicta auctoritate approbantes, illa et quaecumque inde secuta subsistere debere decernimus robore firmitatis. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV nonas septembris, ... anno I.

1104. Augustinum de Ferraria, O. F. M., theologiae professorem, recipit in capellanum S. Sedis eique concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1447, septembris 6, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VII idus septembris, ... anno I.

1105. Mandat, ut restituant fratres conventuales O. F. M. in domum Bituricen., amotis inde fratribus de observantia (2).

1447, septembris 10, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Turonen. et dilectis filiis abbati monasterii beatae Mariae Burgidolen., Bituricen. dioec. ac officiali Bituricen.

Sedis Apostolicae providentia *etc.* Dudum siquidem ex quadam sinistra informatione quorumdam aemulorum fratrum ordinis Minorum per fel. rec. Eugenium papam IV, praedecessorem Nostrum, accepto et sibi suggesto, quod dilecti filii cives civitatis Bituricen. magnis precibus apud eum magna cum querela institerant, ut fratribus dicti ordinis conventualibus loci Bituricen. amotis ipsum locum fratribus eiusdem ordinis de observantia nuncupatis et regulam observantibus dari faceret, praesertim cum fratres conventum dictae civitatis inhabitantes talem tamque dissolutam vitam ducebant, quam sine Dei offensa et populi ipsius periculo animarum nullatenus valebant tolerare, dictus praedecessor per quasdam suas litteras dilecto filio Iohanni de Mauberto, tunc vicario eorumdem fratrum, qui dicebantur de observantia regulari, huiusmodi partium ultramontanarum, et eius successori inter alia dedit in mandatis, ut fratres, qui sibi viderentur necessarii, ad capiendum praedictum locum Bituricen. mitteret, qua in re a venerabili fratre Nostro archiepiscopo Bituricen., cui etiam idem praedecessor super hoc scripserat, et ab eisdem civibus auxilia necessaria haberet, prout in primo dictis et diversis aliis eiusdem praedecessoris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum, sicut ad audientiam Nostram dilectis filiis ministro et fratribus dicti ordinis Minorum provinciae Turoniae, de qua conventus loci Bituricen. huiusmodi fore dignoscitur, et pluribus aliis tam ecclesiasticis quam saecularibus personis referentibus nuper pervenit, dum quadam die dicti fratres ordinis Minorum conventus loci Bituricen. circa missarum sollemnia vacarent et circa elevationem Corporis Christi intenderent, ac quam plures alii fratres de observantia nuncupati praeoccupationem huiusmodi attenderent et quasi clandestine ac repente sine aliqua deliberatione nullaque eidem Corpori Christi per eos reverentia exhibita neque lectura litterarum praedictarum praecedente sed temeritate praefata ac provinciali dictae provinciae, cui etiam dictus praedecessor super hoc scripserat, inconsulto ibidem intrassent, locum ipsum recipere et alios fratres ibidem commorantes ab eodem loco expellere conarentur, post lecturam ipsarum litterarum inibi ad instantiam dictorum civium habitam propter novitates huiusmodi et subreptiones earumdem litterarum, quae fraudulenter et dolose praeter et contra scitum et voluntatem dictorum civium extortae et impetratae fuerant, magnae commotiones et controversiae cum rumore et tumultu maximo inter eosdem cives et quamplures alias personas tam ecclesiasticas quam saeculares, praemissa videntes et attendentes, suscitatae et subortae fuerint, dicentibus ipsis civibus, quod litterae ipsae numquam de mente ipsorum emanaverant et suggesta ac expressa in illis veritate carebant, quinimo dicti fratres antea in eodem loco commorantes a magnis retroactis temporibus vitam honestam et regularem absque scandalo duxerant atque ducebant, prout haec et alia in quibusdam instrumentis authenticis, manu notariorum publicorum signatis, Nobis pro parte cleri et civium civitatis Bituricen. exhibitis plenius continentur, quodque ex litteris et expul-

(1) Reg. Vat. t. 432 f. 99 v.

(2) Rag. Lat. t. 442, f. 194.

sione praedictis ac aliis inde secutis multa, prout verisimiliter praesumitur, dissensiones et scandala provenire possint, et alias dicti cives commutationem praedictam moleste ferant ac cupiant domum loci Bituricen. huiusmodi, quae causantibus praemissis per guardianum de observantia ac fratres conventuales inibi deputatos auctoritate et sub manu regia de praesenti regitur, ad statum pristinum reduci aliasque super his opportune provideri, Nos, qui fidelium quorumlibet et praesertim religiosorum pacis et quietis commoda procuramus eorumque dissensionibus et scandalis, quantum cum Deo possumus, obviamus, praemissa omnia et singula aequa et matura deliberatione pensantes et, ut praedicta loci Bituricen. et aliae omnes et singulae infra dictam provinciam iuxta morem ordinis huiusmodi consistentes dicti ordinis domus semotis ab eis sinistris quibuslibet de cetero pacis et quietis mansuetudine gaudeant, providere volentes ac attendentes, quod expulsi fratres supradicti reformationem ac monita et mandata per eorum superiores in domo loci Bituricen. praedicta facienda plenarie adimplere eisque debite parere et intendere proponunt ac ad id se specialiter offerunt, necnon omnes et singulas lites et causas inter conventuales ac de observantia nuncupatos fratres praefatos super loci Bituricen. et aliis domibus praefatis vel earum aliqua tam in Romana curia quam extra eam etiam ex specialibus apostolicis seu Nostris commissionibus vel litteris indecisas pendentes ad Nos harum serie advocantes ac in eventum faciendarum cassationis et repositionis infrascriptarum penitus exstinguentes necnon dilectis filiis Antonio de Rusconibus, dicti ordinis generali ministro, ac eidem Iohanni de Mauberto aliisque ordinis et observantiae praedictorum professoribus et eorum cuilibet, quod de cetero ante exsecutionem praesentium praetextu aliarum quarumvis dicti praedecessoris litterarum sub quibusvis formis aut verborum expressionibus olim emanatarum vel alias quomodolibet de aliis quibusvis domibus dicti ordinis infra provinciam Turoniae huiusmodi consistentibus ac guardianis et fratribus in illis interim exsistentibus se aliqualiter impedire aut earum guardianos et fratres huiusmodi ad illas dimittendas compellere seu alias quomodolibet molestare etiam sub excommunicationis poena, quam ex tunc in singulos ex eis contrafacientes harum serie proferimus et etiam promulgamus, non audeant neque praesumant, districtius inhibentes ac etiam illos omnes et singulos ex guardianis et fratribus expulsis praefatis necnon quoscumque alios, cuiusvis gradus, status, ordinis vel conditionis exsistant, qui monitis et mandatis eis per litteras praedecessoris huiusmodi seu earum praetextu olim forsan factis debite non paruerunt, ab omnibus ... excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris et poenis auctoritate apostolica harum serie absolventes et absolutos fore decernentes ac cum ecclesiasticis ex eisdem super irregularitate ... eadem auctoritate apostolica dispensantes omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per ipsos occasione praemissorum forsan contractam penitus abolentes, discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum de relatis Nobis praedictis omnibus et singulis absque eo, quod ad id Antonius et Iohannes ac alii ordinis et observantiae professores huiusmodi vel eorum aliquis tunc evocentur seu evocetur, inquiratis auctoritate Nostra diligentius veritatem et, si per inquisitionem huiusmodi ea vera esse inveneritis, super quo vestras conscientias oneramus, tam praedictas quam etiam alias omnes et singulas praefati praedecessoris etiam motu proprio et ex certa scientia Antonio et Iohanni et aliis ordinis et observantiae huiusmodi professoribus coniunctim et divisim concessas seu directas ac alias quomodolibet in favorem fratrum observantiae huiusmodi et contra guardianos et fratres conventuales praefatarum domorum emanatas litteras et facultates quascumque etiam praesentium derogatorias clausulas in se continentes necnon processus habitos per easdem, quorum omnium tenores ... necnon aliarum domorum nomina et cognomina, loca, qualitates et quantitates litiumque et causarum praefatarum status praesentibus haberi volumus pro expressis, ac quaecumque inde secuta quo ad loci Bituricen. et alias domos provinciae huiusmodi dumtaxat cassare, revocare et annullare dicta auctoritate Nostra curetis necnon loci Bituricen. et alias domos praefatas ac etiam guardianos et fratres conventuales nuncupatos dicti ordinis omnes et singulos in pristinum et eum statum, in quo ante dictas praedecessoris huiusmodi primo confectas litteras exsistebant, eadem auctoritate Nostra restituatis atque reponatis ac ulterius, quod in loci Bituricen. et aliis domibus provinciae Turoniae huiusmodi sub cura et obedientia generalis totius ordinis praefati ac provincialis dictae provinciae iuxta morem ordinis huiusmodi pro tempore exsistentibus et non sub vicariis ordinis et observantiae huiusmodi perpetuo vivatur et degi debeat auctoritate Nostra praefata statuatis, decernatis et declaretis ac ulterius guardiano et fratribus de dicta observantia in domo loci Bituricen. huiusmodi praesentialiter exsistentibus, ut infra sex dies a die intimationis praesentium eis fa-

ciendae computandos ab ipsa domo recedere illamque vacuam, liberam et expeditam cum libris, calicibus et aliis ornamentis ecclesiasticis ceterisque mobilibus rebus et bonis in ea praesentialiter et tunc exsistentibus fratribus conventualibus supradictis dimittere studeant et procurent necnon tam ipsis quam etiam vicariis et provincialibus ac aliis fratribus ordinis et observantiae huiusmodi praesentibus et futuris, ne de cetero ullo umquam tempore per se vel alium seu alios directe vel indirecte quovis quaesito colore contra cassationem, restitutionem, statutum, decretum et declarationem vigore praesentium facienda huiusmodi vel aliquam eorum partem venire, facere seu attentare audeant vel praesumant, etiam sub poena excommunicationis huiusmodi eadem auctoritate Nostra districtius inhibere studeatis dictosque fratres conventuales in corporalem possessionem domus loci Bituricen. huiusmodi eiusque iurium et pertinentiarum omnium inducatis praefata auctoritate Nostra et defendatis inductos amotis guardiano et fratribus observantiae huiusmodi et aliis quibuslibet detentoribus ab eisdem, contradictores *etc.*, invocato *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV idus septembris, ... anno I.

1106. Officiales et universitatem civitatis Salernitan. requirit, ut Sancto de S. Severino, O. F. M., auxilium praestent in reformatione monasterii S. Laurentii Salernitan. (O. S. Cl.) (1).

1447, septembris, 11, Romae.

Officialibus et universitati civitatis Salernitan.

Dilecte fili sal. Dudum a fide dignis nonnullis Nobis exposito, quod ex eo, quod dilectae in in Christo filiae abbatissa et moniales monasterii S. Laurentii Salernitan. sub cura et protectione fratrum Minorum constitutae postposito Dei timore ac iugo suavi regularis vitae, non eam, quam deberent, continentiae et honestatis vitam ducerent sed in sui damnationem ac aliorum malum exemplum reprehensione digna multa committerent, ex quo monasterium ipsum in spiritualibus et temporalibus permulta susciperet detrimenta, Nos, cupientes, prout ex apostolicae servitutis tenemur officio, huiusmodi defectibus officio debitae reformationis occurrere, dilecto filio Sancto de Sancto Severino, fratri dicti ordinis, viro, ut accepimus, integrae aestimationis et famae, per quasdam Nostras certi tenoris litteras dedimus in mandatis, quatenus ad praefatum monasterium personaliter accederet et, habens prae oculis solum Deum, monasterium ipsum et personas eiusdem reformaret iuxta canonicas sanctiones et constitutiones monasterii et ordinis praedictorum, prout in ipsis Nostris litteris plenius continetur. Verum, cum Sanctus praedictus, prout accepimus, illuc accessisset, ut mandatis Nostris obtemperaret, moniales praefatas adeo inobedientes, rebelles et contumaces invenit nonnullis tamen laicis praebentibus eis auxilia et favores, quod Sanctus memoratus mandata Nostra nullatenus valuit exsecutioni mandare in Nostrum et Sedis Apostolicae et ordinis praedicti vilipendium et contemptum. Quare devotionem vestram in Domino requirimus et hortamur pro Nostra et dictae Sedis reverentia, quatenus memorato Sancto, commissario Nostro, in hac re, ut reformationem dicti monasterii et personarum ipsius integre et cum effectu facere possit, iuxta tenorem Nostrarum litterarum praestare velitis efficaciter auxilium et favorem. Nullo enim modo bonum reformationis huiusmodi in praefato monasterio intendimus praetermitti.

Datum Romae apud S. Petrum, XI septembris ... anno I.

1107. Statuit, ut domus sub Iohanne de Mauberto, vicario O. F. M. de observ., constitutae, si maior pars fratrum id duxerit eligendum, redire valeant ad iurisdictionem ministrorum etc. (2).

1447, septembris 12, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet ex debito summi pontificatus *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, dilectum filium Iohannem de Mauberto, ordinis fratrum Minorum professorem, generalem omnium et singulorum dicti ordinis guardianorum et fratrum sub regulari observantia degentium ac in regno Franciae pro tempore commorantium vicarium fecit, constituit et deputavit ac voluit, statuit, decrevit et mandavit, quod dicti guardiani et fratres omnes et singuli sub cura et obedientia ipsius Iohannis permanere deberent, et nonnulla alia desuper fecit et concessit, prout in diversis eiusdem praedecessoris litteris plenius continetur. Cum itaque, sicut pro parte dilecti filii Petri Legerii, ministri provincialis provinciae Turonen. iuxta morem dicti ordinis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, multi fratres ordinis et provinciae praedictorum in eadem observantia ac sub ipsius vicarii obedientia tam praedictarum quam alia-

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 185 v. Cf. supra n. 627, p. 295. | (2) Reg. Vat. t. 406, f. 166 v; Wadd. *Ann.* ad a. 1447, n. 17.

rum concilii Constantiensis dudum antea desuper confectarum litterarum vigore praesentialiter degentes ex certis rationabilibus causis ad id eorum animos moventibus ex nunc in antea non sub vicariis huiusmodi sed sub generali totius ordinis ac provinciali ministris provinciae huiusmodi necnon aliis eiusdem ordinis superioribus pro tempore exsistentibus alias sub dicta observantia ac regularibus ipsius ordinis institutis permanere desiderent, pro parte dicti Petri provincialis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc praedictorum fratrum statui, quieti et tranquillitati opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, supplicationibus huiusmodi tamquam iustis et rationabilibus ac antiquae et laudabili dicti ordinis consuetudini consonis annuentes, auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium statuimus, decernimus et declaramus, quod de cetero omnes et singulae provinciae et ordinis praefatorum domus sub obedientia Iohannis vicarii huiusmodi praesentialiter exsistentes, quandocumque maior pars fratrum in illis pro tempore degentium id duxerit eligendum, ac etiam omnes et singuli ordinis, provinciae et observantiae eorumdem fratres sub cura et obedientia Iohannis vicarii huiusmodi nunc et pro tempore permanentes, quando id simul vel successive etiam elegerint, non sub Iohannis vicarii sed sub generalis et provincialis necnon aliorum superiorum pro tempore exsistentium ordinis huiusmodi obedientia perpetuo permanere teneantur et debeant; quodque nullus ex superioribus dicti ordinis tam in praefatis domibus sic se submittentibus eisdem quam etiam ex certa et rationabili causa in omnibus aliis eiusdem ordinis et provinciae reformatis et secundum regularia instituta viventibus necnon ab earum fundatione sub cura et obedientia generalis, provincialis et aliorum superiorum ordinis usque nunc degentibus guardianum seu superiorem vel officiarium aut alias ad commorandum in eisdem vel ipsarum aliqua per superiores praedictos vel eorum aliquem seu alias quomodolibet ullo umquam tempore deputare possit vel debeat absque fratrum praedictarum domorum voluntate et assensu; ita tamen quod talis guardianus seu superior vel officiarius sit semper conformis eisdem habitu et vita et ab ipsis electus nec aliquis ex generali, provinciali et aliis superioribus pro tempore supradictis absque praemissis voluntate et consensu aliquem ex fratribus praesentibus et futuris omnium et singularum domorum praedictorum ordinis, provinciae et regularis disciplinae sub cura et obedientia generalis et provincialis pro tempore degentium huiusmodi ad aliquam aliam domum praedicti ordinis non secundum regularia statuta viventem transferre neque alium dicti ordinis religiosum in aliqua ex domibus provinciae et regularis disciplinae eorum curae commissis huiusmodi deputare neque collocare valeat, nisi secundum regularia statuta vivere velit; neque etiam ipsi praesentes et futuri guardiani et fratres contra eorum voluntatem in suis domibus praedictis vel earum aliqua ad commorandum recipere teneantur; etiam decernentes ex nunc irritum et inane processus etiam quoscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias et poenas in se continentes, necnon alia omnia et singula, quae contra statutum, decretum et declarationem Nostram huiusmodi haberi, fieri aut fulminari forsan contigerit, irrita et inania exsistere nulliusque roboris vel momenti. Et nihilominus singulis omnium domorum ordinis, provinciae et regularis disciplinae praedictarum sub cura et obedientia generalis et provincialis necnon aliorum superiorum huiusmodi guardianis praesentibus et futuris, ut omnes et singulos clericos saeculares et laicos sub regulari habitu praefati ordinis vivere volentes in fratres eiusdem ordinis recipiendi eisque habitum praedictum exhibendi, necnon ab ipsis professionem regularem iuxta ipsius ordinis consuetudinem, si illam emittere voluerint, etiam recipiendi, superiorum suorum desuper licentia petita licet non obtenta plenam et liberam eadem auctoritate licentiam elargimur. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie idus septembris, ... anno I.

1108. Isoctae Francisci de Actis, domicellae Ariminen., concedit licentiam reparandi et dotandi capellam Angelorum in ecclesia S. Francisci Ariminen., O. F. M., sub conditione, ut ibi singulis diebus per eosdem fratres missae celebrentur [1].

1447, septembris 12, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Universalis ecclesiae regimini praesidentes *etc.* Sane pro parte dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Isoctae Francisci de Actis, domicellae Ariminen., petitio continebat, quod ipsa, suae prosequens salutem animae, capellam Angelorum nuncupatam, quam olim bon. mem. Leontinus, episcopus Fanen., in ecclesia domus S. Francisci Ariminen., ordinis fratrum Minorum, fun-

[1] Reg. Vat. t. 407, f. 72. De domo Ariminen. cf. supra n. 262, p. 121.

dari necnon aedificari fecit, et quae sine dote ac patronis est, reparari et reformari necnon pro illius dote possessiones et immobilia bona ad eam legitime spectantia valoris quingentorum florenorum auri tradere et assignare proponit, affectans praecipue, quod in altari dictae capellae per fratres domus eiusdem diebus singulis pro salute praefata duae missae celebrentur, ipsaque possessiones et bona per guardianum dictae domus aut huiusmodi fratres vendi vel alienari non possint, sed illorum fructus, redditus et proventus ad ipsius ecclesiae fabricam necnon pro paramentis et aliis ad eumdem cultum inibi necessariis convertantur et, si fratres praedicti missas huiusmodi iuxta rationalem, quem desuper adiecerit, modum non celebraverint vel fecerint celebrari, fructus, redditus et proventus praefati Christi pauperibus erogentur. Quare pro parte dictae domicellae Nobis fuit humiliter supplicatum, ... ut proposito et affectioni praemissis annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... eidem Isoctae possessiones et bona praedicta pro dote capellae necnon celebrandis missis huiusmodi tradendi et assignandi ac, postquam traditio et assignatio huiusmodi factae fuerint, quod fructus, redditus et proventus praefati per aliquos syndicos vel administratores, quos ipsi guardianus et fratres ad id pro tempore constituerint sive deputaverint, ad fabricam et pro paramentis et aliis necessariis huiusmodi converti debeant, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur necnon, quod ex tunc in antea, postquam possessiones et bona praefata per ipsam Isoctam tradita et assignata fuerint, ut praefertur, fratres pro tempore praedicti ad ipsum altare missas huiusmodi die quolibet celebrare ac etiam fructus, redditus et proventus ex possessionibus et bonis praedictis pro tempore provenientes in necessarios eiusdem domus ac illius paramentorum usus, cum ad hoc dictorum guardiani et fratrum expressus, prout publicis constat instrumentis, quorum tenores hic haberi volumus pro expressis, accedat assensus, convertere debeant et teneantur, nec ipsi guardianus et fratres aut alii eorum nominibus ullo umquam tempore dicta possessiones et bona vendere vel quomodolibet alienare possint, quodque, si missas huiusmodi non celebraverint seu celebrari fecerint, fructus, redditus et proventus huiusmodi pauperibus Christi assignentur, statuimus, decernimus et etiam ordinamus necnon statutum, decretum et ordinationem huiusmodi perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari mandamus. Cupientes autem, ut statutum, decretum et ordinatio huiusmodi in perpetuum inviolabiliter observentur, venerabili fratri Nostro episcopo Ariminen. et dilectis filiis abbati S. Gaudentii extra muros Ariminen. ac praeposito ecclesiae Ariminen. ... mandamus, quatenus ... in praemissis vel circa ea praefatis Isoctae illiusque haeredibus et successoribus seu eius ultimae voluntatis fidei commissariis vel exsecutoribus efficacis defensionis praesidio assistentes, ... statutum, decretum et ordinationem praedicta auctoritate apostolica faciant per dictos guardianum et fratres ac alios, ad quos spectat, inviolabiliter observari, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie idus septembris, ... anno I.

1109. Mandat, ut publice annuntiet mulieres III O. S. Fr. civitatis Viterbien. non esse excommunicatas et licite in congregatione permanere (1).

1447, septembris 17, Romae.

Episcopo Viterbien.

Venerabilis frater sal. Pro parte dilectarum in Christo filiarum quarumdam pauperum mulierum tertium ordinem S. Francisci de poenitentia nuncupatum professarum, commorantium in civitate Nostra Viterbien., querulanter Nobis expositum est, quod, cum ipsae in quadam domo eiusdem civitatis sub regula ipsa, quam profitentur, se vivere honeste asserant, nihilominus quidam religiosi eas vexare et scandalizare non desinunt, asserentes huiusmodi mulieres eo, quod in tali congregatione persistant, vigore quarumdam constitutionum apostolicarum excommunicationis sententiam incurrisse. Eapropter praefatae mulieres humiliter Nobis supplicari fecerunt, quatenus, si ob eam causam eas esse excommunicatas contingeret, ipsis absolutionis beneficium impendere aut impendi facere ac alias eisdem concedere, ut licite in dicta domo vel alia commodiore, si eis donari vel alias concedi contingeret, sub regula praedicta commorari possent, de benignitate apostolica dignaremur. Verum Nos, attendentes ipsum tertium ordinem S. Francisci de poenitentia nuncupatum apostolicis constitutionibus approbatum esse, ideo praefatas mulieres sub praetextu, quod taliter congregentur et vivant, minime excommunicatas esse indubie tenemus, fraternitati tuae tenore praesentium iniungentes, quatenus te diligenter informes, utrum praefatae mulieres insimul in eadem domo commorantes secundum regulam

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 186. Cf. supra n. 875, p. 422.

tertii ordinis beati Francisci honeste vivant, et, si ita esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, tunc vocatis religiosis, qui, ut praemittitur, mulieres praefatas infestant, eis auctoritate Nostra iniungas et mandes sub excommunicationis poena, quatenus easdem de cetero vexare dicendo vel quovis modo asserendo ipsas excommunicatas esse minime praesumant, faciasque in prima die dominica, quae post receptionem praesentium sequetur, in tua Viterbien. et nonnullis aliis ecclesiis dictae civitatis, quando populus illic missarum gratia congregatus fuerit, publice praedicari mulieres praedictas huiusmodi occasione excommunicatas non esse, sed licite permanere in tali congregatione, dum tamen alias honestam vitam perduxerint.

Datum Romae apud S. Petrum, XVII septembris, ... anno I.

1110. Mandat, ut Alberto de Sartiano, O. F. M., concedat facultatem fundandi monasterium O. S. Cl. in civitate Brixien. (1).

1447, septembris 19, Romae.

Dilecto filio praeposito ecclesiae SS. Nazarii et Celsi Brixien.

Inter universa opera divinae placita *etc.* Sane pro parte dilecti filii Alberti de Sartiano, ordinis fratrum Minorum professoris, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod quamplures devotae virgines et viduae ac aliae mulieres in civitate et dioec. Brixien. commorantes, ob melioris vitae frugem ad ordinem S. Clarae singularem gerentes devotionis affectum, dictum ordinem profiteri necnon sub illius regularibus habitu et observantia Altissimo famulari desiderent, quodque dilecti filii communitas et cives civitatis praedictae, laudabili mulierum huiusmodi desiderio ducti, quoddam monasterium eiusdem ordinis cum ecclesia, coemeterio, campanili, campanis, domibus, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro dictarum et aliarum mulierum eiusdem ordinis et illius regularis observantiae usu et habitatione perpetuis in praedicta civitate construere proponentes, domos, hortos et aedificia dumtaxat hospitalis pauperum S. Christophori, Brixien., possessionibus et bonis illius pro hospitali per eos de novo auctoritate apostolica fundando reservatis, necnon etiam dilectus filius praepositus domus SS. Iacobi et Philippi Brixien., ordinis Humiliatorum, quemdam hortum prope dictum hospitale consistentem et ad praeceptoriam domus huiusmodi legitime pertinentem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Alberto pro fundatione et constructione monasterii huiusmodi concedere et assignare intendunt, si eis desuper per Nos licentia concedatur. Quare pro parte dicti Alberti Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, praeposito hortum cum pertinentiis supradictis ac communitati et civibus praefatis domos et aedificia hospitalis S. Christophori praedicta, illi videlicet circumvicina, praefato Alberto pro fundatione et constructione dicti monasterii ordinis S. Clarae de novo fundandi, donandi et concedendi ac dicto Alberto per se vel alium seu alios in ipsis domibus, horto et aedificiis hospitalis monasterium eiusdem ordinis S. Clarae sub illius vel alterius, de quo ipsi Alberto videbitur, sancti vel sanctae vocabulo pro abbatissa et sororibus inibi sub regularibus habitu et observantia secundum regularia monasterii S. Clarae Mantuan., eiusdem ordinis S. Clarae, instituta perpetuo et conventualiter Altissimo servituris cum ecclesia ... et aliis officinis praedictis fundandi et construendi ac inibi dignitatem abbatissalem, quae superior ibidem sit, creandi et erigendi, necnon unam ex sororibus dicti ordinis S. Clarae, quae pro hac vice prima professionem per sorores dicti ordinis S. Clarae emitti solitam a quibuscumque in praefato fundando monasterio ordinis S. Clarae regularem professionem emittere volentibus recipiat et eis regularem habitum exhibeat, deputandi ac fundando monasterio ordinis S. Clarae praedicto de persona idonea providendi et eam illi in abbatissam praeficiendi, necnon omnia alia et singula in praemissis ac circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exsequendi plenam et liberam licentiam pariter et facultatem auctoritate Nostra largiaris. Nos enim, si monasterium ordinis S. Clarae huiusmodi vigore praesentium fundari et construi contigerit, quod illud ac ipsius abbatissa et sorores inibi pro tempore exsistentes omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere, quodque abbatissa et sorores pro tempore praedictae per eiusdem monasterii conversas vel alias honestas mulieres pro ipsorum victu et vestitu ac alias necessarias eleemosynas quaerere, necnon confessores abbatissae et sororum huiusmodi pro tempore exsistentes ipsarum et quarumvis aliarum conversarum et non conversarum etiam laicalium mulierum dictis abbatissae et sororibus pro tempore deservientium confessiones audire illisque auditis in reservatis semel tantum, in non reservatis vero Sedi Apostolicae

(1) Reg. Lat. t. 436, f. 184; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 21. — Cf. supra n. 972, p. 476.

casibus, quotiens fuerit opportunum, debitam absolutionem impendere et iniungere poenitentiam salutarem necnon eucharistiae et alia ecclesiastica sacramenta ministrare libere et licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XIII kal. octobris, ... anno I.

1111. Generali ministro O. F. M. mandat, ut Francisco de Barchinonia, O. F. M., conferat gradum magisterii (1).

1447, septembris 21, Romae.

Generali ministro ordinis Minorum.

Dilecte fili sal. Oblata Nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Francisci de Barchinonia, tui ordinis, supplicatio, quam tibi praesentibus mittimus interclusam. Quocirca devotioni tuae committimus et mandamus, quatenus cum praefato Francisco dispenses super iuramento et vocatis quatuor vel quinque magistris in sacra pagina, ei gradum magisterii secundum formam in his servari consuetam assignes, prout in signatura dictae supplicationis manu Nostra facta continetur.

Datum Romae apud S. Petrum, XXI septembris, anno I.

Tenor supplicationis est talis: Beatissime pater, Exponitur S. V. humiliter et devote pro parte devoti oratoris vestri fratris Francisci, ordinis Minorum, de Barchinonia, quod cum iam per biennium fuisset in universitate Oxonien. rigorose examinatus et ad gradum magisterii sacrae theologiae ibidem suscipiendum licentiatus, praemisso iuramento, ut moris est, quod alibi doctoratus huiusmodi insignia non susciperet, sicut clare per patentes litteras universitatis praefatae liquet. Et cum universitas praedicta nunc amplius solito magistrandos gravet in expensis, ipse Franciscus propter eius inopiam et paupertatem minime in dicta universitate doctoratus insignia recipere valet de praesenti nec imposterum propter huiusmodi causas ibidem obtinere posse sperat. Quare pro parte exponentis praefati V. S. humiliter supplicatur, quatenus ipsa pro solita clementia et benignitate dignetur secum super huiusmodi iuramento sibi praestito dispensare sibique concedere ad dictas expensas evitandum, ut in Romana curia expediri possit, aut per unum breve generali ordinis Minorum committere, ut additis duobus vel tribus sacrae theologiae magistris praefatum licentiatum, ut praemittitur, magistrari possit, cum non obstantibus et clausulis opportunis.

Fiat, quod committatur generali, qui vocatis magistris quatuor aut quinque det gradum magisterii et dispenset, ut petitur. T.

1112. Onufrio de Castrodurante, O. F. M., concedit facultatem recipiendi ecclesiam parochialem (2).

1447, septembris 21, Romae.

Dilecto filio Onufrio de Castrodurante, ordinis fratrum Minorum et in theologia professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, pro quo dilecti filii ambassiatores civitatis Nostrae Avinionen. ad Nos nuper destinati Nobis humiliter supplicarunt, praemissorum intuitu favore prosequi gratioso, ambassiatorum huiusmodi ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut quamcumque parochialem ecclesiam, si tibi alias canonice conferatur, recipere et quoad vixeris retinere libere liciteque valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus, non obstantibus *etc.*, Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XI kal. octobris, ... anno I.

1113. Confirmat privilegia monasterii Corporis Christi Neapolitan., O. S. Cl., et alia nova concedit (3).

1447, septembris 22, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Neapolitano et dilectis filiis abbati beatae Mariae de la Gruta, Panormitan. dioec., et Almandro Siscar, canonico Oscen.

Sacrae religionis, sub qua dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii Corporis Christi, Neapolitan., ordinis S. Clarae, devotum et sedulum exhibent Altissimo famulatum, *etc.* Sane pro parte dictarum abbatissae et conventus Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum fel. rec. Iohannes papa XXII, praedecessor Noster, per quasdam sub data Avenione kalendis martii, pontificatus sui anno II (4), abbatissae et conventui praedicti monasterii indulgentias concessit, ut ad praestationem decimarum de quibuscumque possessionibus et aliis omnibus bonis suis, quae tunc habebant et in futurum acquirerent iustis modis, vel ad contribuendum quorumlibet ordinariorum et etiam le-

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 186.
(2) Reg. Lat. t. 442, f. 205 v.
(3) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 22 « ex arch. secreto l. 29, f. 333 ».
(4) Vide *Bull. Franc.* t. V, n. 306. p. 143.

gatorum, nuntiorum Sedis Apostolicae ** (1), et quibuscumque talliis et collectis et ad exhibendum pedagia, teloneas et alias exactiones quibusvis regibus et principibus seu aliis personis saecularibus minime tenerentur, nec ad id compelli aliquatenus valerent; et ab inde, videlicet sub data kalendis aprilis, pont. sui anno VIII (2), ad humilem supplicationem clarae mem. Sanciae, reginae Siciliae, quae de licentia Sedis Apostolicae praedictum monasterium construxit et variis possessionibus et jocalibus dotavit, eidem monasterio ac sororibus tunc praesentibus et futuris necnon omnibus et singulis ad ipsum monasterium debita cum veneratione confluentibus per alias concessit, ut potirentur et gauderent omnibus indulgentiis ordini fratrum Minorum, sanctae Clarae suis vicibus et diebus, quavis auctoritate concessis; ac successive Innocentius VI in sua obedientia nuncupatus sub data III nonis augusti, pont. sui anno II (3), litteras bon. mem. Bonifatii papae VIII, etiam praedecessoris Nostri, universis abbatissis, conventibus et sororibus inclusis dicti monasterii tunc praesentibus et futuris, ut tam exemptionum privilegiis, quam omnibus immunitatibus, libertatibus et indulgentiis quibuscumque uterentur et gauderent, quae fratrum ordinis Minorum vel eius fratribus et personis a Sede Apostolica erant concessa et in posterum concederentur, quatenus huiusmodi privilegia dictis abbatissis, conventibus et sororibus competebant vel competere poterant ipsaque monasteria dicti ordinis poterant et possent ipsorum esse capacia per quasdam confirmavit; et per alias sub data XIII kalendas iunii, pont. sui anno V, abbatissam et conventum monasterii praedicti cum omnibus bonis, quae tunc possidebant aut in posterum iustis modis possent adipisci, et specialiter terras, castra et possessiones, villas, domos, vineas, nemora, prata, pascua, molendina et alia bona, iuste et pacifice ab eis possessa, sub beati Petri et Pauli protectione per alias litteras suscepit et in ea conservavit, ac abbatissae et conventui praedictis, ut sine iuris alieni praeiudicio quasvis possessiones et alia bona immobilia, quae personis sororum et conversarum ad ipsum monasterium relicta mundi vanitate convolantium ac professionem facientium in eodem, si remansissent in saeculo, iure successionis vel alias iusto titulo contigissent, et quae ipsae praesentes in saeculo potuissent habere, petere, recipere ac etiam retinere libere valerent, per alias concessit; ac postmodum quondam Gregorius XII in sua obedientia nuncupatus per alias suas litteras sub data VI kalendas iunii, pont. sui anno II, omnes libertates, immunitates et privilegia ac alias indulgentias abbatissae et conventui monasterii praedicti per summos pontifices concessas necnon libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus ac aliis christifidelibus rationabiliter ipsis abbatissae et conventui indultas, sicut eas iuste et pacifice tunc obtinebant, per alias suas litteras confirmavit, prout in singulis litteris praedictis dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictarum abbatissae et conventus Nobis fuit humiliter supplicatum, ut litteris praedictis ac omnibus et singulis in eis contentis pro illarum subsistentia firmiori, robur apostolicae confirmationis adiicere necnon eis, quotiescumque contingeret aliquam saecularem habitum capere religionis in dicto monasterio, si professionem facere voluerit aut consociabitur, omnes et quascumque ad huiusmodi sollemnitatem venientes, quos intelligerent esse admittendos, ad locum dicti monasterii, ubi fiunt praedictae sollemnitates, et etiam, ut probos et virtuosos viros ac quascumque alias venerabiles personas diversarum mundi partium pretiosa dona, quibus praedicta regina monasterium ipsum multipliciter ornavit, visitare admodum cupientes sine ullo excommunicationis vinculo in dicto monasterio recipere necnon etiam, si contingat aliquam ipsarum monialium corporis invaletudine laborare, abbatissa, quae tunc temporis dicto monasterio praefuerit, possit parentes, consanguineos et affines sui sexus ad eam visendam in dictum monasterium recipere, quoties voluerit, licentiam concedere; et quod deinceps nulla dictarum monialium, quae habitum aut professionem in dicto monasterio fecerit, possit ab eodem monasterio discedere animo in alio commorandi, statuere et ordinare aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui de praemissis certam notitiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si et postquam vobis aut alteri vestrum de singulis litteris ac aliis praemissis legitime constiterit, litteras ipsas ac omnia et singula in eis contenta auctoritate Nostra approbetis et confirmetis ac plenum firmitatis robur obtinere decernatis et statuatis, quod dicta abbatissa ... personas praedictas ad monasterium ipsum professionis aut consecrationis necnon invaletudinis huiusmodi ratione seu causa dona huiusmodi visendi declinantes libere et licite absque alicuius poenae excom-

(1) Hoc loco aliqua excidisse videntur. (2) Vide ibid. n. 527, p. 262. (3) Vide ibid. t. VI, n. 660, p. 283.

municationis incursu et irrequisita generalis ministri aut guardiani fratrum Minorum seu alicuius alterius superioris licentia iuxta consuetudinem ibidem hactenus observatam admittere et recipere possint et valeant; quodque de cetero nulla dictarum monialium, quae habitum aut professionem in dicto monasterio fecerit, ab eodem monasterio animo aliud intrandi discedere possit, decernentes irritum *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, X kal. octobris, ... anno I.

1114. Mandat, ut Nicolaum de Maida, O. F. M., monasterii SS. Avangerae, O. S. Bas., Neocastren. dioec., (in Cortale, dioec. Nicastro) absolvat a censuris et irregularitate et procedat ad exsecutionem litterarum Eugenii IV eidem Nicolao concessarum (1).

1447, septembris 23, Romae.

Dilecto filio Bissarioni, basilicae XII apostolorum presbytero cardinali.

Ad ea, per quae ecclesiarum ac monasteriorum *etc.* Dudum siquidem per fel. rec. Eugenium papam IV, praedecessorem Nostrum, accepto, quod monasterium SS. Avangerorum, ordinis S. Basilii, Neocastren. dioec., per obitum quondam Ciccarelli, ipsius monasterii, dum viveret, abbatis, extra Romanam curiam defuncti, vacaverat et vacabat, tunc ipse praedecessor per alias suas litteras venerabili fratri Nostro episcopo Neocastren. eius proprio nomine non expresso sub certa forma inter cetera dedit in mandatis, ut de persona dilecti filii Nicolai de Maida, ordinis fratrum Minorum professoris, eidem monasterio ... provideret ipsumque illi in abbatem praeficeret, prout in dictis litteris, in quibus, quod fructus, redditus et proventus praefati monasterii viginti trium florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedebant, expressum exstitit, plenius continebatur (2), ac eidem praedecessori pro parte dicti Nicolai exposito, quod praefatus Ciccarellus clericus saecularis usque ad diem sui obitus huiusmodi et non praefati monasterii abbas exstiterat et, quo titulo per aliquos annos monasterium praefatum rexisset et gubernasset, ac etiam de vero vacationis modo eiusdem monasterii dictus Nicolaus certam notitiam tunc non haberet, necnon ab aliquibus assereretur fructus, redditus et proventus praefatos summam viginti trium florenorum huiusmodi annuatim communiter excedere, ac alias dilectus filius Iohannes de Bonoiohanne, clericus saecularis praefatae dioec., nondum in aetate legitima constitutus, de regimine et administratione praefati monasterii nulla apostolica provisione seu concessione desuper sibi facta per tres annos vel circa illud occupando se ingesserat, prout etiam tunc ingerere dignoscebatur, de qua occupatione nulla in praefatis litteris mentio facta fuerat, idem praedecessor venerabili fratri Nostro episcopo Nicoteren. eius proprio nomine non expresso, cum venerabilis frater Noster Iohannes episcopus Neocastren. tunc ageret in remotis, ac in civitate Neocastren. et dicta dioec. ad debitam praemissorum faciendam exsecutionem peritorum copia non exsisteret, aliis suis litteris dedit in mandatis, quatenus ... priores litteras praedictas valere plenamque roboris firmitatem obtinere decerneret necnon etiam ad ipsarum priorum litterarum totalem exsecutionem procederet perinde in omnibus et per omnia, ac si in illis, quod dictus Ciccarellus clericus saecularis dumtaxat et non abbas exstitisset, et quod verus vacationis monasterii huiusmodi modus etiam tunc ignoraretur, quodque fructus, redditus et proventus huiusmodi triginta florenorum auri similium secundum aestimationem praefatam valorem annuum non excederent ac etiam de Iohanne et eius triennali vel circa occupatione monasterii huiusmodi specialis et expressa mentio facta fuisset, et praefato episcopo Nicoteren. a principio priores litterae praedictae directae exstitissent, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur. Postmodum vero, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Nicolai petitio continebat, venerabilis frater Noster Franciscus, episcopus Nicoteren., ad ipsarum litterarum exsecutionem procedens, quia dictus Iohannes de Bonoiohanne coram eo iuxta monitionem sibi per ipsum Franciscum episcopum desuper habitam infra competentem sibi ad hoc per eumdem Franciscum episcopum assignatum terminum comparere non curavit, dictum Nicolaum in possessionem regiminis et administrationis bonorum eiusdem monasterii induci fecit ac illum in vim primi decreti induxit necnon anno decurso, postquam praefatus Nicolaus huiusmodi decreti vigore possessionem praefatam assecutus fuerat, ipsum Nicolaum dicti monasterii ac regiminis et administrationis praedictorum verum possessorem fore decrevit et declaravit ac eidem Nicolao regularem habitum per monachos dicti ordinis S. Basilii gestari solitum exhibuit, ipseque Nicolaus dictis regularibus institutis se conformavit ac in habitu per eum suscepto huiusmodi dictum

(1) Reg. Lat. t. 442, f. 69 v.

(2) Vide supra n. 673, p. 318.

monasterium per annum et ultra, citra tamen biennium, rexit et gubernavit, ac subsequenter, videlicet de mense martii ultimo praeteriti dictus Iohannes episcopus praefatum Nicolaum per certi tenoris litteras monuit et mandavit eidem, ut infra certum etiam tunc expressum terminum coram eo ius seu titulum in monasterio vel illius regimine et administratione praefatis seu ad illa competens, et qualiter fratrum Minorum dimiserit ac S. Basilii huiusmodi ordines assumpserit, exhibere ac de illis docere deberet, successive vero, quia dictus Nicolaus, credens se ad parendum monitioni et mandato huiusmodi non teneri, coram praefato Iohanne episcopo non comparuerat, dictus Iohannes episcopus ipsum Nicolaum apostatam fore declaravit et excommunicatum publice nuntiavit ipsiusque monasterium ac illius fructus, redditus et proventus, donec et quousque dictus Nicolaus de titulo et mutatione habitus huiusmodi fidem faceret, sequestrari mandavit et sequestravit, a quo quidem sequestro per praefatum Nicolaum ad Sedem Apostolicam appellato Nos, dicto praedecessore, sicut Domino placuit, sublato de medio divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, causam appellationis huiusmodi tibi audiendam commisimus et fine debito terminandam. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Franciscus episcopus ad ipsarum litterarum exsecutionem minus legitime processit, ut praefertur, et propterea idem Nicolaus dubitet se praemissorum occasione excommunicationis sententiam vel aliquam inhabilitatis et infamiae maculam seu notam incurrisse ac dictum Franciscum episcopum ex decursu certi temporis ac dicti praedecessoris obitu ad ipsarum litterarum exsecutionem procedere non potuisse, pro parte eiusdem Nicolai, qui, ut asserit, pauper exsistit, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... circumspectioni tuae ... mandamus, quatenus eumdem Nicolaum, si id a te humiliter petierit, ab apostasiae reatu necnon excommunicationis aliisque sententiis, censuris et poenis praedictis ... absolvere et secum super irregularitate ... dispensare omnemque ab eo inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per ipsum dicta occasione contractam abolere necnon vocatis praedicto Iohanne de Bonoiohanne et aliis, qui fuerint evocandi, ad ulteriorem et omnimodam ipsarum litterarum exsecutionem iuxta illarum continentiam atque formam in omnibus et per omnia etiam perinde, ac si in illis, quod dictum monasterium SS. Avangerorum de Casali Curtalis alias De Burdone nuncuparetur, expressum fuisset, procedere auctoritate Nostra procures. Nos enim *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IX kal. octobris, ... anno I.

1115. Iohanni de Mauberto, O. F. M., mandat, ut cum Iohanne de Palude, presbytero Morinen. dioec., dispenset super voto ingrediendi domum O. F. M. de observ., oppidi S. Audomari (1).

1447, septembris 25, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Mauberto, in partibus ultramontanis ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum vicario generali auctoritate apostolica deputato.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis de Palude, presbyteri Morinen. dioec., magistri in artibus, petitio continebat, quod olim ipse, dum in quartodecimo vel circa suae aetatis anno constitutus foret, laudabilem et devotam fratrum ordinis Minorum de observantia in oppido S. Audomari de Sancto Audomaro, dictae dioec., commorantium vitam attendens, ut quam primum ad annos discretionis perveniret, se ad dictam observantiam in quadam domo ipsius ordinis in praefato oppido vigentem transferre et sub eorum regula et professione vivere et hunc mundum totaliter dimittere velle mentaliter intra se et postea proprio ore expresse vovit et in eodem proposito usque ad vicesimum quartum suae aetatis annum firmiter perseveravit, deindeque de praemissis dolens a primo proposito resilire coepit et votum praedictum aliquamdiu adimplere non curavit, subsequenter vero, dum quadam gravi infirmitate percussus exsisteret, votum, ut praemittitur, per eum emissum reiteravit, videlicet, quod, si ipsum a dicta infirmitate liberari contingeret, votum praedictum adimpleret, postea vero sanitate recuperata ad domum fratrum Minorum dicti oppidi animo et intentione votum huiusmodi adimplendi se transtulit ac ibidem vitam et observantiam regularem ferventi animo, quantum in eo fuit, facere et observare curavit, et deinde fratres in dicta domo exsistentes, debilitatem corporis ipsius Iohannis et naturam attendentes, ipsum ad observantiam ordinis et regulae praedictorum non fore capacem nonnullis aliis causis rationabilibus etiam subsistentibus eum tamquam minus idoneum licentiarunt et tenere refutarunt. Postremo autem Iohannes praedictus in pristino proposito semper perseverando religionem quamdam laxioris regulae et vitae, videlicet canonicorum regularium ordinis S. Augustini ingredi

(1) Reg. Lat. t. 440, f. 309 v.

tentavit, in qua, postquam aliquamdiu steterat, a canonicis inibi exsistentibus, debilitate et causis obsistentibus supradictis repulsam patiens, habitu tamen alicuius ordinis praedictorum non assumpto cum moerore ab illa recessit. Quare pro parte dicti Iohannis, asserentis se debilis complexionis exsistere ac votum huiusmodi propter debilitatem suam ac asperitatis regulae dicti ordinis fratrum Minorum de observantia in dicto oppido adimplere non posse, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et cum eodem Iohanne super voto et aliis praemissis auctoritate praefata dispenses ac ipsum ab huiusmodi voto absolvas et ad illius observantiam non teneri eadem auctoritate declares, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VII kal. octobris, ... anno I.

1116. Raymundo de Torculari, O. F. M., concedit licentiam recipiendi duas capellanias in commendam [1].

1447, septembris 25, Romae.

Dilecto filio Raymundo de Torculari, ordinis fratrum Minorum professori et in theologia licentiato.

Religionis zelus *etc.* Dudum siquidem tibi, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum ... recipere et in huiusmodi commendam retinere necnon fructus, redditus et proventus beneficii huiusmodi debitis eius supportatis oneribus in tuos et illius usus convertere et de illis ... disponere et ordinare valeas, per alias Nostras litteras indulsimus gratiose, prout in ipsis litteris plenius continetur. Nos igitur, volentes te, pro quo etiam dilecta in Christo filia nobilis mulier Agnes de Armanhiaco, domina loci de Lebreto, asserens te dilectum suum capellanum fore, Nobis super hoc humiliter supplicavit, praemissorum intuitu favore prosequi gratioso, ipsius dominae ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut duae capellaniae perpetuae quaecumque ... tibi commendari possint, tuque illas ... recipere et, quoad vixeris, una cum beneficio praedicto in huiusmodi commendam retinere libere et licite valeas, quibuscumque ... contrariis nequaquam obstantibus ... indulgemus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VII kal. octobris, ... anno I.

1117. Georgio de Abbatia, O. F. M., qui in theologia baccalaurii gradum Parisius susceperat, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum [2].

1447, septembris 25, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VII kal. octobris, ... anno I.

1118. Roberto, episcopo Vulterran., suo in spiritualibus in Urbe vicario, mandat, ut approbet et confirmet locationem cuiusdam domus ab ecclesia S. Eustachii de Urbe non multum longinquae et ad mensam capituli dictae ecclesiae spectantis, antea Magdalenae de Bondiis, sorori III O. S. Fr., de Urbe, locatae, factam Georgio de Nuvolonibus, scriptori, familiari et acolytho papae [3].

1447, septembris 26, Romae.

Iis, quae pro ecclesiarum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VI kal. octobris, ... anno I.

1119. Iacobo de Primaditiis, O. F. M., vicario generali in partibus citramontanis, eiusque successoribus subiicit vicariam Bosnae [4].

1447, septembris 26, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Primaditiis, professori et dilecti filii generalis ministri ordinis Minorum in citramontanis partibus fratrum eiusdem ordinis sub illius regulari observantia degentium vicario generali.

Ad hoc circa regularis observantiae propositum *etc.* Cum itaque, sicut nuper ad audientiam

---

[1] Reg. Lat. t. 442, f. 212 v.

[2] Reg. Vat. t. 385, f. 108 v.

[3] Reg. Lat. t. 443, f. 90 v.

[4] Reg. Lat. t. 442, f. 284; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 23 « ex originaria bulla ». — Hoc loco ponimus breve, quod exstat Reg. Vat. t. 367, f. 188, sine die, mense et anno, sed inter alia brevia anni I. Hoc brevi eidem Iacobo concedit facultatem commutandi vota peregrinationum: *Iacobo de Primaditiis vicario generalis ministri in partibus citramontanis ordinis Minorum de observantia nuncupatorum.*

Dilecte fili sal. De integritate et sinceritate conscientiae tuae, quarum in Nostris et Romanae ecclesiae negotiis saepe experientiam praebuisti, specialem in Domino spem gerentes, ea tibi fiducialiter committenda duximus, per quae nonnullorum christifidelium saluti animarum consulere ac te illis gratiosum valeas exhibere. Eapropter devotioni tuae, ut per te vel alium sacerdotem idoneum vota quarumcumque personarum utriusque sexus partium Italicarum per eas vel alteram ipsarum emissa, videlicet peregrinationis ultramarinae et S. Iacobi in Compostella ac S. Antonii Viennen. et alia huiusmodi peregrinationum, vota commutare valeas in alia pietatis opera, prout secundum Deum et salutem animarum personarum huiusmodi videris expedire, dummodo personae huiusmodi tantum pro aliquibus piis operibus, de quibus tibi visum fuerit, exponant, quantum in eundo, stando et redeundo in peregrinationibus huiusmodi exponerent, si eas voluissent opere adimplere, ita tamen, quod summa quantitatum convertendarum huiusmodi florenorum auri de camera ducentorum vel circa, super quo tuam conscientiam oneramus, non excedat. Datum Romae apud S. Petrum.

Nostram quorumdam fide digna relatione pervenit, nonnulla domus, loca et conventus vicariae Bosnae, ordinis et observantiae praedictorum, ipsorumque personae deformata sint et correctionis ac reformationis officio etiam super statuta inibi facienda et alias quamplurimum indigere noscantur, et si illa ac quaecumque alia domus, conventus et loca dictae vicariae et illi subiecta ubilibet consistentia tibi ac successoribus tuis vicariis generalibus fratrum dicti ordinis in citramontanis partibus commorantium iurisdictioni et potestati perpetuo subiicerentur, in eis divinus cultus et regularis observantia conservarentur ac in illis dietim susciperent augmentum, Nos, ad domorum, locorum et conventuum ac personarum huiusmodi reformationem, prout ex debito pastoralis tenemur officii, paternis ac sollicitis studiis intendentes, te, de cuius religionis zelo, prudentia et virtute specialem in Domino fiduciam obtinemus, sperantes, quod ea, quae tibi committentur, ad laudem divini nominis exsequeris, omnium et singulorum domorum, conventuum et locorum dictae vicariae ubilibet consistentium illorumque personarum visitatorem, reformatorem et correctorem usque ad Sedis Apostolicae beneplacitum auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium fecimus, constituimus ac etiam deputavimus, tibi eadem auctoritate mandantes, quatenus ad illa ex domibus, conventibus et locis praedictis, ad quae ire tibi erit commodum, personaliter accedas, ad alia vero personam seu personas, de qua seu quibus tibi videbitur, transmittas, ac tu et transmissae personae huiusmodi, habentes solum Deum prae oculis, domus, loca et conventus antedicta visitetis tam in capitibus quam in membris et illa ex eis, quae correctionis ac reformationis officio noveritis indigere, dicta auctoritate corrigatis et reformetis, plantetis ac evellatis, instituatis et destituatis ac alia omnia et singula ordinetis, faciatis et statuatis, quae secundum Deum pro statu salubri domorum, conventuum et locorum ac personarum huiusmodi ipsoque religionis augmento noveritis expedire. Nos enim, ut ex huiusmodi visitationibus et reformationibus tuis sollicitudine et ope praemissis scandalis obvietur, necnon observantia huiusmodi augeatur, manu teneatur et conservetur, tibi et deputandis personis praedictis domus, conventus, loca et personas praedicta, ut praefertur, auctoritate apostolica visitandi, reformandi et corrigendi ipsasque personas, prout defectus, crimina et excessus per eos commissa exegerint, iuxta canonicas sanctiones et regularia ipsius ordinis instituta puniendi et, si illorum demerita aut etiam locorum et temporum conditiones seu qualitates id exposcerint, ab illis ex domibus et locis, in quibus moram traxerint, ac dignitatibus, administrationibus et officiis, quibus praefuerint, amovendi et illis privandi necnon ad alia domos, conventus et loca eiusdem ordinis, de quibus tibi videbitur, transferendi, omnia quoque alia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exsequendi, contradictores quoque et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis compescendi plenam et liberam dicta auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et insuper, ut in domibus, conventibus et locis praedictis observantia huiusmodi manuteneatur et conservetur, ac illa et divinus cultus dietim per amplius augeatur, omnia et singula domus, conventus et loca dictae vicariae et illi quomodolibet subiecta ubilibet, etiam a mari Adriatico usque ad fines Tatariae consistentia, quaecumque et quotcumque numero sint, ipsorumque personas tibi et successoribus tuis vicariis generalibus fratrum ordinis et observantiae in partibus citramontanis huiusmodi, qui erunt pro tempore, perpetuo subesse et subiecta fore censeri debere teque et successores tuos praedictos in domos, conventus, loca et personas huiusmodi omnimodam iurisdictionem et potestatem habere ac exercere posse et debere in omnibus et per omnia, prout domus, conventus et loca fratrum ordinis et observantiae huiusmodi in dictis citramontanis partibus consistentia eorumque personae subiecta sunt et in ea habes ac exercere potes et debes, eisdem auctoritate et scientia per praesentes statuimus et etiam decernimus, mandantes districtius universis et singulis vicariis provinciae ac ministris domorum, conventuum et locorum huiusmodi illorumque personis sub excommunicationis poena, quatenus infra quindecim dierum spatium, postquam praesentium notitiam habuerint aut pro tua vel successorum tuorum parte desuper fuerint requisiti, tibi et successoribus praefatis efficaciter et humiliter pareant et intendant, ac districtius inhibentes universis et singulis christifidelibus tam ecclesiasticis, saecularibus et ordinum quorumcumque regularibus ac laicis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, nobilitatis vel conditionis fuerint, etiam si regali, reginali, patriarchali, archiepiscopali, episcopali, abbatiali et alia quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate praefulgeant, ne vigore cuiuscumque indulti seu concessionis sub quacumque verborum forma per Nos vel Sedem praedictam concessi seu concessae aut in posterum concedendi seu concedendae aliquos ipsius vicariae seu alios

tibi et dictis successoribus pro tempore subiectos fratres in ipsorum capellanos, nisi de speciali tua aut successorum praedictorum aut aliorum fratrum sufficientem desuper a te vel successoribus praefatis facultatem habentium licentia speciali, habere praesumant et, si quos forsan habuerint, illos infra mensem, postquam praesentes Nostrae litterae sibi intimatae fuerint, dimittere penitus et omnino teneantur, decernentes quoque eis et singulis, qui contra mandatum et inhibitionem Nostram huiusmodi in aliquo venire praesumpserint, excommunicationis sententiam, a qua praeterquam in mortis articulo constituti nonnisi per Romanum pontificem vel successores tuos vicarios praedictos, dictum vicarium aut fratres ad id per te vel ipsos successores pro tempore deputatos absolvi possint, incurrere ipso facto ac ex tunc omnes et singulas litteras super licentia seu facultate recipiendi quoscumque fratres in eorum capellanos quibusvis personis ecclesiasticis vel saecularibus praedictis per Nos vel Sedem praedictam sub quacumque verborum forma concessas et in posterum forsan concedendas, nisi in illis specifice et expresse de vicaria huiusmodi mentio fiat, ad fratres vicariae et subiectos huiusmodi nullatenus se extendere ac irritum et inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter quomodolibet contigerit attentari. Volumus autem, quod per quascumque etiam apostolicas generali ministro dicti ordinis aut ipsius vicariae vicario seu fratribus vel quibusvis aliis quoquo modo per Nos aut Sedem Apostolicam concessas vel in posterum concedendas litteras ipsae praesentes litterae seu in eis contenta nullatenus intelligantur seu censeri debeant invalida seu alias quomodolibet revocata. Non obstantibus *etc.* Verum, quia difficile esset *etc.* Nulli ergo, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VI kal. octobris, ... anno I.

1120. Domus S. Francisci et Daxae in territorio Ragusin., S. Crucis Iaderen. et iuxta civitates Arben. et Cattaren. consistentes, O. F. M. de observ., a vicaria Bosnae separat et subiicit iurisdictioni Iacobi de Primaditiis, vicarii generalis O. F. M. de observ. in partibus citramontanis, et eius successorum (1).

1447, septembris 27, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolicae Nobis licet immeritis *etc.* Cum itaque, sicut nonnullorum fide digna relatione percepimus, licet tam S. Francisci et Daxae in territorio Ragusin. quam S. Crucis Iaderen. et quaedam iuxta Arben. ac iuxta Cattaren. civitates consistentes seu consistentia conventus, domus vel loca ordinis fratrum Minorum regularis observantiae vicariae Bosnae, ordinis et observantiae eorumdem, successive apostolica vel alia auctoritate in perpetuum canonice subiecta, incorporata seu unita fuerint, ita quod vicarii dictae vicariae, qui pro tempore essent, necnon ab eis pro tempore substituti in sic subiectis conventibus et domibus seu locis eorumque personis illas et prorsus similes ac easdem in omnibus tam gratiam quam iustitiam concernentibus et aliis quibuscumque omnimodam iurisdictionem, potestatem et facultatem haberent et exercere possent, quas generalis minister dicti ordinis pro tempore exsistens in illis habet, et si in dictis partibus praesens foret, haberet ac exercere posset, tamen propter subiectionem, incorporationem et unionem huiusmodi verisimiliter apud quosdam christifideles illarum partium exoriri scandala et in ipsis domibus, conventibus atque locis divinus cultus minui ac observantia huiusmodi tepescere et penitus cessare possent, Nos igitur, super praemissis opportune providere volentes, ex certis iustis rationabilibus causis Nobis notis, ad id animum Nostrum moventibus, motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed ex Nostra dispositione, auctoritate apostolica et ex certa scientia omnes et singulas subiectiones, incorporationes et uniones de praefatis domibus, conventibus seu locis eidem vicariae etiam per fel. rec. Eugenium papam IV, praedecessorem Nostrum, vel alios quosvis Romanos pontifices, praedecessores Nostros, quacumque auctoritate factas et quo ad illa tantum quascumque litteras apostolicas sub quibusvis verborum formis et quibuslibet etiam derogatoriis clausulis ac motu proprio et scientia similibus concessas, etiam si quoad ipsarum derogationem de illis de verbo ad verbum specialis et expressa mentio habenda foret, eis alias quoad cetera in ipsis forsan contenta in suo robore permanentibus necnon quaecumque inde secuta revocamus, cassamus et annullamus nulliusque roboris vel momenti fore ac ipsa domos, conventus et loca eorumque fratres et personas quascumque etiam a mare Adriatico usque ad mare Tatarorum ac alias ubicumque consistentia dilecto filio Iacobo de Primaditiis, professori et dilecti filii generalis ministri dicti ordinis in citramontanis partibus fratrum ipso-

(1) Reg. Lat. t. 442, f. 57; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 24. De domo de Daxa cf. supra n. 588, p. 276; de domo de Iadera n. 281, p. 130 et n. 598, p. 281.

rum ordinis et observantiae degentium vicario generali, ipsiusque Iacobi successoribus vicariis generalis ministri eiusdem ordinis pro tempore exsistentis, qui erunt pro tempore, perpetuo subiicimus ac subiecta esse decernimus, ita quod Iacobus et successores praedicti in domibus, conventibus, locis ac personis subiectis praedictis illas ac prorsus similes iurisdictionem, potestatem et facultatem habeant, quam dictus Iacobus in aliis domibus, conventibus seu locis fratrum ordinis et observantiae huiusmodi in dictis citramontanis partibus degentibus habet et exercere potest. Ceterum, cum, sicut accepimus, dictus Eugenius praedecessor per suas litteras inter cetera perpetuo subiecerit vel subiecta esse decreverit necnon unierit, annexuerit et incorporaverit dictae vicariae Bosnae omnia et singula domus, conventus et loca dicti ordinis, quae a mari Adriatico usque ad mare Tatarorum consistebant et consistunt, ac ex subiectione, decreto, unione, annexione et incorporatione praedictis, sicut Nobis innotuit, quamplures inconvenientiae subsecutae fuerint ac dietim subsequantur, Nos ad inconvenientias huiusmodi submovendas auctoritate et scientia praedictis non supradicta quinque nec etiam alia domos, conventus et loca, quae fratres dictorum quinque locorum seu alicuius eorum construxerunt vel construent seu construi facient aut inhabitant vel inhabitabunt, sed ea tantum domus, conventus et loca, quae ipsi vicariae antiquitus unita et subiecta fuerunt, et quae fratres dictae vicariae in provincia Orientali construxerunt seu construi fecerunt aut inhabitarunt vel inhabitant aut inhabitabunt ac reformarunt et reformabunt, eidem vicariae subiecta, unita et incorporata fore decernimus pariter et declaramus, districtius inhibentes vicario et fratribus dictae vicariae pro tempore exsistentibus, ne quarumvis litterarum eis seu quibusvis aliis apostolica seu alia quacumque auctoritate sub quibuscumque verborum formis concessarum vel in posterum forsan concedendarum, nisi in illis de praesenti inhibitione specialis et expressa mentio fiat, quas quoad hoc revocamus, cassamus et annullamus nulliusque roboris vel momenti fore decernimus, obtentu seu vigore aliqua domus, conventus et loca dicti ordinis in partibus Dalmatiae de novo recipere aut construere seu fundare praesumant. Praeterea, cum, sicut quorumdam fidedigna relatione percepimus, fratres dictae vicariae in civitate Ragusin. mendicare consueverint ac propter locorum et partium huiusmodi paupertatem fratres domus S. Francisci Ragusin. praedictae ex mendicitate vivere habeant ac ex multorum mendicitate nonnulla inordinationes ac etiam non mediocria scandala civibus eiusdem civitatis subsequantur dictique fratres domus Ragusin., cupientes sub paupertate iuxta ipsius regulae puritatem vivere et quosdam annuos fructus, redditus et proventus ad ipsam domum Ragusin. pertinentes a se penitus abdicare, illos in manibus dilectorum filiorum civium Ragusin. resignaverint, quod praefati cives et ab eis ad hoc pro tempore deputati usque ad dictae Sedis beneplacitum ad Iacobi et successorum suorum pro tempore exsistentium huiusmodi requisitionem seu ordinationem certam partem, de qua ipsis Iacobo et successoribus pro tempore videbitur, in usum et utilitatem domorum dictae vicariae ac fratrum eorumdem, qui in praefata civitate mendicare consueverunt, convertendam fratribus vicariae huiusmodi seu ad id per eos deputatis annis singulis realiter et cum effectu tradere et assignare debeant ac teneantur, statuimus pariter et decernimus per praesentes, districte praecipiendo mandantes civibus et ab eis deputatis praefatis, ut quacumque exceptione remota assignationem et traditionem huiusmodi faciant necnon universis et singulis christifidelibus tam ecclesiasticis quam saecularibus et etiam praefati ac cuiuscumque alterius ordinis fratribus necnon laicis personis, ut fratres domorum, conventuum seu locorum dictae vicariae in civitatibus, oppidis, castris, terris et locis, in quibus ipsi fratres mendicare consueverunt, iuxta antiquam eorum consuetudinem et ipsius ordinis instituta mendicare permittant eosque charitative recipiant et pertractent, dictique Iacobus et successores ac deputati ad id fideles ipsos per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia auctoritate apostolica cogant et compellant. Non obstantibus *etc.* Verum, quia difficile esset *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, V kal. octobris, ... anno I.

1121. Iohanni Herste, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum [1].

1447, septembris 30, Romae.

Dilecto filio Iohanni Herste, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Volentes igitur tibi, qui, ut asseris, ordinis fratrum Minorum expresse professus ac lector in theologia exsistis necnon in oppido Casselen., Moguntin. dioec., ad popu-

(1) Reg. Lat. t. 432, f. 5.

lum verbum Dei praedicare consuevisti, et pro quo dilectus filius nobilis vir Ludovicus, lantgravius Hassiae, pro te dilecto capellano et confessore suo Nobis super hoc humiliter supplicavit, praemissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, ... tibi, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum curatum per saeculares clericos gubernari consuetum, etiam si parochialis ecclesia fuerit, alias tamen canonice, commendari possit, ... indulgemus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie kal. octobris, ... anno I.

1122. Transsumit litteras Eugenii IV de sororibus III O. S. Fr. S. Mariae de Candeloria, Panormitan. dioec. (1).

1447, octobris 3, Romae.

Dilectis in Christo filiabus Antoniae Varange et aliis sororibus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, in loco S. Mariae de Candeloria, Panormitan. dioec., commorantibus.

Provisionis Nostrae debet provenire subsidio *etc.* Hinc est, quod Nos tenorem quarumdam litterarum fel. rec. Eugenii papae IV, praedecessoris Nostri, in registro ipsius praedecessoris repertum pro eo, quod dictae litterae, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, casualiter sunt amissae, de registro praedicto de verbo ad verbum transscribi et ad vestrae petitionis instantiam praesentibus annotari fecimus, qui est talis:

Eugenius etc. Dilectis in Christo filiabus Antoniae etc.

Exhibita nobis nuper *etc. (ut supra n. 1042, p. 522).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XV kal. februarii, ... anno XVI.

Ceterum, ut earumdem litterarum tenor praedictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, auctoritate apostolica decernimus, ut illud idem robur eamque vim eumque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales litterae supradictae, et eadem prorsus ipsi tenori fides adhibeatur, quandocumque et ubicumque in iudicio vel alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut ipsis originalibus litteris staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nullum ius vobis de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habetis, tantummodo conservari. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, V nonas octobris, ... anno I.

1123. Mandat, ut sororibus III O. S. Fr. civitatis Viterbien. concedat licentiam recipiendi aliam domum in dicta civitate (2).

1447, octobris 14, Romae.

Dilecto filio vicario in spiritualibus generali venerabilis fratris Nostri episcopi Viterbien.

Copiosa Sedis Apostolicae benignitas *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Catharinae Santorii de Viterbio et Laurae Angeli de Spello ac Margaritae Silvestri de Tuderto necnon Angelae Colutii de Bieda, Viterbien. dioec., et Franceschinae Scaramucciae de Urbe, sororum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in civitate Nostra Viterbien. commorantium, petitio continebat, quod domus, quam de praesenti inhabitant, pro ipsarum et aliarum, quae sub regula dicti ordinis vivere delegerint, sororum inibi pro tempore recipiendarum usu et habitatione arcta, inepta et indisposita fore dignoscitur neque commode ampliari seu reparari posset, et si eis aliam domum magis aptam et accommodam in eadem civitate, quam canonice conquirere contingeret, recipiendi seu de novo aedificandi licentia concederetur, ipsae quietius et liberius Altissimo famulari possent et in ipsa alia domo divinum cultum augeri procurarent. Quare pro parte sororum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, praefatis sororibus aliam domum huiusmodi ad hoc sufficienter constructam recipiendi aut illam in loco ad id congruo et honesto de novo aedificandi et construendi ac pro praedictis usu et habitatione perpetuis habendi et in ea commorandi ac alias mulieres ordinem professas in sorores dicti ordinis recipiendi eisque, si professae non sint, habitum per sorores dicti ordinis gestari solitum iuxta illius consuetudinem exhibendi seu exhiberi faciendi ac earum singulis de communibus ipsius domus proventibus sicut uni ex aliis illius sororibus integre providendi easque ibidem sincera in Domino charitate tractandi plenam et liberam auctoritate Nostra licentiam largiaris, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie idus octobris, ... anno I.

(1) Reg. Lat. t. 442, f. 1.

(2) Reg. Lat. t. 442, f. 321. Cf. supra n. 1109, p. 562.

1124. Guardiano domus O. F. M. de Varennis concedit licentiam recipiendi eremitorium S. Martini loci de Ramberticuria (Rembercourt), Tullen. dioec., pro usu fratrum O. F. M. de observ. (1).

1447, octobris 16, Romae.

Dilecto filio guardiano domus alias conventus de Varennis, ordinis fratrum Minorum, Remen. dioec.

Inter ecclesiasticos ordines *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, dilecti filii Iohannes de Chaulz et nonnulli alii nobiles, rectores et gubernatores loci de Ramberticuria, Tullen. dioec., ob singularem devotionem, quam ad ordinem fratrum Minorum et illius fratres sub ipsius ordinis observantia degentes gerunt, ... pro ipsorum suorumque progenitorum animarum salute in honorem S. Francisci ipsiusque ordinis exaltationem pariter et augmentum eremitorium S. Martini dicti loci, ut ex illo vel inibi domus et ecclesia cum campanili, campanis, claustro, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro perpetuis usu et habitatione fratrum eiusdem ordinis sub observantia huiusmodi viventibus erigatur, fundetur et construatur, tibi donare, tradere et assignare intendant, si ad recipiendum ac alia praemissa faciendum tibi Sedis Apostolicae suffragaretur auctoritas, et sicut eadem petitio subiungebat, si eremitorium praefatum iam ex parte constructum pro usu et habitatione praedictis erigendi, fundandi, construendi et aedificandi illudque recipiendi a Sede praedicta facultatem haberes, profecto plurium animas christifidelium dicti et aliorum eidem propinquorum locorum Deo lucrifacere posse sperares, Nos ... tibi eremitorium praefatum, si tibi a Iohanne, rectoribus et gubernatoribus praedictis donabitur, concedetur vel assignabitur, recipiendi illudque pro usu et habitatione praefatis cum ecclesia ... et aliis necessariis officinis erigendi, fundandi, construendi et aedificandi, recipiendi et perpetuo retinendi libere et licite dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia super hoc minime requisita eadem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et insuper universis et singulis dicti ordinis fratribus, quos in eremitorio seu erigenda domo huiusmodi pro tempore residere contigerit, quod eremitorium seu domus huiusmodi ipsique fratres omnibus et singulis indulgentiis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite valeant, auctoritate praefata indulgemus per praesentes, iure tamen *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XVII kal. novembris, ... anno I.

1125. Alfonsum Pernas, O. F. M., instituit episcopum Almaricen. (Almeria in Hispania) (2).

1447, octobris 16, Romae.

Dilecto filio Alfonso Pernas, electo Almaricen.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Fernando episcopo Almaricen. regimini Almaricen. ecclesiae praesidente, Nos, cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Fernandi, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, Nos vacatione *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum et sacrae paginae professorem ac in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* In illo, qui dat *etc.* quodque, quamprimum praesentes litteras habueris expeditas, te ad praefatam Almaricen. ecclesiam conferas et resideas personaliter in eadem, quodque pontificalia officia extra tuas civitatem et dioecesim Almaricen. nequeas exercere. Iugum igitur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XVII kal. novembris, ... anno I.

1126. Iacobum de Breberio, O. F. M., instituit episcopum Buduen. (Budua in Dalmatia) (3).

1447, octobris 16, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Breberio, electo Buduen.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem provisiones *etc.* Et deinde ecclesia Buduen. ex eo pastoris solatio destituta, quod Nos nuper venerabilem fratrem Nostrum Iohannem, Curzolen. et Stagnen., tunc Buduen. episcopum, tunc apud dictam Sedem constitutum, a vinculo, quo ipsi ecclesiae, cui tunc praeerat, tenebatur, ... absolventes, eum ad Curzolen. et Stagnen. invicem canonice unitas ecclesias tunc pastore carentes duximus auctoritate apostolica tranferendum, ... Nos ad provisionem praefatae Buduen. ecclesiae celerem *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.*, teque illi praeficimus in episcopum et pasto-

(1) Reg. Lat. t. 436, f. 28v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 27.
(2) Reg. Lat. t. 435, f. 203v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 25.
(3) Reg. Lat. t. 435, f. 214v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 26.

rem, curam et administrationem *etc.* In illo, qui dat *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XVII kal. novembris, ... anno I.

Simili modo eodem die scribit: *Clero et populo civ. et dioec. Buduen.*

1127. Mandat, ut fratribus O. F. M., terrae Trevii, in omnibus causis ad eorum conventum pertinentibus iustitiam administret (1).

1447, octobris 16, Romae.

Potestati terrae Nostrae Trevii.

Dilecte fili sal. Cum ex debito pastoralis officii simus in administranda iustitia universis christifidelibus debitores, tamen dilectos filios fratres ordinis Minorum, qui in ecclesia militanti multiplices ac salutares fructus Altissimo referunt animarum, circa administrandam eis iustitiam speciali affectu charitatis complectimur. Quocirca devotioni tuae committimus et mandamus tenore praesentium, quatenus dilectis filiis guardiano et fratribus conventus S. Francisci, terrae Nostrae Trevii, in quibuscumque causis et negotiis ad conventum eorum pertinentibus contra et adversus quascumque personas, cuiuscumque status et conditionis exsistant, dummodo tuae iurisdictioni subiiciantur, summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii effectualiter iustitiam administres.

Datum Romae apud S. Petrum, XVI octobris, ... anno I.

1128. Robertum, episcopum Tiberiaden., transfert ad ecclesiam Aquen. (2).

1447, octobris 23, Romae.

Venerabili fratri Roberto, archiepiscopo Aquen.

Romani pontificis, quem pastor ille coelestis *etc.* Sane ecclesia Aquen., cui bon. mem. Robertus, archiepiscopus Aquen., dum viveret, praesidebat, per obitum ipsius Roberti archiepiscopi, qui extra Romanam curiam decessit, pastoris solatio destituta Nos ad provisionem dictae ecclesiae celerem *etc.* demum ad te, episcopum Tiberiaden., *etc.* te licet absentem, a vinculo, quo ipsi ecclesiae Tiberiaden., cui tunc praeeras, tenebaris, ... absolventes, te ad praefatam ecclesiam Aquen. auctoritate praedicta transferimus ac illi in archiepiscopum praeficimus et pastorem, eius curam ac administrationem *etc.* Volumus autem, quod ... in manibus venerabilium fratrum Nostrorum Tolonen. et Conseranen. episcoporum fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum *etc.* Quocirca fraternitati tuae *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, X kal. novembris, ... anno I.

Simili modo eodem die scribit: *Capitulo ecclesiae Aquen.; Clero civ. et dioec. Aquen.; Populo civ. et dioec. Aquen.; Universis vasallis eccl. Aquen.;* praeterea *Renato regi Siciliae,* (Gratiae divinae).

1129. Episcopo Ausaren., in Romana curia residenti, mandat, ut Detlevum, O. F. M., qui in tricesimo aetatis suae anno cum licentia ministri provincialis provinciae Saxoniae, asserentis se ad id potestatem habere, de ordine praedicto ad monasterium in Clusa, Hildesemien. dioec., O. S. Ben., se transtulerat, et in eo viginti sex annis laudabiliter conversatus, postea dicto monasterio vacante per liberam cessionem Remberti de Geismaria abbatis in abbatem electus erat, absolvat a censuris et irregularitate eumque praefato monasterio praeficiat in abbatem (3).

1447, novembris 2, Romae.

Sollicitae considerationis intuitum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV nonas novembris, ... anno I.

1130. Mandat, ut Ludovico, Dalphino Viennen., concedat ecclesiam de Essone, prope civitatem Gratianopolitan., pro fundatione domus O. F. M. de observ. (4).

1447, novembris 5, Romae.

Venerabili fratri episcopo Gratianopolitan.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Ludovici, Dalphini Viennen., charissimi in Christo filii Nostri Caroli Francorum regis illustris primogeniti, petitio continebat, quod ipse ex singulari zelo devotionis, quam ipse ad professores ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum propter eorum religiosam et honestam vitam, cuius exemplo undique populos ad salutis gratiam evocant, gessit et gerit, in ecclesia de Essone, prope civitatem Gratianopolitan. consistente et ad mensam capitularem Gratianopolitan. pleno iure pertinente, quae etiam rectore penitus caret et plurimum desolata fore dignoscitur, seu prope illam, quamdam domum cum ecclesia, campanili, campana, coemeteriis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 187.
(2) Reg. Lat. t. 435, f. 188. Cf. supra n. 831, p. 391.
(3) Reg. Lat. t. 435, f. 5v.
(4) Reg. Vat. t. 406, f. 213; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 28.

pro perpetuis usu et habitatione quorumdam ex fratribus antedictis de bonis a Deo sibi collatis fundare et construere seu fundari et construi facere desiderat et faciet, si ei desuper a Nobis licentia concedatur, pro parte eiusdem Ludovici, asserentis, quod ad id etiam dilectorum filiorum capituli Gratianopolitan. accedit assensus, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita et ad id dictorum capituli accedat assensus, praefato Ludovico, quod in seu prope dictam ecclesiam, si nondum fundata et constructa existant, fundare et construere vel, si iam incepta et non perfecta fuerit, perficere domum cum ecclesia ... et officinis necessariis praedictis necnon fratribus praefatis domum ipsam pro usu et habitatione praedictis concedendi et assignandi ipsisque fratribus per aliquos eorum tenendam et inhabitandam recipiendi iure parochialis ecclesiae ... salvo plenam et liberam tenore praesentium auctoritate Nostra licentiam largiaris. Et insuper ... illos ex fratribus praedictis, quibus concessio huiusmodi fiet, vel procuratores suos eorum nominibus in corporalem possessionem domus praedictae illiusque iurium et pertinentiarum inducas auctoritate Nostra et defendas inductos *etc.*, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*, ac fratribus in domo huiusmodi pro tempore degentibus, quod ipsi et praefata domus omnibus et singulis privilegiis ... uti possint pariter et gaudere, dicta auctoritate concedas.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, nonis novembris, ... anno I.

1131. Mandat, ut de vita et moribus fratrum O. F. M. civitatis Eugubin. inquirant et certiorem faciant ministrum illius provinciae (1).

1447, novembris 7, Romae.

Prioribus et universitati civitatis Nostrae Eugubin.

Dilecti filii sal. Multae et graves querelae per venerabilem fratrem Nostrum episcopum Eugubinum ad Nos delatae sunt contra et adversus fratres ordinis Minorum, conventus civitatis Nostrae Eugubin., videlicet, quod propter incontinentiam vitae et alias eorum insolentias merito ab eodem conventu deberent amoveri. Super quo litterae vestrae Nobis exhibitae fuerunt, scriptae die XXVIII mensis decembris, anno dominicae incarnationis 1446, in quibus inter alia continebatur vos congregato consilio vestro in id convenisse unanimiter, quod praefati fratres a dicto conventu forent amovendi. Quas tamen litteras dilectus filius Franciscus, viceprocurator ac frater dicti ordinis, asseruit et asserit de mente vestra minime processisse. Quod admodum verisimile esse videtur, cum dictus Franciscus pridem vestras quasdam litteras praesentaverit Nobis, per quas asserere videmini contra praedictos fratres vos numquam Nobis aliquid intimasse. Quocirca, cum huiusmodi rei veritas aliunde quam a vobis haberi non possit, devotioni vestrae committimus et mandamus, quatenus super hac re inquiratis diligentius veritatem, et si praedictos fratres inhonestae, ut asseritur, et dissolutae vitae ac morum esse reppereritis, dilecto filio ministro illius provinciae, per vestras litteras intimetis. Super hac enim materia Nos plenam per alias Nostras litteras sibi commisimus facultatem.

Datum Romae apud S. Petrum, VII novembris, ... anno I.

1132. Mandat, ut monasterium S. Margaritae Eugubin., O. S. Cl., assignet monialibus O. S. Cl. Assisien. ex eorum monasterio eiectis (2).

1447, novembris 7, Romae.

Lucae de Fulgineo, ministro provinciae beati Francisci.

Dilecte fili sal. Licet per aliud breve Nostrum iniunxerimus tibi, ut monasterium monialium S. Margarethae Eugubin., a quo moniales, quae illic hactenus exstiterunt, amovendas decrevimus mediantibus earum excessibus, dares et assignares dilectis in Christo filiabus monialibus de Fulgineo, prout in dicto brevi Nostro continetur, cum tamen postea intellexerimus quasdam moniales ordinis S. Clarae dudum, cum civitas Nostra Assisii a gentibus armorum capta et direpta fuit, ab earum monasterio, quae inibi erant, necessario eiectas fuisse ac propterea idoneis locis pro earum habitatione careant, eapropter volumus ac tibi tenore praesentium committimus et mandamus, quatenus dictas moniales, si tamen bonae famae et honestae vitae reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, in dicto monasterio S. Margarethae locare et instituere procures, assignando ipsum monasterium pleno iure dictis monialibus, quae eiusdem ordinis et habitus exsistunt. Non obstantibus brevi praefato ac aliis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, VII novembris, ... anno I.

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 188 v. Cf. supra n. 276, p. 127 et n. 1100, p. 556.

(2) Reg. Vat. t. 367, f. 188 v. Cf. supra n. 1100, p. 556.

1133. Mandat, ut monasterium S. Catharinae Tiburtin., O. S. Cl., uniat mensae capitulari ecclesiae Tiburtin. (1).

1447, novembris 11, Romae.

Dilecto filio Georgio de Caesarinis, canonico basilicae principis apostolorum de Urbe.

Quoniam dum ecclesiarum potissime cathedralium *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum archidiaconi et capituli ecclesiae Tiburtin. Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilectus filius Antonius de Cingulo, presbyter, vicarius venerabilis fratris Nostri Nicolai, episcopi Tiburtin., in spiritualibus generalis, provide considerans, quod fructus, redditus et proventus mensae capitularis ecclesiae Tiburtin. causantibus temporum malitia et sinistris eventibus, quos civitas Nostra Tiburtin. retroactis temporibus non mediocriter passa erat, adeo tenues effecti fuerant et exiles, quod ex eis cuilibet ex duodecim canonicis in dicta ecclesia institutis, quorum cuique divinis inibi interessenti officiis pro quotidianis distributionibus duodecim denarii parvi ex fructibus, redditibus et proventibus antedictis singulis diebus exhiberi consueverant, vix denariorum huiusmodi medietas poterat ministrari, pro praemissorum aliquali subventione monasterium monialium S. Catharinae, Tiburtin., ordinis S. Clarae, praefatae ecclesiae vicinum et in eius parochia consistens, quod etiam tunc abbatissa carebat, et in quo nulla residebat monialis, ac circa cuius instaurationem aut observantiam regularem in eo excitandam propter paupertatem et infamiae notam, qua quaedam ipsius olim moniales respersae erant, nulla commode reformatio adhiberi poterat, ipsius monasterii regiminis et administrationis bonorum possessione vel quasi per eum de voluntate duarum eiusdem monasterii monialium, quae tunc ab eodem monasterio recesserunt, apprehensa et sufficienti desuper ab eodem episcopo, ut asserebat, per illius litteras potestate suffultus, auctoritate potestatis huiusmodi dictum monasterium cum omnibus iuribus et pertinentiis suis praefatae mensae in perpetuum univit, annexuit et incorporavit, licet de facto. Quare pro parte eorumdem archidiaconi et capituli, asserentium se duas tantum domos sive cameras pro eorum habitatione prope dictam ecclesiam habere ac perpetuo in domibus monasterii huiusmodi noctis tempore residere ipsaque domos et monasterium manutenere velle, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ea fore vera reppereris, ... dictum monasterium S. Catharinae, cuius quinquaginta, dignitate et ordine S. Clarae praedictis in eo per te primitus suppressis penitus et exstinctis cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis praefatae mensae, cuius ducentorum florenorum auri de camera fructus, redditus et proventus secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipsi archidiaconus et capitulum etiam asserunt, non excedunt, pro huiusmodi distributionibus persolvendis dumtaxat eadem auctoritate Nostra perpetuo unias, incorpores et annectas, ita quod ex tunc liceat archidiacono et capitulo praedictis per se vel alium seu alios corporalem possessionem dicti monasterii S. Catharinae illiusque terrarum, possessionum, iurium et bonorum auctoritate propria apprehendere necnon eius ac illorum fructus, redditus et proventus recipere, levare et exigere necnon in usus quotidianarum distributionum huiusmodi convertere dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia super his nullatenus requisita. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, III idus novembris, ... anno I.

1134. Mandat, ut domum quamdam civitatis Messanen., in qua aliquamdiu sorores III O. S. Fr. habitaverant et capellam fecerant, ad usus profanos reducat (2).

1447, novembris 14, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Mariae de Mandanisio, Messanen. dioec.

Sincerae devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Conradus Spatafora, domicellus Messanen., ad Nos et Romanam gerit ecclesiam *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dicti Conradi petitio continebat, quod, licet dilectus filius nobilis vir Fredericus de Vintimilliis, miles in civitate Messanen. commorans, quamdam domum, sitam in praefata civitate, quam quondam Mariola de Pactis, mulier Messanen., nonnullis sororibus sub regula tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati pro illarum usu et habitatione donaverat et deputaverat, quamque idem miles assignatis per eum eisdem sororibus centum et viginti septem unciis monetae Siciliae iustitia mediante et ex commissione charissimi in Christo filii Nostri Alfonsi, Aragonum regis illustris, sibi adiudicari et perpetuo appropriari obtinuerat, et in cuius pacifica possessione dictus miles exsistebat, pro totidem unciis eiusdem monetae

(1) Reg. Lat. t. 443, f. 129.

(2) Reg. Lat. t. 440, f. 21.

praefato Conrado pro se ac haeredibus et successoribus suis in perpetuum vendiderit, tradiderit et assignaverit, ipseque Conradus venditionis huiusmodi vigore ipsius domus possessionem fuerit assecutus illamque ex tunc tenuerit et possederit, ... tamen pro eo, quod sorores praedictae quamdam capellam in eadem domo aedificari fecerunt ac domum ipsam per aliqua tempora inhabitarunt, dubitat domum praedictam, nisi venditio, traditio et assignatio huiusmodi per Sedem Apostolicam confirmentur, salva conscientia inhabitare ac illam, prout ferventer exoptat, reaedificari facere posse tempore procedente. Quare pro parte dicti Conradi, asserentis praefatas sorores ex dictis sibi traditis centum et viginti septem unciis in alio loco honesto eiusdem civitatis quamdam aliam domum acquisivisse et unam capellam ibidem aedificari fecisse, in qua quidem domo vivunt secundum regulam antedictam, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... illas ac omnia et singula inde secuta auctoritate Nostra approbes et confirmes suppleasque omnes defectus *etc.*, primo dictam capellam ad profanos usus eadem auctoritate reducendo. Nos enim ... decernimus, quod tam dicti Conradus ac haeredes et successores quam quicumque alii laici ... domum et locum, ubi capella ipsa constructa fuit, absque alicuius conscientiae scrupulo inhabitare, ipsique Conradus, haeredes et successores super domo et loco huiusmodi aedificare aliasque de domo et loco praedictis in omnibus et per omnia disponere libere et licite valeant *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XVIII kal. decembris, ... anno I.

1135. Catharinae de Orto aliisque sororibus III O. S. Fr. concedit licentiam vivendi iuxta antiquum modum observandi regulam dicti ordinis [1].

1447, novembris 23, Romae.

Dilectae in Christo filiae Catharinae de Orto, sorori tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati.

Annuere solet Sedes Apostolica *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod, licet regula fratrum et sororum tertii ordinis S. Francisci Seraphici sive de poenitentia nuncupati sive norma iuste, sancte et laudabiliter vivendi sub regula huiusmodi per fel. rec. Nicolaum papam IV necnon postmodum per nonnullos Romanos pontifices, praedecessores Nostros, approbata, laudata et confirmata fuerit, tuque a sexaginta annis citra sub ipsa regula una cum plerisque aliis in quantum humana sinit fragilitas, sine cuiusvis reprehensionis macula ac alias laudabiliter et honeste vixeris ac vivas, nonnullae tamen etiam sub dicta regula viventes sorores, paucae admodum numero, levitatis sive vanitatis causa obedientiam, ad quam iuxta eiusdem regulae exigentiam adstrictae sunt, rumpendo sive parvipendendo, apud fel. rec. Eugenium papam IV, etiam praedecessorem Nostrum, super novo, qui a tamdiu laudabiliter observato et approbato differt vivendi modo, nuper tunc et per varias sinistras informationes institerunt, ipseque Eugenius praedecessor eis novum vivendi modum huiusmodi importunitate et informationibus praemissis causantibus sub certa forma dicitur concessisse. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his tibi necnon tecum sub instituta ac approbata et confirmata, ut praemittitur, regula huiusmodi vivere disponentibus super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus ac apostolica auctoritate statuimus et decernimus, quod tu necnon omnes et singulae tecum sub instituta ac approbata et confirmata, ut praemittitur, regula vivere et Altissimo famulari cupientes et ad id se disponentes iuxta modum antiquum, et qui in illa, antequam novus modus vivendi huiusmodi inveniretur et concederetur, observari solebat, in omnibus et per omnia vivere et sub humilitatis spiritu vota vestra Domino persolvere possitis atque debeatis, non obstantibus concessione Eugenii praedecessoris huiusmodi *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IX kal. decembris, ... anno I.

1136. Petro Renys, O. F. M., concedit facultatem condendi testamentum [2].

1447, novembris 27, Romae.

Dilecto filio Petro Ruis, ordinis Minorum professori, capellano Nostro.

Cum nihil sit, quod magis hominibus debeatur *etc.* Nos, dilecti filii nobilis viri Francisci, ducis Britanniae, pro te dilecto confessore suo Nobis super hoc humiliter supplicantis ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi testandi, disponendi et ordinandi libere de omnibus et singulis mobilibus bonis tam per de Gahart,

[1] Reg. Lat. t. 436, f. 94v.

[2] Reg. Lat. t. 436, f. 135v. Cf. supra n. 812 p. 383.

de Loheac et de Sanct Guen, Redonen., Maclovien. et Veneten. dioec. prioratus, quos ex concessione apostolica obtines in commendam, quam ex quibuscumque aliis undecumque provenientibus per te alias licite acquisitis seu acquirendis, quae tamen altaris vel altarium ipsorum prioratuum ecclesiarum ministerio seu alicui speciali eorumdem divino cultui vel usui non fuerint deputata, prius tamen de illis aere alieno et iis, quae pro reparandis domibus ac aedificiis in locis prioratuum huiusmodi consistentibus culpa vel negligentia tua seu tuorum procuratorum destructis et deterioratis necnon restaurandis aliis ipsorum prioratuum ex culpa vel negligentia tua vel procuratorum huiusmodi deperditis iuribus opportuna fuerint, deductis, non obstante, quod ordinis fratrum Minorum professor exsistis, ... plenam et liberam tenore praesentium licentiam elargimur. Volumus autem, quod in eorumdem dispositione bonorum beneficiis, quae possedisti, certam quotam dimittere tenearis et dimittas; alioquin praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, V kal. decembris, ... anno I.

1137. Revocat unionem monasterii S. Pauli de Favarone prope Perusium, O. S. Cl., cum monasterio S. Mariae Montislucidi eiusdem ordinis (1).

1447, novembris 29, Romae.

Dilectis in Christo filiabus monialibus monasterii S. Pauli de Favarone extra muros Perusin., ordinis S. Clarae.

Regimini universalis ecclesiae *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet olim dilectus filius Noster Dominicus, tit. S. Crucis in Ierusalem presbyter cardinalis, tunc in Perusin. ac nonnullis aliis Nostris et Romanae ecclesiae civitatibus, terris, castris et locis Apostolicae Sedis legatus, pro vestro ac monasterii vestri statu salubriter et prospere dirigendo aliisque tunc expressis causis monasterium ipsum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis monasterio S. Mariae Montislucidi extra muros Perusin., dicti ordinis, in quo dictus cardinalis quamdam clausuram fieri et ordinari fecerat, auctoritate legationis huiusmodi perpetuo univerit, annexuerit et incorporaverit vosque tunc invitas et renitentes ac protestantes, quod ad id minime consentire intendebatis, ad ipsum monasterium S. Mariae transferri iusserit et ad illud transire fecerit, tamen post eiusdem cardinalis ab ipsa civitate Perusin. discessum dicta clausura per moniales tunc exsistentes dicti monasterii S. Mariae prostrata et destructa vos, considerantes propterea cum vitae honestate ac animorum quiete et animarum vestrarum salute vos ibidem vivere ac remanere non posse, ad ipsum monasterium vestrum remeastis et ibidem laudabiliter vivere pro posse disposuistis, et, sicut eadem petitio subiungebat, unio et annexio praedictae absque vestrorum consanguineorum et affinium, quibus praemissa displicuerint, scandalo et discordia subsistere non possent, indeque vobis detrimentum et damnum plurimum succederet, quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui scandalis et dissensionibus, quantum possumus, obviamus, de praemissis plenius informati, vestris necnon huiusmodi consanguineorum et affinium vestrorum supplicationibus inclinati, vos ab omnibus et singulis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis ... harum serie absolvimus et reddimus absolutas necnon unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi, si quae sint, ac litteras desuper confectas, etiam si illae apostolica auctoritate confirmatae fuissent, et processus desuper habitos auctoritate praedicta tenore praesentium revocamus, cassamus, irritamus et annullamus vosque cum omnibus et singulis bonis vestris mobilibus et immobilibus in pristinum statum, in quo videlicet eratis, antequam unio, annexio et incorporatio praedictae fierent, restituimus et reponimus vobisque, ut in dicto monasterio vestro remanere libere et licite valeatis, eadem auctoritate concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, III kal. decembris, ... anno I.

1138. Ministro generali O. F. M. mandat, ut mittat visitatores pro reformatione ordinis (2).

1447, decembris 2, Romae.

Generali ministro ordinis Minorum.

Dilecte fili, sal. Multae ac variae querelae ex diversis mundi partibus contra et adversus fratres tui ordinis ac etiam moniales curae et protectioni eorum commissas ad Nos non sine magna animi Nostri displicentia quotidie deferuntur semperque nova scandala, excessus et inconvenientia eorumdem nuntiantur. Cupientes igitur Nos huiusmodi excessibus salubriter providere ordinemque ipsum, qui, ut etiam laicales personae asserunt, a veteribus laudabilibus in-

(1) Reg. Lat. t. 436, f. 37. Cf. supra n. 534, p. 256.

(2) Reg. Vat. t. 367, f. 189.

stitutis non parum deviare videtur, ad veterem religionis normam reducere, et ne aures Nostrae delationibus huiusmodi frequentius offendantur, quoniam devotio tua per naturam rerum non valet omni tempore ubilibet interesse, volumus ac discretioni tuae tenore praesentium committimus et mandamus, quatenus aliquos tui ordinis fratres, vitae integritate, scientia et prudentia praeditos, eligas ad eum numerum, qui tibi videbitur expedire, quos singulos aut binos ad conventus tui ordinis tam fratrum quam monialium transmittas, conventus et monasteria huiusmodi visitandi, corrigendi et reformandi iuxta ordinis ipsius constitutiones dando eisdem plenam facultatem tua auctoritate super his ac etiam potestatem, ut in tuo ordine ex hoc mediante divina gratia Dei cultus et honor multiplicetur, ac fratres ipsi odorem bonae famae et aestimationis, prout decet, recipiant.

Datum Romae apud S. Petrum, II decembris, ... anno I.

1139. Instituit iudicem in lite fratrum O. F. M. de observ. circa 5 loca Dalmatiae (1).

1447, decembris 5, Romae.

Venerabili fratri Thomae, episcopo Pharen., in partibus regni Bosnae Apostolicae Sedis legato.

Ad ea, per quae religiosarum personarum *etc.* Sane, cum fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, per litteras suas, V nonas iulii, pontificatus sui anno XVI, datas conventum Ragusii, locum de Daxa, vocatum « in scopulo », prope Ragusium, S. Crucis penes Iaderam, S. Nicolai prope Cattarum et S. Euphemiae prope Arbum, loca ordinis Minorum sub obedientia et superioritate vicariatus Bosnae dicti Ordinis posuerit et subesse voluerit ac mandaverit, prout in ipsis litteris plenius continetur (2), praedictorumque locorum fratres ab ipsis litteris et mandato subiectionis in illis facto ad Sedem Apostolicam appellarint ipsoque praedecessore post parum, sicut Domino placuit, vita functo Nos, licet immeriti, ad apostolatus apicem assumpti, dictae appellationis causam venerabili fratri Nostro Marino, episcopo Cattaren., commiserimus audiendam et fine debito terminandam, isque sententiam in favorem praedictorum quinque locorum protulisse dicatur, aliique fratres vicariae Bosnae et tota ipsa vicaria a dicti Cattaren. episcopi sententia ad dictam Sedem appellarint, Nos, cupientes dictam causam sive controversiam inter praedictos fratres vigentem fine debito terminari et omnia ac singula in illis acta, facta et agitata ad Nos auctoritate apostolica tenore praesentium advocantes, fraternitati tuae committimus, ut partibus vocatis et auditis id statuas, ordines, mandes et exsecutioni debitae mandari cures, quod secundum Deum animarum ipsorum omnium fratrum saluti iudicaveris expedire, faciens per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia opportuna, quod statueris, appellatione remota ab ipsis omnibus fratribus observari, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, nonis decembris, ... anno I.

1140. Ad petitionem Francisci de Eugubio, O. F. M., transsumit litteras Eugenii IV, quibus certa indulta iudaeis concessa abrogat eosque iure communi tantum gaudere decernit (3).

1447, decembris 6, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Provisionis Nostrae debet provenire subsidio *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VIII idus decembris, ... anno I.

1141. 1) Mandat, ut observet et observari faciat exemptiones monialium monasterii S. Mariae Montislucidi Perusin., O. S. Cl. (4). 2) Idem mandat pro monasterio O. S. Cl., Tudertin. (5).

1447, decembris 11, Romae.

1) *Caesari de Castilione, thesaurario Perusii, seu eius locumtenenti.*

Dil. fili, sal. Cum, prout accepimus, dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monialium monasterii S. Mariae Montislucidi, Perusin., ordinis S. Clarae, ex privilegiis nonnullorum Romanorum pontificum, praedecessorum Nostrorum, exemptae, liberae atque immunes sint a solutione subsidiorum et quarumcumque impositionum, quae camerae apostolicae quovis modo deberentur, prout in litteris huiusmodi praede-

(1) Reg. Lat. t. 436, f. 110.

(2) Videtur respicere litteras *Dum salubria laborum* (supra n. 1006, p. 496), ubi tamen praedicta loca non nominatim afferuntur. Cf. supra n. 1120, p. 570.

(3) Reg. Vat. t. 408, f. 148v. Litterae Eugenii IV *Apostolicae Sedis providentia circumspecta* datae sunt Senis, anno ... 1443, XIII kal. iulii, ... anno XIII. In Eugenii litteris includitur bulla Martini V *Sicut iudaeis* d. d. X. kal. martii. ... anno V, quibus indulta iudaeis a Calixto, Eugenio, Alexandro, Innocentio, Romanis pontificibus, concessa confirmantur.

(4) Reg. Vat. t. 367, f. 189.

(5) Reg. Vat. t. 367, f. 188; sed in cod. deest dies, mensis et annus.

cessorum dicitur contineri, eapropter volentes Nos abbatissam et moniales praedictas suis huiusmodi exemptionibus, privilegiis et immunitatibus effectualiter uti et gaudere, ut eo quietius valeant Altissimo famulari, devotioni tuae tenore praesentium committimus et mandamus, quatenus, postquam tibi de ipsis privilegiis constiterit, ipsa eis effectualiter observes et observari inviolabiliter facias, non obstante, quod dudum tempore fel. rec. Eugenii papae IV, immediati praedecessoris Nostri, semel tantum post confirmationem eorumdem privilegiorum per ipsum Eugenium factam subsidium huiusmodi de speciali mandato praefati praedecessoris Nostri solvisse dicantur.

Datum Romae apud S. Petrum, XI decembris, ... anno I.

2) *Valeriano, episcopo Saonen., gubernatori civitatis Nostrae Tudertin.*

Venerabilis frater sal. Cum, prout accepimus, dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monialium monasterii ordinis S. Clarae, Tudertin. ex privilegiis *etc. (ut supra).*

1142. Vicario provinciae Aragoniae, O. F. M. de observ., concedit facultatem recipiendi domum in civitate Caesaraugustan. (1).

1447, decembris 12, Romae.

Dilecto filio vicario fratrum ordinis Minorum de observantia, provinciae Aragoniae iuxta morem ipsius ordinis.

Inter ecclesiasticos ordines *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, nonnulli cives ac christifideles civitatis Caesaraugustan. ob singularem devotionem, quam ad ordinem fratrum Minorum et illius fratres sub ipsius ordinis observantia degentes gerunt, ... pro ipsorum suorumque progenitorum animarum salute in honorem S. Francisci ipsiusque ordinis exaltationem pariter et augmentum quemdam locum infra ipsam civitatem Caesaraugustan. vel extra, ad hoc congruum, ut ex illo vel inibi domus et ecclesia cum campanili, campanis, claustro, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro perpetuis usu et habitatione fratrum eiusdem ordinis sub observantia huiusmodi viventium erigatur, fundetur et construatur, tibi donare, tradere et assignare intendant, si ad recipiendum ac alia praemissa faciendum tibi Sedis Apostolicae suffragaretur auctoritas, et, sicut eadem petitio subiungebat, si locum praefatum pro usu et habitatione praedictis erigendi, fundandi et construendi ac aedificandi illumque recipiendi a Sede praedicta facultatem haberes, profecto plurimorum animas christifidelium dictae civitatis Caesaraugustan. et aliorum eidem propinquorum locorum Deo lucrifacere posse sperares. Nos ... tibi huiusmodi locum, si a civibus praefatae civitatis Caesaraugustan. vel alias tibi infra muros vel extra ad tuam et fratrum commoditatem donabitur, concedetur vel assignabitur, recipiendi illumque pro usu et habitatione praefatis cum ecclesia ... et aliis necessariis officinis erigendi, ... recipiendi et perpetuo retinendi libere et licite archiepiscopi Caesaraugustan. pro tempore exsistentis et cuiuslibet alterius licentia super hoc minine requisita eadem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et insuper universis et singulis dicti ordinis fratribus, quos in erigenda domo huiusmodi pro tempore morari contigerit, ut ipsi et domus praedicta omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis *etc.*, iure tamen *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie idus decembris, ... anno I.

1143. Guardiano domus de Vico, O. F. M. de observ., provinciae Franciae, concedit facultatem recipiendi domum in villa de Miracuria (Mirecourt), Tullen. dioec. (2).

1447, decembris 12, Romae.

Dilecto filio guardiano conventus seu domus de Vico, ordinis Minorum de observantia, provinciae Franciae iuxta morem ipsius ordinis.

Inter ecclesiasticos ordines *etc.* Cum itaque, sicut exhibita pro parte charissimi in Christo filii Nostri Renati ac dilectae in Christo filiae Isabellis, regis et reginae illustrium, petitio continebat, quod ob singularem devotionem, quam ad ordinem fratrum Minorum et illius fratres sub ipsius ordinis observantia degentes gerunt, ... pro ipsorum suorumque progenitorum animarum salute in honorem S. Francisci ipsiusque ordinis exaltationem pariter et augmentum quemdam locum infra villam de Miracuria, Tullen. dioec., vel extra, ad hoc congruum, ut ex illo vel inibi domus et ecclesia cum campanili, campanis, claustro, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro perpetuis usu et habitatione fratrum eiusdem ordinis sub observantia huiusmodi viventium erigatur, fundetur et construatur, tibi donare, tradere et assignare intendant, si ad recipiendum ac alia praemissa faciendum tibi Sedis Apostolicae suffragaretur auctoritas, et, sicut eadem petitio subiungebat,

(1) Reg. Vat. t. 406, f. 237 v.

(2) Reg. Lat. t. 442, f. 137 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 29.

si locum praefatum pro usu et habitatione praedictis erigendi, fundandi et construendi et aedificandi illumque recipiendi a Sede praedicta facultatem haberes, profecto plurimorum animas christifidelium dictae villae et aliorum eidem propinquorum locorum Deo lucrifacere posse sperares, Nos ... tibi huiusmodi locum, si a rege vel regina praedictis vel alias tibi infra muros vel extra ad tuam et fratrum commoditatem donabitur, concedetur vel assignabitur, recipiendi illumque pro usu et habitatione praefatis cum ecclesia ... et aliis necessariis officinis erigendi, fundandi, construendi et aedificandi, recipiendi et perpetuo retinendi libere et licite dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia super hoc minime requisita eadem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et insuper universis et singulis dicti ordinis fratribus, quos in erigenda domo huiusmodi pro tempore morari contigerit, quod domus huiusmodi ipsique fratres omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis *etc.*, iure tamen *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie idus decembris, ... anno I.

1144. Mandat, ut Simonem Rixerii, O. F. M., absolvant a censuris et irregularitate eique concedant licentiam remanendi in ordine Sepulchri dominici (1).

1447, decembris 12, Romae.

Venerabili fratri episcopo Syracusan. et dilectis filiis Toletan. et Abulen. officialibus.

Sedis Apostolicae piae matris *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte fratris Simonis Rixerii, ordinis Sepulchri dominici, petitio continebat, quod, cum olim ipse, in octavo suae aetatis anno constitutus, per nonnullos fratres ordinis fratrum Minorum ad quemdam conventum eorumdem fratrum, Xanctonen. dioec., contra parentum suorum voluntatem eiusque patre inscio captus et transductus fuisset ac habitum eiusdem ordinis Minorum sibi exhibitum suscepisset necnon in ordine et conventu Minorum huiusmodi usque ad quartum decimum suae aetatis annum permansisset, praefatique fratres, volentes tunc, ut professionem per eos emitti solitam emitteret, dictum patrem, ut ad id consentiret, vocassent, ac pater et Simon praefati dissensissent, dictusque pater eumdem Simonem sibi restitui et praefatus Simon licentiam recedendi petiissent, ac dicti fratres id facere recusassent, ac ipse pater de praemissis fuisset protestatus, ac deinde, postquam Simon praedictus licentiam huiusmodi petierat ipsaque sibi denegata fuerat, praefati fratres dictum Simonem flagellis et cruciatibus adeo affixissent, quod illorum mandatis et voluntatibus assensisset ac metu afflictionum huiusmodi professionem emisisset antedictam, postque illius emissionem coram quatuor dicti ordinis Minorum fratribus reclamasset, quod professionem contra voluntatem suam et metu poenae huiusmodi emiserat, quodque dictum habitum dimitteret, pluribus vicibus asseruisset necnon postea etiam metu minarum de incarcerando eumdem per dictos fratres sibi illatarum in conventu praedicto invite remansisset ac eisdem fratribus instantibus et procurantibus, in decimo nono dictae aetatis suae anno constitutus, ad omnes etiam sacros ordines promotus fuisset, postmodum in vicesimo primo etiam dictae aetatis anno constitutus ab eodem conventu illicentiatus recessit dictumque dimisit et saecularem assumpsit habitum, in quo per quindecim annos et ultra remansit seque divinis immiscuit, missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium celebrando, excommunicationis, suspensionis et interdicti aliasque sententias, censuras et poenas in tales etiam iuxta regularia eiusdem ordinis Minorum constitutiones et instituta promulgatas necnon apostasiae notam damnabiliter incurrendo. Cum autem postmodum, sicut eadem petitio subiungebat, etiam postquam dictus Simon, ut, si ita esset, in saeculo remanere et beneficia ecclesiastica retinere libere et licite valeret, auctoritate apostolica committi obtinuerat secum dispensari, dictorum fratrum, coram quibus, ut praemittitur, reclamaverat, superveniente obitu praemissa probare minime potuerit neque possit de praesenti cupiatque in ordine Sepulchri dominici, in quo professionem per fratres eiusdem emitti solitam emisit regularem, perpetuum reddere famulatum, pro parte eiusdem Simonis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur discretioni vestrae ... mandamus, quatenus ... eumdem Simonem ... ab excommunicationis aliisque sententiis, censuris et poenis ... absolvatis in forma ecclesiae consueta iniunctis *etc.* ac secum super irregularitate ... dispensetis omnemque inhabilitatis, apostasiae et infamiae maculam sive notam ... aboleatis. Nos enim eidem Simoni ... ut in ordine Sepulchri dominici huiusmodi remanere libere et licite possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie idus decembris, ... anno I.

(1) Reg. Lat. t. 442, f. 231.

1145. Mandat, ut numerum capellaniarum in 16 monasteriis O. S. Cl. regni Castellae et Legionis ad numerum minorem reducant (1).

1447, decembris 14, Romae.

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Hispalen. et episcopo Ovetan.

Ad ea, quae honorem et commodum monasteriorum *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissarum et conventuum S. Mariae regalis de Oterdesillas, Palentin. dioec., et aliorum quamplurium monasteriorum, ordinis S. Clarae, numero sedecim, in Castellae et Legionis regnis consistentium sub regulari observantia viventium ac visitatione, reformatione et correctione dilecti filii Sancii de Canales, fratris ordinis Minorum, eiusque successorum pro tempore degentium visitatorum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet diversae personae etiam utriusque sexus, cupientes divinum in dictis monasteriis cultum augeri, in S. Mariae duodecim et in aliis monasteriis praefatis diversas ac in uno plures et aliis paucas perpetuas capellanias etiam in ultimis earum voluntatibus ac testamentis et primaevis fundationibus sufficienter et taliter dotaverint, quod illas tunc obtinentes de eorum fructibus, redditibus et proventibus sustentari et de illis vivere poterant, nihilominus malitia temporum causante capellaniae ipsae in suis fructibus, redditibus et proventibus adeo diminutae exsistunt, quod ex duarum capellaniarum huiusmodi fructibus, redditibus et proventibus vix unus capellanorum sustentari potest, abbatissaeque et conventus eorumdem monasteriorum facultates proprias non habeant capellanis huiusmodi pro illorum sustentatione subveniendi ac providendi. Quare pro parte *etc.* Nos itaque ... fraternitati vestrae ... mandamus, quatenus de praedictis omnibus ... vos diligenter informetis et, si per informationem huiusmodi ea vera esse reppereritis, ... capellanias huiusmodi in singulis monasteriis praefatis ad certum numerum, de quo vobis secundum conscientias easdem videbitur, aliis inibi suppressis ita et taliter, quod illarum capellani pro tempore et sic reductarum capellaniarum de fructibus, redditibus et proventibus sustentari et vivere possint, auctoritate Nostra reducatis aliaque circa haec necessaria et quomodolibet opportuna faciatis, statuatis, ordinetis, decernatis et exsequamini, prout vobis visum fuerit expedire. Quodsi non ambo iis exsequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exsequatur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446 (!), XIX kal. ianuarii, ... anno I.

1146. Ricardo Walleys, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum *etc.* (2).

1447, decembris 19, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XIV kal. ianuarii, ... anno I.

1147. Mandat, ut ministro provinciae S. Francisci O. F. M. auxilium praestent in negotio monasterii S. Margarethae Eugubin., O. S. Cl. (3).

1447, decembris 26, Romae.

Potestati ac prioribus civitatis Nostrae Eugubin.

Dilecti filii, sal. Dudum, cum fide digna relatione Nobis compertum fuisset, moniales monasterii S. Margarethae, ordinis S. Clarae, Eugubin., oblitas professionis suae, iugum religionis et honestatis penitus abiecisse, ac propterea, ut ad melioris vitae frugem reduci vellent, moneri eas fecissemus, neque ea re profecisse quidquid videmur, huiusmodi excessibus, ut Nobis ex apostolicae servitutis officio incumbit, providere volentes, dilecto filio ministro provinciae S. Francisci, ordinis Minorum, quorum curae et protectioni dictae moniales commissae sunt, per Nostras quasdam certi tenoris litteras nuper dedimus in mandatis, quatenus monialibus huiusmodi a dicto monasterio amotis ac per alia monasteria dicti ordinis collocatis, in dicto monasterio alias quasdam moniales S. Clarae de Assisio imponeret, quae bonae et honestae vitae esse dicuntur. Cum autem, sicut accepimus, praefatus minister huiusmodi Nostram dispositionem illatis eidem nonnullis impedimentis nequiverit exsecutioni mandare, devotioni vestrae tenore praesentium iniungimus et mandamus sub excommunicationis poena, quatenus praefato ministro, ut dictas moniales de Assisio in dicto monasterio Eugubin. ponere et instituere libere possit, non obstantibus contradictionibus et impedimentis a quovis illatis seu inferendis impendatis eidem effectualiter auxilium et favorem.

Datum Romae apud S. Petrum, XXVI decembris, ... anno I.

---

(1) Reg. Vat. t. 385, f. 65.
(2) Reg. Vat. t. 385, f. 195.
(3) Reg. Vat. t. 367, f. 189 v. Vide supra n. 1132, p. 575.

1148. Thomae Narburgh, O. F. M., pro quo Marmaducus, episcopus Carliolen., regni Angliae thesaurarius, supplicaverat, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1447, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, ... anno I.

1149. Arnoldo de Quercu, fratri domus Oloren. (Oloron in Aquitania), O. F. M., pro quo Petrus, episcopus Albanen., et nobilis vir Ludovicus, delphinus Vienen., supplicaverant, concedit facultatem recipiendi duo beneficia (2).

1448, ianuarii 1, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, kalendis ianuarii, ... anno I.

1150. Monasterio S. Clarae Valentin., O. S. Cl., confirmat pensionem super fructibus duarum praepositurarum (3).

1448, ianuarii 4, Romae.

Dilectis in Christo filiabus Beatrici de Solerio, abbatissae, et conventui monasterii S. Clarae Valentin., ordinis eiusdem sanctae.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod olim Petrus de Luna, Benedictus XIII in eius obedientia, de qua partes illae tunc erant, nuncupatus, pie tunc ex fide dignorum relatione informatus, quod quondam Yolans, olim bon. mem. ducis Gandiae nata, tunc abbatissa vestri monasterii, ex illius redditibus commode sustentari non valebat, pensionem annuam centum et quinquaginta florenorum auri de Aragonia super fructibus, redditibus et proventibus duarum praepositurarum ecclesiae Valentin. sub certis modo et forma in certis tunc expressis terminis eidem abbatissae, quamdiu viveret, annis singulis persolvendam concessit, constituit et assignavit. Et deinde, cum, sicut eadem petitio subiungebat, dicta pensio per obitum dictae abbatissae extra Romanam curiam defunctae exspirasset, fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, vestris in ea parte supplicationibus inclinatus, volens vestris indigentiis et necessitatibus et statui eiusdem monasterii salubriter providere, pensionem praedictam super fructibus, redditibus et proventibus praepositurarum huiusmodi sub illis eisdem modis et terminis vobis et successoribus vestris in perpetuum annis singulis similiter persolvendam gratiose etiam concessit, constituit et assignavit, prout in Petri et Eugenii, praedecessoris huiusmodi, litteris superinde confectis, quarum tenores de verbo ad verbum hic haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continetur (4). Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... concessionem, constitutionem et assignationem praefatas per eumdem Eugenium praedecessorem, ut praemittitur, factas ac omnia et singula in ipsius litteris concessa et contenta et quaecumque inde secuta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus ac praesentis scripti patrocinio communimus eamdemque pensionis huiusmodi concessionem, ut praefertur, vobis factam etiam de uberioris dono gratiae concedimus per praesentes, decernentes ex nunc irritum *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie nonas ianuarii, ... anno I.

1151. Monasterium B. Mariae de Basico Messanen., O. S. Cl., subiicit immediatae iurisdictioni ministri generalis O. F. M. (5).

1448, ianuarii 4, Romae.

... Cupientes igitur, ut abbatissa et moniales monasterii B. Mariae de Basico, Messanen., ordinis S. Clarae, quae, ut accepimus, sub regulari observantia dicti ordinis laudabiliter permanent, sua quietius Altissimo vota reddere pacisque et tranquillitatis mansuetudine gaudere valeant, ac eorum statui, quantum cum Deo possumus, salubriter providere volentes, dilectorum filiorum nobilium virorum iuratorum et communis civitatis Messanen. precibus inclinati, abbatissam et moniales dicti monasterii, quae nunc sunt, sub huiusmodi observantia viventes, ac eorum domos et bona quaecumque ab omni superioritate, obedientia, visitatione, correctione et potestate provincialis ministri ordinis Minorum provinciae Siciliae pro tempore exsistentis eiusque vicarii et aliorum dicti ordinis superiorum praesentium et futurorum generali ministro eiusdem ordinis Minorum aut ab eo specialiter deputando dumtaxat exceptis auctoritate apostolica tenore praesentium prorsus eximimus et totaliter liberamus ac dicti generalis ministri

(1) Reg. Vat. t. 385, f. 197v. In codice deest dies et mensis.
(2) Reg. Vat. t. 385, f. 159. (3) Reg. Lat. t. 440, f. 25.
(4) Vide supra n. 964 p. 473. De Beatrice abbatissa cf. n. 958, p. 471; n. 965, 966, p. 474.
(5) Reg. Vat. t. 395, f. 271 v; inclusa in litteris *Religiosam vitam eligentibus* d. d. 31 maii 1451. — De monasterio de Basico cf. supra n. 976, p. 478.

iurisdictioni et potestatibus specialiter et immediate subiicimus, ita quod nullus ex ministris provincialibus eorumque vicariis et aliis superioribus supradictis in abbatissam, moniales, domos et bona huiusmodi [munus] aliquod visitationis aut iurisdictionem, nisi generalis minister aut deputatus ab eo specialiter dumtaxat, valeat seu debeat exercere, decernentes ex nunc omnes et singulas sententias ac poenas, necnon quidquid contra tenorem praesentium ex nunc inantea haberi et fieri contigerit, irrita et inania nulliusque exsistere roboris vel momenti. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie nonas ianuarii, ... anno I.

1152. Antonio de Neapoli, O. F. M., nuntio suo, concedit facultatem absolvendi a crimine homicidii (1).

1448, ianuarii 9, Romae.

Antonio de Neapoli, fratri ordinis Minorum.

Dilecte fili, sal. Cum te ad partes Albaniae aliasque nonnullas Sclavoniae partes pro nonnullis honorem Dei et augmentum fidei catholicae concernentibus nuntium Nostrum destinemus, Nos saluti animarum illarum partium consulere volentes, discretioni tuae huiusmodi nuntiatione durante in Bosnae, Croatiae, Dalmatiae et Rasciae provinciis, ut personas utriusque sexus partium illarum, quae tibi peccata sua humiliter confiteri voluerint, a crimine homicidii, quod perpetraverunt, absolvere et poenitentiam salutarem per te vel alium idoneum sacerdotem iniungere possis, auctoritate Nostra plenam dicta auctoritate damus et concedimus tenore praesentium facultatem.

Datum Romae apud S. Petrum, IX ianuarii, ... anno I.

1153. Decernit indulgentias ecclesiae S. Fortunati extra muros oppidi Montisfalci, Spoletan. dioec., O. F. M., concessas per eiusdem ecclesiae mutationem non exspirasse (2).

1448, ianuarii 11, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Devotorum vota, quae salutis operibus *etc.* Sane pro parte dilecti filii Iacobi de Donzellis de Bononia, ordinis fratrum Minorum professoris, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum olim ipse et nonnulli alii fratres in domo S. Fortunati extra muros oppidi Montisfalci, dicti ordinis, Spoletan. dioec., residentes ecclesiam dictae domus, quae in suis aedificiis ruinam minabatur eisque pro ipsorum usu et habitatione minus apta fuerat, demoliri fecissent, ipsi postmodum illam decentioribus et aptioribus structuris et aedificiis de novo reparari et reaedificari procurarunt. Et, cum, sicut accepimus, universis christifidelibus ecclesiam dictae domus certis diebus seu festivitatibus anni visitantibus et ad fabricam seu reparationem et ornamenta illius manus porrigentibus adiutrices per praedecessores Nostros Romanos pontifices peccatorum remissionis et indulgentiae per litteras apostolicas sint concessae, Nos, ne propter huiusmodi mutationem seu reparationem et reaedificationem de novo factas, ut praefertur, de ipsarum indulgentiarum et remissionum viribus haesitetur, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus per huiusmodi mutationem, reparationem et reaedificationem dictam concessionem indulgentiarum et remissionum in ipsis litteris contentam, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, minime exspirasse. Et nihilominus ex abundanti cautela, quod christifideles visitantes in dictis festivitatibus seu diebus ipsam ecclesiam et ad fabricam seu reparationem ac ornamenta huiusmodi manus porrigentes, ut praefertur, easdem peccatorum remissiones et indulgentias consequantur, auctoritate praedicta concedimus per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, III idus ianuarii, ... anno I.

1154. Revocat commissionem circa lites inter fratres vicariae Bosnae et custodiae Ragusin., O. F. M. (3).

1448, ianuarii 12, Romae.

Thomae episcopo Pharensi in regno Bosniae legato.

Venerabilis frater, sal. Licet alias (4) commiserimus fraternitati tuae quasdam differentias et lites, quae vertuntur inter dilectos filios ordinis fratrum Minorum professores, illos videlicet, qui sub vicaria Bosnae, et illos, qui sub custodia Ragusin. constituti sunt, cognoscendas et decidendas. Cum tamen postmodum ad partes dicti regni destinaverimus dilectum filium Iacobum de Primaditiis, vicarium generalem fratrum dicti ordinis de observantia nuncupatorum, eidemque commiserimus, quatenus de controversiis, quae inter dictos fratres vertuntur, se

(1) Reg. Vat. t. 367, f. 189 v. — De Antonio de Neapoli cf. supra n. 809, p. 381.

(2) Reg. Lat. t. 440, f. 84. — De ecclesia S. Fortunati extra muros Montisfalci cf. supra n. 1003, p. 493.

(3) Reg. Vat. t. 367. f. 190.

(4) Vide supra n. 1139, p. 579.

diligenter informaret, ea quae repperisset Nobis relaturus, eapropter fraternitati tuae tenore praesentium iniungimus et mandamus, quatenus in causa et causis huiusmodi procedere supersedeas, quoad Nos a praefato Iacobo vicario relatione accepta aliud fraternitati tuae per Nostras litteras duxerimus iniungendum.

Romae apud S. Petrum, XII ianuarii, ... anno I.

1155. Decernit fratres O. Praed., O. F. M., O. B. Mariae de monte Carmeli atque O. Erem. S. Aug. et moniales eorum curae subiectas non comprehendi in concessione subsidiorum Alfonso, regi Aragonum, praestandorum (1).

1448, Ianuarii 12, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Sedis Apostolicae providentia *etc.* Dudum fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, videlicet pridie nonas maii, pontificatus sui anno XVI, ex certis tunc ei pro parte charissimi in Christo filii Nostri Alfonsi, regis Aragonum illustris, expositis causis ad ipsius regis supplicationem per quasdam suas litteras auctoritate apostolica venerabilibus fratribus Nostris Caesaraugustan. et Terraconen. archiepiscopis inter cetera unum subsidium quadraginta millium florenorum auri de camera super fructibus, redditibus et proventibus omnium beneficiorum ecclesiasticorum ac personarum in Aragoniae, Valentiae et Maioricarum regnis ac principatu Cataloniae ubique consistentibus ad utilitatem et commodum dicti regis imponendi necnon praefatam summam ab omnibus et singulis archiepiscopis, episcopis et personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, in regnis et principatu praefatis redditus et proventus ecclesiasticos obtinentibus, cuiuscumque gradus, status, dignitatis, religionis, ordinis vel conditionis exsistent, infra certos tunc expressos terminos petendi, exigendi et percipiendi eosque ad solutionem summae huiusmodi infra eosdem terminos sub excommunicationis, suspensionis et interdicti ac aliis tunc expressis poenis cogendi et compellendi ac nonnulla alia tunc expressa desuper faciendi, gerendi et exsequendi ordinibus mendicantium et S. Mariae Servorum ac monasteriorum sororum sive monialium ordinum quorumcumque mendicantium et redditus non habentium necnon S. Romanae ecclesiae cardinalium beneficiis dumtaxat exceptis plenam et liberam facultatem concessit. Et deinde Nobis, qui dicto praedecessore, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto fuimus divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, pro parte dicti regis inter alia exposito, quod praefati duo archiepiscopi ad earumdem litterarum executionem nondum procedere inchoaverant, quodque summa praedicta ad ipsius status conservationem non solum utilis sed etiam necessaria exsistebat, Nos tunc ex praemissis et certis aliis tunc expressis rationabilibus causis praefati regis in ea parte supplicationibus inclinati, litteras praedictas ac facultatis concessionem aliaque in illis contenta suum plenarium effectum sortiri dictosque archiepiscopos Caesaraugustan. et Terraconen. facultate eis concessa praedicta uti et illam exsequi posse alias iuxta litterarum praedictarum continentiam atque formam etiam secundum quamdam expressam tunc aestimationem aliis Nostris litteris auctoritate apostolica statuimus ac decrevimus, prout in singulis litteris ipsis plenius continetur. Cum itaque, sicut nuper accepimus, ab aliquibus in dubium vertatur, an priores, guardiani et fratres pro tempore exsistentes domorum Praedicatorum, Minorum, B. Mariae de monte Carmeli ac Eremitarum S. Augustini, mendicantium ordinum, infra regna et principatum huiusmodi consistentium, necnon abbatissae, priorissae, moniales et sorores in monasteriis et locis etiam infra regna et principatum praedicta consistentibus sub Praedicatorum ac Minorum fratrum praedictorum cura pro tempore degentes sub litteris et facultate praedictis comprehendantur, Nos ad huiusmodi dubium submovendum, et ne ipsi priores, guardiani et fratres ac abbatissae, priorissae, moniales et sorores super praemissis contra intentionem Nostram in aliquo molestentur, providere volentes, motu proprio non ad eorum vel alicuius ex ipsis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam priores, guardianos moniales et sorores sub eorum cura degentes monasteriorum infra regna consistentium huiusmodi ipsaque domus et monasteria necnon eorum et cuiuslibet ipsorum mobilia et immobilia, res et bona vel eorum aliqua sub litteris, facultate, concessione, subsidio, statuto et decreto praedictis vel eorum aliquo minime comprehensa fuisse nec esse sed ab illis et eorum singulis priores, guardianos et fratres quatuor ordinum mendicantium necnon abbatissas, priorissas et sorores eorum domos et monasteria infra regna et principatum consistentia necnon illorum res et bona praedicta omnia et singula totaliter excepta et exempta exstitisse et exsistere necnon Caesaraugustan. et Terraconen. archiepiscopos

(1) Reg. Lat. t. 442, f. 98; *Bull. ord. fr. Praed.* t. III, p. 246, n. 14.

praefatos vel ab eis ad id pro tempore deputatos subexsecutores aut eorum aliquem priores, guardianos, fratres, abbatissas, priorissas moniales et sorores exceptos praedictos vel ipsorum aliquem ad solutionem aliquam faciendam summae praedictae vigore praedecessoris ac litterarum Nostrarum huiusmodi seu alias cogere seu compellere minime potuisse nec debuisse neque de cetero posse nec debere, quinimo omnes et singulos processus quascumque excommunicationum, suspensionum et interdicti aliasque sententias, censuras et poenas in se continentes per Caesaraugustan. ac Terraconen. archiepiscopos seu ab eis deputatos praefatos vel ipsorum aliquem vigore tam praedecessoris quam Nostrarum litterarum huiusmodi contra priores, guardianos, fratres domorum quatuor ordinum mendicantium ac abbatissas, priorissas, moniales et sorores monasteriorum huiusmodi eorumque colonos, laboratores, censuarios et affictuarios vel eorum aliquos pro eo, quia monitis et mandatis eis praetextu praedecessoris ac Nostrarum litterarum huiusmodi factis minime paruerunt, forsan olim habitos et fulminatos ... et omnia inde secuta nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti idque etiam tempore datae earumdem litterarum Nostrarum Nostrae intentionis fuisse et esse auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium declaramus ac decernimus, districtius inhibentes Caesaraugustan. et Terraconen. archiepiscopis et ab eis vigore facultatis huiusmodi pro tempore deputatis praedictis et eorum singulis, ne ullo umquam tempore priores, guardianos, fratres, abbatissas, moniales et sorores in declaratione comprehensos huiusmodi vel eorum aliquos ad solvendum aliquid de subsidio praedicto cogere seu compellere aut contra declarationem Nostram praefatam in aliqua parte venire seu attentare audeant vel praesumant, ac decernentes ex nunc irritum *etc.* Et insuper ad abundantiorem cautelam omnes et singulos ex prioribus, guardianis, fratribus, abbatissis, priorissis, monialibus et sororibus exceptis necnon colonis, laboratoribus, affictuariis et censuariis praedictis sub huiusmodi processibus comprehensis ab omnibus et singulis excommunicationis ... poenis contra eos praemissorum occasione latis ac in dictis processibus contentis auctoritate praedicta ex nunc harum serie absolvimus et absolutos fore decernimus necnon in pristinum et eum statum, in quo ante emanationem processuum huiusmodi exsistebant, restituimus atque reponimus omnemque inhabilitatis et infamiae maculam ... penitus abolemus necnon cum prioribus, guardianis et fratribus in processibus comprehensis huiusmodi super irregularitate dispensamus. Et nihilominus cupientes, quod praesentes litterae et earum effectus inviolabiliter observentur, dilectis filiis Narbonen. et Tolosan. ac Aquen. officialibus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios prioribus, guardianis, fratribus, abbatissis, priorissis, monialibus, sororibus, colonis, laboratoribus, affictuariis et censuariis in declaratione comprehensis praefatis efficacis defensionis auxilio assistentes non permittant eos per archiepiscopos et deputatos praedictos vel eorum aliquem aut alios quoscumque contra declarationem et inhibitionem Nostras ac tenorem praesentium litterarum huiusmodi quomodolibet impeti seu aliqualiter molestari, contradictores *etc.*, invocato *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie idus ianuarii, ... anno I.

1156. Renovat concessionem Eugenii IV uniendi et incorporandi mensae capitulari Vicentin. fructus monasterii monialium S. Blasii extra muros Vicentin., O. S. Ben., quod fratres O. F. M. de observ. inhabitabant (1).

1448, ianuarii 18, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolicae Sedis providentia circumspecta *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenio papae IX, praedecessori Nostro, pro parte venerabilis fratris Nostri Francisci, episcopi Vicentin., et dilectorum filiorum capituli ecclesiae Vicentin. exposito, quod fructus, redditus et proventus archipresbyteratus dictae ecclesiae, qui inibi dignitas, non tamen maior, post pontificalem exsistit, cuique cura imminet animarum, erant adeo tenues et exiles, quod archipresbyter ipsius ecclesiae pro tempore exsistens se ex illis sustentare et alia ei ratione dicti archipresbyteratus incumbentia onera supportare commode nequibat, quodque propterea persona idonea, cui dictus archipresbyteratus, dum pro tempore vacabat, conferretur, de facili inveniri non poterat, ac subiuncto, quod, si in monasterio monialium S. Blasii extra muros Vicentin., ordinis S. Benedicti, a quo dilectae in Christo filiae illius abbatissa et moniales in eo tunc residentes suis culpis et demeritis exigentibus realiter amotae et in monasterio S. Catharinae Vicentin., dicti ordinis, reclusae seu ad illud

(1) Reg. Lat. t. 440, f. 249.

translatae ordinaria auctoritate exstiterant, quodque nonnulli religiosi ordinis fratrum Minorum de observantia tunc inhabitabant, abbatissalis dignitas et dictus ordo S. Benedicti supprimerentur et exstinguerentur ipsiusque monasterii S. Blasii pro tempore possessiones et alia bona immobilia, quorum omnium fructus, redditus et proventus ad abbatissae et monialium praedictarum, quarum una tantum superstes remanserat, sustentationi dumtaxat auctoritate praedicta relicti seu deputati exstiterant, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dicto archipresbyteratui perpetuo applicarentur, ... archipresbyter praedictus ex hoc circa sustentationem ac onerum supportationem huiusmodi commode intendere potuisset, praefatus praedecessor, dictorum episcopi et capituli in ea parte supplicationibus inclinatus, dilecto filio abbati monasterii S. Felicis extra muros Vicentin. eius proprio nomine non expresso per suas litteras dedit in mandatis, ut de praemissis auctoritate dicti praedecessoris se diligenter informaret, et ... abbatissalem dignitatem et ordinem S. Benedicti in praedicto monasterio S. Blasii apostolica auctoritate penitus supprimeret et exstingueret ac omnia terras, possessiones et bona praedicta, quorum fructus, redditus et proventus quadraginta florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipsi episcopus et capitulum asseruerunt, non excedebant, cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis mensae capitulari dictae ecclesiae pro illius quotidianis distributionibus eadem apostolica auctoritate perpetuo applicaret, *etc.* prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum episcopi et capituli petitio continebat, licet dilectus filius Petrus, abbas dicti monasterii S. Felicis, ad praedictarum litterarum exsecutionem procedens, illarum forma servata applicationem, appropriationem, incorporationem et unionem fecerit antedictas, tamen illae suum nondum consecutae sunt effectum. Quare pro parte dictorum episcopi et capituli Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... litteras, applicationem, incorporationem et assignationem praedictas in pristinum et in eum statum, in quo ante cassationem, irritationem, revocationem et decretum huiusmodi erant, praesentium tenore restituentes, volumus et apostolica dictis episcopo et capitulo auctoritate concedimus, quod cedentibus vel decedentibus abbatissa et moniali praedictis seu fructus, redditus et proventus sibi concessos huiusmodi dimittentibus liceat ipsis episcopo et capitulo per se vel alium seu alios illorum corporalem possessionem auctoritate propria apprehendere et in easdem distributiones convertere alias iuxta praedictarum litterarum continentiam atque formam in omnibus et per omnia, ac si revocatio, cassatio, irritatio et decretum huiusmodi a Nobis nullatenus emanassent. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XV kal. februarii, ... anno I.

1157. Mandat, ut fratribus III O. S. Fr. concedat facultatem recipiendi domum sitam in pertinentiis montis S. Iacobi, Eugubin. dioec., antea O. S. Aug., a Reugarda de Malatestis donatam (1).

1448, ianuarii 18, Romae.

Venerabili fratri episcopo Eugubin.

Sacrae religionis, sub qua dilecti filii ministri et fratres ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati *etc.* Sane petitio pro parte dilectorum ministri et fratrum Nobis nuper exhibita continebat, quod olim, postquam dilecta in Christo filia nobilis mulier Reugarda de Malatestis, comitissa, relicta quondam Guidi Antonii, Urbini et Montisferetri comitis, quamdam domum sitam in pertinentiis montis S. Iacobi, Eugubin. dioec., cum duabus petiis terrae hortatae sibi contiguis, tunc ad monasterium S. Ambrosii de dicto monte, ordinis S. Augustini, eiusdem dioec., secundum instituta dicti sancti legitime pertinentem, a dilectis filiis priore et conventu praefati monasterii per priorem soliti gubernari, qui tunc nonnullis debitorum oneribus pro ipsius monasterii et aliorum aedificiorum tunc ruinam minantium reparatione contractis gravabantur, sollemnibus ad id requisitis et in talibus fieri solitis tractatibus praecedentibus emerat, deinda dicta comitissa ... domum praedictam cum petiis terrae huiusmodi, claustro, refectoriis et aliis iuribus et pertinentiis suis de consensu et voluntate praefati comitis tunc in humanis agentis dilecto filio Ioachino Baldini Telli, civi Eugubin., illam nomine dilecti filii Nicolai Michilini, tunc ministri, et aliorum dicti ordinis fratrum ac pro eorum usu et habitatione perpetuis recipienti, titulo donationis inter vivos dedit, tradidit et concessit, ipsique Nicolaus et fratres, dationis, traditionis et concessionis huiusmodi vigore domus, petiarum, iurium et pertinentiarum praedictorum possessionem apprehendentes, illam ex tunc tenuerunt, prout tenent, in usus proprios eorumdem. Quare pro parte moderni ministri et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ...

(1) Reg. Lat. t. 436, f. 248.

necnon domum et petias praedictas per earum qualitates, confines et veros valores praesentibus pro expressis haberi volumus, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, ... venditionem, dationem, traditionem et concessionem praefatas ac illas contingentia et quaecumque inde secuta eadem auctoritate approbes et confirmes, supplendo *etc.* Et nihilominus ... eisdem moderno ministro et fratribus domum et petias praedictas pro usu et habitatione praefatis perpetuo retinendi dicta auctoritate licentiam largiaris, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XV kal. februarii, ... anno I.

1158. Ivoni Milbeau, O. F. M., qui prioratum de Taupont, O. S. Ben., Maclovien. dioec., cessit, reservat pensionem annuam tertiae partis fructuum dicti prioratus annis singulis in oppido de Monterelaxo (Montrelais), Trecoren. dioec., solvendam (1).

1448, ianuarii 19, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XIV kal. februarii, ... anno I.

Eodem die hac de re scribit *Episcopo Avenionen. et B. Mariae de Doulas* (?) *ac S. Matthaei in Finibus terrarum, Corisopiten. et Leonen. dioec. monasteriorum abbatibus.* (Hodie dilecto filio Ivoni Milbeau, ordinis fratrum Minorum professori *etc.*).

1159. Episcopo Fulginat. mandat, ut Petro de Macerata, presbytero S. Leonis dioec., tertium ordinem S. Francisci expresse professo, conferat hospitale S. Petri de Colleflorito, Fulginaten. dioec., quod quondam Ranucius Francisci de Fulgineo, III O. S. Fr., pro usu fratrum dicti ordinis fundaverat et per obitum Stephani de Cuneo rectore carebat (2).

1448, ianuarii 20, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XIII kal. februarii, anno ... I.

1160. Monialibus O. S. Cl. in dominiis ducis Sabaudiae consistentibus concedit licentiam mittendi personas pro collectione eleemosynarum in terras duci Sabaudiae subiectas et divina celebrari faciendi absque incursu alicuius poenae (3).

1448, ianuarii 26, Romae.

Dilectis in Christo filiabus universis abbatissis et monialibus monasteriorum ordinis S. Clarae in ducatu, terris, iurisdictione et dominiis ducis Sabaudiae consistentibus sub regulari observantia degentibus.

Quia relictis omnibus soli Deo *etc.* Hinc est, quod Nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vos et quamlibet vestrum ac quascumque utriusque sexus personas vestris obsequiis insistentes et earum quamlibet a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, tam a iure quam ab homine latis, quibus pro eo, quod vos in terris et locis schismaticis (4) commoramini et commorantur, forsan estis seu sunt irretitae, tenore praesentium absolventes et absolutas fore censentes, ut liceat vobis absque alicuius spiritualis vel temporalis poenae incursu, alias secundum statuta et consuetudines ordinis vestri approbata ac hactenus pacifice observata, personas praedictas tam per vos ad hoc deputatas quam deputandas ad civitates, terras, villas et castra in ducatu, dominio et iurisdictione ducis Sabaudiae consistentia, in quibus vestra exsistunt monasteria, pro eleemosynis et aliis charitativis subsidiis acquirendis, prout hactenus consuevistis, transmittere, ipsique sorores, fratres et personae eleemosynas et subsidia huiusmodi postulare, exigere, recipere ac cum aliis utriusque sexus personis illarum partium participare, necnon in ecclesiis vestrorum monasteriorum missas et alia divina officia per presbyteros idoneos secundum statuta et consuetudines supradicta facere celebrari, constitutionibus ... nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VII kal. februarii, ... anno I.

1161. Abbati monasterii de Caloniro, Messanen. dioec., mandat, ut Flosdemelosae, abbatissae monasterii S. Mariae de Basico, Messanen., O. S. Cl., concedat facultatem recipiendi munus benedictionis a quocumque maluerit catholico antistite (5).

1448, ianuarii 30, Romae.

Abbati monasterii S. Placidi de Caloniro, Messanen. dioec.

Dilecte fili, sal. Exhibita Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Flosdemelosae,

(1) Reg. Lat. t. 436, f. 244. Cf. n. 530, p. 254, nota 4.

(2) Reg. Lat. t. 436, f. 75 v. — De hospitali loci de Collefloreto cf. supra n. 1002, p. 492.

(3) Reg. Vat. t. 387 f. 159 v. et Reg. Lat. t. 442, f. 104 v.

(4) Haec bulla data est eodem tempore, quo Amadeus, dux Sabaudiae, sub nomine Felicis V antipapa, cum Nicolao V de abdicatione agebat.

(5) Reg. Vat. t. 367, f. 191. — De monasterio de Basico cf. supra n. 1151, p. 583.

abbatissae monasterii S. Mariae de Basico, ordinis S. Clarae, Messanen., supplicatio continebat, quod ipsa dudum in abbatissam dicti monasterii electa munus benedictionis et quaedam alia insignia per moniales civitatis Messanen. gestari consueta sibi impendi desiderat, sed venerabili fratre Nostro archiepiscopo Messanen. ab insula Siciliae absente a quocumque alio catholico antistite illud sibi cupit conferri. Huiusmodi igitur supplicationibus inclinati, devotioni tuae tenore praesentium committimus et mandamus, ut munus benedictionis cum insignibus huiusmodi a quocumque maluerit catholico antistite sibi impendi, ipseque antistes eidem impendere et cum ministris ad id necessariis claustra ipsius monasterii, si opus fuerit, ea vice dumtaxat ingredi possit, prohibitione apostolica et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque sibi et antistiti praedicto auctoritate Nostra indulgeas et licentiam pariter concedas.

Datum Romae apud S. Petrum, 30 ianuarii, ... anno I.

1162. Iohannem de Facogneyo (Faucogney), O. F. M., in theologia baccalaurium formatum, instituit poenitentiarium in basilica principis apostolorum de Urbe ac Romana curia et capellanum suum (1).

1448, ianuarii 31, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie kal. februarii, ... anno I.

1163. Vicario provinciae S. Antonii, O. F. M. de observ., concedit facultatem recipiendi domum in loco S. Danielis in pertinentiis terrae Lionici (Lonigo), Vicentin. dioec. (2).

1448, februarii 1, Romae.

Dilecto filio vicario ordinis fratrum Minorum de observantia, provinciae S. Antonii, iuxta morem ipsius consistenti.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem pro parte tua petitio continebat, quod nonnulli ex civibus communitatis terrae Lionici, Vicentin dioec., ex singulari zelo devotionis, quam ad fratres tui ordinis et observantiae propter eorum religiosam vitam, cuius exemplo undique populos ad salutis gratiam evocant, gerunt, ... pro ipsorum suorumque progenitorum animarum salute in loco S. Danielis, in pertinentiis Lionici, extra terram per medium milliare situm, apud viam publicam apud iura plebis SS. Christophori et Quirici de Lionico, dictae dioec., quamdam domum cum ecclesia, campanili, campanis, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro perpetuis usu et habitatione quorumdam ex fratribus tuis de observantia de bonis sibi a Deo collatis assignare, fundare et construere ... desiderant et facient, si eis desuper a Nobis licentia concedatur, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi concedimus, quatenus in dicto loco S. Danielis, praefatae dioec., unam domum, si nondum fundata et constructa exsistit, fundare et construere vel, si iam incepta et nondum perfecta fuerit, perficere illamque domum cum ecclesia ... et aliis necessariis officinis, si tibi a praedictis civibus de Lionico, dictae Vicentin. dioec., consignabitur, donabitur vel concedetur, erigendi, fundandi et construendi ac aedificandi, recipiendi et perpetuo retinendi libere ac licite dioecesani loci et cuiuslibet alterius super hoc licentia minime requisita auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et insuper universis et singulis dicti ordinis et observantiae fratribus, quos in erigenda domo huiusmodi pro tempore morari contigerit, quodque domus huiusmodi pro tempore fratres omnibus et singulis indulgentiis ... uti et gaudere libere ac licite valeant, auctoritate praefata indulgemus per praesentes, iure tamen *etc.* non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, kalendis februarii, ... anno I.

1164. Mandat, ut audiant causam inter praepositum domus S. Mariae Magdalenae de Gambara, Brixien., O. Humil., et Iohannem abbatem monasterii S. Nicolai de Verziano extra muros Brixien., O. Cluniac., ubi agitur etiam de monasterio O. S. Cl. in civitate Brixien. fundando (3).

1448, februarii 7, Romae.

Dilectis filiis abbati monasterii SS. Faustini et Iovitae Brixien. ac archidiacono ecclesiae Brixien.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii praepositi domus S. Mariae Magdalenae de Gambara, Brixien., ordinis Humiliatorum, petitio continebat, quod olim fel. rec. Eugenio papa IV, praedecessori Nostro, pro parte dilecti filii Iohannis, abbatis monasterii S. Nicolai de Verziano, extra muros Brixien., Cluniacen. ordinis, falso

(1) Reg. Vat. t. 432, f. 135.
(2) Reg. Vat. t. 406, f. 255; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 30.
(3) Reg. Lat. t. 442, f. 109 v. Cf. supra n. 1110, p. 563.

suggesto, quod ipse pro reparatione et reformatione dicti monasterii, et ut illud in suis fructibus, redditibus et proventibus augmentaretur, multiplices expensas et labores impenderat et tunc in eo quinque monachos et unum saecularem presbyterum, qui curam parochianorum eiusdem monasterii exerceret, continuo retinebat, quodque causantibus guerris, quae a viginti annis citra in partibus illis viguerant, monasterium ipsum a stipendiariis etiam in eo multoties commorantibus in structuris et aedificiis damnificatum remanserat, ac post guerrarum huiusmodi cessationem plures stipendiarii illud damnificare et eosdem monachos diversimode impedire non verebantur, propter quae idem abbas desideratum effectum laborum et expensarum huiusmodi consequi non valuerat neque sperabat, quod de cetero abbas et monachi pro tempore exsistentes dicti monasterii possent libere in eodem monasterio permanere et Altissimo reddere vota sua, ac pro parte ipsius abbatis subiuncto, quod ipse unam domum in civitate Brixien. consistentem ad praefatum monasterium pertinentem et in quadam discoperta refici et reformari fecerat et in alia eius partibus unam capellam sub vocabulo S. Crucis, ad quam clerus et populus Brixien. singularem devotionem gerentes semel in anno processionaliter confluere consueverant, construi et erigi facere inchoaverat inibique unum monasterium pro usu et habitatione perpetuis abbatis et monachorum pro tempore praedictorum fundare, construere et erigere desideraret, ac huiusmodi desiderium absque certis domibus livellariis ac petia terrae et aliis bonis immobilibus, « murachis » nuncupatis, dictae domui propinquis ac ad domum praedictam S. Mariae Magdalenae pertinentibus, adimplere non posset, idem praedecessor dilecto filio praeposito ecclesiae SS. Nazarii et Celsi Brixien. suis dedit litteris in mandatis, ut, si praemissa vera fore reperiret, domos ac terrae petia et alia bona ad domum S. Mariae Magdalenae praedictam spectantia huiusmodi a domo ipsa segregaret et illam eidem monasterio S. Nicolai ad opus praefati erigendi monasterii dumtaxat applicaret necnon praefato Iohanni et eius in dicto monasterio S. Nicolai successoribus monasterium S. Crucis erigendum huiusmodi cum ecclesia, campanili, campana, claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis fundandi, construendi et erigendi ... licentiam plenam et liberam concedere ac, postquam dictum erigendum monasterium taliter constructum foret seu commode inhabitari posset, ut abbates et monachi monasterii S. Nicolai pro tempore exsistentes huiusmodi in praefato erigendo monasterio conventualiter perpetuo remanere et sua Altissimo vota reddere necnon unum saecularem idoneum sacerdotem, qui missas et alia divina officia in illo celebraret et continuo resideret curamque animarum parochianorum huiusmodi exerceret, tenerentur, et post segregationem et applicationem huiusmodi, si fierent, de fructibus, redditibus et proventibus eiusdem monasterii S. Nicolai praeposito pro tempore exsistenti dictae domus S. Mariae Magdalenae tantum, quantum a viginti annis citra ex ipsis segregandis et incorporandis annuatim percipere consueverunt, annis singulis perpetuo persolvere tenerentur, ita quod quamprimum alia bona immobilia aequivalentia praeposito et conventui praefatis pro segregandis huiusmodi libere assignata forent, ex tunc abbas et monachi dicti monasterii S. Nicolai a solutione huiusmodi perpetuo liberi exsisterent, statuere, decernere et ordinare curaret, prout idem praepositus SS. Nazarii et Celsi post modicum segregavit et ordinavit, propter quae pro parte ipsius domus S. Mariae Magdalenae praepositi, asserentis domum praedictam fuisse domus suae livellariam et ad illam pro eo, quod eam in emphyteusim tenentes ob non solutum canonem reciderant in commissum, pleno iure spectare, fuit ad Sedem Apostolicam appellatum. Et successive pendente termino prosecutionis appellationis eiusdem pro parte dilecti filii Alberti de Sartiano, ordinis fratrum Minorum professoris, praefato praedecessori significato, quod nonnullae virgines, viduae et aliae mulieres in civitate et dioec. Brixien. tunc commorantes, ob melioris vitae frugem ad ordinem S. Clarae singularem gerentes devotionis affectum, dictum ordinem profiteri necnon sub illius regularibus habitu et observantia Altissimo famulari desiderabant, quodque dilecti filii communitas et cives civitatis praedictae, laudabili mulierum huiusmodi desiderio ducti, quoddam monasterium eiusdem ordinis cum ecclesia, coemeterio, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro dictarum et aliarum mulierum eiusdem ordinis et illius regularis observantiae usu et habitatione perpetuis in praedicta civitate construere proponentes, domos, hortos et aedificia dumtaxat hospitalis pauperum Beatae Mariae de Serpente Brixien. possessionibus et bonis illius pro hospitali per eos de novo auctoritate apostolica fundando reservatis eidem Alberto pro fundatione et constructione monasterii huiusmodi concedere et assignare intendebant, si eis desuper per dictum praedecessorem licentia concederetur, quodque prope dictum hospitale S. Mariae quaedam domus et una capella sub vocabulo S. Crucis, ad monasterium S. Nicolai praedictum, quae

dudum idem praedecessor pro fundatione et constructione eiusdem monasterii praefato Iohanni abbati sub certis modo et forma concedi mandaverat, nonnullae domus livellariae ac petiae terrae aliaque immobilia bona, « muracha » nuncupata, eidem monasterio propinqua et ad domum S. Mariae Magdalenae praedictam spectantia pro fundatione et constructione de novo fundandi monasterii huiusmodi quam plurimum necessaria fore noscebantur, idem praedecessor praeposito praefato et ecclesiae SS. Nazarii et Celsi suis dedit litteris in mandatis, ut, si foret ita, communitati et civibus praefatis domos et aedificia hospitalis S. Mariae huiusmodi illi circumvicina praefato Alberto pro fundatione et constructione dicti monasterii ordinis S. Clarae de novo fundandi, donandi et concedendi ac dicto Alberto per se vel alium seu alios in dictis domibus et aedificiis hospitalis S. Mariae monasterium ordinis S. Clarae huiusmodi sub illius vel alterius, de quo ipsi Alberto videretur, sancti vel sanctae vocabulo pro abbatissa et sororibus inibi sub regularibus habitu et observantia secundum regularia monasterii S. Clarae Mantuan., ordinis eiusdem sanctae, instituta perpetuo et conventualiter Altissimo servituris cum ecclesia ... et aliis officinis praedictis fundandi et construendi ac inibi dignitatem abbatissalem, quae superior ibidem sit, creandi et erigendi necnon unam ex sororibus dicti ordinis S. Clarae, quae pro prima vice professionem per sorores dicti ordinis S. Clarae emitti solitam a quibuscumque in praefato fundando monasterio ordinis S. Clarae regularem professionem emittere volentibus reciperet et eis regularem habitum exhiberet, deputandi ac fundando monasterio ordinis S. Clarae praedicto de persona idonea providendi et etiam illi in abbatissam praeficiendi necnon omnia alia et singula in praemissis et circa ea necessaria faciendi et exsequendi plenam et liberam licentiam largiretur, prout in diversis eiusdem praedecessoris litteris, quarum praetextu praefatus praepositus SS. Nazarii et Celsi, ad illarum exsecutionem procedens, communitati et civibus domos et aedificia hospitalis S. Mariae huiusmodi praefato Alberto pro fundatione et constructione monasterii ordinis S. Clarae huiusmodi donandi et concedendi ac Alberto praefatis in domibus et aedificiis ipsius monasterii ordinis S. Clarae huiusmodi fundandi et construendi ac alia faciendi, ut praefertur, licentiam exstitit elargitus, propter quae et nonnulla alia dictus praepositus S. Mariae Magdalenae, legitimo, ut asserit, impedimento detentus, appellationem huiusmodi non fuit infra tempus debitum prosecutus ac propterea, et quia dicta eius domus exinde enormiter laesa venit, Nobis humiliter supplicavit, ut ipsum et domum suam huiusmodi adversus laesionem et ad prosecutionem appellationis huiusmodi ac alias in statum, in quo ante huiusmodi laesionem erant, restituere ac causam, quam super domo, in qua dictus Iohannes abbas primodictum monasterium fundare cupere se dicebat, idem praepositus S. Mariae Magdalenae movere intendit, alicui probo viro in partibus illis audiendam committere ac alias sibi et praefatae eius domui in praemissis providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si vocatis Iohanne abbate praefato et aliis, qui fuerint evocandi, quod de huiusmodi impedimento aut laesione proponitur, reperiretis veritate fulciri, eumdem S. Mariae Magdalenae praepositum eiusque domum huiusmodi adversus laesionem et ad prosecutionem appellationis ac in statum, in quo ante laesionem huiusmodi erant, ut praefertur, auctoritate Nostra lapsu temporis huiusmodi non obstante restituatis, prout de iure fuerit faciendum, super domo vero et aliis supradictis partibus convocatis audiatis causam et appellatione remota debito fine decidatis, facientes, quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VII idus februarii, ... anno I.

1165. Vicariam Hungariae separat a vicaria Bosnae O. F. M. de observ. (1).

1448, februarii 10, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ineffabilis summi providentia Patris *etc.* Dudum siquidem diversae fel. rec. Eugenii papae IV, praedecessoris Nostri, litterae, in quibus de piae mem. Iohannis XXII et Urbani V necnon Martini V, etiam praedecessorum Nostrorum, ac quondam Urbani, in sua, de qua regnum Hungariae tunc erat, obedientia VI nuncupati, litteris mentio fit, sub tenoribus emanarunt infrascriptis:

Eugenius episcopus etc.

Dilectis filiis vicario dilecti filii ministri generalis et fratribus ordinis Minorum vica-

(1) Reg. Vat. t. 406. f. 258! Wadd. *Ann.* ad a. 1447, n. 15. Cf. supra n. 863, p. 413.

riae Bosnae secundum morem dicti ordinis, praesentibus et futuris.

Romanus pontifex *etc. (ut supra n. 109, p. 57).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1433, pridie kal. octobris, ... anno III.

Eugenius servus etc.

Dilectis filiis vicario et fratribus vicariae Bosnae nuncupatis ordinis Minorum, praesentibus et futuris.

Sacrae religionis, sub qua *etc. (ut supra n. 868, p. 416).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1444, IV kal. februarii, ... anno XIV.

Cum itaque, sicut grandi mentis exhilaratione percepimus, tot opitulante Domino dictorum fratrum in ipso regno Hungariae domus exsistant, quod ad fidelium inibi salutem animarum et fidei propagationem orthodoxae plurimum conferret, ut in eo necnon illi subiectis usque ad Scythiam et mare Tataricum partibus atque provinciis pro fratribus ipsis specialis ab eadem vicaria Bosnae distincta vicaria haberetur, in qua vicarius pro tempore exsistens ac inibi dicti fratres praemissarum litterarum potirentur effectu, Nos pro futuro super his adminiculum firmare cupientes, regnum ac subiectas partes et provincias huiusmodi quoad ea, quae dictos fratres concernunt, ab ipsa vicaria Bosnae totaliter auctoritate praefata separamus atque dividimus et in eis aliam, quae vicaria Hungariae nuncupetur, cuiusque limites et districtus a flumine Zawa usque ad dictum mare protendantur et specialis vicarius sit, facimus, constituimus ac deputamus et ad illam ac eius praesentes et futuros fratres in omnibus litteras praefatas necnon ipsarum tenores et effectus extendimus, ita quod etiam fratres vicariae Hungariae huiusmodi infra limites ac districtus praedictos quaecumque loca pro ipsorum usu et habitatione recipere perpetuoque retinere necnon vicarium ibidem, cui proprium eorum, si et prout ipsis videbitur, mutandum vel alterandum sigillum consignetur, eligere et habere, qui, postquam in talem iuxta dispositionem capituli generalis vicariae Hungariae huiusmodi electus fuerit, eo ipso censeatur auctoritate praedicta confirmatus ac omnibus et singulis indultis, concessionibus, privilegiis et facultatibus, quae ex praefatis litteris proveniunt, necnon quoad huiusmodi loca recipienda quibuslibet aliis indulgentiis, libertatibus et exemptionibus ordini praefato ac ipsius domibus locis et personis per Sedem praedictam et alias generaliter concessis uti et gaudere libere liciteque valeat, eadem auctoritate tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus. Rursus quoque statuimus et ordinamus, quod ipse vicarius et fratres eiusdem vicariae Hungariae perpetuis in antea temporibus non ministris inibi provincialibus sed generali per eamdem Sedem deputato generalis dicti ordinis ministri vicario cismontano debeant subesse. Non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod nullus ex ipsis fratribus aliquod eorum, quae ministerium episcopale requirunt, quomodolibet exerceat, nisi in locis, a quibus infra duas dietas ad dioecesanos ibidem haberi commode non poterit tunc accessus, nec curam gerat animarum, nisi dumtaxat illorum, qui proprios [parochos] sive ministros ecclesiarum vel locorum ecclesiasticorum non habuerint infra praefatos limites et districtus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV idus februarii, ... anno I.

1166. Decano ac custodi ecclesiae Wladislavien. (Wloclawek, Leslau) committit causam appellationis guardiani et fratrum domus S. Francisci loci de Iuncladislavia, Wladislavien. dioec., contra Michaelem, commendatorem hospitalis S. Spiritus extra muros dicti loci, O. Cruciferorum (1).

1448, februarii 10, Romae.

Dilectis filiis praeposito et decano ac custodi ecclesiae Wladislavien.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita Nobis pro parte devotorum filiorum Matthiae guardiani et fratrum domus S. Francisci, loci in Iuncladislavia, Wladislavien. dioec., petitio continebat, quod olim ipsi dilectum filium Michaelem, commendatorem hospitalis S. Spiritus extra muros dicti loci, ordinis Cruciferorum cum stella, qui dictae domui quasdam frumenti, tritici et avenae quantitates tunc expressas ipsis in eleemosynam erogatas dare et solvere legitime tenebatur, super hoc petendo eum condemnari et compelli ad dandum et solvendum ipsas frumenti, tritici et avenae quantitates huiusmodi, si exstabant, alioquin earum verum valorem, coram dilecto filio officiali Wladislavien. non ex delegatione apostolica traxerunt in causam, ipseque officialis legitime ac iuris ordine observato in ea procedens definitivam pro guardiano et fratribus praedictis sententiam promulgavit, a qua dictus commendator, illam iniquam fore falso asserens, ad curiam Gneznen., loci metropoliticam, appellavit ac dictos guardianum et fratres fecit in causa appellationis huiusmodi coram

(1) Reg. Lat. t. 436. f. 120v.

dilecto filio officiali dictae curiae ad iudicium evocari datisque nonnullis pertinentibus, qui de iure admittendi erant, pro parte dictorum guardiani et fratrum coram praefato officiali curiae in causa ipsa positionibus et articulis, quia dictus officialis curiae illos admittendos non exsistere per suam interlocutoriam declaravit iniquam, guardianus et fratres praedicti, sentientes exinde indebite se gravari, ad Sedem Apostolicam appellarunt Nobisque humiliter supplicarunt, ut causam ultimae appellationis huiusmodi aliquibus in partibus illis committere et alias eis super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum vocatis dicto commendatore necnon aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit appellatione remota decernatis, facientes, quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem *etc.* Non obstantibus fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV idus februarii, ... anno I.

1167. Mandat, ut per censuram ecclesiasticam impellant collectores subsidii pro Alphonso, rege Aragonum, ut restituant pecunias et bona a fratribus O. Praed., O. F. M., O. B. Mariae de monte Carmelo et O. Erem. S. Aug. et monialibus eisdem ordinibus subiectis accepta [1].

1448, februarii 10, Romae.

Dilectis filiis S. Mariae de Populeto et Montisaragonum monasteriorum abbatibus.

Nuper per Nostras certi tenoris litteras, pridie idibus ianuarii, pontificatus Nostri anno I [2], motu proprio declaravimus atque decrevimus priores, guardianos, fratres domorum Praedicatorum, Minorum, B. Mariae de Monte Carmeli et Eremitarum S. Augustini, mendicantium ordinum, necnon abbatissas, priorissas, moniales et sorores sub dictorum ordinum cura degentes infra Aragoniae, Valentiae et Maioricarum regna ac principatum Cataloniae consistentium necnon eorum bona quaecumque a solutione et praestatione subsidii quadraginta millium florenorum auctoritate apostolica charissimo in Christo filio Alfonso, regi Aragonum et Siciliae illustri, hactenus concessi exempta et libera esse debere nec sub huiusmodi concessione subsidii comprehensa esse nec ad aliquam huiusmodi subsidii solutionem teneri, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, multi ex prioribus, guardianis, fratribus et abbatissis, priorissis et aliis praedictis personis, metu poenarum in monitionibus et mandatis venerabilium fratrum Nostrorum Terraconen. et Caesaraugustan. archiepiscoporum, praedicti subsidii exsecutorum, vel per eosdem deputatorum contentarum et alias diversas pecuniarum summas solvere necnon alia bona tradere et dare coacti fuerint, etiam post interpositas ab eis ad Sedem Apostolicam appellationes, Nos, statui et indemnitati religiosarum personarum praefatarum paterno affectu providere cupientes necnon omnium et singulorum litium et causarum, si quae praemissorum occasione inter supradictos tam in Romana curia quam extra eam ubicumque indecisae forsan pendeant, status et appellationum tenores necnon pecuniarum persolutarum et bonorum traditorum seu acceptorum praedictorum summas et quantitates praesentibus pro expressis haberi volentes easque ad Nos advocantes et lites huiusmodi penitus exstinguentes ac motu proprio, non ad ipsorum exemptorum vel alicuius pro eis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate decernentes et auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium statuentes et declarantes, quod posteriores litterae Nostrae praedictae ab earum data ac omnia in eis contenta et inde secuta valeant plenamque roboris firmitatem obtineant perinde in omnibus et per omnia, ac si in illis de appellationibus ac causis et litibus praefatis specialis et expressa mentio facta ipsaeque causae tunc advocatae ac lites exstinctae fuissent, vobis et vestrum cuilibet tenore praesentium committimus et districte mandamus, quatenus omnes et singulas pecuniarum summas sic persolutas, libros aut alia quaecumque bona tradita seu per exsecutores, subexsecutores et collectores dicti subsidii aut alios praedictorum occasione accepta, etiam si illae vel illa ad usum seu subsidium regis huiusmodi iam vel tunc tradita et assignata fuerint, illis omnibus et singulis ex prioribus, guardianis, fratribus, abbatissis, priorissis, monialibus et sororibus praefatis, qui dicta bona tradiderint vel aliquibus accepta fuerint aut pecunias persolverint, ut praefertur, per exsecutores praedictos, collectores aut receptores, qui nunc sunt vel pro tempore erunt pecuniarum subsidii huiusmodi, vel unum seu plures ex eis, infra spatium quindecim dierum a die requisitionis eis desuper vigore praesentium faciendae sub excommunicationis poena,

(1) Reg. Lat. t. 442, f. 236; *Bull. ord. fr. Praed.* t. III p. 248, n. 15.

(2) Vide supra n. 1155, p. 585.

quam ex nunc prout ex tunc in quoslibet quomodolibet ex exsecutoribus, receptoribus seu collectoribus supradictis contra facientes harum serie proferimus et etiam promulgamus, dicta bona, quaecumque data vel accepta fuerint, et pecunias praedicti subsidii occasione persolutas de collectis tunc seu colligendis pro subsidio huiusmodi pecuniis realiter, integre et cum effectu restitui et tradi faciatis, vobis nihilominus et vestrum cuilibet mandantes, ut, si vobis aut alteri vestrum constiterit exsecutores, receptores et collectores praefatos sententiam excommunicationis huiusmodi incurrisse ac desuper pro parte illorum ex supradictis, ad quos id tunc spectabit, vel eorum alicuius desuper requisiti fueritis, excommunicatos publice nuntietis et ab aliis nuntiari necnon ab omnibus arctius evitari faciatis, donec de praemissis tunc debitam satisfactionem impenderint, non obstantibus *etc.* Aut si exsecutoribus *etc.* Contradictores *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV idus februarii, ... anno I.

1168. Committit exsecutionem litterarum Eugenii IV, quibus bona domus S. Francisci Pisan., III. O. S. Fr., assignantur fabricae ecclesiae S. Francisci Pisan., O. F. M. ([1]).

1448, februarii 15, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Michaelis in burgo Pisan.

Humilibus supplicum votis *etc.* Dudum siquidem litterae fel. rec. Eugenii papae IV, praedecessoris Nostri, tenoris emanarunt subsequentis:

Eugenius episcopus, servus servorum Dei.

Dilecto filio abbati monasterii S. Andreae de Claravalle, Pisan. dioec.

Debitum pastoralis officii *etc. (ut supra n. 629, p. 297).*

Datum Florentiae, anno ... 1442, III nonas novembris, ... anno XII.

Cum autem, sicut exhibita Nobis ... nuper pro parte guardiani et fratrum ordinis Minorum huiusmodi petitio continebat, interim dilectus filius Paulus, abbas ipsius monasterii, in remotis egerit nec adhuc in partibus illis exsistat, Nos, ipsorum guardiani et fratrum ordinis Minorum in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus ad dictarum exsecutionem litterarum auctoritate Nostra perinde procedas, ac si praefatae litterae tibi directae fuissent et ad illarum exsecutionem tu dicto praedecessore in humanis agente procedere inchoasses, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XV kal. martii, ... anno I.

1169. Iohanni Praepositi, O. F. M., capellano pontificio, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum ([2]).

1448, februarii 17, Romae.

Dilecto filio Iohanni Praepositi, ordinis Minorum et sacrae theologiae professori, capellano Nostro.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui unus ex minoribus poenitentiariis Nostris in basilica principis apostolorum de Urbe exsistis, praemissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut quodcumque unum beneficium ecclesiasticum ... recipere et retinere libere et licite valeas, ita quod tibi liceat de ipsius beneficii fructibus, redditibus et proventibus illius debitis supportatis oneribus libere disponere et ordinare ... constitutionibus ... nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia indulgemus, proviso *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XIII kal. martii, ... anno I.

1170. Ugolino de Iuniis, canonico Florentin., mandat, ut Antonium Andreae Tondini de Vespiniano, O. F. M., qui vicesimo tertio aetatis suae anno habitum monachorum nigrorum O. S. Ben. (O. Coelest.) assumpsit et deinde ecclesiam parochialem S. Bartholomaei de Molezano de Mugello, Florentin. dioec., obtinuit, absolvat a censuris et irregularitate eique concedat facultatem se ad quodcumque monasterium O. S. Ben. transferendi ([3]).

1448, februarii 21, Romae.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IX kal. martii, ... anno I.

1171. Guillelmo episcopo Biterren. concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in civitate vel dioecesi Biterren. ([4]).

1448, februarii 27, Romae.

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Biterren.

Personam tuam Nobis et Apostolicae Sedi devotam *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis

([1]) Reg. Lat. t. 442, f. 247.

([2]) Reg. Lat. t. 436, f. 7. — De Iohanne Praepositi cf. supra n. 887, p. 431.

([3]) Reg. Lat. t. 436, f. 133.

([4]) Reg. Lat. t. 443, f. 118 v.

nuper pro parte tua petitio continebat, tu ob singularem, quem ad ordinem fratrum Minorum et illius religiosos geris devotionis affectum, unam domum conventualem pro usu et habitatione perpetuis quorumdam ex fratribus praesentibus et futuris dicti ordinis sub illius regulari observantia degentibus in aliquo loco civitatis Biterren. vel tuae dioec., ad id congruo et honesto, quem duxeris eligendum, de bonis tibi a Deo collatis fundare, construere et erigere ferventius concupiscas, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae domum in loco huiusmodi cum ecclesia, campanili, campana, coemeterio, claustris, refectorio, dormitorio et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione perpetuis quorumdam fratrum ordinis et observantiae huiusmodi fundandi, construendi et erigendi ac etiam fratribus eiusdem ordinis, ad id tunc ab eorum superiore licentiam pro tempore habentibus, omnibus et singulis, domum praedictam recipiendi et in ea perpetuo commorandi plenam et liberam licentiam necnon etiam domui praedictae ac in ea pro tempore sub dicta observantia degentibus guardiano et fratribus, ut omnibus privilegiis ... uti et gaudere valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et etiam indulgemus, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV kal. martii, ... anno I.

1172. Ad supplicationem Martini et Iohannis de Frangapanibus mandat, ut in monasterio B. Mariae de Castilione, Veglen. dioec., ordinem S. Ben. supprimat et ordinem fratrum Minorum de observ. erigat (1).

1448, februarii 28, Romae.

Venerabili fratri episcopo Veglen.

Ad decorem sacrae religionis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Martini et Iohannis dictorum de Frangapanibus, comitum de Vegle, Senia et Modruse, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsi, recensentes, quod monasterium beatae Mariae de Castilione, ordinis S. Benedicti, tuae dioec., post obitum quondam Dominici, illius abbatis, per multos annos extra Romanam curiam defuncti, vacaverat ac monachis et personis caruerat et per laicos detentum et de facto occupatum fuerat, duos fratres ordinis fratrum Minorum ad illius, ne ad totalem conveniret ruinam, regimen et conservationem deputarunt, et, sicut eadem petitio subiungebat, ipsi comites affectent, quod in dicto monasterio propter illius fructuum et proventuum, qui viginti quatuor florenorum auri de camera valorem annuum secundum communem aestimationem non excedunt, [parvitatem] S. Benedicti supprimatur et de observantia fratrum Minorum ordines huiusmodi perpetuo creetur et erigatur, pro parte dictorum comitum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui de praemissis certam notitiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ita esse inveneris, S. Benedicti in eodem monasterio ac illius abbatialem dignitatem eadem auctoritate penitus supprimas et exstinguas ac fratrum Minorum de observantia ordines huiusmodi crees, erigas et instituas necnon ipsius monasterii bona plus offerenti vel offerentibus adhibitis debitis circa hoc cautelis et sollemnitatibus vendas et provenientia exinde pretium et pecunias in reparationem et restaurationem structurarum et aedificiorum ecclesiae dicti monasterii et alias in illius ac fratrum inibi pro tempore degentium utilitatem convertas integre et exponas ac alias facias, disponas, ordines et exsequaris omnia et singula, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint seu etiam quomodolibet opportuna, super quibus omnibus et singulis plenam et liberam tibi tenore praesentium concedimus facultatem. Et insuper, si suppressionem, exstinctionem, creationem, erectionem et institutionem praedictas fieri contigerit, universis et singulis fratribus, quos in domo ipsius monasterii pro tempore residere contigerit, ut omnibus privilegiis ... uti et gaudere libere et licite valeant, eadem auctoritate indulgemus per praesentes. Non obstante *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, III kal. martii, ... anno I.

1173. Episcopo Mothonen. et abbati monasterii Gradicen. extra muros Olomucen. mandat, ut Georgio Velliconis, clerico Olomucen., conferant perpetuam capellaniam Trium Regum in capella nova ecclesiae parochialis B. Mariae Virginis, Olomucen., per laicos quosdam fundatam iure praesentandi ad illam Clarae Pauli Czetel, moniali monasterii S. Clarae, Olomucen., O. S. Cl., reservato (2).

1448, martii 2, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, VI nonas martii, ... anno I.

(1) Reg. Lat. t. 442 f. 86; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 31.

(2) Reg. Lat. t. 439, f. 246.

1174. Committit causam appellationis Philippi de Astorga, ministri provinciae Compostellan., O. F. M., contra Alfonsum de Villanova, O. F. M., de duratione ministeriatus provincialis (1).

1448, martii 4, Romae.

Venerabilibus fratribus Legionen. et Astoricen. episcopis.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Philippi de Astorga, ordinis fratrum Minorum professoris et provinciae Compostellan. secundum morem dicti ordinis provincialis ministri, petitio continebat, quod, licet iuxta morem praedictum ipsiusque ordinis regulam et constitutiones officio ministeriatus dictae provinciae nullum certum aut determinatum tempus fuerit hactenus praefinitum, ac ipse minister ministeriatus officium in dicta provincia etiam fratrum superiorum suorum iudicio rite et laudabiliter exercuerit, necnon fratres et loca ordinis et provinciae praedictorum magna exinde susceperint incrementa, tamen dudum fel. rec. Eugenio papa IV, praedecessori Nostro, falso suggesto, quod ministri eiusdem provinciae seu eorum aliqui, qui pro tempore fuerant, regulae et constitutionum praedictarum immemores, praefatum officium non ad certum et determinatum tempus, sed ad eorum vitam rexerant et gubernarant, ex quo fratres et loca praedicta gravia sustinuerant et graviora in dies, nisi opportune provideretur, sustinerent detrimenta, idem praedecessor voluit, quod ex tunc in antea perpetuis futuris temporibus, cum officium huiusmodi vacare contingeret, ministri electio ad fratres dictae provinciae spectaret et pertineret, ac officium ipsum iuxta eiusdem ordinis instituta et laudabiles consuetudines dumtaxat triennio perduraret, quo elapso minister tunc exsistens absolutus esset, ipsumque officium eo ipso vacare censeretur, quodque nullus ad illud pro proximo tunc futuro triennio reeligi posset, ac reelectio huiusmodi, si fieret, nullius exsisteret roboris vel momenti, dilecto filio Alfonso de Villanova, eiusdem ordinis professori, dans nihilominus in mandatis, ut omnes et singulos fratres dictae provinciae, qui ad talia vocari consueverunt, ad provinciale capitulum pro facienda electione futuri provincialis ministri, cum huiusmodi ministeriatus officium vacare contingeret, infra terminum et ad locum, de quibus eidem Alfonso videretur, convocaret et faceret celebrari ac ad evitandas expensas idem praedecessor decrevit, quod generalis minister dicti ordinis, qui pro tempore foret, propinquiorem provincialem ministrum deputaret, qui sua auctoritate electionem huiusmodi, si foret canonica, confirmaret, prout in litteris praedecessoris eiusdem inde confectis dicitur plenius contineri (2). Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictis litteris in dicti Philippi deductis notitiam idem Philippus, praefati Alfonsi praesentiam habere non valens, coram quo posset de falsitate contentorum in illis ac praeiudicio ordinis et provincialium et fratrum, quorum et superiorum eorum maior et sanior pars eidem Philippo adhaesit, extraiudicialiter coram notario et testibus ad Sedem Apostolicam appellavit et huiusmodi appellationem fecit eidem Alfonso quam primum potuit intimari, sed idem Alfonsus huiusmodi appellatione, de qua non erat, ut praefertur, ignarus, et infra cuius prosecutionis tempus, de quo non modicum supererat, idem Philippus erat contemptus, nonnulla in ordinis, provincialium, fratrum et Philippi praedictorum praeiudicium dicitur innovasse et etiam attentasse. Quare pro parte dicti Philippi Nobis fuit humiliter supplicatum, ut causam appellationis huiusmodi alicui probo viro in partibus illis committere *etc.* Nos igitur ... fraternitati vestrae ... mandamus, quatenus vos vel alter vestrum vocatis, qui fuerint evocandi, ac revocato in irritum, quidquid post appellationem ad Nos legitime interpositam inveneritis temere attentatum, causam appellationis huiusmodi audiatis et appellatione remota debito fine decidatis, facientes *etc.* Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, IV nonas martii, ... anno I.

1175. Fratribus domus S. Pauli extra muros Bononien., O. F. M. de observ., concedit licentiam recipiendi domum iuxta capellam S. Memmae in civitate Bononien. (3).

1448, martii 7, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus S. Pauli extra muros Bononien., ordinis fratrum Minorum.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos, qui sub regulari observantia dicti vestri ordinis fratrum Minorum Altissimo famulatis, pro eo, quod propter loci, in quo domus vestra S. Pauli extra muros Bononien. consistit, distantiam et incommoditatem, dum aliqui fratres in ea infirmantur, medicorum

(1) Reg. Lat. t. 436, f. 80.
(2) Cf. supra n. 1034, p. 516.
(3) Reg. Lat. t. 442 f. 91 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 2.

copiam habere non potestis ac nonnullas alias patimini necessitates, alia domo pro dictis necessitatibus supportandis vobis accommoda plurimum indigere noscamini, ac dilecti filii Andreas Batalia et Baptista Magnavacca, laici Bononien., indigentiam vestram huiusmodi considerantes, quamdam domum pro vestris usu et habitatione perpetuis in civitate Nostra Bononien. iuxta capellam S. Memmae de bonis sibi a Deo collatis fundari seu construi fecerunt, Nos, vestris ac dilectorum filiorum Iacobi de Primaditiis de Bononia, professoris et vicarii dilecti filii generalis ministri dicti ordinis in citramontanis partibus quoad fratres ipsius ordinis de observantia nuncupatos, et nonnullorum fratrum discretorum ordinis et observantiae huiusmodi, provinciae Bononien. iuxta morem eiusdem ordinis, Nobis super hoc humiliter supplicationibus inclinati, vobis domum constructam huiusmodi recipiendi et in ea seu iuxta illam, si opus fuerit, alias domos necnon oratorium sub vocabulo S. Hieronymi pro divinis inibi celebrandis officiis, absque tamen campanili et campana ab extra, construi et aedificari faciendi et in illis morandi dioecesani loci et cuiuscumque alterius licentia desuper nullatenus requisita ac iure parochialis ... semper salvis, fel. quoque rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, nonis martii, ... anno I.

1176. Plura statuit de durationе officii abbatissae, de electionibus etc. in ordine S. Clarae (1).

1448, martii 7, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Digna reddimur attentione solliciti *etc.* Hinc est, quod Nos cupientes, quod universa et singula monasteria et loca monialium seu sororum ordinis S. Clarae sive S. Damiani vel Minorissarum, quae sub cura et regimine fratrum ordinis Minorum sub observantia nuncupatorum degunt, ac illorum personae, quae in ipsis monasteriis et locis, quae, sicut accepimus, sub regulari observantia dicti ordinis S. Clarae Altissimo iugiter famulantur, eo ferventius et devotius divinis obsequiis se coaptent, quo se per Nos et Sedem Apostolicam specialibus gratiis munitas fore conspexerint, dilecti filii Iacobi de Primaditiis, professoris et generalis vicarii domorum ordinis et observantiae eorumdem in citramontanis partibus consistentium, supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica praesenti perpetua et irrefragabili constitutione statuimus et ordinamus, quod in antea perpetuis futuris temporibus omnia et singula monasteria, domus et loca ordinis S. Clarae praedicta per abbatissas seu matres monialium et moniales, quarum, videlicet singulorum monasteriorum, domorum et locorum praedictorum singularum abbatissarum seu matrum monialium electiones, quae, si a maiori parte earum numero dumtaxat factae fuerint, canonicae censeantur, ad ipsorum monasteriorum, domorum sive locorum moniales aut sorores ordinem ipsum professas, et quae per triennium vel circa in dictis monasteriis moram traxerint, spectet et pertineat, ac praedictarum abbatissarum seu matrum monialium dignitates vel officia huiusmodi per annum tantum durent, ipsaeque illo decurso, etiam si infrascriptas renuntiationes non fecerint, vacent ac vacare censeantur, regantur, et gubernentur ac regi et gubernari debeant, necnon omnes et singulae nunc praesentes et futurae abbatissae seu matres monialium monasteriorum, domorum seu locorum eorumdem praesentes, videlicet in fine anni a data praesentium, futurae vero a die electionis earum computandi, regimini et administrationi monasteriorum, domorum et locorum suorum in vicariorum provincialium provinciarum eiusdem ordinis fratrum Minorum de observantia, in quibus monasteria et loca ipsa consistunt, vel saltem visitatorum monasteriorum, domorum seu locorum praedictorum per eosdem vicarios in congregatione fratrum deputatorum et ad id ab eisdem vicariis potestatem habentium manibus ac in praesentia sororum seu monialium monasteriorum seu locorum huiusmodi ad id specialiter vocatarum sub excommunicationis poena, quam secus facientes incurrant ipso facto, cedere, litteras quoque, sigillum et claves monasteriorum ac officinarum restituere teneantur et sint adstrictae, quodque moniales vel sorores praedictae nisi de vicarii seu visitatoris huiusmodi expressa licentia aliquam ad religionem vel professionem recipere et, nisi a praefato vicario seu visitatore pro idoneo reputatus fuerit, in eorum capellanum aliquem recipere seu receptum retinere praesumant; praeterea omnibus et singulis mulieribus dictis monialibus seu sororibus servientibus aut pro eis eleemosynas quaerentibus praesentibus et futuris, quod, quotiescumque pro parte abbatissarum huiusmodi requisitae fuerint, eorum monasteria cum consilio discretarum intrare et

(1) Reg. Lat. t. 442, f. 92; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 1, sed sub VI nonas martii.

nonnumquam etiam in praecipuis sollemnitatibus pro ipsarum consolatione licentia tamen ipsius desuper per eas a vicario provinciae obtenta cum ipsis monialibus seu sororibus comedere, quodque confessor monialium seu sororum huiusmodi vel alius frater eiusdem ordinis, ad hoc per vicarium provinciae huiusmodi pro tempore deputatus, in omnibus et per omnia iuxta formam et tenores privilegiorum ac concessionum eisdem monialibus vel sororibus eis quo ad ipsarum personas desuper a Sede praedicta seu alias quomodolibet concessorum in omnibus, praeterquam dictae Sedi casibus reservatis, quotiens fuerit opportunum, ipsarum servientium confessionibus diligenter auditis eis pro commissis excessibus, criminibus et delictis debitam absolutionem impendere et iniungere poenitentiam salutarem necnon ipsas servientes, si id humiliter petierint, a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quibus pro tempore innodatae fuerint, in forma ecclesiae consueta, iniunctis sibi pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, absolvere eisque eucharistiae, extremae unctionis sacramenta ecclesiastica ministrare libere et licite valeant, dioecesanorum locorum ac rectorum parochialium ecclesiarum et cuiuscumque alterius licentia super hoc nullatenus requisita, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgenus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, nonis martii, ... anno I.

1177. Adae de Os, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1448, martii 13, Romae.

Dilecto filio Adae de Os, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos te, qui, ut asseris, ordinis fratrum Minorum expresse professus ac conventus dicti ordinis in insula Hollandiae custos exsistis, et pro quo dilectus filius nobilis vir Philippus, dux Burgundiae, asserens te dilectum suum capellanum fore, Nobis super hoc humiliter supplicavit, praemissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, ipsius ducis ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi ut quodcumque beneficium ecclesiasticum ... commendari possit, tuque illud recipere et in huiusmodi commendam retinere necnon fructus, redditus et proventus beneficii huiusmodi ... in tuos et illius usus convertere ... libere liciteque valeas, auctoritate apostolica concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, III idus martii, ... anno I.

1178. Iohanni Fasseris, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum in dioecesi Remensi (2).

1448, martii 13, Romae.

Dilecto filio Iohanni Fasseris, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos te, qui, ut asseris, ordinem fratrum Minorum expresse professus exsistis, et pro quo dilectus filius Nobilis vir Ludovicus de Luxemburgo, comes de Sanitpol, asserens te dilectum suum capellanum et confessorem fore, Nobis super hoc humiliter supplicavit, praemissorum meritorum tuorum intuito favore prosequi gratioso volentes, ipsius comitis ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum ... in provincia, civitate et dioecesi Remensi ... tibi per te, quoad vixeris, tenendum ... alias rite commendari possit, tuque illud recipere et in huiusmodi commendam retinere necnon fructus, redditus et proventus *etc.* libere liciteque valeas, auctoritate apostolica concedimus per praesentes, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, III idus martii, ... anno I.

1179. Statuit, ne fratres conventus Brugen. (Brugge), Tornacen. dioec., O. F. M., a fratribus de observantia expelli possint (3).

1448, martii 14, Romae.

Dilectis filiis guardiano et conventui domus S. Francisci Brugen., ordinis fratrum Minorum, Tornacen. dioec.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta *etc.* Sane pro parte vestra exhibita petitio continebat, quod, licet vos et pro tempore exsistentes dictae domus fratres ab eiusdem domus fundatione citra in ipsa domo laudabiliter vixeritis, missas et alia officia divina devotissime et diligenter celebrando, ita quod nedum incolae et habitatores Brugen., sed etiam alii christifideles Hispaniae, Italiae et aliarum de diversis mundi

(1) Reg. Lat. t. 442, f. 90 v.
(2) Reg. Lat. t. 436, f. 125 v.
(3) Reg. Vat. t. 387 f. 36 v. — De domo Brugen. O. F. M. cf. supra n. 579, p. 271.

partibus inibi confluentium nationum singularem ad vos et conventum vestrum gerant devotionis affectum ibique sepulturas eligant et alia charitativa opera vobis impendant, et, sicut eadem petitio subiungebat, in eadem domo insigne theologiae et liberalium artium ferventissimum studium, ad quod diversarum nationum studentes confluunt, et in quo per egregios magistros, baccalaureos et studentes in eadem theologia legendo, regendo et studendo continuum fit exercitium, institutum esse noscatur: tamen, quia per nonnullos dicti ordinis fratres de observantia nuncupatos vigore quarumdam litterarum seu privilegiorum per fel. rec. Eugenium papam IV, praedecessorem Nostrum, eisdem fratribus de observantia concessarum de dicta domo expelli, inquietari et molestari formidatis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis cum opportuno defensionis praesidio assistere et alias super his providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, de praemissis fide dignorum relatibus plenius informati, vos et fratres, qui in dicta domo pro tempore commorabuntur, sub Nostra et Sedis Apostolicae ac generalis et provincialis ministri et aliorum praelatorum dicti ordinis obedientia, et dum secundum dicti ordinis et conventus regularia instituta religiose vixeritis, in dicta domo remanere nec expelli vel a quoquam turbari vel inquietari posse et debere auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium decernimus, constituimus et ordinamus; non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie idus martii, ... anno I.

1180. Fratribus domus de Ath, in comitatu Hannoniae, Cameracen. dioec., O. F. M. de observ., concedit, ut ecclesia domus praedictae consecrari valeat cum amotione ecclesiasticae immunitatis (1).

1448, martii 14, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus oppidi de Ath, in comitatu Hannoniae, ordinis fratrum Minorum de observantia, Cameracen. dioec.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Cum itaque, sicut exhibita nuper Nobis pro parte vestra petitio continebat, licet ecclesia vestrae domus oppidi de Ath in Hannonia, Cameracen. dioec., in qua sub regulari ipsius ordinis observantia degere noscimini, pro parte constructa et aedificata exsistat, tamen ipsa ecclesia cum eius coemeterio nondum consecrata exsistit, ac dilecti filii incolae et habitatores dicti oppidi, attendentes, quod sub confidentia libertatis seu immunitatis ecclesiarum nonnumquam gravia et enormia mala atque delicta perpetrantur, ecclesiam ipsam consecrari non permittant, nisi illa ad instar parochialis ecclesiae dicti oppidi noviter constructae et consecratae, videlicet cum amotione ecclesiasticae immunitatis, consecretur, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, huiusmodi ac dictorum incolarum et habitatorum etiam Nobis super hoc humiliter supplicantium in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, quod per quemcumque catholicum antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem ecclesiam et coemeterium huiusmodi absque immunitate praedicta, alias tamen in forma ecclesiae consueta, consecrari ac omnia et singula in praemissis circa ea necessaria fieri et exsequi facere valeatis, dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia super hoc minime requisita, iure tamen *etc.* auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae indulgemus, decernentes ex nunc, quod pro nulla ecclesiastica vel laicali persona cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerit, pro quocumque debito seu delicto aut civili seu criminali facto vel causa ad domum fratrum illiusve ecclesiam seu coemeterium huiusmodi, postquam ecclesia ac coemeterium praedicta consecrata fuerint, pro tempore confugiens cuiusvis immunitatis privilegio se tueri et defendere possit, quodque pro tempore confugiens huiusmodi per alios, ad quos spectat, etiam per saeculares iudices vel alios eorum superiores ac per deputatos libere et licite absque alicuius poenae incursu in domo fratrum illiusque ecclesia et coemeterio huiusmodi capi et etiam violenter abinde extrahi possit et valeat, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie idus martii, ... anno I.

1181. Mandat, ut fratres et sorores III. O. S. Fr. sub cura fratrum domus S. Spiritus, O. F. M. de observ., Ferrarien., degentes defendat, iuxta formam litterarum Eugenii IV (2).

1448, martii 14, Romae.

Venerabili fratri episcopo Ferrarien.

Romani pontificis providentia circumspecta *etc.* Dudum siquidem a fel. rec. Eugenio papa IV, praedecessore Nostro, litterae emanarunt tenoris subsequentis:

(1) Reg. Lat. t. 436, f. 87; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 3.

(2) Reg. Vat. t. 407, f. 8.

Eugenius episcopus etc.

Venerabili fratri Iohanni, episcopo Ferrarien.

Cum de fraternitatis tuae prudentia *etc. (ut supra n. 987, p. 484).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, idibus aprilis, ... anno XVI.

Nos igitur, praemissa attente considerantes ac de laudabili vita dictorum fratrum per fide digna testimonia plenam notitiam habentes omnesque lites et causas inter Christophorum de Perusio et fratres praedictos ad Nos advocantes et penitus exstinguentes ac omnia praedicta in litteris praefati Eugenii praedecessoris contenta approbantes et illibata persistere decernentes, fraternitati tuae committimus et mandamus, quatenus fratres et sorores praefatos dicti tertii ordinis sub cura et regimine dictorum fratrum domus S. Spiritus, ordinis S. Francisci, extra muros Ferrarien., manuteneas et defendas ac manuteneri et defendi facias. Nos enim eidem fraternitati tuae eamdem supradictam, quam ipse Eugenius, praedecessor Noster, dicto Iohanni, praedecessori tuo, concessit, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, non obstantibus *etc.* omnibus praedictis et quae idem Eugenius voluit non obstare ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie idus martii, ... anno I.

1182. Guardiano domus de Vico (Vic), Meten. dioec., O. F. M. de observ., concedit licentiam recipiendi locum oblatum in civitate Meten. (1).

1448, martii 16, Romae.

Dilecto filio guardiano domus loci de Vico, ordinis fratrum Minorum de observantia regulari, Meten. dioec.

Inter cetera desiderabilia cordis Nostri *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet tibi et tuo ordini fratrum Minorum de observantia regulari per nonnullos notabiles cives civitatis Meten. oblatus sit certus locus in eadem civitate pro erigenda domo et ecclesia cum campanili, campanis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione ordinis tui fratrum de observantia regulari, ad quos cives ipsi non modicam gerunt devotionem, nihilominus locum huiusmodi obstantibus tibi et ordini praefato nonnullis Martini papae V litteris (2), in quibus, cavetur, quod singula tam de observantia quam etiam fratrum Minorum domus et loca per quinque leucas sive quindecim milliaria distare debeant, ita videlicet, quod, si in aliqua civitate, terra, castro, villa vel loco quocumque aliqua domus, conventus sive locus fratrum Minorum vel alicuius ex dictis ordinibus in huiusmodi civitate, terra, castro, villa vel loco, in quo seu qua domus huiusmodi ordinis iam fundata fuerit, et deserviatur inibi laudabiliter in divinis, nec prope per quinque leucas seu quindecim milliaria alius conventus seu domus vel locus pro fratribus eiusdem ordinis, etiam de observantia, apostolica etiam vel alia quacumque auctoritate sub quacumque verborum forma eis concedatur, de novo fundari, construi aut iam fundata recipi possit, et districtius inhibetur sub excommunicationis sententia sive poena universis fratribus ordinum praedictorum, etiam de observantia, necnon aliis ecclesiasticis seu saecularibus personis, ne contra statutum et ordinationes eorum huiusmodi aliquid attentare audeant vel praesumant, ac Bonifatii papae VIII, Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, locum oblatum huiusmodi pro usu et habitatione dictorum fratrum acceptare ausus minime fuisti, nisi ad id tibi Apostolicae Sedis licentia suffragaretur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, in praefata civitate Meten. non sit alia domus ordinis et observantiae praedictorum, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi locum oblatum huiusmodi in dicta civitate Meten. recipiendi necnon ibidem domum et ecclesiam cum campanili ... et aliis necessariis officinis huiusmodi pro perpetuis usu et habitatione fratrum ordinis et observantiae praedictorum fundari, construi et aedificari faciendi dioecesani loci aut eiusdem ordinis superioris licentia super hoc minime requisita auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et insuper universis et singulis dicti ordinis fratribus, quos in fundanda domo pro tempore residere contigerit, ut omnibus et singulis indulgentiis ... uti et gaudere libere liciteque valeant, auctoritate praefata concedimus per praesentes, iure tamen *etc.* non obstantibus quibuscumque. Cupientes igitur, ut praesentes Nostrae litterae debitum sortiantur effectum, venerabilibus fratribus Nostris Meten. et Syracusan. episcopis ac dilecto filio abbati monasterii S. Vincentii Meten. ... mandamus, quatenus ipsi ... tibi in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, si locus ipse tibi concedi contigerit, te vel procuratorem tuum

(1) Reg. Lat. t. 436, f. 152 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 4.

(2) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1860, p. 723.

tuo nomine in corporalem possessionem dicti loci inducant et defendant *etc.* contradictores *etc.*, Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XVII kal. aprilis, ... anno I.

1183. Episcopo Bisacien. (Bisaccia) mandat, ut Philippum de Serra, O. F. M., monasterio B. Mariae de Sergo, O. S. Ben., Ampurien. dioec., praeficiat in abbatem [1].

1448, martii 19, Romae.

Venerabili fratri episcopo Bisacien.

Sollicitae considerationis indagine *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, monasterium beatae Mariae de Sergo, ordinis S. Benedicti, Ampurien. dioec., cui quondam Antonius, olim ipsius monasterii abbas, dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Antonii, qui iam septem annis elapsis extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad praesens, licet dilectus filius Guido de Fagnis, qui se gerit pro professore ordinis fratrum Minorum, temeritate propria absque canonica de persona sua eidem monasterio facta provisione se ipsius monasterii abbatem nominare praesumat, illius regimini et administrationi non tamen se intromittendo, Nos, cupientes ... eidem monasterio de persona utili et idonea ... provideri ac de meritis et idoneitate dilecti filii Philippi de Serra, eiusdem ordinis Minorum professoris, asserentis monasterium ipsum carere conventu, quodque cum animarum christifidelium illarum partium detrimento divinus inibi cessat cultus, ac propter illius fructuum tenuitatem nullus eiusdem ordinis S. Benedicti monachus de sui persona eidem monasterio post huiusmodi vacationem provideri curavit, cuique apud Nos de religionis zelo ... fide digna testimonia perhibentur, et pro quo etiam dilectus filius nobilis vir Franciscus Gilberti, baro et dominus loci de Anglona de Annagno, dictae dioec., asserens locum, in quo dictum monasterium consistit, suo temporali dominio subiectum exsistere, quodque ipse baro praefato Philippo in recuperandis bonis dicti monasterii, quorum aliqua alienata sunt, et ut in eo missae et alia divina officia celebrentur, ferventissime auxilia et favores impendet, Nobis super hoc humiliter supplicavit, certam notitiam non habentes, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... de meritis et idoneitate Philippi huiusmodi auctoritate Nostra te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ipsum ad regimen et administrationem dicti monasterii utilem et idoneum esse reppereris, ... de persona ipsius Philippi praefato monasterio, cuius fructus, redditus et proventus viginti quatuor florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, ... provideas ipsumque illi praeficias in abbatem, curam, regimen et administrationem *etc.*, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.* Et insuper praefato Philippo ... munus benedictionis impendas vel per alium catholicum antistitem ... impendi facias et procures. Volumus autem, quod idem Philippus ... illum gestet habitum, qui in dicto monasterio geritur et habetur ac illius institutis regularibus se conformet, quodque tu vel idem antistes, qui ipsi Philippo dictum munus impendet, ... ab eo Nostro et Romanae ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum recipias seu recipiat iuramentum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XIV kal. aprilis, ... anno II.

1184. Vicario et fratribus O. F. M. de observ. in insulis Canariis concedit licentiam recipiendi venientes ad ordinem, habendi unum locum maritimum in regno Portugalliae et permittendi fidelibus usum lacticiniorum diebus ieiunii [2].

1448, martii 29, Romae.

Dilectis filiis vicario et fratribus insularum dispersarum Canariae, ordinis fratrum Minorum de observantia.

Digna reddimur attentione solliciti *etc.* Cum itaque, ... licet quamplures zelo devotionis accensi, cupientes ob frugem melioris vitae ad vestrum ordinem fratrum Minorum transire *etc.* in insulis Canariae consistentibus permanere summopere desiderent, tamen pro eo, quod tu in aliena provincia extra dictas insulas ut plurimum commoraris, sic transire et vivere cupientibus, licet id a te humiliter requirant, habitum per dicti ordinis fratres gestari solitum exhibere et ab eis professionem per dictos fratres emitti solitam regulares recipere non potes, quodque fratribus in praedictis insulis commorantibus ob defectum victualium plurimum necessarium esset in regno Portugalliae aliquem locum maritimum, ... in quo aliqui ex eisdem fratribus morari et ad fratres in insulis commorantes necessaria transmittere valerent, ac, sicut eadem petitio subiungebat, in praedictis insulis oleum non reperiatur, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur,

---

[1] Reg. Lat. t. 448, f. 49.

[2] Wadd. ed. 2, t. XII (qui deinceps semper intenditur, nisi aliter notetur) *Reg. pont.* Nic. V, n. 1 « e l. 1 de regular. a. II, f. 228 ». Cf. supra n. 143, p. 73 et n. 523, p. 252.

attendentes multiplicem fructum, quem fratres dicti ordinis sub praedicta observantia viventes ubilibet in Dei ecclesia et praesertim in dictis insulis dietim afferunt et sunt verosimiliter allaturi, ac propterea illa tibi et successoribus tuis vicario vicariae dictarum insularum iuxta morem dicti ordinis, qui erunt pro tempore, ac eorum locatenentibus praedictis concedere volentes, per quae commodius et laudabilius in Domino possitis in dictis insulis iugibus proficere incrementis, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi et successoribus ac locatenentibus praedictis etiam in alternis provincia seu dioecesi extra vicariam huiusmodi omnes et singulos ad te vel illos venientes recipiendi ipsisque habitum exhibendi et ab eis professionem huiusmodi admittendi necnon ad praedictas insulas tecum aut secum ducendi ac transmittendi ac tibi et successoribus atque locatenentibus praedictis unum locum in regno Portugalliae, si illud vobis pia christifidelium largitione aut alias concedatur, ad instar vel ad similitudinem loci maritimi de Sanlucar in regno Castellae consistentis recipiendi et in eo tu et dicti successores ac locatenentes cum aliquibus ex fratribus praedictis morandi et inhabitandi necnon quibuscumque incolis et habitatoribus dictarum insularum ad Christi fidem pro tempore conversis et aliis in ipsis insulis pro tempore commorantibus, quod in quadragesimalibus et aliis ieiuniorum diebus lacticiniis uti libere et licite possint concedendi plenariam ... licentiam concedimus pariter et facultatem, iure tamen *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, IV kal. aprilis, ... anno II.

1185. Bernardo de Armanhiaco concedit facultatem fundandi monasterium O. S. Cl. in dioec. Lemovicen. (1).

1448, aprilis 1, Romae.

Dilecto filio nobili viro Bernardo de Armanhiaco, Marchiae, Castren. et Perdriaci comiti.

Pia devotorum Deo et ecclesiae desideria *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu, qui ad ordinem S. Clarae singularem geris devotionis affectum, ... de tua tuorumque progenitorum animarum salute recogitans, de bonis tibi a Deo collatis ad omnipotentis Dei laudem et gloriam ac dictae sanctae reverentiam aliquod in terris et dominiis tuis aut in dioec. Lemovicen. monasterium monialium ordinis S. Clarae cum ecclesia, campanili, campanis, claustro, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione aliquarum dicti ordinis monialium, quarum una abbatissa sit et censeatur, quae sub regulari eiusdem ordinis observantia perpetuo vivant, in loco ad hoc apto et congruo construere et aedificare ... propensius exoptes, apostolici favoris praesidium desuper expostulans, quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi monasterium huiusmodi cum ecclesia, campanili ... et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione monialium huiusmodi, quarum una sit et censeatur abbatissa, ut praefertur, construendi, fundandi et aedificandi seu fundari, construi et aedificari faciendi ordinarii loci seu cuiuslibet alterius licentia super hoc minime requisita plenam et liberam licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium elargimur. Et insuper abbatissae et monialibus in supradicto construendo monasterio pro tempore degentibus, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti, frui et gaudere libere liciteque valeant, eadem auctoritate concedimus per praesentes. Et nihilominus venerabili fratri episcopo Biterren. et dilectis filiis abbati de Daurato et praeposito monasterii Ransolien., collegiatarum et saecularium ecclesiarum Lemovicen. dioec., per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi ... praemissa omnia et singula, ubi, quando et quotiens eis expedire videbitur ac pro parte tua fuerint super hoc requisiti seu alter eorum fuerit super hoc requisitus, eadem auctoritate publicantes ac debite exsequentes, tibi efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittant te seu tuum procuratorem necnon artifices et operarios seu quoscumque alios pro praemissorum constructione et erectione quomodolibet pro tempore deputatos institutasque etiam pro tempore abbatissam et moniales in monasterio, ecclesia, domo et aliis praedictis erigendis eorumque circumstantiis per quoscumque, cuiusvis dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae et auctoritatis fuerint indebite gravari, impediri aut molestari seu eis iniurias, molestias et iacturas irrogari, praeterea legitimis per eos et quemlibet eorum super his habendis servatis processibus eos, quotiens expedierit, aggravare procurent, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, kalendis aprilis, ... anno II.

---

(1) Reg. Vat. t. 385, f. 265 v. De Bernardo de Armanhiaco cf. supra n. 8, p. 13, nota 9, et n. 685, p. 322.

1186. Decernit fratres domorum O. F. M. et sorores monasteriorum O. S. Cl. per (S.) Coletam reformatorum non comprehendi in litteris Eugenii IV, quibus fratres O. F. M. de observ. subiiciuntur vicariis (1).

1448, aprilis 4, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Regimini universalis ecclesiae disponente Domino praesidentes *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Bernardi de Armaniaco, Marchiae, Perdriaci et Castren. comitatuum comitis et universorum fratrum domorum ac dilectarum in Christo filiarum universarum sororum monasteriorum et locorum, fratrum Minorum et S. Clarae ordinum, in Burgundiae, Aquitaniae et diversis aliis partibus consistentium, per quondam Coletam, eiusdem S. Clarae ordinis sororem, ac partim eius operatione reformatorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet ipsi fratres et sorores cum domibus, monasteriis et locis praedictis generali ministro et aliis superioribus ordinariis eiusdem Minorum ordinis pro tempore exsistentibus, per quos et praefatam Coletam domus, monasteria et loca ipsa pro maiori parte fundata fuerunt, et nullis aliis a tempore fundationum huiusmodi semper et continue subesse ac obedire consueverint, prout subsunt et obediunt de praesenti, tamen nonnulli eiusdem Minorum ordinis professores de observantia nuncupati, asserentes sibi olim quasdam litteras tam a concilio Constantien. (2) quam a fel. rec. Eugenio papa IV (3), praedecessore Nostro, concessas fuisse et per illas se ipsorumque domos et loca sub certis modis et formis a ministro et superioribus ordinis Minorum huiusmodi, qui de observantia non vocantur, exemptos suisque ultramontano et citramontano vicariis ac illorum commissariis dumtaxat subiectos fore necnon fratres domorum et sorores monasteriorum ac locorum fundatorum et reformatorum huiusmodi sub litteris et exemptione praefatis includi, earumdem litterarum praetextu ipsos fratres domorum et sorores monasteriorum ac locorum fundatorum et reformatorum praedictorum per eosdem vicarios seu commissarios, quod illis subsint et obediant, quodque a ministri aliorumque superiorum ordinariorum praefatorum obedientia, ad quam tam ex professione propria quam iuxta regulares beati Francisci et eiusdem S. Clarae constitutiones aliorumque SS. Patrum antiqua statuta tenentur, omnino recedant etiam sub excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis aliisque ecclesiasticis censuris et poenis etiam invitos et in contrarium protestantes compellere praesumpserunt et dietim praesumunt in fratrum domorum et sororum monasteriorum locorum fundatorum et reformatorum praedictorum non modicam quietis et pacis perturbationem ac perniciosum exemplum et scandalum plurimorum. Quare pro parte comitis, se fundatorem nonnullorum ex domibus, monasteriis et locis reformatis huiusmodi, ac fratrum et sororum, se sub litteris et exemptione praefatis nequaquam comprehendi velle asserentium, praedictarum fuit Nobis humiliter supplicatum, ut pro ipsorum fratrum et sororum supplicantium animorum quiete ac scandalorum evitatione in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... attendentes, quod, etsi exemptio praedicta pro gratiae beneficio, quale sibi ex ea dicti fratres de observantia nuncupati reputant, habeatur, prospecta tamen ipsorum fratrum et sororum renitentia beneficium minime confertur in invitum, necnon adhibentes expositis huiusmodi tamquam informationi veridicae, intuitu praesertim excellentiae celebrisque famae dicti comitis, plenam fidem, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus, statuimus et ordinamus, quod fratres et sorores supplicantes ac domus, monasteria ac loca fundata et reformata huiusmodi necnon alia, si qua ordinum eorumdem in posterum per comitem, ministrum, superiores ordinarios praedictos ubilibet fundabuntur et reformabuntur, fratresque et sorores, qui degerint in eisdem, illi quoque ex ipsis fratribus supplicantibus, qui sororum supplicantium earumdem servitio deputati fuerunt hactenus, et alii, qui deinceps deputabuntur, sub litteris et exemptione praedictis nullatenus comprehendantur nec comprehendi debeant neque alicui ex vicariis seu commissariis praefatis tam praesentibus quam futuris subiecti vel subiecta exsistant nec eis obedire debeant quovis modo, seu ministro et superioribus ordinariis antedictis dumtaxat subesse et obedire teneantur, ita tamen, quod, si illorum aliqui vicariis seu commissariis vel e contra fratres de observantia nuncupati ministro et superioribus ordinariis huiusmodi subesse maluerint, liceat utrisque hinc inde transire pro animorum suorum pace atque quiete, de licentia tamen tam ministri et superiorum ordinariorum quam vicariorum vel commissariorum praedictorum,

(1) Reg. Vat. t. 385, f. 270. De Bernardo de Armaniaco cf. n. praec.

(2) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1362, p. 493.

(3) Vide supra n. 1007, p. 497.

qui eo casu licentiam ipsam sic transire volentibus concedere teneantur. Et insuper omnes et singulos fratres domorum et fratres monasteriorum et locorum fundatorum et reformatorum huiusmodi a sententiis, censuris et poenis praedictis, si forsan illis occasione praemissorum quomodolibet innodati exsistant, eadem auctoritate absolvimus, decernentes ex nunc omnes et singulos processus, excommunicationum, suspensionum et interdicti sententias ... irritos, irritas et inanes nulliusque penitus exsistere roboris vel momenti. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, pridie nonas aprilis, ... anno II.

1187. Fratribus O. F. M. de observ. in insulis maris circa Normanniae et Britanniae partes eremitarum more viventibus concedit facultatem utendi privilegiis fratrum O. F. M. de observ. (1).

1448, aprilis 5, Romae.

Dilectis filiis universis et singulis fratribus ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, sub obedientia dilecti filii Iohannis de Mauberto, eiusdem ordinis in partibus ultramontanis vicarii generalis, in insulis maris, in Franciae et Turoniae provinciis circa Normanniae et Britanniae partes velut eremitis et peregrinis degentibus.

Mentis *etc.* Hinc est, quod vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis et vestrum cuilibet et quamdiu in insulis maris, in Franciae et Turoniae provinciis circa Normanniae et Britanniae partes veluti eremitae et peregrini de licentia et consensu patronorum ac dominorum locorum seu insularum huiusmodi Altissimo exhibueritis famulatum, omnibus et singulis privilegiis ... frui et gaudere valeatis ac loca vestra valeant, constitutionibus ... nequaquam obstantibus ... indulgemus. Volumus tamen, quod per hoc nullum vobis ius in locis, in quibus vos pro tempore morari contigerit, contra dominos et patronos praedictos quomodolibet acquiratur. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, nonis aprilis, ... anno II.

1188. Tempus solvendi 5 florenos pro reparatione et ampliatione monasterii S. Trinitatis Valentin., O. S. Cl., ad lucrandam remissionem plenariam in articulo mortis pro pauperibus ad alium annum prorogat (2).

1443, aprilis 6, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Pastoris aeterni *etc.* Dudum siquidem per fel. rec. Eugenium papam IV, praedecessorem Nostrum, accepto, quod ad monasterium monialium S. Trinitatis, in capite pontis extra muros Valentin., sub regulari observantia B. Francisci viventium, culpa et negligentia quorumdam fratrum S. Trinitatis et redemptionis captivorum olim in illo degentium admodum collapsum et deformatum, et in quo nonnullae nobiles virgines tam regali prosapia quam nobili et militari genere procreatae sub regulari castimonia residebant, ob illarum exemplaris vitae frugem et sanctimoniam adeo christifidelium, miro quodam devotionis ardore allectorum, concursus nonnumquam exuberare consueverat, quod monasterium ipsum ac illius claustrum et ecclesia, quae plurimum arcta et angusta exsistebat, ad illorum receptionem nequaquam sufficerent, ac virgines praefatae monasterium cum illius claustro et ecclesia huiusmodi reparari ac ampliari et augeri ferventer optabant, atque ad peragenda ipsius monasterii facultates minime suppetebant, idem praedecessor omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus, qui ex tunc usque ad duos annos sequentes ad opus reparationis et ampliationis seu fabricae, structurarum et aedificiorum monasterii et ecclesiae huiusmodi quinque florenos, quorum quilibet undecim solidorum monetae illarum partium valoris exsisteret seu tantamdem in aliis bonis quantitatem ipsam bene valentibus illi, qui per charissimam in Christo filiam Nostram Mariam, reginam Aragonum illustrem, seu dilectas in Christo filias abbatissam et conventum praefati monasterii pro tempore deputatus foret, realiter et cum effectu darent seu persolverent aut alias per seipsos, si ad id apti exsisterent, seu alios similiter aptos propriis sumptibus per mensem laborarent, quod singuli confessores, quos singuli fideles praedicti, qui darent seu solverent aut laborarent, ut praefertur, duxerint eligendos, plenariam remissionem omnium peccatorum suorum ... semel tantum in mortis articulo eis sub certis modis et forma tunc expressis concedere possent, per suas litteras auctoritate apostolica duxit indulgendum, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictae reginae petitio continebat, quod in eisdem partibus sint quamplures christifideles adeo paupertate gravati, ut pro consequenda huiusmodi gratia et remissione dictos quinque florenos infra praefatos duos annos solvere commode nequeant, pro parte

(1) Wadd. t. XII *Reg. pont.* Nic. V, n. 2 « e l. 1 de regul. a. II., f. 118 ».

(2) Reg. Vat. t. 387. f. 49. — Cf. supra n. 979, p. 480; n. 1032, p. 515.

eiusdem reginae Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... volumus et eadem auctoritate decernimus, quod omnes et singuli christifideles huiusmodi, qui dictos quinque florenos infra duos annos praedictos forsan integre non solverint, dummodo infra unum annum post dictos duos annos computandum integre tradiderint et persolverint, gratia et indulto in favorem monasterii S. Trinitatis huiusmodi, ut praefertur, in omnibus et per omnia, alias iuxta dictarum litterarum continentiam atque formam, uti valeant pariter et gaudere. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, VIII idus aprilis, ... anno II.

1189. Bartholomaeae et Camillae, uxoribus Alberti et Iacobi Mariae de Bonacossis, civium Ferrarien., concedit licentiam sexies in anno ingrediendi clausuram monasterii Corporis Christi, Ferrarien., O. S. Cl. (1).

1448, aprilis 13, Romae.

Dilectis in Christo filiabus Bartholomaeae et Camillae, dilectorum filiorum Alberti et Iacobi Mariae de Bonacossis, civium Ferrarien., uxoribus.

Devotionis vestrae sinceritas promeretur *etc.* Hinc est, quod Nos, vestris supplicationibus inclinati, ut vos et quaelibet vestrum cum una matrona honesta monasterium Corporis Christi Ferrarien., ordinis S. Clarae, quibuscumque ... constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus sex vicibus in anno dumtaxat ingredi valeatis, dummodo earum, quae ipsi monasterio praefuerint, ad id accedat assensus, et vos dictaque matrona ibidem non comedatis vel etiam pernoctetis, vobis tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, idibus aprilis, ... anno II.

1190. Theodoricum Cursho, O. F. M., instituit episcopum Diocaesarien. (Diocaesarea in Isauria) (2).

1448, aprilis 15, Romae.

Dilecto filio Theodorico Cursho, electo Diocaesarien.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Ludovico, episcopo Diocaesarien., regimini Diocaesarien. ecclesiae praesidente, Nos, cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum ipsius Ludovici episcopi, qui extra Romanam curiam decessit, pastoris solatio destituta, Nos *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in presbyteratus ordine constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Volumus autem *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XVII kal. maii, ... anno II.

1191. Petrum de Medina, O. F. M., instituit episcopum Hipponen. (Hippo in Africa septentrionali) (3).

1448, aprilis 15, Romae.

Dilecto filio Petro de Medina, electo Hipponen.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Augustino, episcopo Hipponen., regimini Hipponen. ecclesiae praesidente, Nos, cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Augustini episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta Nos *etc.* demum ad te, ordinis Minorum professorem et theologiae lectorem, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Volumus autem *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XVII kal. maii, ... anno II.

1192. Bartholomaeum de Caponibus, O. F. M., instituit episcopum Cimbalien. (Cembalò, Balaklava in Chersoneso Taurica seu Crimea) (4).

1448, aprilis 15, Romae.

Dilecto filio Bartholomaeo de Caponibus, electo Cimbalien.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Leonardo, episcopo Cimbalien., regimini Cimbalien. ecclesiae praesidente, Nos, cupientes *etc.* Postmodum vero ecclesia praedicta per obitum eiusdem Leonardi episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta Nos *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XVII kal. maii, ... anno II.

Simili modo eodem die scribit *Capitulo ecclesiae Cimbalien.; Clero civ. et dioec. Cimbalien.; Populo civ. et dioec. Cimbalien.*

(1) Reg. Vat. t. 407, f. 126 v. — De monasterio Corporis Christi Ferrarien. cf. supra n. 1085, p. 548.

(2) Reg. Lat. t. 448, f. 97; Wadd. t. XII *Reg. pont.* Nic. V, n. 5.

(3) Reg. Lat. t. 448, f. 95; Wadd. t. XII, *Reg. pont.* Nic. V, n. 4. — Petrus de Medina, fortasse idem, de quo supra n. 521, p. 252.

(4) Reg. Lat. t. 448, f. 54 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 3.

1193. Fratribus O. F. M. de observ. concedit facultatem audiendi confessiones et administrandi sacram communionem (1).

1448, aprilis 15, Romae.

Dilectis filiis vicario generali ac provincialibus fratrum Minorum regularis observantiae ac quibuscumque vestri ordinis et observantiae per vos deputatis et deputandis confessoribus.

Dilecti filii, sal. Scimus populos civitatum, terrarum et locorum, apud quae loca habetis, exemplo allectos et inductos religiosae vitae, quam Domino concedente ducitis, libenter ad confitendum vobis et sacratissimam communionem de manibus vestris accipiendam confluere, unde, ut illis satisfacere valeatis, devotioni vestrae audiendi in confessionibus omnes quarumcumque dioecesium et in illis extraneos ac forenses absolvendi quoque etiam in casibus, quos dioecesani locorum, in quibus ad audiendum deputati estis, duxerint concedendos, et in omni, praeterquam in die resurrectionis Domini, praedictam sacratissimi Corporis dominici communionem dandi auctoritate apostolica concedimus per praesentes.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die XV aprilis 1448, anno II.

1194. Declarat statuta fratrum et sororum III. O. S. Fr. in Flandria, olim a Iohanne XXIII concessa et a Martino V et Eugenio IV confirmata (2).

1448, aprilis 17, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum universorum fratrum et dilectarum in Christo filiarum universarum sororum tertii ordinis de poenitentia nuncupati, quem beatus Franciscus instituit, in partibus Flandriae et praesertim in episcopatu Morinen. et in locis Furnis, Novoportu, Ypris, Popringis, Dixmude et Bergis, Morinen. dioec., degentium exposito bon. mem. Baldasari, episcopo Tusculano, tunc Iohanni XXIII in eius obedientia, de qua partes illae tunc erant, nuncupato, quod ipsi olim, ut quietius et salubrius animas suas Deo lucrifacerent, *etc. (Sequitur expositio et dispositio litterarum Iohannis XXIII* Personas vacantes *d. d. 26 aug. 1413, fere iisdem verbis, ut in Bull. Franc. t. VII, n. 1308, p. 471).* Et deinde bon. mem. Martinus papa V, similiter praedecessor Noster, per quasdam suas litteras (3) Baldasaris litteras praedictas innovans et sui scripti patrocinio muniens, statuta et ordinationes in dictis litteris contenta ad fratres et sorores in Morinen., de S. Audomaro, Hondescote et Dunkerken domibus praefatis pro tempore commorantes extendit ac secundum statuta et ordinationes praedicta ipsos perpetuo vivere decrevit et etiam ordinavit ac subsequenter fel. rec. Eugenius papa IV, etiam praedecessor Noster, per quasdam suas litteras (4), Martini praedecessoris litteras praefatas ac in eis contenta necnon quaecumque inde secuta rata habens et grata, ea omnia ex certa scientia confirmavit et approbavit, supplens similiter omnes defectus, si qui forsitan intervenissent in eisdem. Et nihilominus litteras ipsas ad nonnullas alias domus in Morinen., Tornacen., Cameracen. et Leodien. civitatibus ac dioecesibus tunc expressas illarumque fratres et sorores extendit ipsosque fratres et sorores dictarum domorum, civitatum et dioecesium earumdem in omnibus et per omnia, prout in ipsis litteris continebatur, vivere necnon regulam, ordinationes et dispositiones praefatas observare ac omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus et indultis per easdem litteras dictis fratribus et sororibus episcopatus Morinen. quomodolibet concessis et competentibus libere ac licite in omnibus ad instar dictorum fratrum et sororum uti et gaudere possent et valerent, concessit, prout in singulis litteris praedictis, quarum tenores de verbo ad verbum praesentibus haberi volumus prò insertis, plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum sororum domorum earumdem petitio continebat, in plerisque locis statutorum et ordinationum huiusmodi superiores nominentur, et ab aliquibus revocetur in dubium, quis in praemissis superior censeatur ac censeri debeat, et in illis nonnulla alia dubia ac difficultates subortae sint, pro parte earumdem sororum et quorumdam ex fratribus antedictis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut statuta et ordinationes praedicta ac omnia alia et singula in dictis litteris contenta et inde secuta approbare et confirmare illaque declarare necnon eis addere et alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, aucto-

(1) Wadd. *Ann.* ad a. 1468, *Suppl. Melissani* n. 2 « ex Spec., tract. 2 » ed. Venetiis 1513, f. 91 v.

(2) Reg. Vat. t. 387, f. 7. Agitur de fratribus et sororibus III. O. S. Fr. in civitatibus Furnes, Nieuport, Ypres, Poperinghe, Dixmude, Bergues, St. Omer, Hondschote, Dunkerque.

(3) Litteras Martini V. *Ex Apostolicae Sedis providentia* d. d. 19 iun. 1430 vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1891, p. 736.

(4) Litteras Eugenii IV *Ad apostolicae dignitatis apicem* d. d. 1 dec. 1436 vide supra n. 264, p. 121.

ritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium vicarium ordinis fratrum Minorum de observantia provinciae Franciae iuxta morem eiusdem ordinis et visitatorem eorumdem fratrum ac sororum per vicarium huiusmodi deputatum pro tempore exsistentem ipsorumque fratrum et sororum superiores, sine quorum consilio et licentia dicti fratres et sorores ac eorum ministri aliquem vel aliquam ad habitum et professionem eiusdem ordinis recipere vel receptum seu receptam ab ipso ordine reeiicere aut in illis aliquam iurisdictionem, potestatem, correctionem vel superioritatem exercere non possint, sint et esse censeantur ac censeri debeant ipsique vicarius vel visitator omnimodam potestatem habeant circa fratres et sorores praesentes et futuros dispensandi cum eis quantum ad ea, quae dispensatione indigent, in ipsorum regula vel eorum modo vivendi alias contenta, possintque eamdem facultatem aliis fratribus et sororibus discretis committere, secundum quod eis videbitur secundum Deum et conscientiam expedire, quodque ipsorum superior minister inantea perpetuis futuris temporibus per vicarium seu visitatorem praedictos pro tempore exsistentes vel alterum eorum et ministros conventuales ipsorum eligi, constitui et deputari debeat, illius electio et deputatio valeat et canonica sit et esse censeatur, quae a vicario seu a visitatore et ad minus a duobus aliis ministris conventualibus huiusmodi facta fuerit, ipsiusque superioris ministri officium tantum triennio duret, quo decurso idem superior minister ab officio suo huiusmodi absolutus sit et esse censeatur, ac nullus, praeterquam de fratribus ordinis et observantiae praedictorum, nec ab alio, quam a vicario antedicto, in eorum visitatorem deputari possit, quodque etiam omnes et singuli ministri conventuales et quaelibet magistra de vicarii tamen vel visitatorum praedictorum licentia fratres et sorores ad professionem recipere illisque habitum regularem exhibere libere ac licite possint ac valeant, declarantes, statuentes et decernentes ipsisque fratribus et sororibus praesentibus et futuris, quod horas canonicas in omnibus et per omnia iuxta morem et ritum fratrum ordinis et observantiae praedictorum singulis anni diebus et etiam in S. Elisabeth et S. Elzearii festivitatibus officium tamquam pro festo duplici dicere et cantare necnon in eorum capitulis quaecumque ordinationes et statuta, dum tamen honesta et rationabilia et sacris canonibus ac eorum regularibus institutis non obviantia, quae tamen fratres et sorores huiusmodi ad peccatum mortale non obligent, de novo edere, facere, corrigere et mutare illisque addere, quotiens eis pro salubri eorum statu videbitur expedire, dioecesanorum locorum licentia et consensu super hoc minime requisitis; praefatae quoque sorores velum portare possint et valeant, dummodo tamen hoc vicario vel visitatori videatur expediens ac honestum, et ab eis obtinuerint licentiam specialem, concedentes pariter et indulgentes, omnes quoque et singulas litteras praedictas ac quaecumque in eis contenta et inde secuta rata et grata habentes, ea omnia auctoritate et scientia praedictis approbamus et confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si forsan intervenerint in eisdem. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XV kal. maii, ... anno II.

1195. Andream Apostolicum, O. F. M., instituit archiepiscopum Antibaren. (Antivari in Epiro) (1).

1448, aprilis 19, Romae.

Dilecto filio Andreae Apostolico, electo Antibaren.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem provisiones *etc.* Cum itaque postmodum ecclesia Antibaren. ex eo, quod venerabilis frater Noster Petrus, in universali ecclesia episcopus, nuper Antibaren. archiepiscopus, hodie regimini et administrationi ipsius ecclesiae Antibaren., quibus tunc praeerat, per venerabilem fratrem Nostrum Gabrielem, episcopum Mothonen., procuratorem suum ad hoc ab eo speciacialiter constitutum, in manibus Nostris sponte et libere cessit, Nosque cessionem huiusmodi duximus admittendam, vacaverit et vacet ad praesens, Nos, ad provisionem ipsius ecclesiae celerem *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, religionis zelo conspicuum *etc.* teque illi praeficimus in archiepiscopum et pastorem, curam *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIII kal. maii, ... anno II.

Simili modo eodem die scribit *Capitulo eccles. Antibaren.; Clero civ. et dioec. Antibaren.; Populo civ. et dioec. Antibaren.; Universis suffraganeis eccl. Antibaren.*

(1) Reg. Lat. t. 448, f. 52; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 6.

1196. Committit decisionem litis inter presbyteros clerumque castri Montis regalis, Reatin. dioec., et fratres domorum O. Erem. S. Aug. et O. F. M. eiusdem castri (1).

1448, aprilis 19, Romae.

Dilecto filio Petro Paulo Mathii, canonico Reatin., utriusque iuris doctori.

Humilibus supplicum votis *etc.* Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum prioris S. Augustini, Eremitarum dicti sancti, et guardiani S. Francisci, castri Montis regalis, Reatin. dioec., Minorum ordinum, domorum ac fratrum eorumdem Nobis exposito, quod dilecti filii presbyteri et clerus eiusdem castri eos super canonica portione, quam dicti presbyteri et clerus ab eisdem priore, guardiano et fratribus extorquere satagebant, multipliciter molestarant et inquietarant, Nos venerabili fratri Nostro Mathiae, episcopo Reatin., per Nostras litteras in forma brevis commisimus, ut praefatos presbyteros et clerum sub gravissimis censuris moneret, quod ab huiusmodi molestationibus et inquietationibus penitus se abstinerent nec quidquam contra dictos priorem, guardianum et fratres in ea re innovarent, sed ita omnino provideret, quod ipsis priori, guardiano et fratribus occasio non daretur super praemissis ulterius conquerendi, et deinde, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictorum prioris, guardiani et fratrum petitio continebat, praefatus episcopus, aliis forsan occupatus negotiis, dilectum filium Franciscum de Perusio, vicarium suum, in causa huiusmodi subdelegavit, qui ex abrupto in ea procedens suam, per quam dictos priorem, guardianum et fratres non indebite neque iniuste a praefatis presbyteris et clero super canonica portione huiusmodi molestari ipsosque fratres ad eamdem canonicam portionem praefatis presbyteris et clero teneri declaravit, sententiam promulgavit iniquam, a qua pro parte dictorum prioris, guardiani et fratrum fuit ad Sedem Apostolicam appellatum et causa appellationis huiusmodi coram dilecto filio magistro Ludovico de Garsiis, capellano Nostro et causarum curiae camerae apostolicae generali auditore, exstitit legitime introducta, qui in ea procedens ad litteras citatorias exsecutioni postmodum demandatas in forma solita ad partes dicitur devenisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, sententia ipsa non receptis probationibus super consuetudine de huiusmodi canonica non solvenda per ipsos priorem, guardianum et fratres allegata ac ex abrupto, ut praemittitur, lata fuerit, necnon de consuetudine ipsa et meritis causae huiusmodi melius et commodius in eisdem partibus quam in Romana curia liquere possit, ipsique prior, guardianus et fratres, quorum facultates ad subeundas expensas in huiusmodi causa necessarias non sufficiunt, magis contemplationi insistere, quam litibus involvi desiderent, pro parte dictorum prioris, guardiani et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut appellationum a dicta iniqua sententia pro eorum parte interpositarum, nullitatis et iniustitiae eiusdem sententiae causas, coram eodem auditore introductas, ad Nos advocare illasque alicui probo viro in partibus illis committere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis presbyteris et clero praedictis et aliis, qui fuerint evocandi, causas huiusmodi in statu debito resumens, illas summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta per te ipsum ultimus audias et appellatione remota debito fine decidas, faciens, quod decreveris *etc.* Testes autem *etc.* Et nihilominus, si per huiusmodi litis eventum tibi legitime constiterit, quod dicti prior, guardianus et fratres de antiqua et approbata ac a tanto tempore, cuius contrarii memoria hominum non exsistit, observata consuetudine canonicam portionem huiusmodi presbyteris et clero praedictis minime persolverint, per tuam definitivam sententiam, a qua per neutram partium appellari possit, ipsos priorem, guardianum et fratres ab eorumdem presbyterorum et cleri impetitione absolvas ipsisque presbyteris et clero super huiusmodi portione canonica perpetuum silentium imponas, non permittens eosdem priorem, guardianum et fratres per dictos presbyteros et clerum super eadem portione canonica in futurum quomodolibet molestari, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIII kal. maii, ... anno II.

1197. Magistro Petro Martini de Caveisrubeis, capellano suo, mandat, ut Natali Garces, presbytero Valentin. dioec., baccalaureo in decretis, conferat « parochialem ecclesiam SS. Gervasii et Protasii, Barchinonen. dioec., quae de iure patronatus laicorum esse dicitur, et ad quam, dum vacat, illius patronus personam idoneam, in qua abbatissa monasterii de Pedralbes, O. S. Cl., eiusdem Barchinonen. dioec., pro tempore exsistens consentire debet, praesentare tenetur » (2).

1448, aprilis 23, Romae.

Litterarum scientia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, IX kal. maii, ... anno II.

(1) Reg. Vat. t. 407, f. 25 v.

(2) Reg. Lat. t. 451, f. 69. Cf. supra n. 1051, p. 529.

1198. Nicolao de Buscheto, O. S. Ben., ac Ludovico Capharello, ministro provinciae Ianuen., O. F. M., et Ambrosio de Flisco, O. F. M., mandat, ut monasterium S. Leonardi de Ianua, O. S. Cl., visitent et reforment ac Orietam, eiusdem monasterii vicariam, officio privent (1).

1448, maii 4, Romae.

Dilectis filiis priori S. Nicolai de Buscheto, ordinis S. Benedicti, extra et prope urbem Ianuam, Ludovico Capharello, sacrae paginae professori, ordinis Minorum provinciae Ianuae ministro, et Ambrosio de Flisco, dicti ordinis, sacrae etiam paginae professori.

Ex debito pastoralis officii vigilem curam *etc.* Sane fide dignorum relatione ad Nostrum pervenit auditum, quod sorores et moniales quaedam monasterii S. Leonardi de Ianua, ordinis S. Clarae, laxatis suae regulae atque honestatis habenis, immemores eorum, quae Altissimo promiserunt, dyscolam et dissolutam ducunt vitam in magnum dedecus et vituperium religionis et ordinis ac animarum suarum iacturam et scandalum plurimorum, imprimis tamen Orieta, vicaria, quae non parva omnium praedictorum causa esse dicitur, per singulos fere dies cum saecularibus presbyteris conversatur et, cum saepenumero a sua abbatissa et a ministro provinciali vestri ordinis fuerit monita, ac per censuras ecclesiasticas monita, ne tam frequentem conversationem cum dictis presbyteris haberet, contempsit huiusmodi monitiones, se dicens esse summi pontificis vicariam, cui nec praedictus minister nec abbatissa aliqualiter superiores exsistunt. Nos igitur, cupientes, ut dictum monasterium debite reformetur, devotioni vestrae, de quorum prudentia, vitae honestate et ceteris virtutibus specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad ipsum monasterium personaliter accedentes dictam Orietam primo vicariatu privetis, prout Nos etiam praesentium tenore privamus, deinde super praemissis et aliis, de quibus vobis expedire videbitur, monasterium praedictum auctoritate Nostra visitetis tam in capite quam in membris, et habentes prae oculis solum Deum inquiratis diligentius veritatem, et si per huiusmodi inquisitionem praemissa inveneritis veritate fulciri, dyscolas praedictas privetis, corrigatis, carceretis et alia faciatis, quae secundum Deum et iustitiam pro bona dicti monasterii reformatione et secundum ipsarum monialium regulam et constitutiones et illius monasterii laudabilem consuetudinem, super quo vestras conscientias oneramus, iudicabitis expedire. Nos enim praedicta faciendi et insuper, ut praestantibus eisdem monialibus male vivendi favorem aut alias occasionem exhibentibus via praecludatur, omnibus et singulis sive saecularibus clericis sive religiosis, de quibus vobis videbitur, ne ad dictum monasterium accedant, sub ecclesiae censuris inhibendi, contradictores ... compescendo, invocato ... brachio saeculari, constitutionibus ... non obstantibus quibuscumque, auctoritate apostolica concedimus per praesentes. Quod si non omnes simul potueritis, duo vestrum praedicta exsecutioni debitae valeant demandare.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, IV nonas maii, ... anno II.

1199. Francisco, duci Britanniae, cuius confessor est Petrus Renys, O. F. M., concedit confessionale et alia privilegia (2).

1448, maii 13, Romae.

Dilecto filio nobili viro Francisco, duci Britanniae.

Provenit ex tuae devotionis affectu *etc.* Hinc est, quod Nos, tuis supplicationibus inclinati, ut dilectus filius Petrus Renys, ordinis fratrum Minorum professor, qui, ut asseritur, confessor tuus exsistit, te et singulas viginti personas saeculares, de nobili genere procreatas, utriusque sexus de domo et familia tua, quas ad id duxeris eligendas, ab omnibus peccatis, criminibus, delictis et excessibus, nisi talia sint, propter quae Sedes Apostolica sit merito consulenda, quotiens fuerit opportunum, necnon te ab excommunicationis maioris, suspensionis, interdicti, aliisque sententiis et censuris ecclesiasticis ... semel anno quolibet ac etiam te plenarie semel in vita teque et personas easdem semel in mortis articulo confessionibus vestris auditis absolvere et pro commissis vobis poenitentiam salutarem iniungere, vota vero peregrinationis et abstinentiae, si qua emisistis, quae commode servare non possitis, ultramarino, beatorum Petri et Pauli atque Iacobi apostolorum votis dumtaxat exceptis in alia pietatis opera commutare possit et debeat. Et si forsan contingat te extra tuum ducatum Britanniae ad quascumque alias partes transferri, tu cum omnibus et singulis personis tecum tunc exsistentibus inibi diebus quadragesimalibus et rogationum butyro et aliis lacticiniis, quemadmodum in dicto ducatu faceres, quando et uti tibi placuerit, vesci

(1) Reg. Lat. t. 451, f. 222. Cf. supra n. 980, p. 481. cf. supra n. 1136, p. 577.

(2) Reg. Vat. t. 387, f. 33. — De Petro Renys

libere et licite valeas, tibi et confessori ac personis praefatis apostolica auctoritate tenore praesentium indulgemus. Volumus autem, quod, si alicui propter praemissa satisfactio fuerit impendenda, illam debite faciatis, quodque, ne ad illicita imposterum committenda reddamini procliviores, si aliqua ex confidentia huiusmodi indulti commiseritis, praesentes litterae quoad illa vobis nullatenus suffragentur. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, III idus maii, ... anno II.

1200. Concedit continuationem fabricae monasterii O. S. Cl. in villa de Corbeya, Ambianen. dioec., et instituit exsecutores, qui monasterium et sorores a molestationibus defendant (1).

1448, maii 18, Romae.

Dilecto filio Petro de Syaco, ordinis fratrum Minorum professori.

Devotionis tuae sinceritas promeretur *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim quarumdam fel. rec. Eugenii papae IV, praedecessoris Nostri, per eum desuper concessarum litterarum et licentiae vigore quoddam monasterium ordinis S. Clarae pro usu et habitatione nonnullarum eiusdem ordinis monialium sive sororum, quarum una esset et censeretur abbatissa, et quae omnes sub observantia seu regulari institutione quondam devotissimae et religiosissimae Dei famulae Coletae de Corbeya, sororis professae ipsius ordinis, viverent, ex pia nonnullorum Deo et eidem ordini devotorum operatione et industria de piis ipsorum et aliorum christifidelium suffragiis et eleemosynis in villa de Corbeya, Ambianen. dioec., in loco ad hoc apto et congruo fundari, erigi, construi et aedificari notabiliter inceptum fuit, sed obstantibus gravibus et diversis impedimentis, per dilectos filios abbatem et conventum monasterii de dicta villa ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, fabricae huiusmodi, licet ex iniusta et irrationabili causa, etiam contra formam litterarum et licentiae praedictarum, diutius illatis, ipso pro tempore interrupto dictum inchoatum monasterium ad optatum perduci non valuit complementum. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tu, qui, ut asseris, universorum per eamdem Coletam reformatorum dicti ordinis S. Clarae monasteriorum per dilectum filium generalem ordinis fratrum Minorum ministrum deputatus visitator exsistis, cupias atque speres coadiuvante Domino, ad cuius laudem et gloriam bona haec omnia peraguntur, sublatis impedimentis eisdem praefatum inceptum monasterium ex similibus fidelium, terrena in caelestia et transitoria in aeterna commutare pie desiderantium, amplis suffragiis, oblationibus et eleemosynis feliciter celeriterque compleri et propter interruptionem huiusmodi necnon subsecutum eiusdem praedecessoris obitum ac certas alias causas dubites litteras et licentiam antedictas exspirasse, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut inchoatas fundationem et erectionem, constructionem et aedificationem monasterii huiusmodi cum ecclesia, campanili, campana, claustro, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione monialium sive sororum ex suffragiis, oblationibus et eleemosynis huiusmodi ulterius fieri, continuari et usque ad debitum et totalem perfectionem inclusive compleri faciendi licentiam tibi concedere ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... litterarum praedecessoris huiusmodi tenorem praesentibus pro sufficienter expressis habentes ac illarum vigore, ut praemittitur, inchoatas fundationem, erectionem, constructionem et aedificationem huiusmodi auctoritate apostolica harum serie approbantes et confirmantes, tibi et successoribus tuis dictorum monasteriorum reformatorum visitatoribus, qui erunt pro tempore, illas cum ecclesia, campanili... pro usu et habitatione monialium sive sororum ex suffragiis, oblationibus et eleemosynis huiusmodi ulterius fieri, continuari et usque ad debitam et totalem perfectionem inclusive compleri faciendi, ut praefertur, ordinarii loci seu cuiuslibet alterius licentia super hoc minime requisita plenam et liberam licentiam auctoritate praedicta tenore praesentium elargimur. Et insuper abbatissae et monialibus ..., ut omnibus et singulis privilegiis ... uti ... valeant, eadem auctoritate concedimus per praesentes. Et nihilominus venerabilibus fratribus Nostris Biterren. et Salubrien. episcopis ac dilecto filio praeposito ecclesiae monasterii Rosilien., Lemovicen. dioec., per apostolica scripta mandamus, quatenus... praemissa omnia et singula, ubi, quando et quotiens expedire videbitur, ac pro tua dictorumque successorum parte super hoc requisiti ... fuerint, eadem auctoritate sollemniter publicantes ac debite exsequentes tibique efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittant te aut eosdem successores seu tuos et illorum procuratores et artifices et operarios seu quoscumque alios ad constructionem et aedificatio-

(1) Reg. Vat. t. 387, f. 25. — De S. Coleta cf. supra n. 1186, p. 603.

nem quomodolibet deputatos, sive etiam abbatissam et moniales seu sorores praedictas institutas pro tempore super fundatione, erectione, constructione et aedificatione illarumque continuatione et perfectione aut etiam monasterio, postquam, ut praemittitur, completum fuerit, huiusmodi seu aliquibus eorum circumstantiis per quoscumque, cuiusvis dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae et auctoritatis fuerint, indebite gravari, perturbari, vexari aut quomodolibet molestari seu eis iniurias vel iacturas irrogari. Praeterea legitimis per eosdem episcopos et praepositum ac eorum quemlibet super his habendis servatis processibus eos, quotiens expedierit, aggravare procurent, contradictores *etc.*, invocato *etc.* Ut autem quorumlibet, si qua, quod absit, in praemissis fiet oppositio, digne, ut congruit, plectatur rebellio, volumus, quod omnes et singuli, cuiuscumque etiam dignitatis, status, gradus, ordinis aut conditionis exstiterint, qui Nostris praesentibus litteris ac in eis contentis contumaciter parere recusaverint, necnon tibi aut successoribus seu procuratoribus vel artificibus, operariis seu aliis pro continuatione et perfectione erectionis, constructionis, aedificationis inchoati monasterii pro tempore deputatis, aut abbatissae et monialibus seu sororibus institutis huiusmodi publice vel occulte, directe vel indirecte, impedimenta seu perturbationes irrogare praesumpserint, canonica monitione praemissa excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, a qua, nisi postquam plenarie resipuerint, ab alio, quam a Romano pontifice aut de eius speciali licentia, praeterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium nequeant obtinere. Non obstantibus *etc.* Seu ne iudices *etc.* Aut si abbati *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XV kal. iunii, ... anno II.

1201. Pergamen. et S. Martini de Nimbro, Vallis Serianae inferioris, Pergamen dioec., ecclesiarum archipresbyteris ac Iacobo de Ravertis, canonico Pergamen., mandat, ut Iacobo de Cavaneis de villa Lemine, canonico Pergamen., conferant capellaniam ad altare annuntiationis S. Mariae Virginis in ecclesia Pergamen., ad quam nonnullis annis iam decursis bonae mem. Franciscus, episcopus Pergamen., forsan propter penuriam sacerdotum, qui eidem ecclesiae in divinis deservirent, capellaniam ipsam, ut videbatur, dividendo, Nicolaum de Pergamo et quondam Henricum de Laude, O. F. M., ad deserviendum ipsi capellae deputaverat, vacantem per renuntiationem dicti Nicolai etc. (1).

1448, mali 20, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIII kal. iunii, ... anno II.

1202. Iohanni Theobaldi de Bellomonte, O. F. M., concedit licentiam recipiendi beneficium ecclesiasticum (2).

1448, mali 24, Romae.

Dilecto filio Iohanni Theobaldi de Bellomonte, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos te, qui presbyter es et, ut asseris, ordinem fratrum Minorum expresse professus exsistis ac in facultate theologiae secundum morem conventuum eiusdem ordinis per quinquennium legisti et conventus Virodunen. guardianus per sex, necnon provinciae Lotharingiae custos atque visitator per tres, et in dicto ordine praedicator et sacerdos exsistens per viginti sex et ultra annos fuisti honeste vivendo ac labores huiusmodi ulterius commode perferre non vales, praemissorum meritorum tuorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut quodcumque saeculare aut regulare ordinis et taxae seu annui valoris cuiuscumque, cum cura vel sine cura, beneficium ecclesiasticum ... tibi, quoad vixeris, commendari possit et tu illud etiam recipere et similiter, quoad vixeris, in commendam retinere ... valeas, quibuscumque apostolicis constitutionibus ... non obstantibus ... de speciali gratia indulgemus. Volumus autem *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, IX kal. iunii, ... anno II.

1203. Concedit licentiam exsequendi mandatum Alphonsi, regis Aragonum, circa bona abbatissae et priorissae monasterii S. Luciae de Fulgineo, ab eis Sulmonae relicta (3).

1448, mali 24, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Capistrano, ordinis Minorum professori.

Dilecte fili, sal. Exponi fecerunt Nobis dilectae in Christo filiae Margarita, abbatissa, et Alexandrina de Lecto, priorissa monasterii monialium de observantia S. Luciae de Fulgineo, quod, cum ipsae olim reliquissent certas earum res in Sulmona, quae postea fuerunt per alios oc-

(1) Reg. Lat. t. 451, f. 232. — De Henrico de Laude cf. supra n. 879, p. 425.

(2) Reg. Vat. t. 407, f. 114v.

(3) Ex originali in archivo Capistrani asservato. — De monasterio S. Luciae de Fulgineo cf. supra n. 973, p. 477.

cupatae, charissimus in Christo filius Alfonsus, rex Aragonum illustris, ad ipsarum instantiam venerabili fratri Nostro .. archiepiscopo Neapolitan. et tibi hanc rem commisit. Nos igitur, ut ipsae abbatissa et priorissa ea, quae ad ipsas de iure spectant, recuperent, devotioni tuae commissionem regiam tibi factam, prout in ea continetur, exsecutioni debitae demandandi auctoritate apostolica licentiam elargimur.

Datum Romae, sub annulo piscatoris, die XXIV mensis maii, ... anno II.

1204. Gerardo de Falconibus, O. F. M., ministro provinciae Siciliae, concedit facultatem, ut non obstante decreto capituli provincialis de servando triennio in ministrum provincialem eligi possit (1).

1448, maii 25, Romae.

Dilecto filio Gerardo de Falconibus, ordinis fratrum Minorum et theologiae professori, in insula Siciliae secundum morem dicti ordinis provinciali ministro.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum Nicolai Tirro et Antonii de Stabili, ordinis fratrum Minorum et theologiae professorum, exposito, quod olim ipsi et dilecti filii Iohannes de Capistrano, tunc a fel. rec. Eugenio papa IV, praedecessore Nostro, vicarius et commissarius in provinciali capitulo in civitate Messanen. per huiusmodi fratres celebrato deputatus, et Antonius de Sichilo, Antonius de Plaza, Ansaldus de Ocra, etiam huiusmodi ordinis et theologiae professores, et quamplures alii diversorum locorum et conventuum dicti ordinis in regno Siciliae consistentium in dicta civitate capitulariter pro electione futuri eorum provincialis ministri facienda in unum congregati, unanimiter et concorditer nemine discrepante inter cetera statuerant, ordinaverant et decreverant, quod officium ministri provinciae Siciliae in antea ultra triennium non excederetur, et qui in ministrum dictae provinciae in capitulo praefato tunc eligeretur, coram omnibus fratribus in eodem capitulo praesentibus et in manibus definitorum eiusdem ad sancta Dei evangelia praestaret iuramentum, quod non procuraret aut acceptaret electionem de se factam ultra terminum dicti triennii neque dispensationem vel absolutionem iuramenti huiusmodi occasione exercendi praedictum officium ultra praefatum terminum impetraret, quodque, si forsan in posterum dispensatio huiusmodi a quocumque summo pontifice aut generali ministro ordinis praefati motu proprio illi concederetur, ea concessione sub poena periurii per se vel aliam personam nullatenus uteretur et, si contingeret ipsum contrarium attentare, ipso facto omni actu legitimo privatus exsisteret, ac nullus ex fratribus dictae provinciae illi amplius obedire [teneretur], Nos venerabili fratri Nostro archiepiscopo Panormitan. eius proprio nomine non expresso per Nostras dedimus litteras in mandatis, ut statuta et ordinationes et decreta ac omnia et singula in eis contenta et inde secuta, sicuti rite facta forent, auctoritate apostolica approbaret et confirmaret omnesque defectus, si qui in illis intervenissent, suppleret et nihilominus statuta et ordinationes et decreta huiusmodi faceret ab omnibus et singulis fratribus dictae provinciae inviolabiliter observari, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Angeli de Perusio, dicti ordinis in Romana curia procuratoris, petitio continebat, quod tu, qui hactenus in dicta provincia secundum morem dicti ordinis provincialis minister exsistens, magnos fructus ordini et religioni fecisti et sperari potest, quod uberiores etiam faceres, si tibi huiusmodi statuta et ordinationes non obstarent, quare pro parte dicti procuratoris Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ordini et religioni super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... te, si eligi contigerit, ad huiusmodi iuramenti necnon statutorum, ordinationum et decretorum observationem non teneri nullumque tibi, quominus provincialis officium exercere libere et licite valeas, praeiudicium afferre posse eadem auctoritate decernimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, VIII kal. iunii, ... anno II.

1205. Iohannae de Grignano, III. O. S. Fr., concedit facultatem recipiendi eucharistiae sacramentum a quolibet sacerdote (2).

1448, maii 27, Romae.

Dilectae in Christo filiae Iohannae de Grignano, sorori tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, viduae Mantuan.

Eximiae devotionis affectus *etc.* Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut quilibet sacerdos idoneus saecularis vel religiosus tibi, quotiens expedierit, praeterquam in diebus paschalibus ministrare valeat eucharistiae sacramentum, ... indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448 VI kal. iunii, ... anno II.

(1) Reg. Vat. t. 409, f. 200. — Cf. supra n. 1078, p. 545.

(2) Reg. Lat. t. 447, f. 298.

1206. Mandat, ut capiat et puniat Eghardum de Haethen, O. F. M., provinciae Saxoniae, eiusque complices, qui fraudulenter pecunias collegerunt pro expeditione contra Turcos (1).

1448, maii 28, Romae.

Dilecto filio Nicolao de Cusa, archidiacono Brabantiae in ecclesia Leodien.

Quorumdam, quos fide dignos esse scimus, relatione percepimus, quod cum bonae mem. Eugenius IV, praedecessor Noster, deputasset aliquos fratres ordinis Minorum de observantia regulari ad dandum remissiones peccatorum in articulo mortis illis christifidelibus, qui darent certas pecuniarum quantitates in auxilium expensarum, quas idem praedecessor facere intendebat ad pellendum Turcos, Christi hostes, ex partibus Europae, quidam dicti ordinis frater conventualis, nomine Eghardus de Haethen, provinciae Saxoniae, importune se ingerens, petiit efflagitavitque deputari simul cum aliis ad praedictas remissiones in partibus Germaniae concedendas, sed cum ab illis, qui eum noverant, dicto praedecessori relatio esset facta eum esse vitiosum atque sceleratum virum, fuit repulsus, adeo ut, nisi fugam arripuisset, voluerit dictus praedecessor eum facere carcerari. Nuper vero fide dignorum relatione ad Nostrum pervenit auditum eumdem Eghardum cum litteris apostolicis, quae nisi falsae et adulterinae esse non possunt, assumptis secum quibusdam sociis et complicibus circuisse diversas Alemanniae et Daciae provincias et multas exegisse pecunias, prout continuo circuire dicitur ac exigere, ut ipsi praetendunt, in sacri dominici sepulchri recuperationem et Saracenorum destructionem a Nobis et aliis christifidelibus expendendas, quam quidem Dei nostri et Nostram offensam et christifidelium deceptionem, sicut debemus, relinquere nolumus impunitam. Quare devotioni tuae, de cuius providentia, fide, diligentia et ceteris virtutibus Nobis notissimis spem in Domino obtinemus, quod ea, quae tibi duxerimus committenda, pro Nostro honore ardenti animo exsequeris, committimus et mandamus, ut per te et alios, quoscumque et quotcumque deputandos duxeris, praedictos Eghardum et socios ac complices seu scelerum huiusmodi ministros, quotquot et ubicumque sint, in manibus et potestate tua cures habere et ad ulterius, quibus usi sunt, libris ac pecuniis tam turpiter et scelerate exactis ab ipsis omnibus acceptis eos carceres, punias et castiges, prout de iure et secundum illius ordinis statuta et constitutiones iudicaveris faciendum. Nos enim praedicta faciendi et pro eorum exsecutione invocandi, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis eidem devotioni tuae facultatem potestatemque concedimus auctoritate apostolica per praesentes.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, V kal. iunii, ... anno II.

1207. Petrum Celerem, O. F. M., baccalaureo in theologia, recipit in suum et Sedis Apostolicae capellanum eique concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum saeculare vel regulare cum vel sine cura (2).

1448, iunii 1, Romae.

Virtutibus clarens et meritis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, kalendis iunii, ... anno II.

1208. Fratribus conventuum S. Mariae novae Neapolitan., S. Francisci de Gaeta, S. Francisci de Surrento et S. Francisci de Castello ad mare, O. F. M. de observ., concedit licentiam, ut bona eorumdem conventuum olim ad fratres conventuales spectantia vendi possint (3).

1448, iunii 2, Romae.

Cum proximis temporibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, IV nonas iunii, ... anno II.

1209. Iuliano de Salerno, O. F. M., concedit remissionem plenariam in articulo mortis (4).

1448, iunii 11, Romae.

Provenit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, III idus iunii, ... anno II.

1210. Petro Renys, alias Lenet, O. F. M., confessario Francisci ducis Britanniae, qui pro eo supplicaverat, reservat beneficium ecclesiasticum per maioris monasterii prope Turonis vel S. Iohannis de Marnis monasteriorum, O. S. Ben., monachos gubernari solitum una cum prioratibus de Gahart et de Loheac ac de Sanct Guen, alias Sanct-Clement, Redonen., Maclovien. et Veneten. dioec., tenendum quoad vixerit (5).

1448, iunii 14, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XVIII kal. iulii, ... anno II.

---

(1) Reg. Lat. t. 445, f. 205v.

(2) Reg. Vat. t. 387, f. 73.

(3) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 7 « e l. 1 de regul. a. II, f. 11 ». Vide supra n. 1082, p. 546. notam 3.

(4) Reg. Lat. t. 447, f. 281.

(5) Reg. Vat. t. 388, f. 49v. — De Petro Renys cf. supra n. 1199, p. 609.

1211. Confirmat conventionem olim factam inter canonicos ecclesiae Eugubin. et fratres domus Eugubin., O. F. M., de Quarta funeralium (1).

1448, iunii 18, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ea, quae pro ecclesiasticarum, praesertim sub regulari *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus Eugubin., ordinis fratrum Minorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim, cum venerabilis frater Noster Antonius, episcopus Eugubin., eos contra conventionem, compositionem et pacta in instrumento publico inferius inserto contenta, multipliciter molestare niteretur, ipsi ab huiusmodi ac nonnullis aliis molestiis et impedimentis eis per dictum episcopum desuper illatis ad Sedem Apostolicam appellarunt, et Nos causam appellationis huiusmodi dilecto filio magistro Iohanni de Cotha, capellano Nostro et causarum palatii apostolici auditori, ad instantiam guardiani et fratrum praedictorum duximus committendam, qui in ea citationis litteras ad partes in forma solita dicitur decrevisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefati exponentes divinis officiis intenti esse debeant, ac propterea eis litigare valde dispendiosum fore noscatur, et alias conventio, compositio et pacta praedicta per diuturnum tempus observata fuerint, pro parte guardiani et fratrum praefatorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, causam ipsam, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, ad Nos harum serie advocantes ac litem, si qua desuper sit, penitus exstinguentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, conventionem, compositionem, pacta, promissiones, obligationes, approbationem et confirmationem ac alia in instrumento contenta et inde secuta praedicta omnia et singula auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.* Et nihilominus ad abundantiorem cautelam auctoritate praedicta harum serie statuimus et decernimus, quod de cetero ullo umquam tempore praedicti et qui ex nunc inantea erunt praefatae domus guardiani et fratres ratione funeralium de corporibus fidelium, quae infra domum praefatam ac illius ecclesiam pro tempore sepelientur, ultra contenta in compositione, conventione et pactis praedictis solvere minime teneantur nec ad id inviti compelli valeant seu aliqualiter coarctari.

Tenor vero instrumenti, de quo supra fit mentio, de verbo ad verbum signis et characteribus omissis sequitur et est talis:

In nomine Christi. Amen.

Haec est copia sive exemplum cuiusdam instrumenti publici, reperti in carta pecudina, scriptum et publicatum manu ser Matthaei Iohannis Andreae, olim de Eugubio, publici notarii, defuncti, signatum suo signo, assumptum et accopiatum per me Franciscum, notarium infrascriptum, cuius quidem instrumenti tenor talis est, videlicet:

In nomine Christi. Amen (2).

Anno Domini 1368, indictione VI, tempore Domini Urbani papae V, die 11 mensis martii.

Actum Eugubii, in domibus episcopatus Eugubii, in camera, qua solitus est iacere dominus episcopus Eugubinus, praesente domino Dominico Brifinutii de Assisio, vicario domini episcopi Eugubini, domno Ubaldo Andreae Agure, domno Ventura Boccholi Nicolae, priore canonico S. Secundi de Eugubio, ser Betto Alemitii et ser Philippo Petrutii, domini Iacopi de Eugubio, testibus vocatis et rogatis.

Dominus Iovachinus Ser Vannis Februarii, syndicus et procurator prioris et canonicorum capituli et conventus maioris ecclesiae Eugubin., ad infrascripta specialiter constitutus et ordinatus a priore, canonicis et capitulo supradictis ex una parte, et Paulus Puchimascioli de Eugubio, syndicus et procurator guardiani fratrum Minorum, capituli et conventus et ecclesiae fratrum Minorum de civitate Eugubin., ad infrascripta specialiter deputatus, ex altera parte, habens ad infrascripta speciale mandatum a venerabili viro magistro Thoma, in sacra pagina magistro et ministro fratrum Minorum in provincia B. Francisci, prout patet manu ser Mathioli quondam magistri Marci, notarii, a me notario viso et lecto, volentes exsequi illud, quod a suis constitutis habebant in mandatis, quilibet ipsorum nomine et vice eorum, quorum syndici et procuratores exsistunt, et suorum successorum et membrorum dictae canonicae, pro quibus promisit de rato, ad hanc compositionem, conventionem et pacta insimul convenerunt super solutione Quartae, quam debent praedicti fratres supradictis priori, canonicis, capitulo et conventui maioris ecclesiae Eugubinae supradictae et membris eorum et rectoribus ipsorum membrorum ratione funerum, quae sepeliuntur vel sepelientur in ecclesia dictorum

(1) Reg. Lat. t. 448, f. 212. — De domo Eugubin. cf. supra n. 1131, p. 575.

(2) Hic actus notarilis in codice mendose scriptus est, ut etiam sensus aliquando turbetur.

fratrum seu eorum loco vel coemeterio et ad ipsum locum elegerunt vel eligent sepulturam, de illis, si qui essent parochiani ipsius maioris ecclesiae vel membrorum eius vel essent extranei et ibidem morientur et apud ecclesiam, locum vel coemeterium elegerint sepulturam et sepelirentur ibidem, scilicet quod dicti fratres non teneantur nec debeant solvere vel dare praedictis priori et canonicis, capitulo et conventui maioris ecclesiae Eugubin. vel rectoribus membrorum ipsius ecclesiae, nisi solum medietatem cerae, cereorum seu torticiorum accensorum, quando portabuntur cum funere vel haberentur occasione funeris tempore sepulturae et apud dictos fratres vel sacristam ipsorum fratrum remanebunt, ita quod sacrista dicti conventus fratrum Minorum praedictorum de civitate Eugubin., qui erit pro tempore, dabit et assignabit medietatem cerae, cereorum seu torticiorum praedictorum, qui portabuntur cum funere vel occasione funeris in sepultura omnium et singulorum civium et parochianorum dictae maioris ecclesiae vel forensium vel de parochiis membrorum, si elegerint sepeliri et sepelientur in ecclesia vel coemeterio fratrum dicti conventus, non tamen computando candelas, quas fratres portabant in manibus et quemdam cereolum parvulum, qui praeter dictas candelas tortas dari consueverunt, de quibus nulla Quarta debeat dari dictis canonicis vel rectoribus membrorum dictae canonicae, ita quod de candelis et cereolo praedictis nullam Quartam prior et canonici vel rectores habere debeant nec petere possint ullo umquam tempore a guardiano et fratribus supradictis, si tamen dicti cerei communi funere portati ad sepulturam apud sacristam vel fratres praedictos remanebunt, scilicet de parochiis propriis vel assumptis morte de parochia dictorum prioris et canonicorum et eorum ecclesiae dictis priori et canonicis et de parochianis propriis dictorum membrorum vel assumptis de eorum parochiis et de forensibus similiter rectoribus ipsorum membrorum, qui pro tempore fuerint, prout casus evenerit; et in casu, quo dicti cerei acciperentur mutuo a dicto sacrista, et aliquid daretur praedicto sacristae vel alteri pro eo vel praedictis fratribus, quod sacrista praedictus teneatur et debeat dare medietatem dicti commodi pro dictis cereis datis, prout debuisset de cera cereorum apportatorum cum funere vel occasione funeris, pro omni Quarta eis debita in praeteritis, vel quae eisdem priori et canonicis vel dictae maiori ecclesiae seu membris eius vel rectoribus ipsorum membrorum deberetur in futurum, quacumque occasione vel causa seu quocumque iure quomodocumque vel qualitercumque deberetur, vel alteri ex eis sive de funeralibus sive de relictis secundum modum et ordinem supra et infra praetaxatos et declaratos, scilicet id, quod deberetur ecclesiae cathedrali, priori et canonicis, et quod deberetur membris vel rectoribus ipsorum membrorum, et quod sacrista teneatur iurare vel guardianus, ut supra dictum est, hoc pacto apposito in praesenti contractu et cohaerentia ipsius, quod, si viator aliquis transiens per Eugubium, ipsum ibidem contigerit infirmari et mori, scilicet in civitate vel comitatu Eugubin. vel in aliqua parochia dictorum membrorum, apud ecclesiam dictorum fratrum elegerit sepeliri et sepeliretur ibidem, de quo dictae maiori ecclesiae vel eius membris Quarta deberetur de iure, quod ultra medietatem cerae cereorum portatorum apud eius sepulturam, ut supra dicitur, dabit sacrista praedictus quartam partem aliorum funeralium, quae cum funere vel occasione funeris portabuntur et apud dictos fratres remanebunt, exceptis illis funeralibus, quae in ecclesia ob defuncti memoriam remanent, utputa de banderiis, supravestis, cimeriis, copertis equorum et ensibus, de quibus nulla dabitur vel dari debeat Quarta priori et canonicis seu dictorum membrorum rectoribus supradictis, nec ipsi prior et canonici vel praedicti rectores aliqualiter petere possint, et praedicti prior et canonici nomine eorum et suorum membrorum, pro quibus de rato promiserunt, teneantur et debeant dictos fratres conservare indemnes, prout supra, sed libere et integre remaneant et stare debeant praedictorum fratrum ecclesiae, prout dictae sacristae vel guardiano vel fratribus supradictis videbitur et placebit, et quod, si sacrista pannum vel pallium aliquod mutuaret pro aliquo funere, quod sepeliretur in eorum ecclesia, loco vel coemeterio et nihil reciperet pro mutuatione huiusmodi, quod de huiusmodi panno vel pallio nulla perceptio sive Quarta solvatur vel solvi debeat priori et canonicis vel membrorum praedictorum rectoribus supradictis, nec ipsi prior et canonici vel rectores praedicti aliquid propter hoc a dictis fratribus petere possint. Si autem aliquid solvatur sacristae praedicto pro accommodatione huiusmodi panni vel pallii, quod de huiusmodi persolvitur dicto sacristae, Quarta solvatur et solvi debeat priori et canonicis seu rectoribus supradictis secundum modum et ordinem supra proxime narratum et declaratum; et si forsan de pannis vel palliis huiusmodi seu equis vel aliis funeralibus praedicti funeris fieret aliqua compositio cum sacrista praedicto, ita quod non deberent funeralia praedicta apud fratres praedictos vel sacristam remanere sed reddi deberent pro certa pecuniae quantitate suis consan-

guineis vel aliis, qui praedictas expensas fecerint super funere supradicto, quam compositionem possit sacrista praedictus, qui pro tempore fuerit, adveniente casu per se solum libere vel guardianus ipsius loci per se solum aut cum consensu vel consilio praedictorum fratrum ** fuerit requisitus dictorum prioris et canonicorum seu rectorum praedictorum, quod de dicta pecunia teneatur solvere quartam partem, sacristae maioris ecclesiae debeatur et in casu, in quo debeatur alicui membro, solvatur rectori praedicti membri; prout pro huiusmodi possit materia litis exoriri de omnibus supradictis, stetur et stari debeat et stare teneantur prior, canonici et rectores praedicti vel alter eorum conscientiae et responsioni sacristae fratrum Minorum praedictorum, qui pro tempore fuerit in dicta ecclesia seu loco fratrum Minorum de civitate Eugubin., et teneatur iurare sacrista modo praedicto seu guardianus vel eius vicarius, et quod nihil peti possit ullo umquam tempore a priore, canonicis et rectoribus praedictis a dictis fratribus quacumque occasione vel causa cuiuscumque quartae seu canonicae portionis solutae vel non solutae inantea vel solvendae vel non solvendae in posterum, sed quod stabitur et stari debeat praecise dictis compositionibus, pactis et conventionibus supradictis et haec pacta, compositiones et conventiones supradictas ac supradicta supradicti fratres, quo supra nomine, fecerunt, composuerunt, solidaverunt et firmaverunt, prout melius de iure vel de facto facere potuerunt. Et si sacrista vel guardianus seu eius vicarius, qui pro tempore fuerit, requisitus a sacrista dictae maioris ecclesiae vel ab aliquo rectore, vicario seu capellano dictorum membrorum dictae maioris ecclesiae cum notario et duobus testibus vel cum tribus testibus solum, quod sibi det Quartam funeralium seu medietatem cereorum seu commodi, et non dederit infra unum mensem a die factae protestationis computandum, eo ipso intelligatur venire contra pacta et incidat in poenam seu provisionem insertam. Et ad praedicta pacta, conventiones, compositiones, solidata et firmata praedicti syndici convenerunt pro bono pacis et concordiae utriusque partis, et ut de cetero super huiusmodi Quarta inter partes praedictas in civitate vel dioecesi Eugubin. quaestio oriri, insurgi vel nasci non possit, et ut quaelibet ipsarum partium possit pactis [1] ad hoc in sua quiete sistere et vivere et iura sibi competentia sine lite et quaestione percipere et habere et has compositionem, conventionem firmatas, solidatas et pacta praedicti syndicus et procurator syndicario et procuratorio nomine eorum, quorum sunt, fecerunt et in his pactis et conventionibus, compositionibus solidatis, firmatis consenserunt per omnem viam et modum et formam, quibus melius potuerunt, et promiserunt quilibet, quo supra nomine, unus alteri et alter alteri sollemni stipulatione litem, controversiam seu quaestionem aliquam causa vel occasione praedictorum vel alicuius eorum per se vel alium seu alios de iure vel de facto ullo umquam tempore non movere nec inferre nec moventi vel inferenti consentire, sed praedicta omnia et singula conventiones, compositiones firmatas, solidatas et pacta perpetuo grata, rata et firma habere et tenere nec in aliquo contrafacere vel venire aliqua ratione, occasione vel causa de iure vel de facto. Et promiserunt praefati syndicus et procurator prioris et canonicorum, si per dictos priores et canonicos et eorum successores vel per rectores membrorum dictae canonicae omnia et singula pacta superius nominata non observarentur, ipso facto incurrant in poenam mille florenorum auri, quos florenos praefati syndicus et procurator dictorum fratrum petere possint, et omnis syndicus seu alia persona, qui pro tempore fuerit per dictos fratres deputatus ad petendum dictam poenam et ad convertendam in utilitatem dicti loci, quae poena non intelligatur repetita et committatur in omnibus et singulis capitulis supradictis et totiens possit peti per syndicos dictorum fratrum, qui pro tempore fuerint, quotiens exstiterit in praedictis vel aliquo praedictorum contrafactum vel contraventum. Et ex adverso promisit praefatus syndicus et procurator dictorum prioris et canonicorum et dictae maioris ecclesiae Eugubin. recipientis vice et nomine dictae canonicae et suorum membrorum, quod si in praedictis pactis vel aliquo ipsorum per fratres praedictos vel eorum successores, sacristam seu guardianum, exstiterit contrafactum, quod praedicti fratres teneantur et debeant dare in futurum quartam partem omnium funeralium relictorum praefatis conventibus dictis priori canonicae, rectoribus membrorum suorum et eorum praefato syndico et procuratori, nomine quo supra, omni praescriptione, consuetudine, privilegio, quae pro eis facerent seu facere possent, in hac parte, quam promiserunt, non allegare, nec uti, et dicta promissio et pacta facta per dictos canonicos nullius exsistant roboris et firmitatis, sed teneantur dicti fratres priori, canonicis et rectoribus

---

(1) Cod. *quartis*.

praedictis quartam partem omnium funeralium relictorum modo praedicto dare; quam poenam pars non observans parti observanti in singulis capitulis huiusmodi contractus solvere teneatur et debeat. Et poena soluta vel non nihilominus contractus firmus et stabilis sit et in suo robore debeat permanere. Et nihilominus syndicus et procurator praedicti quilibet eorum per se syndicario et procuratorio nomine, quo supra, prout in mandatis habent et in eorum continebatur mandato, iuramento ad sancta Dei evangelia manu tactis scripturis de observandis omnibus et singulis pactis, compositionibus, conventionibus, firmatis et solidatis supradictis ** et promiserunt perpetuo inviolabiliter observare. Et promiserunt una pars alteri et altera alteri, quo supra nomine, de omnibus et singulis supradictis facere consensum coram Domino Papa, eius legato de latere et coram quolibet alio iudice competente ad petitionem partis petentis sub hypotheca et obligatione omnium bonorum eorum, quorum sunt syndici et procuratores. Quae omnia et singula promiserunt una pars alteri et altera alteri, quo supra nomine, sub pura promissione et sub hypotheca et obligatione praedicta renuntiarunt supradicti syndici, quo supra nomine, exceptionibus non factis et non habitis inter eos dictorum pactorum, conventionibus, promissionibus, firmatis et compositis, solidatis et omnium aliorum legum et canonum auxilio privilegii vel status, per quae possent in totum vel in partem a poena seu observatione omnium praedictorum seu ad restitutionem damnorum seu expensarum et interessi quomodolibet liberari. Quibus omnibus et singulis quilibet per se syndicario nomine, quo supra, per pactum renuntiavit, rogantes me, notarium infrascriptum, quod de praedictis omnibus et singulis conficerem publicum instrumentum, ita quod bene valeat, de iure mei signum publicum et consuetum munimine roboratum, quibus omnibus pactis, conventionibus, firmatis et compositis, solidatis, conventionibus praemissis supradictis reverendus in Christo pater et dominus, Dominus Iohannes, Dei et Apostolicae Sedis gratia episcopus Eugubin., interfuit et praesens fuit et ad maiorem firmitatem omnium supradictorum cum agnitione sollemniter praemissa cognoscens informatus de veritate, quod praedicta pacta, conventiones, promissiones inita, firmitate solidata et composita erant pro praesenti, praeterito et futuro utilia, bona et salubria pro praedicta maiore ecclesia Eugubin. et priore, canonicis, capitulo et conventu ipsius ecclesiae et rectoribus ipsorum membrorum, ipsa omnia et singula supradicta cognitis sollemniter praemissa ratificavit et approbavit et voluit perpetuo inviolabiliter observari et de consensu capituli supradicti suam auctoritatem interposuit et de cetero decernens volentibus et expresse consentientibus syndicis et procuratoribus supradictis, ut omnia inferiora vel quidquid aliud pro pactibus praedictis est quoquomodo vel ex tempore praescriptis seu aliter apponi de lege aut quocumque privilegio poterat esse vanum et omni virtute cassatum ex sola pactorum conventione firmatis inita solidatis et compositis inter praedictas partes nunc dicta pagina validis perpetuumque robur obtineat. Quibus pactis et conventionibus et omnibus et singulis supradictis voluit expresse consentientibus syndico et procuratore supradictis, quod, si quid forte incuria vel imperitia minus firmatum, insertum est in praesenti contractu, vires plenissimas notionis ex hac sua auctoritate decreto suscipiat. Et similiter frater Henricus Pauli, guardianus fratrum supradictorum et praedicti loci de civitate Eugubin., cognoscens auctoritate, cognitis praemissis, quod omnia et singula superius declarata erant bona, utilia et proficua pro ecclesia et loco supradictis de civitate Eugubin., cuius loci et ecclesiae fratrum ipsius est guardianus, de sui conventus consilio et consensu omnia supradicta compositiones, conventiones, inita, solidata, firmata et pacta habita inter syndicos supradictos contractus ratificavit, emologavit et approbavit, prout de iure et facto melius potuit, et similiter voluit omnia perpetuo et inviolabiliter observare. Eamdem emologationem, ratificationem et approbationem fecerunt praedicti prior et canonici praedicti et rectores dictorum membrorum praesentes, volentes, consentientes et auctoritate ex sua ordinaria potestate domino episcopo supradicto mandante mihi notario infrascripto, quod de huiusmodi approbatis, emologatis auctoritate et decreti interpositione et auctoritate, ita quod bene valeat de iure, conficiam publicum instrumentum mei signi publici munimine roboratum.

In quo quidem instrumento post praedicta talis authenticatio et publicatio scripta reperitur cum suo signo manu dicti ser Mathaei Iohannis Andreae, olim notarii de Eugubio, videlicet: Et ego Mathaeus Iohannis Andreae de Eugubio, imperiali auctoritate notarius, praedictis omnibus interfui, rogatus scripsi et publicavi.

Et ego Franciscus quondam Thomassutii Nicolutii de Eugubio et quarterio S. Petri, publicus imperiali auctoritate notarius et iudex ordinarius, praedictum sumptum sive copiam de dicto suo originali fideliter sumpsi, copiavi et exemplavi, nihil addendo vel minuendo frau-

dulenter, nisi forte punctum vel syllabam per errorem, et dictum sumptum cum dicto suo originali concordare invenimus. Ideo de licentia, consensu et voluntate egregii legum doctoris, domini Lucae de Pretiosis de Callio, iudicis causarum civilium communis Eugubii, pro tribunali sedentis ad solitum banchum iuris causarum civilium dicti communis Eugubin. ac iura reddentis, more solito scripsi et publicavi et in publicam formam redegi, et ipse dominus iudex suam et communis Eugubin. auctoritatem interposuit et decretum sub anno Domini 1449, indictione XII, tempore sanctissimi in Christo patris et domini, D. Nicolai, divina providentia papae V, die XII mensis ianuarii, praesentibus dictis notariis ser Paulo Marini Ginoli de Eugubio et Iohanne Bartholi, alias Bartoci, de dicta civitate Eugubin., testibus ad praedicta vocatis, habitis et rogatis et mihi, notario praedicto, notis, scripsi et publicavi signoque meo signavi ad fidem praedictorum.

Et ego Marinus S. Pauli de Eugubio, publicus imperiali auctoritate notarius et iudex ordinarius, praedictae auscultationi decreti auctoritate iudicis praedicti, interpositioni licentiae dictae publicationis concessis una cum supradicto ser Francisco et ser Marino suprascripto interfui et ad fidem praedictorum me subscripsi et meo signo signavi, gonfalonerius iustitiae et consul populi civitatis Eugubin. *etc.*

Universis et singulis has meas litteras inspecturis salutem et prosperos ad vota successus.

Quoniam de notariorum legalitate ob locorum distantiam saepissime dubitatur, tenore praesentium denotamus, quod circumspectus vir ser Matthaeus Iohannis Andreae supradictus, dilectus civis noster Eugubin., tempore eius vitae fuit publicus, authenticus et legalis notarius et supradicti ser Franciscus quondam Thomassutii Nicolutii, ser Marinus S. Pauli et ser Gaudius S. Petri, ser Gaudii, dilecti cives nostri Eugubin., sunt publici, authentici et legales notarii artemque tabellionatus fideliter et palam exercuerunt, dictus ser Matthaeus, donec vixit, et dicti ser Franciscus, ser Marinus et ser Gaudius a quindecim annis citra, in dicta civitate Eugubii et alibi et etiam nunc exercent, eorumque publicis instrumentis et scripturis manu eorumdem et cuiuslibet ipsorum quatuor notariorum de per se manu eorumdem seu alterius eorum scriptis et publicatis continuo a dictis temporibus citra data et adhibita fuit hodieque datur et adhibetur plena et indubitata fides in dicta civitate Eugubii et alibi tamquam instrumentis et publicis scripturis aliis manu aliorum publicorum, authenticorum et legalium notariorum confectis, in quorum omnium fidem et testimonium praesentes litteras fieri et nostri communis sigilli, quo utimur *etc.*

Datum Eugubii, die XIII mensis ianuarii 1449.

Iacobus de Urbino.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIV kal. iulii, ... anno II.

1212. Confirmat concessiones domui S. Spiritus de Mellide fratrum III. O. S. Fr., dioec. Mindonien., factas (1).

1448, iunii 18, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Petri de Fora extra muros Compostellan.

Apostolicae Nobis desuper iniunctae *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum ministri et fratrum domus S. Spiritus de Mellide, tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Mindonien. dioec., ... petitio continebat, quod dudum quondam Petrus, comes de Trastamare, praedictam domum, quam cum ecclesia, campanili, ... officinis fundari et construi fecerat, de nonnullis bonis, possessionibus ac redditibus et praesertim quodam territorio seu districtu, de Basadria nuncupato, cum parochiali ecclesia beatae Mariae, etiam de Basadria in dicto territorio seu districtu consistente, Lucen. dioec., dotavit ac eidem domui territorium seu districtum et ecclesiam huiusmodi cum eorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis concessit et donavit, ipsique fratres, concessionis et donationis earumdem vigore domum, territorium seu districtum et ecclesiam huiusmodi assecuti, illa ex tunc a septuaginta annis citra tenuerunt ... ac possident pacifice et quiete, fructus, redditus et proventus percipientes ex eisdem, quodque postmodum dicti minister et fratres donationem et concessionem praedictas per clarae mem. Henricum primo et deinde per charissimum in Christo filium Nostrum Iohannem illustrem, Castellae et Legionis reges, approbari et confirmari obtinuerunt, prout in quibusdam instrumentis publicis ... plenius dicitur contineri. Cum autem ... ipsi ministri et fratres concessionem ... et singula in instrumentis seu litteris contenta huiusmodi pro eorum subsistentia firmiori apo-

(1) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 8. « e l. 1. de regul. anno 2 f. 237 ». Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 911, p. 305.

stolico munimine roborari desiderent, pro parte eorumdem ministri et fratrum asserentium, quod territorii seu districtus et ecclesiae praedictorum fructus, redditus et proventus quindecim librarum Turonensium parvorum secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... illas et, prout eas concernunt ac rationabiliter processerunt, omnia et singula in instrumentis seu litteris contenta huiusmodi auctoritate Nostra approbes et confirmes *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIV kal. iulii, ... anno II.

1213. Iohanni de Capistrano, O. F. M., concedit salvum-conductum (1).

1448, iunii 22, Romae.

Universis et singulis, ad quos praesentes Nostrae litterae pervenerint.

Cum dilectus filius Iohannes de Capistrano, ordinis fratrum Minorum professor, ad nonnullas mundi partes pro Nostris et ordinis praedicti negotiis habeat personaliter se transferre, Nos, cupientes eumdem Iohannem cum eius comitiva usque ad numerum duodecim personarum tam pedestrium quam equestrium suisque salmis, valisiis, libris, scripturis, rebus et bonis quibuscumque in eundo, stando, redeundo plena ubique securitate et immunitate ac favorabili tractatione gaudere, universitatem vestram et vestrum singulos requirimus et hortamur in Domino, subditis vero Nostris et officialibus Romanae ecclesiae ubilibet constitutis necnon capitaneis armorum et gentium conductoribus ad Nostra et dictae ecclesiae stipendia militantibus districte praecipiendo mandamus, quatenus eumdem Iohannem cum personis, equis, salmis, valisiis, libris, scripturis ac rebus et bonis praedictis per vestra et Nostra vel vobis commissa civitates, terras, castra, villas, territoria, portus, pontes, flumina et loca quaelibet, tam per aquam quam per terram, absque solutione alicuius angarii, perangarii, fundinavis, datii, passagii vel gabellae aut cuiuscumque alterius oneris indicti vel indicendi exactione ire, stare et redire pro Nostra et Sedis Apostolicae reverentia libere permittatis nec ei in personis praedictis ac rebus et bonis eorum inferatis molestiam vel offensam aut aliquam novitatem nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri, quin potius eumdem Iohannem cum benevolentia benigne recipientes ac pertractantes, sibi de securo transitu, scorta et salvo conductu sic liberaliter, quotiens opus fuerit, providere curetis, quod vestra exinde devotio apud Nos et Sedem ipsam veniat merito commendanda.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, X kal. iulii, ... anno II.

1214. Renovat et confirmat litteras Eugenii IV circa potestatem fratrum mendicantium audiendi confessiones fidelium (2).

1448, iunii 29, Romae.

Universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis et abbatibus, ubilibet constitutis, ad quos praesentes litterae pervenerint.

Provisionis Nostrae debet provenire subsidio *etc.* Hinc est, quod Nos tenores quarumdam litterarum fel. rec. Eugenii papae IV, praedecessoris Nostri, in ipsius registro repertos, de registro ipso de verbo ad verbum transscribi et praesentibus annotari fecimus, qui sunt tales:

Eugenius etc.

Universis et singulis etc. (ut sup.).

Gregis nobis crediti curam gerentes *etc. (ut supra n. 1040, p. 520).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, XVII kal. februarii, ... anno XVI.

Ceterum, ut earumdem litterarum tenores maioris roboris et efficaciae censeantur, Nos de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu easdem praedecessoris Nostri litteras in omnibus et per omnia innovantes approbamus, confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, III kal. iulii, ... anno II.

1215. Concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in villa de Maruan. (Marvao), dioec. Egitanien. (Idanha, Guarda in Portugallia) (3).

1448, iulii 7, Romae.

Dilecto filio officiali Egitanien.

Fidelium vota, ex quibus *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis Henrici, ducis Visen. et infantis Portugalliae, necnon hominum et communis villae de Maruan., Egitanien. dioec.,

(1) Reg. Vat. t. 407, f. 126.
(2) Reg. Lat. t. 446, f. 105 v., et iterum f. 267 v.
(3) Reg. Lat. t. 454, f. 242; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 9.

petitio continebat, quod, cum in quodam vicino dictae villae loco, in quo nec ecclesia nec oratorium fundata comperiuntur, Altissimus sua ineffabili providentia visibus humanis meritis gloriosae virginis Mariae pene innumerabilia miracula his in temporibus demonstrare dignatus fuerit de praesentique demonstret, ipsique dux, homines et commune occasione huiusmodi moti ac zelo devotionis, quam ad eamdem B. Mariam gerere comprobantur, accensi, de propria salute recogitantes, ... in dicto loco unam domum cum ecclesia, campanili ... pro usu et habitatione fratrum Minorum sub regula S. Francisci degentium ... de novo construere et aedificare ... proponant, si ad id eis Sedis Apostolicae suffragetur auctoritas. Quare pro parte ducis, hominum et communis praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut domum huiusmodi sub voce et vocabulo eiusdem Mariae de Stella in loco praedicto construendi ... licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, dilectis duci, hominibus et communi domum huiusmodi ... pro usu et habitatione dictorum fratrum iuxta ordinis eiusdem sancti observantiam degentium, iure tamen *etc.* salvo fundandi et construendi necnon fratribus ipsis domum eamdem ... inhabitandi auctoritate Nostra licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.* Nos enim ... fratribus, qui in domo ipsa pro tempore residebunt, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere valeant, ... indulgemus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, nonis iulii, ... anno II.

1216. Margaritae de Aurelianis, viduae Ricardi de Britannia, comitis Stamparum (Étampes), Suessionen. dioec., eiusque filiis Mariae ac Magdalenae concedit licentiam ingrediendi et perpetuo standi in clausura monasterii de Longocampo (Longchamp), O. S. Cl., Parisien. dioec., vel de Guischia (la Guiche), O. S. Cl., Carnoten. dioec., et remissionem plenariam in articulo mortis (1).

1448, iulii 15, Romae.

Dilectis in Christo filiabus nobilibus Margaritae de Aurelianis, relictae quondam Ricardi de Britannia, comitis Stamparum, viduae, Suessionen. dioec., et Mariae ac Magdalenae, eius natis.

Dum eximiae devotionis affectum *etc.* Hinc est, quod Nos vobis et vestrum cuilibet, quae saeculi huius vanam laetitiam animarum saluti [postponitis] plurimum et honesto atque devoto habitu, non tamen monastico aut alicuius religionis, assumpto, sed mortificationem carnis praeferente, intra monialium religiosarum S. Clarae de humilitate gloriosae virginis Mariae de Longocampo vel alterius eiusdem S. Clarae de custodia, etiam praefatae beatae Mariae virginis, de Guischia prope Blesis, Parisien. et Carnoten. dioec., nuncupatorum monasteriorum clausuras recludi perpetuo ardenter appetatis, ut eo ferventius, quo quietius mundi huiusmodi oblectamentis ac forensibus tumultibus postergatis, valeatis Altissimo commodius famulari, vestris devotis ac honestis supplicationibus inclinati, quod in altero monasteriorum praedictorum cum tribus aliis mulieribus idoneis virginibus bonae famae aut viduis de incontinentia non suspectis, quae vobis, quamdiu simul vel successive vixeritis, prout continget, in omnibus licitis et honestis servire possint et debeant, intrare vosque et ipsae servientes intra clausuram eiusdem monasterii, dummodo inibi inveniatis benevolas receptrices, perpetuo stare et inter moniales aut seorsum commorari valeatis, quodque aliquem idoneum et discretum presbyterum, etiam religiosum, quem ad hoc duxeritis eligendum, in vestrum et servientium praedictarum possitis eligere confessorem, qui, quotiens fuerit opportunum, confessionibus vestris diligenter auditis pro commissis debitam vobis absolutionem impendat et iniungat poenitentiam salutarem, cui in huiusmodi sicuti confessoribus religiosarum praedictarum eamdem absolvendi potestatem concedimus, atque eidem confessori, quem, ut praemittitur, elegeritis, ut omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contritae et ore confessae fueritis seu fuerint, semel tantum in vita et semel in mortis articulo plenam remissionem vobis ac eisdem servientibus ... auctoritate apostolica concedere valeat, sic tamen, quod eidem confessori de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda *etc.* Et ne, quod absit, reddamini propter huiusmodi gratiam procliviores ad illicita in posterum committenda *etc.*, et insuper, quod per unum annum, a tempore, quo praesens Nostra concessio ad vestram notitiam pervenerit, computandum, singulis sextis feriis impedimento cessante legitimo tantum ieiunetis; quod si *etc.* Quodsi prae infirmitate aut gravi morbo ad cancellos iuxta morem dictorum monasteriorum pro huiusmodi vel aliis ecclesiasticis sacramentis recipiendis minime venire possetis, idem confessor per vos electus, uno presbytero vel etiam religioso sociatus, claustra eiusdem monasterii, in quo essetis, ingredi et tam vobis, quam eisdem ser-

(1) Reg. Vat. t. 387, f. 124v. Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 852, p. 290.

vientibus casu praedicto confessiones vestras audire ac dominici corporis et extremae unctionis aliaque ecclesiastica sacramenta consueta ministrare ac corpora decedentium iuxta consuetudinem eorumdem monasteriorum debeat ecclesiasticae tradere sepulturae. Pro huiusmodi autem vestris aegritudinibus medicis et barbitonsoribus, quemadmodum in simili casu a praedictis monialibus observatur, necnon et ipsis earum famulis aut colonis pro vestris victualiis, lignis aliisque utensilibus et necessariis inferendis ex more clausuram praedictam ingrediendo pro necessitate pateat aditus et accessus; vobis quoque et ipsis servientibus ac vestrum cuilibet cum eisdem abbatissa et conventu causa devotionis in refectorio discumbendi aut servato silentio et disciplina monasticis cibariis solitis, dummodo earumdem religiosarum ad id consensus accedat, vescendi omnibus et singulis auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, idibus iulii, ... anno II.

1217. Mandat, ut Philippum Norreys excommunicatum publicent (1).

1448, iulii 18, Romae.

Venerabilibus fratribus Cantuarien. et Dublinen. archiepiscopis et episcopo Londinien.

Dudum fel. rec. Eugenii papae IV, praedecessoris Nostri, emanarunt litterae tenoris subsequentis:

Eugenius episcopus, servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus Dublinen. et Armachan. archiepiscopis ac episcopo Baiocen.

Exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum *etc. (ut supra n. 484, p. 231).*

Datum Florentiae, anno ... 1440, IX kal. septembris, ... anno X.

Et deinde Nobis, qui dicto praedecessore, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto fuimus divina favente clementia ... assumpti, pro parte magistrorum, ministrorum et fratrum praedictorum exposito, quod Philippus sententiae huiusmodi et habitis super ea processibus contumaciter parere non curabat, loco et tempore congruis desuper requisitus, sed congregatis in Basilea, etiam post translationem olim concilii Basileensis de Basilea ad civitatem Nostram Ferrarien. per eumdem praedecessorem factam, adhaeserat et in sententiis, censuris et poenis in processibus praedictis contentis, quas occasione non paritionis huiusmodi incurrerat, per duos annos insorduerat et a litteris, processibus ac requisitione praedictis ad Sedem Apostolicam, ut dicebat, appellarat: Nos dicto Dominico, tituli S. Crucis in Ierusalem presbytero, tunc, ut praefertur, S. Mariae in Via Lata diacono cardinali, commisimus, ut ad dilecti filii procuratoris fiscalis curiae causarum camerae apostolicae instantiam contra praedictum Philippum ... aggravatorias brachium saeculare implorando litteras daret; ac, prout sibi videretur, omnibus et singulis praelatis ac principibus saecularibus, communitatibus et aliis officialibus locorum, ad quae dictus Philippus declinaret, sub poenis et censuris mandaret, ut ipsum Philippum caperent et in firma custodia detinerent, quousque dictas damnatas conclusiones revocaret ac dictis magistris, ministris et fratribus de expensis huiusmodi, in quibus condemnatus erat, satisfaceret, et quid de ipso agi deberet, exsisteret ordinatum: ipseque cardinalis Philippum praedictum tamquam rebellem et inobedientem mandatis Sedis Apostolicae et propter praemissa haereticum, in sententiis, censuris et poenis praedictis per suas litteras aggravavit cum auxilii brachii saecularis invocatione ac litteras aggravatorias et reaggravatorias cum invocatione auxilii huiusmodi extra Romanam curiam decrevit et concessit, prout *etc.* Cum autem, sicut eadem petitio continebat, magistri, ministri et fratres praedicti dubitent, quod dictus Philippus litteris cardinalis huiusmodi et praesentium vigore habendis processibus reverenter parere non velit, pro parte magistrorum, ministrorum et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum alias litteras cardinalis, ubi et quando expedire videritis, auctoritate Nostra sollemniter publicantes necnon sententias, censuras et poenas huiusmodi aggravatorias fore nuntiantes, dictum Philippum, quotiens super hoc pro parte magistrorum, ministrorum et fratrum praedictorum fueritis requisiti, in ecclesiis aliisque locis infra missarum sollemnia, dum maior inibi populus ad divina convenerit, dominicis festivisque diebus haereticum et excommunicatum campanis pulsatis, candelis accensis pariter et exstinctis et in terram proiectis publice nun-

(1) Wadd. *Ann.* ad a. 1448, n. 20. « e l. 1 de regul. f. 56 ». Cf. *Bull. Ord. Praed.* t. III, pag. 257, n. 28; *Bull. Carmel.* t. 1, pag. 213.

tietis et ab aliis nuntiari et ab omnibus arctius evitari necnon capi et sub dicta custodia detineri faciatis, donec et quousque praedictas conclusiones revocaverit et de expensis ipsis magistris, ministris et fratribus praedictis satisfecerit. Et insuper legitimis ... processibus eos, quotiens expedierit, aggravare curetis, contradictores *etc.*, invocato *etc.* Non obstante, si dicto Philippo vel quibusvis aliis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XV kal. augusti, ... anno II.

1218. Episcopo Cluanen. mandat, ut a Iohanne White, in universali ecclesia episcopo, cessionem ecclesiae Clonferten recipiat, et decernit provisionem et praefectionem de persona Cornelii, electi Clonferten., O. F. M. professoris, in theologia baccalaurei, in sacerdotio constituti, a data praesentium plenam firmitatem obtinere (1).

1448, Iulii 18, Romae.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XV kal. augusti, ... anno II.

1219. Mandat, ut confirmet fundationem monasterii nominis Iesu Capuan., O. S. Cl. (2).

1448, Iulii 20, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Capuan.

Apostolicae *etc.* Sane pro parte in Christo dilectarum filiarum abbatissae et conventus monasterii Iesu nuncupati, ordinis S. Clarae, Capuan., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim, postquam Antonius Tobiae et dilecta in Christo filia Blancuccia, relicta dicti Antonii laici vidua, Capuan., de bonis sibi a Deo collatis in quadam ipsorum domo in civitate Capuan. consistente ... monasterium ipsum, in quo degunt, cum ecclesia et necessariis officinis sub vocabulo eiusdem sancti nominis Iesu construi et aedificari fecerant de licentia ordinarii loci ac eidem monasterio pro dote reservato eis, quoad viverent, usufructu ac etiam iure patronatus omnia bona sua donaverant, ... nonnullae moniales S. Clarae de licentia provincialis ministri ordinis Minorum provinciae Terrae Laboris, secundum morem dicti ordinis tunc existentis, praedictum monasterium per Antonium Tobiae et Blancucciam praedictos eis nomine dicti ordinis donatum, concessum ac etiam assignatum intraverunt et deinde moniales et conventus tunc inibi exsistentes vocatis omnibus, quae voluerunt, potuerunt et debuerunt electioni huiusmodi commode interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris est, convenientes in unum, dilectam in Christo filiam Agnesellam, monialem dicti monasterii, ordinem ipsum expresse professam, de legitimo matrimonio procreatam ac in aetate legitima constitutam, in earum et dicti monasterii abbatissam concorditer elegerunt, ipsaque Agnesella electioni huiusmodi consentiens electionem ipsam a dilecto filio vicario tunc generalis ministri ordinis Minorum praelibati iuxta ipsius ordinis consuetudinem diutius observatam obtinuit confirmari, et successive abbatissa et conventus praedictae, in praedicto monasterio honeste et laudabiliter sub regularibus dicti ordinis institutis perseverantes, in illo octo annis vel circiter permanserunt Altissimo famulantes. Cum autem abbatissa et conventus praedictae fundationem, constructionem et donationem huiusmodi ac omnia et singula in dicto instrumento contenta et inde secuta cupiant apostolico munimine roborari, pro parte abbatissae et conventus praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et constructionem, fundationem ... et singula in dicto instrumento contenta ... approbes et confirmes suppleasque omnes defectus *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIII kal. augusti, ... anno II.

1220. Mandat, ut visitet monasterium S. Leonardi de Calignano, Ianuen., O. S. Cl., et de compertis referat (3).

1448, augusti 13, Romae.

Dilecto filio Raphaeli de Pornacio de Ianua, ordinis fratrum Praedicatorum et theologiae professori.

Pastoralis officii debitum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Iohannis Ludovici, Lavaniae comitis, et maioris partis aliorum nobilium de Flisco petitio continebat, quod, licet alias monasterio S. Leonardi de Calignano, Ianuen., ordinis S. Clarae, quod nonnulli eorum antecessores fundarunt et construxerunt, abbatissae regimini destituto, dilectae in Christo filiae conventus dicti monasterii in votis illarum se divisis atque maior pars Orietam Perone et aliquae earum Petram de Squarzaficis, dilectas in Christo filias moniales dicti monasterii, abbatissas elegerunt, et electio

(1) Reg. Lat. t. 454, f. 213 v. — Cf. supra n. 1060, p. 534 et n. 543, p. 259.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 10. « e l. 1 de regul. a. II, f. 158 ».

(3) Reg. Lat. t. 453 B, f. 231 v.

de Orieta facta huiusmodi tamquam de idoneore et a maiore parte conventus huiusmodi celebrata de iure confirmari deberet, necnon dilectus filius Iohannes de Gattis, prior prioratus S. Theodori, extra muros Ianuen., pro parte et quiete dicti monasterii auctoritate quarumdam litterarum fel. rec. Eugenii papae IV [1] de Orieta cassans et annullans, ac de Petra electiones factas praedictas approbans et confirmans, ipsam Petram eidem monasterio in abbatissam praefecerit ac dictam Orietam in vicariam et thesaurariam eiusdem monasterii sub certis modo et forma instituerit ac deputaverit, dictaque Orieta, quamvis de iure cassationem et alia inde secuta praedicta impugnare posset, tamen pro pace et quiete antedictis gestis seu ordinatis per priorem huiusmodi non contradicens ex tunc aliquamdiu vicariatus et thesaurariatus officia sibi commissa praedicta laudabiliter gesserit, magna semper cum honestate et religiose in dicto monasterio vivens, tamen pro eo, quod dilecti filii Ludovicus de Cafarellis, minister provincialis provinciae Ianuen. iuxta morem fratrum Minorum, qui unam, et etiam Ambrosius de Flisco, dicti ordinis et theologiae professores, qui aliam ex monialibus praedicti monasterii in concubinas, ut publica laborat infamia, tenere non expavescunt, considerantes, quod dicta Orieta, quae ratione officiorum sibi commissorum praedictorum, cum ipsa Petra propter eius senium et infirmitatem regimini et curae portarum dicti monasterii vacare non posset, regimen et curam praefata gerebat, nullatenus permittebat, quod dicti fratres praefatum monasterium ad eorum concubinas intrarent, ut sic dicta Orieta a regimine et gubernatione eiusdem monasterii remota ipsi eorum in praemissis perniciosissimas voluntates facilius adimplere possent, quasdam litteras, per quas inter cetera Nobis suggesto, quod quaedam sorores dicti monasterii vitam ducebant plurimum dissolutam, et quod praefata Orieta, quae per singulos fere dies cum saecularibus presbyteris conversabatur et asserens se vicariam summi pontificis, monitiones sibi per dictum ministrum desuper factas contempserat, praemissorum causa esse dicebatur: Nos Ludovico, ministro, et Ambrosio praefatis ac dilecto filio priori prioratus S. Nicolai de Buscheto, Ianuen. dioec., quem, ut creditur, tamquam simplicem et bonum virum sibi in collegam ad palliandum eorum errores adiungi fecerunt, commisimus, quatenus ad dictum monasterium personaliter accedentes, dictam Orietam praedicto vicariatu privarent ... et deinde ipsum monasterium tam in capite quam in membris visitarent, corrigerent et reformarent [2], a Nobis extorquere ipsarumque sic extortarum litterarum vigore dictam Orietam ad id nullatenus vocatam praefato vicariatu privare, et licet ipsa Orieta consideraret, eosdem professores sibi suspectissimos fore ac praefatas litteras animo et intentione abutendi dicto monasterio et in eo turpitudines suas liberius exercendi, non autem ad reformationem sive utilitatem eiusdem monasterii impetrasse, tamen ipsa Orieta de conscientiae et morum suorum ac nonnullarum aliarum sororum in dicto monasterio religiose vivere volentium eius sequacium confidens, dictos priorem prioratus de Buscheto et professores, ut ad visitationem, correctionem et reformationem dicti monasterii procederent, requisivit, offerens se paratam in omnibus eorum obedire mandatis, ac dicti prior et professores nescitur quam visitationem, absque tamen notario et personis publicis fecerunt, non curantes ad ipsarum litterarum Nostrarum exsecutionem procedere. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praemissa sint mali exempli et nisi per Nos desuper opportune provideatur, verisimiliter timendum est, ne dictum monasterium etiam malis operibus professorum eorumdem ad totalem desolationem deveniat, pro parte Iohannis Ludovici et nobilium praedictorum, asserentium, quod in praefato monasterio quinque vel sex sorores de Flisco ordinem ipsum professae exsistunt, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, habens prae oculis solum Deum et ad dictum monasterium personaliter accedens, illud eiusque personas tam in capite quam in membris necnon in eisdem spiritualibus et temporalibus auctoritate Nostra diligenter visitare, et quidquid per visitationem eamdem compereris, Nobis per tuas litteras tuo seu alterius publico sigillo munitas insinuare necnon processum desuper habitum eisdem litteris introclusam ad Nos transmittere non postponas, ut super praemissis eidem monasterio eiusque statui salubriter providere valeamus. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, idibus augusti, ... anno II.

1221. Archiepiscopo Neapolitan. mandat, ut Antonio Olzina, qui in aetate quatuordecim annorum blanditiis et suasionibus parentum suorum ac iuvenili quadam fragilitate impulsus, domum S. Francisci Valentin., O. F. M., ingressus ordinemque saltem tacite

(1) Vide supra n. 980, p. 481.

(2) Vide supra n. 1198, p. 609.

professus, postea habitu abiecto ad saeculum reversus, in habitu laicali incesserat, pro quo etiam Iohannes Olzina, Alfonsi regis Aragonum secretarius, supplicaverat, concedat absolutionem a censuris et irregularitatibus licentiamque transeundi ad ordinem S. Augustini canonicorum regularium atque facultatem recipiendi quodcumque beneficium per praefatos canonicos gubernari consuetum (1).

1448, augusti 20, Romae.

Solet Sedis Apostolicae copiosa benignitas *etc.* Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIII kal. septembris, ... anno II.

1222. Mandat, ut annullent sententias ab archiepiscopo Ebredunen. (Embrun) latas contra fratres domus Briensoni (Briançon), eiusdem dioec., eosque defendat in iure exemptionis (2).

1448, augusti 21, Romae.

Venerabili fratri episcopo Dignen. et dilecto filio praeposito monasterii Ulcien. per praepositum soliti gubernari, Taurinen. dioec.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus Briensoni, ordinis Minorum, Ebredun. dioec., petitio continebat, quod, licet ipsi per speciale Sedis Apostolicae privilegium, cui non est hactenus in aliquo derogatum, ab omni iurisdictione archiepiscopi Ebredun. pro tempore exsistentis et quorumcumque aliorum ordinariorum iudicum sint prorsus exempti et dictae Sedis immediate subiecti ... fuissentque ipsi ac guardianus et fratres dictae domus, qui pro tempore fuerint, in pacifica possessione vel quasi exemptionis huiusmodi a tempore concessionis eiusdem et etiam, cuius contrarii memoria non exsistit, tamen venerabilis frater Noster archiepiscopus Ebredunen. per se vel officialem Ebredunen. pro eo, quod ipsi quemdam Ludovicum Garuandi de Navachia, dictae dioec., qui tres calices, quorum unus ad ecclesiam dictae domus legitime pertinebat, furto subtraxerat eosque in quodam monte tunc expresso abscondisse et, nisi ita esset, disciplinam seu correctionem, quam ipse guardianus et fratres sibi imponere vellent, sponte subiret, asserebat, non repertis calicibus praedictis causa correctionis et disciplinae virgis eumdem, tamen clericum fore, cum nulla in eo clerici seu clericatus insignia apparerent, sed absque habitu et tonsura clericalibus incederet, ignorantes, verberaverunt absque tamen excessu difficili, fecit eos excommunicatos publice denuntiari et ab aliis arctius evitari ac ipsius domus ecclesiam supposuit ecclesiastico interdicto necnon pretium cuiusdam vineae minus utilis, alias ad domum et fratres praedictos ex dispensatione Sedis Apostolicae communiter pertinentis, per eos quibusdam laicis venditae una cum ipsius vineae fructibus per septennium vel circa arrestari et detineri fecit indebite ac diversas alias guardiano et fratribus praedictis iniurias irrogavit pariter et iacturas. Quare pro parte *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si ... vobis de praemissis legitime constiterit, guardianum et fratres praedictos ... a dictis sententiis ... ad cautelam auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvatis ... ac interdictum huiusmodi relaxetis, omnia quoque et singula per archiepiscopum seu officialem praefatos contra exemptionem eamdem attentata aut facta cassare ... necnon guardianum et fratres praedictos in statum pristinum, in quo ante huiusmodi sententias exsistebant, reponere, eisdem insuper archiepiscopo et officiali, ne eos de cetero contra eamdem exemptionem indebite molestare aut inquietare seu christifideles [a] piis eleemosynis praedictis retrahere ... attentent, eadem auctoritate Nostra inhibere curetis, super aliis vero auditis hincinde propositis, quod iustum fuerit, ... decernatis, facientes *etc.* Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XII kal. septembris, ... anno II.

1223. Concedit licentiam, ut sorores III. O. S. Fr. in civitate Pistorien. domum in dicta civitate recipere, ministram eligere, mulieres ad habitum et professionem admittere valeant (3).

1448, augusti 22, Romae.

Venerabili fratri episcopo Pistorien.

Piis fidelium votis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum communis et civium civitatis Pistorien. Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilectae in Christo filiae Maria de Florentia, Andrea, Catharina et Angela de Pistorio, sorores tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, in dicta civitate separatim commorantes, ob frugem melioris vitae in aliqua domo civitatis eiusdem ad hoc congrua et honesta in congregatione ac sub debito obedientiae gubernaculo, alias iuxta regularia dicti ordinis instituta, vivere et Altissimo de-

(1) Reg. Vat. t. 389, f. 23.
(2) Reg, Lat. t. 453 B, f. 147.
(3) Reg. Lat. t. 454, f. 216; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 11.

servire cupiunt. Quare pro parte communis et civium praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro laudabili dictae domus directione praefatis sororibus, postquam in ipsa congregatione fuerint, ut praefertur, quod unam ex eis, quae ceteris praesit easque iuxta ipsius ordinis regulam dirigat et gubernet, et cui praefatae et aliae, quae ibi pro tempore erunt, sorores parere ac obedientiam et reverentiam debitas exhibere debeant, hac vice et successive, cum domus ipsa per eiusdem ministrae cessum vel decessum aut alias quovis modo ministra caruerit, sibi perpetuis futuris temporibus in ministram, quae per visitatorem per eas iuxta huiusmodi instituta ex aliqua approbata religione eligendum suis demeritis exigentibus, de consilio tamen et assensu earumdem sororum amoveri valeat, eligere, quodque mulieres a saeculo fugientes in domo praefata Domino famulari cupientes, ministra pro tempore exsistens ad habitum et professionem ipsius regulae iuxta huiusmodi instituta recipere et admittere valeat, ac visitator, qui pro tempore fuerit, ministram et sorores praedictas, cum expedire videbitur, dum tamen dictae domus septa non ingrediatur, pro corrigendis excessibus visitare culpabilesque repertas corrigere valeat, licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... eisdem sororibus pro tempore exsistentibus aliquam domum in dicta civitate ad id congruam et honestam ... recipiendi et ... dictae domus ministram eligendi ac ministrae sic electae domum et sorores huiusmodi regendi et gubernandi mulieresque e saeculo fugientes in domum ipsam et ad professionem iuxta dicti ordinis consuetudinem recipiendi, ... necnon visitatori ... eligendi ministram, ... privandi illamque ac sorores ... visitandi, ... corrigendi ... licentiam largiaris. Nos enim ... ministrae et sororibus, ... ut omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant, ... indulgemus. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XI kal. septembris, ... anno II.

1224. Episcopo Brixien. mandat, ut emptionem petiae terrae hortivae, prope portam Brixien., S. Nazarii nuncupatam, consistentis ac ad domum de Gambara, ordinis Humiliatorum, pertinentis, factam a communi civitatis et rectore consortii hospitalis S. Spiritus Brixien. pro fundatione monasterii O. S. Cl., rescindat pretiumque restitui faciat, cum monasterium praedictum in alio loco aptiore praedictae civitatis iam pro magna parte constructum sit (1).

1448, augusti 24, Romae.

Ad ea, quae pro religionis propagatione *etc.* Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, IX kal. septembris, ... anno II.

1225. Mandat, ut hospitale continentium de Aravolte, extra muros Narnien., conferat Thomae Ladislai et aliis fratribus III. O. S. Fr. (2).

1448, augusti 24, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Angeli in Massa, Narnien dioec.

Devotarum Nobis et Apostolicae Sedi *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum Thomae Ladislai, in civitate Nostra Narnien. commorantis, ac Petri de Arimino (3), presbyteri tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati professoris, Nobis exposito, quod hospitale continentium de Aravolte, extra muros Narnien., quod ex communibus voce et fama dicti ordinis fore dicebatur et a longis citra temporibus successive per aliquas mulieres ordinem ipsum professas rectum et gubernatum exstiterat, per dilectam in Christo filiam Luminatam de Orto, quae se gerebat pro sorore dicti ordinis, adeo remisse et negligenter tunc regebatur et gubernabatur, quod ipsum hospitale, cuius domum et aedificia discooperire fecerat ac illorum tegulas et lignamina vendebat, et nisi per Nos desuper provideretur, ad totalem desolationem deveniret, ac pro parte eorumdem Thomae et Petri Nobis humiliter supplicato, ut, ne alias ipsum hospitale ad totalem desolationem deveniret, *etc.*, Nos venerabili fratri Nostro episcopo Melfien. dedimus in mandatis, quatenus *etc.* Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte eiusdem Thomae petitio continebat, praefatae litterae propter ipsius episcopi absentiam ac ex certis aliis causis nondum exsecutioni demandatae fuerint et, sicut accepimus, praefata Luminata extra Romanam curiam fuerit vita functa sicque dictum hospitale ad praesens gubernatrice destitutum exsistat, Nos, sperantes, quod dictum hospitale per Thomam et alios tertii ordinis fratres praedictos regetur utiliter et salubriter gubernabitur, ipsius Thomae in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, praefatum hospitale, cuius fructus, redditus et proventus duodecim florenorum auri de camera ...

(1) Reg. Lat. t. 454, f. 4. Cf. supra n. 1164, p. 589 et n. 1110, p. 563.

(2) Reg. Lat. t. 453 B, f. 10.

(3) De Petro de Arimino cf. supra n. 1035, p. 517.

valorem annuum ... non excedunt, ... praefato Thomae et fratribus praedictis per eos vel aliquos ex eis inantea perpetuis futuris temporibus regendum ... concedas pariter et assignes, ita quod ex tunc liceat eisdem Thomae et fratribus per se vel alium seu alios corporalem possessionem dicti hospitalis iuriumque et pertinentiarum praedictorum propria auctoritate apprehendere ac illius fructus, redditus et proventus in suos et dictorum fratrum usus et utilitatem convertere, dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia desuper nullatenus requisita, iure tamen *etc.* Nos enim, ... quod dictum hospitale ac in illo pro tempore degentes fratres praedicti ordinis omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere valeant, ... concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, IX kal. septembris, ... anno II.

1226. Cornelium O'cunlis (O. F. M.), antea Imelacen. episcopum, transfert ad ecclesiam Clonferten. (1).

1448, augusti 30, Romae.

Venerabili fratri Cornelio Ocunlis, episcopo Clonferten.

Divina disponente clementia *etc.* Dudum siquidem provisiones ecclesiarum *etc.* Cum itaque postmodum ecclesia Clonferten. ex eo apud Sedem praedictam vacaverit et vacet ad praesens, quod venerabilis frater Noster Iohannes White, ipsius Clonferten. ecclesiae episcopus, regimini et administrationi dictae ecclesiae, cui tunc praeerat, per venerabilem fratrem Nostrum Cornelium Omulalaid, Imelacen., tunc etiam in universali ecclesia episcopum, procuratorem suum, ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus Nostris sponte et libere cesserit, Nosque cessionem ipsam duxerimus admittendam, Nos ad provisionem ipsius ecclesiae Clonferten. *etc.* demum ad te Clonferten., tunc Imelacen. episcopum *etc.* Intendentes igitur tam dictae Clonferten. ecclesiae quam eius gregi dominico salubriter providere, te apud Sedem eamdem constitutum, a vinculo, quo eidem Imelacen. ecclesiae, cui tunc, ut praefertur, praeeras, tenebaris, ... absolventes, te ad praefatam Clonferten. ecclesiam transferimus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, III kal. septembris, ... anno II.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo eccles. Clonferten.; Clero civ. et dioec. Clonferten.; Populo civ. et dioec. Clonferten.; Universis vasallis ecclesiae Clonferten.;* praeterea *Archiepiscopo Tuamen.* (Ad cumulum); *Henrico regi Angliae* (Gratiae divinae).

1227. Cornelium Omulalaid [O. F. M.] transfert ab ecclesia Clonferten. ad Imelacen. (2).

1448, augusti 30, Romae.

Venerabili fratri Cornelio Omulalaid, episcopo Imelacen.

Romani pontificis, quem pastor ille coelestis *etc.* Sane ecclesia Imelacen. ex eo pastoris solatio destituta, quod Nos hodie venerabilem fratrem Nostrum Cornelium Ocunlis, Clonferten., tunc Imelacen. episcopum, apud Sedem Apostolicam constitutum, a vinculo, quo ipsi ecclesiae Imelacen., cui tunc praeerat, tenebatur ... absolventes, ipsum ad ecclesiam Clonferten., tunc vacantem, duximus auctoritate apostolica transferendum, praeficiendo *etc.* Nos ad provisionem ipsius Imelacen. ecclesiae *etc.* demum ad te, Imelacen., tunc Clonferten. episcopum, ... direximus oculos Nostrae mentis. Intendentes igitur *etc.* te, apud Sedem eamdem constitutum, a vinculo, quo eidem Clonferten. ecclesiae, cui tunc praeeras, tenebaris, ... absolventes, te ad praefatam Imelacen. ecclesiam transferimus teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, III kal. septembris, ... anno II.

Simili modo eodem die scribit: *Capitulo ecclesiae Imelacen.; Clero civ. et dioec. Imelacen.; Populo civ. et dioec. Imelacen.; Universis vasallis eccl. Imelacen.;* praeterea *Archiepiscopo Cassellen.* (Ad cumulum), et *Henrico, regi Angliae* (Gratiae divinae).

---

(1) Reg. Lat. t. 448, f. 20v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 12. De Cornelio O'cunlis cf. supra n. 813, p. 383; De Iohanne White cf. supra n. 1218, p. 622; De Iohanne Omulalaid cf. supra n. 1060, p. 534.

(2) Reg. Lat. t. 448, f. 18v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 13. Litteris *Ut cunctarum, praesertim cathedralium,* eiusdem diei 30 aug. 1448, declaratur praefatas litteras perinde valere, ac si in eisdem dictum fuisset, quod aut per cessionem vel obitum seu revocationem et cassationem aut alias quovis modo vel ex alterius cuiuscumque persona praefata Imelacen. ecclesia vacasset. In superioribus enim litteris dictum est Imelacen. ecclesiam vacare translatione Cornelii O'cunlis ad Clonferten. Sed dubitatur a pluribus, an Imelacen. ecclesia vacet ex eo, quod Cornelius O'cunlis sponte cesserit, vel per obitum bon. mem. Thomae de Burgo, olim eiusdem Imelacen. episcopi, vel per revocationem provisionis dictae ecclesiae Imelacen. de persona Roberti Anglici et cassationem litterarum superinde confectarum. Reg. Lat. t. 454, f. 186. Cf. n. praec.

1228. Archiepiscopo Tuamen. et Thomae Obroyn, Tuamen., ac Dermitio Odobelcayn, Clonferten. canonicis, mandat, quatenus Iohanni Obrogan, III. O. S. Fr., conferri curent vicariam parochialis ecclesiae de Kyllimaelcoysny, Clonferten. dioec. (1).

1448, augusti 31, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, pridie kal. septembris, ... anno II.

1229. Ludovicum de Valleoleti, O. F. M., instituit episcopum Sydonien. (2).

1448, septembris 2, Romae.

Dilecto filio Ludovico de Valleoleti, electo Sydonien.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Iohanne, episcopo Sydonien., regimini Sydonien. ecclesiae praesidente, Nos cupientes *etc.* Postmodum vero praefata ecclesia per obitum eiusdem Iohannis episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi *etc.* demum ad te, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professorem, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* Volumus autem, quod *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, IV nonas septembris, ... anno II.

1230. Abbatissae monasterii Brugen. (Brügge), O. S. Cl., Tornacen. dioec., concedit licentiam recipiendi sex puellas in moniales ultra numerum solitum (3).

1448, septembris 2, Romae.

Dilectae in Christo filiae Barbarae, abbatissae monasterii monialium Minorissarum nuncupatarum, ordinis S. Clarae, oppidi Brugen., Tornacen. dioec.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, facultates et redditus monasterii monialium Minorissarum nuncupatarum, ordinis S. Clarae, oppidi Brugen., Tornacen. dioec., cuius abbatissa exsistis, adeo excreverint et opulenti exsistant ad praesens, quod praeter solitum inibi ab olim institutum et hactenus observatum monialium numerum plures moniales ex illis commode sustentari possent, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi aliquas in dicto monasterio pro divini cultus inibi incremento moniales ultra dictum numerum recipiendi facultatem concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... ut liceat tibi ultra dictum institutum numerum sex alias puellas, quas regulari observantiae et monasterio huiusmodi in Domino prospexeris profuturas, dummodo ad id dilectarum in Christo filiarum monialium dicti monasterii accedat assensus, et monasterium ipsum exinde nimium non gravetur, hac vice dumtaxat in ipso monasterio recipere eisque regularem habitum alias iuxta dicti monasterii consuetudinem exhiberi et de communibus ipsius monasterii proventibus, sicuti aliis praefati monasterii monialibus in ipso monasterio degentibus integre responderi easque ibidem sincera in Domino charitate tractari facere necnon ab eisdem professionem regularem per moniales dicti monasterii emitti solitam, si eam emittere voluerint, recipere vel recipi mandare, constitutionibus *etc.* nequaquam obstantibus devotioni tuae auctoritate apostolica concedimus et etiam indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, IV nonas septembris, ... anno II.

1231. Petrum de Migolla, O. F. M., instituit episcopum Cupersan. (Conversano) (4).

1448, septembris 4, Romae.

Dilecto filio Petro de Migolla, electo Cupersan.

Apostolatus officium *etc.* Sane ecclesia Cupersan. ex eo pastoris solatio destituta, quod Nos hodie venerabilem fratrem Nostrum Donatum, Valven., tunc Cupersan. episcopum, a vinculo, quo Cupersan. ecclesiae, cui tunc praerat, tenebatur, ... absolventes, eum ad dictam ecclesiam Valven., tunc vacantem, duximus auctoritate apostolica transferendum, *etc.* Nos ad provisionem praefatam Cupersan. ecclesiae *etc.* demum ad te, minorem poenitentiarium Nostrum, ordinem fratrum Minorum expresse professum et in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, pridie nonas septembris, ... anno II.

Simili modo eadem die scribit *Capitulo ecclesiae Cupersan.; Clero civit. et dioec. Cupersan.;*

(1) Reg. Lat. t. 453 B, f. 164v.

(2) Reg. Lat. t. 448, f. 81; Wadd. *Reg.* Nic. V, n. 14. Eidem litteris *Sincerae devotionis affectus* d. d. 2 sept. 1448 concedit licentiam exercendi pontificalia in civitate et dioec. Abulen. Reg. Lat. t. 454, f. 172. Eidem litteris *Cum Nos nuper* d. d. 16 sept. 1448 dat facultatem accipiendi munus consecrationis a quocumque catholico antistite. Reg. Lat. t. 454, f. 172v.

(3) Reg. Lat. t. 453, f. 9 v. — De monasterio Brugen. cf. supra n. 196, p. 96.

(4) Reg. Lat. t. 448, f. 85; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 15. De Petro de Migolla cf. supra n. 513. 514, p. 248.

Populo civit. et dioec. Cupersan.; Universis vasallis eccles. Cupersan.; praeterea *Archiepiscopo Baren.* (Ad cumulum) et *Regi Siciliae* (Gratiae divinae).

1232. Statuit, ut officium abbatissarum O. S. Cl. de observ. non ultra sexennium perduret (1).

1448, septembris 8, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Personarum Deo devote famulantium *etc.* Hinc est, quod Nos, dilecti filii Iacobi de Primaditiis, ordinis fratrum Minorum professoris, vicarii in citramontanis partibus fratrum huiusmodi de observantia nuncupatorum, supplicationibus inclinati, praesenti perpetuo valitura constitutione statuimus et ordinamus, quod singulae abbatissae, praesentes et futurae, singulorum monasteriorum monialium S. Clarae de observantia, quae hactenus praefuerunt et quas de cetero per sex annos regiminibus dictorum monasteriorum praeesse contigerit, elapsis dictis annis abbatissae esse desinant et ab huiusmodi regiminibus desistant et ad illud infra duos annos interim eligi nequeant, ac postquam per sex annos, ut praemittitur, praefuerint, moniales praedictae alias in earum abbatissas eligere debeant et teneantur. Et insuper, si dictae moniales contra statutum et ordinationem huiusmodi venire praesumpserint, ipso facto excommunicationis poenam incurrant, necnon dioecesani locorum, quotiens super hoc ab ipsis fratribus requisiti fuerint, singulas ex dictis monialibus, quas huiusmodi sententiam incurrisse constiterit, ac eis favorem, auxilium et consilium adhibentes excommunicatas publice infra triduum denuntiare teneantur, decernentes irritum *etc.*, quodque nullus ex dictis fratribus virtute quorumcumque privilegiorum seu litterarum apostolicarum ad audiendum confessiones alicuius ex dictis monialibus accedere valeat vel ad id compelli possit, nisi de consilio et assensu vicarii pro tunc exsistentis et fratrum provinciae, in qua monasteria huiusmodi consistunt. Et haec omnia servari volumus non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, VI idus septembris, ... anno II.

1233. Iacobo, episcopo Papien., mandat, quatenus cognita causa inter Isabettam, abbatissam monasterii B. Mariae Theodocis, alias de Lapusterla, Papien. O. S. Ben., et Iacobinam de Beccaria, se gerentem pro moniali monasterii S. Agathae, O. S. Cl., praedictae Iacobinae perpetuum silentium super regimine et administratione praedicti monasterii B. Mariae imponat (2).

1448, septembris 12, Romae.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448 pridie idus septembris, ... anno II.

1234. Officiali Albien. mandat, ut Bartholomaeum Serieys, O. F. M., post prohibitionem Martini V de licentia sui superioris ad monasterium S. Michaelis villae Galliaci, O. S. Ben., Albien. dioec., transgressum, absolvat a censuris et irregularitate eique concedat licentiam remanendi in ordine S. Benedicti (3).

1448, septembris 28, Romae.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, IV kal. octobris, ... anno II.

1235. Monasterio S. Nicolai de Murano, O. S. Cl., Torcellan. dioec., concedit privilegia monasterii Corporis Christi Mantuan., O. S. Cl., et approbationem privilegiorum, constitutionum etc. (4).

1448, octobris 1, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii S. Nicolai de Murano, ordinis S. Clarae, Torcellan. dioec.

Devotionis vestrae sinceritas *etc.* Hinc est, quod Nos, dilecti filii nobilis viri Francisci Foscari, ducis Venetiarum, ac vestris supplicationibus inclinati, vos et monasterium ipsum, in quo divino mancipatae estis obsequio, omnibus et singulis privilegiis, ... quibus monasterium Corporis Christi Mantuan., ordinis praefati, tam a fel. rec. Martino papa V quam a quibuscumque aliis pontificibus Romanis, praedecessoribus Nostris, concessis utitur sive gaudet, uti et gaudere perpetuo valeatis, auctoritate apostolica vobis tenore praesentium indulgemus. Et insuper omnia et singula privilegia, indulgentias, exemptiones, indulta, gratias et litteras huiusmodi necnon ipsius monasterii vestri laudabiles constitutiones et regularia instituta canonice edita eadem auctoritate approbamus, ratificamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno ... 1448, kalendis octobris, ... anno II.

(1) Reg. Vat. t. 407, f. 234.

(2) Reg. Lat. t. 453 B, f. 14. Cf. supra n. 42, p. 28 et n. 102, p. 55.

(3) Reg. Lat. t. 448, f. 182.

(4) Reg. Vat. t. 407, f. 218. — De monasterio de Murano cf. supra n. 519, p. 250.

1236. Alfonso Gundisalvi de Montemaiori, canonico Toletan., mandat, ut Alfonso Lupi de Septemecclesiis, presbytero Palentin. dioec., praesentato a Valentina, abbatissa, et conventu monasterii S. Clarae de Oterdesillas, O. S. Cl., eiusdem Palentin. dioec., ad quas de antiqua consuetudine talis praesentatio pertinebat, conferat ecclesiam parochialem S. Michaelis loci del Pino, Palentin. dioec. (1).

1448, octobris 1, Romae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno ... 1448, kalendis octobris, ... anno II.

1237. Matthaeo Blasii, laico Tinien. (Knin in Dalmatia) dioec., a Turcis abducto et a fratribus O. F. M. domus S. Iohannis de Bistrice recognito et liberato, concedit licentiam secum habendi religiosos in magistros (2).

1448, octobris 7, Romae.

Dilecto filio Matthaeo Blasii, laico Tinien. dioec.

Intenta salutis operibus *etc.* Sane pro parte tua ... petitio continebat, quod olim tu, qui, ut asseris, de nobili genere procreatus exsistis et per infideles ac christiani nominis inimicos, Teucros nuncupatos, regno Croatiae convicinos, adhuc in infantili aetate constitutus, abductus et cum ipsis nutritus ac per decem et octo annos vel circa iam exactos, fidem catholicam prorsus ignorans, commoratus fuisti, cum de mense aprili proxime decursi ad quamdam domum ordinis fratrum Minorum, S. Iohannis de Bistrice nuncupatam, in partibus eorumdem infidelium consistentem, divina miseratione pervenisses, ab eiusdem domus fratribus recognitus, demum tuis cognatis et amicis fuisti restitutus ac pristinae libertati, tuque propterea paganorum erroribus et superstitiosa secta ac caecitate relictis ad fidem catholicam, in qua natus et sacri baptismatis unda renatus exstiteras, rediens ipsamque fidem protinus recognoscens inviolatam illibatamque deinceps firmiter tenere et custodire proponis. Cum autem ... in orthodoxa, quam praecipua devotione amplecteris, christiana religione cupias perfectissime instrui et confutatis eisdem erroribus in ipsa, quantum permiserit Altissimus, informari ac pariter edoceri, ut residuum temporis vitae tuae, quod superest, cum profectu et salute animae valeas consummare, pro parte tua, cum prope locum tuorum domicilii et originis religiosorum in fide praelibata eruditorum copia non exsistat, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi, qui propterea necnon ob tuorum remissionem peccatorum ad limina BB. Petri et Pauli ac Sedem Apostolicam visitandum peregre personaliter advenisti, ut unum vel duos alicuius approbati ordinis religiosos ... in magistros et instructores habere, ipsique religiosi ... tecum per triennium commorari ... valeant, indulgemus, constitutionibus ... non obstantibus quibuscumque. Volumus autem *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, nonis octobris, ... anno II.

1238. Mandat, ut approbent concessionem certarum possessionum monasterio Mediolanen., O. S. Cl., factam ab Antonia, comitissa de Vicecomitibus (3).

1448, octobris 12, Romae.

Venerabili fratri Marco, episcopo Alexandrin., in civitate Mediolanen. commoranti, et dilectis filiis priori de Campo mortuo, Mediolanen. dioec., ac David de Lanteriis, canonico Cuman.

Apostolicae Sedis circumspecta benignitas *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Antoniae de Vicecomitibus, comitissae, relictae quondam comitis Francisci Carmagnole, Nobis exposito, quod olim ipsa ... de bonis sibi a Deo collatis dilectae in Christo filiae Paulae, ministrae seu matri monasterii novi, de Vedano nuncupati, Mediolanen., ordinis S. Augustini, cum tamen propter habitum, et quia fratres de observantia domus S. Mariae de Angelis, ordinis Minorum, extra muros Mediolanen., monasterium ipsum regebant, ordinis S. Clarae fore putaret, sexcentos florenos auri de camera, ut ex ipsis una capella pro uno capellano inibi missas celebraturo ibidem dotaretur, nullis tamen testibus praesentibus et nullo desuper publico instrumento confecto libere donaverat, ex quibus dicta ministra per medium certorum civium proborum Mediolanen., de quibus confidebat, suorum nominibus emi certum directum dominium seu fictum perpetuum viginti florenorum certorum immobilium bonorum et deinde ipsi monasterio donari libere procuraverat et fecerat, ac successive, cum quidam vir potens, quondam Philippi Mariae, ducis Mediolanen., cortesanus, aliud directum dominium seu fictum quatuordecim florenorum similium eiusdem domus seu sediminis, contigui praedicto monasterio, emi procurasset, propter cuius vicinitatem disturbium et suae devotionis impedimentum dicta ministra et dilectae in Christo filiae moniales monasterii huiusmodi

(1) Reg. Lat. t. 451, f. 37. — De monasterio de Oterdesillas cf. supra n. 1145, p. 582.

(2) Reg. Lat. t. 454, f. 238.

(3) Reg. Lat. t. 453 B, f. 137.

sibi afferri posse dubitabant, alios trecentos et quinquaginta florenos auri similes bona fide sine testibus et publico instrumento ... tradidit, ea conditione tamen adiecta, ut ex ipsis directum dominium seu fictum quatuordecim florenorum domus huiusmodi emeretur et ipsum sibi vel floreni trecenti et quinquaginta praedicti ad omnem requisitionem suam restituerentur; et consequenter ministra praefata ex ipsis per medium dilecti filii Cosmerii de Ferrariis, laici Mediolanen. dioec., directum dominium seu fictum huiusmodi domus emi et praefato monasterio donari libere etiam procuraverat et fecerat, postremo vero, cum ministra et aliquae moniales dicti monasterii S. Clarae, et aliquae S. Augustini ordines servare vellent, vigore certarum litterarum in forma brevis per fel. rec. Eugenii papae IV ... concessarum divisio monasterii ipsius, per quam quadraginta duabus S. Clarae una, et tredecim monialibus S. Augustini ordines huiusmodi servare profitentibus ecclesiae et aliae monasterii partes obvenerunt, nulla de praemissis donatis habita mentione facta exstitit. Et demum, cum praefata Antonia iuxta conventionem praedictam directum dominium seu fictum quatuordecim florenorum sibi relaxari vel trecentos et quinquaginta florenos huiusmodi restitui peteret, ac ministra et moniales ordinem S. Clarae profitentes, quae tunc quinquaginta tres numero erant, id commode facere non valebant, tandem, earum precibus inducta, dicta Antonia directum dominium seu fictum domus praefatae ad usum et utilitatem monialium S. Clarae praedictarum, cum alias ecclesia carerent in suisque habitationibus restrictae essent sperarentque utile dominium domus praedictae et pro ipsarum habitatione amplianda acquirere potuisse, dimittere libere contentaretur, ac pro parte praefatae Antoniae Nobis supplicato, ut sibi pro adimplemento devotionis suae directum dominium seu fictum quatuordecim florenorum domus praedictae ad usum ecclesiae pro monialibus S. Clarae huiusmodi fabricandae et dictum dominium directum seu fictum viginti florenorum ad usum capellaniae in S. Augustini vel S. Clarae aedificandae ecclesiis huiusmodi, prout sibi melius videretur, deputare et assignare posset, licentiam concedere dignaremur, Nos ... deputationem et assignationem praedictas libere et licite faciendi devotioni suae per alias Nostras litteras elargiti fuimus *etc.* Postmodum vero, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii ordinis S. Clarae praedictorum petitio continebat, ipsa Antonia litterarum ac licentiae huiusmodi vigore directum dominium ad civilem possessionem sediminis per Cosmerium empti et donati praedicti ac fictum libellarium quatuordecim florenorum auri praedictum omniaque illius iura et pertinentias ad ecclesiae pro monialibus ordinis S. Clarae fabricandae, necnon directa dominia ac civiles possessiones et ficta libellaria per alios cives empta et donata omniaque iura et pertinentias ipsorum ad capellaniae in ecclesia monasterii S. Clarae aedificandae necnon unius capellani, qui ibidem missas celebrare teneretur, usus et utilitatem deputavit et assignavit, prout plenius in dictis litteris continetur et instrumento publico superinde confecto dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, pro eo, quod ministra et moniales ordinis S. Augustini praedictae ad id vocatae, et in praefatis litteris Nobis exposita, quae etiam male probari possent, probata seu verificata penitus non fuerunt, a quibusdam asseratur dictas abbatissam et moniales ordinis S. Clarae directa dominia et civiles possessiones praedicta earumdem assignationis et deputationis vigore assequi illaque tenere non posse, pro parte dictarum abbatissae et conventus ordinis S. Clarae Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus ... illas auctoritate Nostra approbare et confirmare, quodque liceat eisdem abbatissae et conventui ordinis S. Clarae directa dominia ac civiles possessiones praedicta apprehendere et libere ac licite retinere, decernere ac ipsis ministrae et monialibus ordinis S. Augustini super dominiis et possessionibus antedictis perpetuum silentium imponere auctoritate Nostra curetis, et nihilominus ... non permittatis easdem abbatissam et moniales ordinis S. Clarae, quominus dominia ... assequi illaque tenere pacifice et quiete valeant, *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, IV idus octobris, ... anno II.

1239. Mandat, ut in monasterio monialium B. Mariae de Cantalupo, Mediolanen., a Bernardino de Senis, O. F. M., reformato, suppresso ordine S. Augustini instituat ordinem S. Clarae (1).

1448, octobris 15, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Ambrosii Mediolanen.

Pium et valde dignissimum *etc.* Exhibita siquidem Nobis pro parte dilectarum in Christo

(1) Reg. Lat. t. 453 B, f. 34. — Cf. supra n. 1099, p. 555.

filiarum abbatissae, ministrae nuncupatae, ac sororum monasterii B. Mariae de Cantalupo, Mediolanen., ordinis S. Augustini, petitio continebat, quod, cum dudum monasterium ipsum, quod non sine scandalo religiosarum, quae in eo degebant, in magna desolatione esset, mediantibus praedicationibus, doctrinis et eruditionibus bon. mem. Bernardini, ordinis fratrum Minorum professoris, reformationem accepisset, ministra et sorores eiusdem monasterii, observantiae regulari intendentes, ex tunc in eo sub perpetua clausura sese constituerunt, postmodum vero, videntes, quod in civitate Mediolanen. seu partibus illis monasteria monialium sub regula S. Augustini in observantia viventium nulla erant, secundum regulam S. Clarae seu ad eius instar vitam duxerunt, in habitu etiam se illis S. Clarae conformando et in similibus observantia, vita et habitu cum suffragio et doctrinis fratrum Minorum observantiae residentium in domo S. Angeli, extra muros Mediolanen., per multos annos perseverarunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, a quatuor annis citra suffragium et doctrina fratrum praedictorum ipsis ministrae et sororibus subtracta fuerint, nec interim, prout solebant, praedicationes vel doctrinas habuerint, quinimo a nonnullis asseratur, quod fratres Minores observantiam non facientes ad eas gubernandas ordinaria auctoritate deputari deberent, quod, si fieret, in magnum cederet discrimen ministrae et sororum praedictarum, quare pro parte ministrae et sororum praedictarum, asserentium eis multum difficile fore vivere sub regimine religiosorum alterius observantiae, qui eis commode intendere non possent, presbyteros vero saeculares ad illarum regimen et gubernationem minime sufficere, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut in monasterio B. Mariae huiusmodi ordinem S. Augustini praedictum supprimere et exstinguere ac in eo ordinem S. Clarae instituere ... dignaremur. Nos itaque, de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni tuae mandamus, quatenus ... ordinem S. Augustini in praefato monasterio B. Mariae auctoritate Nostra penitus et omnino supprimas et exstinguas ac ordinem S. Clarae inibi instituas statuasque et ordines, quod ministra et sorores praefati monasterii B. Mariae praesentes et futurae secundum regulam S. Clarae vivere necnon illius habitum gestare institutisque regularibus dicti ordinis S. Clarae se conformare debeant et teneantur. Nos enim ... volumus ac ipsis ministrae et sororibus apostolica auctoritate concedimus, quod quaecumque proprietates et bona immobilia, quae ad praesens possident, perpetuo retinere necnon omnibus et singulis privilegiis, ... quibus alia dicti ordinis S. Clarae monasteria monialium in genere gaudent et utuntur, uti valeant pariter et gaudere, auctoritate apostolica concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, idibus octobris, ... anno II.

1240. Mandat, ut medietatem bonorum a Iohanne Marino Nicolae, laico Spoletan. dioec., relictorum deputet ad opus reparationis ecclesiae S. Francisci loci de Montefalcone, O. F. M., Spoletan. dioec. [1].

1448, octobris 18, Romae.

Dilecto filio vicario venerabilis fratris Nostri episcopi Spoletan. in spiritualibus generali.

In hoc potissime sollicitudo Nostra *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Francisci loci de Montefalcone, ordinis fratrum Minorum, Spoletan. dioec., petitio continebat, quod olim quondam Iohannes Marinus Nicolae, laicus dicti loci, condens de bonis a Deo sibi collatis in eius voluntate ultima testamentum, in illo inter cetera post nonnulla tunc expressa per eum relicta legata quondam Lazarinam, Drusolinam, Franciscam et Brunascemam, eius filias, in reliquis omnibus bonis huiusmodi mobilibus et immobilibus sibi universales haeredes aequis portionibus instituit, ita tamen, quod dilecta in Christo filia Argentina, ipsius Iohannis Marini uxor, quamdiu viveret et vidualem vitam in domo eiusdem testatoris servaret seu monasterium aliquod non ingrederetur et dotem suam seu legatum non peteret, ipsorum bonorum domina et massaria remaneret, volens etiam et ordinans, quod, si dictas eius filias absque filiis ex se legitime natis decedere contingeret, reliqua bona pauperibus Christi, praesertim pupillis maritandis et aliis miserabilibus personis pro Deo et anima ipsius testatoris, prout praefatae ac S. Fortunati guardianis necnon priori S. Augustini, Minorum et S. Augustini huiusmodi ordinum, domorum dicti loci pro tempore exsistentibus, quos ad id exsecutores et fideicommissarios deputavit, melius expedire videretur, distribuerentur et erogarentur, prout *etc.* Cum autem ... omnes filiae praefatae sine liberis decesserint, praefatamque Argentinam, quae viginti annorum suae aetatis exsistit, aliam vitam eligere et per

[1] Reg. Lat. t. 453 B, f. 206. — De domo S. Fortunati cf. supra n. 1153, p. 584.

consequens conditionem faciendae exsecutionis voluntatis testatoris huiusmodi evenire speretur, ac ecclesia dictae domus S. Francisci, quae causantibus guerris in partibus illis vigentibus per S. Romanae ecclesiae hostes in suis structuris et aedificiis penitus destructa et collapsa exstitit, ex quo divinus cultus in ea quam plurimum est diminutus, reparatione non modica indigere noscatur, sintque propterea ad illius reparationem huiusmodi, quae iam inchoata exsistit, fidelium suffragia non modicum opportuna, et si bona praedicta pro reparatione huiusmodi de Apostolicae Sedis licentia concederentur, ... ecclesia ipsa pro magna parte reparari et refici posset, ... pro parte guardiani et fratrum domus S. Francisci praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... te diligenter informes et ... medietatem omnium mobilium et immobilium bonorum praedictorum, quae legatis huiusmodi necnon aere alieno deductis superesse contigerit, si et quamprimum per obitum dictae Argentinae seu mutationem status aut alias distributioni et erogationi bonorum huiusmodi locum esse contigerit, ... ad opus reparationis praedictae auctoritate Nostra concedas, deputes pariter et assignes. Volumus autem, quod, si concessionem ... feceris, ... medietas bonorum huiusmodi penes aliquem probum virum, fide et facultatibus idoneum, per guardianum et fratres praedictos eligendum, in reparationem huiusmodi et non alias fideliter et integre convertendorum deponatur et assignetur. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, XV kal. novembris, ... anno II.

1241. Mandat, ut fratres O. F. M. de observ. civitatis Meten. a domo iam inchoata amoveant, cum debita distantia a domo fratrum O. Carm. non sit servata (1).

1448, octobris 18, Romae.

Venerabili fratri episcopo Meten. et dilectis filiis abbati monasterii S. Symphoriani ac decano ecclesiae Meten.

Romani pontificis providentia circumspecta *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum prioris, guardiani et universorum fratrum ordinum mendicantium civitatis Meten. petitio continebat, quod, licet olim fel. rec. Urbanus papa V (2), praedecessor Noster, ut inter religiosos aemulationis et dissensionis tolleretur occasio, per suas litteras ordinaverat et districtius inhibuerat, quod nulli liceret ex tunc de fratrum Praedicatorum, Minorum, Poenitentiae Iesu Christi, B. Mariae de monte Carmeli, Eremitarum S. Augustini aliisque ordinibus in pauperate fundatis aliquod monasterium, ecclesiam vel oratorium aedificare seu construere, nulli quoque saeculari seu religioso cuiuscumque professionis ecclesiam vel monasterium sive oratorium iam aedificatum in aliquem transferre de ordinibus memoratis infra spatium trecentarum cannarum ab ipsis ecclesiis mensurandum, necnon statuerat, ut quidquid contra ordinationis et inhibitionis earumdem tenorem ex tunc aedificatum exsisteret, dirueretur omnino, et deinde ex certis causis huiusmodi spatium etiam de fratrum suorum consilio restringens, illud ad centum et quadraginta cannas reduxit, ac successive fel. rec. Martinus papa V, etiam praedecessor Noster, per etiam suas litteras statuerat et ordinaverat, quod singula tam de observantia quam etiam alia fratrum eorumdem domus et loca ex tunc in antea fundanda per quinque leucas seu quindecim milliaria distare deberent, ita videlicet, quod, si in aliqua civitate vel loco quocumque aliqua domus, conventus sive locus fratrum Minorum vel alicuius ex dictis ordinibus in huiusmodi civitate vel loco, in quo seu qua domus huiusmodi ordinis iam fundata foret, et deserviretur inibi laudabiliter in divinis, prope per quinque leucas seu quindecim milliaria huiusmodi alius conventus aut domus sive locus pro fratribus eiusmodi, etiam de observantia, etiam si apostolica vel alia quacumque auctoritate sub quacumque verborum forma eis concederetur, de novo fundari, construi aut etiam fundata recipi possit, districtius inhibens sub excommunicationis sententia sive poena universis fratribus ordinum praedictorum, etiam de observantia, necnon aliis ecclesiasticis seu saecularibus personis, ne contra statutum et ordinationem suam huiusmodi aliquid attentare auderent (3). Et interim ante Martini et post Urbani praedecessorum statuta, ordinationes et inhibitiones huiusmodi eidem Martino praedecessori pro parte dictorum guardiani et universorum fratrum ordinum mendicantium dictae civitatis exposito, quod, licet secundum praemissa nulli ordinum mendicantium praedictorum liceret domum, ecclesiam vel oratorium alteri eorumdem ordinum loco

(1) Reg. Vat. t. 408, f. 25 v. In margine legitur: *Cassata de mandato D. N. Papae per bullam SS. III kal. maii, anno III.* Vide infra sub die 29 aprilis 1449.

(2) Sed cf. *Bull. Franc.* t. VII, p. 723 not. 3.

(3) Vide *Bull. Franc.* l. cit. n. 1860, p. 723.

infra spatium centum et quadraginta cannarum huiusmodi constituto propinquum aedificare, et quod locus, in quo dilectus filius Iohannes Georgii, civis Meten., de bonis sibi a Deo collatis et quorumdam aliorum christifidelium suffragio in civitate Meten. consistente et ad ipsum Iohannem legitime pertinente unam domum pro usu et habitatione fratrum Minorum de observantia huiusmodi fundare et construere seu fundari et construi facere desiderabat, et cum idem Martinus praedecessor domum in loco in ipsa civitate huiusmodi cum campanili, campana et aliis necessariis officinis fundandi et construendi seu fundari et construi faciendi necnon fratribus praefatis illam pro suis usu et habitatione perpetuis recipiendi et retinendi plenam et liberam per suas litteras licentiam largiri mandaverat [1], per spatium cannarum huiusmodi a domo fratrum B. Mariae de Monte Carmeli praedictae civitatis non distabat, et si praefatis fratribus de observantia locum ipsum recipiendi et in eo, ut praefertur, remanendi licentia concederetur, gravia dissensiones et scandala inter fratres praedictos orirentur, et praesertim ipsis de monte Carmeli et aliis Minoribus ceterisque fratribus civitatis huiusmodi magnum fieret praeiudicium et gravamen, idem Martinus praedecessor suas posteriores litteras supradictas et in eis contenta et quaecumque inde secuta sub certis modo et forma cassari, revocari et annullari mandaverit, cassatioque, revocatio et annullatio huiusmodi subsecutae fuerint, nihilominus tamen nuper certi fratres ordinis Minorum de observantia huiusmodi post revocationem, cassationem et annullationem praedictas, quae et statutum, ordinatio ac inhibitio Martini praedecessoris praefata tam in civitate quam in incepta domo praedictis publicata exstiterunt, ipsam inceptam domum inhabitare et in ea divina officia celebrare ac pro eleemosynis petendis per ipsam civitatem certos ex eis deputare praesumpserunt et praesumunt in magnum praeiudicium fratrum mendicantium, ut praefertur, et scandalum plurimorum. Quare pro parte guardiani et fratrum mendicantium praedictorum, asserentium, quod in dicta civitate alia domus eorumdem fratrum Minorum, ubi fratres ipsi laudabilem bonae famae conventum tenent, exsistit, quodque ex habitatione fratrum ordinis Minorum de observantia praedictorum in domo incepta huiusmodi magnum eisdem aliis fratribus civitatis praeiudicium generetur, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... quamcumque concessionem, licentiam sive facultatem per Nos sive litterarum Nostrarum auctoritate fortassis aedificandi, construendi seu perficiendi et inhabitandi dictam domum in civitate Meten. cuicumque sive communiter vel divisim quibuscumque, etiam motu proprio et ex certa scientia, seu ad cuiuscumque sive quorumcumque, cuiusvis dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerit seu fuerint, supplicationem vel instantiam sub quacumque forma et verborum expressione concessa et desuper confectas litteras et quaecumque inde secuta, quorum omnium et singulorum tenores de verbo ad verbum praesentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate apostolica et ex certa scientia, tenore praesentium revocantes, cassantes et annullantes ac pro infectis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam fratribus de observantia in incepta domo degentibus praedictis et aliis vocatis, qui fuerint evocandi, vobis, quod ex habitatione fratrum de observantia in incepta domo huiusmodi aliis fratribus praedictis praeiudicium subsequatur, legitime constiterit, praefatos de observantia fratres a dicta incepta domo realiter amovere ipsamque demolire seu ad alium pium, de quo vobis videbitur, usum perpetuo deputare auctoritate Nostra curetis, districtius inhibentes eisdem vel quibusvis aliis fratribus praedicti Minorum seu cuiuscumque alterius ordinis mendicantium, etiam de observantia, sub excommunicationis poena, quam ipso facto contrafacientes incurrant, ne dictam inceptam domum recipere seu illam inhabitare conventualiter aut particulariter praesumant. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, XV kal. novembris, ... anno II.

1242. Vicario fratrum O. F. M. de observ. provinciae Turonensis concedit licentiam recipiendi domum intra vel iuxta oppidum de Ancenis, Nanneten. dioec. [2].

1448, octobris 20, Romae.

Dilecto filio vicario provincialis ministri provinciae Turonensis, ordinis fratrum Minorum, super ipsos fratres dicti ordinis de observantia nuncupatos deputato.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Iohannae de Henricuria, de Rieux et

(1) Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1833, p. 710.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 16. « e l. 1 de regul. a. III, f. 234 ».

castri Briandi domicellae, petitio continebat, quod ipsa ex singulari zelo devotionis ... in altero suorum oppidorum, videlicet de Ancenis, seu iuxta illud, Nanneten. dioec., quamdam domum cum ecclesia, campanili, ... officinis pro perpetuis usu et habitatione quorumdam ex fratribus ordinis Minorum de observantia nuncupatorum, per te et tuos ministri provincialis praedictae provinciae vicarios successores specialiter regendorum, ipsa ... fundare et construere ... desiderat *etc.* Nos igitur ... concedimus, quatenus in dicto oppido de Ancenis aut iuxta illud unam domum, si nondum fundata et constructa exsistat, fundare et construere, vel si iam incepta vel non perfecta fuerit, perficere; cum ecclesia *etc.* et si tibi a dicta devota et nobili Iohanna seu ab aliis intra seu iuxta dictum oppidum de Ancenis donetur, ... per te et alios provinciales provinciae Turonen. ministri vicarios successores specialiter, ut praefertur, regendorum recipiendi, ... retinendi, dioecesani ... licentia minime requisita ... concedimus facultatem. Et nihilominus tibi per apostolica scripta mandamus, ut cum huiusmodi concessio facta fuerit, fratres de huiusmodi observantia regulari in ipsius loci corporalem possessionem introduci et intromitti Nostra auctoritate procures eosque in ipsum locum inducas. Et insuper universis, ... ut omnibus et singulis privilegiis ... concessis et in posterum concedendis uti ... valeant, ... indulgemus. Non obstantibus *etc.* Propter quod ... venerabili fratri Nostro episcopo Nanneten. et decano ecclesiae B. Mariae de Clissio per apostolica scripta mandamus, quatenus ... fratribus huiusmodi ordinis et observantiae Minorum quoad praedicti loci acceptionem et introductionem favorem praebeant opportunum simulque quoad futuram in eodem loco habitationem contra turbantes, contradicentes et impedientes quoscumque per censuram ... ipsos fratres observantes conservent specialiterque protegant et defendant; ac etiam se ulterius de consuetudine solutionis quartae portionis diligenter informent ac illam consuetudinem, quam in dicto loco seu magis in aliis circumvicinis reppererint aequiorem et iuri magis consonam, faciant auctoritate Nostra etiam per patronum seu patronos, censuram ecclesiasticam aut alias per ipsius loci curatum seu curatos, patronum seu patronos atque dictae domus guardianum seu guardianos ac fratres perpetuo et inviolabiliter observari. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, XIII kal. novembris, ... anno II.

1243. Petro de Vallibus, O. F. M. de observ., visitatori monasteriorum a S. Coleta reformatorum, O. S. Cl., concedit facultatem dispensandi a defectu natalium cum sororibus in abbatissas electis itemque promoveri faciendi ad sacerdotium fratres O. F. M. sub laicali nomine professos (1).

1448, octobris 23, Romae.

Dilecto filio Petro de Vallibus, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum a generalis eiusdem ordinis ministri pro tempore exsistentis superioritate et obedientia non exemptorum professori.

Apostolicae Sedis exuberans clementia *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Bernardi de Armanhiaco, Marchiae, Perdriaci et Castren. comitatuum comitis (2), petitio continebat, quod olim in diversis tam ipsius comitis quam aliorum principum, baronum et magnatum territoriis seu dominiis quamplura ordinis S. Clarae monasteria ex industria necnon sollerti et laboriosa operatione quondam Coletae Boilet, sororis professae dicti ordinis, natione Ambianen. (3), de piis christifidelium eleemosynis canonice fundata, constructa et aedificata fuerunt, in quorum singulis singulae abbatissae ac numerosae sorores similiter professae sub regulari observantia et perpetua clausura ac alias iuxta regularia eiusdem ordinis instituta aliaque salubria per eamdem Coletam tradita et confirmatione apostolica roborata ordinationes, reformationes et statuta iugiter Altissimo famulantur et sub fratrum ordinis Minorum de observantia nuncupatorum, qui a superioritate et obedientia generalis dicti Minorum ordinis ministri pro tempore exsistentis minime sunt exempti, et de quorum numero exsistis, quorumque domus et loca operante ipsa Coleta, dum vixit, de bono in melius reformata fuere, cura et assistentia de huiusmodi eleemosynis humiliter et laudabiliter vivere dignoscuntur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, inter sorores praedictas ad ipsorum monasteriorum regiminibus, dum vacant, praesidendum ex omni respectu habiliores et sufficientiores non paucae annumerentur defectum natalium patientes, quae tamen illum honestate morum et vitae aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter recompensant, redimentes favore virtutum, quae in eis ortus odiosus ademit, inter fratres quoque domorum et locorum de observantia huiusmodi nonnulli habeantur, qui, licet eosdem Minorum ordinem et observantiam pariter professi, religionis zelo conspicui, litterarum scientia praediti, vitae ac morum hone-

(1) Reg. Vat. t. 407, f. 283. (2) Cf. supra n. 1186, p. 603. (3) Cf. supra n. 1204, p. 612.

state decori et alias ad sacerdotio fungendum idonei fore conspiciantur, tamen, quia tamquam laici et sub nomine laicali professionem huiusmodi emiserunt, non possunt saltem temporibus debitis ac alias iuxta eorum desiderium obstantibus quibusdam domorum et locorum praedictorum consuetudinibus et statutis ad aliquos ordines promoveri, dictusque comes, tamquam praecipuus monasteriorum, domorum, locorum et ordinum praedictorum zelator, cordialiter affectet monasteriis pro eorum felici gubernatione dignas, utiles et idoneas personas praeesse ac in domibus et locis eisdem pro divini inibi cultus augmento sufficientem sacerdotum copiam non deesse, pro parte ipsius comitis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, cum, sicut accepimus, tu eorumdem monasteriorum generalis visitator rite et canonice deputatus exsistas, tuae vel cuiusvis alterius Minorum ordinis de observantia et obedientia professoris tibi in huiusmodi visitationis officio legitime successuri discretioni cum decem dumtaxat ex sororibus praedictis defectum huiusmodi de quocumque damnato coitu patientibus, quas ad hoc habiliores esse prospexeris, dummodo ad id alias idoneae ac sufficientes sint aliudque canonicum non obsistat, ut earum singulae ad dignitates etiam abbatissales ac administrationes et officia quaecumque monasteriorum praedictorum alias rite recipi, eligi et assumi eisque in spiritualibus et temporalibus praefici et praeesse illaque regere, gubernare et exercere, necnon cum decem ex fratribus supradictis sub laicali nomine professis et in sacerdotio constitui cupientibus similiter habilioribus, dummodo ad hoc sufficientes et idonei sint et aliud canonicum non obsistat, ut eorum singuli ad omnes etiam sacros ordines promoveri et in illis ministrare libere ac licite valeant defectu natalium huiusmodi *etc.* contrariis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica dispensandi aliaque omnia et singula desuper necessaria et opportuna faciendi plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem.

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, X kal. novembris, ... anno II.

1244. Confirmat reformationem et statuta B. Coletae (1).

1448, octobris 23, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Decet et convenit Apostolicam Sedem *etc.* Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Bernardi de Armanhiaco, Marchiae, Perdriaci et Castren. comitatuum comitis (2), Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim quondam Coleta Boilet (3), soror ordinis S. Clarae, natione Ambianen., religionis zelo valde conspicua et Dei famula devotissima, quae a viginti tribus (4) mensibus citra ab hac luce migravit, per illud temporis spatium, quo in dicto ordine sub mira sanctimonia vixit, videlicet a quadraginta annis citra, ordinem ipsum non mediocriter ampliando, ex piis christifidelium suffragiis et eleemosynis quamplura in diversis provinciis monasteria eiusdem ordinis Deo propitio canonice fundavit, construxit et aedificavit seu fundari, construi et aedificari fecit illaque religiosarum Dei famularum piae vitae studio deditarum conventibus decoravit ac in eis pie sancteque vivendi modum et formam tradens, quaedam salubria et honesta ordinationes et statuta inter cetera continentia, quod sorores in eisdem monasteriis pro tempore degentes nihil proprium habere aut possidere sed tantum ex eorumdem fidelium eleemosynis et charitativis subsidiis ac alias sub regulari observantia et perpetua clausura vivere debeant ac etiam teneantur, edidit, nonnulla insuper alia eiusdem ordinis monasteria alibi et per alios antea fundata sub eisdem ordinationibus et statutis reformavit necnon, dum ipsa adhuc ageret in humanis et cuperet tale remedium adhiberi, quo etiam post eius decessum praemissa perpetuis futuris temporibus observarentur, ac eisdem sororibus vagandi occasio submoveretur, ex ipsius Coletae efficaci operatione nonnulla ordinis fratrum Minorum domus sive loca, in illis tamen generalis ministri (5) eiusdem ordinis Minorum pro tempore exsistentis superioritate semper salva, sub regulari observantia reformata exstiterunt, hac adhibita provisione, quod quatuor ex fratribus domorum sive locorum huiusmodi cuiuslibet monasteriorum praedictorum sororibus assistere, unus videlicet poenitentiae, eucharistiae et alia ecclesiastica sacramenta ministrare ac verbum Dei praedicare ut confessor, reliqui vero tres alimenta et alia vitae necessaria ex eleemosynis et subsidiis huiusmodi procurare ac etiam missas celebrare teneantur eisdem, quodque ex post usque in hodiernum diem ita factum et observatum exstitit in omnibus et per omnia, quemadmodum ipsa Coleta ordinavit et providit, quae etiam voluit, quod unus alius ex huius-

(1) Reg. Vat. t. 407, f. 308 v. Eadem bulla cum paucis mutationibus, quae infra notantur, sed sine die et mense invenitur Reg. Vat. t. 385, f. 266 v.

(2) De Bernardo comite et S. Coleta cf. n. praec.

(3) Boilet *om.* Cod. 385.

(4) Cod. 385 habet *a quatuordecim mensibus.* S. Coleta mortua est die 6 martii 1447.

(5) Cod. 385 addit *et aliorum ordinariorum praelatorum.*

modi domorum fratribus idoneis ac alias vita et moribus honestus in Deique timore persistens tamquam pater et pastor omnia et singula monasteria praedicta necnon sorores in eis pro tempore degentes congruis et opportunis temporibus visitaret et, quae reformatione indigerent, inibi secundum Deum corrigeret et reformaret, ex quibus quidem domorum fratribus huiusmodi, sicut eadem petitio subiungebat, aliqui in ipsorum monasteriorum et sororum visitatores per eamdem Coletam ministro generali, qui tunc erat, huiusmodi successive praesentati et per ipsum ministrum confirmati exstiterunt, quorum quilibet successive, quotiens opus fuit, in ipsis monasteriis officium visitationis huiusmodi laudabiliter exercuit, sorores ipsas in sancto et pio proposito semper aedificans et confortans ac iuxta intentionem eiusdem Coletae numquam claustrum alicuius ipsorum monasteriorum ingrediens, nisi albam cum manipulo et stola indutus ac uno vel duobus aliis ex ipsarum domorum honestis fratribus similiter indutis associatus, ac cuilibet eorumdem monasteriorum de quatuor fratribus supradictis providens, quorum quidem visitatorum ultimus, videlicet dilectus filius Petrus de Vallibus (1), adhuc vitam ducit in humanis. Quare pro parte dicti comitis, tamquam amborum ipsorum ordinum benefici et praecipui zelatoris, ex corde affectantis per Sedem praedictam sic provideri, ne ordinationes, statuta, provisiones et alia praemissa valeant deperire, ne etiam tam in visitatoris, cum eius officii vacationis casus ingruerit, quam in quatuor fratrum praedictorum deputatione retardatio seu negligentia committatur, fuit Nobis humiliter supplicatum, ut ordinationibus, statutis, provisionibus et aliis praemissis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere ac alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui expositis huiusmodi, velut piis et favore dignis, plenam fidem intuitu praesertim celebris et praeclarae famae ipsius comitis adhibemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula ordinationes, statuta, provisiones et alia per memoratam Coletam gesta supradicta (2) necnon quaecumque indulta, gratias et privilegia eisdem sororibus per quosvis praedecessores Nostros Romanos pontifices ac generales eiusdem fratrum Minorum ordinis ministros concessa, quorum omnium tenores, status et effectus praesentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, ac omnia et singula inde secuta rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus ad feliciorem monasteriorum praedictorum status directionem eadem auctoritate concedimus, statuimus atque decernimus, quod, quotiescumque et quandocumque officium visitatoris huiusmodi quovis modo et ex cuiuscumque persona pro tempore vacare contigerit, guardiani domorum et abbatissae monasteriorum praedictorum ac una cum illis confessores huiusmodi (3) pro tempore exsistentes, quanto citius poterunt, unum ex ipsarum domorum fratribus, ut praefertur, idoneum et honestum in visitatorem omnium et singulorum monasteriorum ac sororum praedictorum cum ea potestate, auctoritate et facultate, quam alii visitatores praefati prius habuerunt, eligere, illumque sic electum dictus generalis minister pro tempore exsistens eo ipso confirmare debeat ac etiam teneatur, et quod in sorores monasteriorum huiusmodi vel in aliquam earum nullus alius iurisdictionem aut superioritatem habeat quam generalis (4) minister et visitator antedicti, quodque iidem guardiani quatuor fratres praedictos, quos visitator huiusmodi duxerit nominandos pro assistentia et servitio sororum cuiuslibet monasteriorum eorumdem, indilate tradere et ad illa destinare sint adstricti. Qui quidem quatuor fratres possint et valeant per omnes provincias et dioeceses ac apud omnes christicolas alimenta et vitae necessaria pro dictis sororibus mendicando procurare cuiusvis licentia super hoc minime requisita (5), necnon quod idem visitator unum vel plures ad huiusmodi visitationis officium in illis ex monasteriis praedictis, in quibus ipse illud commode exercere non poterit, prius tamen illorum abbatissis desuper consultis substituere valeat loco sui, eosque nihilominus, si ei insufficientes vel inutiles videbuntur, ac alias ex causa rationabili revocare et alios de novo substituere, quotiens et quando sibi videbitur expedire, quodque simili modo idem visitator ex causa rationabili per abbatissas, guardianos, confessores (6) et substitutos huiusmodi amoveri valeat et alius ex ipsis domorum fratribus idoneus et honestus ad ipsum visitationis officium deputari (7), quodque

(1) Cod. 385 omittit *videlicet dilectus filius Petrus de Vallibus.*

(2) Cod. 385 omittit ea, quae sequuntur usque ad *ministros concessa.*

(3) Cod. 385 omittit *ac una cum illis confessores huiusmodi.*

(4) Cod. 385 om. *generalis.*

(5) Ultima propositio *Qui quidem* etc. deest in Cod. 385.

(6) Cod. 385 om. *confessores.*

(7) Quae sequuntur usque *non obstantibus,* desunt in Cod. 385.

etiam visitator et eius substituti praedicti, si et quotiens ac quando utile et opportunum hoc fore viderint, fratres ad servitia sororum deputatos de singulis monasteriis ad singula monasteria huiusmodi pro eisdem servitiis exhibendis auctoritate propria et absque contradictione seu impedimento superioris cuiuscumque transmittere seu transferre valeant atque possint. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, X kal. novembris, ... anno II.

1245. Bernardum de Armanhiaco instituit protectorem monasteriorum a B. Coleta, O. S. Cl., fundatorum (1).

1448, octobris 23, Romae.

Dilecto filio nobili viro Bernardo de Armanhiaco, Marchiae, Perdriaci et Castren. comitatuum comiti.

Inter curas multiplices *etc.* Cum itaque, sicut pro parte dilectarum in Christo filiarum universarum abbatissarum, sororum et conventuum monasteriorum ordinis S. Clarae, per quondam Coletam Boilet, eiusdem ordinis sororem, natione Ambianen., aliquorum ex ipsis monasteriis fundatricem, reformatorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, ipsae abbatissae, sorores et conventus, quae sub regulari observantia et perpetua clausura secundum regulam eiusdem sanctae ac sub professorum ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, a generalis eiusdem Minorum ordinis ministri pro tempore exsistentis superioritate et obedientia minime subtractorum, cura et nihil proprium possidentes de puris christifidelium eleemosynis, quae pro eis per eosdem professores mendicando quaeruntur, iuxta reformationes fundatricis huiusmodi pro tempore vivunt, ut a quibuslibet iniustis oppressionibus et molestiis praeservatae, vota sua solidius et attentius Altissimo reddere valeant, temporalis brachii protectione indigere quam maxime dignoscantur, et sicut eadem petitio subiungebat, ipsae abbatissae, sorores et conventus te, quem ad utrumque dictorum ordinum magnum devotionis zelum habere et non solum in earum et monasteriorum sed etiam professorum praedictorum ac domorum, eremitoriorum et locorum suorum opportunitatibus benefactorem propitium hactenus te exhibuisse noverunt ac quotidie exhibere rerum omnium magistra experientia teste comprobant ipsarumque et illorum protectionis onus voluntario et benevolo affectu suscepturum esse non ambigunt, in suum verum, legitimum et perpetuum patronum et protectorem constitui ferventer exoptant, Nos, huiusmodi actiones tuas laudabiles plurimum in Domino commendantes ipsarumque abbatissarum, sororum et conventuum in hac parte supplicationibus inclinati, te non solum abbatissarum et sororum pro tempore exsistentium ac conventuum necnon fundatorum et aliorum, si qua illis conformia in futurum canonice fundari contigerit, monasteriorum, sed etiam professorum similiter pro tempore exsistentium domorum, eremitoriorum et locorum praedictorum, quamdiu vitam duxeris in humanis, patronum, patrocinatorem, protectorem et defensorem auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus, creamus, ordinamus et etiam deputamus, dantes et concedentes tibi plenam, liberam et omnimodam facultatem ac etiam potestatem contra et adversus omnes et singulas tam ecclesiasticas, saeculares et regulares, quam etiam laicales personas, quae abbatissis, sororibus, conventibus, monasteriis, professoribus, domibus, eremitoriis et locis praedictis vel alicui eorum iniurias, molestias, offensas, vexationes, perturbationes, inquietationes, oppressiones et iacturas aut alia noxia et praeiudicialia quaelibet indebite irrogaverint seu irrogare voluerint aut quovis modo quaesiverint, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, praeeminentiae et conditionis fuerint, per te aut quoscumque a te desuper substituendos, in iis videlicet, quae ad auxilium attinent brachii saecularis, faciendi, gerendi, exercendi et exsequendi omnia et singula, quae veri et legitimi monasteriorum et aliorum religiosorum piorumque locorum quorumlibet ac personarum eorumdem patroni, patrocinatores, protectores et defensores saeculares facere, gerere, exercere et exsequi possunt et debent tam de consuetudine quam de iure. Ceterum, ut circa huiusmodi patrocinationis ministerium convenientius et perfectius proficere valeas, quia saepe, sicut spiritualis gladius sine temporali, ita et temporalis sine spirituali gladio conferre non potest, universis et singulis locorum ordinariis ac aliis spiritualem iurisdictionem habentibus et habituris, in partibus videlicet monasteriorum, domorum, eremitoriorum et locorum praedictorum consistentibus et constituris, harum serie districte praecipiendo mandamus, quatenus ipsi, si et quando pro praemissis vel eorum occasione oportuerit, et pro parte tua fuerint requisiti, adversus quoscumque iniuriatores, offensores, molestatores, vexatores, perturbatores, inquietatores et oppressores huiusmodi censuras eccle-

(1) Reg. Vat. t. 407, f. 282. Cf. num. praec.

siasticas, prout iustum fuerit, fulminare illosque per eas postposita appellatione compescere studeant et procurent. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, X kal. novembris, ... anno II.

1246. Fratres O. F. M. de observ. reformationis a B. Coleta, O. S. Cl., factae a iurisdictione vicariorum O. F. M. de observ. exemptos declarat (1).

1448, octobris 23, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regimini universalis ecclesiae *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Bernardi de Armanhiaco, Marchiae, Perdriaci et Castren. comitatuum comitis, ac universorum fratrum ordinis Minorum, in domibus, eremitoriis et locis in Burgundiae, Aquitaniae et diversis aliis partibus consistentibus sub observantia et aliis ipsius ordinis institutis regularibus iuxta reformationem ex operatione quondam Coletae Boilet, sororis ordinis S. Clarae, pro illius monasteriorum per eamdem Coletam fundatorum illorumque sororum conservatione factam, pro tempore degentium, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet ipsi fratres cum domibus, eremitoriis et locis praedictis generali et provincialibus ministris aliisque superioribus totius eiusdem Minorum ordinis pro tempore exsistentibus et nullis aliis a tempore fundationis domorum, eremitoriorum et locorum eorumdem semper et continuo subesse et obedire consueverint, tamen nonnulli alii eiusdem Minorum ordinis professores de observantia nuncupati, asserentes sibi olim quasdam litteras a fel. rec. Eugenio papa IV, praedecessore Nostro, et ab aliis ac alias concessas fuisse et per illas se ipsorumque domos et loca sub certis modis et formis a generali ministro et aliis superioribus ordinis Minorum huiusmodi, qui de observantia non vocantur, exemptos suisque ultramontano et citramontano vicariis ac illorum commissariis dumtaxat subiectos fore, necnon fratres de observantia in generalis ministri ac aliorum superiorum obedientia persistentes cum earum domibus, eremitoriis et locis huiusmodi sub litteris et exemptione praefatis includi, illos earumdem litterarum praetextu per eosdem vicarios seu commissarios, quod eis subsint et obediant, quodque a generalis ministri aliorumque superiorum obedientia huiusmodi, ad quam tam ex professione propria quam ex regularibus beati Francisci constitutionibus aliorumque sanctorum patrum antiquis statutis tenentur omnino, recedant, etiam sub excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis aliisque ecclesiasticis censuris et poenis etiam invitos compellere praesumpserunt et dietim praesumunt in fratrum de observantia et obedientia suorumque domorum, eremitoriorum et locorum huiusmodi non modicam quietis et pacis perturbationem ac perniciosum exemplum et scandalum plurimorum. Quare pro parte comitis, se nonnullorum ex reformatis domibus, eremitoriis et locis huiusmodi fundatorem fuisse, ac fratrum de observantia et obedientia, se sub litteris et exemptione praefatis nequaquam comprehendi velle asserentium, praedictorum fuit Nobis humiliter supplicatum, ut pro ipsorum fratrum supplicantium animorum quiete ac scandalorum evitatione in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui libenter cunctorum fidelium, potissime sacrae religioni vacantium, pacis et quietis commoda procuramus ac scandalis et periculis, quantum cum Deo possumus, obviamus, attendentes, quod et si exemptio praedicta pro gratiae beneficio, quale sibi ex ea dicti fratres se exemptos facientes obvenire reputant, habeatur, prospecta tamen ipsorum fratrum supplicantium renitentia beneficium minime confertur in invitum, necnon expositis huiusmodi tamquam informationi veridicae, intuitu praesertim excellentiae celebrisque famae dicti comitis, plenam fidem adhibentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus, statuimus et ordinamus, quod ipsi fratres supplicantes ac praedicta eorum necnon alia, si qua eiusdem ordinis de observantia et obedientia per comitem, generalem ministrum et superiores praedictos in posterum ubilibet fundabuntur et reformabuntur, domus, eremitoria et loca necnon de ipsa observantia et obedientia fratres, qui in eis pro tempore degent, illi quoque ex ipsis fratribus supplicantibus, qui assistentiae seu curae supradictarum sororum iuxta praefatae Coletae ordinationem deputati fuerunt hactenus, et alii, qui deinceps similiter deputabuntur, sub litteris et exemptione praedictis nullatenus comprehendantur nec comprehendi debeant neque alicui ex vicariis seu commissariis praefatis tam praesentibus quam futuris subiecti vel subiecta exsistant nec eis obedire debeant quovis modo, sed generali ministro et superioribus antedictis dumtaxat subesse et obedire teneantur. Et si qui ex ipsis fratribus supplicantibus fortassis non sponte nec libere sed metu incursus sententiarum, censurarum et poe-

(1) Reg. Vat. t. 407, f. 278v. Cf. num. praec.

narum praedictarum vicariis et commissariis praefatis obediverunt hactenus aut obedient in futurum, possint et valeant libere et absque ipsarum sententiarum, censurarum et poenarum, quas eo casu nullam efficaciam nullumque robur contra eos habuisse vel habere volumus, incursu ad domos, eremitoria et loca, a quibus discesserunt seu discesserint, remeare, in illis sub observantia et obedientia prioribus permansuri, ita tamen, quod, si eorum aliqui vicariis seu commissariis, vel e contra fratres se exemptos facientes generali ministro et superioribus huiusmodi subesse maluerint, liceat utrisque hinc inde transire pro animarum suarum pace atque quiete, prius tamen desuper petita licet non obtenta tam generalis ministri et superiorum quam vicariorum vel commissariorum licentia praedictorum. Et insuper omnes et singulos fratres supplicantes huiusmodi a sententiis, censuris et poenis praedictis, si forsan illis occasione praemissorum quomodolibet innodati existant, eadem auctoritate absolvimus necnon secum super irregularitatibus ... dispensamus, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per eos dicta occasione contractam abolemus penitus per praesentes. Praeterea nihilominus, ut omnes et singuli fratres de observantia et obedientia huiusmodi, tam praesentes quam futuri, eo studiosius et attentius vota sua Altissimo reddere valeant, quo liberius et quietius in suis domibus, eremitoriis et locis deguerint antedictis, volumus et auctoritate praefata statuimus et etiam ordinamus, quod in domibus, eremitoriis seu locis ipsis aut eorum aliquo nulli ex Minorum ordinis fratribus huiusmodi, qui licet sub generalis ministri et aliorum superiorum praedictorum obedientia degant, praemissam tamen observantiam non faciunt, ab eisdem generali ministro vel aliis superioribus in guardianos, custodes aut alios officiarios seu conventuales vel confratres quomodolibet deputentur seu ad illa transmittantur. Quod si forte tales, ut praemittitur, deputari aut transmitti contigerit, illos ipsi fratres de observantia et obedientia huiusmodi recipere seu admittere etiam per quaecumque ipsorum generalis ministri et superiorum constitutiones, litteras, monitiones et mandata, quasvis sententias, censuras et poenas in se desuper continentia, nullatenus sint adstricti, sed per se ipsos de eorum numero et consortio guardianos, custodes et officiarios idoneos auctoritate propria libere eligere et assumere debeant, valeant atque possint, deputationesque aliae praemissae pro infectis et nullis penitus habeantur. Quibus quidem guardianis, sicut praefertur, electis et assumptis omnes et singulos tam clericos quam laicos, in eisdem domibus, eremitoriis et locis una cum inibi pro tempore degentibus fratribus sub regulari habitu ac huiusmodi observantia et obedientia famulari Domino cupientes, in fratres ibidem recipiendi eisque huiusmodi habitum exhibendi necnon ab ipsis regularem professionem per fratres de observantia et obedientia huiusmodi emitti solitam, si illam in ipsorum guardianorum manibus sponte emittere voluerint, similiter recipiendi et admittendi singulos quoque ex fratribus de observantia et obedientia huiusmodi de singulis ad singula domorum, eremitoriorum et locorum huiusmodi in quibusvis provinciis consistentia, quotienscumque et quandocumque ipsis guardianis iuxta ingruentium pro tempore inibi negotiorum exigentiam visum fuerit, cuiuscumque super hoc licentia vel assensu minime requisitis transferendi et transmittendi aliaque omnia et singula desuper necessaria et opportuna peragendi plenam et liberam elargimur harum serie facultatem ac etiam potestatem, decernentes ex nunc omnes et singulos processus ac excommunicationum, suspensionum et interdicti sententias aliasque censuras et poenas, si quos et si quas contra fratres de observantia et obedientia praefatos vel eorum aliquem occasione praemissorum vel alicuius eorum promulgari et fulminari, necnon omnia alia et singula adversus tenorem praesentium in quavis earum parte tam per fratres se exemptos facientes ac vicarios seu commissarios antedictos quam etiam per quoscumque alios scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritos, irritas et irrita ac inanes et inania nulliusque penitus exsistere roboris vel momenti. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, X kal. novembris, ... anno II.

1247. Bernardo de Armanhiaco concedit facultatem fundandi domus fratrum O. F. M. et monasteria monialium O. S. Cl. iuxta reformationem B. Coletae viventium [1].

1448, octobris 23, Romae.

Dilecto filio nobili viro Bernardo de Armanhiaco, Marchiae, Perdriaci et Castren. comitatuum comiti.

Etsi cunctorum christifidelium *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu ad fratrum Minorum et S. Clarae

[1] Reg. Vat. t. 407, f. 280. Cf. num. praec.

ordines, praesertim ad domos et loca professorum, qui sub regulari observantia et generalis Minorum ministri pro tempore exsistentis obedientia degunt, necnon ad monasteria sororum ordinum eorumdem, quae sub observantia simili et perpetua clausura ac ipsorum professorum cura et assistentia nihilque proprium possidentes de puris christifidelium suffragiis et eleemosynis, quae pro eis per eosdem professores mendicando quaeruntur, iuxta quasdam reformationes quondam Coletae Boilet, sororis professae ordinis S. Clarae huiusmodi, natione Ambianen., aliquorum ex ipsis monasteriis fundatricis, pro tempore vivunt, magnum devotionis affectum gerens necnon ex professorum sororumque praedictorum pia et exemplari vita omnes christicolas eisdem monasteriis, domibus et locis tam infra tuam quam nonnullorum principum, magnatum, baronum et aliorum territoria sive dominia consistentibus vicinos ad actionem et perseverantiam bonorum operum provocari evidenter conspiciens, horum intuitu ac pro tuae tuorumque defunctorum animarum salute nonnulla alia cum ecclesiis, campanilibus, campanis, coemeteriis, claustris, dormitoriis, refectoriis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis domos et loca professorum ac monasteria pro sororum ordinum huiusmodi, qui et quae sub observantia et aliis vivendi modis praemissis Altissimo perenniter famulari debeant, usibus et habitationibus perpetuis infra tua territoria sive dominia huiusmodi aut alibi in locis ad hoc congruentibus et honestis tam de tuis quam de procurandis aliunde suffragiis similibus de novo fundare, construere et aedificare seu fundari, construi et aedificari facere desideras et proponis. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi praemissa faciendi et adimplendi licentiam concedere ac alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, tuum laudabile propositum huiusmodi multipliciter in Domino commendantes et propterea huiusmodi supplicationibus grato concurrentes assensu, devotioni tuae alia domos, loca et monasteria, quae ac quot iuxta tui desiderium huiusmodi commode poteris, cum ecclesiis, campanilibus ... et officinis pro professorum ac sororum Altissimo, quemadmodum praescribitur, famulaturorum usibus et habitationibus huiusmodi fundandi, construendi et aedificandi seu fundari, construi et aedificari faciendi eisdemque professoribus domos et loca sic fundata, constructa et aedificata praedicta recipiendi dioecesanorum locorum et quorumcumque aliorum licentia super his minime requisita, fel. rec. Bonifatii papae VIII ... et quibuscumque aliis apostolicis constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, iure tamen *etc.* semper salvo, plenam et liberam licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium elargimur, statuentes eadem auctoritate ac etiam ordinantes, quod professores, qui in domibus et locis ac sorores huiusmodi, qui in monasteriis fundandis antedictis pro tempore degent, observantiam et alios vivendi modos ac reformationes supradictos omnino imitari et servare perpetuo teneantur, quodque ipsi et ipsae domusque, loca et monasteria fundanda praedicta omnibus et singulis privilegiis ... perpetuo uti valeant pariter et gaudere. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, X kal. novembris, ... anno II.

1248. Mandat, ut domum O. F. M. loci de Axilhano (Azille), indebite occupatam, restitui faciat fratribus O. F. M. de observ. reformationis B. Coletae [1].

1448, octobris 23, Romae.

Venerabili fratri episcopo Biterren. ac dilectis filiis abbati saecularis et collegiatae Daurati ac praeposito monasterii Ransolien. locorum, Lemovicen. dioec., ecclesiarum.

Ex debito pastoralis officii *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Bernardi de Armanhiaco, Marchiae, Perdriaci et Castren. comitatuum comitis, petitio continebat, quod, licet olim, videlicet ab uno vel duobus annis citra, quidam ex fratrum Minorum ordinis professoribus, qui de regulari observantia non vocantur, ad domum loci de Axilhano, dicti ordinis, Narbonen. dioec., accedentes, blandis eorum sermonibus praeviis ab ipsius domus conventualibus, eiusdem ordinis professoribus de observantia nuncupatis, qui tunc inibi sub huiusmodi observantia pie ac laudabiliter Altissimo serviebant, prout antea per quindecim annos et amplius iuxta reformationem alias inibi per provincialem dicti ordinis ministrum provinciae Provinciae, qui tunc erat, quondam Coleta Boilet, sorore professa ordinis S. Clarae, id operante et clarae memoriae rege Iacobo, eiusdem domus devoto et praecipuo benefactore, super hoc instante praesertim ad opus et in favorem ordinis S. Clarae huiusmodi, cuius aliquorum monasteriorum idem rex Iacobus fundator exstiterat, provide ac salubriter factam continue serviverant, gratanter et benevole recepti exstitissent, tamen ipsi sic recepti Dei timore postposito, pro bono malum reddentes, eosdem de observantia professores a domo praedicta per frau-

[1] Reg. Vat. t. 407, f. 281. Cf. n. praec.

dem et dolum excludere illosque ea, in cuius ... possessione pacifica erant, ac illius usu et habitatione sibi ex concessione canonica perpetuo debitis contra iustitiam spoliare ipsamque domum occupare et occupatam indebite detinere necnon libros, calices, paramenta, iocalia et ornamenta ecclesiastica aliaque res et bona tunc ibidem reperta temere usurpare praesumpserunt, prout adhuc praesumunt, in animarum suarum periculum, sacrae religionis opprobrium, dictorum professorum de observantia iacturam et dispendium ac perniciosum exemplum et scandalum plurimorum, et sicut eadem petitio subiungebat, dictus comes, qui in praedicti regis Iacobi dominiis legitime successit, abusus huiusmodi detestandos reprimi dictamque domum cultorum eam decorantium recuperatione laetari ferventer exoptat. Quare pro parte ipsius comitis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, quorum interest super praemissis provisionem adhibere salubrem, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos, ... si et postquam vocatis, qui fuerint evocandi, vobis summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii de spolio possessionis huiusmodi constiterit, omnes et singulos spoliatores, detentores, occupatores et usurpatores praefatos ad dimittendum et restituendum libere supradictis de huiusmodi observantia professoribus a generalis dicti Minorum ordinis ministri pro tempore existentis superioritate et obedientia iuxta reformationem antedictam non exemptis, ad quos domus huiusmodi secundum praemissa aut alias legitime pertinebat, domum eamdem illiusque possessionem vacuam et expeditam simul cum omnibus libris, calicibus, paramentis, iocalibus, rebus et bonis antedictis auctoritate Nostra coerceatis et etiam compellatis eosque exinde amoventes faciatis professores de observantia et obedientia huiusmodi omni et singulorum praemissorum sic eis restitutorum pacifica possessione gaudere, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, X kal. novembris, ... anno II.

1249. Mandat, ut Bernhardo de Armanhiaco concedant facultatem transferendi monasterium inchoatum de Boysset, S. Flori dioec., O. S. Cl., in commodiorem locum et in eo capellanias fundandi et dotandi ex legatis Isabellis de Rodes (1).

1448, octobris 23, Romae.

Venerabili fratri episcopo Biterren. et dilectis filiis abbati saeculari et collegiatae Daurati ac praeposito monasterii Ransolien. locorum, Lemovicen. dioec., ecclesiarum.

Humilibus et honestis supplicum votis *etc.* Hodie siquidem pro parte dilecti filii nobilis viri Bernardi de Armanhiaco, Marchiae, Perdriaci et Castren. comitatuum comitis, Nobis exposito, quod ipse ad ordinem S. Clarae, praesertim ad illius monasteria tam in suis quam in quorumdam aliorum principum, magnatum et baronum territoriis seu dominiis consistentia, in quibus illorum abbatissae et sorores sub regulari observantia et fratrum ordinis Minorum de observantia nuncupatorum, a generalis ipsius Minorum ordinis ministri pro tempore exsistentis superioritate et obedientia non exemptorum, cura et assistentia nihilque proprium possidentes de puris christifidelium eleemosynis, quae pro eis per eosdem fratres mendicando quaeruntur, iuxta quasdam quondam Coletae Boilet, sororis professae ordinis S. Clarae huiusmodi, natione Ambianen., aliquorum ex ipsis monasteriis fundatricis, reformationes ac alias laudabiliter pro tempore vivunt, magnum devotionis affectum gerens, nonnulla alia eiusdem ordinis S. Clarae monasteria de suis et per eum aliunde procurandis piis suffragiis pro abbatissarum et sororum sub observantia et aliis vivendi modis praemissis Altissimo pro tempore famulaturarum usibus et habitationibus perpetuis fundare, construere et aedificare seu construi et aedificari facere desiderabat et proponebat, Nos sibi praemissa faciendi et adimplendi per alias Nostras litteras licentiam concessimus ac inter alia statuimus et ordinavimus, quod abbatissae et sorores fundandorum monasteriorum huiusmodi observantiam et alios vivendi modos pie imitari, tenere et servare perpetuo tenerentur, prout in eisdem litteris plenius continetur. Exhibita etiam tunc Nobis pro parte eiusdem comitis petitio continebat, quod olim quondam Isabellis de Rodes, mulier in loco de Boysset, S. Flori dioec., cuius ipsa, dum vixit, domina temporalis exstitit, de bonis sibi a Deo collatis quoddam monasterium pro una abbatissa et duodecim sororibus praefati ordinis S. Clarae, Deo inibi pro tempore servituris, legatis et assignatis per eam de bonis huiusmodi in ipsius monasterii dotem pro sustentatione abbatissae et duodecim sororum earumdem certis perpetuis annuis redditibus seu pensionibus canonice fundari et usque ad erectionem dumtaxat cuiusdam illius capellae et certi habitaculi, quod interim nonnullae ipsius S. Clarae ordinis sorores ingressae ex tunc inibi degue-

(1) Reg. Vat. t. 407, f. 276v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 17. Cf. n. praec.

runt, prout de praesenti degunt, construi et aedificari facere incepit, sed eius superveniente obitu monasterium ipsum tam ad claustrum quam ad reliquas omnes illius officinas necessarias incompletum et imperfectum remansit, propter quod et etiam, quia habitatio est inibi quasi campestris et pravorum malignitatibus hominum patens nec tuta nec honesta huiusmodi sororibus esse dignoscitur, pia ipsius Isabellis intentio deseri timetur, in brevi penitus defraudata. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, si de Apostolicae Sedis licentia monasterium huiusmodi in alio tutiori, congruentiori et honestiori loco fundandum, construendum et aedificandum transferretur, ita quod illius abbatissae et sororibus, quae pro tempore forent, observantiae, curae, assistentiae, reformationibus et aliis vivendi modis se conformantibus antedictis, redditus seu pensiones huiusmodi pro aliquibus perpetuis capellaniis, una videlicet in dicta capella, ne illa alias ad profanos usus veluti haereditas redigeretur, et reliquis earum in ecclesia transferendi monasterii huiusmodi fundandis ac pro nonnullorum perpetuorum capellanorum, singulorum videlicet ex ipsis in singulis ex capellaniis eisdem missam die qualibet pro tempore celebraturorum, congrua sustentatione dotandis deputarentur et assignarentur, ex hoc intentio praedicta, ab omni fraudatione secura, utilem et fructuosum indubie consequeretur effectum, et ad illum consequendum idem comes, qui praefatae Isabelli in temporali dominio huiusmodi legitime successit, opportunum remedium apponi desideret, pro parte ipsius comitis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut incompletum monasterium huiusmodi in alio tutiori, congruentiori et honestiori loco fundandum, construendum et aedificandum, ut praemittitur, transferendi sibique illud cum ecclesia, campanili, campana, claustro, coemeterio, dormitorio, refectorio, horto, hortalitiis et aliis necessariis officinis inibi de suis et per eum aliunde procurandis similibus suffragiis fundandi, construendi et aedificandi seu fundari, construi et aedificari faciendi necnon de redditibus seu pensionibus praefatis post infra dicendam deputationem et assignationem eorumdem unam in capella et alias, tot videlicet, ad quot ipsorum reddituum seu pensionum facultates commode suppetere videbuntur, in ecclesia praefatis pro totidem perpetuis capellanis missas inibi pro Isabellis et comitis praedictorum ac successorum suorum animarum salute celebraturis, ut praefertur, fundandi et dotandi licentiam concedi ac redditus seu pensiones eosdem pro fundatione et dotatione capellaniarum huiusmodi deputari et assignari eidem quoque comiti ac suis haeredibus et successoribus, ut ex hoc specialis dictae Sedis privilegii titulo honorentur, ius patronatus omnium et singularum capellaniarum earumdem illasque, videlicet singulas ipsarum, postquam, ut praemittitur, fundatae et dotatae fuerint, tam primariis vicibus quam in posterum, quotiens pro tempore vacaverint, singulis personis idoneis auctoritate propria conferendi et de illis etiam providendi perpetuo reservari pariter et concedi mandare ac alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos, ... si est ita, incompletum monasterium ad tutiorem, congruentiorem et honestiorem locum huiusmodi auctoritate Nostra transferentes, praefato comiti illud ecclesiam cum campanili ... et aliis offiicinis de piis suffragiis inibi fundandi ... necnon de redditibus seu pensionibus, quorum qualitates et veros annuos valores praesentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, capellanias huiusmodi, ubi et prout ac quemadmodum et quo fine dictum est superius, fundandi et dotandi ordinariorum locorum et quorumlibet aliorum licentia vel assensu super his minime requisitis parochiali tamen et quolibet alieno iure in omnibus semper salvo plenam et liberam licentiam concedere, redditus quoque seu pensiones eosdem pro fundatione et dotatione capellaniarum huiusmodi deputare et assignare necnon comiti ac haeredibus et successoribus suis praedictis patronatus capellaniarum et illas post fundationem et dotationem earum conferendi providendique ius huiusmodi, ut praefertur, reservare ac concedere necnon degentibus adhuc in incompleto monasterio sororibus huiusmodi pro earum sustentatione interim ac etiam, postquam in loco translationis constructum et aedificatum fuerit monasterium huiusmodi, si illae una cum aliis illud ingressuris sororibus observantiae, curae, assistentiae, reformationibus et aliis vivendi modis supradictis per ipsas alias, ut praefertur, tenendis et servandis se conformare forte voluerint, quoad vixerint, de redditibus seu pensionibus praefatis necessaria congrue ministrari facere auctoritate Nostra curetis, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Seu si aliquibus *etc.* Nos enim, si translationem et alia praemissa vigore praesentium per vos fieri contigerit, ut praefertur, abbatissae et sororibus in transferendo monasterio pro tempore permansuris huiusmodi apostolica auctoritate concedimus, quod illae et illud omnibus et singulis privilegiis ... perpetuo uti valeant pariter et gaudere.

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, X kal. novembris, ... anno II.

1250. Mandat, ut fratribus vicariae Bosnae O. F. M. concedat facultatem eligendi sibi vicarium, iurisdictioni ministri generalis O. F. M. immediate subiectum, si id religioni christianae utile esse reppererit (1).

1448, octobris 24, Romae.

Venerabili fratri Thomae, episcopo Pharen., in regno Bosnae Apostolicae Sedis legato.

Ad Romani pontificis providentiam *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum custodum et guardianorum aliorumque fratrum vicariae Bosnae secundum morem ordinis fratrum Minorum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet a pluribus annis et a tanto tempore citra, quod in contrarium memoria huiusmodi non exsistit, custodes et fratres praedicti eorumque praedecessores per proprium vicarium, qui nullo medio et immediate generali ministro dicti ordinis pro tempore exsistenti subiciebatur et suppositus erat, regi et gubernari consuevissent, nihilominus sperantes se a dilectis filiis fratribus dicti ordinis in Italia sub regulari observantia constitutis opportunos contra haereticos et infideles in illis partibus consistentes favorem et auxilium habituros, postquam fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, eisdem fratribus Italiae per suas certi tenoris litteras concesserat, ut unum generalem vicarium sibi eligere possent, se ipsos eidem vicario sponte submiserunt, idemque vicarius, propter diversas et varias Italiae provincias, quas regere habet, et aliis curis multiplicibus occupatus, nullam erga fratres dictae vicariae Bosnae diligentiam adhibuit, quinimo nonnullas domos dictae vicariae ab eorum praesidio et adiumento subtraxit et regimini fratrum Italiae aggregavit ac in detrimentum eiusdem vicariae aliam in Dalmatia, ex qua multa eis pro sustentatione fratrum et domorum in partibus infidelium exsistentium commoda proveniebant, novam constituit vicariam, fratres quoque nonnullos doctrina verbi pariter et exemplo pollentes, quibus maxime indigebant, ad alias partes pro voto transmisit ac nonnulla alia contra statum dictae vicariae et fratrum, propter quae eis et, qui apud infideles consistunt, fratribus dicti ordinis damnum et periculum imminet ac defectus, quarum curam gerunt, in eisdem partibus salutis et dispendium animarum fecit et ordinavit, Nos ad instantiam fratrum Bosnae huiusmodi, ut vicarium proprium sibi eligere possent, qui generali ministro immediate subesset, prout alias consueverant, eis benigne concessimus ac deinde ex certis aliis per huiusmodi vicarium Italiae dicti ordinis Nobis expositis causis memoratam vicariam Bosnae eidem vicario, prout idem praedecessor Noster statuerat, iterum subesse voluimus atque mandavimus, prout in diversis inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, propter haereticorum et infidelium sectas in illis partibus vigentes, nisi de proprio vicario, qui omni sollertia super gregem dominicum invigilet, secundum quod per vetustissima tempora retroacta consueverat, vicariae Bosnae celeriter consulatur, eorumdem haereticorum et infidelium rabie invalescentibus de casu aut diminutione fratrum et domorum eorumdem ac christianae fidei inibi verisimiliter dubitetur, pro parte custodum et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro salubri statu et conservatione fidelium, domorum fratrumque dictorum eis, prout hactenus ante submissionem eamdem consuetum fuerat, de speciali vicario, qui praefato generali ministro subsit, ac alias eis eorumque statui opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praedictis omnibus et singulis simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii auctoritate Nostra te diligenter informes, et, si per informationem huiusmodi ea fore vera ac vicariae Bosnae praedictae et fratribus in ea degentibus necnon ad compescendas haereticorum et infidelium insidias et superstitiosas haereses vicarii proprii ac specialis generalis ministri, secundum quod, ut praemissum est, per vetustissima tempora habere consueverunt, ministerio opus exsistere reppereris, idque tuae discretioni, super quo tuam conscientiam oneramus, videatur proficuum et utile seu religioni christianae et fratribus antedictis alias expedire, circa id eadem auctoritate facias, decernas, statuas et disponas, prout tibi in Domino videbitur faciendum, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, IX kal. novembris, ... anno II.

1251. Mandat, ut monialibus monasterii S. Cosimati de Urbe, O. S. Cl., concedat facultatem vendendi casale *Santo Cornelio* situm prope castrum Formelli, Nepesin. dioec. (2).

1448, octobris 29, Romae.

Venerabili fratri Roberto, episcopo Vulteran., Nostro in spiritualibus in Urbe vicario.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum

(1) Reg. Vatic. t. 407, f. 258 v; Theiner, *Monumenta Hung.* t. II, p. 250, n. 409. (2) Reg. Lat. t. 453 B, f. 311 v.

abbatissae et conventus monasterii S. Cosmati alias Ss. Cosmae et Damiani de Urbe, ordinis S. Clarae, ... petitio continebat, quod ipsae ex quodam casali, « sancto Cornelio » nuncupato, in territorio castri Formelli, Nepesin. dioec., sito et ad dictum monasterium legitime pertinente, propter ipsius casalis ab Urbe distantiam modicam utilitatem percipiunt *etc.*, quod si convenienti pretio venderetur et ex illo proveniente pretio huiusmodi alia in praedicta Urbe possessiones et bona immobilia eis magis accommoda emerentur, cederet in ipsarum et monasterii antedicti evidentem utilitatem. Quare pro parte abbatissae *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... te diligenter informes et si ... venditionem et emptionem huiusmodi ... in evidentem ipsius monasterii utilitatem cedere inveneris, ... eisdem abbatissae et conventui casale praedictum quibusvis personis vendendi ... licentiam largiaris. Volumus autem, ... quod pretium ex illa proveniens penes mercatorem idoneum deponi et in ipsius banco conservari facias, donec in aliorum praefatis monasterio et conventui magis utilium bonorum in urbe praefata exsistentium emptionem omnino nec alias convertatur. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, IV kal. novembris, ... anno II.

1252. Mandat, ut confirmet concessionem ecclesiae B. Mariae extra muros terrae Montis Rotundi, Sabinen. dioec., fratribus O. F. M. factam (1).

1448, octobris 30, Romae.

Dilecto filio Andreae Antonii de Monte Rotundo, canonico Sabinen.

Piis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Iacobi de Ursinis, domini temporalis, necnon incolarum et habitatorum terrae Montis Rotundi, Sabinen. dioec., petitio continebat, quod ipsi ob singularem, quam ad ordinem fratrum Minorum ac ipsos fratres gerunt devotionem, et ut praedicatio verbi Dei ad animarum salutem ibidem exerceretur et frequentaretur, ecclesiam beatae Mariae extra muros dictae terrae, quae de iure patronatus temporalis dictae terrae domini pro tempore exsistentis exsistit, etiam ad hoc dilecti filii Antonii Iohannis, rectoris, archipresbyteri nuncupati, dictae ecclesiae, accedente consensu in domum conventualem cum coemeterio et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione perpetuis nonnullorum fratrum dicti ordinis ac etiam capellam beatae Mariae Magdalenae de dicta terra, quae de simili iure ac eidem ecclesiae subiecta exsistit, et cui cura per vicarium perpetuum ab ipso rectore pro tempore deputatum exerceri solita imminet animarum, in parochialem ecclesiam, quae de cetero archipresbyteratus nuncupetur, erigi ac eidem capellae possessiones et bona stabilia dictae ecclesiae applicari plurimum affectantes, ecclesiam ipsam cum territorio ipsi contiguo et aliis obventibus ex funeralibus et eleemosynis fidelium infra dictam ecclesiam provenire solitis praedictis fratribus pro usu et habitatione praedictis perpetuo concesserunt et donarunt ac huiusmodi possessiones et bona eidem capellae, quantum in eis fuit, applicarunt. Quare pro parte Iacobi, incolarum et habitatorum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si vocatis dicto Antonio et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de consensu ac aliis praemissis legitime constiterit, concessionem, donationem et applicationem praedictas auctoritate Nostra approbes et confirmes *etc.* Et nihilominus, si approbationem ... fieri contigerit, eisdem fratribus ecclesiam ipsam recipiendi illamque in domum conventualem cum campanili ... officinis ... erigendi et perpetuo retinendi ... licentiam largiaris. Nos enim omnibus et singulis fratribus in dicta erigenda domo, ... ut omnibus et singulis privilegiis ... concessis uti ... valeant indulgemus, iure *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, III kal. novembris, ... anno II.

1253. Fratribus domus S. Fortunati prope oppidum Montisfalci, O. F. M., concedit licentiam certa bona ad ecclesiam S. Fortunati spectantia vendendi per suum procuratorem (2).

1448, novembris 7, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus S. Fortunati prope oppidum Montisfalci, ordinis fratrum Minorum, Spoletan. dioec.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenio papae IV, praedecessori Nostro, pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum oppidi Montisfalci, Spoletan. dioec., exposito, quod ipsi, ad vestrum ordinem fratrum Minorum singularem gerentes devotionis affectum, iuxta ecclesiam S. Fortunati, quae per medium milliare vel circa prope

(1) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 18 « e l. 3 de div. formis, a. II, f. 201.

(2) Reg. Lat. t. 453 B, f. 106 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 19. — De domo S. Fortunati Montisfalci cf. supra n. 1003, p. 493 et n. 1240, p. 631.

dictum oppidum consistebat et, licet habitu curata esset, actu tamen sine cura erat, mediantibus suis et aliorum christifidelium eleemosynis unam domum dicti ordinis cum etiam campanili, campanis, hortis, hortalitiis et aliis officinis necessariis pro perpetuis usu et habitatione aliquorum fratrum dicti ordinis regularis observantiae fundare et construere ... proponebant, si eis desuper per eumdem praedecessorem licentia concederetur, ac tantum terreni sive terrae spatium, quod pro fundatione et constructione huiusmodi sufficeret, assignaretur, dictus praedecessor ecclesiam praedictam cum structuris et spatio terreni praefatis pro fundatione ... huiusmodi deputari et eisdem universitati ..., quod ipsa ecclesia, si opus esset vel alias fratribus praedictis videretur, demolita iuxta eam domum cum ecclesia, campanili ... fundare et construere, necnon aliquibus ex fratribus observantiae et ordinis praedictorum, quod domum huiusmodi ... pro suis usu et habitatione recipere et inhabitare libere et licite possent, quodque cedente vel decedente venerabili fratre Latino, archiepiscopo Tranen., qui tunc dictam ecclesiam in commendam seu alias ex concessione et dispensatione apostolica obtinebat, vel ecclesiam ipsam alias quomodolibet dimittente, duo boni et probi viri, quos ad id episcopus Spoletan. pro tempore exsistens de fratrum in ipsa domo pro tempore degentium consensu eligeret, ... pro tempore omnia et singula possessiones et bona ad dictam ecclesiam spectantia regere et gubernare illorumque fructus ... in fabricam vel constructionem ecclesiae ac domus praedictarum necnon in emptionem librorum et aliorum ornamentorum ecclesiasticorum pro cultu divino inibi necessariorum convertere possent ac deberent, per suas litteras [1] statui et decerni mandavit certis desuper exsecutoribus deputatis. Et deinde, postquam Nos ... vobis sub observantia huiusmodi degentibus, qui vigore earumdem litterarum debitae exsecutioni demandatarum domum cum structuris ... fundari et construi facere coeperatis, quod cedente vel decedente dicto Latino archiepiscopo vel ipsam ecclesiam alias dimittente deberet procurator praefatae domus, a vobis secundum indulta apostolica pro tempore deputatus, possessiones, iura et bona praefata simul vel successive quibusvis personis vendere ac pretium ... ex venditione ... huiusmodi proveniens ... in perfectionem necnon emptionem librorum ... iuxta vestras dispositionem et voluntatem convertere concesseramus, ac subsequenter dictus Latinus archiepiscopus praefatam cessionem in manibus Nostris sponte et libere fecerat, ... dilecto filio magistro Nicolao de Assisio, scriptori et familiari Nostro, per alias Nostras litteras commisimus, ut quatuor bonos et prudentes viros ... eligeret, qui simul cum procuratore a vobis ... deputando praefata bona simul vel successive, quibus vellent, venderent et alienarent ac pecunias ex ipsis venditionibus recipiendas dicto procuratori consignarent, ad libitum fratrum praedictorum in complementum aedificationis et ornamentorum ac librorum emptionem praedictam exponendo, prout *etc.* Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, licet dictus Nicolaus sibi directarum litterarum obtentu quatuor bonos et prudentes viros elegerit, et sic electi una cum procuratore a vobis deputato huiusmodi aliqua ex bonis antedictis vendiderint, tamen pro eo, quod sic electi viri praedicti in praefato oppido praesentes non sunt, ad ulteriorem venditionem huiusmodi faciendam commode haberi non possunt, et propter dilationem venditionis huiusmodi non modicum recipiatis detrimentum, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... concedimus, quod in antea dictus per vos pro tempore deputatus procurator possessiones, iura et bona praefata simul vel successive quibusvis personis vendere ac pretium seu pretia ex venditione aut venditionibus huiusmodi proveniens seu proventia in complementum perfectionis domus necnon emptionem librorum, ornamentorum et aliorum necessariorum antedicta iuxta voluntatem et dispositiones vestras convertere libere et licite possit et debeat, non obstante deputatione aliorum quatuor ... virorum *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, VII idus novembris, ... anno II.

1254. Mandat, ut 1500 solidos pro missis decantandis in monasterio monialium S. Clarae Valentin. assignet super fructibus hospitalis pauperum *Colle Ballegarii* nuncupati, postquam Iohannes de Cardona, comes de Prades, bona dicti hospitalis distracta recuperaverit [2].

1448, novembris 10, Romae.

Venerabili fratri episcopo Ilerden.

A supremo patrefamilias in domo Domini *etc.* Sane pro parte dilecti filii Iohannis de Cardona, comitis de Prades, Terraconen. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet quondam Sancia, comitissa de Prades et domina

(1) Vide supra n. 1003, p. 493.

(2) Reg. Vat. t. 386, f. 268 v.

baroniae de Turribus, dioec. Valentin., suum condens in eius voluntate ultima testamentum, in illo inter alia voluit et ordinavit, quod ex tunc in antea perpetuis futuris temporibus mille et quingenti solidi monetae illarum partium, super fructibus, redditibus et proventibus dictae baroniae annis singulis recipiendi, in anniversariis et missis pro anima eiusdem comitissae in ecclesia monasterii monialium S. Clarae, Valentin., ordinis S. Francisci, singulis annis decantandis per suos haeredes exponerentur et distribuerentur, tamen voluntas eiusdem comitissae ex negligentia et incuria suorum in eadem baronia haeredum nondum exsecuta est, quinimo baronia ipsa alienata exstitit, ex quo dicti mille et quingenti solidi super fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi haberi non possint. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefatus Iohannes comes cupiat voluntatem dictae comitissae adimplere ac operam efficacem dare, ut possessiones et bona ad hospitale pauperum, « Colle Ballegarii » nuncupatum, in comitatu de Prades huiusmodi consistens, per quondam Petrum, Infantem Aragoniae, ac clarae memoriae Iacobi, olim regis Aragoniae filium et ipsius comitis triarium, fundatum, [spectantia], quae propter negligentiam illorum, qui hospitale ipsum pro tempore gubernarunt, distracta et alienata sunt, cum adiutorio Dei recuperentur, dummodo dicti mille et quingenti solidi super fructibus, redditibus et proventibus hospitalis loco baroniae huiusmodi pro anniversariis et missis huiusmodi perpetuis futuris temporibus assignentur ac in illis iuxta voluntatem eiusdem testatricis singulis annis exponantur: quare pro parte eiusdem comitis, qui, ut asserit, praefatae comitissae binepos ac ipsius hospitalis patronus et protector exsistit, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut, postquam ipse de recuperando possessiones et bona praedicta operam dederit aut se daturum obtulerit, dictos mille et quingentos solidos super fructibus, redditibus et proventibus dicti hospitalis loco baroniae huiusmodi perpetuo assignari ac illos in anniversariis et missis praedictis exponi mandare aliasque ... providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus per te vel alium seu alios super praemissis ... auctoritate Nostra te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, ... auctoritate Nostra statuas, ordines et decernas, quod, postquam ipse comes de recuperando possessiones et bona huiusmodi operam dederit seu se daturum obtulerit, ut praefertur, mille et quingenti solidi ex fructibus, redditibus et proventibus hospitalis huiusmodi annis singulis recipiantur, ac ex illis missae et anniversaria in ecclesia monasterii huiusmodi alias iuxta voluntatem et ordinationem dictae comitissae dicantur et celebrentur, quodque rector sive gubernator dicti hospitalis nunc et pro tempore exsistens ad dandum dictos mille et quingentos solidos perpetuo teneatur, contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, IV idus novembris, ... anno II.

1255. Committit causam appellationis Isabellae abbatissae et duarum monialium monasterii S. Clarae Meten., O. S. Cl., contra Petrum Quatuorsolidorum, ministrum provincialem Franciae, et Clementem Gronsi, fratrem domus Remen., O. F. M. (1).

1448, novembris 13, Romae.

Venerabili fratri episcopo Meten. et dilectis filiis decano et thesaurario ecclesiae Meten.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Isabellis, abbatissae, et Margaretae Hannes et Margaretae Claussequini, monialium monasterii S. Clarae Meten., ordinis eiusdem sanctae, petitio continebat, quod olim Petrus Quatuorsolidorum, minister provincialis dicti ordinis per regnum Franciae, praefatam abbatissam nulla subsistente causa rationabili, sed ex arrupto et de facto ac pro suae voluntatis libitu regimine et administratione dicti monasterii ac illius abbatiali dignitate privavit et ab illis per dilectum filium Clementem Gronsi, fratrem domus Remen., ordinis fratrum Minorum, quem ad hoc deputavit, realiter amoveri ac dilectam in Christo filiam Pontiam de Burge, monialem dicti ordinis S. Clarae, in possessionem vel quasi regiminis et administrationis praefati monasterii intrudi fecit, ac dicta Pontia praefatam Isabellam, quominus pacificam regiminis administrationisque huiusmodi possessionem gerere possit, multipliciter impedivit et impedit, ipsamque abbatissam, Margaretam Hannes et Margaretam Claussequini similiter de facto excommunicationis sententia innodavit ac mandavit et fecit excommunicatas publice nuntiari ac diversas alias iniurias irrogavit. A quibus privatione, amotione et intrusione et impedimentis dicta abbatissa, quamprimum ad eius notitiam pervenerant, sentiens exinde indebite se gravari, ad Sedem Apostolicam appellavit. Sed praefatus Petrus appellatione huiusmodi, cuius non erat

(1) Reg. Lat. t. 453 B, f. 143.

ignarus, et infra cuius prosecutionis tempus, de quo non modicum supererat, praefata abbatissa exsistebat contempta, ipsam ac dictas Margaretam Hannes et Margaretam Claussequini excommunicationis sententia innodavit ac mandavit et fecit excommunicatas publice nuntiari, propter quae abbatissa denuo, necnon Margareta Hannes et Margareta Claussequini praedictae ad Sedem appellarunt eamdem Nobisque humiliter supplicarunt *etc.* Nos itaque ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos ... vocatis dictis Petro et Clemente necnon aliis, qui fuerint evocandi, abbatissam et Margaretam Hannes et Margaretam Claussequini praedictas, si hoc humiliter petierint, recepta tamen prius ab ipsis cautione idonea super eo, quod excommunicatae habentur, quod si dictam excommunicationis sententiam in eas latam vobis constiterit fore iustam vestris et ecclesiae mandatis parebunt, absolutionis beneficium ad cautelam ... hac vice impendatis. Super aliis vero auditis ... decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem *etc.* Non obstante *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, idibus novembris, ... anno II.

1256. Sororibus domus Stellae, Augusten., tertiae regulae S. Francisci, concedit remissionem plenariam (1).

1448, novembris 16, Romae.

Sacrae religionis, sub qua *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, XVI kal. decembris, ... anno II.

1257. Prorogat terminum remissionis plenariae concessae contribuentibus ad reparationem et ampliationem monasterii S. Trinitatis, Valentin. dioec., O. S. Cl. (2).

1448, novembris 27, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Quanto frequentius fidelium *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, ex certis suadentibus causis omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus, qui ex tunc usque ad certum tempus tunc expressum ad opus reparationis fabricae monasterii monialium S. Trinitatis, Valentin. dioec., ordinis S. Clarae, quinque florenos seu tantumdem in aliis bonis, quantitatem ipsam benevalentibus, illi, qui per dilectas in Christo filias abbatissam et conventum praefati monasterii pro tempore deputatus foret, realiter et cum effectu darent seu persolverent, aut alias per seipsos, si ad id apti exsisterent, seu per alios similiter aptos propriis sumptibus per mensem laborarent, quod singuli confessores, quos singuli fideles praedicti dantes, solventes aut laborantes, ut praefertur, ducerent eligendos, plenariam remissionem omnium peccatorum suorum semel tantum in mortis articulo eis concedere possent, per quasdam suas apostolica auctoritate duxit indulgendum. Et deinde pro parte charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae, Aragonum reginae illustris, Nobis exposito, quod in eisdem partibus erant quamplures christifideles adeo paupertate gravati, ut pro consequenda huiusmodi gratia et remissione dictos quinque florenos infra dictum tempus solvere commode nequibant, Nos, praefatae reginae in ea parte supplicationibus inclinati, per alias Nostras litteras voluimus et apostolica auctoritate decrevimus, quod omnes et singuli christifideles huiusmodi, qui dictos quinque florenos infra tempus praedictum forsan commode solvere non possent, dummodo illos infra annum a data dictarum litterarum Nostrarum computandum integre persolverent, gratiam et indulta huiusmodi in omnibus et per omnia iuxta litterarum dicti praedecessoris continentiam atque formam uti valerent, prout in praedecessoris et Nostris litteris huiusmodi plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, finis ultimi termini in dictis litteris praedecessoris Nostri praefixi de proximo instare noscatur, Nos igitur ex relatione dictae reginae certiores effecti, quod monasterium praedictum, in quo nobiles virgines, tam de regali prosapia quam nobili et militari genere procreatae, earum sponso, qui Christus est, sub suavi contemplationis iugo devotum et sedulum exhibent famulatum, et propter illarum vitae sanctimoniam plures christifideles utriusque sexus ad bene agendum provocarunt per exemplum, in illius claustro et ecclesia, quae plurimum arcta et angusta exsistunt ac in aliis suis structuris et aedificiis reparatione indigeat non modicum sumptuosa, ad quam faciendam ipsarum abbatissae et monialium non suppetunt facultates, sed eorumdem fidelium suffragia sint quamplurimum opportuna, debite reparetur et amplietur ipsorumque fidelium devotio, quae ingens est, peramplius augeatur, praefatae reginae in hac parte supplicationibus inclinati, litteras, gratiam et indultum praedecessoris antedicti usque ad festum pentecostes proxime venturum prorogamus; non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Potentianam, anno ... 1448, V kal. decembris, ... anno II.

(1) Reg. Lat. t. 447, f. 286. (2) Reg. Vat. t. 387, f. 294. — Cf. supra n. 979, p. 480; n. 1032, p. 515; n. 1188, p. 604.

1258. Alitiae, relictae quondam Percivali Marcason de Ianua, mulieri in civitate Londonien. commoranti, quae circa monasterii S. Clarae in suburbio Londonien. extra portam Algat, O. S. Cl., aedificiorum ad ruinam tendentium reparationem necnon monialium alimentationem subvenire proponit, concedit licentiam, quotiens sibi placuerit, cum aliquibus honestis matronis dictum monasterium ingrediendi et cum monialibus conversandi, non autem pernoctandi (1).

1448, decembris 10, Romae.

Devotionis tuae sinceritas promeretur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, IV idus decembris, ... anno II.

1259. Cassatis litteris Eugenii IV moniales monasterii S. Catharinae Ianuen. denuo subiicit iurisdictioni ministri provinciae Ianuen., O. F. M., easque ad ordinem S. Clarae reducit (2).

1448, decembris 19, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Quia plerumque in futurorum eventibus *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, litteras concessit tenoris subsequentis:

Eugenius episcopus etc.

Dilectis filiis Philippo Adurno, abbati monasterii S. Venerii de Tiro Portusveneris, Lunen. dioec., et Iohanni de Gattis, priori S. Theodori de Ianua etc.

Ad ecclesiarum et monasteriorum *etc. (ut supra n. 732, p. 348).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1443, VII idus octobris, ... anno XIII.

Nuper vero querelam dilectorum filiorum Iani de Campofregoso ducis ac multorum civium Ianuen. accepimus, continentem, quod, licet Philippus abbas et Iohannes prior praedicti, ad earumdem litterarum exsecutionem iuxta illarum tenorem et continentiam procedentes, praefatum monasterium tam in capite quam in membris visitaverint et moniales ipsas ab excommunicationis sententia huiusmodi absolverint necnon eisdem fratribus, ne ad ipsum monasterium accedere seu abbatissam et conventum praedictas visitare aut in eas iurisdictionem aliquam exercere seu earum curam gerere praesumerent, sub poenis et censuris tunc expressis inhibuerint ac alia, quae pro illarum reformatione et directione opportuna erant, et quae ad huiusmodi visitationis officium pertinebant, prout ex litterarum praedictarum forma poterant, statuerint ac pariter ordinaverint, nihilominus abbatissa et conventus praedictae, postquam a cura et iurisdictione fratrum dicti ordinis liberae fuerant et exemptae ac habitum ordinis S. Benedicti et regularem professionem iuxta morem dicti ordinis licet de facto emiserant regulares, non solum meliorem aut laudabilem vitam ducere et secundum instituta regularia dicti ordinis vivere earumque immortali sponso, cui virginitatem suam devoverant, in humilitatis spiritu famulari non curarunt, verum etiam magis detestabilem, perniciosam et suarum animarum saluti contrariam vitam elegerunt, usque adeo in illa perseverantes, in opprobrium religionis huiusmodi et scandalum plurimorum. Quare pro parte ducis et civium praedictorum, asserentium, quod praemissa, quae ad gravem divinae Maiestatis offensam eorumque et civitatis Ianuen. infamiam cedere dignoscuntur, nequeunt amplius aequanimiter tolerare, quinimo circa clausuram et gubernationem praefati monasterii curam vigilem in futurum adhibere proponunt, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, attendentes, quod exemptio et alia praemissa, quae licet consulte statuta et ordinata fuerint, ut necessitas praesentis provisionis evidenter ostendit, consultius immutantur et praesertim, cum non sine honoris fratrum dicti ordinis laesione ac animarum earumdem abbatissae et conventus periculo et damnatione processerint et nedum speratos, sed effectus contrarios produxerint, ut experientia manifestat, volentes circa praemissa de salubri remedio providere, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas tam eiusdem praedecessoris quam alias litteras apostolicas, quae forsitan contra huiusmodi Nostras revocationem, ordinationem et voluntatem hactenus emanassent, auctoritate apostolica tenore praesentium ex certa scientia revocantes, cassantes et irritantes ..., monasterium S. Catharinae illiusque abbatissam et conventum praedicta ad primum statum, in quo ante visitationem, exemptionem et professionem iam dictas fuerant, in omnibus et per omnia eadem auctoritate reducimus necnon curae et iurisdictioni generalis ac provincialis ministrorum provinciae Ianuen. secundum morem dicti ordinis, sicut alias ante exemptionem praedictam consueverant, perpetuo subiicimus subiectumque volumus, decernimus ac etiam ordinamus, mandantes harum serie abbatissae et conventui antedictis sub excommunicationis poena, quam, si secus fecerint, eas et ipsarum quamlibet incurrere volumus ipso

(1) Reg. Vat. t. 388, f. 245v.

(2) Reg. Vat. t. 408, f. 52; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 20. Cf. supra n. 760, p. 358.

facto, quod regularem habitum ordinis S. Clarae, quem antea gestare solebant, etiamsi illum de Sedis Apostolicae licentia et voluntate mutassent, sine contradictione aliqua reassumant et perpetuo gestent regularemque dicti ordinis observantiam pariter et clausuram observent necnon ipsius ac fratrum ordinis Minorum huiusmodi se conforment regularibus institutis, sub regimine et illius gubernatione viventes, quam ex eis idoneam in earum et dicti monasterii elegerint abbatissam, non obstantibus *etc.* Nos enim ex nunc irritum *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIV kal. ianuarii, ... anno II.

1260. Petro Ruys, alias Lenet, O. F. M., concedit facultatem gaudendi certis praerogativis in assecutione beneficii (1).

1448, decembris 19, Romae.

Dilecto filio Petro Renys, alias Lenet, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Dudum siquidem, videlicet sub data XVIII kal. iulii, pontificatus Nostri anno I, tibi ... beneficium ecclesiasticum ... per Maioris monasterii prope Turonis vel S. Iovini de Marnis, Pictavien. dioec., ordinis S. Benedicti, monachos gubernari solitum, ... vacans tunc vel vacaturum, per te, quoad viveres, tenendum ... commendari mandavimus. Nos igitur, ... volentes te, qui ut asseritur, de Gahart, cuius 40, et de Loheac, cuius 50, ac de Santguen. alias de Sant-Clement, cuius 100 librarum Turonen. parvorum fructus ... non excedunt, Redonen., Maclovien. et Veneten. dioec., prioratus dicti ordinis S. Benedicti, ... ex dispensationibus et concessionibus apostolicis ... obtines, ... et pro quo etiam ... Franciscus, dux Britanniae, asserens te dilectum suum confessorem fore, ... supplicavit, favore prosequi gratioso, ... tibi concedimus, quod in assecutione huiusmodi beneficii, quod per dictas litteras exspectas, ... omnibus ... praerogativis ..., quibus omnes et singulae personae per praefatum ducem iuxta quamdam per Nos dudum ad ipsius ducis instantiam desuper concessam facultatem nominatae ... gaudent, ... gaudere possis, ... ac volumus, quod quamprimum ... beneficium huiusmodi fueris pacifice assecutus, unum ex praefatis tribus obtentis prioratibus, quem malueris, ... omnino dimittere tenearis; *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIV kal. ianuarii, ... anno II.

1261. Dionysio, episcopo Laodicen., O. F. M., Franciści, ducis Britanniae confessori, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum per monachos monasterii Maiorismonasterii prope Turonam, O. S. Ben., gubernari solitum, quod ipsi ex nominatione praefati ducis a Iohanne, episcopo Briocen., vigore certarum litterarum apostolicarum reservatum erat (2).

1448, decembris 19, Romae.

Personam tuam Nobis et Apostolicae Sedis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIV kal. ianuarii, ... anno II.

1262. Fratribus domus O. F. M. de observ. Nurembergen.; Bambergen. dioec.; concedit facultatem erigendi in domo praedicta studium artium, philosophiae et theologiae (3).

1448, decembris 20, Romae.

Dilectis filiis vicario, guardiano et universis fratribus domus ordinis Minorum, oppidi Nurembergen., praesentibus et futuris.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Sane exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod vos, quibus et aliis universis fratribus ordinis Minorum in sacerdotio constitutis ex indulto apostolico, quod ad populum praedicare Christique fidelium etiam confessiones audire potestis, concessum exsistit, cupiatisque igitur pro potioris catholicae fidei doctrinae augmento in conventu domus vestrae Nurembergen., Bambergen. dioec., in qua sub regularis vitae observantia vitam ducitis, viros habere moribus, vita et exemplo conspicuos et insignes ac in scientiis et doctrina evangelica eruditos et affluentes, qui fidelium populo uberius praedicare et verbum Dei in illa fructuosius seminare confessionesque fidelium religiosius audire, quique salubrius suorum illis peccata confitentes admonere ac animas Altissimo lucrifacere sciant et valeant, quodque in conventu domus vestrae huiusmodi scientiarum studium teneant in artibus et theologia, philosophia et in alia qualibet facultate et scientia licita fratribus in conventu domus vestrae huiusmodi pro tempore commorantibus et studere volentibus legant eosque in praedictis scientiis moneant, doceant, imbuant et instruant. Quare pro parte vestra *etc.* Nos igitur, iustis desideriis et votis vestris supplicibus Nobis in hac parte porrectis benignius annuentes, vobis et successoribus vestris universisque aliis fratribus in dicta domo in perpetuum pro tempore exsistentibus praefatum studium instruendi, erigendi et vigere faciendi, in praefatis scientiis et facultatibus ac sacra

(1) Reg. Vat. t. 388, f. 44 v. Cf. supra n. 1210, p. 613.
(2) Reg. Vat. t. 388, f. 193 v. Cf. supra n. 177, p. 89.
(3) Reg. Lat. t. 453 B, f. 265. Cf. supra n. 1043, p. 523.

pagina legendi et studendi illasque audiendi ac legi et studeri faciendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus potestatem et etiam facultatem. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIII kal. ianuarii, ... anno II.

1263. 1.) Fratribus domus O. F. M. Nurembergen. et 2.) Sororibus monasterii S. Clarae oppidi Nurembergen., Bambergen. dioec., concedit facultatem eligendi confessarium et remissionem plenariam (1).

1448, decembris 20, Romae.

Sacrae religionis, sub qua *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIII kal. ianuarii, ... anno II.

1264. Statuit, ut officium ministrorum provincialium in regno Aragoniae consistentium triennio tantum duret (2).

1448, decembris 23, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exposcit plena vigiliis Romani pontificis *etc.* Sane, licet ad praeservandam sacri ordinis fratrum Minorum religionem ac delenda simultatum fomenta, quae sator zizaniae seminabat, praeter illa, quae gloriosus confessor Christi Franciscus tradiderat instituta, quamplura Romanorum pontificum, praedecessorum Nostrorum, necnon Sedis Apostolicae legatorum constitutiones, ordinationes et instituta canonica abunde fuerint promulgata, tamen, quia pridem his non animadversis, ut charissimus in Christo filius Noster Alphonsus, rex Aragonum illustris, Nobis significare curavit, gravia in regno Aragoniae inter fratres ordinis memorati pro eo, quod ministri provinciales dicti ordinis, qui, ut in ministeriatu huiusmodi perpetui essent, concertabant, dissensiones et scandala successerunt. Nos, huiusmodi perniciosis exemplis et periculosis contentionibus, prout ex susceptae servitutis officio adstringimur, obviare cupientes, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod ex nunc inantea futuris temporibus omnium et singulorum provincialium ministrorum dicti ordinis in praefato regno consistentium officium triennio dumtaxat duret et non ultra, ita quod exacto triennio praesentis statuti et constitutionis auctoritate minister pro tempore exsistens et alii successores privati sint et esse intelligantur penitus et omnino absque aliqua actuali privatione, et iuxta praefati ordinis instituta et laudabiles ordinationes seu consuetudines hactenus observatas ad ordinationem et electionem aliorum ministrorum successive cum omni charitate et mansuetudine debitis procedatur, cassantes praeterea, irritantes et annullantes quaecumque privilegia vel indulta et litteras apostolicas, tam per fel. rec. Eugenium, quam per alios praedecessores Nostros contra statutum et consuetudinem huiusmodi de perpetuatione ministeriatus quibuscumque concessa, ipsis alias in suo robore permansuris ac mandantes dilecto filio generali ministro dicti ordinis, quod praemissa et alia, quae pro votivo ipsius ordinis statu et salubri directione et conservatione congruere prospexerit, faciat auctoritate Nostra inviolabiter observari, quodque, si generalis minister, qui plerumque, ut iniunctum sibi ministerium debite exsequatur, in partibus remotis agit, praemissa exsequi commode non valeret, venerabili fratri Nostro archiepiscopo Tarraconen. pro tempore exsistenti per se vel alium seu alios ea in omnibus et per omnia una vice tantum cum plena et omnimoda iurisdictione, potestate et auctoritate necessariis et opportunis tenore praesentium ante festum pentecostes proxime sequens committimus exsequenda, non obstantibus privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, X kal. ianuarii, ... anno II.

1265. Vulterran. et Montisflasconen. episcopis ac plebano plebis S. Iohannis de Castro Gritarum (Grotte di Castro), Montisflasconen. dioec., mandat, quatenus Angelo Nardi de Corneto, canonico ecclesiae S. Christinae de Bulsena, Urbevetan. dioec., conferri curent praeposituram ecclesiae praedictae necnon ecclesiam S. Crucis dicti loci, vacantes per ingressum Angeli Iohannis Nupressi in domum Insulae Visentin., O. F. M., Montisflasconen. dioec., eiusdemque ordinis professionem (3).

1448, decembris 30, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, III kal. ianuarii, ... anno II.

1266. Fratribus domus Nurembergen., O. F. M. de observantia, Bambergen. dioec., concedit 1) facultatem commutandi res in eleemosynam datas cum aliis rebus victui necessariis (4), 2) facultatem eligendi confessa-

(1) Reg. Lat. t. 447, f. 318v. Cf. n. praec. De monasterio S. Clarae cf. supra n. 837, p. 393.

(2) Reg. Vat. t. 388, f. 128 et ibid. t. 411, f. 278v. (inclusa in alia d. prid. nonas iunii, anno 1450); Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 21.

(3) Reg. Lat. t. 453 B, f. 313v. — De domo Visentin. cf. supra n. 34, p. 24.

(4) Reg. Lat. t. 453, f. 189. — De domo Nurembergen. cf. supra n. 1262. 1263, p. 649.

rium, si a domo sua absentes aut in itinere constituti copia confessarii sui ordinis careant (1).

1449, ianuarii 20, Romae.

Dilectis filiis guardiano et conventui ac universis fratribus domus ordinis Minorum, oppidi Nurembergen., Bambergen. dioec., praesentibus et futuris.

1) Ad ea, per quae commodis, victui et necessitatibus vestris *etc.* Sane, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos, postquam iampridem sub iugo et observantia vitae regularis Altissimo famulari effectualiter decrevistis, ex tunc nonnullas praetensas proprietates et provisiones vobis pia christifidelium largitione in vim eleemosynae et alias legatas, donatas atque porrectas, relictas, ex quibus opportuna vini provisio vobis et conventui domus vestrae, ordinis Minorum, oppidi Nurembergen., Bambergen. dioec., fiebat, iuxta vestri ordinis instituta, ut asseritis, realiter dimisistis, et exinde ex causa dimissionis eiusdem vos, conventus et fratres domus vestrae prefatae alimonia vini huiusmodi, quo pro vestra et successorum vestrorum vitae necessaria sustentatione permaxime, ut asseritis, indigetis, caruistis et caretis etiam de praesenti. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis et successoribus vestris frumenta, caseos, res et bona alia, quae vobis et successoribus ipsis ab eisdem fidelibus intuitu eleemosynae vel alias vobis pro tempore largientur, tam pro vino quam pro aliis rebus victui vestro necessariis ex causa permutationis dandi vel alias ex causa huiusmodi alienandi et distrahendi seu per alium vel alios alienari et distrahi faciendi licentiam et facultatem concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... vobis et eisdem successoribus in perpetuum frumenta, caseos et alia bona praefata vobis, ut praefertur, pie vel alias largita et donata et pro tempore vobis et praefatis successoribus largienda tam pro vino quam pro aliis rebus et bonis victui et aliis necessitatibus vestris quomodolibet opportunis per vos vel alium seu alios ex causa permutationis huiusmodi dandi et commutandi vel dari et commutari seu vendi, alienari et distrahi faciendi, prout pro evidenti vestra et successorum eorumdem utilitate videbitur faciendum, plenam et liberam concedimus auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et pariter facultatem. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIII kal. februarii, ... anno II.

2). Sincerae devotionis affectus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod nonnulli quandoque ex fratribus conventus domus vestrae, oppidi Nurembergen., Bambergen. dioec., inibi pro tempore commorantes, ab huiusmodi domo et conventu exigentibus necessitatibus se absentant, ipsorumque fratrum aliqui sic absentes et in itinere constituti cupiant ex devotione eorum peccata confiteri teneanturque et adstricti exsistant iuxta vestri ordinis instituta non aliis quam dumtaxat dicti ordinis fratribus in sacerdotio constitutis de commissis per eos, ut praefertur, confiteri, saepeque numero contingat quosdam ex fratribus vestris absentes esse et in itinere constitutos carere copia sacerdotis huiusmodi, cui possint, ut praemittitur, eorum peccata confiteri, unde ex conscientia ut plurimum tepescunt seque retrahunt praesertim missarum sollemnia celebrare. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut illis ex fratribus absentibus et in itinere constitutis ac piis votis et desideriis vestris huiusmodi opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... ut devotio vestra erga Nos et eamdem ecclesiam augeatur et crescat, illis ex eisdem fratribus vestris in itinere, ut praefertur, constitutis, si sacerdotis huiusmodi copia caruerint ac tam pro missis celebrandis quam alias confiteri desideraverint, eo casu presbyterum saecularem vel regularem idoneum eligendi sibique, ut praemittitur, confitendi, eique confessiones audiendi et ipsum vel ipsos in forma ecclesiae consueta absolvendi et poenitentiam eisdem fratribus sic pro tempore confitentibus salutarem iniungendi, nisi talia fuerint, propter quae Sedes Apostolica sit merito consulenda, auctoritate apostolica plenam et liberam concedimus tenore praesentium licentiam et facultatem, statutis ... non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XIII kal. februarii, ... anno II.

1267. Confirmat concessionem vineae loci *Capo de Monte* fratribus domus S. Francisci, O. F. M. de observ., Anconitan., factam (2).

1449, ianuarii 31, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exposcit Nobis iniunctum desuper apostolicae servitutis officium *etc.* Dudum siquidem per Nos accepto, quod dilecti filii fratres et conventus domus S. Mariae Maioris de Ancona, ordinis fratrum Minorum, intra civitatem Nostram An-

(1) Ibid. t. 453, f. 190 v.

(2) Wadd. Reg. pont. Nic. V, n. 22 « ex arch. secr. l. 24, f. 88 ». De domo S. Mariae Anconitan. cf. supra, n. 224, p. 107.

conitan., tenerent quamdam vineam in loco, qui dicitur « Capo de Monte », contiguam horto dilectorum filiorum fratrum domus S. Francisci ad Alto, eiusdem ordinis de observantia, quam aliàs possederant fratres, qui pro tempore fuerunt in dicto loco S. Francisci, nunc in praedicta domo S. Mariae commorantes, cum omnes eiusdem ordinis essent et vitae, et dictus locus S. Francisci sub regimine dictorum fratrum S. Mariae Maioris gubernaretur, apud quam vineam iuxta viam publicam est quaedam parva ecclesia sub vocabulo S. Caeciliae fundata, cui parvae ecclesiae pars dictae vineae dicitur fuisse cum quodam contiguo horticello, ac subiuncto, quod, cum dictus locus S. Francisci fuisset pro fratribus de observantia huiusmodi receptus et fratres ipsi in dicto loco commode sine praedictae vineae possessione habitare non possent, Nos, commoditati fratrum de observantia huiusmodi consulere cupientes, filio Nostro Philippo, tit. S. Susannae presbytero cardinali, tunc episcopo Bononien., Marchiae Nostrae Anconitanae gubernatori, per quasdam Nostras certi tenoris litteras inter alia dedimus in mandatis, ut ad dictam civitatem aliquem probum virum et honestum mittere curaret, qui vineam ipsam praedictis fratribus de observantia assignari faceret omni exceptione postposita, qui quidem episcopus, volens mandata Nostra exsecutioni mandare, per suas certi tenoris litteras dilecto filio Iacobo, archidiacono Fulginat., commisit et mandavit, ut ad praedictam civitatem se conferens, ea in ipsis Nostris litteris contenta effectum sortiri faceret. Qui Iacobus factae sibi commissionis huiusmodi vigore inter alia praedictam vineam cum ecclesia praedicta dictis fratribus de observantia realiter assignavit, prout in singulis litteris praedictis et processu ipsius Iacobi, quorum quidem litterarum et processus tenores hic haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Quare pro parte dictorum fratrum de observantia Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, ... assignationem praedictam ac quaecumque inde secuta rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica approbamus et confirmamus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, prid. kal. februarii, ... anno II.

1268. Committit inquisitionem de miraculis S. Bernardini de Senis, O. F. M. (1).

1449, ianuarii 31, Romae.

Dilectis filiis Bessarioni, tit. XII apostolorum, et Guillelmo, tit. S. Martini in Montibus presbyteris, ac Petro S. Mariae Novae diacono cardinalibus.

Dudum fel. rec. Eugenius papa, praedecessor Noster, bonae mem. Nicolao, tit. S. Marcelli presbytero, et Alberto, S. Eustachii diacono, ac tibi Guillelmo, tit. S. Martini in Montibus presbytero cardinalibus, sub datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XVII kal. martii, pontificatus sui anno XV, commissionem fecit in haec verba:

Sancta fidelium mater ecclesia, Christi Salvatoris nostri sponsa, *(etc., ut supra n. 895, p. 434 usque ad* omni studio et diligentia exsequantur).

Et cum post factam commissionem praedictam eisdem praedecessore ac S. Marcelli et S. Eustachii cardinalibus viventibus supradictis religiosae memoriae frater Bernardinus novis continuis miraculis coruscaverit, prout in dies coruscare dicitur, Nos eamdem commissionem, prout a dicto praedecessore Nostro facta fuit, bonae mem. Iohanni, episcopo Praenestin., cardinali Tarentin., et vobis Guillelmo et Petro praedictis, per litteras Nostras fecimus, prout in eisdem litteris plenius continetur (2). Cum autem nuper dictus Iohannes diem clauserit extremum, Nos etiam omnia et singula, prout superius enarrantur, circumspectioni vestrae apostolica auctoritate committimus per praesentes, dantes quoque vobis et concedentes omnes et singulas facultates, quae in eisdem praedecessoris ac in eisdem Nostris litteris continentur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, pridie kal. februarii, ... anno II.

1269. Petro de Albario, O. F. M., concedit licentiam residendi in civitate Perre cum facultate celebrandi missas et absolvendi, etiam a casibus reservatis (3).

1449, februarii 4, Romae.

Dilecto filio Petro de Albario, ordinis fratrum Minorum professori.

Vota fidelium, illa praesertim *etc.* Hinc est, quod Nos dilecti filii Nicolai de la Porta, habitatoris seu civis terrae vel civitatis Perre, in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut in parochiali ecclesia SS. Petri et Pauli aut alio loco ecclesiastico dictae civitatis vel terrae, quem ad hoc de illorum, quorum intererit, consensu elegeris, residere, in ea vel eo missas et alia divina officia celebrare necnon singulorum utriusque sexus fidelium ad ecclesiam seu locum huiusmodi pro tempore confluentium confessiones diligenter audire et pro confessis per eos cri-

(1) Wadd. *Ann.* ad annum. 1449, n. 8. (2) Vide supra n. 1069, p. 539. (3) Reg Vat. t. 408, f. 120.

minibus, excessibus et peccatis, etiam de quibus Sedes Apostolica consulenda foret, semel tantum, in aliis vero, pro quibus Sedem ipsam adire non oporteret, ac in singulis, in quibus episcopi absolvere possunt, casibus, quotiens opportunum fuerit, debitam fidelibus ipsis et cuilibet ipsorum absolutionem impendere et poenitentiam salutarem iniungere, eisque etiam, quotiens expedierit, eucharistiam et omnia alia ecclesiastica sacramenta ministrare libere et licite valeas, superiorum tuorum aut quorumvis aliorum super hoc licentia minime requisita, ita quod ab eis vel eorum aliquo propterea molestari seu impeti nequeas, iure tamen cuiuslibet alterius ecclesiae in omnibus semper salvo ac ... contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et etiam facultatem. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, pridie nonas februarii, ... anno II.

1270. Fratribus domus S. Catharinae in portu maris de Blavet inter insulam S. Michaelis et parochiam de Rantech (Riantec), dioec. Veneten., et domus insulae Virginis (Vierge), dioec. Leonen. (St. Pol de Léon), O. F. M. de observ., indulget, ut oratoria, capellas et altaria ab ipsis constructa consecrari valeant a quocumque catholico antistite (1).

1449, februarii 6, Romae.

Dilectis filiis guardianis et fratribus S. Catharinae in portu maris de Blavet et insulae Virginis domorum, ordinis fratrum Minorum, Veneten. et Leonen. dioec.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos, qui in humilitatis spiritu sub regulari observantia ordinis fratrum Minorum Altissimo iugiter impenditis famulatum, in portu maris de Blavet, inter insulam S. Michaelis et parochiam de Rantech consistente, et in insula, Virgo nuncupata, Veneten. et Leonen. dioec., nonnulla ecclesias, oratoria et capellas ac domos ad Dei decorem construxistis et Domino concedente imposterum construere et aedificare speretis, Nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, ut ecclesias, oratoria, altaria et capellas constructa nunc et, postquam illa constructa fuerint, construenda huiusmodi ac coemeteria per aliquem seu aliquos catholicos antistitem vel antistites gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem vel habentes consecrari facere libere et licite valeatis, dioecesanorum locorum et quorumcumque aliorum licentia super hoc minime requisita, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, VIII idus februarii, ... anno II.

1271. Mandat, ut hominibus terrae Campli, Aprutin. (Teramo) dioec., concedat licentiam vendendi 2 petias terrae ad ecclesiam ruralem S. Iohannis de Castilliono pertinentes pro perfectione domus O. F. M. de observ. in dicto loco Campli (2).

1449, februarii 8, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Mariani de Nucella, Aprutin. dioec.

Ex apostolicae servitutis officio *etc.* Sane, sicut exhibita Nobis nuper petitio pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum terrae Campli, Aprutin. dioec., petitio continebat, ipsi, fervore devotionis accensi, quamdam domum pro usu et habitatione nonnullorum fratrum ordinis Minorum sub regulari observantia ibidem vivere debentium iuxta facultatem dilecto filio Iohanni de Capistrano, dicti ordinis professori, auctoritate apostolica desuper traditam fundare et erigere cupiunt, sed propter bella ... ad domum huiusmodi perficiendam eis non suppetunt facultates. Quare pro parte universitatis et hominum praedictorum, asserentium ad eos ius patronatus ruralis ecclesiae S. Iohannis de Castilliono de Camplo, praedictae dioec., spectare, necnon dilecti filii Angeli, rectoris dictae ecclesiae, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro huiusmodi domus perfectione duas petias terrarum vineatas, quarum verus valor ultra ducentos florenos auri de camera non excedit, ad dictam ecclesiam legitime pertinentes, vendendi et alienandi ac ipsarum terrarum pretium in structuras et aedificia dictae erigendae domus convertendi facultatem concedere ... dignaremur. Nos igitur, ... dictas petias terrarum, qualitates, quantitates, confines praesentibus haberi volentes pro expressis, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis te informes et ... petias praedictas pro condecenti pretio vendendi et alienandi ac ipsarum pretium in fundationem ... convertendi universitati et hominibus ac rectori praedictis, ut praefertur, eadem auctoritate licentiam largiaris. Volumus autem, quod pretium ex venditione huiusmodi redigendum apud aedem sacram seu aliquam vel aliquas personam vel personas fide et facultatibus idoneam seu ido-

(1) Reg. Lat. t. 446, f. 259 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 23.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 24 « e l. de div. form. a 2, f. 199 ».

neas deponatur et in fundationem ac erectionem huiusmodi et non in usus alios convertatur. Non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, VI idus februarii, ... anno II.

1272. Monasterium S. Crucis extra muros Neapolitan. pro fratribus O. F. M. et sororibus O. S. Cl. erectum concedit Antonio Sassono de Neapoli O. F. M. aliisque fratribus O. F. M. de observ. (1).

1449, februarii 9, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii debitum *etc.* Sane, sicut accepimus, licet monasterium S. Crucis extra muros Neapolitan. olim a quondam Sancia de Aragonia, regina, clarae memoriae Roberti regis Siciliae consorte, cum ecclesia, campanili ... officinis et aliis necessariis pro usu et habitatione fratrum Minorum et sororum S. Francisci sub regula S. Clarae degentium sollemniter constructum et erectum exstitisset, tamen clarae memoriae Iohanna II, regina Siciliae, considerans, quod sorores huiusmodi eo, quod dotatae non fuerant, sed victum sibi ostiatim quaerere habebant, in dicto monasterio, quod extra clausuram civitatis Neapolitan. et inter tria castra consistebat, decenter vivere et stare non valebant, partem dicti monasterii, quam sorores praedictae inhabitabant, monasterio eiusdem S. Clarae Neapolitan. uniri fecit et procuravit. Postmodum vero guerris et divisionibus in partibus illis et maxime circa civitatem eamdem saevientibus monasterium ipsum etiam a fratribus antedictis totaliter derelictum et ad usus profanos redactum fuit. Et deinde, sicut accepimus, dilectus filius Antonius Sassonus de Neapoli, ordinis fratrum huiusmodi professor, officio praedicationis inibi insistens ac locum ad habitandum in solitudine pro animi sui quiete quaerens necnon monasterii huiusmodi desolationem et ruinam attente considerans, illud de charissimae in Christo filiae Nostrae Elisabeth, reginae tunc Neapoli consistentis, provincialisque ministri et monialium dicti ordinis licentia pariter et assensu una cum certis fratribus sub regulari observantia eiusdem sancti degentibus inhabitavit; et consequenter charissimus in Christo filius Noster Alphonsus, rex Aragonum illustris, civitatem eamdem obtinens et, monasterium praedictum, ut praefertur, desolatum capellae suae regiae applicans, illud eidem Antonio et fratribus ministri et monialium ordinis huiusmodi ad id accedente consensu ad habitandum dimisit ipsique Antonius et fratres monasterium ipsum restaurarunt, repararunt et reaedificarunt. Nos igitur, de praemissis plenius informati, attendentes, quod monasterium ipsum S. Crucis propter loci situationem ad sororum huiusmodi usum et habitationem totaliter alienum et incongruum exsistit et, ne Antonius et fratres praedicti super monasterio S. Crucis praedicto et illius occasione per sorores eiusdem ordinis aut quoscumque alios in posterum indebite molestari ... valeant, providere volentes, illud a S. Clarae huiusmodi et cuiusvis alterius monasterii dependentia separantes et segregantes, necnon ordinem eiusdem sanctae inibi supprimentes et exstinguentes inibique ordinem Minorum S. Francisci de observantia huiusmodi erigentes, monasterium S. Crucis praefatum Antonio et fratribus antedictis sub regula eiusdem sancti degentibus, qui etiam illius generali pro tempore exsistenti ministro seu eius vicario generali de observantia dumtaxat subiici debeant, alias iuxta ipsorum ritus, statuta, conditiones et privilegia tenendum ... donamus et appropriamus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, V idus februarii, ... anno II.

1273. Mandat, ut causam inter Petrum Quatuorsolidorum, O. F. M., ministri provinciae Franciae, et Simonem Philumene, O. F. M., remittat ad examen capituli generalis O. F. M. proxime celebrandi (2).

1449, februarii 15, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Monte, archidiacono ecclesiae Remen.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Petri Quatuorsolidorum, ordinis fratrum Minorum et theologiae professoris ac provinciae Franciae secundum morem dicti ordinis provincialis ministri, petitio continebat, quod olim, postquam fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, dilectum filium Simonem Philomene, etiam dictorum ordinis et theologiae professorem, suis culpis et demeritis exigentibus, de quibus fide dignorum relatione plena fides facta fuerat, ab officio ministeriatus dictae provinciae, quod tunc exercebat, amoverat, dilecto filio Iohanni de Capistrano, dicti ordinis professori, per quasdam primo, ut ad dictam provinciam accederet ac officiales et fratres dicti ordinis debito modo congregaret et iuxta ipsius ordinis instituta

(1) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 25 « ex bulla originali ».
(2) Reg. Lat. t. 453 B, f. 277 v. — De Petro Quatuorsolidorum cf. supra n. 1255, p. 646. De Simone Philomene cf. supra n. 196, p. 96.

alium bonae conversationis et famae in dicta provincia ministrum constitui et deputari curaret, cui sic creato plenam faceret obedientiam exhiberi, et deinde per alias suas in forma brevis litteras dilectis filiis custodibus, guardianis et fratribus dictae provinciae dedit inter alia in mandatis, ut praefato Simoni tamquam ministro provinciali ulterius non parerent, sed illa adimplerent, quae praefato Iohanni eis referenda commiserat, quarum quidem litterarum et mandati vigore provinciali capitulo dictorum fratrum in oppido Brugen., Tornacen. dioec., congregato Simon officium ministeriatus huiusmodi in manibus Iohannis et capituli praedictorum sponte et libere renuntiavit, ac Petrus in ministrum provincialem dictae provinciae ab eisdem capitulo electus, constitutus et deputatus exstitit, fratresque, praesertim in dicto capitulo vocales nuncupati, ac etiam Simon praedicti eidem Petro tamquam ministro provinciali plenam obedientiam iuxta morem praefatum exhibuerunt. Postmodum vero praedictus Simon, praetendens ipsum Petrum minus honeste se gessisse ac nonnulla crimina et excessus commisisse, per eum tamen de suis depositione et amotione ac renuntiatione huiusmodi nulla mentione facta coram venerabili fratre Nostro Iacobo, archiepiscopo Remen., praetextu quarumdam litterarum Nostrarum super hoc petendo ipsum a dicto officio amoveri seque ad illud institui ac eidem Petro super hoc perpetuum silentium imponi, traxit in causam ipseque archiepiscopus in causa huiusmodi ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem inter partes ipsas, dicitur processisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, de meritis dictae causae ac de moribus et vita necnon idoneitate dictorum Petri et Simonis melius et aequius in capitulo generali dictorum fratrum proxime celebrando, quam alibi tractari et illa examinari debere censendum sit, pro parte dicti Petri Nobis fuit humiliter supplicatum, ut causam ipsam ad Nos advocare et ad huiusmodi celebrandi capituli examen remittere ... dignaremur. Nos itaque, statum causae ... ad Nos harum serie advocantes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... causam ipsam ad examen celebrandi capituli huiusmodi debito fine decidendam remittere non postponas, faciens *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XV kal. martii, ... anno II.

1274. Confirmat sententiam Iohannis, episcopi Adrien. et Pennen., qua membrum ad monasterium monialium de Ascorzono, prope Teramum, Aprutin. dioec., O. S. B., olim pertinens, *capella S. Angeli* nuncupatum, a dicto monasterio separatur et confertur fratribus O. F. M. de observ. [1].

1449, februarii 15, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae Nobis iniunctae desuper officium servitutis *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, dilectorum filiorum communis et civium terrae Terami, Aprutin. dioec., supplicationibus inclinatus, venerabili fratri Nostro episcopo Pennen. eius proprio nomine non expresso per suas litteras dedit in mandatis, ut quoddam membrum monasterii monialium S. Iohannis de Ascorzono, ordinis S. Benedicti, dictae dioec., pro earum aliquando mansione prope muros terrae praedictae, capellam S. Angeli communiter nuncupatum, ab eodem monasterio segregaret ipsumque membrum pro constructione et fundatione cuiusdam domus ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum sub vocabulo beatae Mariae de gratiis deputaret ac in recompensam membri huiusmodi infra muros dictae terrae locum alium habitabilem abbatissae et monialibus dicti monasterii ipsis consentientibus assignaret, et deinde post obitum dicti praedecessoris venerabilis frater Noster Iohannes, episcopus Pennen., ad dictarum litterarum exsecutionem procedens, segregationem, deputationem et assignationem huiusmodi fecit, prout in instrumento publico ... continetur. Quare pro parte communis et hominum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, segregationem, deputationem et assignationem praedictas ac quaecumque inde secuta rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes illum, quod in praemissis segregatione, deputatione et assignatione dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii Cassinen., dicti ordinis S. Benedicti, nullius dioec., a quo praedictum membrum dependet, consensus non accesserit, omnesque alios defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Non obstantibus *etc.* quibuscumque. Tenor vero instrumenti praedicti talis est:

In Dei nomine. Amen.

Anno Domini 1448, die vero XX mensis septembris, XII indictione, regnante serenissimo et illustrissimo principe domino nostro, domino

[1] Reg. Lat. t. 453 B, f. 303v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 26. — Cf. supra n. 983, p. 482.

Alphonso, inclyto Dei gratia rege Aragonum, Siciliae citra et ultra Farum, Valentiae, Hungariae, Maioricarum, Sardiniae et Corsicae, comite Barchinonen., duce Athenarum et Neopatriae ac etiam comite Rossillion. et Ceritaniae, huius regni Siciliae citra Farum, anno XIV feliciter. Amen.

Apud civitatem Terami, in domibus episcopalis palatii dictae civitatis, videlicet in earum sala, in qua reverendus in Christo pater dominus, dominus Iohannes de Palena, Dei et Apostolicae Sedis gratia Adrien. et Pennen. episcopus ac iudex commissarius a Sede Apostolica ad infrascripta exsequenda specialiter deputatus, sedebat in quodam banco ligneo ibidem constructo, quem locum primo et ante omnia ad hunc actum pro suo loco iuridico et tribunali elegit, Nos, Iacomellus Namus, etiam contractus dictae civitatis et aliarum terrarum maioris ecclesiae Aprutin. notarius, Archangelus Iacobi de Monte Pagano, civis et habitator civitatis Adrien., publicus ubique per totum regnum Siciliae citra Farum regia auctoritate notarius, et subscripti testes litterati ad haec vocati, adhibiti specialiter et rogati, videlicet Antonius Berarducci, Blasius notarius Nicolai, Iacobus Iainicii, Cola Lelli de Rapino de dicta civitate, Iacobus Dominici, Nardus Berardi Caproni, Iacobus Philippi Calararii et Silvester Scuderii de dicta civitate, praesenti scripto publico declaramus, notum facimus et testamur, quod comparentes ad locum praedictum nobiles viri Marcus Ianius et Iacobus Berarducii de Teramo, syndici et procuratores universitatis et hominum dictae civitatis Terami, ut de dicto syndicatus et procurationis officio plenarie constare vidimus, publicum instrumentum exinde confectum manu notarii Mathiuctii Lelli de Teramo, publici notarii inde rogati, et coram eodem domino episcopo commissario praedicto cum instantia petierunt, ut tamquam commissarius ad infrascripta exsequenda a Sede Apostolica deputatus pronuntiare et sententiare deberet in contumacia dominae Antonellae, abbatissae loci et capellae S. Angeli de dicta civitate, membri et capellae S. Iohannis de Ascorzono et aliarum monialium eiusdem loci, legitime citatis et non comparentibus per legitimum procuratorem, qui earum legitimis excusationibus excusaret necnon et sententiam ferret, qui dominus episcopus, iudex et commissarius praedictus, volens et intendens iustitiam ministrare, pronuntiavit, iudicavit et sententiavit in hunc modum, videlicet: In Dei nomine. Amen. Nos Iohannes de Palena, Dei et Apostolicae Sedis gratia Adrien. et Pennen. episcopus, iudex commissarius et exsecutor in hac parte a Sede Apostolica deputatus, receptis litteris Apostolicis sub bulla plumbea, quarum litterarum tenor talis est:

Eugenius etc.

Venerabili fratri episcopo Pennen.

Quamvis de cunctis religiosorum ordinibus *etc. (ut supra n. 983, p. 482).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, V idus aprilis, ... anno XVI.

Visa itaque bulla apostolica nostrae commissionis et exquisite consideratis omnibus, quae continentur in ea, facta prius inquisitione diligenti, recepta informatione a fide dignis personis et examinatis testibus super veritate narratorum et contentorum in litteris apostolicis, viso instrumento permutationis factae per dictam Antonellam abbatissam et moniales de loco in recompensam assignato eisdem, viso loco S. Annae, viso monasterio S. Angeli per communitatem et civitatis Terami et facta recompensa, quia repperimus narrata et exposita in dictis litteris apostolicis fuisse et esse vera et veritate fulciri: idcirco habita plena et matura deliberatione, Christi nomine invocato pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes per hanc nostram sententiam, quam ferimus in his scriptis, dicimus, pronuntiamus, sententiamus et declaramus supradictum locum, membrum et capellam S. Angeli a monasterio S. Iohannis de Ascorzono auctoritate apostolica segregandum et separandum fore et segregamus et separamus, dantes licentiam, libertatem et auctoritatem communi, universitati et hominibus civitatis Terami aedificandi, construendi et fabricandi locum sive monasterium pro religiosis fratribus S. Francisci de observantia cum ecclesia sub vocabulo S. Mariae de Gratiis, coemeterio, campanili, campana, horto, hortalitiis et aliis necessariis in supradicto loco seu monasterio S. Angeli, mandantes eadem auctoritate apostolica dictae Antonellae et monialibus praedictis dicti loci S. Angeli, ut de dicto loco recedere debeant et eisdem fratribus relinquere ac vacuum dimittere et ad locum et domum S. Annae cum eisdem permutatum et eis in recompensam assignatum accedere et ibidem stare, persistere et permanere et vitam religiosam observare secundum regulam S. Benedicti. Et insuper eadem auctoritate apostolica damus et concedimus auctoritatem et libertatem fratri Ludovico, fratri Paulo et aliis vicariis et fratribus dicti ordinis S. Francisci de observantia domum, locum et ecclesiam huiusmodi cum omnibus suis pertinentiis intrandi, capiendi, retinendi et possidendi: concedendo eadem auctoritate apostolica et declarando, quod ipsi fratres et locus ipse omnibus

et singulis privilegiis ... potiantur et gaudeant, quibus alii fratres et alia loca praedicti ordinis ex concessione apostolica gaudent seu etiam quomodolibet potiuntur. Et praedicta dicimus, pronuntiamus, sententiamus et declaramus omni meliori modo, via et forma, quibus melius fieri potest *etc.* Lecta, lata et recitata exstitit praesens sententia per dictum dominum episcopum, commissarium praedictum, modo et forma praedictis, loco, die, anno millesimo et indictione praedictis, et praesentibus iudice, notario et testibus praedictis; rogaveruntque nihilominus praedicti syndici et procurator ac cum instantia requisiverunt nos, praedictum iudicem, notarium et testes, ut de praedictis omnibus et singulis ad futuram rei memoriam et dictae universitatis et hominum et aliorum, quorum singulorum interest et interesse poterit, fidem, certitudinem et cautelam conficere deberemus publicum instrumentum cum inserta forma sententiae praedictae; unde nos advertentes, quod officium nostrum publicum est et non possumus nec debemus alicui denegare, praedictum publicum cum inserta forma dictae sententiae confecimus instrumentum de rogatu et requisitione praedictis, unde ad futuram huius rei memoriam et dictae universitatis et hominum et eius haeredum ac sinceram cautelam, certitudinem atque fidem factum est exinde hoc praesens publicum instrumentum per manus mei praedicti notarii Archangeli, subscriptione et signo meo signatum necnon subscriptionibus et signis praefatorum iudicis et testium legitime et debite roborandum. Quod ego, qui supra, Archangelus, notarius Iacobi de Monte Pagano de Adria, publicus ubique per totum regnum Siciliae citra Farum regia auctoritate notarius, qui praedictis omnibus et singulis pro notario rogatus interfui, scripsi, publicavi ipsumque meo solito signo signavi.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, XV kal. martii, ... anno II.

1275. Ad petitionem Mariae, Aragonum reginae, monasterio SS. Trinitatis extra muros Valentin., O. S. Cl., quod olim domus fratrum ordinis SS. Trinitatis et redemptionis captivorum erat, confirmat gratias et privilegia tam fratribus ordinis SS. Trinitatis et eidem domui, quam monasterio de Tordesillas, O. S. Cl., Palentin. dioec., concessa (1).

1449, februarii 17, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus pontifex, in quo potestatis plenitudo *etc.*

Datum Romae apud S. *(deest)*, anno ... 1448, XIII kal. martii, ... anno II.

1276. Donato de Puteo, nuntio suo, concedit litteras salvi conductus (2).

1449, februarii 26, Romae.

Universis et singulis, ad quos praesentes Nostrae litterae pervenerint.

Cum dilectus filius Donatus de Puteo, ordinis fratrum Minorum et theologiae professor, capellanus et commensalis Noster, pro nonnullis *etc. (ut supra n. 1086, p. 548).* Praesentibus ad Nostrum beneplacitum valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, IV kal. martii, ... anno II.

1277. Mandat, ut Angelo de Perusio, procuratori generali O. F. M., concedat licentiam dandi turrim quamdam ad ecclesiam S. Salvatoris de Unda in Urbe pertinentem in emphitheusim perpetuam (3).

1449, februarii 27, Romae.

Venerabili fratri episcopo Vulterran., Nostro in spiritualibus in Urbe vicario.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis pro parte dilecti filii Angeli de Perusio, ordinis fratrum Minorum professoris ac eiusdem ordinis generalis procuratoris, petitio continebat, quaedam turris in Urbe iuxta ecclesiam S. Salvatoris de Unda, prope Pontem Ruptum nuncupatum consistens et ad ipsam ecclesiam, quam procuratores dicti ordinis pro tempore exsistentes ex concessione et dispensatione Sedis Apostolicae obtinent, legitime pertinens, adeo rupta et discooperta exsistat, quod ex illa, quae reparatione non modica indiget, ecclesiae et procuratori praedictis nulla provenit utilitas nec provenire speratur tempore procedente, nisi commode reparetur, et, sicut eadem petitio subiungebat, si dicta turris, ad cuius reparationem ecclesiae ac procuratoris praedictorum non suppetunt facultates, cum pertinentiis suis dilectis filiis Silvestro de Pallonibus, civi Romano, et Stephano Pauli de Tibure, habitatori Urbis, communiter pro se eorumque haeredibus et successoribus sub annuo censu sive canone trium florenorum parvorum currentium in praefata Urbe eidem procuratori suisque in dicta ecclesia successoribus annuatim persolvendo auctoritate apostolica in emphitheusim perpetuam concederetur, Silvester et Stephanus ac successores praedicti eamdem turrim suis sumptibus repararent et manutenerent necnon censum sive canonem antedictum annuatim persolverent et ante omnia decem et octo florenos

(1) Reg. Vat. t. 392, f. 41. Cf. supra n. 1257, p. 647.
(2) Reg. Vat. t. 408, f. 210.
(3) Reg. Lat. t. 453 B, f. 310v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 27. — Cf. supra n. 1047, p. 528.

similes pro sex annis proxime secuturis in utilitatem vel reparationem ipsius ecclesiae expendendos manualiter traderent et effectualiter assignarent, ex quo ecclesiae et turris praedictarum conditio melior redderetur cederetque in evidentem ipsarum utilitatem. Quare pro parte dicti Angeli, qui etiam in theologia magister exsistit, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... eidem Angelo vel, qui pro tempore erunt, in eadem ecclesia successoribus, turrim praedictam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis Silvestro et Stephano ... concedendi ... licentiam largiaris. Et insuper *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, III kal. martii, ... anno II.

1278. Mandat, ut fratribus O. F. M. de observ. domus de Dola, provinciae Burgundiae, Bisuntin. dioec., concedat licentiam recipiendi 2 domus pro habitatione dictorum fratrum (1).

1449, martii 1, Romae.

Dilecto filio archidiacono Flavigen. in ecclesia Aeduen.

Inter desiderabilia cordis Nostri *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus de Dola, ordinis fratrum Minorum, Bisuntin. dioec., sub dicti ordinis regulari observantia degentium, petitio continebat, familia pauperum fratrum Minorum de Dola, provinciae Burgundiae, nuncupatorum, ordinis et observantiae eorumdem, in personis etiam nobilibus et litteratis Domino benedicente plurimum aucta sit et dietim augeatur in tantum, quod domus et loca eiusdem provinciae, quae fratres dictae familiae inhabitant, propter illorum numero paucitatem et locorum, in quibus consistunt, paupertatem ad illorum receptionem et ex fidelium eleemosynis sustentationem commode non sufficiant, sitque pro religionis augmento et animarum circumiacentium fidelium, qui dictorum fratrum exemplis et praedicationibus plurimum ad salutem proficiunt, salutis huiusmodi incremento quam maxime utile et necessarium dictos fratres alia domus et loca in eadem provincia habere, pro parte dictorum guardiani et fratrum ... Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ad ordinem praedictum eiusque fratrum multiplicationem specialem gerentes affectum, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et ... eisdem guardiano et fratribus duas seu duo loca in terris seu locis dictae provinciae, prout ipsis guardiano et fratribus pro honore Dei, salute proximi et ipsorum fratrum necessaria opportunitate melius visum fuerit, ... etiam si locus in villa Montisbellicardi, praedictae dioec., per quondam Iohannam, principissam Auraicen., ad usum et habitationem monialium vel sororum ordinis S. Clarae de observantia iam inceptus, et quem dictae moniales ... pro eo, quod illum non inhabitant nec perficere possunt, eisdem fratribus donarunt, ... unus ex praefatis duobus locis fuerit, pro ipsorum seu alicuius eorum usu et habitatione perpetuis recipiendi ac in illis ... etiam domos cum ecclesiis, campanilibus ... construendi, reparandi, dummodo ... loca ... recipienda conventualium non exsistant, et in illis recipiendis construendisque dioecesanorum, populorum villarum, castrorum, terrarum et locorum et etiam patronorum ... liber consensus ac grata licentia adhibiti fuerint, iure tamen parochialis *etc.* salvo, plenam et liberam licentiam elargiri, quodque domus seu loca recipiendae vel recipienda necnon in illis pro tempore degentes fratres omnibus et singulis exemptionibus ... uti et gaudere libere et licite possint, ... concedere ... procures. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, kalendis martii, ... anno II.

1279. Hugoni Richart, O. F. M., conventus Herforden. presbytero, de nobili genere procreato, pro quo Vincentius Clementis, rector parochialis ecclesiae de Monteforti, Rothomagen. dioec., subdiaconus papae, magister in theologia et Henrici Angliae regis ad papam nuper ambassiator destinatus, supplicaverat, concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (2).

1448, martii 1, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, kalendis martii, ... anno II.

1280. Decernit fratres O. F. M. de observ. domus de la Rabida, Hispalen. dioec., non comprehendi litteris Eugenii IV, quibus fratres de observantia subiiciuntur vicariis generalibus (3).

1449, martii 3, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus de la Rabida, ordinis fratrum Minorum, Hispalen. dioec., praesentibus et futuris.

Apostolicae Nobis iniunctae desuper servitutis *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper ex-

(1) Reg. Lat. t. 453 B, f. 285 v.
(2) Reg. Lat. t. 453 B, f. 312 v.
(3) Reg. Vat. t. 408, f. 193 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 28. — De domo de la Rabida cf. supra n. 359, p. 165 et n. 899, p. 435.

hibita petitio continebat, quod, licet dudum fel. rec. Martinus papa V, praedecessor Noster, tunc vicario et fratribus vestrae domus de la Rabida, ordinis fratrum Minorum, Hispalen. dioec., quod ipsi dictaque domus omnibus et singulis ac illis prorsus similibus privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, concessionibus et indultis, quibus dilecti filii guardianus et fratres domus S. Michaelis de Monte prope Alcozer, praefati ordinis, Conchen. dioec., ipsi domui S. Michaelis per eumdem praedecessorem vel Sedem Apostolicam aut alias quovis modo concessis utebantur et gaudebant, ... etiam uti et gaudere possent, per suas litteras [1] gratiose duxerit indulgendum, et inter alia in quibusdam ex privilegiis, concessionibus et indultis praedictis eisdem guardiano et fratribus domus S. Michaelis fuerit concessum et auctoritate apostolica confirmatum, quod ipsi praesentes et futuri visitatorem professorem dicti ordinis, qui in eos visitando potestatem provincialis ministri provinciae Castellae dicti ordinis haberet, ac ipso visitatore cedente vel decedente guardianus domus S. Michaelis pro tempore illum, guardiano vero ipsius domus S. Michaelis similiter cedente vel decedente fratres eiusdem domus S. Michaelis pro tempore exsistentes guardianum ipsius domus S. Michaelis eligere possent, quodque guardianus ipsius domus S. Michaelis pro tempore et visitator sic electi a provinciali ministro dictae provinciae pro tempore exsistente confirmationem recipere tenerentur, nullusque praelatus seu frater dicti ordinis inferior provinciali de ipsius domus S. Michaelis fratribus se intromittere posset, ac ex tunc vos, in pacifica vel quasi utendi omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, concessionibus et indultis supradictis illorumque vigore guardianum ac visitatorem huiusmodi eligendi possessione exsistentes nullique alteri praelato seu inferiori dicto provinciali subiecti permanentes, aliquamdiu sub ipsius ordinis regulari observantia laudabiliter permanseritis, prout permanetis, tamen nonnulli fratres dicti ordinis se de observantia nuncupantes et suis limitibus non contenti alienaque iura rapere et quamplures sub eorum dominio fingentes sub obedientia trahere satagentes praetextu quarumdam litterarum apostolicarum eis per piae mem. Eugenium papam IV, etiam praedecessorem Nostrum, concessarum [2], per quas inter alia dictus praedecessor motu proprio et ex certa scientia voluit ac decrevit, quod omnia et singula domus, conventus, eremitoria et loca, in quibus aliqui ex professoribus ordinis et observantiae praedictorum tempore generalis capituli in Montepessulan., Magalonen. dioec., tam per praedictos quam alios praefati ordinis fratres proxime celebrati vixerant et permanserant, a quovis illa quacumque auctoritate reformata seu constructa forent et ubicumque consisterent, citra montes videlicet citramontani et ultra montes consistentia ultramontani generalium vicariorum ordinis et observantiae eorumdem regimini perpetuo subsisterent et subiecta essent, quodque dicti vicarii in sibi commissarum provinciarum domos, conventus, eremitoria et loca eorumdem fratrum illa et prorsus eadem dominium, potestatem et iurisdictionem haberent, quae provinciales ministri in singulis provinciis sibi commissis ex privilegio, de iure vel consuetudine habent, mandans districtius omnibus guardianis et fratribus domorum conventuum, eremitoriorum et locorum huiusmodi sub excommunicationis poena, quam ipso facto contrafacientes incurrerent, et a qua non nisi a Romano pontifice et nonnullis aliis tunc expressis personis, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possent, ut infra quindecim dies, postquam dictarum Eugenii, praedecessoris litterarum notitiam haberent, eisdem vicariis humiliter et efficaciter parerent et intenderent, non obstantibus *etc.*, vos, ut vicario ultramontano huiusmodi pareretis et intenderetis, monere et requirere ac alias earumdem litterarum praetextu molestare, vexare et perturbare multipliciter praesumpserunt ac dietim praesumunt in non modicam cuiuslibet vestri animi perturbationem ac in eadem vestra domo divini cultus et religionis diminutionem. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, vos, prout de iure vel consuetudine debetis et consuevistis, non vicario ultramontano generali huiusmodi sed generali ministro dicti ordinis subiecti esse velitis, et attendentes, quod, si a vestro vivendi modo, qui per vos ut plurimum laudabiliter et absque alicuius infamiae nota hactenus observatus exstitit, et a subiectione praedicta recederetis, corda vestra permaxime turbarentur ac forsan a sancto religionis proposito retraherentur, vicario ultramontano subesse nullatenus velitis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium vos et quemlibet vestrum ab excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis ... auctoritate apostolica tenore praesentium absolvimus et absolutos fore censemus ac super irre-

(1) Cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1836, p. 711.

(2) Vide supra n. 1038, p. 519.

gularitate ... dispensamus omnemque a vobis inhabilitatis et infamiae maculam sive notam dicta occasione contractam abolemus necnon volumus, statuimus, decernimus et ordinamus vobisque concedimus, quod vos vestraque domus sub praefati Eugenii praedecessoris litteris nullatenus comprehendamini et conprehendatur seu comprehendi nec ipsarum litterarum vigore per dictos vicarium et fratres de observantia seu aliquos alios molestari quavis auctoritate possitis nec etiam debeatis, quodque iuxta modum et formam per vos hactenus observatos vivere ac privilegiis ... uti et gaudere libere et licite possitis et valeatis ac dicta vestra domus possit et valeat, nec per ultramontanos vicarios pro tempore exsistentes aut fratres de observantia huiusmodi dictarum seu aliarum quarumcumque litterarum sub quibusvis verborum formis cum quibuscumque derogatoriarum derogatoriis clausulis eis in specie seu in genere per Sedem praedictam vel alias quomodolibet concessarum seu, nisi in illis de praesentibus illarumque data specialis, specifica et expressa mentio fiat, in posterum concedendarum obtentu vexari seu etiam perturbari possitis et valeatis ac dicta domus vestra possit et valeat, mandantes venerabilibus fratribus archiepiscopo Hispalen. et Corduben. ac Vasaten. episcopis, quatenus ipsi, ... quotiens pro parte vestra desuper fuerint requisiti, ... per se vel alium seu alios vobis et cuilibet vestrum in praemissis efficacis defensionis auxilio assistentes ac praesentes litteras sollemniter publicantes, non permittant vos seu aliquem vestrum per vicarios et fratres de observantia praedictos seu quoscumque alios contra tenorem praesentium quomodolibet vexari, molestari seu etiam perturbari, vexatores, molestatores, perturbatores et contradictores et rebelles quoscumque per censuram ecclesiasticam *etc.*, invocato *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, V nonas martii, ... anno II.

1281. Concedit indulgentias visitantibus ecclesiam B. Mariae, castri Montis-Rotundi, Sabinen. dioec., O. F. M. provinciae Romanae (1).

1449, aprilis 7, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Dum praecelsa *etc.* Cum itaque, sicut nuper accepimus, Nos pridem dilectorum filiorum nobilis viri Iacobi de Ursinis, domicelli Romani ac universitatis et hominum castri Montis-Rotundi, Sabinen. dioec., Nobis et Romanae ecclesiae immediatae subiecti, precibus inclinati, quamdam ecclesiam sine cura B. Mariae virginis extra muros dicti castri fratribus ordinis Minorum provinciae Romanae, ut apud ipsam ecclesiam locum et habitationem cum dormitorio et aliis structuris et necessariis officinis ac hortis et hortalitiis pro eorum perpetua habitatione fundare ... concesserimus, et ecclesiae et hominum praedictorum facultates propter illorum paupertatem ad aedificationem et constructionem aedificiorum et habitationum huiusmodi pro loco et conventu fratrum eorumdem omnimode faciendam non sufficiant, aliaque propterea christifidelium suffragia, eleemosynae et subventiones ad huiusmodi aedificiorum fabricam faciendam et complendam sint plurimum opportuna, cupientes igitur *etc.* omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo assumptionis eiusdem virginis a primis usque ad secundos vesperos dictam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ... manus porrexerint adiutrices, tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis paenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, VII idus aprilis, ... anno III.

1282. Instituit conservatores iurium pro fratribus O. F. M. provinciae Terrae Laboris (2).

1449, aprilis 8, Romae.

Venerabilibus fratribus Suessan. et Sarnen. ac Lucerin. episcopis.

Militanti ecclesiae *etc.* Sane dilectorum filiorum ministri et procuratoris universorum fratrum in domibus seu locis ordinis Minorum in provincia Terrae Laboris sitis commorantium conquestione percepimus, quod nonnulli *etc.* Praesentibus post viginti annos a data praesentium computandos minime valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, VI idus aprilis, ... anno III.

1283. Episcopis Rapollan. et Lavellin. ac Laquedonen. mandat, ut Francisco Nardi, clerico Melfien., conferant ecclesiam S. Annae, Venusin., vacantem per ingressum Carlucii de Vante in aliquam ex domibus O. F. M., licet eam ecclesiam Thomas de Spialasu, etiam O. F. M., per biennium iniuste detineat occupatam (3).

1449, aprilis 17, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, XV kal. maii, ... anno III.

(1) Reg. Vat. t. 389, f. 90. Cf. supra n. 1252, p. 644. (2) Reg. Lat. t. 445, f. 117 v. (3) Reg. Lat. t. 453 A, f. 273 v.

1284. Abbati monasterii de Regali, extra muros Maioricen., mandat, ut Iohannem Berardi, civem Maioricen., legum doctorem, absolvat a censuris et poenis, dubitantem, utrum valida fuerit absolutio ei antea impartita per Paschasium de Pino, O. F. M. et theologiae professorem, qui se a nonnullis olim in civitate Basileen. sub nomine generalis concilii congregatis sufficienti desuper facultate suffultum asserebat (1).

1449, aprilis 22, Romae.

Solet Apostolicae Sedis clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, X kal. maii, ... anno III.

1285. Ad petitionem guardiani et fratrum domus B. Mariae de Aracoeli de Urbe, O. F. M. de observ., confirmat receptionem domus B. Mariae de Palazola, Tusculan. dioec., a conventu S. Crucis de Urbe, Carthusien. ordinis, fratribus O. F. M. de observ. concessae (2).

1449, aprilis 27, Romae.

Dilectis filiis guardiano domus B. Mariae de Aracoeli de Urbe et universis fratribus in locis devotis Romanae provinciae commorantibus, ordinis fratrum Minorum.

Sacra ordinis vestri religio *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilecti filii prior et conventus monasterii S. Crucis de dicta Urbe, per priorem gubernari soliti, ordinis Carthusien., quoddam monasterium B. Mariae de Palazola, dicti ordinis, Tusculan. dioec., ab ipso monasterio S. Crucis dependens, cum ecclesia, claustris, domibus ac nonnullis tunc expressis possessionibus, hortis, hortalitiis, bonis, iuribus et pertinentiis suis vobis pro nonnullorum dicti ordinis vestri in locis devotis Romanae provinciae pro tempore commorantium fratrum usu et habitatione perpetuis certis desuper conditionibus et pactis adiectis concesserunt et tradiderunt, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis dictum monasterium B. Mariae recipiendi licentiam concedere et alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, dicti instrumenti tenorem pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis monasterium B. Mariae praedictum cum ecclesia, claustris ..., observatis tamen pactis et conditionibus supradictis recipiendi ac in eo domum conventualem dicti ordinis vestri pro usu et habitatione huiusmodi cum omnibus et singulis necessariis officinis erigendi omniaque et singula circa id opportuna gerendi et exercendi, iure tamen parochialis ecclesiae ... salvo, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur. Et insuper fratribus praedictis in ipsa erigenda domo pro tempore moraturis, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, V kal. maii, ... anno III.

1286. Cassatis litteris prioribus fratribus O. F. M. de observ. concedit licentiam recipiendi et inhabitandi domum S. Francisci Meten. (3).

1449, aprilis 29, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dispositione divina, quamvis immeriti, dominico gregi praesidentes, dum praeclara dilectorum filiorum guardiani et fratrum Minorum domus novae S. Francisci Meten. de observantia nuncupatorum merita *etc.* Nuper siquidem non sine cordis perturbatione fide dignorum relatu percepimus, quod Carmelitarum et aliorum civitatis Meten. mendicantium ordinum fratres praefatos guardianum et fratres de observantia, quominus in dicta domo cum pace et quiete vivere possint, variis exquisitis modis molestare et fatigare nituntur, dicentes domum ipsam de observantia ipsi domui Carmelitarum nimis propinquam esse et propterea illam demoliri seu ad alium pium usum deputari magna cum instantia petentes, Nostris maxime litteris inhaerentes, per quas ad illorum importunam instantiam quamcumque concessionem, licentiam sive facultatem per Nos sive litterarum Nostrarum auctoritate aedificandi, construendi seu perficiendi ac inhabitandi dictam domum de observantia sub quacumque forma fortasse concessa revocando et annullando, prout in eisdem litteris plenius continetur (4). Cum autem, sicut dilecti filii magister, scabinus et tredecim iurati dictae civitatis Nobis significare curarunt, ipsi servata forma cuiusdam brevis per Nos eis directi distantiam loci de dicta domo de observantia ad praefatam domum Carmelitarum per quosdam iuratos operarios, fide et legalitate et in arte mensurandi comprobatos, quos ipsi magister,

(1) Reg. Lat. t. 456, f. 79 v.
(2) Reg. Vat. t. 409, f. 120; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 29.
(3) Reg. Vat. t. 409, f. 11 v.
(4) Vide supra n. 1241, p. 632.

scabinus, tredecim iurati et rectores eiusdem civitatis ad hoc specialiter deputarunt, mensurari fecerint, ipsique operarii cum circumspectione et industria huiusmodi distantia inspecta dictam domum de observantia ab ecclesia sive domo Carmelitarum huiusmodi per centum et quindecim per directum, et per viam communem per ducentas et undecim cannas, numerando sex pedes cum dimidio pro qualibet canna, distare medio iuramento firmaverint atque deposuerint, prout in litteris, quas ipsi magister, scabinus et tredecim iurati Nobis destinarunt, apparet manifeste, pro parte dilectorum magistri, scabini et tredecim iuratorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut huiusmodi litibus finem imponere necnon ipsius domus de observantia erectionem, constructionem et aedificationem ac guardiani et fratrum de observantia huiusmodi habitationem confirmare et approbare necnon Urbani V, per quas inter alia distantiam similium locorum ad centum et quadraginta cannas reduxit, necnon Martini V, praedecessorum Nostrorum, per quas statuit et ordinavit, quod singula tam de observantia quam etiam aliorum fratrum huiusmodi domus et loca ex tunc in antea fundanda per quinque leucas seu quindecim milliaria distare deberent, ac etiam Nostras, quas in favorem universorum fratrum ordinum mendicantium dictae civitatis sub data XV kal. novembris, pontificatus Nostri anno II concessimus, necnon alias, per quas nonnullis iudicibus dedimus in mandatis, ut super huiusmodi distantia et praeiudicio fratrum Carmelitarum, prout iustum foret, sententiarent et definirent, litteras tamquam scandalosas et plurimorum malorum generativas revocare et annullare, aliasque statui et indemnitatibus guardiani et fratrum de observantia huiusmodi providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, considerantes, quam sit onusta dispendiis, quam plena periculis religiosarum personarum, praesertim occasione distantiae huiusmodi, altercatio, ac quales quantosque fructus dicti guardianus et fratres ordinis Minorum de observantia afferant, qui sub arcta vita viventes quam plurimos ad bene agendum provocant per exemplum, in ipsa civitate Meten. plurimum necessarii exsistunt, indignum quoque esse existimantes, quod hi, qui divinis intenti obsequiis sub suavi contemplationis iugo Altissimo famulari debent, litigiis involvantur, cum illud, quod per eos male agitur, trahatur ab aliis facilius in exemplum, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas inter de observantia ac Carmelitarum necnon aliarum domorum ordinum mendicantium eiusdem civitatis Meten. fratres huiusmodi occasione dictae distantiae seu alias qualitercumque pendentes causas ad Nos praesentium serie advocantes ac lites inde subortas penitus et omnino exstinguentes, singulas litteras praedictas ac processus habitos per easdem et quacumque inde secuta, illarum omnium tenores atque formas, ac si de verbo ad verbum praesentibus inserti forent, ipsarumque causarum status pro sufficienter expressis habentes ipsosque guardianum et fratres de observantia ab excommunicationis sententia, si quam contrafaciendo tenori dictarum litterarum Nostrarum incurrerunt, absolventes et absolutos fore declarantes, auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium revocamus, cassamus et annullamus ipsasque litteras de supplicationum ac litterarum apostolicarum seu alias, ubilibet reperirentur, cassari volumus atque mandamus, decernentes illas nullius exsistere roboris vel momenti. Nihilominus domum de observantia huiusmodi pro perpetuis usu et habitatione dictorum guardiani et fratrum Minorum de observantia nuncupatorum deputamus et illam eis assignamus ac dictis Carmelitarum necnon aliis quibuscumque ordinum mendicantium fratribus super eadem domo ac distantia necnon ceteris actionibus eis in ipsa domo seu ad eam quomodolibet competentibus simili scientia perpetuum silentium imponimus, volentes atque decernentes distantiam dictarum centum et quindecim cannarum inter Carmelitarum et fratrum de observantia praedictorum ecclesias fuisse et esse numero sufficientem ipsasque reductionem, statutum et ordinationem necnon singulas litteras huiusmodi praefatis Carmelitarum et aliorum mendicantium ordinum fratribus, quoad ipsam domum de observantia nullatenus suffragari, decernentes et declarantes, quod praedicti Carmelitarum et aliorum ordinum mendicantium fratres, si contra tenorem praesentium directe vel indirecte per se vel alium seu alios quovis quaesito colore aliquid attentare praesumpserint, excommunicationis sententiam, a qua, nisi in mortis articulo constituti, per alium quam per summum pontificem absolutionis beneficium nequeant obtinere, ipso facto incurrant. Et insuper venerabili fratri Nostro episcopo Meten. ac dilectis filiis abbati monasterii B. Mariae, Iusti Montis, ordinis Praemonstraten., Meten. dioec., ac scholastico ecclesiae Meten. per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi ... faciant ipsos guardianum et fratres de observantia pacifica domus de novo constructae huiusmodi possessione gaudere. Contradictores *etc.*, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, III kal. maii, ... anno III.

1287. Confirmat concessionem domus S. Elisabeth Salamantin., factam sororibus III. O. S. Fr. per Sancium, quondam episcopum Salamantin. (1).

1449, aprilis 29, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ea, quae pro ecclesiasticis, praesertim religiosis domibus *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Agnetis Xuares de Solis, matris seu gubernatricis, ac universarum mulierum seu sororum domus S. Elisabeth Salamantin., sub tertia regula S. Francisci degentium, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum bonae memoriae Sancius, episcopus Salamantin., zelo devotionis ad dictam regulam accensus, dictam domum construere incepit necnon ecclesiam cum altari et campanili et aliis officinis inibi fecit et erexit in eademque nonnullas mulieres seu sorores, sub dicta regula Altissimo famulari cupientes, quarum ipsa Agnes Xuares de Solis una fuit et est, locavit et posuit, ipsaque Agnes, non minori zelo ad dictam regulam et domum accensa, volens terrena in coelestia commutare, de bonis paternis sibi a Deo collatis in eadem ecclesia quamdam capellam erexit et ornavit in eademque altare fieri fecit ipsamque ecclesiam et domum ampliari fecit dictaeque mulieres seu sorores sub praefata regula, ordinarii loci (!), horas canonicas in choro eiusdem ecclesiae Altissimo decantarunt, missas et alia divina officia inibi audiendo et alia bona opera exercendo. Quare pro parte Agnetis et mulierum seu sororum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut erectioni ac praemissis omnibus et singulis pro illorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem praedictam ac alia omnia et singula, ut praefertur, pie facta et quaecumque inde secuta rata habentes et grata, illa omnia et singula auctoritate apostolica et ex certa scientia confirmamus et approbamus et praesentis scripti patrocinio communimus omnesque et singulos defectus, si qui intervenerint in praemissis, ex simili scientia supplemus. Et nihilominus universis et singulis mulieribus et sororibus in eadem domo commorantibus ac capellano seu capellanis et personis dictae domui pro tempore servientibus praesentibus et futuris dictaeque domui, ut aliis dictae regulae domibus et fratribus ac sororibus pares et conformes efficiantur, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica concedimus et indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, III. kal maii, ... anno III.

1288. Iohanni de Guitaria, electo Almaricen., O. F. M. et theologiae professorem, in sacerdotio constituto, confert episcopatum Almaricen., vacantem per obitum Gregorii episcopi extra Romanam curiam defuncti (2).

1449, aprilis 30, Romae.

Apostolatus officium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, pridie kal. maii, ... anno III.

1289. Ministro generali commendat Iohannem a Capistrano, vicarium fratrum O. F. M. de observ. (3).

1449, maii 23, Spoleti.

Dilecto filio Antonio de Rusconibus, sacrae theologiae magistro, ordinis Minorum generali ministro.

Dilecte fili sal. Profecturus ad capitulum dilectus filius Iohannes de Capistrano ad praesentiam Nostram se contulit et, ut Nobis annuntiavit se vicarium electum fore ac publicatum, ipsum attenta suae praesentis vitae honestate ac religionis observantia auctoritate Nostra confirmavimus et pro confirmato haberi debere decernimus. Tu erga illum benigne fac et grate suscipias sibique favori et praesidio Nostro intuitu et suis benemeritis esse velis in omnibus, quae ad eum et ceteros de observantia spectant, si Nobis rem gratam cupis efficere, ac eumdem confirmes; nam quo illi te favorabiliorem praestabis, eo Nobis gratius futurum existimes: si

(1) Reg. Vat. t. 389, f. 287. — *Eodem anno concessae sunt indulgentiae pro reparatione huius domus sub hac forma:*

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae etc. Cupientes igitur, ut ecclesia domus sororum S. Elisabeth, Salamantin., III. ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, congruis honoribus frequentetur illaque ac domus praefata in earum structuris debite reparentur et conserventur, et ut fideles ipsi *etc.* omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo eiusdem S. Elisabeth ecclesiam praefatam devote visitaverint annuatim necnon ad reparationem et conservationem huiusmodi manus, ut praefertur, porrexerint adiutrices, sex annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem etc.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, *(deest dies et mensis)*, ... anno III. Reg. Vat. t. 389, f. 157 v.

(2) Reg. Lat. t. 480, f. 170 v. — Cf. supra n. 1125, p. 573.

(3) Wadd. *Ann.* ad a. 1449, n. 20 « e registro Capistrani ».

vero contra fieret, quod non credimus, tanto uberiorem assistentiam et favorem consequetur a Nobis.

Datum Spoleti, die XXIII maii, pont. Nostri anno III.

1290. Hortatur ad observantiam regularem (1).

1449, maii 23, Spoleti.

[*Fratribus ordinis fratrum Minorum de observantia, familiae citramontanae, in capitulo generali Florentiae congregandis*].

Dil. filii sal. Cupientes vos vitam continuare regularem et a vobis vestrisque huiusmodi fratribus aequiori modo, quo fieri potest, regulam vestram observari, pro Nostra, quam erga ordinem vestrum gerimus, charitate, vos specialiter hortamur in Domino, ut bono tam doctrinae quam vitae exemplo sub uno vestro generalis ministri vicario ceterisque ministrorum provincialium vicariis laudabiliter in pace ac regulari uniformitate vivatis, et ut etiam pauperes sorores S. Clarae vobis commissae, praesertim quae in observantia constitutae inclusae sunt, ita religiose vivere enitantur et in omni bono proficere studeant, quod per passionem Domini nostri Iesu Christi vestris accedentibus meritis ad vitam pervenire valeatis aeternam. Quod profecto si feceritis, rem omnipotenti Deo acceptam et vestrae religioni convenientem et commodam et Nobis ipsis gratissimam facietis.

Datum Spoleti, sub annulo piscatoris, die XXIII maii, anno III.

1291. Ministrae et sororibus domus Interamnen. (Terni in Umbria), III. O. S. Fr., concedit remissionem plenariam in articulo mortis (2).

1449, maii 25, Spoleti.

Provenit *etc.*

Datum Spoleti, anno ... 1449, VIII kal. iunii, ... anno III.

1292. Leonardo de Amelia, O. F. M., procuratori Terrae Sanctae, concedit litteras salvi conductus (3).

1449, iunii 2, Spoleti.

Universis et singulis, ad quos praesentes Nostrae litterae pervenerint.

Cum dilectus filius frater Leonardus de Amelia, ordinis Minorum professor ac fratrum et conventus Terrae Sanctae eiusdem ordinis procurator, pro sustentatione et gubernatione dictorum fratrum et conventus ad multas mundi partes se conferat et saepe hinc inde frumentum, vinum ac paramenta ad divinum cultum pertinentia, pannum pro vestibus ipsorum ipsum oporteat ad dictum conventum ferri et portari curet, Nos pietate erga omnes christifideles et charitate erga praedictos fratres ac illum conventum moti, cupientes supradictum Leonardum sine aliquo impedimento cum sociis et omnibus rebus suis eundo, stando et redeundo plena ubique securitate gaudere et ipsa sine aliquo impedimento facere posse, universitatem vestram et vestrum singulos hortamur in Domino, subditis vero et gentium armorum capitaneis ubicumque ad Nostra et Romanae ecclesiae stipendia militantibus praecipiendo stricte mandamus, quatenus praefatum Leonardum cum sociis et rebus omnibus suis per Nostra et vestra territoria, passus, portas, pontes et loca quaelibet tam per mare quam per terram transire, ire, stare, redire pro Nostra et Apostolicae Sedis reverentia absque solutione datii, pedagii, gabellae et cuiuscumque alterius impositionis seu oneris impositi seu imponendi et praecipue, si frumentum aut vinum aut alia victualia ad dictum conventum ferri et portari curaret, libere permittatis, sed ei pro se et sociis suis de securo transitu, scorta atque receptu, prout ab eo requisiti fueritis, liberaliter providere curetis. Insuper omnes christifideles tenore praesentium hortamur in Domino, ut praedicto fratri Leonardo et dictis fratribus benigne et liberaliter eleemosynas erogent. Nam qui illi conventui benefacere studeant, multum christianae fidei proficiunt et ea ratione suarum animarum saluti non parum consulunt.

Datum Spoleti, anno ... 1449, IV nonas iunii, ... anno III.

1293. Mandat, ut ecclesiam B. Mariae Annuntiatae extra, et ecclesiam B. Mariae intra muros castri Tragoni (Dragoni), Caiaccen. (Caiazzo) dioec., concedant fratribus O. F. M. (4).

1449, iunii 6, Spoleti.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Rossan., in dioec. Caiaccen. residenti, et episcopo Alifan.

Piis fidelium votis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum castri Tragoni, Caiaccen. dioec., Nobis nuper exhibita

(1) Glassberger *Chronica* apud *Analecta francisc.* t. II. Ad Claras Aquas, 1887, p. 326.

(2) Reg. Vat. t. 409, f. 216 v.

(3) Reg. Vat. t. 409, f. 227 v.

(4) Reg. Vat. t. 409, f. 56; Wadd. *Reg. Pont.* Nic. V, n. 30.

petitio continebat, quod ipsi ob singularem, quem ad ordinem fratrum Minorum gerunt, devotionis affectum ecclesiam B. Mariae Annuntiatae extra, una cum ecclesia S. Mariae intra muros castri praedicti sibi annexa, quae diu rectoribus caruerunt, prout carent de praesenti, et quarum ius patronatus ad ipsos universitatem et homines etiam a tanto tempore citra, cuius contrarii hominum memoria non exsistit, spectare dignoscitur, et quae sine cura sunt, in domum conventualem dicti ordinis pro usu et habitatione perpetuis quorumdam ex dictis fratribus erigi desiderant. Quare pro parte universitatis et hominum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati vestrae ... mandamus, quatenus vos ... de praemissis ... vos diligenter informetis et ... eisdem fratribus ecclesiam B. Mariae Annuntiatae, cuius et dictae annexae fructus, redditus et proventus quindecim florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipsi universitas et homines asserunt, non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis in domum conventualem cum campanili, campana, claustro, dormitorio, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione praedictis erigendi illamque una cum dicta annexa recipiendi licentiam apostolica auctoritate concedatis, iure tamen *etc.* Nos enim, si concessionem per vos vigore praesentium fieri contingat, ut praefertur, praefatis fratribus in ipsa erigenda domo pro tempore moraturis, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Volumus autem, quod, si dicta ecclesia annexa curata fuerit, ipsi fratres in ea unum presbyterum saecularem deputare et tenere ac episcopo Caiaccen. pro tempore exsistenti solitum censum solvere teneantur. Non obstantibus *etc.*

Datum Spoleti, anno ... 1449, VIII idus iunii ... anno III.

1294. Abbati monasterii S. Iacuti de insula Dolen. mandat, ut Alanum de Ploner, qui ordinem fratrum Minorum professus ac in eo per triennium moratus, deinde ad ordinem Cistercien. transgressus, subdiaconus et diaconus ordinatus, postmodum transiverat ad monasterium de Asineriis, O. S. Ben., Andegaven. dioec., ac in eo presbyteratus ordinem receperat, tandem per aliqua temporum curricula extra claustrum evagaverat habitu regulari aliquotiens penitus abiecto, absolvat a censuris et irregularitatibus eique concedat facultatem remanendi in ordine S. Ben. (1).

1449, iunii 10, Spoleti.

Solet Sedis Apostolicae clementia *etc.*

Datum Spoleti, anno ... 1449, IV idus iunii, ... anno III.

1295. Thomam de Sur, O. F. M., instituit archiepiscopum Tarsen. (2).

1449, iunii 17, Spoleti.

Dilecto filio Thomae de Sur, electo Tarsen.

Apostolatus officium *etc.* Dudum siquidem *etc.* Postmodum vero ecclesia Tarsen. per obitum bon. mem. ultimi Tarsen. episcopi, cuius nomen praesentibus haberi volumus pro sufficienter expresso, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, Nos *etc.*, demum ad te, ordinem fratrum Minorum expresse professum, in sacerdotio constitutum *etc.* teque illi praeficimus in archiepiscopum et pastorem, curam *etc.* Volumus autem *etc.* Iugum igitur *etc.*

Datum Spoleti, anno ... 1449, XV kal. iulii, ... anno III.

1296. Leoni de Alexandria, O. F. M., confirmat concessionem, a Ludovico Caffarello, O. F. M., theologiae professore et provinciae Ianuen. ministro, factam, ut ad serviendum pauperibus manere possit in hospitali B. Mariae de S. Christophoro de Scario, Ianuen., et eidem Leoni, pro quo Ludovicus, dux Ianuen., supplicavit, dictum hospitale gubernandum committit (3).

1449, iunii 20, Spoleti.

Gerentes in desideriis cordis *etc.*

Datum Spoleti, anno ... 1449, XII kal. iulii, ... anno III.

1297. Antonium de Neapoli, O. F. M., divini verbi praedicatorem, ad partes Dalmatiae, Rasciae, Bosnae, Croatiae, Serbiae, Albaniae et Hungariae destinatum, commendat (4).

1449, iunii 20, Spoleti.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis aliarum ecclesiarum praelatis necnon clero et populis in Dalma-

(1) Reg. Vat. t. 389, f. 113v.

(2) Reg. Vat. t. 411, f. 12. — Eidem litteris *Sincerae devotionis affectu* d. d. 18 iul. 1449 concedit facultatem exercendi pontificalia in quibusvis civitatibus et dioecesibus dominio nobilis viri Ludovici, ducis Sabaudiae, subiectis. Reg. Vat. t. 411, f. 13. Eodem die 18 iul. 1449 litteris *Cum nos nuper* eidem Thomae concedit licentiam recipiendi consecrationem a quocumque catholico antistite. Ibid. t. 411, f. 13v. Cf. supra n. 1067, p. 538.

(3) Reg. Vat. t. 389, f. 190. — De Ludovico de Caffarellis cf. supra n. 1198. p. 609 et 1220, p. 622.

(4) Reg. Vat. t. 409, f. 78; Wadd. *Ann.* ad a. 1449, n. 16. Cf. supra n. 1152, p. 584.

tiae, Rasciae, Bosnae, Croatiae, Serviae, Albaniae et Hungariae provinciis.

Licet supra vires arduis mens Nostra occupata negotiis et curis exsistat praepedita diversis, inter ceteras nihilominus sollicitudines Nostras illud ardentius affectamus illudque toto pectore exposcimus, ut Salvator noster suam sanctam universalem ecclesiam, toto terrarum orbe diffusam, in unitate perfecta sua miseratione servare dignetur populosque sui pretiosi sanguinis aspersione redemptos, praecipue ab ipsius ecclesiae unitate divisos, ad semitam pacis et ecclesiasticae unitatis adducere et, cum Nobis, licet immeritis, universorum christifidelium sit cura commissa, prout ex pastorali Nostro officio obligamur et cogimur, totis viribus totisque affectibus insudantes accuratissime procuramus viros vita probos et sacrarum litterarum doctrina peritos ad spargendum semina verbi Dei pro lucrifaciendo animas Redemptori nostro per orbem transmittere, ut errantes oves ad Domini caulem reducant. Cum igitur dilectus filius Antonius de Neapoli, ordinis Minorum professor, ut fide dignis testimoniis percepimus, vitae honestae sit et doctrinae clarae et in praedicatione verbi Dei satis aptus et pro reductione et doctrina populorum ad ipsas vestras partes Nostro consensu et iussu venturus sit cum quibusdam sociis eiusdem ordinis, quos ipse eliget, et quia tale officium exercendo posset quandoque hospitio aut victu indigere, ut post labores suos possit in Domino recreari, fraternitates et charitates vestras requirimus et hortamur in Domino, per apostolica scripta nihilominus mandantes, quatenus, si idem frater Antonius pro officio praedicationis huiusmodi ad provincias, civitates, terras, castella, villas et alia loca vestra perveniret, pio ipsum recipientes et pertractantes affectu, ipsi in necessitatibus suis auxiliemini et subveniatis et verba vitae salutaris praedicationis huiusmodi, quae coram vestra devotione duxerit proponenda, ita devota mente et sinceris cordibus admittatis, ut errantes et devii populi salutares et uberes fructus praedicationis suae reportent et cooperante Altissimo ad viam veritatis aspirent, et salus ipsorum, prout in Domino cupimus, proveniat animarum, vosque deinde Nostram et Sedis Apostolicae benedictionem uberius consequi valeatis.

Datum Spoleti, anno ... 1449, XII kal. iunii, ... anno III.

1298. Iacobo Aurelia, O. F. M., electo Cannen., (Canosa, Ital. inf.), concedit facultatem, ut a quocumque catholico antistite munus consecrationis recipere valeat (1).

1449, iunii 22, Spoleti.

Cum Nos nuper ecclesiae Cannen. *etc.*

Datum Spoleti, anno ... 1449, X. kal. iulii, ... anno III.

1299. Minquellae, abbatissae monasterii S. Mariae Aegyptiacae, O. S. Cl., Neapolitan., concedit plenariam remissionem in mortis articulo (2).

1449, iunii 26, Spoleti.

Provenit *etc.*

Datum Spoleti, anno ... 1449, VI kal. iulii, ... anno III.

1300. Carolo, filio Caroli regis Francorum, concedit licentiam perficiendi monasterium iam inchoatum in loco de Corbeia, Ambianen. dioec., cum iure patronatus (3).

1449, iunii 30, Spoleti.

Dilecto filio, nobili viro Carolo, charissimi in Christo filii Nostri Caroli, Francorum regis illustris, secundogenito.

Etsi cunctorum christifidelium *etc.* Cum itaque ... quoddam monasterium pro usu et habitatione perpetuis unius abbatissae et certarum in numero congruenti religiosarum seu sororum S. Clarae sub illius regulari observantia Altissimo iugiter famulaturarum in loco de Corbeia, Ambianen. dioec., charissimi in Christo filii Nostri Caroli, Francorum regis illustris, genitoris tui, ditioni subiecto, dudum per nonnullas nobiles et alias personas de novo canonice erigi, construi et aedificari inceptum fuerit, et ad huiusmodi inchoati operis, utique sumptuosi, continuationem et perfectionem personarum earumdem non suppetant facultates, tu, zelo devotionis accensus, ... monasterium ipsum ulterius construi, ... compleri facere necnon de bonis tuis pro earumdem abbatissae et sororum sustentatione ac aliis eidem monasterio necessariis sufficienter dotare proponas, Nos ... tibi monasterium ipsum cum ecclesia, campanili, ... officinis complendi et perficiendi seu compleri et perfici faciendi dictisque abbatissae et sororibus illud pro eisdem usu et habitatione recipiendi et retinendi dioecesani loci *etc.*, iure *etc.*, ple-

(1) Reg. Lat. t. 455, f. 149 v. — Cf. supra n. 766, p. 360.
(2) Reg. Vat. t. 410, f. 31 v.
(3) Reg. Vat. t. 390, f. 145; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 32. — Eodem die litteris *Hodie dilecto filio* committit archiepiscopo Rothomagen. exsecutionem eiusdem concessionis. Reg. Vat. t. 390, f. 145 v. — De fundatione monasterii Corbeien. cf. supra n. 937, p. 458; n. 940, p. 460; n. 1015, p. 505; n. 1200, p. 610.

nam ... licentiam elargimur, volentes, statuentes et ordinantes, quod monasterium, abbatissa et sorores huiusmodi eorumque bona omnibus et singulis privilegiis *etc.* plene uti valeant et gaudere. Praeterea, cum de tua nobilitate, quod oblata per te praemissa firmiter et effectualiter adimplebis, plenam in Domino fiduciam habeamus, ius patronatus in eodem monasterio tibi tamquam vero illius fundatori et dotatori pro te et haeredibus ac successoribus tuis in perpetuum eadem auctoritate reservamus atque concedimus teque et illos veros ipsius monasterii patronos instituimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Spoleti, anno ... 1449, pridie kal. iulii, ... anno III.

1301. Visitantibus capellam B. Mariae de Iesu in ecclesia S. Francisci, Geracen., O. F. M., concedit indulgentias (1).

1449, iulii 2, Spoleti.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere *etc.* Cupientes igitur, ut capella B. Mariae de Iesu, sita in ecclesia domus S. Francisci, Geracen., ordinis eiusdem sancti, quam, sicuti accepimus, dilecta in Christo filia nobilis mulier Catharina de Arenis, relicta quondam Iohannis, comitis Geracen., de bonis sibi a Deo collatis pro duobus capellanis missas inibi et alia divina officia perpetuo celebraturis dotavit, congruis honoribus frequentetur, et ut fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eamdem *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui capellam praefatam in festivitate visitationis B. Mariae Virginis devote visitaverint annuatim, duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem *etc.*

Datum Spoleti, anno ... 1449, VI nonas iulii, ... anno III.

1302. Arnaldum de Quercu, O. F. M., instituit episcopum Tyberiaden. (2).

1449, iulii 4, Spoleti.

Dilecto filio Arnaldo de Quercu, electo ecclesiae Tyberiadis.

Inter cetera, quae superna dispositione *etc.* Dudum siquidem *etc.* Postmodum vero ecclesia Tyberiadis ex eo vacante, quod Nos nuper venerabilem fratrem Nostrum Robertum, archiepiscopum Aquen., tunc Tyberiadis ecclesiae episcopum, ... ad praefatam ecclesiam Aquen., tunc vacantem, duximus auctoritate apostolica transferendum *etc.*, Nos ad provisionem *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.* teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* Volumus autem, quod *etc.*, necnon tibi, ut in civitatibus et dioecesibus Lascuren. et Convenarum venerabilium fratrum Nostrorum illarum pro tempore exsistentium episcoporum ad id accedente assensu pontificalia exercere libere et licite valeas, tenore praesentium indulgemus. Iugum *etc.*

Datum Spoleti, anno ... 1449, IV nonas iulii, ... anno III.

1303. Concedit licentiam erigendi ecclesiam S. Angeli prope muros Ruben. (Ruvo in Italia inf.) et domum pro fratribus O. F. M. de observ. (3).

1449, iulii 8, Fulginei.

Dilecto filio nobili viro Gabrieli de Ursinis de Baucio, duci Venusii.

Piis fidelium *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, quamquam alias retroactis temporibus extra et prope muros Ruben., quaedam ecclesia sub vocabulo et invocatione S. Angeli una cum domo, hortis, hortalitiis aliisque necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum Minorum fundata, constructa et aedificata ac per fratres huiusmodi ordinis inhabitata diutius exstitisset, nihilominus tamen ecclesia ac domus huiusmodi propter antiquitatem et guerrarum turbines ... in suis structuris et aedificiis collapsae *etc.*, tu, ... cupiens *etc.* per fratres dicti ordinis de observantia nuncupatos *etc.* propagari et manuteneri, de bonis tibi a Deo collatis christifidelium etiam concurrentibus praesidiis praedictam ecclesiam pro fratribus de observantia huiusmodi, credens tibi id licere, aliqua alia licentia super hoc minime requisita seu obtenta construere, reparare et reaedificare ... incepisti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tu licentia huiusmodi, ut praefertur, non obtenta ecclesiam et domum construere ... tibi minime licere plurimum pertimescas cupiasque opus iam inceptum ad laudabilem et Deo gratum perducere effectum, Sedis

(1) Reg. Vat. t. 409, f. 258 v.

(2) Reg. Vat. t. 389, f. 191; eidem eodem die litteris *Cum nos nuper* concedit dispensationem ab accessu et personali residentia in ecclesia Tyberiaden. Ibid. f. 191. Aliis litteris *Cum nos pridem.* d. d. 14 iul. 1449, eidem electo concedit facultatem recipiendi munus consecrationis a quocumque catholico antistite. Ibid. f. 192 v. — Cf. supra n. 1128, p. 574. De Arnaldo cf. supra n. 1149, p. 583.

(3) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 32 « e l. 2 de div. form. a. III, f. 58 ».

Apostolicae beneplacito interveniente, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi, ut opus tam laudabile et commendandum imperfectum minime maneat, ecclesiam cum campana, campanili ac domum easdem cum hortis, hortalitiis et aliis supradictis in loco praemisso erigendi ... necnon fratribus praemissis ad domum huiusmodi se transferendi et acceptandi ... licentiam elargimur. Praeterea universis et singulis fratribus, quos in domo huiusmodi pro tempore habitare seu residere contigerit, ut omnibus et singulis exemptionibus *etc.* Non obstantibus *etc.*, iure *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Fulginei, anno ... 1449, VIII idus iulii, ... anno III.

1304. Mandat, ut nihil innovari procuret contra consuetam venerationem sanguinis Christi in conventu Rupellae, Xanctonien. dioec., O. F. M. (1).

1449, augusti 12, Fabriani.

Venerabili fratri Guidoni, episcopo Xanctonien.

Exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum Minorum conventus Rupellae, tuae dioec., petitio continebat, quod ipsi, in eodem conventu ab annis plurimis de pretioso sanguine Domini nostri Iesu Christi aliquam particulam habentes, illam christifidelibus adorandam monstrare consueverunt, propter quod magna populi multitudo ibidem affluere consueverat, in qua consuetudine praefatum sanguinem adorandum fidelibus ostendendi nullo antecessorum tuorum prohibente aut impedimentum praestante usque in praesens tempus pacifice permanserunt, novissime autem asserunt fraternitatem tuam prohibuisse, ne per ipsos praedicaretur ibidem sanguinem Domini nostri Iesu Christi haberi, quousque super hoc Sedes Apostolica consulta aliquid statuisset. Nos igitur, attendentes, quae in septima synodo referuntur, ubi habetur sermo magni Athanasii, Alexandrini pontificis, in quo miraculum illud insigne refertur, quod tempore suo in Beryto civitate patratum est, ubi ex imagine Salvatoris ab Iudaeis ibidem commorantibus impie crudeliterque percussa plurimus sanguis effluxit, quo miraculo universa Iudaeorum ibidem commorantium multitudo, Domino ita operante commota, fidei Christi colla submisit et christianam religionem professa est, quod postea, in diversas mundi partes Domino ita providente divisus, a fidelibus populis adoratur, et secundum quod fides adorantium meretur aut postulat, divina miracula coruscare non cessant. Hoc igitur attendentes fraternitati tuae iniungimus et mandamus, ut, si a tanto tempore praefatus sanguis Christi in conventu praefato monstrari consueverat, quod de contrario memoria non exsistat, nihil contra hanc consuetudinem antiquam innovare procures, sed christifideles ibidem affluere consuetos in ipsorum pia devotione perseverare permittas, cum hoc veritati fidei non repugnet et devotioni fidelium plurimum consulatur, omnibus insuper et singulis tam exemptis quam non exemptis in praedicta tua dioecesi exsistentibus in virtute sanctae obedientiae districtius inhibentes, ne populum a pia devotione, quam hactenus habuit ad praefatum Christi sanguinem in dicto conventu venerandum, quoquo modo retrahere publice praesumant.

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, pridie idus augusti, ... anno III.

1305. Iohanni, episcopo Ambianen., in sexagesimo et ultra aetatis anno constituto, magnum erga monasterium monialium in Campolongo (Longchamp) prope Parisius, O. S. Cl., gerenti devotionis affectum, qui de bonis sibi collatis eisdem monialibus tribuere et assignare proponit, indulget, ut cum quatuor personis honestis monasterium ipsum quatuor vicibus in anno dumtaxat ingredi et missas ibi celebrare et audire valeat (2).

1449, augusti 16, Fabriani.

Dum praecipuam devotionis tuae *etc.*

Datum Fabriani, anno ... 1449, XVII kal. septembris ... anno III.

1306. Concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in castro Montis Brandoni, praesidatus Farfen., Aesculan. dioec. (3).

1449, augusti 21, Fabriani.

Dilectis filiis incolis et habitatoribus Nostri castri Montis Brandoni, Aesculan. dioec.

Piis fidelium votis *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos, qui ob singularem, quem ad ordinem fratrum Minorum de observantia geritis devotionis affectum, de bonis vobis a Deo collatis in Nostro castro Montis Brandoni, praesidatus Farfen., unam domum cum ecclesia, campanili, ... officinis pro usu et habitatione fratrum inibi sub regulari

(1) Reg. Vat. t. 389, f. 226.
(2) Reg. Vat. t. 389, f. 259v.
(3) Reg. Vat. t. 423, f. 54v.; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 33, sed VI. kal. septembris.

observantia Altissimo famulaturorum de novo fundare, construere ... desideratis, super quo Apostolicae Sedis licentiam humiliter postulastis. Nos igitur *etc.* vobis dictam domum cum ecclesia, ... officinis in eodem castro in loco ad id convenienti et idoneo fundandi, construendi ... necnon fratribus praedictis eam ... retinendi ... licentiam ... elargimur. Et insuper universis et singulis fratribus eiusdem ordinis, ... ut omnibus et singulis privilegiis ... uti ... valeant, eadem auctoritate indulgemus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Fabriani ... anno 1449, XII kal. septembris, ... anno III.

1307. Angelum de Perusio instituit vicarium generalem O. F. M. usque ad proximum capitulum generale (1).

1449, augusti 26, Fabriani.

Dilecto filio Angelo de Perusio, ordinis fratrum Minorum et theologiae professori, eiusdem ordinis vicario generali.

Religionis zelus *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, generalatus officium ordinis fratrum Minorum, cui quondam Antonius, minister generalis, eiusdem ordinis, dum viveret, praesidebat, per ipsius Antonii obitum sit ministri generalis regimine destitutum, Nos, animadvertentes uberes fructus, quos idem ordo in agro militantis ecclesiae in propagationem religionis et fidei catholicae produxit hactenus et producit assidue, ac ad ea libenter paternis et salutaribus studiis intendentes, quae ipsius ordinis et eius professorum pacem statumque tranquillum ac suarum concernunt salutem animarum, et propterea de persona utili et idonea, quae hanc intentionem Nostram exsequi valeat, providere volentes, te, quem etiam doctrina et rerum experientia illustratum esse cognovimus, vicarium generalem praefati ordinis usque ad generale capitulum eiusdem ordinis celebrandum inclusive auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus et etiam deputamus ac tibi dictum ordinem ac omnes et singulas personas et loca tam virorum quam mulierum ipsius ordinis ubilibet consistentia iuxta morem et instituta eiusdem ordinis regendi et gubernandi ac eos, eas et ea tam in capitibus, quam in membris visitandi ac omnia et singula, quae ibidem correctionis et reformationis officio noveris indigere, monendi, corrigendi, reformandi, privandi publice et private, carcerandi et a carceribus liberandi, electiones ministrorum provincialium tenendi eosdemque confirmandi ac eos ministros huiusmodi et quoscumque alios officiales praefati ordinis instituendi et destituendi ac excommunicandi et excommunicatos absolvendi, mulctandi, puniendi, necnon in futuro generali capitulo praesidendi et futuri generalis ministri electionem retinendi ac quemlibet fratrem ipsius ordinis ad ea, quae videris necessaria et opportuna, in quibus interesse non poteris, in locum substituendi, registro quoque et sigillo dicti ordinis utendi omniaque alia et singula faciendi, ordinandi, mandandi, disponendi et exsequendi, quae pro observatione constitutionum ipsius ordinis ac pace et tranquillitate et animarum salute fratrum et sororum huiusmodi noveris expedire, et quae ministri generales eiusdem ordinis, qui pro tempore fuerint, de iure vel consuetudine facere, potuerunt seu etiam debuerunt, contradictores quoque et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi plenam et liberam tenore praesentium eadem auctoritate concedimus facultatem, mandantes omnibus et singulis ministris, custodibus, magistris, guardianis ceterisque fratribus eiusdem ordinis ac ordinum S. Clarae et S. Damiani ac Minorissarum sororibus, ut tibi pareant et intendant ac auxiliis, consiliis et favoribus opportunis assistant, non obstantibus *etc.* Tu igitur, officium vicariatus huiusmodi prompta devotione suscipiens ac omni ambitione postposita, prout de te plenam in Domino fiduciam obtinemus, solum Deum prae oculis habens, sic illud studeas diligenter et laudabiliter exercere, quod fructus exinde sperati proveniant, tuque apud Nos et Sedem Apostolicam valeas non immerito commendari Nostramque et ipsius Sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis.

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, VII kal. septembris, ... anno III.

1308. Archiepiscopo Ianuen. mandat, ut omnibus Eugenii IV. brevibus pro parte abbatissae et monialium monasterii S. Catharinae, Ianuen., O. S. Ben., contra nonnullos fratres O. F. M. emanatis diligenter inspectis ea omnia inviolabiliter faciat observari (2).

1449, augusti 26, Fabriani.

Quae ex laudabili ac provida *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, VII kal. septembris, ... anno III.

(1) Reg. Vat. t. 389, f. 260; Wadd. *Ann.* ad a. 1449, n. 31. De Angelo cf. sup. n. 1277, p. 657.

(2) Reg. Vat. t. 389, f. 280v. Cf. supra n. 732, p. 348; n. 760, p. 358; n. 1259, p. 648.

1309. Francisco de Ravenna, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1449, augusti 29, Fabriani.

Dilecto filio Francisco de Ravenna, ordinis fratrum Minorum et theologiae professori.

Religionis zelus *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu nonnullis labores infirmitatibus, propter quod medicorum et medicinarum suffragiis indigere dignosceris, ad quae domus fratrum Minorum, in qua moraris, non suppetunt facultates, Nos tibi, ut in tuis necessitatibus aliquod suscipere valeas sublevamen, providere praemissorumque meritorum tuorum intuitu gratiam facere volentes, tibi, ut etiam in obedientia superiorum tuorum permanendo unum beneficium curatum, etiam per clericos saeculares obtineri solitum, ... recipere ... valeas *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, IV kal. septembris, ... anno III.

1310. Matthaeum de Regio, O. F. M. de observ., instituit inquisitorem haer. prav. in regno Siciliae citra Pharum (2).

1449, augusti 31, Fabriani.

Dilecto filio Matthaeo de Regio, ordinis fratrum Minorum professori ac in partibus cismontanis quoad fratres de observantia nuncupatos in curia Romana commissario.

Licet ex omnibus mundi partibus, quae sub christiana religione continentur, teneamur ex Nostri officii debito letiferam pestem haereticae pravitatis exstirpare, in Italia tamen imminet haec sollicitudo propensius, ubi eadem pestis propter temporum iniquitatem in detrimentum fidei catholicae venenosa germina effundit. Ad Nostram siquidem notitiam non sine gravi mentis amaritudine pervenit ad praesens in regno Siciliae et praesertim in civitatibus Beneventan., Sipontin., Tranen., Monopolitan. et aliis quampluribus terris et civitatibus plurimos haereticos subcrevisse, qui vulgo christiani novelli appellantur, quorum cogitatione plurimi alii christifideles a fide debilitantur. Nos, huiusmodi contagiones, quibus grex dominicus inficitur, et morbos propellere cunctosque populos a vera Christi religione devios, quantum Nobis ex alto conceditur, summis affectibus cohibere cupientes ac volentes tam letali morbo salubriter providere ac alias de probitate et virtutibus tuis plenam in Domino fiduciam obtinentes sperantesque, quod ea, quae tibi committenda duxerimus, prudenter et fideliter et cum exacta diligentia exsequeris, te, quem, sicut fide dignorum testimoniis accepimus, religionis et fidei sinceritate ac honestate morum necnon litterarum scientia aliarumque virtutum donis illarum largitor Dominus insignivit, considerantes deinde, quod superioribus temporibus huiusmodi officium inquisitionis cum laude et commendatione in dicto regno exercuisti, usque ad Nostrum beneplacitum in regno praedicto Siciliae citra pharum et praesertim in memoratis civitatibus inquisitorem haereticae pravitatis facimus, constituimus et etiam deputamus, tibi per apostolica scripta mandantes ac in virtute sanctae obedientiae iniungentes, quatenus dictum inquisitoris officium per Nos tuis impositum humeris odio, timore, favore et amore omnibus postpositis sic fideliter et sollicite per te vel alium seu alios exsequaris, ut per tuam sollicitudinis operam damnatis et nefariis eorum erroribus e medio exstirpatis et sentibus huiusmodi penitus evulsis in regno praedicto fidei sinceritas vigeat, divinus cultus augeatur et populus christianus in Dei cognitione ac suae salutis acquisitione non decrescat. Et insuper volumus, ut in huiusmodi inquisitionis officio procedas tam secundum indulgentias et privilegia inquisitoribus pravitatis eiusdem a praefata Sede deputatis seu officio inquisitionis huiusmodi ab eadem Sede concessa quam etiam secundum canonicas sanctiones. Ut antedictum officium a Nobis tibi impensum liberius exsequi possis ac valeas, mandamus omnibus et singulis locorum ordinariis ac aliis quibuscumque ecclesiasticis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, religiosis quoque exemptis et non exemptis, quatenus in omnibus, quae ad huiusmodi officium pertinent, tibi faveant et assistant ac praestent et praestari faciant favores, consilia et auxilia opportuna, dantes et concedentes tibi liberam et plenariam potestatem dictos haereticos inquirendi ac legitimis super his servatis processibus procedendi et pro rerum qualitate carceribus mancipandi ac eos detinendi poenisque debitis afficiendi necnon per censuram ecclesiasticam et quaevis alia iuris remedia compescendi, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, necnon alia omnia et singula, quae in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria vel opportuna fuerint, faciendi et exsequendi, etiam cum privilegiis et indultis apostolicis, quae in casibus huiusmodi

(1) Reg. Vat. t. 410, f. 59. cf. supra n. 942, p. 462.

(2) Reg. Vat. t. 410. f. 93v: Wadd. *Ann.* ad a. 1449, n. 14. — De Matthaeo

haeresis suffragari possint, plenam et liberam auctoritate praefata concedimus tenore praesentium facultatem. Non obstantibus *etc.* Seu si quibusvis *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, pridie kal. septembris, ... anno III.

1311. Bernardo, episcopo Montisalban., in Romana curia residenti, mandat, ut Iohanni Gundisalvi, O. F. M., qui post prohibitionem Martini V. habitu dicti ordinis dimisso a Guillelmo, praeceptore domus S. Spiritus, Ilerden., ab hospitali S. Spiritus in Saxia de Urbe, O. S. Aug., dependentis, habitum fratrum dictae domus receperat et deinde nulla facta mentione, quod frater O. F. M. esset, ab Eugenio IV. licentiam obtinuerat transeundi ad monasterum S. Vincentii Ulixbonen., O. S. Aug., et recipiendi parochialem ecclesiam, « prioratum » nuncupatam, S. Vincentii de Castello Mendo, a praefato monasterio dependentem, concedat absolutionem a censuris et irregularitatibus ac licentiam permanendi in ordine S. Augustini et obtinendi beneficium per canonicos O. S. Aug. regi solitum (1).

1449, septembris 1, Fabriani.

Apostolicae Sedis exuberans clementia *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, kalendis septembris, ... anno III.

1312. Statuit, ut fratres III. O. S. Fr. nihil innovent circa observantiam sui ordinis ultra regulam S. Francisci et instituta Nicolai IV (2).

1449, septembris 18, Fabriani.

Ad futuram rei memoriam.

Romanus pontifex plerumque gesta *etc.* Dudum siquidem Nostrae emanarunt litterae tenoris subsequentis:

Nicolaus episcopus etc.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii Nobis, licet immeritis *etc.* *(ut supra n. 1083, p. 547).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, XIII kal. augusti, ... anno I.

Cum itaque, sicut ex querulosa quorumdam dicti ordinis fratrum insinuatione percepimus, nonnulli eiusdem ordinis fratres, praetendentes ordinem ipsum praetextu insertarum litterarum praedictarum in melius dirigere et reformare, nonnulla ordinationes et stabilimenta ediderunt, per quae utriusque sexus dicti ordinis religiosas personas ad plura ac etiam arctiora observanda satagunt adstringere, quam per professionem per eas emissam nec per sancti Francisci, ipsius ordinis olim institutoris, regulam nec etiam per ordinationes et statuta fel. rec. Nicolai papae IV, praedecessoris Nostri, desuper edita ac per eosdem fratres hactenus observata teneantur seu adstringantur, quae quidem noviter instituta ordinationes et stabilimenta quamplures moderni ipsius ordinis fratres, de suis primaevis regularibus institutis non immerito contenti ac ampliorem tutioremque viam eligentes, nullatenus observare nec ad id se nec suos successores variis bonis respectibus ad ea adstringere volunt, Nos igitur, confidentes, quod idem B. Franciscus, clarissimo Spiritus Sancti fulgore perlustratus, salubriora suis ordinibus instituta stabilivit ac tutiorem viam adinvenit, per quam personae illa imitantes securius et celerius ad sempiternam gratiam pervenire possent, attendentes etiam, quod fratres ipsi, si vitam strictiorem sibi eligere voluerint, alium habent et iam per ipsum B. Franciscum institutum ordinem, videlicet fratrum Minorum, in quo sub strictiori regula suum possunt Altissimo reddere famulatum, cupientes omnis dissidii materiam inter fratres ipsos penitus amputare, et ut quietius et tutius virtutum Domino vota sua reddere valeant, providere volentes, matura super hoc consideratione praehabita praeinsertas litteras praedictas ac singulas earum vigore factas ordinationes necnon processus forsan per easdem litteras habitos et quaecumque inde secuta ab omni eorum data ex certa scientia praesentium tenore cassamus, revocamus, irritamus et annullamus nulliusque roboris vel momenti exsistere decernimus et declaramus, districte praecipiendo mandantes omnibus et singulis fratribus de poenitentia, ne circa sui ordinis observantiam vel regulam ultra dicti B. Francisci et dicti Nicolai praedecessoris institutorum formas aliquid praetextu dictarum insertarum litterarum innovent vel immutent sed immutata seu innovata ad pristinum statum reducant et restituant seque de cetero primaevis regularibus dicti B. Francisci institutis necnon praedicti praedecessoris ordinationibus et stabilimentis se conforment et coaptent atque vivant, incedant et permaneant, prout hactenus vivere consueverant et iuxta per eos ante datam dictarum litterarum emissam professionem vivebant et incedebant, in omnibus et per omnia perinde, ac si dictae praeinsertae litterae nullatenus emanassent. Non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod, si aliqui vitam voluerint ducere arctiorem aut alias aliquid in dicto suo ordine commutare, illi ad ordinem fratrum Minorum huiusmodi se transferre

(1) Reg. Vat. t. 393, f. 331.

(2) Reg. Vat. t. 410, f. 88.

et illius regulam observare omnino teneantur. Nulli ergo *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, XIV kal. octobris, ... anno III.

1313. Dionysio, episcopo Laodicen., O. F. M., concedit perinde valere circa dispensationem et reservationem alias (cf. supra n. 1261, p. 649) factas (1).

1449, septembris 22, Fabriani.

Ad ea ex apostolicae servitutis *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, X kal. octobris, ... anno III.

1314. Agneti Xuares de Soliis, matri, ac sororibus domus S. Elisabeth, Salamantin., III. O. S. Fr., de poen., concedit facultatem eligendi confessarium, remissionem plenariam in articulo mortis, licentiam celebrari faciendi officia divina tempore interdicti etc. (2).

1449, septembris 23, Fabriani.

Dilectis in Christo filiabus Agneti Xuares de Soliis, matri seu gubernatrici, ac sororibus domus S. Elisabeth, Salamantin., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati.

Devotionis tuae sinceritas *etc.* Hinc est, quod Nos, dilecti filii nobilis viri Henrici, principis Asturiarum, charissimi in Christo filii Iohannis, Castellae et Legionis regis illustris, primogeniti, qui, ut asserit, ob laudabilis et exemplaris vitae vestrae frugem et sanctimoniam ad domum vestram singularem gerit devotionis affectum, ac vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut confessor idoneus saecularis vel regularis, quem tu, Agnes, mater seu gubernatrix, ac successive tibi matres seu gubernatrices pro tempore in dicta domo exsistentes cum maiori seu saniori parte vestrarum et etiam pro tempore exsistentium sororum dictae domus duxeritis eligendum, vestrum et illarum cuiuslibet necnon aliarum in eadem domo etiam pro tempore commorantium et servientium personarum confessionibus diligenter auditis pro commissis per vos et illas excessibus, criminibus et peccatis, videlicet in Sedi Apostolicae reservatis semel dumtaxat, in aliis vero casibus totiens, quotiens fuerit opportunum, debitam vobis et ipsis absolutionem impendere et poenitentiam salutarem iniungere necnon ecclesiastica sacramenta, quando opus fuerit, ministrare valeat, quodque idem vel alius confessor, quem tu, Agnes, et praesentium quaelibet sororum et personarum huiusmodi duxeritis eligendum, omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contritae et ore confessae fueritis, in vita semel necnon etiam in mortis articulo semel tantum plenam remissionem vobis in sinceritate fidei et unitate S. Romanae ecclesiae ac obedientia et devotione Nostra vel successorum Nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate Nostra concedere possit, sic tamen, quod idem confessor de iis, quibus fuerit alteri satisfactio iniungenda, eam vobis per vos, si supervixeritis, vel per haeredes vestros aut alios, si tunc forte transieritis, faciendam iniungant, quam vos facere teneamini, ut praefertur. Et ne, quod absit, per huiusmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita committenda in posterum, volumus, quod, si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeretis, quoad illa praedicta remissio nullatenus suffragetur; et insuper, quod per unum annum a tempore, quo praesens Nostra concessio pervenerit, computandum singulis sextis feriis impedimento legitimo cessante ieiunetis; quodsi praedictis diebus ex praecepto ecclesiae, regulari observantia, iniuncta poenitentia, voto vel alias ieiunare teneamini, una alia die singularum septimanarum eiusdem anni, qua ad ieiunandum, ut praefertur, non sitis adstrictae, ieiunetis. Et si in dicto anno vel aliqua eius parte essetis legitime impeditae, anno sequenti vel alias quamprimum potueritis, modo simili supplere huiusmodi ieiunium teneamini. Porro, si praelibatum ieiunium in toto vel in parte seu alias quomodocumque commode adimplere non potueritis, eo casu confessor, quem quaelibet vestrum duxerit eligendum, ieiunium ipsum in alia pietatis opera, prout animarum vestrarum saluti expedire viderit, commutare valeat, quae vos et quaelibet vestrum pro modo debeatis adimplere, alioquin quoad hoc praesens Nostra concessio nullius sit roboris vel momenti. Insuper vobis, similiter praesentibus et futuris, matri seu gubernatrici ac sororibus et personis praefatis, ut in ecclesia dictae domus etiam tempore interdicti horas canonicas legere et decantare ac per proprium vel alium sacerdotem idoneum missas et alia divina officia celebrari facere, submissa tamen voce, ianuis clausis ac excommunicatis et interdictis prorsus exclusis, quodque vestrum et personarum praedictarum decedentium corpora alio non obstante canonico impedimento in dicta ecclesia vel coemeterio dictae domus, etiam si inibi huiusmodi servaretur interdictum, ecclesiasticae sepulturae tradi possint, dummodo vos vel illae causam non dederitis interdicto, nec id vobis vel illis contigerit specialiter interdici, libere et licite

(1) Reg. Vat. t. 389, f. 279 v.

(2) Reg. Vat. t. 389, f. 288 v. Cf. supra n. 1287, p. 663.

valeatis. Rursus, quod de quibusvis obventionibus tam de funeralibus mortuorum, cum apud dictam ecclesiam sepulturam elegerint, quam de quibusvis aliis vobis seu ecclesiae et domui praefatis per quascumque personas pro tempore oblatis, donatis seu relictis quoquomodo nulli personae quartam aut portionem aliquam exceptis dumtaxat rectoribus parochialium ecclesiarum, sub quibus mortuos et alias personas huiusmodi degere seu morari contigerit, quibus, ut tantum de funeralibus quartam solvere teneamini, nec ad id per quempiam invitae compelli possitis, devotioni vestrae auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, IX kal. octobris, ... anno III.

1315. Mandat, ut approbent reductionem numeri capellanorum in monasterio S. Clarae, Pisan., O. S. Cl. (1).

1449, septembris 30, Fabriani.

Dilectis filiis abbati monasterii S. Michaelis et archipresbytero maioris ac priori saecularis et collegiatae S. Sixti ecclesiarum Pisan.

A summo patrefamilias *etc.* Sane dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii monialium S. Clarae iuxta ambitum parochialis ecclesiae S. Martini de Kinheche (2), Pisan., ordinis eiusdem sanctae, sub perpetua clausura et regulari observantia degentium Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet olim in eadem ecclesia S. Martini quatuor saeculares capellani pro eiusdem ecclesiae, quae ad monasterium ipsum dignoscitur pertinere, cura exercenda ... ac etiam certi ordinis Minorum fratres, per abbatissam pro tempore exsistentem et conventum ipsius monasterii, cum illius facultates in meliori quam de praesenti fore noscantur prosperitate tunc exsisterent, [eligendi], teneri consuevissent, nihilominus tamen quondam Petrus de Candia, tunc Alexander V in sua obedientia ... nuncupatus, considerans, quod fructus ... ad tantam exilitatem devenerant, quod ad dictos quatuor saeculares capellanos tenendos non suppetebant, numerum eorum ad duos primo et deinde venerabilis frater Noster Iulianus, archiepiscopus Pisan., etiam praemissorum occasione inductus et attendens, quod fructus ... postmodum nullatenus augmentati sed potius sinistra, proh dolor, causante conditione temporum non mediocriter diminuti fuerant, ordinaria auctoritate duorum capellanorum huiusmodi numerum ad unum usque ad eius beneplacitum dumtaxat tenendum capellanum ... reduxerunt *etc.* Quare pro parte ipsarum abbatissae et conventu praedictorum, asserentium, quod post ultimam reductionem huiusmodi fructus ... antedicti non augmentati, sed verius diminuti fuerint et in dies diminui perhibentur, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus ... de praemissis ... vos diligenter informetis et ... utramque reductionem ... approbetis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen dioec., anno ... 1449, pridie kal. octobris, ... anno III.

1316. Mandat, ut approbet donationes et testamentum Iacobi de Monterone, O. S. Ioh. Hieros., qui in ecclesia B. Mariae de Templo extra muros Licien., O. F. M., sepultus, inter alia etiam eidem ecclesiae certa bona legaverat (3).

1449, octobris 6, Fabriani.

Venerabili fratri episcopo Licien.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Iohannis Antonii, principis Tarenti et comitis Licii, necnon exsecutorum testamenti, donationum seu ultimae voluntatis quondam Iacobi de Monterono, olim fratris expresse professi hospitalis S. Iohannis Hierosolymitan., petitio continebat, quod olim ipse Iacobus, etiam postquam ex sibi per praefatum principem, cuius vasallus et servitor fuerat, quam per eiusdem Iacobi genitorem, etiam antequam hospitale ipsum ingrederetur, donatis quam aliis propria industria acquisitis bonis tot domos in civitate Licien. construxerat ac tot vineas, libros et animalia emerat, quod eorum valor quasi ad summam mille et octingentorum florenorum auri de camera communi aestimatione ascendere poterat, ex bonis huiusmodi tam inter vivos quam in ultima sua dispositione ordinavit quamdam capellam in ecclesia monasterii B. Mariae de Templo, extra muros Licien., ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, sibi et populo, praesertim illarum partium, devotissima, in qua eius corpus inhumari voluit, sub vocabulo eiusdem sancti Iohannis construi, aedificari et institui ac eisdem ecclesiae et capellae, quibus adhuc in humanis certa libros et alia bona donaverat, quingentos, et pro maritandis aliquibus orphanis virginibus sexcentis ac pro exsequiis et expensis sui funeris ducentos, restantes vero quingentos ducatos auri de camera genitrici praedictae et nepoti ac aliis consan-

(1) Reg. Lat. t. 456, f. 333v. Cf. *Bull. Franc.* t. VII, p. 418.

(2) alias Kinzica vel Quincica.

(3) Reg. Vat. t. 410, f. 161.

guineis suis pauperrimis et egenis ac illis, qui sibi viventi serviverant, donavit et dimisit, prout in instrumentis donationis et testamenti seu alias voluntatis eius ultimae confectis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, obstantibus usibus, statutis et stabilimentis dicti ordinis de potestate donandi, disponendi et testandi et iuribus donationis ac testamenti seu ultimae voluntatis huiusmodi, licet in piis constare videatur operibus, haesitetur, pro parte principis et exsecutorum huiusmodi Nobis fuit humiliter supplicatum, ut testamento, donationi seu ultimae voluntati ac omnibus in eis contentis huiusmodi pro illorum subsistentia firmiori, ac ut illud tutius et citius exsecutioni demandari valeat, robur apostolicae confirmationis adiicere ac illud seu illas iuxta illius continentiam atque formam exsecutioni demandari mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, fraternitati tuae ... per apostolica scripta mandamus, quatenus de praemissis et singulis auctoritate Nostra te diligenter informes et ... praefatis exsecutoribus efficacis defensionis auxilio assistens, testamentum, donationes quascumque ac ultimam voluntatem huiusmodi iuxta moderationem infrascriptam cum omnibus in eis contentis clausulis, legatis et dimissionibus et ordinationibus per eum dispositis auctoritate Nostra approbes, valides et confirmes, supplendo omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, illudque seu illas de bonis eidem Iacobo concessis et donatis, ut praefertur, ac per eum propria industria acquisitis dumtaxat per exsecutores illius observari et exsequi, de residuis vero eiusdem Iacobi bonis unam thesauro religionis dicti ordinis applicari et aliam medietatem in utilitatem ecclesiae B. Mariae de Templo infra muros Licien., dicti ordinis S. Iohannis Hierosolymitan., converti facias auctoritate Nostra antedicta. Contradictores *etc.* Non obstantibus, *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, pridie nonas octobris, ... anno III.

1317. Marmotio Benedicti, fratri domus Montisattonis (Montottone), O. F. M., Firman. dioec., concedit dispensationem, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum sine cura recipere valeat [1].

1449, octobris 7, Fabriani.

Religionis zelus *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, nonis octobris, ... anno III.

1318. Fratribus domus S. Angeli, Mediolanen., O. F. M., mandat, ut curam habeant monialium monasterii S. Mariae de Cantalupo, Mediolanen., O. S. Cl. [2].

1449, octobris 8, Fabriani.

Dilectis filiis guardiano et fratribus S. Angeli, ordinis Minorum de observantia, extra muros Mediolanen.

Quoniam iuxta pastoralem curam *etc.* Idcirco vobis omnibus per praesentes iniungimus ac sub virtute sanctae obedientiae districte mandamus, ut dilectis in Christo filiabus, quae olim sub regula S. Augustini in monasterio S. Mariae de Cantalupo, Mediolanen., nunc vero sub regulari observantia S. Clarae in dicto monasterio laudabiliter degunt, in omnibus et per omnia iuxta vestri ordinis consuetudines et stabilimenta favoribus assistatis earumque confessiones omni exceptione remota audiatis ac omnia alia suffragia a vobis debita et consueta cum effectu ipsis exhibeatis, ut vestra exinde possit devotio merito apud Nos et Sedem Apostolicam commendari. Alioquin de opportuno remedio providebimus.

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., sub annulo piscatoris, die VIII octobris, anno 1449, ... anno III.

1319. Iohanni de Crivellis de Mediolano, monacho monasterii S. Petri de Magella, Neapolitan., O. S. Ben., vigore privilegii a S. Petro Coelestino eiusdem monasterii abbati concessi ab ordine fratrum Minorum ad monasterium praedictum translato, concedit approbationem huius translationis [3].

1449, octobris 11, Fabriani.

Dilecto filio Iohanni de Crivellis de Mediolano, monacho monasterii S. Petri de Magella, Neapolitan., ordinis S. Benedicti.

Religionis zelus *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim tu, qui ordinem fratrum Minorum expresse professus fueras, propter varias infirmitates, quas tunc patiebaris, de licentia tui superioris ad monasterium S. Petri de Magella, Neapolitan., ordinis S. Benedicti, vigore cuiusdam privilegii a S. Petro Coelestino abbati et conventui eiusdem monasterii concessi et a piae mem. Eugenio papa IV, praedecessore Nostro, confirmati in monasterio huiusmodi receptus exstitisti in monachum et in fratrem et ad illud translatus inibi ordinem S. Benedicti expresse professus et diu in eodem monasterio permansisti, prout sine contradictione superioris dicti ordinis fra-

---

(1) Reg. Lat. t. 456, f. 299.
(2) Wadd. *Reg. Pont.* Nic. V, n. 34 « ex autographo ». De monasterio de Cantalupo cf. supra n. 1239, p. 630.
(3) Reg. Vat. t. 410, f. 254.

trum Minorum permanes de praesenti. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... translationem et receptionem huiusmodi ratas et gratas habentes, illas auctoritate apostolica approbamus et confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus et insuper, ut omnibus et singulis privilegiis, ... quibus ceteri monachi dicti ordinis S. Benedicti ubilibet gaudent et potiuntur, uti et gaudere possis et valeas, tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, V idus octobris, ... anno III.

1320. Mandat, ut Alberto et Galassio de Piis, domicellis terrae Carpi, nullius dioec., concedat licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in ecclesia S. Nicolai extra terram Carpi (1).

1449, octobris 13, Fabriani.

Dilecto filio archipresbytero ecclesiae Mutinen.

Cognita devotionis constantia, fidei quoque integritas, quas dilecti filii Albertus et Galassius de Piis, domicelli terrae Carpi, nullius dioec., ad Nos et Romanam gerunt ecclesiam *etc.* Sane pro parte eorumdem Alberti et Galassii Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi, fervore devotionis accensi, ... in suo territorio ad omnipotentis Dei et B. Francisci honorem unam domum pro usu et habitatione fratrum Minorum de observantia nuncupatorum in eodem territorio in ecclesia S. Nicolai extra terram Carpi praedictam, quae, licet habitu non tamen actu curata est et circa quam interdum capellanus et nonnulli alii moram trahere consueverunt, ac ad mensam plebis dictae terrae pertinet, loco ad hoc congruo et honesto cum campanili et campanis, domibus, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis de consensu archipresbyteri et canonicorum dictae plebis fundare ... desiderant, si eis ad id Apostolicae Sedis suffragetur auctoritas. Quare Albertus et Galassius praefati Nobis humiliter supplicarunt *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus praefatis Alberto et Galassio praedictam domum cum ecclesia ... et officinis huiusmodi in dicta ecclesia pro usu et habitatione praefatis fundandi et construi faciendi ac eisdem fratribus domum ipsam pro huiusmodi usu et habitatione recipiendi et perpetuo retinendi ac ecclesiam praedictam cum territorio ad usum et habitationem huiusmodi opportuno de praefato consensu segregandi auctoritate apostolica licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod ipsi fratres, quos in dicta fundanda domo pro tempore morari contigerit, omnibus et singulis privilegiis *etc.* iure tamen *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, III idus octobris, ... anno III.

1321. Abbati B. Mariae Vallisfucinae et S. Mariani de S. Severino, Camerinen. dioec., insimul canonice unitorum monasteriorum, mandat, ut Antonio Iohannis Vanutii, clerico dictae dioec., conferat canonicatum et praebendam ecclesiae S. Severini de S. Severino, vacantes per ingressum Pauli Thomae, canonici, in ordinem fratrum Minorum (2).

1449, octobris 13, Fabriani.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, III idus octobris, ... anno III.

1322. Iohanni de Capistrano, O. F. M. de observ., concedit licentiam recipiendi 20 loca ubicumque existentia pro habitatione fratrum O. F. M. de observ. (3).

1449, octobris 14, Fabriani.

Dilecto filio Iohanni de Capistrano, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum professori.

Inter ecclesiasticos ordines *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis pro parte tua petitio continebat, saepe contingat nonnullos christifideles ex devotione, quam ad dictum ordinem habent, tuisque sermonibus allici ad terrena in coelestia commutandum, quam (!) pro ipsorum et maiorum suorum animarum salute loca quaedam pro usu et habitatione tui ordinis fratrum fundarent, construerent et aedificarent vel fundata, constructa et aedificata concederent, si ad id Sedis Apostolicae suffragaretur auctoritas, et sicut eadem petitio subiungebat, si viginti loca pro usu et habitatione huiusmodi fundandi, construendi et aedificandi aut fundata, constructa et aedificata recipiendi a Sede praedicta facultatem haberes, profecto plurimorum animas Deo lucrifacere posse sperares, Nos igitur tibi ... necnon pro tempore exsistentibus quarumcumque provinciarum iuxta morem fratrum Minorum de observantia nuncupatorum vicariis viginti loca ubicumque consistentia cum ecclesiis, campanilibus, campanis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis, si tibi aut illis alias canonice consignentur, vel in locis ad id congruen-

(1) Reg. Vat. t. 410, f. 139v; t. 411, f. 17v; Wadd. *Reg. Pont.* Nic. V, n. 35. (2) Reg. Lat. t. 454 A, f. 87. (3) Reg. Vat. t. 419, f. 138v; Wadd. *Reg. Pont.* Nic. V, n. 36.

tibus et honestis vobis per eosdem christifideles forsitan assignandis domibus, ecclesias cum campanilibus ... et necessariis officinis huiusmodi fundari, construi et aedificari faciendi ac recipiendi et perpetuo retinendi dioecesanorum locorum, in quibus huiusmodi loca fuerint, aut eiusdem ordinis superiorum licentia minime requisita eadem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et insuper universis et singulis dicti ordinis fratribus, quos in locis huiusmodi pro tempore residere contigerit, ut omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis ... concessis uti et gaudere libere liciteque valeant, auctoritate praefata concedimus, iure tamen *etc.* non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, pridie idus octobris, ... anno III.

1323. Statuit, ut fratres O. F. M. de observ. provinciae Castellae, nominatim Civitatis Regalis redeant sub obedientia Iohannis de S. Anna, ministri provincialis, eiusque successorum (1).

1449, octobris 20, Fabriani.

Ad perpetuam rei memoriam.

Super gregem dominicum *etc.* Sane dilecti filii Iohannis de S. Anna, ministri ordinis fratrum Minorum provinciae Castellae secundum morem dicti ordinis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet retroactis temporibus, etiam a principio et fundatione eiusdem ordinis citra, omnes et singuli in praedicta provincia consistentium domorum et conventuum et tam de observantia nuncupati quam etiam conventuales fratres eorumque custodes, guardiani et alii domorum et conventuum eorumdem principales sub obedientia ministri provincialis praedicti pro tempore exsistentis fore consueverunt et esse debeant de praesenti, quia tamen fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, sinistra, ut verisimiliter creditur, informatione circumventus, per suas certi tenoris litteras sub plumbo, excommunicationis latae sententiae poena, quam contrafacientes ipso facto incurrerent, ne aliqui fratres ordinis praedicti de observantia huiusmodi ministro praedictae provinciae pro tempore exsistenti ex tunc in antea parere, sed dumtaxat vicariis fratrum de ipsa observantia obedire deberent et etiam tenerentur, motu proprio decrevit et ordinavit, prout in ipsis litteris plenius continetur, nonnulli conventus et fratres praedicti ordinis de observantia simulate et contra eorum mentem et libertatem, ut sententias, censuras et poenas in litteris praedictis contentas incurrere evitarent, ex tunc vicariis de observantia huiusmodi non sine suarum scrupulo conscientiarum obedierunt, prout etiam obediunt de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, statuta, ordinationes et laudabiles consuetudines ordinis praelibati laudabiliter et mature facta, secundum quae fratres, custodes, guardiani et alii supradicti praedicto ministro parere et obedire tenebantur, ab eorum editionis tempore laudabiliter observata fuerint, quodque verisimiliter praesumendum non sit dictum praedecessorem per praedictas litteras, quamquam illae motu proprio, ut praemittitur, emanasse noscantur, nonnisi sinistra causante informatione statuta, consuetudines et alia supradicta ita et taliter sine alia rationabili causa subsistente quoad hoc tolli voluisse, pro parte dicti ministri et nonnullorum fratrum de observantia huiusmodi, ad ipsius ministri, ut asserit, si id cum sana conscientia efficere valerent, obedientiam una cum multis aliis eiusdem ordinis fratribus se transferre volentibus illorumque precibus super hoc plurimum excitati, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dictum ordinem eiusque professores, ut sub regulari habitu sine quovis animi seu conscientiae scrupulo in humilitatis spiritu Altissimo iugiter famulentur, prout ex debito Nobis iniuncti pastoralis tenemur officii, Nostri partes ministerii, quantum Nobis ex alto permittitur, libenter adhibemus, cupientes super his salubriter providere, ex nunc inantea perpetuis futuris temporibus observandum statuimus et ordinamus, quod praedictus et, qui pro tempore fuerit, minister dictae provinciae omnia et singula fratres, conventus, domus, eremitoria aliaque religiosa loca dicti ordinis et ad illum legitime spectantia ad ipsius obedientiam redire ac sub ea manere volentia admittere et recipere, necnon, si aliqua domus ordinis et provinciae praedictorum cum eiusdem ministri seu eius vicarii et custodis consensu reformata et consequenter alicui ipsorum fratrum de observantia huiusmodi data sive recommissa fuerit, utpote de domo Civitatis Regalis, dicti ordinis, factum fuisse dignoscitur, necnon et alia eiusdem ordinis loca, si eis forsitan tradita fuerint, ministro provinciae huiusmodi sub excommunicationis poena, quam contrafacientes ipso facto incurrant, et a qua, praeterquam in mortis articulo con-

(1) Wadd. *Ann.* ad a. 1449, n. 28. « e l. 1 de regul. f. 291 ». Cf. supra n. 899, p. 435. De Iohanne de S. Anna cf. p. 343, nota 3.

stituti, nisi per Romanum pontificem super hoc absolutionis beneficium nequeant obtinere, per eos, qui domum de Civitate Regali ac alia loca praedicta inhabitant, infra octo dierum spatium, postquam pro parte dicti ministri requisiti fuerint, omnino restituenda fore decernimus, districtius inhibentes fratribus de observantia huiusmodi, ne de cetero aliquam domum dictae provinciae capere sive recipere quoquo modo praesumant, alioquin tam ipsi quam eorum in ea parte complices ac sequaces et fautores ac eis super hoc praebentes auxilium, consilium vel favorem appellationibus quibuslibet postpositis poenae subiaceant antedictae, adiicientes, ut omnes et singuli tam praedicti quam alii fratres dicti ordinis ad praedicti et pro tempore existentis ministri dictae provinciae obedientiam, a qua nullatenus retrocedere valeant, venire ac in illa etiam vita regulari, sicut expedit, decenter observata et illa propterea in aliquo nullatenus immutata, perpetuo remanere libere et licite valeant, quodque etiam praesenti Nostrae concessioni huiusmodi per quamcumque aliam Nostram vel successorum Nostrorum concessionem, nisi de hac praesenti ac omnium et singulorum in ea expressorum et contentorum tenoribus de verbo ad verbum specialis, specifica et expressa mentio facta fuerit, nullatenus derogari posse seu debere auctoritate apostolica de speciali gratia concedimus atque decernimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, XIII kal. novembris, ... anno III.

1324. Clonferten. et Duacen. episcopis mandat, ut a Cornelio, episcopo Elphinen., antea Imelacen., (O. F. M.) recipiant solitum fidelitatis iuramentum (1).

1449, octobris 21, Fabriani.

Cum Nos nuper venerabilem fratrem Nostrum Cornelium, episcopum Elphinen., tunc Imelacen. *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, XII kal. novembris, ... anno III.

1325. Iohanni de Capistrano, O. F. M. de observ., mandat, ut Gartiae de Gabamellis, comiti, concedat licentiam fundandi domum B. Mariae de Gratia extra muros Troian. pro fratribus O. F. M. de observ. (2).

1449, octobris 29, Fabriani.

Dilecto filio Iohanni de Capistrano, ordinis fratrum Minorum professori ac in omnibus partibus citramontanis quoad fratres de observantia nuncupatos vicario generali.

Cognita devotionis constantia fideique integritas, quas dilecti filii Gartias de Gabamellis, comes, et communitas ac homines civitatis Troian. ad Nos et Romanam gerunt ecclesiam *etc.* Sane pro parte Gartiae ac communitatis et hominum civitatis praedictorum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi, fervore devotionis accensi, ... in suo territorio ad omnipotentis Dei et B. Mariae semper virginis honorem unam domum pro usu et habitatione fratrum Minorum de observantia nuncupatorum in eodem territorio in ecclesia B. Mariae de Gartia, extra muros Troian., venerabilis fratris Nostri episcopi Troian. accedente consensu vel alibi in loco ad hoc congruo et honesto, ubi fratres ipsi eumdem locum duxerint eligendum, cum campanili, campanis, domibus, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis fundare ... desiderant, si eis ad id Apostolicae Sedis suffragetur auctoritas. Quare Gartias ac communitas et homines praefati Nobis humiliter supplicarunt *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus Gartiae ac communitati et hominibus praefatis praedictam domum, quam praedicti fratres, ut praefertur, duxerint eligendam, cum ecclesia ... et aliis necessariis officinis huiusmodi in dicta ecclesia pro usu et habitatione praefatis fundandi et construi faciendi ac eisdem fratribus domum ipsam pro huiusmodi usu et habitatione recipiendi et perpetuo retinendi ac ecclesiam praedictam cum territorio ad usum et habitationem huiusmodi opportuno deputandi auctoritate apostolica licentiam largiaris, superioris cuiuscumque licentia minime requisita. Non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod ipsi fratres... omnibus et singulis privilegiis *etc.* iure tamen *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1549, IV kal. novembris, ... anno III.

1326. Agathae, relictae Guidonis de Torellis, Mantuan., sorori III. O. S. Fr., concedit licentiam ingrediendi septies in anno monasterium Corporis Christi Mantuan., O. S. Cl. (3).

1449, novembris 4, Fabriani.

Dilectae in Christo filiae Agathae, relictae quondam Guidonis de Torellis, Mantuan.

Devotionis tuae sinceritas *etc.* Hinc est, quod Nos, tuis supplicationibus inclinati, tibi quae

(1) Reg. Lat. t. 455, f. 90 v. — Cf. supra n. 1227, p. 626.

(2) Reg. Vat. t. 390, f. 86.

(3) Reg. Vat. t. 410, f. 315.

soror tertii ordinis S. Francisci exsistis, ut cum duabus matronis honestis monasterium seu domum monialium et religiosarum inclusarum Corporis Christi, ordinis S. Clarae, Mantuan., quibuscumque ... contrariis nequaquam obstantibus septies in anno dumtaxat ingredi valeas, dummodo abbatissae vel priorissae seu ministrae earumdem ad id accedat assensus, et tu dictaeque matronae ibidem non comedatis nec etiam pernoctetis, tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... (!), pridie nonas novembris, ... anno III.

1327. Confirmat sententiam episcopi Papien. in causa Isabettae, abbatissae monasterii B. Mariae Theodocis de Pusterla, O. S. Ben., olim sororis monasterii S. Agathae, O. S. Cl., contra Iacobinam de Becharia, sororem monasterii S. Agathae (1).

1449, novembris 4, Fabriani.

Ad futuram rei memoriam.

Ad ea ex susceptae servitutis officio *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Isabettae, abbatissae monasterii B. Mariae Theodocis de Pusterla, Papien., ordinis S. Benedicti, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, petitio continebat, quod olim, postquam ipsa de monasterio S. Agathae Papien., ordinis S. Clarae, cuius monialis tunc erat, ad ipsum monasterium B. Mariae se praetextu quarumdam litterarum bon. mem. Iordani, episcopi Albanen., tunc maioris poenitentiarii, se transtulerat, ac dicto monasterio B. Mariae, tunc per obitum quondam Margarethae, illius abbatissae, extra Romanam curiam defunctae, vacanti, de persona dictae Isabettae, tunc per moniales dicti monasterii B. Mariae in illius sic vacantis abbatissam electae, auctoritate litterarum fel. rec. Eugenii papae IV, praedecessoris Nostri, provisum ipsaque illi in abbatissam praefecta fuerat, ipsaque Isabetta postmodum aliquas ex monialibus dicti monasterii B. Mariae, tunc huiusmodi provisioni et praefectioni se opponentes, ipsam Isabettam in abbatissam recipere recusantes, coram dilecto filio abbate monasterii S. Sillani de Romagnano, Novarien. dioec., dictarum litterarum exsecutore, traxisset in causam, ipsaeque moniales, asserentes se per ipsum abbatem tunc in causa huiusmodi procedentem indebite se gravari, ad Sedem Apostolicam appellaverint, ac dictus praedecessor causam appellationis huiusmodi dilecto filio priori prioratus S. Marcelli, Papien., per suas in communi forma litteras audiendam commisit et fine debito terminandam, ipseque prior, in causa huiusmodi procedens, definitivam contra dictam Isabettam sententiam promulgavit, a qua fuit pro parte dictae Isabettae ad eamdem Sedem appellatum, ac idem praedecessor, causam appellationis huiusmodi dilecto filio Ioseph de Brippio, canonico Mediolanen., per alias suas in communi forma litteras audiendam et debito fine terminandam commisit, et postquam dictus Ioseph in causa huiusmodi ad aliquos actus citra tamen conclusionem processerat, dictus praedecessor sibi per alias suas litteras dedit in mandatis, ut ipsam Isabettam ab omnibus et singulis excommunicationum aliisque sententiis, censuris et poenis, quas occasione translationis huiusmodi incurrisset, absolveret ac sibi, ut in dicto monasterio B. Mariae remanere posset, ac litterae super provisione huiusmodi confectae valerent et plenam obtinerent roboris firmitatem in omnibus et per omnia, ac si dicta Isabetta de praefato monasterio S. Agathae ad praefatum monasterium B. Mariae canonice translata fuisset, auctoritate apostolica concederet, ad quarum quidem litterarum exsecutionem dictus Ioseph procedens eamdem Isabettam ab huiusmodi sententia, censuris et poenis absolvit et concessionem fecit antedictam et nihilominus definitivam, per quam prioris sententiam revocavit ac monasterii B. Mariae huiusmodi regimen et administrationem praefatae Isabettae adiudicavit, sententiam promulgavit, a qua, licet fuerit pro parte dictarum monialium ad Sedem praedictam appellatum, et causa appellationis huiusmodi dilecto filio praeposito ecclesiae Papien. commissa fuisset audienda et fine debito terminanda, ac ipse praepositus in ea procedens dicti Ioseph sententiam per suam definitivam sententiam revocasset, tamen dicta sententia per ipsum Ioseph lata per duas alias definitivas sententias, quarum una in dicta curia lata fuit, confirmata exstitit, et postquam dicta Isabetta, possessionem regiminis et administrationis bonorum dicti monasterii B. Mariae apprehendens, illud ex tunc per octo annos vel circa ipsarum ultimarum sententiarum vigore tenuerat et possederat, deinde pro parte dilectae in Christo filiae Iacobinae de Becharia, tunc pro moniali dicti monasterii S. Agathae se gerentis, dilecto filio Nostro Henrico, tit. S. Clementis presbytero cardinali, tunc in partibus illis Apostolicae Sedis legato, inter alia exposito, quod dictus praedecessor ad supplicationem praefatae Iacobinae, tunc asserentis, quod dicta Isabetta nec in ab-

(1) Reg. Vat. t. 411, f. 225v. Cf. supra n. 42, p. 28.

batissam praefati monasterii electa neque ad illius regimen et gubernationem utilis et idonea fuerat, nullumque sibi in dicto monasterio vel ad illud ius competebat, et quod ipsa Iacobina ad regimen et administrationem huiusmodi plurimum fructuosa exsisteret, per alias suas litteras certo iudici dederat in mandatis, ut vocatis dicta Isabetta et aliis, qui forent evocandi, si sibi per eventum litis constaret obtentu subreptionis ultimo dictarum litterarum huiusmodi vel alias praefatae Isabettae in dicto monasterio vel ad illud ius non competere ac eamdem Iacobinam ad huiusmodi regimen et administrationem magis idoneam fore, de persona sua praefato monasterio B. Mariae provideret, et propterea ac ex eo, quod contra ipsam Isabettam binae sententiae latae fuerant, regimen et administratio dicti monasterii B. Mariae ad ipsam Iacobinam spectarent, quodque dicta Isabetta, nonnullorum favoribus communita, huiusmodi regimen et administrationem detinuerat, ipsa Iacobina quasdam litteras ad praepositum tunc S. Iuventii, Papien., ab eodem legato obtinuit, quarum praetextu eamdem Isabettam coram dicto praeposito fecit ad iudicium evocari, qui in causa huiusmodi ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, dicitur processisse. Et successive pro parte dictae Isabettae Nobis, qui dicto praedecessore, sicut Domino placuit, sublato de medio fuimus divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, praemissis omnibus et, quod ipsa Isabetta iam decem et octo decursis praefato monasterio B. Mariae praefuerat, ac septem annis causa desuper agitata fuerit, et tres pro se sententias reportaverat, quas non reportasset, si se canonice electam fuisse non probasset, et, licet dictae sententiae adversus ipsam Iacobinam latae non fuerint, tamen ipsius causae discussionem et agitationem ex eo, quod quidam eius germanus illam prosequebatur et necessarias ministrabat expensas, verisimiliter ignorare non poterat, et si iustitiam se fovere credidisset, se pro suo interesse ad huiusmodi causam admitti procurasset et ad provisionem de se factam per id spatium decem et octo annorum non tacuisset, expositis Nos, tunc per alias Nostras litteras causam ipsam ad Nos advocantes, venerabili fratri episcopo Papien. inter alia dedimus in mandatis, ut, postquam sibi de provisione dictae Isabettae ac tribus pro ea latis sententiis et pacifica per octo annos vel circa possessione et, quod ipsa datis provisionis et mandati huiusmodi temporibus ad ipsius monasterii regimen habilis et idonea foret, nisi dicta Iacobina infra annum sibi per ipsum episcopum praefigendum super litteris provisionis de se factae processum decretum fuisse et praefatam Isabettam in causam traxisse eamque evicisse probasset, legitime constaret, praefatae Iacobinae per suam ab eo proferendam sententiam super dicto monasterio B. Mariae perpetuum silentium imponeret. Et deinde idem episcopus Papien. non obstante, quod interim dicta Isabetta per dilectum filium Gerardum de Langonibus, ordinis fratrum Minorum professorem, tunc asserentem se commissarium seu vicesgerentem dilecti filii Aloysii Caffarelli, ordinis praedicti et theologiae professoris, in provincia Ianuen. dicti ordinis ministri, ad instantiam dilecti filii Francisci de Georgiis, syndici seu procuratoris abbatissae et monialium dicti monasterii S. Agathae, sub certis modo et forma iteratis vicibus monita seu citata excommunicationis et alias tunc expressas poenas incurrisse declaratum foret, ad ipsarum litterarum Nostrarum exsecutionem procedens, definitivam, per quam Isabettae regimen dicti monasterii B. Mariae adiudicavit et super eo Iacobinae praefatae perpetuum silentium imposuit, sententiam promulgavit, prout in singulis litteris praedictis ac processibus desuper habitis plenius continetur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dicta Isabetta, quae iam decem et octo annis elapsis vel circa canonice electa fuit et tres sententias pro se reportavit, ut praefertur, ac illarum vigore possessionem regiminis et administrationis bonorum dicti monasterii B. Mariae assecuta exstitit, monasterium B. Mariae praedictum per octo annos vel circa pacifice possederit, et quamvis ipsa Iacobina se litteras provisionis de persona sua ab ipso praedecessore obtinuisse asserat, tamen illarum praetextu nullam adhuc, de qua constat, pro se super hoc sententiam reportavit et litem huiusmodi, ut praefertur, verisimiliter non ignorans, sed ad causam pro suo interesse admitti non fecit et, si qua per ipsum cardinalem super his causa commissa fuerit, illa per Nos postmodum exstitit advocata et loci ordinario commissa, qui reiectis excommunicatione et aliis per dictum Gerardum illatis gravaminibus praefatae Iacobinae perpetuum silentium imposuit, ipsaque Iacobina sua et suorum astutiis per medium dicti Gerardi litibus involvere procuravit et procurat in magnum Isabettae et monasterii B. Mariae huiusmodi praeiudicium, damnum et detrimentum. Quare pro parte dictae Isabettae Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad obviandum litium anfractibus et dispendiis, quae ex his sequi possent, de opportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, de praemissis plenius informati ac causarum status et aliorum praemissorum tenores pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi

supplicationibus inclinati, dictam Isabettam ab excommunicationis aliisque sententiis, censuris... absolvimus et absolutam fore censemus, et nihilominus processum per ipsum episcopum habitum et dictam sententiam ab eo latam harum serie approbamus et confirmamus, supplentes omnes defectus, si qui intervenerint in eisdem, necnon causam appellationis, si qua ab huiusmodi episcopi sententia secuta sit, ad Nos harum serie advocamus et penitus exstinguimus per praesentes, districtius inhibentes Gerardo et Iacobinae praedictis et quibuslibet aliis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, ne dictam Isabettam super translatione ac titulo monasterii B. Mariae huiusmodi deinceps inquietare vel quomodolibet molestare audeant vel praesumant, decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1449, pridie nonas novembris, ... anno III.

1328. Mandat, ut monasterium monialium S. Salvati, Cremonen., O. S. Ben., assignet mulieribus sub regulari observantia S. Francisci et cura fratrum domus S. Angeli, Cremonen., O. F. M. de observ., viventium (1).

1449, decembris 11, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii Omnium Sanctorum extra muros Cremonen.

Pia devotorum Deo et ecclesiae *etc.* Sane pro parte dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Blancae Mariae de Vicecomitibus, dilecti filii nobilis viri Francisci Sfortiae, domini civitatis Cremonae, coniugis, ac dilectorum filiorum communitatis eiusdem civitatis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi cum maxima devotione affectant, quod in eadem civitate sit unum monasterium monialium, quae sub regulari observantia S. Francisci perpetuo vivere debeant et teneantur, et quia matura inter eos consideratione praehabita nullum locum ad id magis accommodum reperiunt, quam monasterium monialium S. Salvati, Cremonen., ordinis S. Benedicti, in quo abbatissa et nonnullae moniales vitam minus honestam ducentes commorantur, cupiunt praedictis abbatissae et monialibus ordinis S. Benedicti unum alium locum pro earum usu et habitatione, in quo honeste vivere poterunt, assignare, dummodo in ipso monasterio ordo S. Benedicti penitus et omnino exstinguatur ac illud cum omnibus domibus, hortis, hortalitiis et aliis iuribus et pertinentiis suis dumtaxat pro usu et habitatione mulierum sub regulari observantia beati Francisci vivere cupientium, quae sub cura fratrum domus S. Angeli, ordinis Minorum de observantia, extra muros Cremonen., et illius guardiani exsistant, perpetuo deputetur et eis assignetur. Quare pro parte dictorum Blancae Mariae et communitatis, asserentium, quod ipsi ex hoc, si fiat, magnam et optatam consolationem suscipient et ad plurimorum salutem cedere ac variis inconvenientiis et scandalis obviari poterit, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis abbatissa et monialibus monasterii huiusmodi et aliis ... de praemissis te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, ipsas abbatissam et moniales, postquam communitas huiusmodi sibi alium locum in dicta civitate, in quo honeste commorari possint, eis, ut praemittitur, assignaverint, cum omnibus suis bonis ad locum praedictum auctoritate Nostra transferas ac ordine S. Benedicti in dicto monasterio per te suppresso penitus et exstincto illud cum omnibus domibus, iuribus, pertinentiis ... dumtaxat pro usu et habitatione mulierum, quae in eo sub regulari observantia beati Francisci vivere et sub cura et visitatione fratrum Minorum de observantia huiusmodi esse debeant et teneantur, perpetuo deputes et eis assignes, statuens et ordinans, quod ipsae abbatissa et moniales, quoad vixerint et honestam vitam duxerint, fructus, redditus et proventus ipsius monasterii percipere et habere debeant; eis vero defunctis seu vitam minus honestam ducentibus ad monasterium ipsum et in eo degentes et observantiam huiusmodi facientes abbatissam et sorores revertantur, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Nos enim, si translationem ... fieri contingat, abbatissae seu ministrae ac sororibus in dicto monasterio pro tempore degentibus, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, III idus decembris, ... anno III.

1329. Mandat, ut bona monasterii novi de Vedano, Mediolanen., O. S. Aug., dividant inter moniales O. S. Cl. et moniales O. S. Aug. dicti monasterii (2).

1449, decembris 17, Romae.

Dilectis filiis S. Petri de Gessate extra muros Mediolanen. et Mariae de Casareto,

(1) Wadd. *Reg. Pont.* Nic. V, n. 37 «e l. 3 de div. form. a. III, f. 89». De domo S. Angeli (Gabrielis) Cremonen. cf. supra n. 541, p. 258.

(2) Reg. Vat. t. 410, f. 331 v.

Mediolanen. dioec., monasteriorum prioribus, per priores gubernari solitorum, ac Philippo, praeposito ecclesiae S. Laurentii, Mediolanen.

Cum pridem tempore fel. rec. Eugenii papae IV, praedecessoris Nostri, in monasterio novo de Vedano, monialium ordinis S. Augustini, Mediolanen., graves et admodum scandalosae ita operante humani generis inimico lites et discordiae exortae fuissent ex eo, quod earum maior pars transire omnino volebat ad regulam S. Clarae, ut suppositae forent fratribus S. Francisci de observantia, extra muros Mediolanen., pars vero alia in vocatione suae prioris regulae S. Augustini sub iurisdictione archiepiscopali ordinaria remanere intendebat, idem praedecessor, ut talis et tam periculosa et scandalosa discordia sopiretur, per suas certi tenoris litteras commisit venerabili fratri archiepiscopo Mediolanen., ut inter alia monialibus illis, quae hoc affectare videbantur, profitendi regulam S. Clarae et in ea vivendi sub regimine fratrum Minorum S. Angeli, extra dictos muros, licentiam concederet, unam partem domorum et sediminum dicti monasterii, prout ipsi archiepiscopo videretur, uni parti, alteram vero alteri assignando, ita tamen, quod ecclesiam praedicti monasterii monialibus illis, quae in regula sua priori S. Augustini erant remansurae, integram assignaret. Cum autem, sicut sumus plene informati, idem archiepiscopus de pleno utriusque partis consensu divisionem huiusmodi domorum et sediminum fieri fecerit, ecclesiam integram illis S. Augustini assignando, et, licet paramenta, libri et alia spectantia ad divinum cultum accessorie ad ecclesiam cedere viderentur, et maxime, quia, cum talia non mandavit idem praedecessor dividi et fuissent omnia a sui principio monasterio S. Augustini condonata, ipsi monasterio S. Augustini remanere debuissent, voluit tamen idem archiepiscopus pro bono pacis et concordiae et rigorem iuris mansuetudine temperando omnia bona dicti monasterii mobilia, etiam paramenta, libros, breviaria et alia omnia ad ornatum dictae ecclesiae et divinum cultum spectantia communiter dividi, verum, sicut nuper ipsae moniales S. Augustini Nobis cum querela gravi significari curarunt, [moniales], quae, ut praemittitur, ad regulam S. Clarae migrarunt, huiusmodi res et bona mobilia et maxime paramenta, libros et breviaria aliosque ornatus ecclesiae, secundum quod ordinaverat ipse archiepiscopus post transitum earum ad dictam regulam S. Clarae restituere et reponere in communi divisione non curarunt neque curant in animarum suarum grave periculum. Et insuper sua Nobis petitione monstrarunt, quod, licet realiter et vere certi cives Mediolanen. donationem fecerint puram et meram ipsi monasterio de Vedano, tunc concorditer et vere exsistenti in ordine S. Augustini et per multos annos, antequam discordia ulla inter ipsius moniales exorta fuisset de mutando regulam huiusmodi, de certis fictis perpetuis et annuis praestationibus super bonis immobilibus tunc expressis, prout instrumentis publicis desuper confectis plenius continetur, ipsumque monasterium S. Augustini et eius moniales ab inde citra usque ad discordiam exortam habuerint et perceperint ipsa ficta et praestationes pacifice et quiete, nihilominus ipsae moniales, quae, ut dictum est, postea transitum fecerunt ad regulam S. Clarae, ausu temerario timore Dei postposito praesumpserunt huiusmodi ficta et praestationes annuas sibi contra omnem iustitiam usurpare et dictum monasterium S. Augustini, cui dumtaxat erant acquisita, eis de facto spoliare vel saltem id facere, quominus ipsae moniales S. Augustini huiusmodi ficta et annuas praestationes donata integre et libere valeant percipere, quinimo per nobilem matronam Antoniam de Vicecomitibus, relictam quondam comitis Carmagnolae, Nobis significari curarunt, quod ipsa dicta bona seu ficta et annuas praestationes pro uno capellano, in dicto monasterio missam celebraturo, sorori Paulae, priorissae seu matri, et monialibus dicti monasterii de Vedano libere donaverat, existimans eas moniales fore de ordine S. Clarae, ea ratione, quia portabant habitum et per fratres de observantia S. Francisci regebantur. Cum tamen revera in ea civitate notissimum foret, quod essent ordinis S. Augustini nec de ordine aut regula S. Clarae tempore illo ulla mentio habebatur nec ad multos annos postea discordiae huiusmodi secutae sunt, Nos tunc alia informatione in praemissis non habita, huiusmodi supplicationibus inclinati, ipsi Antoniae, comitissae, assignationem fictorum et annuarum praestationum huiusmodi dictis monialibus S. Clarae tantum faciendi et deputandi capellanum huiusmodi libere licentiam fuimus elargiti, prout in litteris Nostris desuper confectis dicitur contineri. Quarum praetextu litterarum ipsa Antonia comitissa assignationem et donationem huiusmodi fictorum libellariorum ad utilitatem ipsarum monialium S. Clarae tantum fecisse dicitur ipsis monialibus S. Augustini insciis et minime vocatis ac postmodum praemissis per dictam Antoniam Nobis expositis per alias Nostras litteras venerabili fratri episcopo Alexandrino et dilectis filiis priori de Campomortuo, Mediolanen. dioec., ac David de Lanteriis, canonico Cuman., dedimus in mandatis, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, si et postquam vocatis ministra et monialibus S. Augustini de praedictis legitime constitisset, deputationem,

donationem et assignationem praedictas auctoritate Nostra approbare et confirmare, quodque liceret eisdem abbatissae et conventui ordinis S. Clarae directa dominia et civiles possessiones praedicta apprehendere et libere et licite retinere decernere ac ipsis ministrae et monialibus ordinis S. Augustini super dominiis et possessionibus antedictis perpetuum silentium imponere auctoritate Nostra curarent cum potestate compescendi contradicentes et rebelles et invocandi auxilium brachii saecularis, prout in ipsis litteris plenius continetur (1), quarum quidem vigore ad approbationem et confirmationem deputationis et assignationis earumdem ac decretum et silentii impositionem et alia in eisdem litteris contenta processum exstitit reiectis omnibus legitimis exceptionibus pro parte ministrae et monialium S. Augustini factis et postposita appellatione ad Nos a certis gravaminibus eis illatis, omnem processum in quindecim diebus finiendo, de qua quidem sententia ad Nos exstitit appellatum. Nos igitur considerato, quam scandalosum sit et perniciosi exempli duo monialium monasteria regularis observantiae et, quae solebant in uno claustro vitam ducere laudabilem, ita duriter pro rebus profanis et ex animo litigare et per strepitus causarum ambulare in periculum animarum suarum et aliorum scandalum, volentes praemissis omnibus finem imponere et pacem ac quietem illorum monasteriorum, quantum cum Deo possumus, procurare, de praemissis omnibus et singulis informati, discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo ex vobis ad dicta monasteria accedentes et summaria informatione recepta per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia auctoritate Nostra etiam supponendo loca retrograda ecclesiastico interdicto et mandando fratribus S. Angeli, ut a gubernatione dictarum monialium S. Clarae omnino abstineant, si Nostris his mandatis noluerint obedire, compellatis communem divisionem fieri de omnibus rebus mobilibus dicti prioris monasterii necnon de paramentis, calicibus, ornamentis, libris et aliis iocalibus dictae ecclesiae, secundum quod praedictus archiepiscopus tunc fieri ordinavit, concedentes vobis potestatem haec exsequendi, faciendi et complendi bona fide et realiter, omni strepitu et signo iudiciali cessantibus, sed iis modo et forma faciatis, quibus inter religiosas personas sub regulari observantia viventes fieri solet, et prout vestris conscientiis videbitur faciendum. Et insuper, motu proprio, non ad alicuius super hoc Nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia omnes et singulas inter dictas moniales super deputatione et assignatione dictis pendentes causas et appellationes ad Nos advocantes ac lites exstinguentes, volumus et irrefragabili edicto praesentium tenore sancimus et etiam ordinamus, quod omnia et singula dominia et possessiones, iura et pertinentia ad ipsos affictus et annuas praestationes, de quibus controversia orta est inter partes praedictas, in duas aequales partes et portiones dividere unam S. Clarae et aliam medietates earumdem S. Augustini monialibus praedictis dare, deputare et assignare curetis et hanc Nostram mentem exsecutioni demandare studeatis, facientes singulas utriusque ordinis moniales inibi degentes quibusvis appellationibus cessantibus atque postpositis per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia sua portione stare contentas. Non obstantibus licentia auctoritate *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, XVI kal. ianuarii, ... anno III.

1330. Mandat, ut fratribus O. F. M. de observ. domus Montislucii, Bituricen. dioec., concedant licentiam fundandi domum in provincia Burgundiae (2).

1449, decembris 19, Romae.

Venerabilibus fratribus Claromonten. et Nivernen. episcopis.

Pia Deo et ecclesiae desideria *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus Montislucii, ordinis Minorum de observantia nuncupatorum, Bituricen. dioec., petitio continebat, quod ipsi in provincia Burgundiae in locis ad hoc aptis et idoneis unam domum cum ecclesia, campana, claustro, dormitorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis necnon unum oratorium cum christifidelium suffragiis seu obsequiis et praesertim dilecti filii nobilis viri Philippi de Vienna, Aduen. dioec., qui ad eosdem fratres ac ordinem praedictum singularem gerit affectum, de novo fundare, construere et aedificare seu fundari, construi et aedificari facere Domino concedente proponit, dummodo ei seu eis super hoc Apostolicae Sedis suffragetur auctoritas. Quare pro parte dilectorum guardiani et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati vestrae ... committimus et mandamus, quatenus vos ... praefatis guardiano et fratribus unam domum cum ecclesia ... et aliis necessariis officinis in variis locis ad id aptis et accommodis in eadem provincia sive in oppido vel extra pro usu et habitatione dictorum fratrum Mino-

(1) Vide supra n. 1238, p. 629.

(2) Reg. Vat. t. 411, f. 182v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 39.

rum de observantia, qui sub vicarii generalis eiusdem ordinis ministri regimine perpetuo vivant, de novo fundandi ... plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra concedatis dioecesanorum locorum et quorumcumque aliorum super hoc licentia vel assensu minime requisitis. Nos enim ... fratribus ipsis, ... ut omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant pariter et gaudere, concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, XIV kal. ianuarii, ... anno III.

1331. Mandat, ut Fyrim Ohedriscoyl, domicello Rossen. dioec., concedat licentiam fundandi domum fratrum O. F. M. de observ. in civitate Rossen. vel alibi in suo territorio (1).

1449, decembris 19, Romae.

Venerabili fratri episcopo Corkagen. et dilectis filiis decano Corkagen. ac David Ogillagymayn, canonico Rossen. ecclesiarum.

Cognita devotionis constantia fidei quoque integritas, quas dilectus filius nobilis vir Fyrim Ohedriscoyl, domicellus Rossen. dioec., ad Nos et Romanam gerit ecclesiam *etc.* Sane pro parte eiusdem Fyrim Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse, fervore devotionis accensus, ... in suo territorio ad omnipotentis Dei et B. Iohannis Baptistae ac S. Francisci honorem unam domum pro usu et habitatione fratrum Minorum de observantia nuncupatorum in eodem territorio in loco ad hoc congruo et honesto, ubi fratres ipsi eumdem duxerint eligendum, cum ecclesia, campanili, campanis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis fundare ... desiderat, si ei ad id Apostolicae Sedis suffragetur auctoritas. Quare pro parte ipsius Fyrim Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ei domum huiusmodi ... in eodem territorio sive intra civitatem seu oppidum aut extra, fundandi ... ac ipsis fratribus, per vicarium ultramontanum regendis, ... illa recipiendi et pro huiusmodi usu et habitatione perpetuis sub obedientia et regimine praefati vicarii retinendi licentiam concedere ... dignaremur. Nos itaque ... vobis et vestrum cuilibet, de quibus specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus praefato Fyrim praedictam domum, quam praedicti fratres, ut praefertur, duxerint eligendam, cum ecclesia ... et officinis huiusmodi sive intra civitatem seu oppidum aut extra in dicto territorio pro usu et habitatione praefatis fundandi ... ac eisdem fratribus, per huiusmodi vicarium regendis, domum ipsam pro huiusmodi usu et habitatione recipiendi et perpetuo retinendi, ac domum praedictam cum territorio sive intra civitatem seu oppidum aut extra ad usum et habitationem huiusmodi deputandi auctoritate apostolica licentiam largiaris superioris cuiuscumque licentia minime requisita, non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod ipsi fratres, quos in dicta fundanda domo pro tempore morari sive residere contigerit, omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere possint et valeant. Iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, XIV kal. ianuarii, ... anno III.

1332. Ratificat gesta deputatorum ad collectionem eleemosynarum pro monasterio S. Trinitatis, Valentin., O. S. Cl., prorogat terminum pro remissione plenaria pecuniam solventibus vel laborantibus ad aedificationem dicti monasterii concessa et Mariae, reginae Aragonum, circa eamdem rem concedit facultates (2).

1449, decembris 29, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Iniunctum Nobis desuper apostolicae servitutis officium *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, ex certis tunc expressis rationalibus causis omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus, qui usque ad duos annos ex tunc sequentes ad opus reparationis et ampliationis seu fabricae et structurarum aedificiorum monasterii monialium S. Trinitatis Valentin., sub regulari observantia B. Francisci viventium, quinque florenos seu tantumdem in aliis bonis illi, qui per charissimam in Christo filiam Nostram Mariam, reginam Aragonum illustrem, et dilectas in Christo filias abbatissam et conventum praefati monasterii pro tempore deputatus foret, darent seu persolverent aut alios similiter aptos suis sumptibus ad opus reparationis huiusmodi per mensem laborarent, quod singuli confessores, quos singuli solventes seu laborantes aut infra certum tunc expressum terminum solvere seu laborare offerentes huiusmodi ducerent eligendos, eis plenariam remissionem omnium suorum peccatorum, de quibus corde contriti exsisterent, semel tantum in mortis articulo concedere possent, concessit (3). Et deinde terminus duorum annorum ad diversa alia tunc expressa tempora suc-

(1) Reg. Vat. t. 411, f. 25; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 38.

(2) Reg. Vat. t. 411, f. 18. Cf. supra n. 1275, p. 657.

(3) Vide supra n. 976, p. 480.

cessive prorogata ac etiam super praemissis et eorum occasione nonnulla alia ordinata, declarata et concessa fuerunt, prout in dicti praedecessoris ac etiam aliis Nostris diversis desuper confectis litteris plenius continetur (1). Cum itaque, sicut pro parte dictae reginae Nobis nuper exhibita petitio continebat, ipsa ultra unum vigore priorum litterarum praedecessoris huiusmodi deputatum quosdam alios, procuratores nuncupatos, ad recipiendum pecunias, quae litterarum ac concessionis praedictarum necnon aliorum in illis contentorum vigore provenirent, tamquam patrona praefati monasterii auctoritate propria dumtaxat pro bono et utilitate ipsius monasterii deputaverit, ac ipsi a regina deputati, procuratores nuncupati, tam ab illis, qui concessione praedicta gaudere quam etiam per modum conventionis seu concordiae vigore certae clausulae in quibusdam ex litteris ipsis desuper contentae a nonnullis aliis personis de male ablatis incertis bonis, quae tunc detinebant, certam restitutionem facere volentibus aliquas pecuniarum summas ac etiam vigore certorum privilegiorum apostolicorum ipsi monasterio dudum concessorum ad id, ut credebant, se extendentium a certis aliis personis ad confratriam eiusdem monasterii recipi cupientibus ratione earum receptionis huiusmodi centum libras monetae Valentin. ad utilitatem alias ex personis, quae eadem concessione uti et gaudere voluerunt, ac propterea quaelibet earum summam quinque florenorum huiusmodi ad opus praefatum persolvere obtulerunt necnon cedulas de concessione eis facta praedicta susceperunt, plurimae ad dictam summam quinque florenorum per eas etiam infra ultimum ex dictis terminis commode persolvendam se minus potentes fore praetendant multaeque aliae non credant summam praedictam causante earum paupertate integre infra ultimum terminum praefatum solvere posse, pro parte dictae reginae Nobis fuit humiliter supplicatum, ut monasterii ac ab ea deputatorum procuratorum nuncupatorum et aliarum personarum praedictorum statui super praemissis ac etiam quo ad computa et rationes de pecuniis praemissorum occasione receptis et recipiendis facienda et examinanda salubriter providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, supplicationibus reginae huiusmodi tamquam aequis ac utilitatem et commodum dicti monasterii concernentibus favorabiliter annuentes, omnia et singula per deputatos auctoritate propria per reginam huiusmodi procuratores nuncupatos et eorum quemlibet in praemissis recepta, concordata, gesta atque facta, quorum qualitates ac receptarum pecuniarum et terminorum quantitates necnon litterarum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, ac deputatorum procuratorum nuncupatorum praefatorum nomina et cognomina, gradus, status, ordines et conditiones praesentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium ratificamus et approbamus, ita quod illa valeant perinde in omnibus et per omnia, ac si ad ea facienda regina et alii per eam sua auctoritate propria huiusmodi deputati specialem perantea obtinuissent a Sede Apostolica facultatem. Et insuper terminum ultimum supradictum, qui adhuc lapsus non exsistit quo ad personas, quae summas per eas ratione dictae concessionis eidem fabricae debitas infra ultimum terminum praefatum commode solvere non possent seu non poterunt, ad duos alios annos, a fine dicti per Nos prorogati termini computandos, eadem apostolica auctoritate extendimus et etiam prorogamus. Praeterea eidem reginae, quod ipsa, quascumque voluerit, personas etiam laicales ad receptionem pecuniarum, quae vigore praemissorum per quoscumque dictis monasterio et fabricae debentur et debebuntur, ac etiam aliquem virum ecclesiasticum ad revidendum et examinandum rationes et computa a receptoribus praeteritis, praesentibus et futuris pecuniarum fabricae debitarum et debendarum huiusmodi deputare necnon quemlibet eorum, quotiens sibi placuerit, a deputatione huiusmodi amovere et loco cuiuslibet amoti alium vel alios ad praemissa constituere libere et licite valeat, ac etiam deputandis super receptione praedictis omnibus et singulis quod officium eorum deputationis huiusmodi laudabiliter exercere necnon quascumque pecuniarum summas a personis, quae illas propter earum paupertatem etiam infra terminum duorum annorum per Nos hodie concessum huiusmodi commode solvere nequirent, ratione praefatae concessionis eidem monasterio seu fabricae debitas vel debendas, prout eis visum fuerit, ita tamen, quod quaelibet earumdem personarum nimis de triginta solidis monetae Barchinonen. propterea non solvat, limitare et diminuere necnon praefato ecclesiastico deputando, ut a personis ad recipiendum olim deputatis et deputandis praedictis omnibus et singulis de receptis habitis et solutis per eas pro tempore computa et rationes audire et examinare ac singulas earum ad reddendum computa et rationes huius-

(1) Cf. supra n. 1032, p. 515; n. 1188, p. 604; n. 1255, p. 646.

modi necnon ad restituendum pecunias per ipsas pro tempore receptas aliosque contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia appellatione remota cogere atque compellere aliaque desuper necessaria et opportuna facere et exsequi ac etiam, quod defuncta regina praedicta abbatissa pro tempore exsistens praefati monasterii necnon dicti conventus deputationem viri ecclesiastici huiusmodi alias, ut praemittitur, etiam facere ac, quotiens ipsis videbitur, deputatum destituere et alium de novo deputare et, quod ipse ab eis pro tempore deputatus facultatem, ut superius expressum est, habere et licite et libere possint et valeant, plenam et liberam auctoritate apostolica praedicta harum serie concedimus facultatem et etiam potestatem. Volumus autem, quod praefata regina pecunias supradictas tam ratione concessionis quam alias fabricae et monasterio praedictis per quascumque personas debitas seu debendas possit in locis seu rebus piis et quibuscumque aliis, prout conscientiae suae visum fuerit faciendum, distribuere, dare et assignare. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, IV kal. ianuarii, ... anno III.

1333. Iacobo Scrane, O. F. M., concedit licentiam transeundi ad ordinem S. Benedicti atque recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum per monachos O. S. Ben. teneri solitum (1).

1450, ianuarii 9, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, V idus ianuarii, ... anno III.

1334. Mandat, ut sororibus III O. S. Fr. domorum S. Agnetis et S. Mariae Vallis-fabricae, Perusin., concedat exemptionem ab exactionibus et licentiam erigendi duo oratoria in earum domibus in Burgo S. Sepulchri, Civitatis Castelli dioec. (2).

1450, ianuarii 21, Romae.

Dilecto filio archipresbytero ecclesiae Perusin.

Consuevit Sedis Apostolicae copiosa benignitas *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Magdalenae de Perusio, ministrae generalis, et universarum sororum S. Agnetis et S. Mariae Vallis-fabricae, Perusin., domorum tertii ordinis B. Francisci de poenitentia nuncupati, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet ipsae, quae spretis mundi huius illecebris sub regulari observantia sponso suo Christo Iesu, cui se sponte devoverunt, studeant famulari et, licet a triginta annis citra vel circa oneribus, exactionibus, pedagiis et gabellis liberae, exemptae sint penitus et immunes, tamen, quia mundo posito in maligno dubitant gabellarum, exactionum sive datiorum huiusmodi occasione posse in posterum molestari, pro parte ministrae et sororum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut S. Agnetis et S. Mariae Vallis-fabricae domos praedictas ac personas in eis pro tempore degentes ab omnibus exactionibus, datiis, impositionibus et gabellis eximere necnon eis, quod duo oratoria in earum domibus in Burgo S. Sepulchri, Civitatis Castelli dioec., consistentibus cum altaribus et necessariis officinis erigere licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus S. Agnetis et S. Mariae domos praefatas cum omnibus iuribus et pertinentiis eorumdem necnon personas sive sorores in illis pro tempore degentes, donec in huiusmodi observantia perduraverint, a solutione impositionum, datiorum, gabellarum sive collectarum et onerum quorumcumque apostolica vel ordinaria seu alia quavis auctoritate in posterum imponendorum quacumque occasione vel causa auctoritate Nostra eximas atque liberes et exempta esse nunties et declares, non permittens eas huiusmodi occasione in posterum quomodolibet molestari. Et nihilominus ministrae et sororibus ordinis antedicti, quod in duabus ipsarum domibus burgi praefati duo oratoria cum altaribus et necessariis officinis erigere possint et valeant, dicta auctoritate concedas. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, XII kal. februarii, ... anno III.

1335. Vincentio Ryio, O. F. M., pro quo ut capellano suo nobilis vir Petrus, comestabilis regni Portugalliae, supplicaverat, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum curatum, in dicto regno consistens (3).

1450, ianuarii 24, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, IX kal. februarii, ... anno III.

1336. Innovat ordinationem Gregorii XI, ut iudices ordinarii civitatis Assisinat. procedant contra haeredes, qui legata fratribus O. F. M. Assisinat. facta

(1) Reg. Vat. t. 390, f. 193 v. (2) Reg. Vat. t. 411, f. 181 v. Cf. supra n. 628, p. 298. (3) Reg. Vat. t. 390, f. 72 v.

eisdem assignare recusant, et iudicibus hac in re negligentibus multam constituit (1).

1450, ianuarii 28, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quae pro personarum ecclesiasticarum *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum custodis et fratrum Minorum Assisinat. litterae fel. rec. Gregorii papae XI, praedecessoris Nostri, emanarunt tenoris subsequentis:

Gregorius etc.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sedes Apostolica pia mater *etc. (ut in Bull. Franc. t. VI n. 1366, p. 545).*

Datum Avenione, IV idus iunii, ... anno V.

Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte custodis et fratrum praedictorum petitio continebat, iudices in praeinsertis litteris designati iustitiam custodi et fratribus super legatis huiusmodi infra dictum terminum duorum mensium iuxta statutum, ordinationem et mandatum dicti praedecessoris persaepe ministrare differant et recusent, legitime requisiti, igitur, statui et indemnitatibus ac quieti et tranquillitati eorumdem custodis et fratrum super hoc opportune providere cupientes, litteras praedictas cum omnibus statuti, ordinationis et mandati ac omnium in eis contentorum clausulis tenore praesentium innovamus, approbamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, volentes et apostolica auctoritate statuentes, quod ille ex dictis iudicibus, qui infra dictos duos menses iuxta dicti praedecessoris litterarum formam et tenorem eisdem custodi et fratribus seu eorum procuratori iustitiam ministrare cessaverit seu distulerit, legitime requisitus, poenam viginti quinque florenorum auri de camera camerae apostolicae applicandorum pro qualibet vice, qua, ut praefertur, non ministraverit, incurrat, ita quod, si potestas dictae civitatis pro tempore exsistens, quoties custos et fratres praedicti super hoc sibi conquesti fuerint, tot de salario et stipendiis dicti potestatis, quod ad summam perveniat et poenam, quam idem potestas incurrerit, debeat recipere et retinere, si vero iudex ecclesiasticus, videlicet ordinarius vel eius in spiritualibus vicarius aut officialis, poenam huiusmodi incurrerit, gubernator vel thesaurarius per Sedem Apostolicam in partibus illis deputatus summam ipsam ab eo exigere et extorquere ac ad usus et proprietatem camerae apostolicae convertere et applicare debeant ac teneantur, super quibus eisdem gubernatori, thesaurario et massario praefatos iudices cogendi, compellendi et nanciscendi plenam concedimus licentiam pariter et facultatem; contradictores *etc.* non obstantibus *etc.* Aut si iudicibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, V kal. februarii, ... anno III.

1337. Iohanni de Capistrano, O. F. M., concedit licentiam recipiendi monasterium monialium S. Martini extra muros civitatis Verulan., O. S. Ben., pro habitatione fratrum O. F. M. de observ. (2).

1450, ianuarii 30, Romae.

Dilectis filiis Iohanni de Capistrano, vicario, et fratribus ordinis Minorum de observantia nuncupatis.

Sacrae religionis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum populi et universitatis civitatis Nostrae Verulan. petitio continebat, quod, cum in eadem civitate nulla domus nullius ordinis nec conventus ordinis fratrum Minorum exsistat, sitque extra et prope muros civitatis eiusdem monasterium monialium S. Martini, ordinis S. Benedicti, quod alias sufficienter dotatum ** deductum est, ut duae dumtaxat antiquae moniales et tertia, quae plures habet ex praedictarum duarum nepote aliisque viris filios, remanserint in eodem, unde vivant, sine aliorum suffragio et piis elemosynis non habentes, et ex eodem fructibus eiusdem monasterii vivere nequeuntes eo, quod bona ipsius fere omnia alienarunt et damnabiliter dissiparunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, populus et universitas praedicti parati sint eisdem monialibus de loco et habitatione in civitate praedicta congrue providere, si monasterium cum horto illi contiguo vobis vel deputandis per vos inibi fratribus de observantia perpetuo assignetur ac pro eorum usu ... concedatur, reliquis ipsius monasterii bonis eisdem monialibus pro earum vita sustentanda, quoad vixerint, remanentibus, ita tamen, quod monialibus ipsis defunctis bona ipsa vendantur et in reparationem ecclesiae, domus et habitationis vestrae huiusmodi integre convertantur, quare Nobis humiliter supplicarunt *etc.* Nos igitur ... vobis vel per vos, ut praemittitur, deputandis data monialibus praedictis habitatione congrua, ut praefertur, monasterium cum horto huiusmodi et, postquam moniales ipsae fuerint vita functae, reliqua bona praedicta recipiendi ac in domo hortoque praedictis ecclesiam seu ora-

(1) Reg. Lat. t. 432, f. 45 v.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 40 « e l. 3 de div. form. etc. a. III, f. 266 ».

torium cum campanili, ... officinis construendi ac aedificandi ac in eis perpetuo commorandi necnon procuratori vestro deputato vel deputando reliqua bona praedicta vendendi et illorum pretium in reparationem ecclesiae domus et habitationis praedictarum integre convertendi, iure *etc.* salvo, ... licentiam elargimur, volentes, quod guardianus et fratres, qui in eisdem ecclesia et domibus construendis pro tempore morabuntur, ac ecclesia et domus huiusmodi omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant *etc.*, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, III kal. februarii, ... anno III.

1338. Mandat, ut ecclesiam B. Mariae de Palude extra muros Spalaten. a monasterio S. Stephani de Pinis, Spalaten., O. S. Ben., dismembret eamque concedat fratribus O. F. M. de observ. ([1]).

1450, februarii 7, Romae.

Dilecto filio primicerio ecclesiae Spalaten.

Pia devotorum Deo et ecclesiae desideria *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universorum civium et habitatorum civitatis et dioec. Spalaten. petitio continebat, quod ipsi ob singularem, quem ad ordinem fratrum Minorum de observantia gerunt, devotionis affectum et pro divini cultus in civitate et dioecesi huiusmodi augmento cupiunt extra et prope muros civitatis huiusmodi in aliquo loco eisdem fratribus decenti utique et accommodo unam domum cum ecclesia, claustro, dormitorio et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum Minorum de observantia huiusmodi de novo erigere et aedificare ... ferventer exoptant, quodque, si ecclesia B. Mariae de Palude vulgariter nuncupata, extra et prope dictos muros, quae a monasterio S. Stephani de Pinis, ordinis S. Benedicti, extra dictos muros dependet, et in qua fere nullus aut saltem modicus cultus in divinis exerceri solet, et ex qua ac quadam sibi pertinente vinea et horto ac hortalitio eidem continentibus abbas dicti monasterii pro tempore exsistens ultra viginti florenos auri de camera annuatim pro tempore percipere non consuevit, a dicto monasterio dismembraretur ac ordini antedicto in eadem pro loco et habitatione fratrum huiusmodi deputaretur ..., fratres inibi deputandi cum subventione civium necnon aliorum christifidelium domos et officinas et alias pro usu et habitatione sua necessarias mansiones, utpote claustrum, dormitorium et alia similia fratribus convenientia, construere et aedificare possent, parati quoque essent fratres praedicti in signum recognitionis bis in anno, videlicet in festivitatibus, quae in illo sollemniter celebrari solent, in ipso monasterio personaliter ac conventualiter se praesentare et inibi divina officia celebrare. Quare pro parte dictorum civium et habitatorum, asserentium, quod venerabilis frater Noster Bissarion, episcopus Tusculan., qui monasterium ipsum ex concessione Sedis Apostolicae obtinet in commendam, suum in praemissis omnibus paratus est praestare consensum, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi reppereris ita esse, praefatique episcopi et commendatarii ad hoc expressus accedat assensus, ecclesiam B. Mariae praedictam ordine S. Benedicti in ea prius suppresso ... ab eodem monasterio auctoritate Nostra separes ... et nihilominus ... praedictis civibus, habitatoribus ac fratribus praedictis in loco, ubi ecclesia ipsa B. Mariae consistit, unam domum cum ecclesia, claustro, dormitorio et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione perpetuis dictorum fratrum de observantia fundandi ... concedas. Nos enim universis et singulis fratribus in eadem domo de novo construenda pro tempore commoraturis, ut omnibus privilegiis ... uti et gaudere libere valeant, indulgemus per praesentes. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, VII idus februarii, ... anno III.

1339. Pro monialibus monasterii B. Mariae de Campomarzo, Veronen., O. S. Cl., confirmat litteras, quibus moniales O. S. Cl. eximuntur ab impositionibus et exactionibus ([2]).

1450, februarii 11, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacrae religionis, sub qua dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales monasterii B. Mariae Virginis de Campomarzo, Veronen., ordinis S. Clarae, sub cura et secundum instituta fratrum ordinis Minorum viventes *etc.* Hinc est, quod Nos, abbatissae et dictarum monialium supplicationibus inclinati, quasdam super exemptione et nonnullis aliis salubrem statum et libertatem monasterii et monialium huiusmodi inter cetera concernentibus a fel. rec. Eugenio papa IV, praedecessore Nostro, emanatas litte-

([1]) Reg. Lat. 456, f. 58 v. ([2]) Reg. Vat. t. 411, f. 136. — De monasterio Veronen. cf. supra n. 257, p. 119.

ras, quarum tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, qui est talis:

Eugenius etc.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet Romanus pontifex *etc. (ut supra n. 438, p. 205).*

Datum Florentiae, anno ... 1439, idibus augusti, ... anno IV.

Nos igitur, statui et indemnitatibus ac quieti et tranquillitati earumdem abbatissae et monialium monasterii B. Mariae Virginis de Campomarzo, Veronen., huiusmodi super hoc opportune providere cupientes, litteras praedictas cum omnibus in eis contentis clausulis tenore praesentium innovamus, approbamus, confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, III idus februarii, ... anno III.

1340. Mandat, ut eremitorium S. Benedicti, villae de Guadalfagiara (Guadalajara), Toletan. dioec., concedat Benedicto Abbatis de Guadalfagiara et Didaco Telles, O. F. M. (1).

1450, februarii 20, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii Montis salutis, Conchen. dioec.

Votis christidelium, in his praesertim, *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Benedicti Abbatis de Guadalfaiara, ordinis fratrum Minorum professoris, petitio continebat, quod olim eremitorio S. Benedicti villa de Guadalfaiara, Toletan. dioec., quo eremitis et gubernatore penitus quondam destituto venerabilis frater Noster Alfonsus, archiepiscopus Toletan., eremitorium ipsum sic destitutum eidem Benedicto per eum, quoad viveret, inhabitandum, tenendum et gubernandum sub certis modo et forma concessit et assignavit. Et deinde bonae mem. Antonius de Rusconibus de Cumis, praefati ordinis generalis minister, eidem Benedicto, ut quibusdam gratiis et exemptionibus gaudere posset et deberet, per alias suas litteras etiam concessit, prout in singulis archiepiscopi et generalis ministri huiusmodi litteris authenticis desuper confectis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Benedictus, qui, ut asserit, concessionis et assignationis earumdem vigore eremitorium ipsum una cum dilecto filio Didaco Telles, eiusdem ordinis professore, eremitorium ipsum aliquamdiu sub habitu et ordine huiusmodi Altissimo famulando et pietatis opera peragendo inhabitavit, tenuit et gubernavit ac illud in suis structuris et aedificiis multipliciter reparavit ac amplius reparare et conservare proponit, in futurum dubitet concessionem et assignationem sibi per archiepiscopum huiusmodi, ut praemittitur, factas ex certis causis viribus non subsistere seque super eodem eremitorio molestari posse tempore procedente, pro parte eiusdem Benedicti Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, eremitorium praedictum, dummodo tempore datae praesentium non sit in eo alicui specialiter ius quaesitum, cum domibus et habitationibus ac omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Benedicto per eum, quoad vixerit, una cum Didaco praefato et aliis duobus fratribus, quos idem Benedictus duxerit eligendos, eiusdem ordinis professoribus, tenendum, gubernandum et inhabitandum auctoritate Nostra concedas pariter et assignes, inducens *etc.* ac faciens ipsum Benedictum pacifica dicti eremitorii possessione necnon gratiis et exemptionibus per praefatum generalem ministrum concessis frui pariter et gaudere, non permittens *etc.* Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod post obitum dicti Benedicti eremitorium ipsum cum habitationibus, iuribus et pertinentiis supradictis conventui de Guadalfaiara et custodiae Toletan. eiusdem ordinis perpetuo unitum, annexum et incorporatum sit et esse censeatur, quodque ipsi Benedictus et alii fratres praedicti in eodem eremitorio pro tempore commorantes omnibus et singulis privilegiis *etc.* uti valeant pariter et gaudere, iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, X kal. martii, ... anno III.

1341. Confirmat privilegia sororum III O. S. Fr. collegii Perusini (2).

1450, februarii 25, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ex paternae charitatis officio *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenio papae IV, praedecessori Nostro, pro parte dilectarum in Christo filiarum Magdalenae de Perusio, generalis ministrae, ac universarum sororum tertii ordinis B. Francisci de poenitentia nuncupati [collegii Perusini] exposito, quod, licet olim a tempore Bonifatii papae IX in sua obedientia, de qua partes illae erant, tunc nuncupati praetextu cuiusdam confirmationis statutorum per bon. mem. Franciscum, tit. S. Susannae presbyterum cardinalem, factae, per quae eaedem sorores sub cura et regimine unius generalis ministrae, per easdem

(1) Reg. Vat. t. 411, f. 152v.

(2) Reg. Vat. t. 411, f. 180v. Cf. supra n. 1334, p. 685.

sorores pro tempore eligendae, vivere illique oboedire haberent, mulieres quoque saeculum fugientes et ad collegium huiusmodi pro tempore venientes ad ministram praefatam irent, ab ea et non ab alia vel alio huiusmodi tertii ordinis habitum reciperent et nonnulla alia, quae in dictis statutis, in ipsius cardinalis litteris insertis, plenius continebantur, facere tenerentur, iuxta quae ipsae sorores hactenus laudabiliter vixerant, prout laudabiliter vivebant, tamen pro eo, quod a nonnullis asserebatur, praefatum cardinalem confirmationem statutorum huiusmodi facere minime potuisse, et propterea dictas sorores excommunicationis sententiam aliasque censuras et poenas incurrisse, idem praedecessor, sub data videlicet XVIII kal. februarii, pontificatus sui anno IX, ipsas ministram et sorores ab omnibus excommunicationis sententiis aliisque censuris et poenis, quas praemissorum occasione forsan incurrerant, absolvens ac omnia et singula per eas alias rite gesta grata et rata habens, illa necnon praefata statuta quae in cancellaria apostolica inspici fecit diligenter, et quae ibidem rationabilia et honesta reperta fuerunt, ac omnia inde secuta auctoritate apostolica ex certa scientia confirmavit necnon illa in suis confectis litteris de verbo ad verbum inseri fecit (1). Et deinde, videlicet III idus aprilis, pontificatus eiusdem anno praedicto (2), idem praedecessor post praedictas per alias suas, per quas indultum et litteras dudum antea per eum dictae Magdalenae ministrae necnon omnibus aliis tunc exsistentibus sororibus dicti ordinis concessa, ut confessor, quem singulae ipsarum eligerent, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contritae et ore confessae essent, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem sub certis tunc expressis conditionibus, modis et formis eis auctoritate apostolica concedere valeret, indulserat, pro eo, quod nonnullae aliae mulieres diversas domos eiusdem ordinis ingressae erant et ingrediebantur in dies, cum conditionibus et formis in eis contentis etiam ad omnes et singulas sorores ordinem ipsum expresse professas, quae post ipsum indultum quasvis dicti ordinis domos ingressae fuerant et in antea ingrederentur ac in illis sub regularibus ipsius ordinis institutis perpetuo remanerent, extendit, et nihilominus eis ac singulis sororibus dicti ordinis tunc praesentibus et futuris, ut a quocumque saeculari vel regulari sacerdote idoneo eucharistiae et alia ecclesiastica sacramenta, quoties opportunum foret, recipere eidemque sacerdoti, ut illa eis ministrare necnon [ministrae generali], ut omnes et singulas sorores, quae pro tempore forent, propter excessus, crimina et delicta, si qua committerent, debite corrigere eisque poenas condignas infligere ac omnia et singula desuper necessaria et opportuna peragere posset, plenam et liberam licentiam et libertatem concessit, prout in singulis litteris supradictis plenius continetur. Quare pro parte ministrae ac sororum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut praemissis omnibus et singulis ac fundationibus, erectionibus, concessionibus sive donationibus S. Agnetis Perusin., Paradisi Civitatis Castelli, S. Elisabeth Assisinat., S. Ursulae Florentin., S. Mariae Magdalenae in Burgo S. Sepulchri, Civitatis Castelli dioec., domorum sive locorum eis a christifidelibus elargitorum cum omnibus iuribus et pertinentiis earumdem una cum insertis statutis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus, donationibus, legatis tam a praefato quam ab aliis praedecessoribus Nostris Romanis pontificibus et aliis quibuscumque personis eis et earum successoribus ac eisdem domibus sive locis concessis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... absolutiones, confirmationes, communitiones, suppletiones, insertionem, indulta, extensionem, statutum et ordinationem, fundationes, concessiones, erectiones et donationes praedicta ac omnia alia in singulis litteris tam praefati Eugenii quam aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum huiusmodi contenta et inde secuta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, ratificamus et confirmamus plenumque robur obtinere decernimus, supplentes omnes defectus, si qui intervenerint in eisdem. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, V kal. martii, ... anno III.

1342. Declarat domum S. Francisci Aesculan., O. F. M., ad fratres O. F. M. provinciae Apuliae legitime pertinere (3).

1450, februarii 27, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus S. Francisci, Aesculan., ordinis fratrum Minorum.

Sacrae religionis zelus *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet verisimiliter credatur, quod domus vestra S. Francisci, Aesculan., ordinis fratrum

(1) Vide supra n. 456, p. 213.

(2) Vide supra n. 416, p. 194. Non recte dicitur *post Bullarii Franciscani t. VIII. praedictas*, quia litterae primo loco nominatae posterius datae sunt.

(3) Reg. Vat. t. 411, f. 97

Minorum fratribus, provinciae Apuliae, eiusdem ordinis, concessa seu per illos vel pro eis fundata et constructa canonice fuerit, ac domus per dictos fratres per centum annos et ultra pacifice tenta seu possessa fuerit, prout adhuc per vos tenetur et possidetur, tamen pro eo, quod super hoc litterae apostolicae seu instrumenta publica vel alia documenta non apparent, dubitatis super ipsa domo per aliquem molestari posse tempore procedente. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, in praemissis illo volentes vobis remedio succurrere, per quod huiusmodi inquietationibus et molestiis a vobis penitus semotis quietum et tranquillum sub habitu religionis huiusmodi valeatis in domo praedicta Altissimo reddere famulatum, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod domus ipsa ad vos spectet et pertineat, ac vos illam habitare libere et licite possitis et valeatis, quodque domus ipsa aliis fratribus seu personis ecclesiasticis etiam saecularibus ad eam inhabitandam seu ad alterum quemcumque usum per Nostras vel Sedis Apostolicae seu alias quascumque litteras, etiam motu proprio et ex certa scientia ac sub quibuscumque formis vel expressionibus verborum concessas seu in antea concedendas, dari, concedi et assignari quomodolibet nullatenus valeat, nisi in ipsis concedendis de praesentibus de verbo ad verbum specialis, specifica et expressa, non autem per generales seu alias expressam mentionem importantes clausulas, mentio fiat, quodque vos et praefata domus ac in illa pro tempore commorantes fratres omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite possitis ac valeatis, auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium statuimus et decernimus ac vobis concedimus pariter et indulgemus, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Patrum, anno ... 1449, III kal. martii, ... anno III.

1343. Mandat, ut fratribus domus Antwerpien., O. F. M. de observ., concedat licentiam transeundi ad alium locum aptiorem eiusdem oppidi (1).

1450, martii 2, Romae.

Dilectis filiis abbati monasterii S. Michaelis Antwerpien. et decano ecclesiae S. Petri Lovanien., Cameracen. et Leodien. dioec.

Ex supernae providentia maiestatis *etc.* Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum universitatis oppidi Antwerpien., Cameracen. dioec., ac guardiani et fratrum novae domus de observantia B. Francisci, eiusdem oppidi, Nobis fuit expositum, quod iam pluribus elapsis annis domus ipsa in praedicto oppido ad hoc situata fuit, ut fratres in ea commorantes cum honestate commorari et Altissimo famulari possent, verum, quia domus ipsa lenonum seu meretricum habitationibus sic circumdata est, quod fratres ipsi, etiam quando divinis nituntur obsequiis, propter ipsos lenonum et meretricum clamores aut alias saepenumero perturbantur, quinimo ipsi lenones aut alii ipsis fratribus malevoli in eadem domo semel incendium imposuerunt, propter quod oppidani praefati oppidi, praemissa mature considerantes et clare videntes aliter super his remedium adhiberi non posse, quemdam alium locum ad id aptum et honestum in eodem oppido pro usu et habitatione dictorum fratrum assignare proposuerunt, deliberaverunt et ordinaverunt. Quare pro parte universitatis, guardiani et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos aut alter vestrum de praemissis ... vos diligenter informetis et, si per huiusmodi informationem praemissa fore vera reppereritis, guardianum et fratres praedictos cum libris et omnibus ornamentis ac paramentis et aliis rebus ad cultum divinum deputatis ad praefatam domum seu primum locum pertinentibus pro alia domo seu novo et secundo loco cum ipsa secunda domo pro ipsorum guardiani et fratrum usu et habitatione, qui sub obedientia vicarii ministri provincialis illius provinciae seu patriae esse debeant, praefata auctoritate Nostra deputetis et assignetis cuiusvis super hoc licentia et assensu minime requisitis. Nos enim, si translationem, deputationem et assignationem huiusmodi per vos aut alterum vestrum fieri contigerit, ut praefertur, guardianis et fratribus in ipso loco eisdem assignando, praesentibus et futuris, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, VI nonas martii, ... anno III.

1344. Confirmat transactionem de bonis relictis a Bernardino de Lapis, laico, inter fratres domus S. Francisci Bononien., O. F. M., et Nicolaum de Lapis, canonicum Bononien. (2).

1450, martii 14, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Stephani Bononien.

Ea, quae ad submovendas quaestionum materias *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum

(1) Reg. Vat. t. 411, f. 149; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 41.

(2) Reg. Vat. t. 411, f. 200. — De domo Bononien. cf. supra n. 271, p. 124.

ministri, custodis, guardiani, administratorum et aliorum fratrum domus S. Francisci Bononien., ordinis fratrum Minorum, necnon ad ipsius domus commodum et utilitatem per Sedem Apostolicam deputatorum camerae apostolicae syndicorum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet olim quondam Bernardinus de Lapis, laicus, qui condens de bonis suis in eius voluntate ultima testamentum atque codicillos in illis inter alia voluisset et ordinasset, quod post eius obitum de huiusmodi bonis una capella cum altari in ecclesia dictae domus iuxta ipsius ecclesiae campanile vetus super archis supra monumenta ascendentium sive progenitorum suorum defunctorum in certum tunc expressum eventum construi et erigi ac pro celebrandis ad ipsum altare missis dotari deberet, tamen dicto testatore vita functo et de diversis debitis, quae ipse in vita sua tam cum dilecto filio Nicolao de Lapis, canonico Bononien., utriusque iuris doctore, fratre suo, quam etiam cum nonnullis aliis eius creditoribus in quibusdam pecuniarum summis et rebus aliis diversis ex causis per prius contraxerat, creditoribus eisdem, prout pro illorum indemnitate et animae ipsius testatoris exoneratione fieri de necessitate oportebat, integre satisfacto, cum de bonis praedictis, quae ad satisfactionem ipsam vix suffecerant, nihil aut modicum superesset, voluntas et ordinatio testatoris huiusmodi adimpleri minime potuerunt. Et, sicut eadem petitio subiungebat, cum minister, custos, guardianus, administratores et fratres necnon syndici praefati praemissa provide attendissent et attente considerassent, quod dictus Nicolaus super bonis eisdem litigando in iudicio quamdam sententiam pro se et contra eos obtinuerat, syndici nomine dictae camerae pro praedictis domo et fratribus et Nicolaus praefati pro se suisque haeredibus et concordia ad talia conventiones et pacta invicem devenerunt, quod videlicet syndici dicto nomine pro eisdem domo et fratribus omnia bona et iura necnon actiones tam activas quam passivas eis ratione relictorum per testatorem huiusmodi quomodolibet competentia et competentes eidem Nicolao cederent et darent, prout cesserunt atque dederunt, Nicolaus et haeredes praedicti ad dandum et solvendum guardiano, fratribus et domui pro eis syndicis aut camerae praedictis summam ducentarum librarum Bononien. se specialiter obligarent, prout obligarunt, ac exinde eis certa haereditaria bona eiusdem testatoris tunc expressa realiter assignarent, prout assignarunt, et nonnulla alia partes ipsae inter se ordinarunt et fecerunt, prout etiam de dicta sententia in quibusdam instrumentis publicis exinde confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte tam Nicolai quam syndicorum, ministri et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, sententiam, transactionem, compositionem, concordiam, conventiones, pacta et quo ad illa in instrumentis contenta ac inde secuta huiusmodi auctoritate Nostra approbes et confirmes, supplendo *etc.*, non obstantibus *etc.*

Datum Laterani, anno ... 1449, pridie idus martii, ... anno III.

1345. Committit 3 cardinalibus, ut se informent et referant de vita et miraculis B. Bernardini de Senis O. F. M. (1).

1450, martii 16, Romae.

Venerabili fratri Francisco, episcopo Portuen., sanctae Romanae ecclesiae vicecancellario, et dilectis filiis Guillelmo, titulo S. Martini in Montibus presbytero, et Petro S. Mariae Novae diacono cardinalibus.

Dudum fel. rec. Eugenius papa IV, praedessor Noster, bonae mem. Nicolao, titulo S. Marcelli presbytero, et Alberto, S. Eustachii diacono, ac tibi, Guillelmo, titulo S. Martini in Montibus presbytero cardinalibus, sub data Romae apud S. Petrum, anno ... 1445, XVII kal. maii, pontificatus sui anno XV, commissionem fecit in haec verba:

Sancta fidelium mater *etc. (ut supra n. 895, p. 434 usque ad verba* omni studio et diligentia exsequantur).

Et cum post factam commissionem praedictam eisdem praedecessore ac S. Marcelli et S. Eustachii cardinalibus viventibus supradictis religiosae memoriae frater Bernardinus novis continuo miraculis coruscaverit, prout in dies coruscare dicitur, Nos eamdem commissionem, prout a dicto praedecessore Nostro facta fuit, bonae mem. Iohanni, episcopo Praenestin., cardinali Tarentin., ac vobis Guillelmo et Petro praedictis per litteras Nostras fecimus, prout in eisdem litteris latius continetur (2). Cum autem postmodum dictus quondam Iohannes diem suum clauserit extremum, et loco eiusdem Iohannis venerabilem fratrem Nostrum Bessarionem, episcopum Tusculan., tunc basilicae duodecim apostolorum presbyterum cardinalem, per alias No-

(1) Reg. Vat. t. 411, f. 183; Wadd. *Ann.* ad a. 1449, n. 9.

(2) Vide supra n. 1069, p. 539.

stras litteras (1) subrogaverimus et nuper ipsum Bessarionem episcopum in civitate Nostra Bononien. Sedis Apostolicae legatum constituerimus, Nos etiam omnia et singula, prout superius enarrantur, circumspectioni vestrae apostolica auctoritate committimus per praesentes, dantes quoque vobis et concedentes omnes et singulas facultates, quae in eiusdem praedecessoris ac eisdem Nostris litteris continentur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1449, XVII kal. aprilis, ... anno III.

1346. Mandat, ut Augustino de Ferraria, O. F. M., familiari et capellano papae, conferat prioratum S. Michaelis Ferrarien., O. S. Ben. (2).

1450, martii 27, Romae.

Venerabili fratri episcopo Spoletan. et dilectis filiis archipresbytero ac Theodosio de Specie, canonico ecclesiae Ferrarien.

Grata familiaritatis obsequia, quae dilectus filius Augustinus de Ferraria, ordinis fratrum Minorum et theologiae professor, familiaris Noster, Nobis hactenus impendit et adhuc sollicitis studiis impendere non desistit, necnon religionis zelus *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, prioratus S. Michaelis Ferrarien., ordinis S. Benedicti, quem quondam Gaspar de Mantua ... obtinebat, per obitum eiusdem Gasparis ... vacet ad praesens, Nos praefato Augustino, qui etiam capellanus et continuus commensalis Noster exsistit, ut in suis necessitatibus aliquod valeat suscipere relevamen, ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus ... prioratum praedictum, qui ... a monasterio S. Genesii de Brixello, dicti ordinis, Parmen. dioec., dependet ac per illius monachos gubernari consuevit, cuiusque fructus ... centum et viginti florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, ... praefato Augustino per eum, quoad vixerit, tenendum, regendum et etiam gubernandum auctoritate Nostra commendare curetis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VI kal. aprilis, ... anno IV.

1347. Revocat litteras, quibus domum oppidi Maghlonien., Cameracen. dioec., O. F. M., fratribus conventualibus restituerat eamque iterum observantibus concedit (3).

1450, martii 31, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Romanus pontifex, pacis et iustitiae praecipuus conservator *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, ex quorumdam veridicorum relatione sic informatus exstitit, quod in domo Maghlonien. oppidi, ordinis fratrum Minorum, Cameracen. dioec., tam temporum causante malitia quam etiam personarum in dicta domo tunc degentium culpa seu negligentia vel malitia nulla vigebat observantia regularis, divinus negligebatur cultus, nec sperabatur, quod absque alia provisione aliqua inibi in spiritualibus provenirent incrementa, quodque nonnulli ex scabinis et consulibus et incolis dicti oppidi domum ipsam ad regularem observantiam reduci desiderabant, motu proprio per suas litteras auctoritate apostolica ex certa scientia inter alia statuit, decrevit et ordinavit, quod ex tunc in praefata domo regularis observantia fieret et perpetuo observaretur, quod dicta domus per fratres ordinis et observantiae huiusmodi iuxta illorum ritus et mores, statuta, consuetudines ac eis concessa apostolica privilegia gubernaretur et regeretur, necnon generali ultramontano et provinciae Coloniae provinciali vicariis ordinis et observantiae eorumdem pro tempore exsistentibus in omnibus et per omnia subiecta exsisteret, ipsique vicarii vel alter eorum per se vel alium seu alios corporalem dictae domus possessionem apprehendere et in ea fratres ordinis et observantiae praefatorum ponere ac illam iuxta mores, statuta et privilegia supradicta ad instar aliarum ordinis et observantiae domorum huiusmodi seu locorum regere et gubernare possent ac valerent, necnon praecipiendo mandavit guardiano et fratribus conventualibus nuncupatis in dicta domo tunc degentibus, ut infra sex dierum spatium a die notitiae earumdem litterarum computandorum a praefata domo recederent nec ad illam ulterius reverterentur, nisi infra eosdem dies ad eamdem observantiam se reducerent, et quod fratres ordinis et observantiae huiusmodi, quominus domum eamdem cum libris, calicibus, paramentis et aliis ornamentis assequi et in ea permanere valerent, nullatenus impedire praesumerent, et etiam in guardianum et fratres conventuales praefatos aliosque omnes et singulos tam laicos quam ecclesiasticos, qui contra mandatum praedictum quomodolibet facere auderent, excommunicationis sententiam promulgavit ac ulterius effectum seu exsecutionem litterarum huiusmodi cuiusvis exceptionis, subreptionis vel nullitatis proponendae seu appellationis interponendae praetextu per ipsos guardianum et fratres conventuales aut quosvis alios directe vel indirecte quomodolibet impe-

(1) Vide supra n. 1268, p. 652. (2) Reg. Vat. t. 411, f. 241. — De Augustino de Ferraria cf. supra n. 1104, p. 558. (3) Reg. Vat. t. 392, f. 8.

diri nullatenus posse auctoritate et scientia praefatis decrevit, et deinde ad audientiam Nostram deducto, quod guardianus et conventuales fratres in domo huiusmodi positi ex ea vigore litterarum praedictarum expulsi fuerant, quodque ex litteris ac expulsione praedictis et aliis inde secutis multa, prout verisimiliter praesumebatur, dissensiones et scandala provenire possent ac alias incolae et habitatores praefati oppidi pro eorum maiori parte commutationem praemissam moleste ferebant cupiebantque domum eamdem ad pristinum statum reduci, necnon et pro parte fratrum conventualium praedictorum, inter alia asserentium, quod ipsi per plures annos ante expulsionem huiusmodi in eadem domo iuxta consuetudinem a 10, 20, 30, 40, 50 et 60 antea annis inibi observatam bene et laudabiliter permanserant, prout et tempore datarum litterarum permanebant, a litteris et expulsione praefatis ac nonnullis aliis etiam praetextu earumdem litterarum illatis gravaminibus ad Nos et Sedem praefatam appellatum exstitit, Nos ex certis tunc Nobis suggestis causis omnes et singulas lites et causas inter conventuales ac de observantia nuncupatos fratres praefatos super et pro praedicta domo et aliis provinciae Colonien., eiusdem ordinis, domibus vel earum aliqua tam in Romana curia quam extra eam ex specialibus apostolicis seu Nostris commissionibus vel litteris forsan indecisas pendentes ad Nos certarum litterarum Nostrarum serie advocantes ac in eventum faciendarum cassationis et repositionis penitus exstinguentes necnon dilectis filiis Antonio de Rusconibus et Iohanni de Mauberto ac aliis ordinis et observantiae praedictorum professoribus ac eorum cuilibet, quod de cetero ante exsecutionem litterarum earumdem praetextu aliarum Nostrarum quarumvis aut praedecessoris litterarum sub quibusvis formis aut verborum expressionibus olim emanatarum vel alias quomodolibet de aliis quibusvis domibus dicti ordinis infra provinciam Colonien. huiusmodi consistentibus ac guardianis et fratribus in illis interim exsistentibus se aliqualiter impedire aut earum guardianos et fratres huiusmodi ad illas dimittendas compellere seu alias quomodolibet molestare et sub excommunicationis poena, quam ex tunc in singulos ex eis contrafacientes earumdem Nostrarum litterarum serie protulimus ac etiam promulgavimus, non auderent nec praesumerent, districtius inhibentes ac etiam illos omnes et singulos ex guardianis et fratribus expulsis praedictis necnon quoscumque alios, cuiusvis gradus, status, ordinis vel conditionis exsistant, qui monitis et mandatis eis per litteras praedecessoris huiusmodi seu earum praetextu olim forsan factis, debite non paruerunt, ab omnibus ... sententiis, censuris et poenis ... absolventes ... ac cum ecclesiasticis ex eisdem super irregularitate ... dispensantes ... ac mandantes venerabili fratri Nostro episcopo Cameracen. et duobus aliis suis in hac parte collegis ipsorum propriis nominibus non expressis, quatenus ipsi ... de relatis Nobis praedictis omnibus et singulis absque eo, quod ad id Antonius et Iohannes ac alii ordinis observantiae professores huiusmodi vel eorum aliquis tunc evocentur seu evocetur, inquirerent auctoritate Nostra diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi ea vera esse invenirent, tam de mense februarii praedictas quam etiam omnes alias et singulas praefati praedecessoris etiam motu proprio et ex certa scientia Antonio, Iohanni et aliis ordinis et observantiae huiusmodi professoribus coniunctim vel divisim concessas seu directas ac alias quomodolibet in favorem fratrum observantiae huiusmodi et contra guardianos et fratres conventuales praefatarum domorum emanatas litteras et facultates, quascumque etiam praesentium derogatorias clausulas in se continentes, necnon processus habitos per easdem, quorum omnium tenores, acsi de verbo ad verbum inserta forent, necnon aliorum domorum nomina, cognomina, loca, qualitates et quantitates litiumque et causarum praefatarum status pro expressis habentes, ac quaecumque inde secuta quoad oppidi et alias domus provinciae huiusmodi dumtaxat cassare, revocare et annullare eadem auctoritate Nostra curarent, necnon oppidi et alias domos praefatas ac etiam guardianos et fratres conventuales nuncupatos dicti ordinis omnes et singulos in pristinum et eum statum, in quo ante datas praedecessoris praefati primo confectarum litterarum huiusmodi exsistebant, eadem auctoritate Nostra restituerent atque reponerent ac ulterius, quod in oppidi et aliis domibus provinciae huiusmodi sub cura et obedientia generalis totius ordinis praefati ac provincialis dictae provinciae iuxta morem ordinis huiusmodi pro tempore exsistentium et non sub dictis vicariis perpetuo vivere et degere debeant, auctoritate Nostra praefata statuerent, decernerent et declararent, ac ulterius guardiano et fratribus de dicta observantia in domo oppidi huiusmodi praesentialiter exsistentibus, ut infra sex dies a die intimationis dictarum litterarum Nostrarum eis faciendae computandos a domo praefata recedere illamque vacuam, liberam et expeditam cum libris, calicibus et aliis ornamentis ecclesiasticis ceterisque mobilibus rebus et bonis in ea nunc praesentialiter consistentibus fratribus conventualibus supradictis dimittere studerent et procurarent, necnon tam ipsis

quam etiam vicariis et provincialibus ac aliis fratribus ordinis et observantiae huiusmodi praesentibus et futuris, ne de cetero ullo umquam tempore per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, quovis quaesito colore contra cassationem, restitutionem, statutum, decretum et declarationem vigore dictarum Nostrarum litterarum facienda huiusmodi vel aliquam eorum partem venire, facere vel attentare auderent vel praesumerent, etiam sub poena excommunicationis huiusmodi eadem auctoritate Nostra districtius inhibere studerent dictosque fratres conventuales in corporalem possessionem domus oppidi huiusmodi eiusque iurium et pertinentiarum omnium inducerent praefata auctoritate Nostra et defenderent inductos amotis guardiano et fratribus observantiae huiusmodi et aliis quibuslibet detentoribus ab eisdem, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur. Cum autem, sicut dilectus filius nobilis vir Philippus, dux Burgundiae, Nobis nuper significare curavit, si Nostrae litterae praedictae effectum consequerentur, devotio fidelium partium earumdem, quae ad dictos fratres de observantia ingens est, valde tepesceret, et id eis valde molestum esset adeo, quod dissensiones et scandala quamplurima verisimiliter subsequerentur, maxime cum devotio ipsa tantum creverit, quod dicti fideles cum consilio ipsorum fratrum de observantia a vitiis se retrahunt et in via Domini dirigunt gressus suos, pro parte ducis dicti Nobis fuit humiliter supplicatum, ut praedictas et quascumque alias in favorem dictorum fratrum conventualium quoad praemissa a Nobis emanatas litteras cassare et annullare necnon Eugenii praedecessoris litteras huiusmodi confirmare et approbare aliasque statui et indemnitati ipsorum fratrum de observantia in praemissis providere opportune de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, dictorum fratrum de observantia laudabilem vitam et fructuosa opera plurimum in Domino commendantes ac cupientes, ut praedictorum fidelium devotio non tepescat, sed potius augeatur, necnon dissensionibus et scandalis obvietur, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictas Nostras et quascumque alias in favorem dictorum fratrum conventualium super praemissis vel eorum occasione a Nobis emanatas litteras, illarum tenores atque formas praesentibus pro expressis habentes necnon processus habitos per easdem et quaecumque inde secuta, auctoritate apostolica ex certa scientia tenore praesentium revocamus, cassamus et annullamus ac pro nullis et infectis haberi volumus, Eugenii vero praedecessoris litteras huiusmodi et per eas habitos processus et inde secuta quaecumque eisdem auctoritate et scientia et tenore confirmamus et approbamus ac praedictos fratres de observantia et domum oppidi huiusmodi in pristinum et in eum, in quo antequam litterae Nostrae huiusmodi emanarent, exsistebant, statum restituimus et reponimus ac ipsis guardiano et fratribus conventualibus et etiam dictis ministris super eadem domo oppidi huiusmodi et aliis praemissis quibuscumque ipsis fratribus de observantia contrariis perpetuum silentium imponimus, decernentes et declarantes ipsos fratres de observantia ex eo, quod contentis in dictis Nostris litteris forsan non paruerint, excommunicationis sententiam seu alias poenas in dictis litteris forsan contentas minime incurrisse. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae ... 1450, pridie kal. aprilis, ... anno IV.

1348. Ampliat licentiam olim concessam circa ingressum in clausuram monasterii S. Clarae de humilitate B. Mariae de Longocampo, Parisien. dioec., O. S. Cl. (1).

1450, aprilis 1, Romae.

Dilectis in Christo filiabus nobilibus mulieribus Margaritae de Aurelianis, relictae quondam Ricardi de Britannia, comitis Stamparum, viduae, Suessionen. dioec., et Mariae ac Magdalenae eius natis.

Pura fides et sincera devotio ... ac inclita et generosa regum prosapia, ex qua traxistis originem, promerentur *etc.* Dudum siquidem vobis, quod in altero S. Clarae de humilitate B. Mariae de Longocampo vel S. Clarae de Custodia, alias de Guischia, prope Blesis, Parisien. et Carnoten dioec., monasteriorum, in quibus sub honesto et devoto habitu, non tamen monastico, recludi perpetuo ardenter appetebatis, cum tribus aliis mulieribus idoneis virginibus bonae famae aut viduis de incontinentia non suspectis, quae vobis, quamdiu simul vel successive vitam in humanis duxeritis, in omnibus licitis et honestis, prout contigerit, servire possent, introire vosque et ipsae servientes intra claustrum eiusdem monasterii, dummodo inibi benevolas inveniretis receptrices, perpetuo stare et inter moniales aut seorsum commorari possetis, per alias Nostras litteras (2) gratiose concessimus *etc.* Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos in eodem

(1) Reg. Vat. t. 395, f. 4v.

(2) Vide supra n. 1216, p. 620.

monasterio S. Clarae de humilitate B. Mariae de Longocampo sub devoto atque honesto, non tamen monastico, habitu recluseritis et inibi sub suavi contemplationis iugo soli Deo deservire disposueritis, ac iuxta status vestri exigentiam dictae tres mulieres non sufficiant, contingatque etiam, quod nobiles viri Franciscus de Britanniae, natus, et Guillelmus de Challon, gener tui, Margaritae, ac alias mulieres vos interdum visitare affectant, quod facere non possint, nisi eis super hoc per Sedem Apostolicam licentia concedatur, pro parte vestra *etc.* Nos igitur ... vobis, quod in monasterio S. Clarae tres alias mulieres ... assumere et loco unius vel aliarum infirmitatibus oppressae vel oppressarum aut decedentium aliam seu alias recipere et assumere usque ad numerum sex aut minus, prout vobis videbitur, recipiendi et in eodem monasterio retinendi, necnon nato, genero et singulis aliis mulieribus honestis vos vel aliquam ex vobis visitare volentibus praefatum monasterium, de consensu tamen illius abbatissae pro tempore exsistentis, absque alicuius spiritualis vel temporalis poenae incursu, quoties eis placuerit, intrandi et inibi commorandi, dummodo ibidem non pernoctent, plenam et liberam licentiam elargimur. Et insuper vobis ac praefatis mulieribus sic servientibus usque ad numerum sex tam praesentibus quam futuris vere poenitentibus et confessis, quod die Veneris sancta et in festivitate B. Mathiae ecclesiam dicti monasterii S. Clarae visitando illas indulgentias habeatis et consequamini, quas habent et consequuntur ii, qui capellam regiam Parisien. die Veneris sancta, necnon ecclesiam monasterii S. Dionysii, Parisien. dioec., S. Mathiae diebus praedictis visitant, facta tamen per vos et mulieres praedictas secundum iudicium confessorum ... aliqua poenitentia salutari auctoritate apostolica concedimus per praesentes. Praeterea, cum, sicut accepimus, servitores vestri, infra ambitum dicti monasterii S. Clarae et extra clausuram huiusmodi commorantes, diebus sollemnibus pro divinis officiis ad parochialem ecclesiam B. Mariae de Parvabolonia, dictae Parisien. dioec., infra cuius metas dictum monasterium S. Clarae exsistit et ab ipsa ecclesia per unum milliare distare dignoscitur, commode accedere non possint, eisdem servitoribus utriusque sexus durante tempore vestro dumtaxat diebus praedictis in eodem monasterio divina audire et a confessoribus monialium dicti monasterii S. Clarae seu a capellano vestro confiteri necnon beneficium absolutionis et omnia ecclesiastica recipere libere et licite valeant, iure tamen dictae parochialis ecclesiae quoad hoc in omnibus semper salvo eadem auctoritate tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, kalendis aprilis, ... anno [*deest*].

1349. Cornelium Wilhelmi, O. F. M., pro quo, ut capellano eorum, nobiles viri Wolfardus de Borsalia, comes Bochaniae, et Henricus de Borsalia, dominus locorum de Veris, de Zandenburcg et de Hemsrode supplicaverant, instituit suum et Apostolicae Sedis capellanum (1).

1450, aprilis 4, Romae.

Virtutibus clarens *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, pridie nonas aprilis, ... anno IV.

1350. Antonio de Ruppe, O. F. M., pro quo Antonius de Croy, comes de Porcien., ut confessore Margarethae uxoris suae, supplicaverat, concedit facultatem recipiendi in commendam beneficium ecclesiasticum (2).

1450, aprilis 10, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, IV idus aprilis, ... anno IV.

1351. Concedit indulgentias pro domo O. F. M. de observ. in loco Dyogh, Transsilvan. dioec., a Iohanne de Hunyad, gubernatore Hungariae fundata (3).

1450, aprilis 12, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, Iohannes de Hunyad, gubernator generalis totius regni Hungariae, ... de bonis sibi a Deo collatis in loco Dyogh, Transsilvan. dioec., unam domum cum claustro, refectorio, dormitorio et aliis necessariis officinis ad usum et habitationem perpetuos quorumdam professorum ordinis Minorum inibi die noctuque sub regulari dicti ordinis observantia conventualiter permanere ac divina officia celebrare debentium construi et erigi fecerit, Nos, cupientes, quod ecclesia praedicta congruis honoribus frequentetur eiusque ac praefatae illius domus structurae et aedificia conserventur, amplientur et, dum opus fuerit, debite reparentur, ipsaque ecclesia ornamentis ecclesiasticis decoretur, et ut fideles ipsi eo libentius *etc.*, omnibus vere

(1) Reg. Vat. t. 393, f. 333 v. (2) Reg. Vat. t. 396, f. 194. (3) Reg. Vat. t. 391, f. 249 v.

poenitentibus et confessis, qui in annuntiationis et assumptionis gloriosae et beatae Mariae Virginis, Dei genitricis, festivitatibus dictam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad conservationem, ampliationem seu provisionem eamdem huiusmodi manus adiutrices porrexerint, singulis videlicet festivitatum earumdem diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint et manus adiutrices porrexerint, ut praefertur, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, pridie idus aprilis, ... anno IV.

1352. Abbati monasterii de Benifaçano, Dertusen., mandat, ut litteras apostolicas pro parte nobilis viri Iohannis de Cardona, comitis de Prades, Terraconen. dioec., concessas, tamquam per dolum et subreptionis astutiam extortas, casset et annullet, quibus inter alia impetraverat, ut mille et quingenti solidi e fructibus baroniae de Turribus, Valentin. dioec., recipiendi et in anniversariis et missis pro anima Sanciae, comitissae de Prades et dominae baroniae de Turribus, in ecclesia monasterii O. S. Cl. Valentin. annis singulis decantandis exponendi assignentur super fructibus hospitalis pauperum de Colle Balaguerii (1).

1450, aprilis 15, Romae.

Romani pontificis providentia circumspecta *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XVII kal. maii, ... anno IV.

1353. Confirmat testamentum Roberti, episcopi Vulterran., tunc vicarii in spiritualibus Urbis, conditum die 17 februarii 1450, cuius tenorem inseri facit. In fine testamentii inter testes praesentes nominantur frater Iohannes de Capistrano, O. F. M., et frater Iohannes Campli, eiusdem ordinis (2).

1450, aprilis 19, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Sincerae devotionis affectus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XIII kal. maii, ... anno IV.

1354. Confirmat concessionem monasterii S. Iuliani de Monte, Legionen. dioec., O. Praed., factam fratribus III O. S. Fr., et assumptionem habitus O. Praed. per eosdem fratres (3).

1450, aprilis 21, Romae.

Venerabili fratri episcopo Asturicen.

Circumspecta Sedis Apostolicae benignitas *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum prioris et conventus monasterii S. Iuliani de Monte, ordinis fratrum Praedicatorum, Legionen. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias dilecti filii decanus et capitulum ecclesiae Legionen. monasterium praedictum, tunc domum sive eremitorium dicti sancti ac quamdam vineam cum nonnullis decimis et pertinentiis aliisque iuribus et pertinentiis tunc expressis fratribus tertii ordinis S. Francisci in domo sive eremitorio huiusmodi pro tempore commorantibus perpetuo libere donarunt et assignarunt, quodque postmodum nonnulli ex fratribus tertii ordinis huiusmodi, postquam ipsi domus, vineae, decimarum iuriumque et pertinentiarum eorumdem possessionem adepti fuerant illasque per longa tempora pacifice et quiete possederant, in ipsa domo secundum instituta regularia ordinis fratrum Minorum Altissimo vota sua persolventes, cupientes disponentesque vitam eorum in melius commutare, sana et matura inter se praehabita deliberatione habitum fratrum Praedicatorum huiusmodi assumpserunt, sub quo in domo praedicta sub denominatione monasterii secundum instituta regularia ordinis dictorum fratrum Praedicatorum hactenus laudabiliter vixerunt, prout degunt ad praesens. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, venerabilis frater Noster episcopus Legionen. necnon decanus et capitulum praedicti, ne super donatione et assignatione ac aliis praemissis successu temporis molestari et inquietari contingeret, eis monasterium, tunc domum, vineam, decimas, primitias, iura et pertinentias supradicta in omnibus et per omnia denuo concesserunt, donarunt pariter et assignarunt, prout in instrumentis publicis inde confectis dicitur plenius contineri, pro parte prioris et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et ... concessionem, donationem et assignationem necnon translationem praefatas et ea, quae circa illa ac habitus assumptionem huiusmodi per ipsos priorem et fratres facta fuere, omnia et singula in dictis instrumentis contenta ac quaecumque inde secuta eadem auctoritate approbes et confirmes, supplendo *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XI kal. maii, ... anno IV.

---

(1) Reg. Lat. t. 458, f. 63v. Cf. supra n. 1254, p. 645.
(2) Reg. Vat. t. 411, f. 216.
(3) E *bull. ord. fr. Praed.* t. III, p. 279, n. 55.

1355. Mandat, ut Thaddaeam de Salerna, monialem monasterii S. Agathae, Papien., O. S. Cl., absolvat a censuris et peccatis eique concedat licentiam transeundi ad alium ordinem (1).

1450, aprilis 21, Romae.

Venerabili fratri episcopo et dilecto filio Antonio de Alasia, canonico Papien.

Promptum et benevolum libenter illis favorem impendimus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Thaddaeae de Salerna, monialis monasterii S. Agathae Papien., ordinis S. Clarae, petitio continebat, quod ipsa olim, considerans, quod in dicto monasterio, in quo professionem per illius moniales emitti solitam emisit regularem, tam propter eiusdem monasterii malum regimen et dicti ordinis regulae inibi non observantiam ac etiam laicorum ad ipsum monasterium confluentium frequentem aditum quam ex certis aliis rationabilibus causis cum animi sui quiete et sana conscientia amplius remanere non posset, superioris sui licentia non obtenta dictum monasterium exivit et ad domum parentum suorum est reversa, habitu tamen regulari per eam retento. Quare pro parte eiusdem Thaddaeae *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... committimus et mandamus, quatenus ... eamdem Thaddaeam, si hoc humiliter petierit, ab excommunicationis sententia, si quam iuxta dicti ordinis regularia instituta vel alias quomodolibet occasione praemissorum incurrit, necnon a quibuscumque aliis peccatis suis, de quibus vobis ore confessa et corde contrita fuerit, nisi talia sint, propter quae Sedes Apostolica veniat merito consulenda, auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvatis in forma ecclesiae consueta, iniunctis *etc.* Et nihilominus praefatae Thaddaeae, ut ad alium ordinem paris vel arctioris observantiae regularis, in quo benevolas invenerit receptrices, transire et in eo sub illius habitu et observantia regularibus perpetuo remanere libere et licite valeat, eadem auctoritate licentiam concedatis. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XI kal. maii, ... anno IV.

1356. Confirmat conventionem inter fratres domus B. Mariae de Angelis, alias S. Blasii, extra muros Segobricen., O. F. M. de observ., et Franciscum Medina, laicum Segobricen., factam de certo legato (2).

1450, aprilis 22, Romae.

Venerabili fratri episcopo Barchinonen. et dilectis filiis abbati S. Bernardi extra muros Valentin. ac officiali Valentin.

Ad ea Romanus pontifex *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus B. Mariae de Angelis, alias S. Blasii, extra muros Segobricen., ordinis fratrum Minorum sub regulari eiusdem ordinis observantia degentium, ac Francisci Medina, civis Segobricen., de bonis sibi a Deo collatis condens in eius voluntate ultima testamentum, dictum Franciscum, nepotem suum, in huiusmodi testamento sibi universalem haeredem instituerat, adiiciens inter alia, quod praefatus haeres de fructibus bonorum huiusmodi tres pannos de lana pro vestibus fratrum eiusdem domus annis singulis dare teneretur, ac praefato testatore vita functo idem Franciscus, institutionis huiusmodi vigore dictorum bonorum possessionem assecutus, per aliquos annos eisdem fratribus dictos pannos dederat, praefati guardianus et fratres, attente considerantes se iuxta eorum regulam huiusmodi legato uti non posse nec etiam illo egere, pro eo, quod annuatim tot illis erogabantur eleemosynae, quod ex eis decenter vestiri poterant, ac considerantes, quod domus ipsa, quam de novo acquisiverant, multis ornamentis pro sacristia, domo et infirmaria, quibus carere noscebantur, dilectis filiis vicario et capitulo fratrum ordinis et observantiae praedictorum id approbantibus cum dilecto filio Iohanne Medina, cive Segobricen. ac patre et legitimo administratore eiusdem Francisci impuberis et haeredis dicti Bernardi, concordarunt, quod ipsi guardianus et fratres dicto legato renuntiarent, prout et renuntiarunt, ac praefatus Iohannes promitteret, prout et promisit, certam tunc expressam pecuniarum quantitatem, summam ducentarum et quinquaginta librarum monetae regalis Valentiae vel circa ascendentem, pro fabrica eiusdem domus ac illius infirmariae et ornamentis huiusmodi in certis tunc expressis terminis daret et assignaret, prout in instrumento publico superinde confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ipsi guardianus, fratres et Franciscus concordiam huiusmodi ac omnia et singula in dicto instrumento contenta ac inde secuta pro eorum subsistentia firmiori apostolico munimine roborari desiderent, pro parte eorumdem guardiani et fratrum ac Francisci Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam vobis de praemissis legitime constiterit, id concordium ac, prout illud contingunt et rationabiliter pro-

(1) Reg. Lat. t. 458, f. 304. — De monasterio Papien. cf. supra n. 511, p. 247 et n. 575, p. 271.

(2) Reg. Vat. t. 393, f. 53.

cesserunt, in instrumento contenta ac inde secuta huiusmodi approbare et confirmare suppleque omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, auctoritate Nostra curetis. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, X kal. maii, ... anno IV.

1357. Simoni Morelli, O. F. M., baccalaureo in theologia, capellano nobilis viri Engleberti Deughien., domini loci de Rameruto (Ramerupt), Trecen. dioec., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1450, aprilis 25, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VII kal. maii, ... anno IV.

1358. Mandat, ut fratribus O. F. M. de observ., provinciae Portugalliae, concedat unum eremitorium in de la Madera, et aliud in de S. Maria insulis, Ulixbonen. dioec. (2).

1450, aprilis 28, Romae.

Dilecto filio decano ecclesiae Ulixbonen.

Iniunctum Nobis desuper apostolicae *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte nonnullorum fratrum ordinis Minorum, provinciae Portugalliae iuxta morem dicti ordinis, sub illius regulari observantia degentium, petitio continebat, dudum nonnulli christifideles pro eorum animarum salute unum in de la Madera et aliud eremitoria in de S. Maria insulis, Ulixbonen. dioec., Sedis Apostolicae licentia desuper non obtenta pro usu et habitatione aliquorum fratrum ordinis et observantiae huiusmodi construxerint, ... ac ipsi fratres illa etiam absque licentia huiusmodi receperint, ... et propterea dicti fratres dubitent excommunicationis sententiam propterea incurrisse, pro parte eorumdem fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus eosdem fratres, si id humiliter petierint, ab excommunicationis sententia ... auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesiae consueta ... omnemque ab eis inhabilitatis et infamiae maculam sive notam dicta occasione contractam aboleas. Et nihilominus dilecto filio vicario dilecti filii ministri provincialis dictae provinciae, quod eremitoria ipsa in parte constructa cum ecclesiis, campanis, dormitoriis aliisque pro usu et habitatione dictorum fratrum necessariis officinis construere seu construi facere necnon ipsorum eremitoriorum guardianis, quod illorum ecclesias et coemeteria per quemcumque catholicum antistitem ... consecrari facere possint, ac ipsis et aliis fratribus in eisdem eremitoriis sive locis pro tempore degentibus, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti ... valeant, eadem auctoritate concedas, iure *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, IV kal. maii, ... anno IV.

1359. Mandat, ut monasterium S. Lupi, Beneventan., O. S. Ben., dicto ordine in eo suppresso erigat in domum conventualem O. F. M. de observ. (3).

1450, aprilis 29, Romae.

Venerabili fratri episcopo Turtibulen.

Inter cetera cordis Nostri desiderabilia *etc.* Hodie ex certis pro parte dilectorum filiorum capituli Beneventani Nobis expositis rationabilibus causis per alias Nostras litteras sub certa forma tunc expressa tibi dedimus in mandatis, ut in monasterio S. Lupi, Beneventan., ordinis S. Benedicti, abbatialem dignitatem ac dictum ordinem supprimere necnon possessiones et bona immobilia omnia eiusdem monasterii ab illo segregare et separare illaque mensae capitulari ecclesiae Beneventan. ad quotidianas inibi distributiones perpetuo applicare, unire et incorporare curares *etc.* Nos, ne propter mandatum huiusmodi, si illud exsequaris, ecclesia et aliae structurae et aedificia dicti monasterii ad profanos usus deducantur, sed ut illa debitae reformationis beneficio gaudeant ac spiritualium incrementa suscipiant, providere volentes, praedictorum capituli in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si et in quantum suppressionem et exstinctionem necnon separationem, unionem, applicationem et incorporationem praedictas per te vigore praesentium fieri contingat, monasterium praedictum cum illius ecclesia, domibus, structuris et aedificiis dumtaxat in domum conventualem ordinis fratrum Minorum regularis observantiae, ... qui in ea conventualiter sub dicta observantia permanere teneantur, erigere et transferre ac dictae tunc erectae domui certam terrae petiam eidem monasterio contiguam pro horto ipsius domus assignare necnon etiam vicario generali pro tempore exsistenti fratrum de observantia et ordinis Minorum huiusmodi, ut ipse nomine eorumdem fratrum praesentium et futurorum per se vel alium seu alios dictam tunc erectam domum recipere, ipsique praesen-

(1) Reg. Vat. t. 392, f. 11 v.

(2) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 42 « e l. 1 de regul. et exhib., a. IV, f. 189 ».

(3) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 43 « e l. 1 de div. form., a. IV, f. 252 ».

tes et futuri fratres in ea sub dicta tamen observantia perpetuo remanere libere et licite possint, licentiam et facultatem concedere necnon, quod domus erigenda praefata ac in ea pro tempore degentes guardiani et fratres omnibus et singulis privilegiis ... gaudere possint ..., procures. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, III kal. maii, ... anno IV.

1360. Tidemanno Krumint, O. F. M. et theologiae lectori, capellano Theoderici, archiepiscopi Colonien., pro quo idem archiepiscopus supplicaverat, concedit dispensationem, ut absque sui superioris licentia cum eodem archiepiscopo morari eiusque servitiis insistere necnon quodcumque beneficium ecclesiasticum recipere valeat (1).

1450, maii 11, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, V idus maii, ... anno IV.

1361. Decernit, ut moniales monasterii in contrata Brey, civitatis Paduan., O. S. Cl., ad assignationem dotis non teneantur (2).

1450, maii 15, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii in contrata Brey, in civitate Paduan., de novo constructi, ordinis S. Clarae.

Sacrae religionis sinceritas *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenio papae IV, praedecessori Nostro, pro parte dilectae in Christo filiae Dorotheae ex comitibus de Panico, monialis vestri monasterii, in contrata Brey in civitate Paduan. de novo constructi, ordinis S. Clarae, tunc domicellae Bononien. et in dicta civitate commorantis, exposito, quod ipsa de propria salute cogitans ... gerensque ad praefatum ordinem specialem devotionis affectum, de bonis sibi a Deo collatis unum monasterium dicti ordinis cum ecclesia sive oratorio, campanili ... in civitate praefata fundare ... ac de congruis redditibus annuis pro una abbatissa et certis aliis monialibus in eodem monasterio instituendis servitricibusque ac aliis necessariis ad instar monasterii S. Clarae Corporis Christi Mantuan. nuncupati sufficienter dotare proponebat, idem praedecessor praefatae Dorotheae fundandi, construendi et dotandi in dicta civitate, in loco tamen ad hoc congruo et honesto, praedictum monasterium ... prius tamen per eamdem Dorotheam sufficienti dote assignata ... licentiam, ac quod praedicta Dorothea, quae, ut asserebat, in dicto monasterio unacum illius abbatissa et conventu sub regula et iuxta regularia dicti monasterii Corporis Christi [instituta] Altissimo famulari desiderabat, postquam illud erectum et dotatum foret, regularem habitum cum eisdem mulieribus recipere ac professionem in eodem per moniales inibi in similibus monasteriis et [in] manibus iuxta instituta dicti ordinis potestatem habentis emitti solitam emittere posset, per quasdam suas litteras licentiam elargitus fuit (3). Et nihilominus eidem monasterio ... concessit, quod abbatissa ... privilegiis ... uti et gaudere valerent, *etc.* Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, licet earumdem litterarum vigore dictum monasterium cum ecclesia, domibus et aliis necessariis officinis iuxta earumdem litterarum continentiam atque formam pro maiore seu aliqua parte in civitate et contrata praedictis et aliqua bona pro parte dotis unius capellani, qui inibi in divinis deserviat, assignata exstiterit, vosque in illo habitu per vos recepto et professione regularibus emissa sub regula et iuxta regularia ipsius monasterii Corporis Christi instituta vixeritis et vivatis, tamen pro eo, quod praefato monasterio Corporis Christi nulla dos assignata fuit, ac dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales dicti monasterii Corporis Christi etiam in communi proprium non habent, sed tantum ex eleemosynis vivunt, dubitatis, quod, si vestro monasterio praedicto dos aliqua assignaretur, ad instar dicti monasterii Corporis Christi iuxta vestrum desiderium non viveretis nec forsan vivere possetis, pro parte vestra, quae, ut asseritis, in omnibus et per omnia iuxta mores et instituta monasterii Corporis Christi huiusmodi perpetuo vivere desideratis, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, huiusmodi vestrum laudabile propositum in Domino plurimum commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus et apostolica auctoritate tenore praesentium statuimus pariter et decernimus, quod ad assignationem dotis in litteris contentae huiusmodi et ad illam habendam minime teneamini, quinimo, si velletis vel in futurum volueritis, dotem ipsam excepta sufficienti dote pro uno capellano recipere et habere nullatenus valeatis, sed in paupertate iuxta mores et instituta monasterii Corporis Christi huiusmodi perpetuo vivere teneamini et sitis adstrictae, ac vos necnon abbatissa et moniales dicti vestri monasterii ac illius servitrices, quae erunt pro tempore, ipsumque vestrum monasterium

(1) Reg. Lat. t. 464, f. 187. (2) Reg. Lat. t. 464, f. 68; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 44. — Cf. supra n. 615, p. 291. (3) Vide supra n. 446, p. 210.

omnibus et singulis exemptionibus ... uti et gaudere possitis, ... ac vobis et servitricibus praedictis vobis et illis praesentibus dumtaxat dicta auctoritate concedimus pariter et indulgemus, ut confessor idoneus, ... quem vestrum ... quaelibet duxerit eligendum, confessionibus vestris diligenter auditis vobis ... absolutionem impendere ... necnon ... semel tantum in mortis articulo plenam remissionem *etc.* Et insuper *etc.* Porro *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, idibus maii, ... anno IV.

1362. Francisco de Aversa, O. F. M., in partibus ecclesiae orientalis laboranti, concedit licentiam eligendi socium fratrem eiusdem ordinis (1).

1450, maii 17, Romae.

Dilecto filio Francisco de Aversa, ordinis fratrum Minorum.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Hinc est, quod Nos, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, qui, ut accepimus, in orientalis ecclesiae partibus pro illarum incolarum animabus Deo lucrifaciendis fides (!) peragis labores, ut unum dicti ordinis fratrem, quemcumque malueris, tibi in socium eligere possis, illeque quocumque volueris, tecum proficisci valeat, superioris sui licentia petita, licet non obtenta, ita tamen, quod ille, si incorrigibilis fiat, ad dicti ordinis superiores corrigendum remittas, statutis et consuetudinibus dicti ordinis ... ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XVI kal. iunii, ... anno IV.

1363. Petrum Legerii, O. F. M., instituit episcopum Sebasten. (2).

1450, maii 22, Romae.

Dilecto filio Petro Legerii, electo Sebasten.

Apostolatus officium *etc.* Sane ecclesia Sebasten. per obitum bon. mem. illius ultimi episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, cuiusque nomen et cognomen praesentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi *etc.*, demum ad te, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professorem, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo *etc.*, teque illi praeficimus in episcopum et pastorem, curam *etc.* Volumus autem, quod quamprimum *etc.* Iugum igitur Domini *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XI kal. iunii, ... anno IV.

1364. Bulla canonizationis S. Bernardini de Senis O. F. M. (3).

1450, maii 24, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Misericordias Domini in aeternum nos cantare debere propheta admonet, dicens: « Misericordias Domini in aeternum cantabo ». (ps. 88, 1). Magna et inenarrabilia sunt profecto opera misericordiae Dei, quibus iugiter in salutem humani generis se eiusdem miserationis sinus effundit: quae si quis ab initio creati hominis recensere voluerit, non tantum hominum linguae, sed, si quae illis sunt, non sufficerent angelorum. Quam inenarrabile est, quod, cum hominem creasset ad imaginem et similitudinem suam, quodque particeps esse posset felicitatis aeternae, in unam caelestem civitatem adscribendus consortiis angelorum, si datae sibi divinitus legis non contempsisset imperium! Non passa est divina clementia ipsum penitus interire, sed pro temporum diversitate non destitit congruentes exhibere medicinas, quibus a lege Domini aberrans in salutis semitam traheretur; nunc angelos destinando, qui divinam patefacerent voluntatem, suaderent, quae iusta, quae sancta sunt, et ad implendum divinum beneplacitum adiuvarent; nunc mittendo patriarchas, gratiae suae spiritu repletos, qui exemplo suo ceteros instruerent ad salutem; nunc divinos prophetas, qui spiritu suo sancto illuminati non tantum eius temporis divina beneficia humano generi commemorarent, sed etiam futura praedicerent; et illud maxime, quo nihil potest inter opera divinae miserationis sublimius excogitari, quod Dei filius in persona sua naturam nostrae mortalitatis assumeret et adimpleret ea per mysterium passionis et mortis suae, quibus a diaboli potestate et peccatorum vinculis solveremur. Haec facta sunt per illam immensissimam profunditatem et abyssum impenetrabilem misericordiae Dei. Quae nos, qui Christum induimus et ipsius sumus baptismate consecrati, per singulos dies commemorare conamur, cum cordis nostri spe, fide et charitate viventis sacrificium immolamus, cum per mi-

(1) Reg. Vat. t. 411, f. 311 v.

(2) Reg. Vat. t. 391, f. 207. Eidem Petro litteris *Cum Nos nuper* d. d. 23 maii 1450 concedit facultatem recipiendi consecrationem a quocumque catholico antistite, ibid. f. 208; deinde litteris *Sincerae devotionis affectus* d. d. 26 maii 1450 eidem dat facultatem exercendi pontificalia in civitatibus et dioecesibus Pictavien. et Foroiulien., ibid. f. 207 v. — De Petro Legerii cf. supra n. 1107, p. 560.

(3) Reg. Vat. t. 419, f. 88 Wadd. *Ann.* ad a. 1450, n. 2.

nisterium sacerdotum illius salutaris hostiae, qua peccatum mundi huius abluitur, sacrificium indesinenter offertur. Haec inenarrabilia sunt et vix possunt, nisi exigua quadam et tenuissima ex parte, cogitari. Verum, si quis cogitationem extenderit in divina beneficia, quae post Domini nostri Iesu Christi ascensionem ad coelos humano generi exhibita sunt, quis illa non dicam dinumerare, sed, quamvis potens eloquio, minima ex parte enarrare sufficiat? Quis non stupeat tantam vocationem humani generis per apostolicam tubam paucissimorum hominum a Dei filio Iesu Christo Domino nostro in universum orbem terrarum destinatorum, evangelicam veritatem humanis auribus intonantium? Quorum praedicatione factum est, ut nihil terrenum, nihil igneum, nihil corporeum, nihil denique, quod corporis sensus attingit, pro Deo colendum esse homines putent, quodque a vetere seu carnali vita tam inaestimabilis multitudo in novam et spiritualem vitam translata est, ut persuasa sit humano generi in ipsis, qui evangelio crediderunt, continentia usque ad tenuissimum victum panis et aquae, et quod maius est, non solum quotidiana, sed etiam per contextos plures dies perpetuata ieiunia, quod castitas usque ad coniugii prolisque contemptum, quod patientia usque ad cruces flammasque neglectas, quod liberalitas usque ad patrimonia distributa pauperibus, quod denique totius huiusmodi aspernatio usque ad desiderium mortis intenditur. Haec in plurimis, qui Christi evangelia credidere, impleta sunt et quotidie videmus impleri, cum terrarum ubique videamus, ubi floret christiana religio, sacra coenobia viris mulieribusque referta, qui seipsos omnipotenti Deo sacras victimas immolarunt; cum videamus innumerabiles fere sanctissimos et devotissimos sacerdotio fungentes suo ministerio id implere conari, ut ab hac carnali vita in spiritualem transeant et a saeculi huius concupiscentiis immaculati illaesique permaneant; cum ex innumerabili multitudine populi pars non exigua per evangelii semitam transire conatur, implendo mandata caelestia, quantum sinit mortalis infirmitas. Haec facta sunt divina providentia per humanitatem doctrinamque Christi, per ipsius passionem et mortem, per apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per sanctorum praedicabilem vitam atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Quanta vero est illa divina miseratio, quod decursu temporum multorum frigescente charitate illam penitus non sinit exstingui, sed continue ecclesiam suam per ministerium electorum suorum renovare et multiplicare non cessat unicuique tempori electos quosdam quasi primos magni gregis arietes et quasi alteros apostolos destinando, qui evangelii semitam fere obliteratam et pene corruentem et vitae exemplo et doctrinae verbis innovarent, tantae perfectionis in se exemplaria iacientes, quae postea innumerabiles fere divino spiritu illorum corda tangente facillime sequerentur. Hoc factum est per misericordiam Dei superioribus temporibus et fere ubique terrarum; sed novissimis diebus divina se miseratio exuberanter effudit, cum in multorum cordibus frigescente charitate sacram religionem, quae ab evangelicae perfectionis semita aberrare videbatur, divino dignata est igne succendere, ut videamus plerasque sacras religiones ita renovatas et ita divino igne succensas, ut nisi ingrati esse velimus, divinae beneficentiae immensas gratias referamus, quod ad excolendam vineam suam etiam hac novissima hora operarios destinare non cessat. Quamplures videmus in hoc ministerium destinatos; sed temporum nostrorum praecipuus et magnus inter electos fuit vir iste sanctissimus, propter quem celeberrimus iste conventus agitur, sanctus Bernardinus, vir ab ipsis cunabulis perfectioni evangelicae consecratus, qui in vineam Domini cultor et operarius designatus, iniunctum sibi opus vigilanter et indesinenter exercuit; qui se immaculatum ab huius saeculi contaminatione custodiens, primum in seipso iugum Christi suave complexus est et adeo vitae exemplo et sacra praedicatione profecit, ut fere per omnem Italiam renovaverit evangelium Christi: ubique sine offendiculo scandalove pertransiens et, quantum fieri potuit, semper Deo et hominibus placens. Non est huius loci propter angustiam temporis singulas suas divinas et fere innumerabiles recensere virtutes; nam tanta omnipotentis Dei attestatione munitur, ut humana laude non egeat. Tanta etenim in sanctitatis suae testimonium coruscavere miracula, ut etiam, si qui sint ministri satanae, qui eius cuperent detrahere sanctitati, tantis visis signis atque portentis penitus obmutescant, et qui beneficia Dei tempori nostro exhibita recognoscunt, agant uberes gratias tantae sanctitatis auctori, videntes in hoc gloriosissimo viro renovari, quod de unigenito Dei filio dictum est: « Venient ad te, qui detrahebant tibi, et adorabunt vestigia pedum tuorum » (Is. 60, 14). Tanta etenim tempore sanctae memoriae praedecessoris Nostri Eugenii papae IV increbuere miracula, ut saepe per plurimos timoratos et religiosos viros necnon litteris multorum principum et praecipue charissimi in Christo filii Nostri Alphonsi, Aragonum regis illustris, necnon Senensium et Aquilanorum populorum precibus, litteris et nuntiis pul-

satus sit, ut tanta et tam divina miracula quotidie coruscantia diligenter mandaret inquiri, ut veritate comperta tanto viro gloriam, quam iam divina testificatione in triumphante ecclesia obtinebat in coelis, in militante non negaret in terris. Fecit, quod rei gravitas et magnitudo poscebat, et quod alias Sedes Apostolica observare consuevit. Commisit [1] tribus sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus, qui, duos venerabiles episcopos delegantes, veritatem tantae rei inquiri cum omni gravitate mandarunt: qui exactis aliquot mensibus ad Sedem Apostolicam revertentes, quae invenerant, fidelissime rettulerunt. Cum autem idem praedecessor Noster rerum veritate perspecta pulsantium precibus satisfacere cogitaret, vocante Deo de hac miseriarum valle subtractus est. Nos, qui non meritis Nostris, sed divina dignatione illi in onere et honore successimus, fuimus per eosdem, quos supra rettulimus, saepissime requisiti, ut quod praedecessor Noster impediente morte non fecerat, adimplere vellemus. Nos, rei gravitatem et magnitudinem attendentes, deliberavimus mature et gravissime procedendum. Propterea tribus ex venerabilibus fratribus Nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus commisimus [2], ut duos venerabiles episcopos eligerent, quos denuo pro inquirenda veritate delegarent, ut duplici inquisitione informati rem audacius ageremus. Miserunt, sicut iniunxeramus, duos venerabiles episcopos, qui eorum, quae invenerant, in scriptis notitiam reportantes, fidelissime singula rettulerunt, per omnia conformiter referentes his, qui tempore praedecessoris Nostri fuerant destinati; sed multo plura clarissima miracula reportarunt, quae post priorum regressum fuerant perpetrata. Nos, non ea inquisitione contenti, etiam tertio destinare decrevimus; propterea duos alios venerabiles episcopos iussimus proficisci, qui profecti post menses aliquos rediere, uberrima et fidelissima attestatione referentes tanta dietim renovari et coruscare miracula, quod, si singula recensenda essent, vix possent magnis libris includi et ex omnibus quaedam maiora et insigniora rettulere. Nos postea etiam Senas mittendum esse censuimus misimusque venerabilem fratrem Nostrum Angelum, episcopum Aesculanum, qui post aliquot menses reversus coruscantem divinam gratiam in miraculorum perpetratione sub verissima et fidelissima attestatione recensuit; quem etiam voluimus Aquilam proficisci, ut etiam reportaret, si in tanti viri sanctitatis attestationem perseveranter divina miracula coruscarent. Qui reversus prioribus a Nobis destinatis conformia reportavit; et insuper magna et stupenda, quae non in angulis, sed publice et in conspectu multitudinis fuerant perpetrata. Nos his compertis, ne Spiritui Sancto resistere videremur, qui per os propheticum « laudari Deum in sanctis suis » (ps. 150, 1) iubet, piis et devotis supplicationibus postulantium condescendere cogitavimus fecimusque per venerabiles fratres Nostros sanctae Romanae ecclesiae cardinales per Nos deputatos omnia per nuntios reportata in secreto consistorio Nostro diligenter particulariterque referri, quae per consistorium examinata sunt; sed propter gravitatem rei visum est in aliud consistorium differri, ut tempore medio quilibet cardinalis in domo sua posset illa diligentius intueri; et in secundo consistorio scrutatis omnium votis in eamdem sententiam convenerunt tantam esse evidentiam et numerum miraculorum necnon de vitae ipsius sanctimonia ac fidei integritate tam clarum, tam evidens testimonium, ut in tanti viri canonizationem omnes concorditer sua vota deponerent: quorum secuti iudicium tunc canonizandum esse decrevimus. Verum, ut res cum maiori gravitate procederet, iussimus in capella maiori palatii Nostri apostolici apud S. Petrum praelatorum omnium, qui in curia essent, fieri congregationem ipsisque ibidem positis una cum venerabilibus fratribus Nostris proposuimus rem hanc, omnia recensentes, quae usque in horam illam in huiusmodi materia fuissent actitata, et singulorum vota scrutata sunt: qui in eamdem sententiam devenerunt, in quam venerabiles fratres Nostri sanctae Romanae ecclesiae cardinales in consistorio secreto convenerant. Postea in consistorio generali re proposita, quod in consistorio secreto per Nos decretum fuerat, publice decrevimus faciendum, hoc est: tanti viri canonizationem in ecclesia principis apostolorum hac die pentecostes per Nos debere celebrari. Nos igitur, qui huc hodie convenimus, ut in conspectu tantae multitudinis sanctitati tanti viri testimonium perhibeamus, assumimus illud dominicum verbum, quod suis imitatoribus dixit: « Ubi ego sum, illic et minister meus erit » (Ioh. 12, 26). Ministravit vir iste sanctissimus Christo et secutus est Christum. Ministravit Christo, cum se laqueis saeculi exuens et deponens veterem hominem cum actibus suis et induens novum, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis, iugum leve sanctae religionis amplexus est. Ministravit Christo, cum in sancta religione proficiens dietim

(1) Vide supra n. 895, p. 434.

(2) Vide supra n. 1069, p. 539; n. 1268, p. 652; n. 1345, p. 691.

maiora virtutum divinarum augmenta capiebat, praecipue humilitatis Christi imitator effectus, pauper spiritu et dives gratia. Ministravit Christo, cum membris Christi, hoc est fidelibus Christi, pabulum doctrinae caelestis indesinenter exhibuit, plurimas Deo lucrifaciens animas, quas a diaboli et saeculi laqueis exuebat. Ministravit Christo, cum per civitates provinciasque seminans verbum Dei populorum catervas antiquis odiis dissidentes omnium cordium rancore deposito in charitatem mutuam revocabat. Ministravit Christo, cum in pluribus locis mores in lasciviam vergentes et diutius antiquatos verbi divini praedicatione dimovit, exhortans tam viros quam mulieres servare pudicitiam reliquosque laudabiles mores, sine quibus nemo vere potest esse christianus. Ministravit Christo, cum nominis sui per Italiam omnem celebritate vigente in eadem, quam primo assumpserat, humilitate permansit. Ministravit Christo, cum verbum Dei indefesse praedicare non destitit. Ministravit Christo, cum se vocante ad aeternam requiem nec mori timuit nec vivere recusavit. Ergo, quia non potest veritas ipsa mentiri, quae est unigenitus Dei Filius, qui per os carnis assumptae locutus est dicens: « Qui mihi ministrat, me sequatur: et ubi ego sum, illic et minister meus erit », cum sciamus hunc sanctum virum ministrasse Christo et ipsum fuisse secutum usque ad consummationem vitae, minime dubitare permittimur, quin potius certissimum tenere debemus, quod, ubi Christus Dei filius est, sit etiam minister suus sanctus Bernardinus. Ergo, quia cum Christo sunt omnes sancti eius, de omnipotentis Dei misericordia, qui non deserit ecclesiam suam, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ac venerabilium fratrum Nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium ad id accedente consensu decernimus, declaramus et ordinamus sanctum Bernardinum inter sanctos Dei ab universa ecclesia debere deputari et sanctum haberi et tamquam sanctum honorari et coli ipsumque canonizamus et pro canonizato haberi volumus: mandantes festum ipsius in numero sanctorum confessorum non pontificum debere collocari et ei officium confessorum non pontificum decantari. Insuper omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in die festi sui ecclesiam, in qua sanctum corpus suum requiescit, devote visitaverint et ad ornatum sive fabricam dictae ecclesiae manus porrexerint adiutrices, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus: praesentibus perpetuis temporibus duraturis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, declarationis, ordinationis, voluntatis, mandati, relaxationis et canonizationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.*

Datum Romae in basilica principis apostolorum, anno ... 1450, IX kal. iunii, ... anno IV.

1365. Mandat, ut assignet certa relicta ad fabricam librariae domus S. Francisci, Caesenaten., O. F. M. (1).

1450, maii 26, Romae.

Dilecto filio praeposito ecclesiae Caesenaten.

A supremo patrefamilias *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Francisci, Caesenat., ordinis fratrum Minorum, petitio continebat, quod alias quondam Sanctes Laurentii Scaccerius, civis Caesenat., suum condidit testamentum, in quo in omnibus suis bonis mobilibus et immobilibus, iuribus et actionibus, tam praesentibus quam futuris, propriis et emphyteuticis, dilectam in Christo filiam Floram, eius uxorem, ac quondam Baptistam, dicti testatoris filium legitimum et naturalem, aequis portionibus et pleno iure sibi haeredes universales instituit, et in casu, quo dictus Baptista superstite matre decederet quandocumque sine filiis, tunc ei substituit dilectum filium Franciscum, eiusdem testatoris fratrem, in dimidia parte et alia dimidia pauperes Christi, prout in quodam instrumento desuper confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Baptista sine liberis ab hac luce decesserit, neque adhuc dicta bona sint pauperibus distributa, ipsi vero guardianus et fratres pro conservandis libris eiusdem domus unum locum, librariam nuncupandum, in eadem domo construi facere proponant, ac dilectus filius nobilis vir Malatesta Novellus de Malatestis, pro Nobis et Romana ecclesia in civitate Nostra Caesenat. in temporalibus vicarius, diversos libros usque ad valorem quingentorum florenorum vel circa ascendentes eidem domui perpetuo donare intendat et ad perfectionem huiusmodi librariae multae expensae necessariae exsistant, quae facile fieri poterunt, si pars per eumdem testatorem pauperibus, ut praefertur, relicta necnon tam ad fundationem, erectionem seu fabricam capellae aut capellarum in praefata domo vel eius ecclesia quam alias ad utilitatem etiam certam et specialem ipsius domus relicta et de cetero relinquenda usque ad summam duarum

(1) Reg. Vat. t. 403, f. 102. — Cf. supra n. 911, p. 444.

millium librarum monetae Ariminen. ad fabricam loci librariae huiusmodi deputentur et assignentur. Quare pro parte *etc.* Nos igitur, considerantes, quod libraria ipsa in praefata domo est valde necessaria, et quod ex fundatione dictae librariae magna utilitas consequi poterit, de praemissis certam notitiam non habentes, discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... partem pauperibus legatam necnon usque ad praedictam summam duarum millium librarum huiusmodi ex aliis legatis et legandis huiusmodi ad fabricam loci dictae librariae praefata Nostra auctoritate applices, deputes et assignes, ita quod liceat ex tunc operariis fabricae dictae librariae partem pauperibus et alia relicta et relinquenda ad fundationem et reparationem capellae seu capellarum ac domui praedictae etiam ad certam eius et specialem utilitatem usque ad praedictam summam duarum millium librarum apprehendere et in fabricam loci librariae huiusmodi convertere, ... contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Proviso, quod capella seu capellae ... debitis propterea non fraudentur obsequiis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VII kal. iunii, ... anno IV.

1366. Ambrosio de Mayneriis de Mediolano, O. F. M., pro quo, ut capellano suo, Franciscus Sfortia, dux Mediolani, supplicaverat, concedit licentiam recipiendi aliquam ex capellaniis a bon. mem. Philippo Maria, duce Mediolani, in eadem civitate fundatis et dotatis (1).

1450, maii 26, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VII kal. iunii, ... anno IV.

1367. Confirmat privilegia monasterio B. Mariae iuxta fontes de Aquila, O. S. Damiani, Furconen. (Aquilan.) dioec., concessa et poenas statuit in eorumdem violatores (2).

1450, maii 27, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad ea ex iniuncto Nobis desuper apostolicae servitutis officio *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii B. Mariae virginis iuxta fontes de Aquila, ordinis S. Damiani de Assisio, Furconen. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim fel. rec. Alexander papa IV, praedecessor Noster, monasterium praedictum sub B. Petri et sua protectione suscepit et scripti apostolici patrocinio communivit, statuens, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et B. Benedicti regulam atque institutionem monialium inclusarum S. Damiani Assisii et formulam vitae ipsarum a piae mem. Gregorio papa, etiam praedecessore Nostro, ordini earum traditam in eodem loco institutus esse dignoscebatur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observaretur, praeterea quaecumque possessiones et quaecumque bona, quae idem monasterium tunc iuste ac canonice possidebat aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis praestante Domino posset adipisci, abbatissae et monialibus ipsius monasterii, quae tunc erant essentque pro tempore, firma et illibata permanerent, in quibus haec propriis duxit exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo praefatum monasterium situm erat, cum omnibus pertinentiis suis, eremitorium S. Onufrii de Petrarotaria cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Laurentii de Saxa cum omnibus pertinentiis suis, terras, vineas et possessiones, quas habebant in locis, qui Campus Saxae et Laxae vulgariter nuncupatur, terras, vineas et possessiones, quas habebant in territorio castri de Collimento, in locis, quae Canalia et Vicena de Valle vulgariter appellabantur, ecclesiam S. Leonardi de Cruce Rodii cum omnibus pertinentiis suis, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis et pascuis in busco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis ac omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis, liceret quoque eisdem abbatissae et monialibus pro tempore exsistentibus personas liberas et absolutas, a saeculo fugientes, ad conversionem recipere et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibuit insuper, ut nulli monialium earumdem post factam in monasterio praedicto professionem fas esset de eodem loco discedere, discedentem vero nullus auderet retinere; pro consecrationibus vero altarium et ecclesiae dicti monasterii sive pro oleo sancto vel quolibet ecclesiastico sacramento nullus ab eis sub obtentu consuetudinis vel alio modo quidquam auderet extorquere, sed haec omnia gratis episcopus dioecesanus impenderet, alioquin liceret eisdem abbatissae et monialibus pro tempore exsistentibus hoc recipere a quocumque mallent catholico antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente. Quod si sedes dioecesani episcopi forte vacaret, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possent, sic tamen, ut ex hoc in posterum proprio episcopo nullum praeiudicium

(1) Reg. Vat. t. 411, f. 276. (2) Reg. Vat. t. 393, f. 174 v. — De monasterio Aquilan. cf. supra n. 892, p. 432.

generaretur. Quia vero interdum ipsae abbatissa et moniales exsistentes dioecesani episcopi copiam non habebant, si quem episcopum dictae Sedis gratiam et communionem habentem, de quo plenam notitiam haberent, per eas partes transire contingeret, ab eo benedictiones monialium, vasorum et vestium et consecrationes altarium recipere valerent. Cum autem generale interdictum terrae foret, liceret eisdem abbatissae et monialibus pro tempore exsistentibus clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis divina officia celebrare, dummodo causam non dedissent interdicto. Obeunte vero abbatissa dicti monasterii, quae tunc erat et esset pro tempore, nulla ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponeretur, nisi quam sorores communi consensu vel earum maior pars consilii sanioris secundum Deum et B. Benedicti regulam providerent eligendam. Porro, si episcopi et alii ecclesiarum rectores in monasterium praedictum vel personas regulares inibi Domino famulantes excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam promulgarent, ipsam, tamquam contra dictae Sedis indulta prolatam, idem Alexander praedecessor decrevit non tenere. Paci quoque et tranquillitati abbatissae et monialium pro tempore exsistentium earumdem paterna in posterum sollicitudine providere volens, prohibuit, ut infra clausuras locorum ipsarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere seu violentiam auderet exercere. Praeterea omnes libertates et immunitates, quas ipsi monasterio episcopus Furconen., qui tunc erat, de capituli sui assensu indulserat, auctoritate apostolica confirmavit et sui scripti privilegio communivit ac alia fecit, prout in suis inde confectis litteris tenorem litterarum emanatarum super libertatibus et immunitatibus episcopi in se continentibus plenius continetur. Et successive, cum tunc temporis ecclesia praedicta parvi ambitus exsisteret ac officinis et aedificiis monasterio congruentibus abbatissaeque et monialium habitationi sufficientibus careret, nonnulli sacerdotes dictam ecclesiam tunc obtinentes et expresse nominati, zelo devotionis accensi, per se et successores eorum, si qui essent, pro salute animarum suarum eidem abbatissae seu monialibus, quae tunc erant, pro se et aliis, quae ipsis pro tempore succederent, stipulantibus et recipientibus pro ampliori ecclesia cum monasterio de novo construendis sufficiens territorium circa eumdem locum consistens et ad eos ratione ipsius ecclesiae communiter ac legitime pertinens cum possessionibus, terris cultis et incultis, canapinis, vineis, hortis, molendinis, aedificiis, arboribus fructiferis et infructiferis, aquis et aquarum decursibus ac aliis omnibus iuribus et pertinentiis suis sponte, libere et in perpetuum dederunt, tradiderunt, concesserunt et etiam assignarunt, reservata sibi super illis seu illorum fructibus sustentatione dumtaxat vitae ipsorum, donec agerent in humanis; ita etiam, quod illius loci hominibus liceret habere sepulturas in circuitu eiusdem ecclesiae, sicut de iure habere consueverant temporibus retroactis, prout in quodam instrumento publico exinde confecto plenius continetur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, licet abbatissa pro tempore exsistens et conventus praefatae privilegio Alexandri praedecessoris ac omnibus et singulis in eo denotatis superius enarratis huiusmodi post illorum concessionem usae et gavisae fuissent tuncque uterentur et gauderent, necnon territorium, in quo ecclesia cum monasterio huiusmodi sub prioris vocabuli beatae Mariae in eiusdem S. Clarae vocabulum transmutatione de novo in ampliori ambitu canonice constructa et aedificata exstiterunt, ac possessiones, terras, vineas et omnia alia iura et pertinentias per sacerdotes data, tradita, concessa et assignata praedicta a tempore dationis, traditionis, concessionis et assignationis huiusmodi continuo tenuissent et possedissent tuncque tenerent et possiderent pacifice et quiete, ipsi ecclesiae post obitus sacerdotum eorumdem per unum capellanum seu presbyterum idoneum in divinis deserviri laudabiliter faciendo, tamen quidam laici, incolae et habitatores dicti loci, falso asserentes sub variis confictis et exquisitis coloribus, praesertim occasione eis debitae in dicta ecclesia seu circa illam sepulturae, capellanorum seu presbyterorum ad serviendum in divinis ecclesiae huiusmodi deputationem et per consequens fructuum, reddituum et proventuum ex possessionibus, terris, vineis aliisque iuribus et pertinentiis per sacerdotes traditis huiusmodi obvenientium administrationem ad se spectare, deputationi et administrationi huiusmodi, etiam armata manu ad dictum monasterium accedendo, se ingerere ipsasque abbatissam et moniales super praemissis multipliciter perturbare, vexare et inquietare ausu temerario praesumpserunt et praesumunt in animarum suarum periculum necnon abbatissae et monialium ac monasterii praedictorum grave praeiudicium atque damnum. Quare pro parte dictarum abbatissae et conventus Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super firmitate privilegii seu litterarum Alexandri praedecessoris etiam quoad contentam in eis confirmationem libertatum et immunitatum episcopi ac super aliis praemissis indemnitati ab-

batissae et conventus ac monasterii praedictorum opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui litteris et privilegiis dicti Alexandri praedecessoris ac instrumento donationis huiusmodi diligenter inspectis ea, quae praenarrata sunt, in eis continere veritatem repperimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras praedecessoris et instrumentum donationis huiusmodi cum omnibus privilegiis, exemptionibus, ordinationibus, libertatibus, immunitatibus ac donationibus, concessionibus, largitionibus omnibusque aliis et singulis in eis contentis auctoritate apostolica tenore praesentium et ex certa scientia innovamus, approbamus et confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus ac ea perpetua roboris firmitate volumus permanere, abbatissam quoque et moniales ipsas omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus et concessionibus necnon territorio circa eorum monasterium et de novo erectum consistente cum possessionibus, fructibus, terris cultis et incultis, molendinis, aedificiis, arboribus, aquis, aquarum decursibus et omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis absque hoc, quod huiusmodi laici aliquod dominium vel praeeminentiam seu iurisdictionem seu auctoritatem in ecclesia, capellis seu monasterio, etiam bonis, personis, fructibus, redditibus vel rebus eorumdem, quovis quaesito colore vel titulo habeant vel habere debeant seu aliquem vel aliquos capellanum seu capellanos in ecclesia seu capellis dicti monasterii perpetuo vel ad tempus absque licentia abbatissae et monialium dicti monasterii ponere vel deponere seu de aliquo inibi se intromittere aut aliquid praeter suas sepulturas petere, exigere vel habere possint, decernimus et declaramus, volentes ac tenore praesentium auctoritate apostolica praedicta statuentes ac eisdem abbatissae et monialibus concedentes, quod abbatissa et moniales praefatae pro dictae ecclesiae servitio fiendo unum dumtaxat sacerdotem idoneum per eas praesentandum et per episcopum Furconen., ordinarium loci, instituendum etiam absque laicorum eorumdem consensu, auctoritate vel voluntate tenere et habere debeant, qui capellam, quondam Collevindicti nuncupatam, in eadem ecclesia sitam, regat et gubernet et laudabiliter in divinis ac ecclesiasticae inibi sepulturae tradendis ministret ecclesiastica sacramenta, quodque ipsi laici alium presbyterum inibi deputare nequeant contra dicti Nostri decreti tenorem, etiam occasione capellae inibi erectae vel sepulturarum, quovis alio quaesito colore absque dictarum abbatissae et conventus expressa licentia pariter et consensu; districtius inhibendo eisdem laicis, cuiuscumque status seu conditionis exsistant, omnibusque inibi sepulturas pro tempore habentibus, quod in ecclesia, capellis et monasterio, eorum personis aut rebus huiusmodi dominium, iurisdictionem vel praeeminentiam sibi vindicare aut capellanum seu capellanos inibi ponere vel deponere necnon praefatas abbatissam ac moniales in personis, rebus et bonis aut super positione vel depositione capellanorum huiusmodi molestare, inquietare, perturbare aut alias quomodolibet cogere vel coercere audeant vel praesumant et a molestationibus, inquietationibus et perturbationibus quantocius cessent et desistant; quod si secus facere praesumpserint, excommunicationis sententiam, quam ex nunc prout ex tunc harum serie ferimus, incurrant ipso facto, a qua praeterquam a Romano pontifice absolvi nequeant, praeterquam in mortis articulo constituti. Cupientes igitur, ut contenta in praesentibus inviolabiliter observentur pariter et exsequantur, venerabili fratri episcopo Civitatis Castelli et dilectis filiis Reatin. ac Valven. officialibus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios praefatis abbatissae et monialibus super praemissis ac eorum singulis defensionis auxilio assistentes, quotiens eis constiterit perturbatores et inobedientes praefatos excommunicationis sententiam incurrisse, illos omnes et singulos, quotiens pro parte abbatissae et monialium praedictarum seu earum procuratoris fuerint legitime requisiti, excommunicatos fuisse et esse declarare et nuntiare ac ab aliis nuntiari et ab omnibus arctius evitari facere necnon super his habendis servatis processibus eorum et ipsorum quemlibet aggravare et reaggravare auctoritate praefata studeant et procurent, contradictores *etc.* invocato *etc.* non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VI kal. iunii, ... anno IV.

1368. Fratribus O. F. M. de observ. concedit licentiam recipiendi domum in loco de Russet, Pictavien. dioec. (1).

1450, iunii 1, Romae.

Dilectis filiis vicario provinciali et fratribus ordinis Minorum de observantia nuncupatorum, provinciae Turoniae.

Promptum et benevolum libenter *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio

(1) Reg. Vat. t. 412, f. 37; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 45.

continebat, quod dilectus filius nobilis vir Ioachim Veluyrae et dilecta in Christo filia nobilis mulier Margarita, eius uxor, ad vos vestrumque statum et ad vestram religionem ... singulare gerentes affectionis adminiculum et per huiusmodi religionis propagationem per vestras manus suos in coelestibus thesauros recondi satagentes, unum locum in altero suorum oppidorum dicto de Ruset vel iuxta illud, Pictavien. dioec., pro constructione ac usu et habitatione vestris seu aliquorum ex fratribus ordinis vestri pia largitione dare et assignare proponunt vosque in eodem loco christifidelium ad hoc concurrentibus suffragiis et obventionibus domum cum ecclesia, coemeterio, campanili, ... officinis pro huiusmodi usu et habitatione construere ... desideratis, si Apostolicae Sedis super his vobis patrocinium et auctoritas suffragentur. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... vobis locum praedictum ab eisdem nobilibus, illum dare et assignare volentibus, recipiendi ac in eis pro praefatis usu et habitatione domos cum ecclesia, ... officinis huiusmodi construendi ... licentiam elargimur, dioecesani *etc.* Et insuper fratribus ordinis vestri huiusmodi, ... ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, kalendis iunii, ... anno IV.

1369. Iohanni, Tinnarum et Michinarum (Tina et Mycon in insulis Cyclad.) episcopo, O. F. M., concedit remissionem plenariam in articulo mortis (1).

1450, iunii 1, Romae.

Provenit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno .. 1450, kalendis iunii, ... anno IV.

1370. Mandat, ut confirment concessionem domus B. Mariae de Poyano, alias Pizighitono (Pizzighettone), Lauden. dioec., fratribus III O. S. Fr. factam (2).

1450, iunii 2, Romae.

Venerabili fratri episcopo Lauden. et dilecto filio praeposito ecclesiae S. Geminiani Lauden.

Immensa Apostolicae Sedis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Iacobi de Cartiraga, ministri, ac aliorum fratrum domus beatae Mariae de Poyano, alias de Pizighitono, tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Lauden. dioec., petitio continebat, quod olim praefatus Iacobus et nonnulli alii fratres dicti ordinis ecclesiam dictae domus, tunc certo modo vacantem, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis de vicarii episcopi Lauden. tunc exsistentium ipsis fratribus viva voce tantum super hoc concessa, absque tamen Apostolicae Sedis licentia receperunt ipsamque ecclesiam christifidelium suffragiis repararunt et ampliarunt ac apud illam domum cum necessariis officinis pro eorum et aliorum dicti ordinis fratrum usu ... erexerunt ac nunc per viginti annos et ultra in usum et habitationem huiusmodi tenuerunt et possederunt ... et deinde nonnulli nobiles, de Busnate nuncupati, asserentes se veros patronos eiusdem ecclesiae ac sentientes ipsorum fratrum laudabilem vitam et bonae famae odorem, eamdem ecclesiam cum omnibus eius bonis, terris, dominiis, iuribus et pertinentiis ac iuribus et actionibus eisdem nobilibus in dicta ecclesia quomodolibet pertinentibus dictis fratribus perpetuo dederunt *etc.* Cum autem ... Iacobus minister et fratres praedicti domum praedictam cum ecclesia et officinis praedictis pro usu et habitatione huiusmodi perpetuo retinere ac, ut eo quietius et devotius Altissimo famulari queant, quoddam perpetuum beneficium, Clericatum nuncupatum, in eadem ecclesia fundatum et institutum, perpetuo supprimi et exstingui illiusque possessiones et bona praedictae ecclesiae pro ipsorum fratrum commodiori sustentatione et ecclesiae ac domus earumdem reparatione et conservatione applicari et assignari desiderent: pro parte Iacobi ministri et fratrum eorumdem, asserentium, quod beneficii sex, ecclesiae vero huiusmodi etiam sex florenorum auri de camera fructus, redditus et proventus secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum desiderio huiusmodi annuentes ipsos ab excommunicationis sententia ... absolvi mandare necnon receptioni, constructioni, erectioni, dationi, concessioni et translationi praedictis ac omnibus et singulis inde secutis et in dicto instrumento contentis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere ... dignaremur. Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel alter vestrum Iacobum ministrum ac omnes et singulos fratres eosdem, qui excommunicationis huiusmodi sententia ligati fuerint, ut praefertur, si hoc humiliter petierint, ab eadem sententia absolvatis in forma ecclesiae consueta ... ac cum ipsis super irregularitate ... dispensetis omnemque aboleatis in-

(1) Reg. Vat. t. 391, f. 80 v.

(2) Reg. Lat. t. 458, f. 277 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 46.

famiae maculam *etc.* Et nihilominus, si et postquam absolutionem, dispensationem ... feceritis, ut praemittitur, ac vobis de expositis ... constiterit, receptionem, constructionem ... praedictas ac inde secuta, et prout illas concernunt, in instrumento contenta huiusmodi eadem auctoritate approbetis et confirmetis *etc.* ipsique Iacobo ministro et praedictis ac universis aliis in praedicta domo pro tempore moraturis fratribus, ut domum ipsam cum ecclesia, officinis ac omnibus iuribus et pertinentiis supradictis pro usu et habitatione huiusmodi perpetuo retinere necnon omnibus et singulis privilegiis ... gaudere libere et licite valeant, auctoritate praedicta concedatis; iure *etc.* Et insuper beneficium praedictum, si vacat vel quamprimum illud per cessum vel decessum illud obtinentis vel alias quovis modo vacare contigerit, penitus et omnino dicta auctoritate supprimatis et exstinguatis eoque per vos suppresso et exstincto illius possessiones et bona praedicta cum eorum fructibus, redditibus et proventibus ac aliis iuribus et pertinentiis suis omnibus praedictae ecclesiae perpetuo applicetis, approprietis et assignetis; ita quod ex tunc liceat ministro dictae domus et fratribus in illa degentibus pro tempore per se vel alium seu alios bonorum praedictorum corporalem possessionem auctoritate propria libere apprehendere et perpetuo retinere huiusmodique illorum fructus, redditus et proventus in eorum ac dictarum domus et ecclesiae usus et utilitatem convertere, dioecesani *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, IV nonas iunii, ... anno IV.

1371. Annullat litteras (supra n. 1264) de duratione officii provincialatus O. F. M. in regno Aragoniae [1].

1450, iunii 4, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Quia nonnumquam quod coniectura *etc.* Dudum siquidem a Nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis:

Nicolaus episcopus etc.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exposcit plena vigiliis Romani pontificis *etc.* *(ut supra n. 1264 p. 650)*.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1448, X kal. ianuarii, ... anno II.

Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Angeli de Perusio, magistri in theologia, generalis ministri, ac capituli generalis ordinis fratrum Minorum petitio continebat, dilecti filii fratres dicti ordinis provinciae Aragoniae iuxta morem eiusdem ordinis pro eo, quod alias dilectus filius Iohannes Lobet, dicti ordinis et theologiae professor, contra voluntatem fratrum provinciae huiusmodi, non per viam electionis de eo per ipsos fratres celebratae, sed aliunde ex favoribus saecularibus ad officium provincialis ministri dictae provinciae assumptus fuerat, ut sic dictus Iohannes ab officio huiusmodi cessaret, praefatum regem ad significandum in dictis litteris contenta induxerint, necnon ex eo, quod dicta provincia nonnulla in se regna et aliquas insulas continet, quas, si minister dictae provinciae pro tempore exsistens visitare habet nonnumquam propter tempestates maris, viarum discrimina aliasque diversas occupationes praefatam provinciam in tribus annis, prout deceret, commode visitare non potest. Et si ministri huiusmodi dumtaxat triennio durarent, quamplures ex fratribus dyscolis propter temporis brevitatem, aut quia minister provincialis tam brevi tempore permansurus sibi inimicos quaerere aufugeret, vel quia delinquentes ipsi, sperantes post finem triennii et sic finito officio dicti tunc ministri ad suam redire provinciam, ad alienas partes se transferrent, impuniti remanerent, litterae insertae praedictae, quae plurimum utiles fore videbantur, multipliciter tenderent ad noxam, pro parte eorumdem generalis ministri et capituli Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur auctoritate apostolica tenore praesentium litteras insertas praedictas revocamus, cassamus et annullamus ac illas necnon supplicationes, a quibus forsan ipsae litterae emanarunt, de bullarum et supplicationum per Nos seu de mandato Nostro signatarum aliisque registris et alias, ubicumque scriptae sunt, cassari et aboleri mandamus ac nullius roboris vel momenti fuisse et esse eiusque in iudicio vel extra, ubicumque exhibitae fuerint vel ostensae, nullam fidem adhiberi debere decernimus, necnon dilecto filio Iacobo Sareneta, dictae provinciae ministro, theologiae professori, ac quibuscumque aliis fratribus eiusdem ordinis omnia et singula iuramenta super observandis litteris et in eis contentis praedictis per eos forsan praestita relaxamus eosque ab illis absolvimus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, pridie nonas iunii, ... anno II.

---

[1] Reg. Vat. t. 411, f. 278v.

1372. Georgium de Regibus, O. F. M., in sacerdotio constitutum, ecclesiae Sevastopolen., vacanti per obitum Iohannis episcopi Sevastopolen., praeficit in episcopum (1).

1450, iunii 5, Romae.

Divina disponente clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, nonis iunii, ... anno IV.

Simili modo eadem die scribit *Clero civit. et dioec. Sevastopolen.; Populo civit. et dioec. Sevastopolen.*

1373. Symoni Philomene, O. F. M., theologiae professsori, concedit facultatem transeundi ad ordinem S. Benedicti, ac etiam recipiendi quaecumque beneficia per monachos O. S. Ben. teneri solita (2).

1450, iunii 6, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VIII idus iunii, ... anno IV.

1374. Magistro Iohanni Didaci de Coca, capellano pontificio et causarum palatii apostolici auditori, mandat, ut Alphonso Petri de Vivero, clerico Mindonien. dioec., conferat simplex beneficium in parochiali ecclesia B. Mariae de Gualdo, eiusdem dioec., vacans ex eo, quod Iohannes Roderici de Padron, Iohannis, episcopi Ostien., familiaris continuus commensalis, domum S. Francisci Hierosolymitan., O. F. M., ingressus, in ea professionem regularem emiserat (3).

1450, iunii 6, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VIII idus iunii, ... anno IV.

1375. Nucio de Luchensis et Antonio de Sanctis, O. F. M., concedit licentiam recipiendi locum in regno Siciliae pro habitatione fratrum O. F. M. (4).

1450, iunii 12, Romae.

Dilectis filiis Nucio de Luchensis et Antonio de Sanctis, ordinis fratrum Minorum professoribus.

Admonet Nos suscepti cura regiminis *etc.* Hinc est, quod Nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, dummodo sub generalis et provincialis ministri ordinis Minorum, quem professi estis, obedientia persistatis, ut unum locum, quem vobis aut vestrum alicui ubicumque etiam in regno Siciliae a dioecesano loci vel aliis christifidelibus pia largitione alias canonice consignari contigerit, pro vestri ac nonnullorum aliorum dicti ordinis fratrum, si dictus locus pro aliis capax fuerit, usu et habitatione perpetuis recipere et in eo commorari ac illum perpetuo retinere, et si opportunum fuerit, in ipso loco domum conventualem dicti ordinis cum campanili, campana, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro eisdem usu et habitatione erigere et construere ac vobis et ipsis fratribus, quos in loco seu erigenda domo huiusmodi pro tempore residere contigerit, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur, iure parochialis *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, pridie idus iunii, ... anno IV.

1376. Concedit indulgentias visitantibus capellam S. Bernardini in maiori ecclesia civitatis Senen. constructam (5).

1450, iunii 12, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet, is, de cuius munere *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii communitas et populus civitatis Senen. ad gloriosum S. Bernardinum, quem propter plurima, fere innumerabilia, Nobis notissima et manifesta miracula a nonnullis citra temporibus in diversis Italiae partibus ab altissimo omnium Creatore ob ipsius sancti merita etiam ad christiani nominis exaltationem et gloriam misericorditer patefacta nuper in basilica principis apostolorum de Urbe merito canonizandum fore decrevimus et sollemniter canonizavimus, magnum et singularem gerant devotionis affectum ac propterea de bonis eis a Deo collatis ad tanti sancti decorem et honorem unam capellam sub ipsius sancti vocabulo in maiori ecclesia Senen. opere pulchro et sumptuoso construi facere proponant, sperantes exinde intervenientibus eiusdem sancti precibus civitatem ipsam, ex qua sanctus ipse originem traxisse dignoscitur, in statu tranquillo et pacifico fore salubriter construendam, Nos, cupientes, quod ecclesia et capella praedictae congruis honoribus frequententur, et ut christifideles eo libentius et devotionis causa confluant ad easdem *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui capellam, postquam constructa fuerit, ac ecclesiam praedictas in festo eiusdem sancti devote visitaverint annuatim, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis mise-

(1) Reg. Lat. t. 465, f. 241 v.
(2) Reg. Vat. t. 391, fol. 143. — Cf. supra n. 1273, p. 654.
(3) Reg. Lat. t. 461, f. 236 v. — Cf. supra n. 884, p. 428.
(4) Reg. Lat. t. 458, f. 274.
(5) Reg. Vat. t. 411, f. 318. — Cf. supra n. 1364, p. 700.

ricorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, pridie idus iunii, ... anno IV.

1377. Philippo Carreres, O. F. M., concedit facultatem legendi sententias, exercendi actus theologicae facultatis et assumendi gradum magisterii (1).

1450, iunii 15, Romae.

Dilecto filio Philippo Carreres, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui, ut asseritur, de tui superioris licentia Paduae, Parisius ac in villa Montispessulani per longa tempora in sacra theologia studuisti et dante Domino in ea facultate proficere in dies magis intendis, praemissorum meritorum tuorum ac etiam dilectorum filiorum universitatis studentium dictae villae, pro te Nobis humiliter supplicantium, super hoc intuitu favore prosequi gratioso, ... tibi, ut sententias theologiae legere et omnes actus theologicae facultatis usque ad magisterium inclusive facere et exercere necnon gradum eiusdem magisterii sub dilecto filio decano theologiae praefati ordinis in eadem universitate Montispessulani assumere libere et licite possis, ... de speciali gratia indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XVII kal. iulii, ... anno IV.

1378. Mandat, ut procedat contra religiosos, praesertim O. F. M. de observ., partium Hispaniae, errores disseminantes (2).

1450, iunii 15, Romae.

Venerabili fratri Iohanni, episcopo Ostien.

Quanto regulares sanctimoniae *etc.* Nuper siquidem ad audientiam Nostram fida relatione pervenit, quod nonnulli religiosi diversorum ordinum, etiam mendicantium, et praesertim ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupati, partium Hispaniae, tam in suis praedicationibus publicis quam etiam in privatis ipsorum conversationibus plures erroris zizanias, inter christifideles ac tam saecularem quam alium regularem clerum dissidiorum ac turbationum et scandalorum nutritivas, temere seminare et a veritate devia pro veris adstruere et defensare non verentur, suae exemptionis privilegiis, quibus, ne adversus eos super his procedi possit, se tuentur in propriae damnationis statum et arma defendendae malitiae protendentes. Nos igitur huiusmodi errores et scandala, ne per impunitatis exemplum in deteriora tendant, debita correctione et animadversione cohiberi cupientes ac de tuae circumspectionis et industriae magnitudine, quam in S. Romanae ecclesiae negotiis quotidie experimur, quod in his exsequendis te reddes fructuosum, plena fiducia ducti, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus praemissis excessibus et scandalis corrigendis et cohibendis diligenter intendens, adversus quoscumque, quos in illis culpabiles noveris, super huiusmodi excessibus inquiras ac, quatenus opus fuerit, etiam visitationis officium quoad eorum loca et eorumdem locorum personas singulas exerceas ipsosque excessus etiam gravi adiectione poenarum corrigas et punias, prout huiusmodi excessuum circumstantiis attentis censueris expedire. Nos enim tibi adversus culpabiles praedictos inquirendi ac eos visitandi, corrigendi, puniendi, incarcerandi et quasvis ecclesiasticarum censurarum et alias, de quibus tibi videbitur, poenas in eos proferendi necnon quaecumque quoad huiusmodi cohibendos et reprimendos excessus utilia et opportuna statuendi et ordinandi ac ea, quae in his facienda, statuenda, ordinanda decreveris, per te vel alium seu alios sub similium coercitione poenarum exsequendi plenam et liberam concedimus auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XVII kal. iulii, ... anno IV.

1379. Mandat, ut monialibus S. Clarae Assisinat., O. S. Cl., concedat facultatem vendendi bona monasterii S. Margaretae, Eugubin., O. S. Cl., pro reparatione monasterii Assisinat. (3).

1450, iunii 15, Fabriani (!)

Dilecto filio priori ecclesiae Assisinaten.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum monialium monasterii et ecclesiae S. Clarae de Assisio, ordinis eiusdem S. Clarae, petitio continebat, quod alias dictum monasterium et illius ecclesia propter guerrarum diversa discrimina et alios sinistros eventus, quae monasterium et ecclesiam huiusmodi diutius afflixerunt, fere minabantur ruinam, quare propter earum summam inopiam facile reparari non poterant, et monasterium S. Margaretae extra muros Eugubii, ordinis eiusdem S. Clarae, iam a monialibus S. Margaretae to-

(1) Reg. Lat. t. 464, f. 148. (2) Reg. Vat. t. 419, f. 42 v. (3) Reg. Vat. t. 394, f. 136 v.

taliter derelictum exsistebat nec in ipso ulterius habitabant, quare, si bona dicti monasterii S. Margaretae per easdem alienarentur et venderentur, de pretio exinde redacto monasterium et ecclesia S. Clarae convenienter reparari possent. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... eisdem monialibus ..., ut possessiones et bona dicti monasterii S. Margaretae ... ad reparationem, usus et utilitatem eiusdem monasterii et ecclesiae S. Clarae, diviso pretio iuxta arbitrium earumdem protectoris hac vice dumtaxat vendendi et perpetuo alienandi auctoritate apostolica facultatem et auctoritatem concedas et dones.

Datum Fabriani (!), Camerinen. dioec., anno ... 1450, ... XVII kal. iulii, ... anno IV.

1380. Petro Fabri, O. F. M., Maurianen. dioec., Ludovici ducis Sabaudiae capellano, concedit licentiam recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (1).

1450, iunii 17, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XV kal. iulii, ... anno IV.

1381. Subdecano ecclesiae Pictaven. mandat, ut prioratum S. Iohannis evangelistae de Arebaudo, O. S. Ben., Andegaven. dioec., vacantem per liberam cessionem Guillelmi de Vallibus, O. F. M., sacrae theologiae professoris, assignet Petro de Montplace, priori prioratus S. Hilarii de Montibus ecclesiarum, O. S. Ben., Malleacen. dioec., reservata praedicto Guillelmo super fructibus prioratus S. Iohannis annua pensione viginti scutorum auri de Francia nunc in regno Franciae cursum habentium (2).

1450, iulii 21, Fabriani.

Apostolicae Sedis providentia circumspecta *etc.*

Datum Fabriani, anno ... 1450, XII kal. augusti, ... anno IV.

1382. Concedit licentiam studii causa Bononiam convocandi fratres provinciae Bononien. O. F. M. (3).

1450, iulii 22, Fabriani.

Dilecto filio fratri Francisco de Bononia, ordinis Minorum, vicario eiusdem ordinis in provincia Bononien.

Dil. fili, sal. Concedimus tibi per praesentes licentiam reducendi seu revocandi quoscumque fratres oriundos in provincia Bononien. ad civitatem ipsam Bononien., ubicumque fuerint, ut ibi operam studiis impendere possint; nolumus tamen eos ad hoc coarctari, nisi quantum eis placuerit.

Datum Fabriani, sub annulo piscatoris, die XXII iulii 1450, ... anno IV.

1383. Laurentio, electo Tiburtin., O. F. M., in sacerdotio constituto, confert ecclesiam Tiburtin., vacantem per obitum Nicolai, episcopi Tiburtin. (4).

1450, iulii 27, Fabriani.

Apostolatus officium *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1450, VI kal. augusti, ... anno IV.

Eodem die sub forma *Hodie de persona* scribit: *Capitulo ecclesiae Tiburtin.; Clero civitatis et dioec. Tiburtin.; Populo civitatis et dioec. Tiburtin.*

1384. Laurentio Mercatoris, O. F. M., baccalaureo in theologia, concedit licentiam recipiendi beneficium ecclesiasticum cum cura, saeculare vel regulare, etiam parochialem ecclesiam (5).

1450, augusti 18, Fabriani.

Religionis zelus *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1450, XV kal. septembris, ... anno IV.

1385. Concedit indulgentias pro perfectione ecclesiae O. F. M. de observ., castri Montisbrandonis, praesidatus Farfen. (6).

1450, augusti 22, Fabriani.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Ante thronum divinae clementiae *etc.* Cupientes igitur, ut ecclesia ordinis fratrum Minorum de observantia, quam, ut accepimus, habitatores Nostri castri Montisbrandoni, praesidatus Farfen., de bonis sibi a Deo collatis nuper fundare, construere et aedificare inceperunt, celerius perficiatur, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in singulis B. Mariae Virginis et S. Francisci, S. Antonii, S. Ludovici, B. Clarae et B. Bernardini festivitatibus ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim ac ad huiusmodi constructionem et aedificationem manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum diebus quinque annos et totidem quadragenas

(1) Reg. Vat. t. 416, f. 155v.
(2) Reg. Lat. t. 458, f. 221v.
(3) E cod. msc. archivii provinc. Bononien. Idem breve, datum Romae apud S. Petrum sub die 5 decembris 1450, invenitur in *Memorie istoriche della Provincia dei Minori Osservanti detta di Bologna*, raccolte dal P. F. Fernando di Bologna. — Bologna 1717, p. 102s.
(4) Reg. Vat. t. 412, f. 134.
(5) Reg. Vat. t. 399, f. 154v.
(6) Reg. Vat. t. 423, f. 54. Cf. supra n. 1306, p. 668.

de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus futuris temporibus valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1450, XI kal. septembris, ... anno IV.

1386. 1) Aegidio du Merval (Mernal?), presbytero O. F. M., 2) Philippo Wallais, presbytero O. F. M., concedit licentiam transeundi ad O. S. Ben. atque recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, etiam prioratum, praeposituram, dignitatem, administrationem vel officium (1).

1450, augusti 22, Fabriani.

Religionis zelus *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1450, XI kal. septembris, ... anno IV.

1387. Guillelmo, episcopo Biterren., concedit licentiam secum habendi Iohannem de S. Cruce, O. F. M. (2).

1450, augusti 24, Fabriani.

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Biteren.

Devotionis tuae probata sinceritas *etc.* Cum itaque ... tu propter litterarum scientiam ac laudabilem conversationem religiosaeque vitae et morum honestatem dilecti filii Iohannis de S. Cruce, ordinis fratrum Minorum et theologiae professoris, et ad tuae conscientiae pacem et tranquillitatem necnon ex aliis rationabilibus causis desideres, ut tecum valeat residere, Nos ..., ut eumdem Iohannem in tua domo ac in tuum capellanum et familiarem continuum commensalem recipere valeas, ipseque Iohannes superiorum suorum vel alicuius alterius licentia super hoc minime requisita tecum, dum et quando tibi videbitur, residere ac tuis obsequiis insistere valeat, ... concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1450, IX kal. septembris, ... anno IV.

1388. Iohannem de Ruppe, praecentorem ecclesiae Cavallicen., baccalaureum in decretis, nepotem Bernardi, episcopi Montisalban., O. F. M. et theologiae professoris, et eiusdem episcopi haeredem, liberat a solutione certorum servitiorum communium et minutorum (3).

1450, augusti 24, Romae.

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.*

Datum Romae (!) apud S. Petrum, anno ... 1450, IX kal. septembris, ... anno IV.

1389. Iohannem Capelli, O. F. M., recipit in capellanum honoris eique concedit facultates pro praedicatione verbi divini et confessionibus audiendis (4).

1450, septembris 1, Fabriani.

Dilecto filio Iohanni Capelli, ordinis fratrum Minorum, Nostro et Sedis Apostolicae capellano.

Religionis zelus *etc.* Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit Nostrae mentis affectus, te, qui presbyter et, ut asseris, ordinem fratrum Minorum professus exsistis ac in conventu Tornacen. ex ordinatione provinciae Franciae dicti ordinis per plures annos sententias legisti, in Nostrum et Sedis Apostolicae capellanum honoris cum honoribus, oneribus et facultatibus consuetis auctoritate apostolica tenore praesentium gratiose recipimus *etc.* Et insuper tibi, ut ordinariorum locorum et quorumlibet aliorum licentia super hoc minime requisita verbum Dei ubique praedicare ac omnium et singulorum christifidelium utriusque sexus comitatus Hannoniae, Cameracen. dioec., confessionibus per te diligenter auditis, quotiens opportunum fuerit, pro commissis hactenus et imposterum committendis debitam eis absolutionem, etiam in omnibus casibus episcopalibus, auctoritate praedicta impendere ac poenitentias salutares iniungere, quoad vixeris, possis et valeas, plenam et liberam concedimus facultatem. Nulli ergo *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1450, kalendis septembris, ... anno IV.

1390. Confirmat instrumenta conventionis et transactionis circa exsecutionem testamenti per Bernardum, episcopum Montisalban., O. F. M., de licentia Apostolicae Sedis conditi, inter capitulum ecclesiae Montisalban. et Iohannem de Ruppe, praecentorem ecclesiae Cavallicen., baccalaureum in decretis, de nobili genere procreatum, praedicti Bernardi episcopi nepotem et haeredem universalem (5).

1450, septembris 2, Fabriani.

Ad futuram rei memoriam.

Ut piae testantium voluntates *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1450, IV nonas septembris, ... anno IV.

---

(1) Reg. Vat. t. 393, f. 4v, 5.

(2) Reg. Vat. t. 394. f. 158.

(3) Reg. Vat. t. 413, f. 214. In eadem bulla dicitur: « praefatus episcopus, dum in humanis ageret, olim una cum bonae mem. Iordano, episcopo Albanen., tunc in regno Bohemiae Apostolicae Sedis legato, et ad alias inde partes apostolica auctoritate ambasiator destinatus exstitit ». Cuius testamentum, « per personam idoneam de mandato Nostro diligenter examinatum, ex certis causis per alias Nostras litteras auctoritate apostolica et ex certa Nostra scientia... duximus confirmandum » De Bernardo episcopo cfr. supra n. 222, p. 107; n. 1311, p. 671.

(4) Reg. Vat. t. 393, f. 4.

(5) Reg. Vat. t. 392, f. 167v. — De Bernardo episcopo cf. supra 1388.

1391. Alphonso Corvea, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1450, septembris 5, Fabriani.

Religionis zelus *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1450, nonis septembris, ... anno IV.

1392. Abbatissae et conventui monasterii Ss. Trinitatis, extra muros Valentin., O. S. Cl., necnon donatis et commissis monasterii infra eiusdem claustra commorantibus concedit indulgentiam iubilaei sub ea conditione, quod poenitentes et confessae ecclesiam praedicti monasterii per 30 dies continuos vel interpolatos infra annum praesentem visitare et ante altare maius dictae ecclesiae genibus flexis singulis diebus huiusmodi devote 7 psalmos poenitentiales cum eorum litaniis semel et orationem dominicam ac salutationem angelicam septies necnon infra praesentem annum unum completum psalterium, et quae ad psalmorum et psalterii recitationem propter litterarum imperitiam inhabiles fuerint, ipsam orationem dominicam cum salutatione angelica triginta vicibus qualibet triginta dierum praedictarum dicere et recitare et insuper sextis feriis singularum hebdomadarum praesentis anni, ex quo de praesenti concessione notitiam habuerint, ieiunare teneantur (2).

1450, septembris 11, Fabriani.

Devotionis vestrae sinceritas *etc.*

Datum Fabriani, Camerinen. dioec., anno ... 1450, III idus septembris, ... anno IV.

1393. Laurentio Pugiol, O. F. M., in sacerdotio constituto, confert episcopatum Galtelinen. (in Sardinia), vacantem per obitum Sebastiani episcopi (3).

1450, septembris 28, Assisii.

Apostolatus officium *etc.*

Datum Assisii, anno ... 1450 IV kal. octobris, ... anno IV.

Eadem die sub forma *Hodie ecclesiae* scribit: *Capitulo ecclesiae Galtelinen.; Populo civ. et dioec. Galtelinen.*

1394. Iacobo Philomene, O. F. M., pro quo, ut capellano suo, Maria Francorum regina, supplicaverat, concedit facultatem recipiendi quodcumque regulare beneficium ecclesiasticum cuiuscumque ordinis (4).

1450, octobris 14, Spoleti.

Religionis zelus *etc.*

Datum Spoleti, anno ... 1450, pridie idus octobris, ... anno IV.

1395. Guillelmo Vallis, O. F. M., theologiae professori, qui pensionem annuam 20 librarum Turonen. parvorum super fructibus cuiusdam prioratus O. S. Ben. apostolica auctoritate percipiebat, pro quo, ut capellano et confessore suo, Maria, Francorum regina, supplicaverat, concedit facultatem una cum dicta pensione recipiendi duo beneficia regularia cuiuscumque ordinis (5).

1450, octobris 14, Spoleti.

Religionis zelus *etc.*

Datum Spoleti, anno ... 1450, pridie idus octobris, ... anno IV.

1396. Benedicto de Ferrariis de Alexandria, O. F. M., qui nobilis viri Iohannis, marchionis Montisferrati, capellanus exsistit, concedit licentiam recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (6).

1450, octobris 20, Pedisluci.

Religionis zelus *etc.*

Datum Pedisluci, Interamnat. dioec., anno ... 1450, XIII kal. novembris, ... anno IV.

1397. Nicolao Angeli de Urbe, O. F. M., qui a tempore, quo in domo B. Mariae de Aracoeli de Urbe regularis observantia posita fuit, non valens eiusmodi observantiam facere, apud genitores suos in senectute constitutos de suorum superiorum licentia permanserat, commendat ecclesiam S. Saturnini de Urbe (7).

1450, novembris 3, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno ... 1450, III nonis novembris, ... anno IV.

1398. Durando Sapelli, electo Murianen., O. F. M., sacrae theologiae professori, in sacerdotio constituto, confert ecclesiam Murianen., vacantem per obitum Dionysii, episcopi Murianen. (8).

1450, novembris 6, Romae.

Apostolatus officium *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno ... 1450, VIII idus novembris, ... anno IV.

---

(1) Reg. Lat. t. 458, f. 235, v.

(2) Reg. Vat. t. 392, f. 59. De monasterio Valentin. cf. supra n. 1332, p. 683.

(3) Reg. Lat. t. 462 f. 30v. Eidem concedit facultatem recipiendi consecrationem a quocumque catholico antistite litteris *Cum nos hodie* eadem die datis, ibid. f. 32.

(4) Reg. Vat. t. 391, f. 5v.

(5) Reg. Vat. t. 391, f. 5. — Cf. n. 1381, p. 711.

(6) Reg. Lat. t. 459. f. 78.

(7) Reg. Lat. t. 464, f. 158v. Huius commendationis exsecutio sub eodem die committitur Archiepiscopo Tarrentin. et Spoletan. ac Tiburtin. episcopis » : *Hodie dilecto filio Nicolao Angeli de Urbe, O. F. M.* etc.

(8) Reg. Vat. t. 413, f. 26. Eidem electo litteris *Sincerae devotionis affectus* d. d. 7 novembris 1450 dat facultatem exercendi pontificalia in civitate et dioec. Albien. et alibi. Ibid. f. 25v. Eidem episcopo litteris *Personam tuam* d. d. 27 februarii 1451 concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum, « ut statum suum iuxta episcopalis dignitatis decentiam commodius tenere valeat ». Ibid. t. 414, f. 123v.

1399. Margaritae de la Rocheta, abbatissae monasterii S. Clarae, Mutinen., O. S. Cl., concedit licentiam de bonis ex successione parentum, fratrum, sororum et aliorum consanguineorum ei delatis in piam causam in vita vel per testamentum disponendi (1).

1450, novembris 7, Romae.

Exigit devotionis sinceritas *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno ... 1450, VII idus novembris, ... anno IV.

1400. Mandat, ut ecclesiam B. Mariae de Platea, infra terram S. Elpidii, Firman. dioec., concedat fratribus O. F. M., quorum domus S. Francisci in dicta terra guerris destructa erat (2).

1450, novembris 9, Romae.

Dilecto filio Antonello de Smerillo, canonico Firman.

Ex apostolicae servitutis officio *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Francisci, de Nostra terra S. Elpidii, Firman. dioec., ordinis fratrum Minorum, petitio continebat, quod dudum, videlicet postquam terra praedicta ab illius incolis, ut fortior esset, in eius ambitu restricta taliter exstiterat, quod ecclesia et aedificia dictae domus extra muros praefatae terrae remanserant, bon. mem. Antonius, episcopus Firman., fratribus dictae domus, ut in eadem domo habitare et in eius ecclesia divina officia celebrare possent, ecclesiam B. Mariae de Platea, sitam infra ambitum praefatae terrae, cum eius domo et horto, illius tamen fructibus, redditibus et proventibus ac medietate oblationum eiusdem rectori ipsius ecclesiae B. Mariae pro tempore exsistenti reservatis cum solutione certi annui census ecclesiae Firman. singulis annis persolvendi ordinaria auctoritate concessit, prout in litteris ipsius episcopi eius sigillo munitis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, structurae et aedificia praefatae domus guerris et aliis sinistris eventibus, qui proh dolor in Nostra provincia Marchiae Anconitan. viguerunt, causantibus penitus destructa et demolita fuerint, ipsique fratres eamdem ecclesiam B. Mariae, quae de iure patronatus laicorum exsistit, si eis, quamprimum per cessum vel decessum illius rectoris vacare contigerit, censu huiusmodi praefato episcopo reservato concedatur, in domum praefati ordinis construere seu construi facere procurarent, pro parte praedictorum guardiani et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsam ecclesiam B. Mariae, dum vacaverit, ut praefertur, eis assignari mandare, et postquam illam assecuti fuerint, eis domum ordinis fratrum Minorum inibi construendi ... licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si tibi legitime constiterit, ecclesiam B. Mariae praedictam, cuius fructus ... decem florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum ... non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, de consensu tamen dictorum patronorum, fructibus et medietate oblationum rectori ac censu huiusmodi episcopo praefatis ... reservatis, eisdem guardiano et fratribus ... concedas, ita quod cedente vel decedente ipsius ecclesiae B. Mariae rectore ... liceat eisdem fratribus corporalem dictae ecclesiae B. Mariae possessionem auctoritate propria libere apprehendere ... dioecesani loci ... licentia minime requisita. Nos enim ... praefatis guardiano et fratribus in loco, ubi ecclesia ipsa seu eius habitationes consistunt, unam domum pro usu et habitatione perpetuis guardiani et fratrum ordinis huiusmodi construendi ..., iure *etc.* plenam et liberam licentiam concedimus, necnon eis, ... quod omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant, ... indulgemus. Non obstantibus *etc.* Et insuper, ne fructus ... in alios, quam dictae erigendae domus usus et utilitatem convertantur, volumus, ut episcopus praedictus et guardianus construendae domus huiusmodi pro tempore exsistentes administratorem ordinare ... valeant, qui singulis annis episcopo et guardiano praefatis rationem et computum reddere teneatur. Et si umquam aliquo tempore fratres praedicti eamdem ecclesiam B. Mariae liberam dimiserint, tunc illius collationem, dispositionem ad episcopum, praesentationem vero ad patronos huiusmodi pertinere ... decernimus *etc.*

Datum Laterani, anno ... 1450, V idus novembris, ... anno IV.

1401. Mandat, ut oratorium B. Mariae de Iesu terrae Minei, Syracusan. dioec., erigat in domum fratrum O. F. M. sub vocabulo S. Laurentii martyris (3).

1450, novembris 10, Romae.

Venerabili fratri episcopo Syracusan.

Piis fidelium votis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum terrae Minei, Syracusan. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsi, provide considerantes laudabiles mores religiosorum virorum fratrum ordinis Minorum, et quod propter

(1) Reg. Lat. t. 464, f. 163 v.
(2) Reg. Lat. t. 464, f. 164 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 48.
(3) Reg. Lat. t. 458, f. 255 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 47.

eorum exemplarem vitam, assiduas praedicationes et salubria monita aliaque spiritualia ... adminicula pene universo christiano populo utilitas et commoda spiritualia provenirent, pro ipsorum universitatis et hominum eruditione et informatione eiusdem ordinis fratres in dicta terra commorari cupientes, quamdam domum cum oratorio sive capella sub vocabulo B. Mariae de Iesu de licentia tua fratribus et ordini antedictis, ut in eodem loco ad hoc utique apto domus dicti ordinis cum ecclesia, ... officinis ... erigeretur, dederunt pariter et concesserunt; et deinde quondam Bartholomaeus de Mineo, olim canonicus Syracusan., ob reverentiam et devotionem, quas ad beatum Laurentium protomartyrem gerebat, utque in eodem oratorio sive capella ecclesia sub ipsius protomartyris vocabulo fundaretur et ad optatum perduceretur effectum, ... multa bona legavit. Cum autem ... ipsi, qui ob fratrum praedictorum carentiam etiam huiusmodi spiritualium praesidiorum penuriam patiuntur ac propterea unam dicti ordinis domum inibi habere desiderent, pro parte universitatis et hominum necnon dilectorum filiorum Francisci de Eugubio, procuratoris, ac Gerardi, provinciae Siciliae secundum morem dicti ordinis provincialis ministri, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et ... oratorium seu capellam et domum praedicta pro guardiano et aliquibus fratribus ... in domum dicti ordinis ... erigas et nihilominus ministro et fratribus antedictis, ut ibidem ecclesiam sub eiusdem protomartyris vocabulo cum campanili, ... officinis ... pro eorum usu ... aedificare possint, ... concedas. Nos enim ... fratribus in dicta erigenda domo pro tempore exsistentibus, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno ... 1450, IV idus novembris, ... anno IV.

1402. Redonen. et Nanneten. ac Cabillonen. officialibus mandat, quatenus Petro Lenet, alias Renys, O. F. M., capellano pontificio, Petri, ducis Britanniae, confessori, quocum olim, ut duo beneficia recipere valeat, dispensatum erat, et qui vi huius dispensationis prioratus primo de Gahart et deinde de Loheac, O. S. Ben., Redonen. et Maclovien. dioec., obtinuerat, postea autem nulla canonica dispensatione obtenta prioratum de Sanctisalbis, O. S. Ben., Veneten. dioec., receperat, praedictos tres prioratus commendare curent [1].

1450, novembris 11, Romae.

Solet copiosa Sedis Apostolicae *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno ... 1450, III idus novembris, ... anno IV.

1403. Confirmat laudum sive arbitrium de numero puellarum iuxta voluntatem fundatoris recipiendarum in monasterio S. Leonardi, Ianuen., O. S. Cl. [2].

1450, novembris 11, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii S. Leonardi Ianuen., ordinis S. Clarae.

Iis, quae ad lites *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod orta dudum inter vos ex una et dilectum filium nobilem virum Hieronymum de Flisco, civem Ianuen., de et super receptione duodecim puellarum domus de Flisco eiusdem in monasterii moniales iuxta fundatoris ipsius monasterii voluntatem et ordinationem ac ipsius occasione partibus ex altera materia quaestionis, tandem partes ipsae pro bono pacis et concordiae, volentes parcere laboribus et expensis, super his in communes amicos, tamquam eorum amicabiles compositores, pro sedanda controversia huiusmodi sub certis modo et forma compromisistis. Qui quidem assumpti arbitratores compromisso huiusmodi in se sponte suscepto et illius forma servata pro eo, quod fundator praedictus illa, quae dare aut facere monasterio praefato promiserat, ad plenum non observaverat, vosque pro eodem fundatore quasdam pecuniarum summas persolveratis, attenta etiam paupertate monasterii, quod propter praemissa depauperatum erat, et quod dictae puellae usque ad senarium numerum numquam in

---

[1] Reg. Vat. t. 404, f. 131 v. — Cf. supra n. 1260 p. 649.

[2] Reg. Vat. t. 415, f. 105. Eodem die aliis litteris *Iis, quae ad lites* eidem monasterio confirmat aliud laudum sive arbitrium, anno 1365, die 11 aprilis, a Guidone, archiepiscopo Ianuen., pronuntiatum, in quaestione orta inter praefatum monasterium ex una et quondam Ludovicum de Flisco et omnium descendentium a stipite quondam Ugonis Thedisii et Opizonis, nobilium de Flisco, ex altera partibus, cuius arbitrii vi monasterium tenebatur ad requisitionem descendentium ex nobilibus praedictis ad recipiendum et perpetuo retinendum sex dumtaxat puellas nobilium eorumdem absque dote, eleemosyna aut mercede et insuper ad persolvendum cuilibet earumdem sex monialium ultra alimentorum necessaria etiam 8 libras monetae Ianuen. ex fructibus dicti monasterii. Quod laudum Hieronymus de Flisco, volens Petrinam, filiam suam, in monialem praefati monasterii ultra dictum numerum absque dote et cum onere 8 librarum recipi, in causam traxerat coram Michaele, episcopo Maranen., qui etiam per suam definitivam sententiam monasterium condemnavit ad recipiendum dictam Petrinam, a qua sententia infra legitimum tempus ad Sedem Apostolicam exstitit appellatum. Reg. Vat. t. 398, f. 241 v. — De monasterio S. Leonardi cf. supra n. 1220, p. 622.

eodem monasterio per antea positae aut receptae fuerant, nisi a pauco tempore citra, ac ex certis aliis tunc expressis causis, per suam arbitralem sententiam sive laudum pronuntiarunt duodenarium numerum puellarum, sine dote aut pretio in dicto monasterio recipiendarum, sed cum provisione tamen octo librarum monetae Ianuen., anno quolibet per suos parentes vel consanguineos pro ipsarum qualibet persolvendarum, ad senarium numerum reducendum fore et reduxerunt, prout in quodam publico instrumento desuper confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte vestra *etc.* Nos igitur, ... laudum sive arbitrium praedictum ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica tenore praesentium scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno ... 1450, III idus novembris, ... anno IV.

1404. Symoni Francisci de Orlandis de Montevarchio, O. F. M., qui interdum strictura pectoris aliisque infirmitatibus ita aggravabatur, ut in domibus O. F. M., in quibus triginta annos vel circa, officium praedicationis etiam aliquamdiu exercendo, conversatus fuit, sine personae suae periculo remanere non possit, concedit licentiam recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum [1].

1450, novembris 16, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno ... 1450, XVI kal. decembris, ... anno IV.

1405. Matthaeo Lombardo, O. F. M., cui bon. mem. Matthaeus, episcopus Agrigentin. [2], tunc vicarius provincialis provinciae Siciliae ultra farum, habitum O. F. M. de observ. exhibuerat, quem postea fratres dicti ordinis propter brachii torturam, debilitates et violentam infirmitatem effusionis sanguinis ad professionem admittere recusabant, concedit facultatem transeundi ad tertium ordinem S. Francisci de poenitentia nuncupatum [3].

1450, novembris 19, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XIII kal. decembris, ... anno IV.

1406. Concedit facultatem recipiendi domum in Civitate Regali (Ciudad Real), Toletan. dioec., pro fratribus O. F. M. de observ. [4].

1450, novembris 21, Romae.

Dilectis filiis rectoribus, praetoribus et gubernatoribus oppidi Civitatis Regalis, Toletan. dioec.

Piis fidelium votis *etc.* Cum itaque ... vos, devotionis fervore succensi, quamdam domum sive quoddam eremitorium in oppido Civitatis Regalis, Toletan. dioec., sive extra muros illius, pro usu et habitatione fratrum ordinis Minorum de observantia ... construere ... desideretis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... vobis dictam domum cum campanili, ... officinis pro usu et habitatione praedictis recipiendi et retinendi, iure tamen *etc.* licentiam elargimur. Et insuper universis et singulis eiusdem observantiae fratribus, quos in domo sive eremitorio huiusmodi pro tempore degere contigerit, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* gaudere libere et licite valeant, ... indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XI kal. decembris, ... anno IV.

1407. Iohannem de Ruppe, praecentorem ecclesiae Cavallicen., liberat a solutione servitiorum camerae apostolicae debitorum ratione haereditatis Bernardi (O. F. M.), episcopi Montisalban. [5].

1450, novembris 23, Romae.

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.* Dudum siquidem, videlicet postquam fel. rec. Martinus papa V, praedecessor Noster, de persona bon. mem. Bernardi, episcopi Montisalban., tunc in theologia ac ordinis fratrum Minorum professoris, ecclesiae Montisalban., tunc pastore carenti, duxerat apostolica auctoritate providendum, ipseque Bernardus episcopus possessionem regiminis et administrationis eiusdem ecclesiae assecutus, illi per plures annos praefuerat, cuique postmodum de quibuscumque bonis suis mobilibus et immobilibus ab eo ex eadem ecclesia, alias tamen licite, acquisitis, etiam pro remuneratione illorum, qui sibi viventi servivissent, sive consanguinei forent sive alii, moderate tamen, disponendi et erogandi plena et libera facultas auctoritate apostolica concessa fuerat, sicut accepimus, idem episcopus, de bonis sibi a Deo collatis condens in eius ultima voluntate testamentum, inter alia dilectum filium Iohannem de Ruppe, praecentorem ecclesiae Cavallicen., bac-

(1) Reg. Vat. t. 393, f. 343 v.

(2) B. Matthaeus de Ghimena, de quo cf. supra n. 926, p. 453.

(3) Reg. Lat. t. 464, f. 99.

(4) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 49 « e l. 3 de div. form. a. IV, f. 99 ».

(5) Reg. Vat. t. 413, f. 24. — De Bernardo episcopo cf. supra n. 1388, p. 712.

calaureum in decretis, eius nepotem, haeredem suum universalem instituit atque fecit; noviter autem dilectus filius Michael de Prato, camerae apostolicae procurator fiscalis, asserendo eumdem Iohannem haereditatem huiusmodi indebite detinere, ipsum super hoc coram certo iudice in Romana curia traxit in causam, in qua ad aliquos actus dicitur processum exstitisse. Cumque, sicut etiam accepimus, praefatus episcopus, dum in humanis ageret, olim una cum bon. mem. Iordano, episcopo Albanen., tunc in regno Bohemiae Apostolicae Sedis legato, et ad alias inde partes apostolica auctoritate ambassiator destinatus exstiterit non sine ipsius magnis laboribus et expensis, quodque ab aliquibus asseratur, commune et nonnulla alia servitia minuta praefatae camerae et certis officialibus praedictae Sedis per eumdem episcopum, dum viveret, minime persoluta fuisse, quinimo post eius obitum remansisse obligatum, unde praefatus Iohannes, qui postmodum ex iure institutionis haereditariae huiusmodi haereditatem adivit ipsamque possidet de praesenti, super his impeti ac etiam molestari posse non mediocriter pertimescit tempore succedente, Nos ... motu proprio ... eumdem Iohannem ac eius haeredes et successores, qui pro tempore erunt, a communi et minutis servitiis camerae et officialibus praefatis ratione promotionis dicti Bernardi episcopi ad ipsam ecclesiam debitis auctoritate apostolica absolvimus, quietamus perpetuo et liberamus, ... super praemissis omnibus dilectis filiis gentibus camerae praedictae necnon super haereditate procuratori fiscali huiusmodi ac dilectis filiis capitulo, inter quos et bon. mem. Aymericum, olim episcopum Montisalban., quaedam occasione bonorum huismodi ex una et dictum Iohannem haeredem partibus ex altera factae, habitae ac per Nos dictarum aliarum litterarum obtentu confirmatae transactiones exstiterunt, ac venerabili fratri Nostro moderno episcopo Montisalban. perpetuum silentium imponendo *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, IX kal. decembris, anno IV.

1408. Mandat, ut ecclesiam S. Mariae de Gratia, olim S. Mariae de Campolapuente, extra muros oppidi de Cornago, Calagurritan. dioec., ad monasterium de Fitero, Tirasonen. dioec., O. Cist., pertinentem, concedat fratribus O. F. M. de observ. (1).

1450, novembris 24, Romae.

Dilecto filio priori monasterii B. Mariae de Najera, per priorem soliti gubernari, Calagurritan. dioec.

Etsi desideriis cunctorum christifidelium *etc.* Hodie siquidem pro parte dilecti filii Iohannis de Luna, domini oppidi seu villae de Cornago, Calagurritan. dioec., Nobis exposito, quod olim dilecti filii abbas et conventus monasterii de Fitero, Cistercien. ordinis, Tirasonen. dioec., considerantes, quod calamitatibus et turbinibus guerrarum, quae proh dolor a multis annis citra inter charissimos in Christo filios Nostros Castellae et Legionis ac Navarrae reges illustres viguerant et adhuc non cessabant, causantibus quaedam eremita (!) seu ecclesia S. Mariae de Gratia, olim eiusdem sanctae de Campolapuente nuncupata, extra et prope muros dicti oppidi seu villae consistens, ac nonnullae possessiones, eidem eremitae seu ecclesiae propinquae et ad dictum monasterium pertinentes, ipsi monasterio inutiles et infructuosae erant, dictam eremitam seu ecclesiam cum possessionibus praefatis eidem Iohanni pro certa tunc expressa pecuniarum summa vendiderant et summam huiusmodi in utilitatem ac necessitates dicti monasterii converterant, quodque ipse Iohannes ob singularem et praecipuam, quam ad S. Franciscum gerebat devotionem, eremitam seu ecclesiam ac possessiones huiusmodi animo et intentione inibi unam domum fratrum Minorum de observantia fundandi et erigendi emerat, venditionem et emptionem praedictas pro eorum subsistentia firmiori apostolico munimine roborari desiderabat, Nos tibi aliis Nostris litteris dedimus in mandatis, quatenus, si et postquam vocatis abbate et conventu praedictis necnon aliis, qui forent evocandi, tibi de praemissis legitime constaret, venditionem et emptionem praedictas, ac prout illas contingebat et rationabiliter processerant, et quaecumque inde secuta approbares et confirmares suppleresque omnes defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Iohannis petitio continebat, ipse Iohannes ex devotione praedicta eremitam seu ecclesiam huiusmodi, in qua ad praesens decem fratres eiusdem ordinis regularis observantiae Altissimo famulantes resident, in domum ordinis et observantiae praedictorum cum claustro, campana ac aliis pro usu et habitatione dictorum fratrum iuxta eorum regulam et consuetudinem de bonis sibi a Deo collatis fundare et construere seu fundari et construi facere intendat, si ei per Nos desuper licentia concedatur, pro parte eiusdem Iohannis, asse-

(1) Reg. Lat. t. 460, f. 41. Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 56, sed VIII kal. februarii.

rentis, quod ad hoc ordinarius loci suum praestitit assensum, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam dictarum litterarum vigore approbationem, confirmationem et suppletionem praedictas feceris, et vocatis dicto ordinario necnon aliis, qui fuerint evocandi, de assensu et aliis praemissis tibi legitime constiterit, eosdem fratres, si id a te humiliter petierint, ab excommunicationis sententia, quam praemissorum occasione incurrerunt, hac vice dumtaxat, in forma ecclesiae consueta iniunctis inde sibi pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, absolvas ac praefato Iohanni domum ipsam cum claustro, campana et aliis officinis praedictis construi et aedificari faciendi dictisque fratribus domum ipsam recipiendi et inhabitandi parochialis ecclesiae et quolibet alieno iure in omnibus semper salvo, fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus plenam et liberam auctoritate Nostra licentiam largiaris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VIII kal. decembris, ... anno IV.

1409. Hugoni Richard, O. F. M., concedit litteram passus (1).

1450, novembris 25, Romae.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VII kal. decembris, ... anno IV.

1410. Alvaro de Luna, O. F. M., electo Ebronen. (Hebron in Palaestina), theologiae professori, in sacerdotio constituto, confert ecclesiam Ebronen., vacantem per obitum illius ultimi episcopi (2).

1450, novembris 27, Romae.

Romani pontificis providentia circumspecta *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, V kal. decembris, ... anno IV.

1411. Mandat, ut approbet erectiones locorum fratrum O. F. M. de observ. custodiae citra Portus provinciae Castellae (3).

1450, decembris 3, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Zoili de Carrione, Palentin. dioec.

Inter ceteros ordines in agro plantatos ecclesiae sacrum ordinem fratrum Minorum *etc.* Sane pro parte dilecti filii Ludovici de Saja (4), custodis fratrum sub regulari observantia viventium dicti ordinis, custodiae citra Portus, provinciae Castellae iuxta morem eiusdem ordinis, nuper exhibita petitio continebat, quod infra districtum huiusmodi provinciae in diversis locis diversarum civitatum et dioecesium diversa eremitoria et alia loca pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis sub observantia praedicta viventium, sub debita tamen ab aliis quibusvis fratrum mendicantium domibus distantia, auctoritate vel saltem consensu dioecesanorum locorum huiusmodi interveniente noviter constructa et erecta ac ipsorum fratrum usibus applicata ac per fratres ipsos recepta et ex tunc inhabitata fuerunt. Quare pro parte dicti custodis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque, ... de praemissis tamen certam notitiam non habentes necnon eremitoria et loca praedicta ... pro expressis haberi volentes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... te diligenter informes, et si ... reppereris ita esse, fundationes, constructiones et erectiones eremitoriorum et locorum huiusmodi et quaecumque inde secuta auctoritate Nostra approbes et confirmes ac suppleas omnes defectus *etc.* Et nihilominus fratribus eisdem, quod eremitoria et loca huiusmodi perpetuo retinere libere et licite valeant, quodque fratres ... omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere possint, ... concedas, iure tamen *etc.* Non obstantibus *etc.* Nos enim tibi, ut ad singulas civitates vel dioeceses in eisdem civitatibus vel dioecesibus praesentes litteras Nostras exsequi valeas perinde, ac si in illis exsecutor vel iudex deputatus fores, nec aliae tibi quoad hoc obsisterent constitutiones *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, III nonas decembris, ... anno IV.

1412. Mandat, ut certis sororibus domus S. Hieronymi, III O. S. Fr., Florentin., concedat licentiam fundandi domum dicti ordinis in terra de Castiglione Arretino, Arretin. dioec. (5).

1450, decembris 5, Romae.

Venerabili fratri episcopo Cortonen.

Pia vota fidelium *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Magdalenae, Clarae,

(1) Reg. Vat. t. 413, f. 135 v, ubi formula ipsa litterarum omissa est.

(2) Reg. Vat. t. 413, f. 36. Eidem litteris *Sincerae devotionis affectus* d. d. 28 novembris 1450, concedit facultatem exercendi pontificalia in civitate et dioecesi Aduren. Ibid. f. 35 v.

(3) Reg. Lat. t. 464, f. 97 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 50.

(4) Cfr. supra n. 1008, p. 500.

(5) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 51. « e l. 3 de div. form. a. III, f. 276 ». Cf. supra n. 626, p. 295.

Domitillae et aliarum sororum domus S. Hieronymi, tertii ordinis S. Francisci, ... quae sorores de S. Georgio Florentin. appellantur, necnon Chechae, Pierae et Clarae de Castiglione Arretino dicti ordinis, Arretin. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsae ... in terra de Castiglione praedicto seu eius confinibus quamdam dicti ordinis domum cum ecclesia, ... officinis ad usum et habitationem ipsarum perpetuos fundare ... proponunt *etc.* Quare pro parte Magdalenae, Clarae, Domitillae, Chechae, Pierae, et Clarae et aliarum sororum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... eis domum cum ecclesia, ... officinis praedictis pro earum usu ... aedificari faciendi necnon eisdem sororibus domum praedictam intrandi ... et admittendi dioecesani *etc.* minime requisita plenam ... licentiam largiaris, iure *etc.* Nos enim eiusdem domus erigendae ministrae pro tempore exsistenti, ut confessor idoneus, quem duxerit eligendum, ipsius et cuiuslibet aliarum sororum confessionibus, quotiens opportunum fuerit, diligenter auditis pro commissis per eas, nisi talia fuerint, propter quae Sedes Apostolica sit merito consulenda, debitam absolutionem impendere, ... eucharistiae et alia ecclesiastica sacramenta ministrare valeat, ... indulgemus. Volumus autem, quod ministra erigendae huiusmodi domus per generalem eiusdem S. Hieronymi de Florentia domorum ministram eligi debeat ac etiam ordinari.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, nonis decembris, ... anno IV.

1413. Concedit fratribus O. F. M. vicariae insularum Canariae licentiam fundandi domum eiusdem ordinis et vicariae in insula de la Madera (Madeira) (1).

1450, decembris 10, Romae.

Dilectis filiis vicario generali [!] *et fratribus insularum dispersarum Canariae, ordinis fratrum Minorum.*

Dum ad praeclara vestrae religionis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, insula de la Madera insulis Canariae propinqua et in frumento et aliis ad humanam vitam sustentandam abundans fore dignoscitur, vobis et aliis fratribus dicti ordinis in praefatis insulis Canariae degentibus necessaria exsistat et propterea dictam insulam de la Madera sub vestra vicaria insularum Canariae huiusmodi iuxta morem dicti ordinis esse et in illa unam domum seu unum eremitorium cum ecclesia, campanili ... pro vestris seu aliquorum ex vobis usu et habitatione necessariis sub nomine et vocabulo, de quo vobis videbitur, fundare ... desideratis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, attendentes multiplicem fructum, quem vos et alii fratres dicti ordinis sub illius regulari observantia viventes ubilibet in Dei ecclesia dietim affertis et in praefatis insulis estis verisimiliter allaturi, ac propterea illa vobis concedere volentes, per quae commodius et laudabilius etiam cum vestrarum animarum salute in eisdem insulis possitis in Domino proficere iugiter incrementis, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, quod dicta insula de la Madera in praefata vicaria sit et esse censeatur, vosque in illa in aliquo tamen honesto et condecenti loco unam domum seu unum eremitorium cum ecclesia, campanili ... fundare ... valeatis, quodque domus seu eremitorium fundanda ... ac fratres in ea vel in eo pro tempore degentes omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere possint, iure tamen *etc.* ac vos et alii fratres dicti ordinis, quotiens ad praedictas insulas navigare volueritis, confessorem, qui in ingressu navigii in omnibus etiam Sedi Apostolicae reservatis semel tantum, et in defectu fratrum dicti ordinis, qui ad audiendum confessiones idonei sint, quemcumque alium sacerdotem, qui in omnibus, per Sedem praedictam reservatis et etiam, quos vicarius dictae vicariae pro tempore exsistens vel alii sui inferiores reservare voluerint, dumtaxat exceptis, necnon tu, fili vicari, eligere possitis confessorem, qui, quotiens fuerit opportunum, in omnibus etiam in illis casibus, quibus tu, fili vicari, subditos tuos absolvere potes, confessionibus vestris diligenter auditis pro commissis per vos excessibus, criminibus atque delictis debitam absolutionem impendere et iniungere poenitentiam salutarem ac tecum, fili vicari, etiam in illis, in quibus cum subditis tuis dispensare potes, dispensare valeat, ... concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, IV idus decembris, ... anno IV.

---

(1) Reg. Lat. t. 464, f. 112v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 52. — De domo de la Madera cf. supra n. 1358, p. 698. De fratribus in insulis Canariis cf. n. 1184, p. 601.

1414. Mandat, ut capellanias exsistentes in ecclesia S. Luciae, burgi Castri Bononien., O. F. M., eidem ecclesiae incorporet et uniat (1).

1450, decembris 10, Romae.

Venerabili fratri episcopo Imolen.

Sacrae religionis, sub qua dilecti filii guardianus et fratres domus S. Luciae in burgo Castri Nostri Bononien., Imolen. dioec., ordinis fratrum Minorum, exhibent Altissimo famulatum *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum ministri et fratrum provinciae Romandiolae secundum morem dicti ordinis Nobis exposito, quod olim dilecti filii universitas et homines dicti castri, provide considerantes, quod, si domus una dicti ordinis prope castrum ipsum consisteret, suarum animarum saluti tam in divinis audiendis officiis quam aliis salubribus monitionibus debita foret cum honestate consultum, ac advertentes parochialem ecclesiam S. Luciae, sitam in burgo eiusdem castri, nullos fructus vel redditus habere, eamdem ecclesiam, tunc per liberam resignationem dilecti filii Pauli de dicto castro, ipsius ecclesiae rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus venerabilis fratris Nostri Petri, episcopi Imolen., extra Romanam curiam sponte factam et per eumdem episcopum extra eamdem curiam ordinaria auctoritate admissam, vacantem, cum suis domo et habitatione praefatis ministris et fratribus ad hoc, ut cum Sedis Apostolicae licentia claustrum, dormitorium, refectorium, hortum, cellarium et alias necessarias officinas pro eorum usu et habitatione ibidem construere ... tenerentur, praefati episcopi ad hoc expresso accedente consensu unanimiter et concorditer assignarunt, cuius assignationis vigore minister et fratres praedicti, possessionem dictae ecclesiae assecuti, illius domum inhabitabant, tunc Nos dilecto filio venerabilis fratris Nostri episcopi Imolen. in spiritualibus vicario generali eius proprio nomine non expresso, Nostris litteris dedimus in mandatis, quod de praemissis omnibus et singulis ac eorum circumstantiis universis auctoritate Nostra se diligenter informaret et, si per informationem huiusmodi ita esse reperiret, assignationem praedictam et quaecumque inde secuta auctoritate Nostra approbaret et confirmaret ac dictis ministro et fratribus licentiam fundandi et erigendi ... dormitorium, claustrum, refectorium ac alias officinas huiusmodi pro eorum usu et habitatione plenam et liberam licentiam concederet, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum procuratoris dictae domus S. Luciae necnon patronorum capellarum sive altarium S. Laurentii et S. Blasii, in ecclesia dictae domus consistentium, petitio continebat, ipsi vigore litterarum et licentiae praedictarum eamdem ecclesiam S. Luciae fuerint pacifice assecuti illamque ex tunc tenuerint, ... quia tamen in dicta ecclesia capellae sive altaria praedicta, quae de iure patronatus laicorum, ut praefertur, exsistunt et per proprios rectores sive capellanos regi consueverunt, prout adhuc etiam reguntur, de quo in eisdem litteris nulla mentio facta fuit, ipsis ex hoc incommoditas et detrimentum non parva proveniunt pro eo, quod unus eorumdem capellanorum in parochianis ipsius ecclesiae in burgo praedicto consistentibus, ad quos pro ecclesiasticis sacramentis, cum id casus exigit, ministrandis, quia portae eiusdem castri nocturno tempore obseruntur, accedere nequit, saepe in dicta ecclesia sive domo pernoctare procuret et, nisi in illa cum ipsorum fratrum incommoditate resideat, eiusdem parochianis pervenire possit in huiusmodi sacramentorum perceptione periculum et non modicum detrimentum, quare pro parte procuratoris et patronorum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut capellas praedictas, quarum quatuordecim florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem ecclesiae, cuius fructus, redditus et proventus nulli sunt, in perpetuum incorporare ... dignaremur. Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, postquam patroni praedicti per te faciendae unioni ... sponte consenserint, capellas sive altaria praedicta cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis praefatae ecclesiae salvo iure patronatus in aliis auctoritate apostolica in perpetuum incorpores, unias et annectas, ita quod cedentibus vel decedentibus capellarum sive altarium praedictorum rectoribus sive capellanis aut illa quomodolibet dimittentibus liceat fratribus dictae domus S. Luciae capellarum sive altarium iuriumque et pertinentiarum praedictorum corporalem possessionem auctoritate dioecesani libere apprehendere et perpetuo retinere ac illorum fructus, redditus et proventus in ecclesiae, capellarum, altarium et domus praedictorum usus et utilitatem convertere. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, IV idus decembris, ... anno IV.

(1) Reg. Vat. t. 415, f. 56v. — Cf. supra n. 1063, p. 535.

1415. Bernardo de Bonitate, O. F. M., provinciae Siciliae, concedit licentiam extra domus sui ordinis permanendo recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (1).

1451, ianuarii 1, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, kalendis ianuarii, ... anno IV.

1416. Monasterium S. Luciae, Fulginat., O. S. Cl., eximit a solutione gabellarum etc. (2).

1451, ianuarii 4, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Sacrae religionis, sub qua dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii S. Luciae, Fulginat., ordinis S. Clarae, devotum et sedulum exhibent Altissimo famulatum *etc.* Hinc est, quod Nos, cupientes, ut in eodem monasterio eo devotius divinis laudibus intendatur, quo personae in illo vacantes studio piae vitae potiori fuerint immunitatis privilegio communitae, motu proprio, non ad earum vel alterius pro eis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate, abbatissam et conventum ac monasterium praedictum et ab eo dependentia alia monasteria, loca sive membra quaecumque necnon abbatissas et conventus eorumdem cum omnibus suis bonis mobilibus et immobilibus ac aliis rebus, iuribus et pertinentiis quibuscumque, quae in praesentiarum possident et in futurum dante Domino poterunt legitime adipisci, ab omnibus et singulis aliis collectis, gabellis, exactionibus, subsidiis realibus vel personalibus apostolica vel alia quavis auctoritate hactenus impositis et deinceps quomodolibet imponendis eadem auctoritate tenore praesentium de speciali gratia prorsus et omnino eximimus ac totaliter liberamus ipsaque omnia et singula ad solutionem gabellae seu cuiusvis alterius exactionis ratione delationis seu translationis rerum ac bonorum suorum quorumlibet de loco ad locum pro tempore faciendae nequaquam teneri decernimus et declaramus, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, pridie nonas ianuarii, ... anno IV.

1417. Mandat, ut monasterio B. Mariae de Montelucido, Perusin., O. S. Cl., concedat licentiam vendendi vel pignorandi aliqua bona ad monasterium Favaronis spectantia (3).

1451, ianuarii 4, Romae.

Venerabili fratri Bartholomaeo, archiepiscopo Ravennaten., pro Nobis et sancta Romana ecclesia civitatis Nostrae Perusin. gubernatori.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii B. Mariae de Montelucido, ordinis S. Clarae, portae Solis, Perusin., petitio continebat, quod, cum dictum monasterium propter aliqua occurrentia et praesertim expensas in quadam lite, dudum inter ipsas ex una et quondam abbatissam et moniales monasterii S. Pauli sive Favaronis, eiusdem ordinis, Perusin. dioec., partibus ex altera diutius ventilata, praegravatum sit oneribus debitorum nec habeant, unde suis creditoribus satisfaciant, nisi aliqua bona ad praefatum monasterium Favaronis eis canonice unitum legitime pertinentia alienentur, distrahantur sive alias pignorentur. Quare pro parte abbatissae et conventus praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis tot ex bonis dicti monasterii Favaronis vendendi, alienandi vel hypothecandi, quod eorum valor sive pretium ad summam mille florenorum auri de camera ascendat, et ex illo creditoribus huiusmodi satisfieri et alias eorum necessitatibus subveniri possit, licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... abbatissae et conventui praefatis tot ex bonis dicti monasterii Favaronis, quod eorum valor ad summam praedictam ascendat, congruo et decenti pretio quibusvis personis et cum omnibus et singulis sollemnitatibus in talibus adhiberi consuetis et opportunis vendendi, alienandi sive hypothecandi, prout tibi consultius pro ipsarum utilitate videbitur, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam largiaris *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, pridie nonas ianuarii, ... anno IV.

---

(1) Reg. Vat. t. 393, f. 240.

(2) Reg. Vat. t. 414, f. 154 v. Eodem die litteris *Hodie a Nobis emanarunt* huius concessionis exsecutionem committit Perusin., Fulginat. et Assisinat. episcopis. Ibid. f. 154. Eisdem abbatissae et monialibus litteris *Provenit* d. d. 20 februarii 1451 concedit remissionem plenariam in articulo mortis. Ibid. f. 156. De monasterio S. Luciae cf. supra n. 1203, p. 611.

(3) Reg. Vat. t. 414, f. 155 v. Cf. supra n. 1137, p. 578 et n. 1141, p. 579.

1418. Mandat, ut reforment domum sororum III O. S. Fr., oppidi Wesalien. (Wesel), Colonien. dioec. (1).

1451, ianuarii 4, Romae.

Dilectis filiis B. Mariae Cliven. et S. Martini Cranenbergen. decanis ac scholastico S. Victoris, Colonien. dioec., ecclesiarum.

Pastorali officii cura *etc.* Cum itaque, sicut ad Nostrum dilecta in Christo filia nobili muliere Maria de Burgundia, ducissa Cliven., referente non sine mentis turbatione pervenit auditum, nonnullae sorores domus oppidi Wesalien., in ducatu Cliven. consistentis, Colonien. dioec., tertii ordinis S. Francisci de paenitentia nuncupati, quae, albis vestitae et superpelliceo seu rocheto subtili albo superindutae, tria substantialia vota ordinis professae exsistunt, vage, dissolute, irregulariter et excessive contra omnem dicti ordinis observantiam et disciplinam in detestabilibus vita et moribus versari, ac quod deterius et scandalosius fore dignoscitur, earum crimina et prolem, ne tegi possint, in publicum producere non verentur in Dei offensam, religionis vilipendium, animarum suarum periculum ac christifidelium, praesertim in dicto oppido habitantium, perniciosum exemplum et scandalum plurimorum: pro parte eiusdem ducissae, asserentis se devotione singulari ductam ad tam pium opus perpetuam eleemosynam erogare velle, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad obviandum excessibus et scandalis huiusmodi super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam vocatis dictis sororibus et aliis, qui fuerint evocandi, vobis de praemissis legitime constiterit, ac praedicta ducissa aliqua bona in perpetuam eleemosynam praefatae domui erogaverit, ut praefertur, omnia et singula, quae in dicta domo reformanda videritis, reformare et pro maiori securitate, ac ne conversatione saecularium earum corda turbentur, praedictum vel S. Augustini ordinem in praefata domo instituere, et quod inantea perpetuis futuris temporibus dictae sorores sub sic instituti ordinis regulari observantia et perpetua clausura et communiter vivant, decernere ac illas ex sororibus praefatis, quae ad ordinem, vitam et observantiam huiusmodi vestris monitionibus induci non poterunt, ad alia loca eiusdem tertii ordinis, in quibus benevolas invenerint receptrices, transferre necnon sic reformatis personis, quod omnibus et singulis privilegiis ... aliis personis ordinis, quem in praefata domo per vos institui contigerit, concessis uti et gaudere possint, concedere, praeterea omnia et singula, quae pro reformatione huiusmodi necessaria et opportuna fore inveneritis, facere, ordinare et decernere, ac quae feceritis, ordinaveritis et decreveritis, observari facere auctoritate Nostra curetis. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Aut si domui et sororibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, pridie nonas ianuarii, ... anno IV.

1419. Antonio de Rupe, O. F. M., concedit licentiam insistendi servitiis ducis Burgundiae et utendi privilegiis eidem a ministro generali et ministro provinciae Franciae concessis (2).

1451, ianuarii 12, Romae.

Dilecto filio Antonio de Rupe, provinciae Franciae, ordinis fratrum Minorum professori.

Merentur fructuosa tuae vitae studia *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Guillelmus de Casali, sacrae theologiae magister et totius ordinis fratrum Minorum generalis minister, ad contemplationem dilecti filii nobilis viri Philippi, ducis Burgundiae, te de numero quatuor fratrum dicti ordinis, quos in capellanos dicti ducis instituerat, per quasdam deputavit necnon tibi, ut ad capellam praefati ducis, sitam in castro Namurci, quotiens idem dux tibi indicaret, cum socio tibi grato ire et ibidem divina officia persolvere ac in conventu eiusdem castri in camera dicti ducis ad hoc deputata stare, quodque unum dicti ordinis fratrem tibi in confessorem eligere, qui te in foro poenitentiae ab omnibus peccatis tuis et poenis spiritualibus, si quas transgressione statutorum dicti ordinis incurreres aut te incurrere contingeret in futurum, semel in mense absolvere valeret, quantum auctoritas officii dicti ministri se extendebat, quodque cum praelatis ecclesiarum Burgen. ac oppidanis dicti castri et religiosis ac aliis personis in eorum domibus comedere et bibere ac hospitari casu interveniente, cum ab eis fores requisitus, etiam quatuor iuvenes mundum fugere cupientes ad habitum eiusdem ordinis, absente tamen ministro et custode, servatis statutis, quae ad huiusmodi requiruntur, pro clericis recipere posses, concessit, nolens, quod aliquis eo inferior in praefatis gratiis te auderet impedire seu quomodolibet perturbare, donec per eumdem ministrum de ipsis aliter foret ordinatum. Et deinde praefatus Guillelmus minister, asserens se ad hoc a fel. rec. Eugenio papa IV, praedecessore Nostro, plenam habere facultatem, de plurimorum sacrae theologiae magistrorum aliorumque proborum eiusdem ordinis fratrum concordi consilio pariter et assensu te a conventu

(1) Reg. Lat. t. 461, f. 146.

(2) Reg. Vat. t. 396, f. 193. — Cf. supra n. 1350, p 695.

Hoyen. removit et excorporavit ac conventui Namurci tamquam eius filium et fratrem nativum cum omnibus gratiis, exemptionibus et privilegiis, quibus fratres supradicti conventus Namurci uti et gaudere consueverunt, applicavit et incorporavit ac remotum et incorporatum utriusque conventuum praedictorum interveniente consensu per alias denuntiavit, successive vero bon. rec. Petrus, eiusdem ordinis in provincia Franciae minister, ad petitionem et preces dilecti filii nobilis viri Antonii, comitis de Porcien., tibi, ut ad praesentiam dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Margaritae, coniugis praefati comitis, ubicumque foret, quando et quotiescumque ab ea rogatus et petitus esses, pro servitiis et obsequiis praefatum ordinem decentibus eidem comitissae exhibendis, sine tamen praeiudicio conventuum, in quibus moram traheres, adire posses, necnon ad praefatorum comitis et comitissae ac etiam ad ballivi et rectoris villae de Namurcio petitionem et requisitionem tibi inhabitandi cameram in conventu dictae villae situatam, quam dudum inhabitabat guardianus dicti conventus, donec Petrus minister id revocasset, per alias suas litteras licentiam concessit, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur. Nos igitur, attendentes, quod praefati ministri propter tua virtutum merita gratias huiusmodi tibi concesserunt, ac volentes etiam te, qui, ut asseris, ducis et comitis capellanus ac comitissae praedictorum confessor exsistis, praemissorum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, concessiones, remotionem, incorporationem, denuntiationem necnon singulas litteras praedictas ac omnia et singula in eis contenta et quaecumque inde secuta apostolica auctoritate tenore praesentium approbantes et confirmantes ac omnes et singulos defectus ... supplentes, tibi, ut in servitiis dictorum ducis et comitis ac comitissae, quotiens ab eis aut altero eorum fueris requisitus, insistere ac, quoad vixeris, in camera huiusmodi commorari et confessorem huiusmodi, qui te, ut praemittitur, absolvat, eligere omniaque alia et singula in omnibus litteris praefatis contenta facere et exercere libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, pridie idus ianuarii, ... anno IV.

1420. Paulino de Castrocario, O. F. M., qui a suo superiore licentiam deserviendi in aliqua ecclesia obtinuerat, et pro quo, ut dilecto suo, nobilis vir Iohannes Galeaz de Manfredis, domicellus Faventin., supplicaverat, concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (1).

1451, ianuarii 13, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, idibus ianuarii, ... anno IV.

1421. Mandat episcopo Cameracen., ut consecret ecclesiam etc. domus Antwerpien., O. F. M. de observ. (2).

1451, ianuarii 14, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus conventus Antwerpien., ordinis Minorum de observantia, Cameracen. dioec.

Votis illis gratum praestamus assensum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod ecclesiam vestri dicti conventus, altaria, coemeterium, calices et alia ornamenta eiusdem ecclesiae, ... quae nondum consecrata sunt, consecrari ferventer exoptatis. Quare pro parte vestra *etc.* Nos igitur ... venerabili fratri Nostro episcopo Cameracen. per apostolica scripta mandamus, quatenus, cum pro parte vestra fuerit requisitus, huiusmodi consecrationem facere non postponat. Quod si forsan ipse, ad quem de iure pertinet huiusmodi consecratio, aliis magis arduis occupatus negotiis id facere non poterit aut neglexerit, ne huiusmodi consecratio retardari possit, vobis ut huiusmodi ecclesiam ... a quocumque alio antistite consecrari cum sollemnitate in talibus fieri consueta facere possitis, ... concedimus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XIX kal. februarii, ... anno IV.

1422. [Alanum O. F. M.], episcopum Corisopiten., (Quimper) transfert ad archiepiscopatum (titularem) Caesarien. (3).

1451, ianuarii 15, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Caesarien.

Quam sit onusta dispendiis *etc.* Dudum siquidem bon. mem. Guillelmo, archiepiscopo Cae-

(1) Reg. Vat. t. 393, f. 285 v.

(2) Reg. Lat. t. 459, f. 47. – De conventu Antwerpien. cf. supra n. 1343, p. 690.

(3) Reg. Vat. t. 393, f. 301. Cf. supra n. 807, p. 380. Eidem Alano, olim Corisopiten. episcopo, in 72 aetatis anno constituto, senio confracto et infirmitatibus incurabilibus detento, reservat annuam pensionem 2000 scutorum auri, cugni regis Franciae, super fructibus mensae episcopalis Corisopiten. litteris *Apostolicae Sedis circumspecta benignitas* d. d. eodem die 15 ian. 1451. Reg. Vat. t. 414, f. 14 et Reg. Lat. t. 461, f. 100 v. Idem Alanus in litteris *Ad exsequendam pastoralis officii* eiusdem diei 15 ian. 1451, quibus Iohanni confert episcopatum Corisopiten., dicitur « in septuagesimo quarto suae aetatis anno constitutus ». Reg. Lat. t. 465 f. 217 v.

sarien., regimine ecclesiae Caesarien. praesidente *etc.* Postmodum vero ecclesia praedicta per obitum ipsius Guillelmi archiepiscopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit *etc.*, demum ad te, tunc episcopum Corisopiten., consideratis *etc.*, te a vinculo, quo eidem Corisopiten. ecclesiae, cui tunc praeeras, tenebaris, absolventes, te ad praefatam ecclesiam Caesarien. sic vacantem transferimus teque illi praeficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem *etc.* Quocirca fraternitati tuae *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XVIII kal februarii, ... anno IV.

1423. Statuit, ne quis exemptionem fratrum O. F. M. violare praesumat (1).

1451, ianuarii 16, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Etsi cunctorum fidelium *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Angeli de Perusio, ministri generalis, et fratrum dicti ordinis petitio continebat, quod, licet ipsi fratres ipsorumque domus et loca per speciale Sedis Apostolicae privilegium ab omni iurisdictione et superioritate quorumcumque ordinariorum sint exempti pariter et immunes et dumtaxat Romano pontifici ac Sedi Apostolicae immediate subiecti exsistant, nihilominus nonnulli archiepiscopi, episcopi eorumque vicarii sive alii locorum ordinarii in diversis mundi partibus et praesertim in Hispaniae et Legionis regnis consistentes eosdem fratres molestare, perturbare, inquietare, capere, carcerare ac de eorum domibus invitos expellere et detinere praesumunt in grave ipsorum archiepiscoporum et episcoporum ac aliorum ordinariorum huiusmodi animarum periculum, dictae Sedis contemptum ac fratrum et ordinis praedictorum damnum et praeiudicium ac scandalum plurimorum. Quare pro parte ministri et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc eis providere de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, illo volentes eisdem ministro et fratribus praesidio subvenire, per quod huiusmodi personarum praesumptio retundatur, et eisdem archiepiscopis, episcopis, officialibus et aliis ordinariis antedictis praecludatur aditus similia committendi, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica praesenti irrefragabili constitutione statuimus et mandamus, quod nulla persona, cuiuscumque dignitatis, status, gradus vel conditionis exsistat, de cetero eosdem fratres molestare, perturbare, capere, carcerare vel de eorum domibus antedictis invitos expellere quoquomodo praesumat. Quodsi forsan quisquam contra hanc Nostram constitutionem temere venire praesumpserit, excommunicationis poenam ipso facto incurrat. Et nihilominus, ne eisdem fratribus delinquendi tacite concedi videatur impunitas aut occasio malignandi, ministro generali dicti ordinis pro tempore exsistenti concedimus, quod omnes et singulos fratres sive in monasteriis monialium sive in aliis domibus, conventibus, eremitoriis et locis dicti ordinis commorantes, etiam ab obedientia, visitatione, correctione dicti ministri per specialia Sedis Apostolicae indulta se exemptos esse praeter regulae et statutorum dicti ordinis formam praetendentes, non obstantibus quibuscumque privilegiis, exemptionibus, indultis et litteris apostolicis eis eorumque monasteriis sive domibus, conventibus, locis praedictis et eremitoriis per Nos vel Sedem Apostolicam in genere vel specie concessis, de quibus in Nostris litteris habenda esset mentio specialis, iuxta constitutiones et regularia instituta antiqua dicti ordinis corrigere, visitare, punire et emendare ac in criminibus gravioribus, si res ipsa exegerit, cum moderamine tamen torturae subiicere possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus ac pariter facultatem. Constitutionibus apostolicis ac dicti ordinis iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XVII kal. februarii, ... anno IV.

1424. Commendat Angelum de Perusio, ministrum generalem O. F. M. (2).

1451, ianuarii 16, Romae.

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis.

Cum dilectus filius Angelus de Perusio, ordinis Minorum, pro reformatione dicti ordinis ac domorum illius, necnon residentium in eisdem personarum visitatione, prout ex debito sui officii adstrictus est, habeat se ad diversas mundi partes transferre, Nos volentes *etc.* usque ad numerum septem personarum *etc.*, quatenus praefatum ministrum, quo liberius huiusmodi officium exsequi valeat, ut convenit, pro Nostra et dictae Sedis reverentia commendatum habentes, sibi circa omnia et singula, quae exse-

(1) Reg. Vat. t. 413, f. 229; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 54. (2) Reg. Vat. t. 413, f. 226v. — Cf. n. praec.

cutionem officii praedicti ac statum et augmentum eiusdem ordinis et personarum earumdem pacem et quietem concernunt, efficacis favoris auxilio et praesidio protectionis assistatis ipsumque cum personis, equis, rebus et bonis *etc.* ne iniuria vel offensa afficiatur, nec ab aliis, quantum in vobis fuit, inferri patiamini, sed ipsos potius commendatos habentes per portus, pontes *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XVII kal. februarii, ... anno IV.

1425. Mandat, ut pensiones ex apothecarum sitibus in platea ante ecclesiam S. Francisci Assisinat., O. F. M., provenientes applicet reparationi domus et ecclesiae S. Francisci (1).

1451, ianuarii 16, Romae.

Venerabili fratri episcopo Assisinat.

Piis supplicum votis libenter annuimus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum custodis et conventus domus S. Francisci Assisinat., ordinis fratrum Minorum, petitio continebat, quod, licet platea sita ante ecclesiam domus praedictae ad dictam domum legitime pertineat, tamen dilecti filii cives seu commune civitatis Nostrae Assisinat. temporibus, quibus multi christifideles indulgentiarum causa de diversis mundi partibus ad eamdem ecclesiam confluunt, situs apothecarum, quae in dicta platea praemissis temporibus eriguntur, locant vel vendunt pretiaque seu pensiones in proprias utilitates convertunt et inter se distribuunt et indebite partiuntur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefata domus plurima reparatione indigeat, et ad reparationem huiusmodi christifidelium eleemosynae aut facultates aliae dictae domus minime suppetant, pro parte custodis et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut pretia et pensiones ex apothecarum sitibus huiusmodi proventura de cetero in reparationem dictae domus converti illaque domui praefatae propterea applicari mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si vocatis civibus praedictis et aliis, qui fuerint evocandi, de praemissis vobis legitime constiterit, pretia seu pensiones huiusmodi praefatae domui pro illius reparatione in perpetuum applices. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XVII kal. februarii, ... anno IV.

1426. Fratribus O. F. M. de observ. eremitorii S. Mametis de Abando, Calagurritan. dioec., concedit receptionem dicti eremitorii perinde valere (2).

1451, ianuarii 19, Romae.

Dilectis filiis Ludovico de Saja, custodi, et Fartimio de Abando, vicario ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum in provincia Castellae secundum morem dicti ordinis, ac aliis fratribus professoribus eiusdem ordinis in eremitorio sub vocabulo S. Mametis, etiam de Abando, prope turrim de Basuria, Calagurritan. dioec., commorantibus.

Promptum et benevolum *etc.* Dudum siquidem pro parte vestra fel. rec. Eugenio papae IV, praedecessori Nostro, exposito, quod olim dilecti filii Didacus Lupi de Anverbay et Iohannes Sancii et nonnulli alii laici Calagurritan. dioec., veri patroni cuiusdam eremitorii sub vocabulo S. Mametis de Abando, prope Turrim de Basuria, dictae dioec., consistentis, tibi, Ludovico, pro te et aliorum fratrum de observantia nuncupatorum, ordinis fratrum Minorum, tunc praesentium et futurorum usu et habitatione cum certo fundo et aliis suis iuribus et pertinentiis ad eosdem patronos pleno iure spectante devotionis et pietatis intuitu concorditer et unanimiter concesserant pariter et donaverant, quarum concessionis et donationis vigore dicti fratres de observantia eremitorium praedictum de tuo, Ludovici, mandato ex tunc inhabitaverant, prout tunc inhabitabant, sedulum et devotum sub observantia huiusmodi exhibentes Altissimo famulatum, ac etiam pro parte tui, Ludovici, ac fratrum praedictorum eidem praedecessori supplicato, ut concessionem et donationem huiusmodi approbare et confirmare tibique, Ludovico, et eisdem fratribus tunc praesentibus et futuris, ut huiusmodi eremitorium perpetuo tenere et inhabitare illudque necessariis et opportunis et aliis consuetis officinis reficere et ampliare, quodque vobis, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere valeatis, de benignitate apostolica concedere dignaretur, idem praedecessor, de praemissis certam notitiam non habens, ... dilecto filio priori prioratus S. Catharinae de Cornejo, Burgen. dioec., eius proprio nomine non expresso suis litteris inter alia dedit in mandatis, ut, si et postquam de donatione et concessione huiusmodi sibi legitime constaret, illas, dummodo in alicuius iniuriam vel detrimentum non cederent, ... approbaret et confirmaret ac tibi, Ludovico, ipsisque fra-

(1) Reg. Lat. t. 464, f. 118.

(2) Reg. Lat. t. 464 f. 116v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 55. — De Ludovico de Saja cf. supra n. 1411, p. 718.

tribus eremitorium praedictum ad eorum et aliorum fratrum praedictorum usum pro tempore recipiendi ... licentiam eadem auctoritate concederet, prout in eisdem litteris plenius continetur (1). Postmodum vero, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, dilectus filius Iohannes de Cerezeda, prior dicti prioratus, ad exsecutionem dictarum litterarum procedens, illarum praetextu, quia praedicta veritate fulciri illaque in alicuius iniuriam seu praeiudicium minime redundare legitime constitit, concessionem et donationem praedictas approbavit pariter et confirmavit, vobis, Ludovico et fratribus antedictis, praedictum eremitorium, ut superius expressum est, recipiendi et illud inhabitandi illudque reficiendi et officinis huiusmodi ampliandi, ita etiam, quod privilegiis ... gaudere deberetis, plenam et liberam dicta auctoritate licentiam concessit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, vos pro eo, quod dictus Iohannes prior, videlicet postquam praefatus praedecessor rebus fuerat humanis exemptus, ad ipsarum litterarum exsecutionem huiusmodi processit, dubitetis approbationem, confirmationem et concessionem praedictas viribus non subsistere, Nos ... volumus et apostolica vobis auctoritate concedimus, quod confirmatio, approbatio et concessio praedictae et quaecumque inde secuta a data praesentium valeant plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus et per omnia etiam perinde, ac si praefatae litterae praefato praedecessore adhuc in eisdem humanis agente, prout superius enarratur, exsecutioni demandatae exstitissent. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XIV kal. februarii, ... anno IV.

1427. Paulo de Ragusio, O. F. M., nobilis viri Martini, comitis Segniae, Veglae et Modrusiae, capellano, propter aegritudines rigorem ordinis fratrum Minorum, in quo per 30 annos permanserat, ferre non valenti, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (2).

1451, ianuarii 21, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XII kal. februarii, ... anno IV.

1428. Confirmat privilegia domus S. Francisci Assisinat. O. F. M. (3).

1451, ianuarii 23, Romae.

Dilectis filiis custodi et fratribus domus S. Francisci, Assisinat., ordinis fratrum Minorum.

Cum a Nobis petitur *etc.* Eapropter dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a praedecessoribus Nostris Romanis pontificibus sive per privilegia vel alias indulgentias vobis et domui vestrae concessas necnon libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus ac aliis christifidelibus rationabiliter vobis dictaeque domui indultas, sicut ea iuste et pacifice possidetis, vobis et per vos domui praedictae auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, X kal. februarii, ... anno IV.

1429. Abbati monasterii S. Andreae Mantuan. mandat, ut Iacobum de Vercellis, O. F. M., qui a Farino de Ghiglinis, abbate monasterii S. Pauli de Mezano, O. S. Ben., in monachum dicti monasterii receptus, ibi per 12 annos vixerat, absolvat a censuris et poenis eique concedat facultatem remanendi in ordine S. Benedicti (4).

1451, ianuarii 23, Romae.

Sedis Apostolicae copiosa benignitas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, X kal. februarii, ... anno IV.

1430. Archipresbytero ecclesiae Sabinen. mandat, ut Lucam Pascutii, O. F. M., ad monasterium S. Cassiani, extra muros Narnien., O. S. Ben., transgressum, absolvat a censuris eique conferat abbatiam saecularem et collegiatam S. Donati, Sabinen. dioec., necnon canonicatus et praebendas ecclesiae Sabinen. et B. Mariae intra et S. Petri extra muros castri Tarani, dictae dioec. (5).

1451, ianuarii 26, Romae.

Apostolicae Sedis indefessa clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VII kal. februarii, ... anno IV.

1431. Antonello de Suessa, O. F. M., concedit licentiam manendi cum Iacobo, episcopo Suessan. (6).

1451, ianuarii 27, Romae.

Dilecto filio Antonello de Suessa, ordinis fratrum Minorum professori.

Exposcit tuae devotionis sinceritas *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, venerabilis frater No-

(1) Vide supra n. 981, p. 482. (2) Reg. Lat. t. 464, f. 72.
(3) Laetus Alessandri, Franciscus Pennacchi, *Bullarium pontificium sacri conv. S. Francisci Assis.*, n. 292, p. 137.
(4) Reg. Lat. t. 464, f. 34v.
(5) Reg. Vat. t. 415, f. 176.
(6) Reg. Lat. t. 464, f. 91.

ster Iacobus, episcopus Suessanen., qui te, antequam aliquam domum ordinis fratrum Minorum ingredereris et antequam ordinem ipsum expresse profitereris, ab infantia tua in domo sua enutrivit ac in moribus et scientia edocuit, de vitae tuae munditia confisus ac singularis devotionis causa et ob melioris vitae frugem cupiat te in suum habere capellanum et familiarem continuum commensalem retinere, Nos, votis ipsius episcopi in hac parte favorabiliter annuentes eiusque supplicationibus inclinati, tibi cum praefato episcopo, quamdiu voluerit, residendi, morandi et permanendi eiusque obsequiis, sub habitu tamen et regula dicti ordinis vivendo, insistendi, necnon praefato episcopo te in suum capellanum, confessorem et familiarem continuum commensalem ac sub eius protectione recipiendi, assumendi et retinendi licentiam et auctoritatem apostolica auctoritate harum serie concedimus, generalis, provincialis, guardiani et cuiusvis alterius dicti ordinis superioris tui licentia minime requisita, teque interim quoad hoc ab eorumdem superiorum dicti ordinis iurisdictione et coercitione exemptum ac sub protectione et coercitione dicti episcopi subiectum decernimus etiam per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VI kal. februarii, ... anno IV.

1432. Francisco de Vegla, O. F. M., qui cum Iohanne, episcopo Constantien., nuper ad Hungariae et Bosnae regna destinato, itinerando fuit, concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (1).

1451, ianuarii 30, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, III kal. februarii, ... anno IV.

1433. Concedit indulgentias 7 annorum et 7 quadragenarum pro ecclesia domus B. Mariae virginis sub Suovich in Uxora, regni Bosnae, O. F. M., in qua intercessione eiusdem gloriosae virginis plurima frequenter coruscant miracula, die festo annuntiationis B. M. V. annuatim lucrandas (2).

1451, februarii 1, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, kalendis februarii, ... anno IV.

1434. Sorores domus S. Caeciliae, Civitatis Castelli, III O. S. Fr., eximit a gabellis etc. (3).

1451, februarii 4, Romae.

Dilectis filiabus Marettae, ministrae, et sororibus domus seu oratorii S. Caeciliae, Civitatis Castelli, tertii ordinis S. Francisci de paenitentia nuncupati.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Sane, sicut accepimus, licet ex nonnullis possessionibus, quas in communi habetis, aliquod parum, non tamen quod vobis sufficiat, quin pro maiore parte anni ostiatim eleemosynas pro vestris victu atque vestitu quaerere et mendicare cogamini **, nihilominus dilecti filii officiales civitatis Nostrae Civitatis Castelli a vobis gabellas et dativas quemadmodum ab aliis ipsius civitatis civibus exigere et vos quamvis pauperes et egenas ad illas persolvendas cogere non verentur. Nos igitur ... motu proprio ... vos, ministram et sorores dictae domus sive oratorii, praesentes et quae pro tempore erunt, ab omnibus et singulis gabellarum, dativarum huiusmodi solutione perpetuo eximimus *etc.*, mandantes *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, pridie nonas februarii, ... anno IV.

1435. Vicario archiepiscopi Florentin. in spiritualibus generali mandat, ut Francisco de Andreottis de Utino, Aquileien. dioec., Francisci, episcopi Portuen., sanctae Romanae ecclesiae vicecancellarii, familiari et commensali, conferat canonicatum et praebendam ecclesiae B. Mariae, Civitatis Austriae, Aquileien. dioec., vacantem per ingressum Georgii Xenofontis in domum S. Francisci de Vinea, O. S. Francisci, Castellan. dioec. (4).

1451, februarii 5, Romae.

Laudabilia dilecti filii *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, nonis februarii, ... anno IV.

1436. Confirmat privilegia domui S. Francisci Assisinat. concessa (5).

1451, februarii 7, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet ex debito summi pontificatus *etc.* Hinc est, quod Nos, dilectorum filiorum custodis et fratrum domus S. Francisci Assisin. in hac parte supplicationibus inclinati, omnia et singula immunitates, exemptiones, libertates, gratias et indulta a fel. rec. Gregorio IX et XI, Nicolao,

(1) Reg. Vat. t. 413, f. 367 v.
(2) Reg. Vat. t. 414, f. 29 v.
(3) Reg. Lat. t. 464, f. 169 v.
(4) Reg. Lat. t. 459, f. 207.
(5) Reg. Vat. t. 414, f. 140. Cf. supra n. 1428, p. 726.

Clemente, Alexandro, Innocentio IV et VII, Bonifatio IX ac aliis summis pontificibus, praedecessoribus Nostris, ecclesiae et domui praefatae eiusque pro tempore custodi et fratribus hactenus concessa atque facta necnon illorum apostolicas confirmationes et validationes ac quascumque Gregorii, Nicolai, Clementis, Alexandri, Innocentii, Bonifatii et aliorum praedecessorum praedictorum confecta et emanata litteras et privilegia, quorum omnium tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate apostolica tenore praesentium ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus illaque plenariam roboris firmitatem etiam perinde, ac si ea per Nos de verbo ad verbum, prout in litteris et privilegiis praedictis continetur, de novo concessa forent, obtinere eadem auctoritate decernimus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VII idus februarii, ... anno IV.

1437. Petro Bruni, electo Tiberiaden., O. F. M., in sacerdotio constituto, confert ecclesiam Tiberiaden., vacantem per obitum Arnaldi, episcopi Tiberiaden., eique concedit, ut monasterium B. Mariae de Aquistris, O. S. Ben., quod iam in commendam obtinuerat, retinere valeat, atque etiam, ut in Arelaten., Lascurren. et Convenarum civitatibus et dioecesibus pontificalia exercere possit (1).

1451, februarii 12, Romae.

Apostolatus officium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, pridie idus februarii, ... anno IV.

1438. Confirmat reductionem domorum O. F. M. ad observantiam regularem et fundationem novarum sub eadem observantia in provincia Castellae (2).

1451, februarii 13, Romae.

Ad futuram rei memoriem.

Urget Nos suscepti cura regiminis *etc.* Sane, cum, sicut accepimus, domus et loca religiosa plurima ordinis fratrum Minorum in provincia Castellae secundum morem dicti ordinis consistentia ad debitam iuxta primaeva ipsius ordinis instituta regularem observantiam reformata sint atque reducta, quaedam etiam sub huiusmodi observantia sint noviter fundata et erecta, ac in illis integer observantiae cultus adeo efflореat ut exinde fructus exuberent omnis sanctimoniae et honestatis ac conversationis Deo placitae et vitae exemplaris, et sicut devotorum quorumdam, qui fratrum in domibus et locis praedictis degentium vitam piam sinceris amplectuntur charitatis affectibus, Nobis oblata petitionis series continebat, ipsi verisimiliter timeant, ne fratribus in domibus noviter fundatis et erectis huiusmodi degentibus occasione fundationis et erectionis earumdem turbationis moveatur materia, ac tam illi quam in aliis ad huiusmodi observantiam reductis domibus et locis fratres pro tempore commorantes per suorum, quos in suis domibus et locis pro tempore elegerint, praesidentium sive superiorum destitutiones ac fratrum eorumdem ad alia loca translationes vel domorum et locorum huiusmodi ad laxiorem observantiam mutationes per dicti ordinis provinciales ministros aut alios superiores faciendas ab huiusmodi observantia retrahi ac in eisdem domibus et locis ipsa observantia supprimi et conculcari possint tempore succedente, pro parte devotorum eorumdem Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui integritati observantiae huiusmodi dictorumque fratrum statui in tranquillitatis et quietis dulcedine conservandis, prout incumbentis Nobis sollicitudinis cura deposcit, libenter intendimus, huiusmodi in hac parte supplicationibus inclinati, fundationes et erectiones praedictas, quae ex dioecesanorum locorum permissione congruis in locis et ab aliis domibus et locis mendicantium sub debita distantia sitae sunt, necnon omnia circa domorum et locorum aliorum praedictorum ad praefatam observantiam reductorum reformationem provide gesta rata et grata eorumdemque tam noviter erectorum quam aliorum domorum et locorum nomina designationes praesentibus pro expressis habentes, fundationes et erectiones et gesta huiusmodi ac omnia inde secuta pro illorum subsistentia firmiori auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et etiam approbamus, supplentes *etc.* Et nihilominus volumus et auctoritate praedicta earumdem praesentium serie statuimus et decernimus, quod perpetuis futuris temporibus guardiani et alii dictis domibus et locis noviter erectis et aliis ad huiusmodi observantiam reductis praesidentes per fratres in eisdem domibus et locis degentes pro tempore electi absque ipsorum, qui eos elegerunt, seu fratrum domorum et locorum eorumdem consensu a suis officiis per quemquam ex provincialibus dictae provinciae ministris seu aliis dicti ordinis superioribus amoveri, quodque etiam fratres in eisdem domibus et locis sub huiusmodi observantia degentes ad alia loca per eosdem ministros seu alios superiores inviti

(1) Reg. Vat. t. 414, f. 122v. Cf. supra n. 1302, p. 667. | (2) Reg. Lat. t. 464, f. 4v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 57.

transferri, huiusmodi quoque observantiae rigor in eisdem domibus et locis laxari seu ipsa domus et loca aliis dicti ordinis fratribus non sub huiusmodi observantia viventibus assignari aut ipsi in illis poni seu locari seu ipsis sub huiusmodi observantia viventibus adiungi per quemquam ex ministris et superioribus antedictis, quibus etiam, ne quidquam eorum attentare praesumant, districtius inhibemus, quavis auctoritate minime debeant sive possint sub excommunicationis poena, quam secus facientes incurrant eo ipso, et a qua, praeterquam in mortis articulo constituti, ab alio quam Romano pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, idibus februarii, ... anno IV.

1439. Revocat litteras, quibus fratres ordinum mendicantium a solutione canonicae portionis eximuntur (1).

1451, februarii 13, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Tunc recte et congrue officium Nostrum *etc.* Nuper siquidem dilecti filii prior generalis et fratres ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini cum importuna supplicationis instantia a Nobis extorserunt litteras tenoris subsequentis:

Nicolaus episcopus etc.

Dilectis filiis priori generali et fratribus ordinis Eremitarum S. Augustini.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Hinc est, quod Nos, vestris supplicationibus inclinati, ut de iis, quae pro ornamentis, paramentis, libris, fabrica, luminaribus, anniversariis, septimo, vicesimo, tricesimo vel aliis diebus ad perpetuum cultum divinum seu pro pietantia aut victu vel vestitu, ad sustentationem eorum aut pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquae domus vestri ordinis obligatae dicuntur, vel de domibus, praediis, hortis et locis emendis secundum instituta vestri ordinis de iis, quae pro eiusmodi hortis et locis emendis vobis legantur seu hactenus legata fuerunt, dummodo non convertantur in alios usus, sed in illos tantum, pro quibus relicta fuerunt aut relinqui contigerit, nulli teneamini canonicam exhibere, vobis tenore praesentium indulgemus. Et ne quis a vobis vel ultimarum voluntatum exsecutoribus seu decedentium haeredibus de praemissis aut de iis, quae vobis in ultimis voluntatibus legantur vel antea legata fuerunt seu alias pro vestris necessitatibus conferentur, aliquid exigere vel extorquere praesumat, districtius inhibemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, pridie kalendas iunii, ... anno IV.

Cum autem ex litteris praedictis rectoribus parochialium ecclesiarum evidens fiat iniuria, maxime cum sit in sacris canonibus provide statutum et ordinatum, quod praedicti et quorumcumque ordinum mendicantium fratres de luminaribus, anniversariis et aliis in praedictis litteris contentis eisdem rectoribus canonicam exhibere portionem teneantur, Nos ... motu proprio, non ad alicuius vel aliquorum Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate et ex certa scientia praedictas necnon quascumque alias quibusvis aliis quorumcumque ordinum mendicantium fratribus aut eorum conventibus sive domibus ubicumque consistentibus seu ordinibus huiusmodi per Nos seu praedecessores Nostros Romanos pontifices super non exhibitione canonicae portionis huiusmodi sub quacumque verborum forma, etiam motu proprio et scientia similibus concessas litteras ac processus habitos per easdem et quaecumque inde secuta, illarum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, pro expressis habendo, revocamus, cassamus et annullamus, decernentes praedictos ac omnes et singulos fratres eorumdem ordinum ad exhibitionem canonicae portionis huiusmodi iuxta praedecessorum Nostrorum Romanorum pontificum Bonifatii VIII, Iohannis XXII et Clementis V instituta in omnibus et per omnia teneri et compelli posse et debere perinde, ac si litterae ipsae a Nobis seu praedecessoribus Nostris non emanassent. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, idibus februarii, ... anno IV.

1440. Mandat, ut approbet erectionem domus S. Agnetis de Andujar, Giennen. dioec., olim III O. S. Fr., in monasterium O. S. Cl. et institutionem Marinae Luppi in abbatissam (2).

1451, februarii 13, Romae.

Venerabili fratri episcopo Corduben.

Inter universa opera *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Marinae Luppi, abbatissae, et nonullarum sororum monasterii S. Agnetis de Andujar, ordinis S. Clarae, Giennen. dioec., petitio conti-

(1) Inclusa in alia bulla diei 30 martii eiusdem anni 1451; vide infra.

(2) Reg. Lat. t. 459, f. 62v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 53.

nebat, quod, cum olim Marina et sorores praedictae in dicto monasterio, tunc domo tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, degentes, ob frugem melioris et arctioris vitae domum ipsam in monasterium ordinis S. Clarae erigi et institui ac inibi sub ipsius ordinis S. Clarae regulari observantia Altissimo famulari desiderarent, venerabilis frater Noster Gundisalvus, episcopus Giennen., praefatam domum in monasterium eiusdem ordinis S. Clarae cum ecclesia, campanili ... auctoritate ordinaria erexit ac de persona dictae Marinae, tunc ordinem ipsum S. Clarae expresse professae, eidem sic erecto monasterio providit ipsamque illi in abbatissam praefecit ac ex tunc dicta Marina cum eisdem sororibus in praefato monasterio sub observantia huiusmodi laudabiliter vixit, prout vivit de praesenti. Quare pro parte *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... erectionem et institutionem praefatas auctoritate Nostra approbes et confirmes suppleasque omnes defectus *etc.* Et nihilominus ... eisdem abbatissae et sororibus, quod dictum monasterium omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere possit, eadem auctoritate concedas, iure *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, idibus februarii, ... anno IV.

1441. Iohanni de Tervisio, O. F. M., concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum [1].

1451, februarii 18, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XII kal. martii, ... anno IV.

1442. Abbati monasterii S. Stephani Terdonen. mandat, ut Iuvenalem de Brayda, O. F. M., qui duodecimo aetatis suae anno domum S. Francisci de Fossano, Taurinen. dioec., eiusdem ordinis, ingressus, per septem annos, non tamen expressam professionem emittendo, primo ibi, deinde in alia domo eiusdem ordinis moratus, ad quam cum quondam Hilario, abbate monasterii S. Martiani, extra muros Terdonen., O. S. Ben., tunc O. F. M., et theologiae professore, transiverat et clericali charactere insignitus erat, et postea obtenta licentia ministri provincialis O. F. M. ab Hilario abbate in monasterio S. Martiani praedicto receptus, ibi regularem professionem emiserat, ad omnes sacros ordines promotus erat et ibi per sex annos permanserat et deinde per quadriennium prioratum seu capellam SS. Vitalis et Agricolae ab ipso monasterio dependentem tenuerat, a censuris et poenis absolvat eique concedat licentiam in ordine S. Ben. permanendi et ei praedictum prioratum conferat [2].

1451, februarii 18, Romae.

Sedis Apostolicae clementia copiosa *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XII kal. martii, ... anno IV.

1443. Monasteria B. Mariae de Montelucido, extra muros Perusin., S. Pauli de Favarone, Perusin. dioec., et S. Mariae Angelorum portae S. Petri de Perusio, O. S. Cl., eximit a solutione gabellarum etc. [3].

1451, februarii 20, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii B. Mariae de Montelucido, extra muros Perusin., ordinis S. Clarae.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Hinc est, quod Nos, vestris supplicationibus inclinati, ut eo devotius divinis laudibus intendatis, quo potiori fueritis immunitatis privilegio communitae, abbatissam et conventum ac monasterium praedictum et S. Pauli de Favarone, Perusin. dioec., et S. Mariae Angelorum, portae S. Petri de Perusio, monasteria ac ab eo dependentia loca sive membra quaecumque necnon abbatissas et conventus earumdem cum omnibus suis bonis mobilibus et immobilibus ac aliis rebus, iuribus et pertinentiis quibuscumque, quae in praesentiarum possidetis sive possident et in futurum dante Domino poteritis sive poterunt legitime adipisci, ab omnibus et singulis talliis, collectis, gabellis, exactionibus, subsidiis realibus vel personalibus, apostolica vel alia quavis auctoritate hactenus impositis et deinceps quomodolibet imponendis, eadem auctoritate tenore praesentium de speciali gratia prorsus et omnino eximimus ac totaliter liberamus et ad solutionem gabellae seu cuiusvis alterius exactionis ratione delationis seu translationis rerum ac bonorum quorumlibet de loco ad locum faciendae nequaquam teneri decernimus et declaramus, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, X kal. martii, ... anno IV.

---

[1] Reg. Lat. t. 459, f. 67v.

[2] Reg. Lat. t. 459, f. 18.

[3] Reg. Vat. t. 414, f. 152v. Eodem die litteris *Hodie a Nobis emanarunt* huius gratiae exsecutio committitur Perusin., Fulginat. et Assisinat. episcopis. Ibid. f. 153. Eodem die eisdem abbatissae et monialibus monasterii B. Mariae de Montelucido, portae Solis, litteris *Provenit* d. d. 20 februarii 1451 concedit remissionem plenariam in articulo mortis. Ibid. f. 157. — Cf. supra n. 1417, p. 721.

1444. Sorores domus S. Agnetis Viterbien., III O. S. Fr., liberat a solutione gabellarum (1).

1451, februarii 23, Romae.

Dilectis in Christo filiabus sororibus domus S. Agnetis Viterbien., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos, quae ex piis fidelium eleemosynis vitam ducitis, plerumque a gabellariis et officialibus terrarum, castrorum et locorum, ad quae pro eisdem eleemosynis consequendis accedere et inclinare vos plerumque contingit, praetextu gabellarum et pedagiorum in extrahendo ex ipsis terris, castris et locis frumento, vino, sale et aliis rebus pro victu et sustentatione vestris ab eisdem fidelibus elargitis necnon in molendo frumento huiusmodi fit aliqua difficultas. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut attento, quod ex mendicitate vivitis et propter Deum bona praedicta vobis liberaliter ab eisdem fidelibus tribuuntur, vos a quarumcumque gabellarum et pedagiorum solutione eximere et liberare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, vos a quarumcumque gabellarum pro quibuscumque bonis vobis ex huiusmodi eleemosynis provenientibus sive alias elargitis solutione et exactione eximimus et penitus liberamus, eisdem officialibus, gabellariis harum serie inhibentes, ne vos in extrahendo frumento, vino et aliis rebus praedictis pro victu vestro necessariis dumtaxat impedire, arrestare seu detinere aut aliquam noxiam novitatem inferre, quinimo frumentum huiusmodi molere et ad eamdem domum absque alia solutione pedagii sive gabellae libere et licite transire permittant. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VII kal. martii, ... anno IV.

1445. Laurentium de Panormo, O. F. M., instituit inquisitorem contra fraticellos de opinione (2).

1451, februarii 25, Romae.

Dilecto filio Laurentio de Panormo de Sicilia, ordinis fratrum Minorum professori.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta *etc.* Cum itaque, sicut ex fide digna relatione plurimorum non sine animi displicentia percepimus, in plerisque mundi partibus quaedam secta haereticorum nefanda exsistit, quae fraticellorum de opinione vulgariter nuncupatur, Nos, huic haeresi salubri remedio providere cupientes, ne alii contagione huius morbi pestiferi inficiantur, sed dirigente Domino ad viam veritatis reducantur, confidentes etiam per tuae prudentiae et sollicitudinis studium, quod ea, quae tibi committenda duxerimus, prudenter et fideliter exsequeris, te, quem fide dignorum testimoniis accepimus religionis zelo, fidei sinceritate, honestate morum et litterarum scientia insignitum, usque ad Nostrum beneplacitum inquisitorem haereticae pravitatis facimus, constituimus et etiam deputamus, dantes et concedentes tibi plenam et liberam potestatem praefatos fraticellos ac alios quamcumque haeresim sapientes eorumque adhaerentes, complices et servitores et receptatores eorumdem, cuiuscumque status, gradus, conditionis vel praeeminentiae fuerint, etiam si communitates, universitates et municipia sint, in quibuscumque mundi partibus eos esse compereris, inquirendi, procedendi, capiendi et carceribus mancipandi ac alias iuxta canonicas sanctiones et sanctorum patrum instituta, prout cuiusvis qualitas delicti exegerit, puniendi ac brachium etiam saeculare, si opus fuerit, contra eosdem invocandi necnon huiusmodi haeresim abiurare volentes, si alias relapsi non fuerint, recepta ab ipsis prius et facta abiuratione haeresis ac errorum huiusmodi ac etiam recepto ab eis et praestito iuramento, quod talia deinceps non committant nec committentibus seu adhaerentibus consilium vel favorem praestabunt, et alias in forma ecclesiae consueta absolvendi, recipiendi et ad Nostrum et ecclesiae gremium reducendi, insuper personas ipsas in pristinum statum restituendi et reponendi omniaque et alia singula gerendi et exercendi, quae ad huiusmodi pestem reprimendam et penitus exstirpandam opportuna esse dignoscuntur, et ad praemissa et singula viros idoneos, prout expedire videris, ad te assumendi, deputandi et subdelegandi ipsosque revocandi et alios eorum loco, quotiens tibi opportunum videbitur, capiendi, ponendi plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem. Tu igitur *etc.* Per huiusmodi autem commissionem per Nos factam locorum ordinariis, quominus ipsi inquisitionis officium super haeresibus praedictis ... exercere valeant, et quibuslibet privilegiis tuo ordini et inquisitori-

(1) Reg. Lat. t. 464, f. 135. — De domo S. Agnetis cf. supra n. 875, p. 422.

(2) Reg. Vat. t. 414, f. 117. Eidem Laurentio eodem die conceditur littera passus; ibid. f. 118. — De Laurentio cf. supra n. 886 b, p. 430.

bus haereticae pravitatis concedi solitis nullum praeiudicium afferri volumus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, V kal. martii, ... anno IV.

1446. Fratribus domus S. Francisci, Senen., O. F. M., concedit licentiam perficiendi ecclesiam in honorem S. Bernardini Senen. in eadem civitate eamque consecrari faciendi a quocumque catholico antistite (1).

1451, februarii 27, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus conventus S. Francisci, ordinis Minorum, Senen.

Pia vota fidelium *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos ob singularem devotionis affectum, quem ad B. Bernardinum de Senis geritis, quamdam ecclesiam in civitate Senarum in loco ad hoc congruo et honesto iam diu inceptam et non perfectam de christifidelium bonis ad hoc iam porrectis et porrigendis in honorem et sub vocabulo eiusdem sancti perficere eamque per aliquem catholicum antistitem dedicari et consecrari facere desideratis. Quare pro parte vestra *etc.* Nos igitur ... ecclesiam praedictam iuxta vestram devotionem sub dicti sancti vocabulo ad integram perfectionem construendi et aedificandi ipsamque, postquam constructa et aedificata fuerit, a quocumque volueritis antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente dedicari et consecrari faciendi eidemque antistiti illam dedicandi et consecrandi, iure *etc.* licentiam elargimur. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, III kal. martii, ... anno IV.

1447. Mandat, ut confirment venditionem certorum bonorum domus S. Francisci de Tuscanella, Viterbien. dioec., O. F. M. de observ. (2).

1451, februarii 27, Romae.

Dilecto filio priori saecularis et collegiatae ecclesiae B. Mariae maioris de Tuscanella, Viterbien. dioec.

Iis, quae ecclesiarum *etc.* Sane petitio pro parte dilectorum filiorum vicarii ordinis fratrum Minorum de observantia, provinciae Romanae, necnon guardiani et conventus domus S. Francisci de Tuscanella, eiusdem ordinis, Viterbien. dioec., Nobis nuper exhibita continebat, quod olim guardianus et conventus praedicti de Tuscanella, nonnulla dictam domum ac quasdam in illa existentes capellas et alia immobilia bona habentes, pro eo, quod eorum statui et ordini ac fratribus praedictis non conveniebant nec etiam competebant, per procuratores suos vendi fecerunt a Nobis super hoc in forma brevis licentia obtenta. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, emptores domorum praedictorum dubitent venditionem huiusmodi et emptiones secutas propterea viribus non subsistere, pro parte vicarii, guardiani et fratrum ac emptorum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, ... venditionem et emptionem praefatas ... approbes et confirmes, supplendo *etc.* Et nihilominus alia restantia ex praedictis immobilia bona per deputatos seu deputandos ab eis procuratores vendendi et alienandi ac pretium exinde suscipiendum in reparationem domus praedictae, si illam in evidentem utilitatem eorumdem cedere reppereris, ... convertendi ... licentiam largiaris, proviso, quod domus et capellae praedictae propterea debitis non fraudentur obsequiis, sed eorum debite supportentur onera. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, III kal. martii, ... anno IV.

1448. Mandat, ut fratribus O. F. M. de observ. concedant licentiam manendi in eremitoriis S. Mariae de Angelis, S. Francisci de Foyo, S. Marci evangelistae de Palomero, Caurien. dioec. (3).

1451, martii 2, Romae.

Venerabili fratri episcopo et dilecto filio officiali Caurien.

Sacrae religionis, sub qua dilecti filii vicarii et fratres domorum seu eremitoriorum S. Mariae de Angelis, S. Francisci de Foyo, S. Marci evangelistae de Palomero, ordinis fratrum Minorum, vestrae dioec., *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vicariorum et fratrum praedictorum petitio continebat, quod, cum olim eremitoria praedicta instituta et fundata ac ipsi, ut ibidem obsequiis divinis insisterent, deputati fuissent ac inibi postmodum permanserint, prout permanent de praesenti, tamen, quia ab aliquibus dubitatur institutiones, fundationes et deputationes huiusmodi absque Sedis Apostolicae auctoritate viribus non subsistere eosque in eisdem absque ipsius Sedis licentia licite remanere non posse, Nobis humiliter supplicarunt *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... committimus et mandamus, quatenus ... vos diligenter informetis et ... eisdem vicariis et fra-

(1) Reg. Lat. t. 459, f. 17. — De domo Senen. cf. supra n. 482, p. 230.

(2) Reg. Lat. t. 459, f. 110v.

(3) Reg. Lat. t. 464, f. 138. — De domo de Angelis et de Foyo (?) cf. supra n. 80, p. 46.

tribus in eisdem institutis et fundatis oratoriis in regulari observantia et sub obedientia provincialis ministri iuxta eorum ordinis regulam perpetuo remanendi ... licentiam largiatis. Et nihilominus eisdem vicariis et fratribus ... concedatis, quod ipsi ... gaudeant omnibus privilegiis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VI nonas martii, ... anno IV.

1449. Mandat, ut monasterium S. Marini, Ariminen., O. S. Cl., assignet canonicis congregationis Salvatoris Lateranen., O. S. Aug. (1).

1451, martii 5, Romae.

Venerabili fratri episcopo Ariminen.

Ea quae a praedecessoribus Nostris *etc.* Exhibita siquidem Nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Sigismundi de Malatestis, militis Ariminen., petitio continebat, quod olim per dilectos filios rectorem et canonicos congregationis Salvatoris Lateranen., tunc de Frisonaria nuncupatae, ordinis S. Augustini, fel. rec. Eugenio papae IV, praedecessori Nostro exposito, quod monasterium monialium S. Marini, Ariminen., ordinis S. Clarae, regulari observantia destitutum foret ac moniales in eo degentes minus laudabilem vitam ducerent, idem praedecessor ex his et aliis sibi expositis causis dilecto filio .. praeposito ecclesiae Ariminen. eius proprio nomine non expresso suis dedit litteris in mandatis, ut vocatis abbatissa et conventu dicti monasterii de praemissis ... se diligenter informaret, et si per informationem huiusmodi ea repperiret fore vera, ... abbatissalem dignitatem et dictum ordinem S. Clarae in eodem monasterio supprimeret ac monasterium ipsum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis rectori et canonicis congregationis huiusmodi tunc praesentibus et futuris iuxta eorum ritus et consuetudines perpetuo regendum et gubernandum appropriaret, applicaret, incorporaret, annecteret et uniret, ita quod ex tunc liceret rectori huiusmodi pro tempore exsistenti per se vel alium seu alios corporalem possessionem monasterii iuriumque et pertinentiarum eorumdem auctoritate propria libere apprehendere ac illius fructus, redditus et proventus in suos ac canonicorum et monasterii praedictorum utilitatem convertere ac voluit, quod bon. mem. Christophorus, tunc episcopus Ariminen., post suppressionem huiusmodi abbatissam et moniales tunc exsistentes ad alia quaecumque S. Clarae vel aliorum ordinum monasteria sive loca transferret et, prout sibi videretur, illis ad vitam vel ad certum tempus pro earum sustentatione certam reservaret, ut sibi videretur, et assignaret super dicti monasterii fructibus portionem, prout in eisdem litteris dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, varietate temporum, incuria aut negligentia id causantibus dicti praedecessoris tempore praefatae litterae exsecutioni demandatae non fuerint, et idem Christophorus episcopus exstiterit vita functus, Nos, qui interim ... ad apicem summi apostolatus assumpti fuimus, omnes uniones, quae nondum effectum sortitae fuerant, revocaverimus ac propterea nequeat ad litterarum earumdem procedi exsecutionem, pro parte eiusdem Sigismundi, considerantis, ut asserit, monasterii dissolutionem huiusmodi ac sperantis illud per rectorem et canonicos supradictos, ad quos propter laudabilem et religiosam vitam ipsorum ac laudabiles in Dei ecclesia fructus singularem gerit devotionis affectum, posse in divino cultu et temporalibus plurimum reformari, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ad litterarum praedictarum exsecutionem procedas in omnibus et per omnia iuxta illarum continentiam atque formam, ac si tibi directae fuissent et ad illarum exsecutionem procedere incepisses, praemissis ac constitutionibus ... non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, III nonas martii, ... anno IV.

1450. Episcopo Pennen. et Iohanni Baptistae de Mellinis ac Leonardo de Riciis, basilicae principis apostolorum de Urbe canonicis, mandat, ut Marino Damalenis de Calabria, O. F. M., familiari et continuo commensali Prosperi, diaconi cardinalis S. Georgii ad Velum aureum, conferri curent ecclesiam parochialem S. Hippolyti de Urbe (2).

1451, martii 6, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, pridie nonas martii, ... anno IV.

1451. Abbati monasterii S. Ragneberti, Lugdunen. dioec., et custodi Lugdunen. ac praeposito Lausanen. ecclesiarum mandat, ut Bartholomaeo Egorfati, O. F. M., in theologia magistro, commendent beneficium ecclesiasticum in Gebennen. et Lausanen. civitatibus vel dioecesibus primo vacaturum, cuius

(1) Originales litterae in Archivio canonicorum regularium Lateran., Romae ap. basil. S. Petri ad Vincula. — Cf. supra n. 692, p. 325.

(2) Reg. Vat. t. 415, f. 140.

collationem papa sibi reservaverat per bullam *Circa commissorum Nobis coelitus* datam eodem die et anno (1).

1451, martii 9, Romae.

Religiosus zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VII idus martii, ... anno IV.

1452. Francisco Bartholomaei de Fighino, O. F. M., qui vigore facultatis ab Eugenio IV concessae ecclesiam parochialem S. Bartholi de Taipano (Tipano), Caesenaten. dioec., obtinuerat, et pro quo nobilis vir Malatesta Novellus de Malatestis, in civitate Caesenat. in temporalibus vicarius pontificius, supplicaverat, concedit facultatem permutandi beneficium (2).

1451, martii 10, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, VI idus martii, ... anno IV.

1453. Praeposito ecclesiae S. Angeli in burgo Reatin. mandat, ut Antonio Francisci de Stornabreto, presbytero eiusdem dioec., conferat archipresbyteratum S. Sebastiani de Podio Filiorum Hugonis (Poggiofidone), dictae dioec., vacantem per obitum Dominici de Montegamaro, O. F. M., qui dictum archipresbyteratum auctoritate apostolica commendatum tenuerat (3).

1451, martii 11, Romae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, V idus martii, ... anno V.

1454. Causam inter Lupum de S. Spiritu, III O. S. Fr., et Stephanum Sotello ac Rodericum Ballua, O. Praed., de domo S. Iuliani del Monte, Legionen. dioec., committit decernendam (4).

1451, martii 18, Romae.

Dilectis filiis scholastico et cantori ecclesiae Salamantin.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Lupi de S. Spiritu, tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, eiusdem ordinis in Castellae et Legionis regnis generalis visitatoris, petitio continebat, quod orta dudum inter Lupum ex una, Stephanum Sotello ac Rodericum Ballua, ordinis fratrum Praedicatorum professores, ex altera partibus super domo S. Iuliani del Monte, Legionis dioec., et illius occasione materia quaestionis, Nos causam huiusmodi ad instantiam dicti Lupi dilecto filio magistro Petro Martini de Caveisrubeis, capellano Nostro et causarum palatii apostolici auditori, audiendam commisimus *etc.* Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, de meritis causae huiusmodi melius possit in partibus quam in Romana curia liquere, pro parte eiusdem Lupi Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae mandamus, quatenus ... Stephano et Roderico ac aliis ... absolutionis beneficium simpliciter vel ad cautelam ... impendatis, super aliis vero ..., quod iustum fuerit, appellatione remota decernatis, facientes *etc.* Testes *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XV kal. aprilis, ... anno IV.

1455. Nicolao Petruzoli Mucii de Hera, O. F. M., quem parochiani parochialis ecclesiae S. Thomae de Pastina, Lunen. dioec., rectorem nominaverant, concedit facultatem recipiendi dictam ecclesiam (5).

1451, martii 19, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XIV kal. aprilis, ... anno V.

1456. Revocat cassationem unionis monasterii S. Pauli de Favarone, extra muros Perusin., O. S. Cl., cum monasterio S. Mariae Montislucidi, extra muros Perusin. O. S. Cl. (6).

1451, martii 20, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ex paternae charitatis officio *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum monialium monasterii S. Pauli de Favarone extra muros Perusin., ordinis S. Clarae, Nobis exposito, quod, licet olim dilectus filius Noster Dominicus, tit. S. Crucis in Ierusalem presbyter cardinalis, tunc in Perusin. et nonnullis aliis Nostris et Romanae ecclesiae civitatibus, terris et locis Apostolicae Sedis legatus, pro eorumdem monasterii et monialium statu salubriter et prospere dirigendo aliisque tunc expressis causis monasterium ipsum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis monasterio S. Mariae Montislucidi, extra muros Perusin., dicti ordinis, in quo praefatus cardinalis quamdam clausuram fieri et ordinari fecerat, auctoritate legationis huiusmodi perpetuo univisset, annexuisset et in-

(1) Reg. Vat. t. 396, f. 284 v. Bulla *Circa commissorum* ib. f. 285.
(2) Reg. Vat. t. 403, f. 103. — Cf. supra n. 913, p. 446.
(3) Reg. Lat. t. 467, f. 263. — Cf. supra n. 842, p. 396.
(4) Reg. Lat. t. 464, f. 141 v. — De domo S. Iuliani cf. supra n. 1354, p. 696. De Lupo de S. Spiritu cf. n. 94, p. 51.
(5) Reg. Vat. t. 395, f. 160.
(6) Reg. Vat. t. 414, f. 157. — Cf. supra n. 1443, p. 730.

corporasset ipsasque moniales tunc unitas et renitentes ac protestantes, quod ad id minime consentire intendebant, ad ipsum monasterium S. Mariae transferri iussisset et ad illud transire fecisset, tamen post eiusdem cardinalis ab ipsa civitate Perusin. discessum dicta clausura per moniales tunc exsistentes dicti monasterii S. Mariae prostrata et destructa ipsae, considerantes se propterea cum vitae honestate et animarum quiete et salute ibidem vivere et remanere non posse, ad ipsum monasterium S. Pauli redierant et ibi laudabiliter vivere pro posse disposuerant, ac subiuncto, quod unio et annexio praedictae absque ipsorum consanguineorum et affinium, quibus praemissa displicuerant, scandalo et discordia subsistere non posset, eis detrimentum et damnum plurimum succederet in futurum: Nos, scandalis et dissensionibus eisdem obviare volentes, unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi ac litteras desuper confectas, etiam si illa apostolica auctoritate confirmata fuissent, et processus desuper habitos auctoritate praedicta revocavimus ... ipsasque moniales S. Pauli cum omnibus et singulis bonis suis mobilibus et immobilibus in statum pristinum ... restituimus ... eisque, ut in eodem monasterio S. Pauli remanere libere et licite valerent, eadem auctoritate concessimus, prout in eisdem Nostris litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus dicti monasterii S. Mariae petitio continebat, revocatio, cassatio et annullatio unionis, annexionis et incorporationis earumdem, quibus moniales monasterii S. Pauli praedicti alias legitimis tractatibus intervenientibus capitulariter consenserunt, et minus veris causis fuerint revocatae, et nisi suum debitum sortirentur effectum, in gravissimum abbatissae et monialium Montislucidi praedictarum, quae, ut asserunt, vigore unionis, annexionis et incorporationis ac consensus praedictorum monasterii S. Pauli antedicti et eius bonorum fuerunt possessionem assecutae illamque ex tunc tenuerunt et posseserunt, prout tenent et possident etiam de praesenti, cedant detrimentum indeque gravia scandala et discordiae inter consanguineos earumdem monialium possent verisimiliter exoriri, quare pro parte eiusdem monasterii Montislucidi monialium, asserentium, quod in eodem monasterio benedicente Domino sexaginta quatuor vel circa sunt divinis obsequiis mancipatae ac piae vitae studio sub habitu et observantia regulari et iugo salutaris obedientiae continuo et sedulo exhibent Altissimo vota sua, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... super praemissis fide dignorum relatibus plenius informati, revocationem, cassationem et annullationem unionis praedictae ac huiusmodi in statum pristinum repositionem et inde secuta auctoritate apostolica ex certa scientia revocantes, ... unionem, annexionem et incorporationem praedictas, et prout illas contingunt, quaecumque inde secuta revalidamus et innovamus et in statum pristinum, in quo antea fuerunt, reducimus illaque eadem auctoritate confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.* Et nihilominus pro potiori cautela *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XIII kal. aprilis, ... anno V.

1457. Concedit indulgentias visitantibus ecclesiam O. F. M. de observ. extra muros Senen. in loco *La Capriola* nuncupato fundatam et S. Bernardino Senen. dedicatam (1).

1451 (?), martii 20, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, in civitate Senen., cuius sanctae memoriae beatus Bernardinus, ab illa propriam trahens originem, advocatus tenetur, nulla ecclesia eius titulo dedicata consistat, et ecclesia extra muros Senen. in loco La Capriola nuncupato, situata, ordinis fratrum Minorum de observantia, olim per eumdem sanctum, qui, dum vixit, dicti ordinis clarissimus et exemplarissimus professor fuit, cum domo ipsi ecclesiae contigua pro perpetua huiusmodi fratrum habitatione opitulantibus piis christifidelium suffragiis canonice fundata, constructa et aedificata sub alicuius sancti vocabulo dedicata nondum fore noscatur, et dilecti filii universi fratres apud eam habitantes, eiusdem S. Bernardini constantes imitatores, quotidie inibi divinis laudibus et quandoque ad profectum animarum verbi Dei praedicationi insistentes, praefatam ecclesiam de La Capriola pro augenda erga ipsum S. Bernardinum christifidelium, praesertim civium, incolarum et habitatorum dictae civitatis, devotione necnon assumenda exinde per eos spirituali consolatione in honorem et sub nomine eiusdem S. Bernardini dedicari sive consecrari facere desiderant et proponant: Nos, cupientes, ut ecclesia ipsa de La Capriola, post-

(1) Reg. Vat. t. 415, f. 245 v.

quam canonice dedicata seu consecrata fuerit, ut praefertur, congruis honoribus ab eisdem fidelibus frequentetur, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam praedictam de La Capriola in die seu festo dedicationis sive consecrationis huiusmodi ... a primis vesperis usque ad secundos vesperos eiusdem festi devote visitaverint annuatim, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis temporibus duraturis. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451 (!), XIII kal. aprilis, ... anno V.

1458. Alphonso de Portu, O. F. M., pro quo Elisabeth, ducissa Burgundiae, supplicavit, concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (1).

1451, martii 22, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XI kal. aprilis, ... anno V.

1459. Cassat litteras (cf. supra n. 1440), quibus fratres ordinum mendicantium obligantur ad solutionem canonicae portionis (2).

1451, martii 30, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Diligentia semper exacta studuimus *etc.* Nuper siquidem sub dato pridie kal. iunii, pontificatus Nostri anno IV, dilectis filiis generali et fratribus ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini litteras concessimus, per quas eis indulsimus inter cetera, ut de iis, quae pro ornamentis, paramentis, libris, fabrica, luminaribus, anniversariis septimo, vicesimo, tricesimo vel aliis diebus ad perpetuum cultum divinum seu pro pietantiis aut victu vel vestitu, ad sustentationem eorum aut pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquae domus eiusdem ordinis obligatae dicebantur, vel de domibus, praediis, hortis aliisque locis secundum instituta eiusdem ordinis de iis, quae pro eiusmodi hortis et locis emendis eis legabantur seu hactenus legata fuerant, dummodo non converterentur in alios usus, sed in illos dumtaxat, pro quibus relicta fuerant aut relinqui contingeret, nulli tenerentur portionem canonicam exhibere. Postmodum vero sub dato idibus februarii, pontificatus et anni praedictorum praefatum indultum et quaevis alia per Nos aut praedecessores Nostros Romanos pontifices quibusvis aliis quorumcumque ordinum mendicantium fratribus aut eorum conventibus sive domibus ubicumque consistentibus sub quavis verborum forma, etiam motu proprio et ex certa scientia facta indulta et concessas desuper litteras revocavimus, prout in quibusdam aliis Nostris litteris continetur, quarum tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, et est talis:

Nicolaus episcopus etc.

Ad futuram rei memoriam.

Tunc recte et congrue officium Nostrum *etc.* *(ut supra n. 1439, p. 729).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, idibus februarii, ... anno IV.

Nos igitur, qui talia et tanta intendimus maturo digestoque consilio recensere et diversis arduis praepediti negotiis primo dictas litteras revocavimus, illas praefatorum praedecessorum quascumque hactenus eorumdem ordinum fratribus concessas et per Nos confirmatas seu approbatas litteras et processus inde habitos per easdem et quaecumque inde secuta, illarum tenores ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro expressis habendo, volumus et decernimus in earum robore permanere, ac si ultimo dictae revocatoriae litterae nullatenus emanassent, quas cum omnibus et singulis inde secutis motu proprio et scientia similibus revocamus, cassamus et annullamus easque nullius volumus esse roboris vel momenti. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III kal. aprilis, ... anno V.

1460. Confirmat consuetudinem, iuxta quam fratres O. F. M. conventuales provinciae Bononiae fratres et sorores III O. S. Fr. ad habitum et professionem admittere eisque sacramenta administrare valebant (3).

1451, martii 30, Romae.

Dilectis filiis ministro et fratribus conventualibus ordinis fratrum Minorum, provinciae Bononiae secundum morem dicti ordinis.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita nuper pro parte vestra petitio continebat, quod, licet a primaeva ordinis vestri institutione et ex post continuato tempore fratres et sorores tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati pro confessionibus ac missis et aliis divinis audiendis officiis ad ecclesias domorum vestrarum accedere consueverint et a vobis eucharistiae et alia ecclesiastica sacramenta recipere ac per ministros provinciarum seu alios per eos deputatos habitum dicti tertii ordinis suscipere et

(1) Reg. Vat. t. 414, f. 225. (2) E *Bull. ord. fr. Praed.* t. III, p. 287, n. 66. (3) Reg. Lat. t. 468, f. 15.

in eorum manibus professionem per eos emitti solitam emittere regularem, nihilominus, cum a certo tempore citra in dicta provincia per aliquos curiosos id coeperat in dubium revocari, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut consuetudini antedictae robur apostolicae confirmationis adiicere, quodque fratres et sorores dicti tertii ordinis pro suarum libito voluntatum ad ecclesias domorum vestrarum et ad vos pro praedictis et aliis divinis recursum habere ac propterea dignitatibus, praeeminentiis et officiis dicti ordinis necnon curis, regiminibus et administrationibus ecclesiarum, hospitalium vel domorum, quibus eos pro tempore praeesse contigerit, nequaquam privari, quinimo minister provinciae memoratae pro tempore existens per se vel alios regularem habitum de poenitentia huiusmodi ipsis exhibere ab eisque regularem professionem excipere valeat, concedere ac alias vobis super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, moderno, et pro tempore exsistenti ministro dictae provinciae, quod fratribus atque sororibus poenitentibus regularem habitum exhibere ab eisque professionem huiusmodi recipere, ipsi quoque fratres et sorores poenitentes iuxta consuetudinem in his hactenus observatam ad ecclesias vestras seu conventualium praedictorum pro eisdem omnibus pro suarum libito voluntatum accedere et inibi missas et alia divina officia audire, sacramenta quoque ecclesiastica, sine tamen praeiudicio rectorum parochialium ecclesiarum, in quorum parochiis moram faciunt, recipere libere et licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus. Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III kal. aprilis, ... anno V.

1461. Confirmat statutum Angeli de Perusio, ministri generalis O. F. M., de sollemnitate S. Clarae in monasterio S. Clarae, Pistorien., O. S. Cl., celebranda (1).

1451, martii 30, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii monialium S. Clarae, Pistorien., ordinis eiusdem S. Clarae.

Iis, quae ad lites *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod orta dudum inter vos ex una, et abbatissam et conventum monasterii S. Iohannis Baptistae, Pistorien., dicti ordinis eiusdem sanctae, [ex altera partibus] ex eo, quod eaedem abbatissa et conventus monasterii S. Iohannis festivitatem S. Clarae, sub cuius regula degere dignoscuntur, statuta die celebrare et quemadmodum in ecclesia dicti monasterii S. Clarae in die festivitatis eiusdem fieri consueverat, ipsae pariter sollemnizare satagebant, materia quaestionis quondam Guillelmus de Casali primo et deinde Antonius de Rusconibus, ordinis Minorum successive generales ministri, provide attendentes propter huiusmodi dissensiones et rixas scandalum inter cives civitatis Pistorien. generari et vobis eisdemque abbatissae et conventui damnum et detrimentum afferri, pro succidendis simultatibus et discordiis huiusmodi sopiendis, statuit et ordinavit, quod festum dictae sanctae in ecclesia monasterii vestri suo nomini dedicata die perpetuo celebraretur, et successive dilectus filius Angelus de Perusio, dicti ordinis fratrum Minorum generalis minister, eiusdem praedecessoris vestigiis inhaerendo, statutum et ordinationem praedicta sub certis modo et forma inviolabiliter observari sui officii auctoritate mandavit, prout in litteris dicti Angeli ministri inde confectis ipsius generalatus officii sigillo munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte vestra *etc.* Nos igitur ... statutum, ordinationem, mandatum et litteras praedictas auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III kal. aprilis, ... anno V.

1462. Committit causam inter fratres domus S. Francisci Assisinat., O. F. M., et Bonacursium ac Laelium de Massa aliosque cives Tudertin. (2).

1451, aprilis 1, Romae.

Venerabili fratri Valerio, episcopo Saonen., civitatis Nostrae Tudertin. pro Nobis et Romana ecclesia gubernatori.

Conquesti sunt Nobis custos et fratres domus S. Francisci Assisinat., ordinis fratrum Minorum, quod Bonacursius et Laelius, fratres, dicti de Massa, et nonnulli alii cives Tudertini super nonnullis immobilibus in civitate et dioec. Tu-

(1) Reg. Vat. t. 415, f. 54. — De monasterio S. Iohannis cf. supra n. 604, p. 284.

(2) Laetus Alessandri, Franciscus Pennacchi, *Bullarium pontificium sacri conventus S. Francisci Assis.*, n. 294, p. 138. Eidem episcopo per breve *Commisimus tibi nuper* d. d. 8 aprilis 1451, « cum dicta domus in suis aedificiis non modica egeat reparatione, ac custos et fratres eiusdem, qui divino cultui mancipati exsistunt, propter eorum paupertatem minime valeant litigare », mandat, « quatenus ad evitandas expensas dictorum fratrum causam huiusmodi audiat ac unico contextu simplici et de plano ac sine strepitu ac figura iudicii » decidat. Ibid. l. cit.

dertina consistentibus mobilibusque bonis, pecuniarum summis et rebus aliis ipsis custodi et fratribus in eleemosynam erogatis et ad dictam domum legitime spectantibus, iniuriantur eisdem. Ideoque fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hincinde propositis, quod iustum fuerit appellatione remota decernas, faciens, quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, kalendis aprilis, ... anno V.

1463. Bertrando, familiari fratrum de observantia, domus extra muros de S. Audomaro, O. F. M., Morinen. dioec., concedit remissionem plenariam in articulo mortis (1).

1451, aprilis 3, Romae.

Provenit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III nonas aprilis, ... anno V.

1464. Iohanni de Iampiccolo de Placea, Catanen. dioec., O. F. M., qui genitorem in senili aetate ac duas sorores nubiles in tanta paupertate constitutos habebat, ut unde se possent commode sustentare non haberent, concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (2).

1451, aprilis 3, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III nonas aprilis, ... anno V.

1465. Mandat, ut fratribus III O. S. Fr., domus regionis Arenulae de Urbe concedat licentiam vendendi domum eis donatam a Iacobello de Maronibus (3).

1451, aprilis 8, Romae.

Venerabili fratri episcopo Spoletan., in Romana curia residenti.

Ad ea, per quae piorum locorum *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum ministri et fratrum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupatorum, domus regionis Arenulae de Urbe, Nobis nuper exhibita petitio continebat quod ipsi pro divini cultus augmento in dicta domo quoddam oratorium in honorem B. Hieronymi a fundamentis erigere et usque ad perfectionem perducere affectant. Quare pro parte ministri et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis, quorum ad id non suppetunt facultates, quamdam domum, in eadem urbe consistentem et dudum per quondam Iacobellum de Maronibus et Iacobam, eius uxorem, ipsis donatam irrevocabiliter inter vivos, pro complemento dicti oratorii iam incepti vendendi et illius pretium in fabricam et constructionem huiusmodi convertendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... eisdem ministro et fratribus domum praedictam ... vendendi et pretium ex huiusmodi venditione proveniens in fabricam et constructionem dicti oratorii convertendi ... licentiam largiaris, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VI idus aprilis, ... anno V.

1466. Decernit monasterium S. Leonis de terra Burgi S. Sepulchri, Civitatis Castelli, O. S. Cl., exemptum a solutione cuiuscumque impositionis (4).

1451, aprilis 14, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Iohannis evangelistae de Burgo S. Sepulchri, Civitatis Castelli dioec.

Etsi quibuslibet personis *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, omnes et singulas abbatissas, conventus, monasteria atque loca S. Damiani, Minorissarum et S. Clarae, ordinis eiusdem sanctae, sub generalis ministri aliorumque officialium ordinis fratrum Minorum cura ubilibet constituta cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ac bonis eorumdem, tam praesentibus quam futuris, ab omni iurisdictione, dominio et potestate quorumcumque legatorum, patriarcharum, episcoporum, nuntiorum et aliorum quorumcumque ordinariorum iudicum ad instar bonae mem. Nicolai IV, Bonifatii VIII, Iohannis XXII, Clementis IV, et Alexandri IV, praedecessorum Nostrorum, Romanorum pontificum, ipsis concessorum privilegiorum, quae suis litteris haberi voluit pro sufficienter expressis, auctoritate apostolica ex certa scientia prorsus exemit et penitus liberavit ac sub beati Petri et Sedis Apostolicae protectione suscepit sibique et successoribus suis voluit subiacere ipsasque abbatissas, conventus et moniales ac earum monasteria atque loca huiusmodi perpetuo exemptas, immunes et liberas esse voluit ab omni decimarum, subsidiorum, gabellarum, pedagiorum fructuumque et aliorum huiusmodi solutione, contributione, responsione et aliis quibuscumque, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum

(1) Reg. Lat. t. 467, f. 276v. — De domo S. Audomari cf. supra n. 1115, p. 567.

(2) Reg. Vat. t. 414, f. 236.

(3) Reg. Lat. t. 468, f. 26.

(4) Reg. Vat. t. 403, f. 12v. — De monasterio S. Leonis cf. supra n. 515, p. 249.

autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Leonis de terra S. Sepulchri, Civitatis Castelli dioec., petitio continebat, a nonnullis asseratur, litteras et exemptionem huiusmodi quoad solutionem certi subsidii seu impositionis, per eumdem Eugenium praedecessorem in territorio Florentinorum dudum positi, ex eo minime suffragari, quia per diversa brevia, tam a praedicto Eugenio praedecessore quam a Nobis forsan emanata, eisdem litteris et exemptioni dicitur esse derogatum. Quare pro parte dictarum abbatissae et conventus Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatas litteras dicti Eugenii praedecessoris viribus subsistere decernentes et declarantes, abbatissam, conventum, monasterium S. Leonis huiusmodi cum suis monasteriis et annexis ad solutionem dictae impositionis, quocumque nomine nuncupetur vel ex quacumque causa processerit, etiam praetextu quarumcumque litterarum seu brevium a Nobis vel eodem praedecessore emanatorum, non teneri nec ad id compelli posse quoquo modo, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, abbatissae et conventui praedictis efficacis defensionis praesidio assistens, non permittas eas contra tenorem praesentium ac litterarum dicti Eugenii praedecessoris per quempiam molestari, contradictores *etc.* invocato *etc.* Non obstantibus *etc.* Nos enim omnes et singulos processus, sententias, censuras et poenas, quos contra abbatissam, conventum et monasteria, membra et annexa huiusmodi ob non solutionem dictae impositionis, necnon totum et quidquid contra praesentium ac litterarum dicti Eugenii praedecessoris tenores attentari contigerit, irrita et inania nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse decernimus per praesentes.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XVIII kal. maii, ... anno V.

1467. Ministro generali O. F. M. concedit facultatem visitandi omnes domus O. F. M. et omnia monasteria O. S. Cl. (1).

1451, aprilis 16, Romae.

Dilecto filio Angelo de Perusio, generali ministro ordinis Minorum.

Cum tu ex debito officii tibi iniuncti universos conventus, fratres, loca et eremitoria tui ordinis et singula monasteria ordinis S. Clarae, cuiuscumque gradus, status vel conditionis exsistant, visitare intendas, Nos volentes, ut eo efficacius ipsum generalatus officium exercere possis, quo maiori fueris a Nobis et a Sede Apostolica auctoritate munitus, devotioni tuae ipsos fratres, sorores, monasteria, conventus, loca et eremitoria praefata et personas eorumdem, cuiuscumque gradus vel conditionis exsistant, personaliter per te ipsum tantum visitandi, reformandi, emonendi et corrigendi secundum regulae formam et generalium statutorum ac laudabilem consuetudinem ordinum praedictorum plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium damus et concedimus facultatem. Non obstante, si quibusdam fratribus et sororibus in eisdem monasteriis sive aliis domibus, conventibus, eremitoriis et locis praedictis commorantibus a Sede Apostolica sit indultum, quod sub obedientia generalis ministri permanere aut eidem subesse et parere seu intendere minime teneantur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XVI kal. maii, ... anno V.

1468. Iohannem, O. F. M., sacrae theologiae lectorem, in sacerdotio constitutum, ecclesiae Nicopolitanen., vacanti per obitum Hugonis, episcopi Nicopolitanen., in episcopum praeficit (2).

1451, aprilis 16, Romae.

Divina disponente clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XVI kal. maii, ... anno V.

1469. Mandat, ut incolis terrae Corae, Ostien. dioec., concedat facultatem in ecclesia campestri S. Margaritae, iuxta terram praedictam, erigendi domum pro fratribus O. F. M. de observ. (3).

1551, aprilis 20, Romae.

Dilecto filio archipresbytero ecclesiae B. Mariae de Plebe, terrae Corae, Ostien. dioec.

Pia Deo et ecclesiae vota *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum terrae Corae, Ostien. dioec., petitio continebat, quod iuxta terram praedictam est quaedam campestris ecclesia sub vocabulo S. Margaritae fundata, in qua nonnullae moniales ordinis S. Augustini commorari consueverunt, et quae ruinae subiacet, ac in ea nulla monialis commoratur, nec divina celebrantur officia, ubi unam domum pro usu et habitatione fratrum Minorum de observantia erigere et fundare ferventer exoptant.

(1) Reg. Vat. t. 433, f. 158.

(2) Reg. Lat. t. 467, f. 32. Eidem die 18 aprilis 1451 litteris *Cum Nos nuper* concedit facultatem recipiendi consecrationem a quocumque catholico antistite. Reg. Lat. t. 469, f. 144v.

(3) Reg. Vat. t. 416, f. 24. Wadd. t. 12. *Reg. pont.* n. 58.

Sed quia a nonnullis asseritur, de ipsa ecclesia dilecto filio Petrucio Ludovici, qui se gerit pro clerico Velletren., auctoritate apostolica fuisse provisum, ipsi universitas et homines eorum desiderium adimplere non possunt, nisi eis super hoc Apostolicae Sedis patrocinium suffragetur. Quare pro parte dictorum universitatis et hominum, asserentium, quod fructus, redditus et proventus ipsius ecclesiae octo ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, et quod, si provisio eidem Petrucio, ut praemittitur, forsan facta effectum sortiretur, praefata ecclesia magna quotidie detrimenta sustineret, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis in loco, ubi dicta ecclesia consistit, unam domum pro usu et habitatione fratrum Minorum de observantia huiusmodi erigendi ... necnon possessiones et bona dictae ecclesiae recipiendi, locandi et fructificandi licentiam concedere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... universitati et hominibus praefatis in eadem ecclesia unam domum pro usu et habitatione fratrum Minorum huiusmodi cum omnibus necessariis officinis erigendi ... necnon possessiones et loca praedicta capiendi, locandi illorumque fructus, redditus et proventus in fabricam et utilitatem dictae erigendae domus et fratrum in ea pro tempore commorantium convertendi aliaque in praemissis necessaria et opportuna faciendi et disponendi plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra concedas. Non obstantibus *etc.* iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XII kal. maii, ... anno V.

1470. Episcopo Waradien. (Nagy-Várád, Grosswardein, in Hungaria) concedit facultatem secum retinendi Georgium de Baranija, O. F. M., aut alios fratres ordinum mendicantium (1).

1451, aprilis 29, Romae.

Venerabili fratri Iohanni, episcopo Waradien.

Ex debito pastoralis officii *etc.* Cum itaque tu, qui, ut asseris, aliquos religiosos ordinum mendicantium, qui ad informandum commissum tibi gregem dominicum doctrina verbi tibi assistere et quemadmodum per semitam mandatorum domini incedere debeant, sermonibus pariter et exemplo [christifideles docere debeant], una tecum habere affectes, in praesentiarum dilectum filium Georgium de Baranija, ordinis fratrum Minorum professorem, qui praedicando et legendo in clero et populo civitatis et dioec. Waradien. non parum utilitatis et commodi attulit, tecum una retineas ad tua obsequia et pro huiusmodi proficuis operibus, Nos ... tecum eumdem Georgium cum uno alio socio, eiusdem ordinis professore, aut illis seu eorum altero a te recedentibus alios duos quorumcumque ordinum mendicantium retinendi ac eos et illos, quoties tibi placuerit, mutandi ac alios eorum loco pro tuo arbitrio assumendi superiorum suorum etiam super hoc licentia minime requisita, quibuscumque ... nequaquam obstantibus, plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III kal. maii, ... anno V.

1471. Custodi et ceteris professoribus O. F. M. de observ. in domibus sive locis custodiae citra Portus, provinciae Castellae, concedit, ut uti valeant privilegiis etc. vicariae et fratribus custodiae sive domus Hispalen., eiusdem ordinis de observ., concessis (2).

1451, maii 3, Romae.

Sacrae religionis, sub qua *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, V nonas maii, ... anno V.

1472. Mandat, ut domum B. Mariae de Wilak, Quinqueecclesien. dioec., O. F. M., tradat fratribus O. F. M. de observ. (3).

1451, maii 5, Romae.

Venerabili fratri .. archiepiscopo Strigonien.

Ex iniuncto Nobis desuper, licet immeritis *etc.* Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Nicolai de Wylak, woywodae Transsilvan. et loci de Wylak, Quinqueecclesien. dioec., domini et patroni, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet in oppido sive loco praedicto de Wilak, domus ordinis fratrum Minorum in honorem B. Mariae fundata ab ipsius primaeva fundatione et per multa tempora post per fratres dicti ordinis laudabilis conversationis et famae regi et gubernari consueverit, nihilominus a pluribus temporibus citra et maxime de praesenti ipsius ordinis professores in illa degentes suavi iugo Domini et regulari observantia, sub quibus Altissimo famulari deberent, penitus postergatis adeo ducunt per omnia vitam dissolutam, quod loci praefati et illarum partium populi devotio propterea erga fratres praedictos exstincta et deperdita non ambigitur, et ob ea,

(1) Reg. Vat. t. 397, f. 251 v. (2) Reg. Lat. t. 468, f. 216 v. (3) Reg. Vat. t. 397, f. 255.

quae in dies temere eidem fratres committunt, scandala et excessus maiestatem Altissimi offendentes in scandalum fidelium plurimorum, woywoda, incolae et habitatores loci et partium earumdem dictos fratres veluti reprobos in praefata domo amplius moram facere pati aut tolerare non possint. Quare pro parte eiusdem Nicolai, qui iuxta omnem ipsius progenitorum consuetudinem apud ecclesiam dictae domus sepulturam habentium inibi etiam sepeliri ac domum praefatam ampliare necnon ecclesiam dictae domus paramentis fulcire et aequalem vel maiorem valorem, quam possessiones ipsius ecclesiae aestimentur, in utilitatem domus et ecclesiae praedictae applicare et exponere intendit, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut attentis praemissis pro divini cultus augmento ac illarum partium populi memorati, qui multus et notabilis est, contemplatione necnon scandalis, quae exinde possent verosimiliter exoriri, penitus amputandis super his paterna charitate consulere ac amotis exinde fratribus antedictis alios regularis observantiae fratres eiusdem ordinis ipsorum loco subrogare atque alias eorum et dictae domus utilitati providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... de praemissis certam notitiam non habentes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... domum praedictam cum omnibus libris, calicibus, ornamentis et paramentis suis guardiano et aliquibus fratribus sub observantia regulari eiusdem ordinis viventibus pro eorum usu et habitatione perpetuis amotis exinde aliis fratribus antedictis et ad alia dicti ordinis loca translatis auctoritate Nostra dones, concedas, appropries et assignes, ita quod liceat guardiano et fratribus observantiae regularis huiusmodi per se vel alium seu alios domum praedictam auctoritate propria libere apprehendere ac pro eisdem usu et habitatione perpetuo retinere, dioecesani loci et cuiusvis alterius super hoc licentia minime requisita, non obstantibus *etc.* Nos enim ... eisdem guardiano et fratribus observantibus, ... quod omnibus et singulis exemptionibus et privilegiis ... uti possint, ... indulgemus. Et insuper quaecumque possessiones et immobilia bona ad ipsam domum legitime spectantia ... pro quodam in honorem omnium sanctorum et S. Nicolai in eodem loco noviter erigendo hospitali reservari illique auctoritate Nostra praefata applicari concedimus et annecti volumus et mandamus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III nonas maii, ... anno V.

1473. Concedit indulgentias visitantibus capellam S. Bernardini in primo claustro domus S. Francisci, O. F. M., castri Pinnaroli (Pinarolo), Taurinen. dioec. (1).

1451, maii 6, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Geraldus de Torquetis, incola castri Pinnaroli, Taurinen. dioec., de propria salute recogitans, quamdam capellam in primo claustro domus S. Francisci dicti castri, ordinis fratrum Minorum, in honorem S. Bernardini, cuius meritis multa in dies coruscant miracula, de bonis sibi a Deo collatis fundaverit et construi fecerit, Nos ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festivitate eiusdem S. Bernardini a primis vesperis usque ad secundas vesperas eiusdem festivitatis dictam capellam devote visitaverint annuatim, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, pridie nonas maii, ... anno V.

1474. Mandat, ut capellam et domum fundatam a Bona, principissa Achayae et Pedemontium fundatas incorporet monasterio S. Clarae, loci de Caringano (Carignano), Taurinen. dioec., O. S. Cl. (2).

1451, maii 6, Romae.

Venerabilibus fratribus Taurinen. et Granaten. episcopis ac dilecto filio praeposito ecclesiae S. Laurentii de Pinarolio, Taurinen. dioec.

Etsi Romanus pontifex *etc.* Exhibita Nobis siquidem pro parte dilecti filii nobilis viri Ludovici, ducis, et dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Annae, ducissae Sabaudiae, necnon abbatissae et conventus monasterii S. Clarae loci de Caringano, ordinis eiusdem sanctae, Taurinen. dioec., petitio continebat, quod olim, postquam bon. mem. Bona, Achayae et Pedemontium principissa, maritali solatio destituta, ex specialis devotionis fervore quoddam oratorium sive capellam sub vocabulo S. Elisabeth in loco praedicto et iuxta illud quasdam domos, in quibus ipsa cum duodecim aliis mulieribus per eam ad hoc assumendis a saeculi vanitatibus elongata melius et quietius orationi et contemplationi vacaret ac reliquum, quod supererat vitae spatium salubrius institueret, necnon aliam domum pro quatuor fratribus ordinis fratrum Minorum, qui sibi et aliis mulieribus huiusmodi

(1) Reg. Vat. t. 431, f. 172v.

(2) Reg. Vat. t. 404, f. 167.

in eodem oratorio sive capella missas et alia divina officia celebrarent, de bonis sibi a Deo collatis fundari et construi fecerat, antequam oratorium sive capella huiusmodi congrue per eam dotata forent, sicut, Domino placuit, ab hac luce migravit, domibus etiam praedictis remanentibus inexpletis. Postmodum vero praefati dux et ducissa, provide attendentes, quod oratorium sive capella praedicta ad alios profanos usus transferri non deberent, piam ipsius Bonae intentionem, in quantum possibile exstitit, imitantes, oratorium sive capellam ac domum praedicta eisdem [abbatissae et conventui] pro ipsius principissae et aliorum de domo Sabaudiae praesentium et futurorum salutis remedio ea conditione apposita, ut dictae abbatissa et conventus et quae pro tempore eiusdem monasterii abbatissa et moniales exsisterent, singulis septimanis certas missas tunc expressas in dicto oratorio sive capella per fratres dicti ordinis inibi pro tempore degentes celebrari facere et alia onera incumbentia supportare deberent ac etiam tenerentur, perpetuo possidendas, quantum in eis fuit, libere donaverunt et assignaverunt, prout in litteris eorumdem ducis et ducissae desuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte *etc.* Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus ... oratorium seu capellam et domos praedictas cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis eidem monasterio ... in perpetuum incorporetis, uniatis ac etiam annectatis, ita quod liceat abbatissae et conventui praefatis corporalem possessionem oratorii seu capellae necnon domorum iuriumque et pertinentiarum praedictorum possessionem retinere illorumque fructus, redditus et proventus, si qui sint, in earum et dicti monasterii usus et utilitatem convertere *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, pridie nonas maii, ... anno V.

1475. Iohannem de Capistrano, O. F. M., hortatur, ut iter faciat in Liguriam ad praedicandum verbum Dei (1).

1451, maii 10, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Capistrano, ordinis Minorum.

Dilecte fili sal. Cum nobilis vir, dilectus filius Franciscus Sfortia, dux Mediolan., ac populus Mediolanen. totaque Liguria ex ore tuo Dei verbum audire desiderent, quod Nobis admodum placuit audivisse, cum indubie speremus populos illos tuis praedicationibus et monitis imbutos viam salutis electuros esse, charitatem tuam hortamur in Domino, ut postpositis omnibus te ad iter quamprimum dirigas, nam cum tempus quadragesimale elapsum sit, nulla te occupatio detinere potest, ut credimus, quae mentem tuam a tam salubri opere possit avertere.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die X maii, 1451, ... anno V.

1476. Albrico Andreae, O. F. M., in theologia magistro, pro quo Maria, Franciae regina, supplicaverat, concedit licentiam transeundi ad ordinem S. Benedicti (2).

1451, maii 13, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III idus maii, ... anno V.

1477. Ad supplicationem Garsiae, episcopi Lucen., et Alphonsi Fernandi de Mexeda ac Gometii Fernandi, canonicorum ecclesiae Compostellan., et Iohannis de Barcellos, O. F. M., confirmat testamentum bon. mem. Alvari archiepiscopi Compostellan. (3).

1451, maii 15, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolicae Sedis providentia circumspecta *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, idibus maii, ... anno V.

1478. Renovat statutum Martini V, quo fratribus ordinum mendicantium prohibetur transitus ad alium ordinem regularem, praeterquam ad ordinem Carthusianorum (4).

1451, maii 17, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Sollicitudo pastoralis officii *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Martinus papa V., praedecessor Noster, viam ambitiosae cupiditatis religiosis, potissime mendicantibus, ad alios ordines, praesertim monasticos, fucatis coloribus et ob frugem melioris vitae convolare nitentibus, praecludere cupiens, ex certa scientia declaravit ac decrevit, statuens, quod de cetero nullus religiosus de ordinibus mendicantium quorumcumque, cuiuscumque status, conditionis vel religionis exsisteret, quomodocumque et qualitercumque posset et deberet virtute cuiuscumque licentiae et indulti apostolici seu poenitentiariae Nostrae tunc suae curam gerentis vel alia quavis auctoritate hactenus etiam per bullas apo-

(1) Wadd. *Ann.* ad a. 1451, n. 6 « ex autographo ».
(2) Reg. Vat. t. 415, f. 169.
(3) Reg. Vat. t. 416, f. 168.
(4) E *Bull. ord. fr. Praed.* t. III, p. 292, n. 71.

stolicas facultatum quarumdam tam legatorum et nuntiorum Sedis praefatae necnon poenitentiariae huiusmodi pro tempore curam gerentis quam aliorum quorumcumque sub quavis potestate aut auctoritate, maxime de transferendis fratribus aut aliquibus, praesertim ordinum mendicantium professoribus, in genere vel in specie, ab ordinibus huiusmodi mendicantibus ad monasticos, sub quacumque conceptione verborum apparerent, admitti aut recipi per aliquos etiam superiores ordinis seu monasterii aut loci monastici seu alias in monachum seu in fratrem alicuius ex ordinibus monasticis supradictis vel aliis expressis et non expressis ordine Carthusiano dumtaxat excepto sub poena excommunicationis, in quam tam recipientes quam recepti ipso facto incurrerent, et quam ex tunc contra quemlibet transgressorem protulit, ac secus vel aliter facta non tenere, nullius exsistere efficaciae, roboris vel momenti, decernens, quod, si quis virtute cuiuscumque licentiae seu indulti fuisset receptus ad aliquem monasticum ordinem et habitum consuetum gestari per monachos dicti ordinis suscepisset, sive professionem emisisset, sive non, sub dicta poena teneatur in monasterio, in quo receptus est, stare, per quasdam primo et deinde per alias suas litteras statuit et ordinavit, quod omnes et singuli fratres ordinis Eremitarum S. Augustini, qui ipsius praedecessoris super hoc non obtenta licentia erant tunc et in antea essent venerabilium S. R. E. cardinalium seu aliorum praelatorum aut quarumvis personarum ecclesiasticarum vel saecularium capellani seu confessores aut familiares, non tamen in domibus eorumdem cardinalium pro tempore commorantes, proinde eorum superioribus et correctioni ipsorum in omnibus et per omnia essent subiecti, ac si capellani seu confessores aut familiares, ut praefertur, non essent, decernens nihilominus eos ad renuntiandum officiis et familiaritatibus huiusmodi obtentis desistendumque penitus et omnino ab officiis et familiaritatibus eisdem atque ad claustra sua revertendum et regulariter iuxta suae professionis continentiam vivendum, per dilectos filios priorem generalem ac provinciales ipsius ordinis priores efficaciter compellendos, prout in singulis dicti praedecessoris inde confectis litteris plenius continetur [1]. Cum autem, sicut facti evidentia demonstrat, praedecessoris statuta, decreta et ordinationes huiusmodi, quae minime custodita sunt, non solum speratos fructus, prout verisimiliter credebatur, non attulerunt, verum etiam iidem religiosi exquisitis mediis suavi iugo Domini excusso religionis observantia et claustri amoenitate penitus derelictis ad alios monasticos sive canonicorum regularium S. Augustini ordines se transtulerunt, nonnulli vero beneficia ecclesiastica, etiam, quibus cura imminet animarum, simulatis occasionibus assecuti, illa contra decreta, statuta et ordinationem praedicta detinuerunt, prout eorum aliqui detinent in animarum suarum periculum et ordinis memorati praeiudicium ac non modicum detrimentum, Nos ... declarationem, statuta et ordinationes praedicta auctoritate apostolica ratificantes et approbantes et pro eorum soliditate innovantes illasque inviolabiliter observari mandantes, universis et singulis eiusdem ordinis professoribus, cuiuscumque dignitatis, ordinis vel conditionis fuerint, qui contra litterarum earumdem tenores ad aliquem monasticum sive canonicorum regularium S. Augustini, praeterquam Carthusien., ordinem se transtulerint, quique beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura ex post adepti sint, aut earumdem vel aliarum personarum, praeterquam, si aliquorum S. R. E. cardinalium praedictorum capellani, continui commensales eorumque servitiis insistant, harum serie in virtute sanctae obedientiae auctoritate apostolica praecipimus et mandamus, quatenus infra unius mensis spatium, postquam praesentes ad eorum notitiam deductae fuerint, ad domos ipsius ordinis, in quibus regularem professionem emiserant, vel alias, prout generales et provinciales priores dicti ordinis pro tempore exsistentes statuerint, omni prorsus exceptione remota redire ac beneficia huiusmodi, quae ex nunc vacare decernimus, realiter et cum effectu dimittere ipsorumque superiorum mandatis parere eisque intendere humiliter teneantur. Et nihilominus eisdem prioribus tenore praesentium auctoritate praefata praecipimus et mandamus, quatenus omnes et singulos professores praedictos, qui in earumdem ac praesentium litterarum observatione se exhibuerint negligentes quomodolibet vel rebelles, non obstantibus quibuscumque privilegiis ... omnibus et singulis beneficiis, quae obtinent seu obtinebunt quomodolibet in futurum, privare ipsosque ab illis amovere et amoveri facere necnon inobedientes praedictos poenis, quae pro culpis aut excessibus maioribus seu gravioribus in dicto ordine imponi solent sive alias pro sui arbitrio punire et corrigere, necnon omnes et singuli, qui aliquem ex fratribus dicti ordinis in ecclesiis sibi commissis vel alias ad eos le-

[1] Vide *Bull. Franc.* t. VII, n. 1389, p. 509. Cf. etiam ibid. n. 1887, p. 734.

gitime pertinentes pro capellanis vel aliter retinent, illos infra dictum mensem licentiare ac expellere vigili attentione procurent, alioquin, si de praemissis fuerint negligentes quomodolibet vel rebelles, beneficiis huiusmodi eo ipso privati exsistant. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XVI kal. iunii, ... anno V.

1479. Andreae Monachi, priori prioratus B. Mariae de Tabulis, O. S. Aug., Magalonen. dioec., decretorum doctori, ad supplicationem consulum oppidi Montispessulan. concedit facultatem absolvendi a censuris et irregularitatibus nonnullas utriusque sexus personas, quae post inhibitionem Eugenii IV monasterium S. Clarae oppidi Montispessulan., O. S. Cl., intraverant (1).

1451, maii 18, Romae.

Exposcit tuae devotionis sinceritas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XV kal. iunii, ... anno V.

1480. Mandat, ut confirmet unionem ecclesiae ruralis Anticuli, Anagnin. dioec., cum hospitali confraternitatis disciplinatorum S. Mariae eiusque deputationem pro usu et habitatione fratrum O. F. M., provinciae Romanae, ac indulgentias concedit visitantibus ecclesiam praedictam (2).

1451, maii 20, Romae.

Venerabili fratri episcopo Anagnin.

Sacrae religionis, sub qua dilecti filii minister generalis et fratres ordinis Minorum, Romanae provinciae secundum morem dicti ordinis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte ministri et fratrum praedictorum petitio continebat, quod olim venerabilis frater Noster Franciscus, olim Anagnin., nunc in universali ecclesia episcopus, ex certis rationabilibus causis ad id animum suum moventibus ecclesiam ruralem sive oratorium S. Mariae de Campanico, in territorio castri Anticuli, Anagnin. dioec., situatum, cum hospitali confraternitatis disciplinatorum eiusdem S. Mariae sub certis modo et forma tunc expressis univit, incorporavit atque annexuit, ita tamen, quod ipsum oratorium pro usu et habitatione fratrum ac hospitalis et confraternitatis ordinis et provinciae praedictorum deputaretur, illiusque fructus, redditus et proventus in usus pios ac etiam oratorii et hospitalis praedictorum reparationem converterentur, prout in publico documento desuper confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte ministri et fratrum *etc.* Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... unionem, incorporationem, annexionem et deputationem praedictas et, prout illa contingunt, inde secuta auctoritate Nostra approbes et confirmes, et nihilominus ministro et fratribus antedictis oratorium huiusmodi, dummodo locus ipse congruus sit, recipiendi et circa illud domum cum dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione perpetuis de novo construi et aedificari faciendi ac in ea perpetuo remanendi alicuius super hoc licentia minime requisita auctoritate Nostra licentiam largiaris, non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod dicti ordinis fratres ... omnibus et singulis privilegiis *etc.* Et insuper universis christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo beati Francisci confessoris eamdem ecclesiam a primis vesperis usque ad secundas vesperas eiusdem festi devote visitaverint annuatim, unum annum et unam quadragenam de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XIII kal. iunii, ... anno V.

1481. Benedictum de Adoaria, O. F. M., in presbyteratus ordine constitutum et in theologia baccalaurium, ecclesiae Tripolen., vacanti per obitum Antonii, episcopi Tripolen., praeficit in episcopum (3).

1451, maii 21, Romae.

Apostolatus officium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XII kal. iunii, ... anno V.

1482. Monasterio S. Mariae de Pellagio, extra muros Eugubin., O. S. Cl., concedit licentiam pro suis negotiis transmittendi 2 moniales extra clausuram atque eligendi confessarium (4).

1451, maii 23, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii S. Mariae de Pellagio, ordinis S. Clarae, extra muros Eugubin.

Exigit sincerae devotionis affectus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod vos et monasterium vestrum S. Mariae de Pellagio, ordinis S. Clarae, extra muros Eugubin., superioribus decursis tem-

(1) Reg. Lat. t. 468, f. 114 v. Inhibitionem Eugenii IV vide supra n. 342, p. 157.

(2) Reg. Vat. t. 416, f. 270 v.

(3) Reg. Lat. t. 467, f. 87 v. — Eidem Benedicto litteris *Personam tuam* d. d. 2 augusti 1451 facultas iam concessa exercendi pontificalia in civitatibus et dioecesibus Mediolanen. et Cremonen. extenditur etiam ad civitatem et dioecesim Papien. Reg. Vat. t. 417, f. 185 v.

(4) Reg. Vat. t. 417, f. 100 v. Alibi idem monasterium dicitur S. Mariae de *Palladio*.

poribus multifarie a gestoribus et factoribus necnon procuratoribus et laboratoribus possessionum et terrarum monasterii vestri praelibati in quam multis bonis, rebus et iuribus vestris ex carentia praesentiae alicuius vel aliquarum eiusdem monasterii monialis vel monialium laesae, damnificatae et circumventae fuistis ac multa quoque damna, detrimenta et incommoda, deceptiones ac fraudes exinde vobis illa[ta] fuerunt dietimque adhuc imposterum laedi, decipi, circumveniri et defraudari indubie vehementius dubitatis, et sicut eadem petitio subiungebat, si quandoque alicui vel aliquibus monialibus per abbatissam vestri monasterii pro tempore exsistentem, cum tempus expostulat, eligendae seu eligendis monasterium huiusmodi exeundi, ad loca quaeque vobis pro vestris gerendis et expediendis negotiis opportuna accedendi licentia auctoritate apostolica concederetur, multa vobis exinde utilitates et commoda provenirent. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut aliquam aut aliquas ex huiusmodi vestri monasterii monialibus pro iisdem vestris sollicitandis, tractandis expediendisque negotiis, ut praefertur, eligendi et transmittendi necnon etiam pro satisfactione votiva mentium vestrarum idoneum aliquem sacerdotem, in sexagesimo aetatis suae anno constitutum, in vestrum capellanum eligendi licentiam et facultatem concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... vobis duas magis idoneas et aetate maturas moniales Deum timentes ac famam, honorem, nomen bonum et religiosam vitam sub decore venustatis diligentes, arbitrio tamen abbatissae monasterii huiusmodi pro tempore exsistentis eligendas et deputandas, ac ad loca quaecumque vestra, honesta tamen, ad huiusmodi vestra negotia gerenda, videnda, ordinanda et expedienda, super quo eiusdem abbatissae conscientiam oneramus, transmittendi semel in mense, dummodo illae sic electae et transmissae extra monasterium huiusmodi ullatenus non pernoctent, necnon insuper vobis et successoribus vestris in perpetuum aliquem presbyterum saecularem vel regularem in praefata aetate vel circa constitutum, virtuosis tamen moribus decorum ac honestae conversationis et approbatae vitae laudatum, in vestrum et ecclesiae monasterii vestri capellanum totiens, quotiens vobis fuerit opportunum, eligendi ac in eadem ecclesia in missis et aliis divinis officiis vobis serviendi, ecclesiastica quoque sacramenta, cum necesse fuerit, coniunctim vel divisim ministrandi, constitutionibus ... non obstantibus quibuscumque ... de specialis dono gratiae licentiam et facultatem elargimur. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, X kal. iunii, ... anno V.

1483. Stephano Clari de Salis, O. F. M., in theologia professori et in provincia Provinciae et Delphinatu Viennen. haereticae pravitatis inquisitori, pro quo Renatus, Hierusalem et Siciliae rex, supplicavit, concedit licentiam recipiendi unum vel duo beneficia ecclesiastica (1).

1451, mali 25, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VIII kal. iunii, ... anno V.

1484. Yolanti Amoressae, moniali monasterii S. Christophori, extra muros Valentin., O. S. Aug., olim in puerili aetate per suos parentes in monasterio Minorissarum, civitatis Xativae, *de Damiates* vulgariter nuncupato, O. S. Cl., Valentin. dioec., inclusae, quae per plures annos habitum dicti ordinis gestaverat, postea gravi languore oppressa, pro recuperanda sanitate de licentia abbatissae a dicto monasterio exiverat et ab hac aegritudine liberata, ad monasterium redire volens, non recepta, per plures annos tam in aliis monasteriis alterius ordinis quam in domibus amicorum laicorum moram traxerat, deinde ad monasterium S. Christophori intra muros Valentin., O. S. Aug., se transtulerat et habitum monialium, canonissarum nuncupatarum, susceperat ac inibi per quinquennium permanserat, concedit absolutionem a censuris et facultatem in dicto monasterio remanendi (2).

1451, mali 27, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VI kal. iunii, ... anno V.

1485. 1) Confirmat exemptionem monasterii S. Mariae de Basico, Messanen., O. S. Cl., a iurisdictione ministri provinciae Siciliae, O. F. M. (3). 2) Eiusdem monasterii sororibus concedit facultatem eligendi duos fratres O. F. M. in confessores (4)

1451, mali 31, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Religiosam vitam eligentibus *etc.* Dudum si-

(1) Reg. Vat. t. 416, f. 247 v. Aliis litteris *Religionis zelus* d. d. 29 iun. 1451 eidem Stephano concedit licentiam recipiendi unum vel duo beneficia ecclesiastica per S. Victoris et Montismaioris, O. S. Ben., Massilien. et Arelaten. dioec., monachos gubernari consueta, cum antelatione ad instar familiarium et commensalium papae in quodam libro cancellariae apostolicae descriptorum, ac si praesentes litterae sub data XVIII kal. iulii, pontificatus anno I, concessae fuissent. Ibid. f. 249 v.

(2) Reg. Vat. t. 396, f. 299 v.

(3) Reg. Vat. t. 395, f. 271 v.

(4) Reg. Vat. t. 395, f. 272 v.

quidem Nostrae emanarunt litterae, quarum tenor inter cetera sequitur in haec verba:

Ad futuram rei memoriam.

Cupientes igitur *etc.* (*ut supra n. 1151, p. 583*).

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1447, pridie nonas ianuarii, ... anno I.

Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper dilectarum in Christo filiarum Florae, abbatissae, et monialium dicti monasterii petitio continebat, ipsae dubitent litteras ipsas ad aliquorum importunam instantiam per Nos vel auctoritate Nostra ex aliquibus Nobis forsan suggestis causis fuisse et esse revocatas, cassatas et annullatas ac contra earumdem litterarum continentiam atque formam per nonnullos impeti seu molestari posse tempore procedente: Nos, super his eorumque statui, quieti, indemnitatibus opportune providere volentes, earumdem in hac parte supplicationibus inclinati, omnes et singulas revocationes, cassationes et annullationes earumdem insertarum litterarum a Nobis, etiam ad quorumcumque instantiam et ex quibusvis causis seu occasionibus emanatas litteras, cum omnibus in eis contentis clausulis auctoritate apostolica tenore praesentium revocamus, cassamus et annullamus praeinsertasque litteras ipsas in suo plenario robore nihilominus remansisse et remanere ac valuisse et valere plenamque roboris firmitatem obtinere volumus et declaramus, ac si adversus eas nullae revocationis litterae aliquatenus apparerent, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attentari. Quocirca venerabili fratri Nostro archiepiscopo Messanen. per apostolica scripta mandamus, quatenus, praefatis abbatissae et monialibus efficacis defensionis praesidio assistens, praeinsertas litteras praefatas et omnia in eis contenta, quotiens super hoc pro parte abbatissae et monialium praedictarum fuerit legitime requisitus, et dum expedire contigerit, exsecutioni debitae auctoritate Nostra demandet ac faciat eadem auctoritate Nostra inviolabiliter observari, non permittens eas vel earum aliquam per aliquem provincialem, guardianum, ministrum vel alium dicti ordinis Minorum aut quosvis alios contra tenorem earumdem insertarum litterarum quomodolibet molestari. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, pridie kal. iunii, ... anno V.

2) *Dilectis in Christo filiabus Florae, abbatissae, et monialibus monasterii beatae Mariae de Basico, Messanen., ordinis S. Clarae.*

Sacrae religionis, sub qua mundanis abdicatis illecebris *etc.* Hinc est, quod Nos, qui vos moderna abbatissa vivente, regulari observantia in monasterio vigente ab omni superioritate, obedientia, visitatione et correctione et potestate provincialis ministri ordinis Minorum provinciae Siciliae pro tempore exsistentis eiusque vicarii ac aliorum dicti ordinis superiorum praesentium et futurorum generali ministro eiusdem ordinis Minorum aut ab eo specialiter deputando dumtaxat exceptis per alias Nostras litteras, quas, etiam si quomodolibet per Nos vel Sedem Apostolicam revocatae fuissent, in pristinum robur per alias Nostras litteras reposuimus et restituimus, certo vobis super hoc exsecutore deputato exemimus et liberavimus, prout in dictis Nostris litteris plenius continetur, charissimi in Christo filii Nostri Alphonsi, Aragonum et Siciliae regis illustris, qui propterea suas ad Nos litteras dilectum filium Iohannem de Granata, camerarium suum, destinavit, atque vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut liceat vobis quoscumque duos eligere dicti ordinis fratres providos et honestos in vestros et personarum dicti vestri monasterii confessores, qui ac eorum quilibet cum aliquo religioso associati ad monasterium vestrum accedere ac, quotiens opportunum fuerit, confessiones vestras audire vobisque pro commissis poenitentiam salutarem iniungere necnon missas et alia divina officia inibi celebrare, vobis quoque ecclesiastica sacramenta ministrare valeant, quodque ipsi fratres id facere possint, debeant et teneantur, fel. rec. Clementis papae V *etc.* nequaquam obstantibus, iure tamen *etc.* salvo apostolica vobis auctoritate praesentium tenore concedimus pariter et indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, pridie kal. iunii, ... anno V.

1486. Palotiae de Perlionibus et sororibus domus Transtiberim de Urbe, III O. S. Fr., concedit facultatem vivendi in communi [1].

1451, iunii 8, Romae.

Dilectis in Christo filiabus Palotiae de Perlionibus et aliis sororibus praesentibus et futuris domus Transtiberim de Urbe, ordinis S. Francisci.

Pastoris aeterni *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod

[1] Reg. Vat. t. 416, f. 266; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 60.

olim nonnullae religiosae mulieres, tertium ordinem S. Francisci de poenitentia nuncupatum expresse professae, ut commodius et quietius impendere possent Christo Iesu, filio virginis, gratum et sedulum famulatum, in regione Transtiberim de Urbe quamdam domum reaedificarunt, in qua simul in communi viventes castitatem et obedientiam servaverunt. Postmodum vero fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, et successive Nos, qui eodem praedecessore, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto fuimus divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, provide attendentes earumdem ac vestram in huiusmodi communione perseverantiam, quodque benedicente Domino et numero et virtutibus multiplicaveritis in dies, vobis, ut insimul in communi vivere absque remorsu conscientiae possetis, vivae vocis oraculo successive concessimus. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, vestra huiusmodi communis habitatio ad animarum vestrarum salutem et quietem cedere dignoscatur, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis ac statui et quieti vestris super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, volentes vos in huiusmodi proposito confovere, vobis omnibus et singulis ordinem ipsum expresse professis et in eadem domo commorantibus, ut unam ex ipsa congregatione vitae laudabilis et honestae, quae vobis praesit, eligere et loco illius, cum vobis opportunum videbitur, aliam eius loco substituere, cui parere et intendere debeatis, et in illius, quae pro tempore erit, manibus castitatem et obedientiam necnon in communi vivere et pro indiviso profiteri debeatis, quodque alias quascumque dictum ordinem profiteri et vobiscum una cohabitare volentes recipere et admittere ad supradictam professionem libere valeatis; necnon, quotiens vobis fuerit opportunum, fratribus Minoribus sub regulari observantia viventibus vos et, quae pro tempore erunt, dictae domus sorores peccata vestra confiteri et ab eis singulis quindenis sacramentum eucharistiae recipere necnon divina officia audire et omnia ecclesiastica sacramenta, quotiens fuerit opportunum, similiter recipere ab eisdem omni tempore valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Et nihilominus vobis praesentibus et futuris, ut omnibus et singulis immunitatibus, privilegiis, ... dilectis in Christo filiabus Florentinae, Perusinae et Viterbien. domorum sororibus dicti ordinis in congregatione viventibus per Nos et Sedem Apostolicam concessis in omnibus et per omnia uti et gaudere valeatis, eadem auctoritate apostolica concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VI idus iunii, ... anno V.

1487. Mandat, ut sororibus III O. S. Fr. in civitate Parmen., in contrata S. Prosperi, degentibus concedat licentiam vendendi domus eis relictas, acceptandi certas domos pauperibus dimissas et fundandi novam domum B. Mariae de Gratia (1).

1451, iunii 8, Romae.

Dilecto filio abbati S. Basilii de Cavana, Parmen. dioec.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum sororum in nonnullis domibus in civitate Parmen., in contrata S. Prosperi, sub regula tertii ordinis beati Francisci degentium petitio continebat, quod quondam Gaspar de Castagneto, civis Parmen., condens ... testamentum, sororibus tertii ordinis S. Francisci quasdam praedictas domos iuxta suos confines sororibus sub regula huiusmodi viventibus ad hoc, ut monasterium sive oratorium pro earum usu et habitatione constituerent et inibi perpetuo habitarent, pie reliquit ac voluit domus praedictas alienari, permutari aut quavis ratione vel occasione in alium usum transferri non posse, sed perpetuis futuris temporibus pro usu et habitatione dictarum sororum esse, et casu, quo voluntati huiusmodi contrafactum esset, in huiusmodi eventum domus ipsas praeceptoriae domus S. Antonii Parmen., ordinis S. Augustini, legavit *etc.* Cum autem ... praefatae sorores in eisdem domibus degentes domus praedictas vigore dicti instrumenti acceptaverint et in eis sub regula huiusmodi ac paupertate, obedientia et castitate in congregatione vixerint ac benedicente Domino in eo adeo multiplicaverint, quod in eisdem domibus, quae horto, claustro et aliis necessariis officinis carent, commode commorari aut vivere non possint, cupiantque in alio loco ad hoc congruo et idoneo unam domum sub vocabulo B. Mariae de Gratia pro earum usu et habitatione construere, ... dummodo eis praedictas domos vendendi licentia concedatur, et nonnullae aliae domus in dicta civitate consistentes, per quondam Christophorum Valerio, civem Parmen., pro habitatione decem pauperum Christi pie relictae sibi per Sedem Apostolicam concedantur. Quare

(1) Reg. Lat. t. 468, f. 115; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 69. Cf. supra n. 1021, p. 509.

pro parte dictarum sororum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis relictas, in quibus quaedam perpetua ecclesia sive capella benedicta, non tamen consecrata, exsistit, et in qua octo ex dictis sororibus sepultae sunt, vendendi et alienandi ac pro usu pauperum dimissas domos huiusmodi sibi concedere et assignare ... dignaremur. Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... praefatis sororibus pauperibus dimissas cum omnibus iuribus ..., de consensu tamen haeredum dicti Christophori ac alias eis relictas domos vendendi et alienandi ac super aliis domibus praedictis unam domum cum oratorio ... fundandi ... necnon ad illam cum omnibus suis bonis mobilibus, etiam eis tam per dictum Gasparem quam alias pie erogatis, transferendi ... licentiam ... concedas, proviso, quod ipsa capella ad profanos usus minime reducatur. Nos enim ... praefatis sororibus, ... ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VI idus iunii, ... anno V.

1488. Fratribus III O. S. Fr. domus B. Mariae ad Gradus, Mutinen., concedit licentiam retento habitu eremitico sub regula dicti ordinis permanendi, sibi eligendi ministrum et aedificandi campanile (1).

1451, iunii 10, Romae.

Dilectis filiis fratribus domus B. Mariae ad Gradus, Mutinen., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, sub eremitico habitu degentibus.

Ex susceptae servitutis officio *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias quondam Theobaldus de Marchia, eremita, ex christifidelium eleemosynis et aliis bonis sibi a Deo collatis eremum sive oratorium B. Mariae Mutinen. prope flumen, la Cechia nuncupatum, construxit et aedificavit, ac postquam ipse et cum eo etiam post ipsius obitum nonnulli alii eremitae eremum ipsam per multa tempora inhabitaverant et ab undecim vel circa iam annis elapsis eremitae, qui tunc inibi degebant, vitam eremiticam relinquentes, regulam fratrum tertii ordinis B. Francisci de poenitentia nuncupati professi sunt, habitu tamen eremitico solito more retento, sub quo et ordine antedictis ex post Altissimo inibi servierunt. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut statui et quieti vestrae paternaliter consulentes, quod de cetero sub regulari dicti ordinis habitu in eremo seu oratorio huiusmodi permanere necnon unum ex fratribus inibi degentibus in ministrum vestrum, qui iuxta dicti ordinis instituta vos regere et gubernare valeat, eligere ac etiam in ipso oratorio campanile construere et aedificare ac construi et aedificari facere possitis, concedere ac alias *etc.* Nos igitur, ... volentes vos, ut de virtute in virtutem procedere valeatis, in huiusmodi laudabili proposito confovere, vobis, quod in eremo seu oratorio huiusmodi perpetuis futuris temporibus habitu eremitico ex more retento sub regula dicti ordinis Altissimo famulari unumque de vestris ad hoc idoneum in ministrum iuxta eiusdem ordinis instituta eligere ac campanile huiusmodi construere et aedificare libere et licite valeatis, ... concedimus *etc.* Et insuper vobis, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, IV idus iunii, ... anno V.

1489. Antonio de Sicenario, O. F. M., in sacerdotio constituto, Iohannis Cypri regis capellano, concedit dispensationem ad recipiendum quodcumque beneficium ecclesiasticum, ut facilius subvenire valeat necessitatibus genitricis suae Antoniae, in senio constitutae ac magnae paupertatis onere praegravatae (2).

1451, iunii 11, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III idus iunii, anno V.

1490. Henrico Peerle, O. F. M., de nobili genere procreato, sacrae theologiae lectori, qui per 26 annos praedicationibus laudabiliter insudaverat, pro quo etiam archiepiscopus Cantuarien. supplicavit, concedit licentiam recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (3).

1451, iulii 1, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, kalendis iulii, ... anno V.

1491. Statuit, ut domus O. F. M., per [S.] Coletam, O. S. Cl., reformatae sub obedientia ministrorum generalis et provincialium manere debeant, et vicario fratrum O. F. M. de observ. inhibet, ne praedictas domus transferat sub sua obedientia (4).

1451, iulii 3, Romae.

Dilectis filiis fratribus de Dola et de Chariaco ac de Saleriis, Bisuntin. dioec., necnon

(1) Reg. Vat. t. 417, f. 171 v.
(2) Reg. Lat. t. 468, f. 50. (3) Reg. Vat. t. 396, f. 108.
(4) Reg. Vat. t. 417, f. 101 v. — De domo de Dola cf. *Bull. Franc.* t. VII, n. 1362, p. 493; n. 1728, p. 660 et supra n. 1278, p. 658. De domo de Saleriis *Bull. Franc.* t. VII, n. 1372, p. 501.

aliarum domorum ordinis Minorum per bonae mem. Coletam, ordinis S. Clarae, reformatarum ubicumque consistentium.

In summi apostolatus apice *etc.* Cum itaque fratres domorum de Dola et de Chariaco ac de Saleriis, Bisuntin. dioec., necnon aliarum domorum ordinis Minorum per bonae mem. Coletam, ordinis S. Clarae, apostolica auctoritate reformatarum ab eadem Sede et generali capitulo dicti ordinis obtenta licentia sub praefati ordinis observantia regulari ac obedientia dilectorum filiorum generalis et provincialium ministrorum et aliorum ordinariorum eiusdem ordinis praefatorum laudabiliter duxerint dies suos, nihilominus quodam se noviter inter vos turbine immiscente, qui in praesentiarum estis dictarum domorum fratres eiusdem ordinis, ad dilecti filii ultramontani vicarii generalis per fel. rec. Eugenium papam IV, praedecessorem Nostrum, ac Constantien. concilium deputati obedientiam transire dictasque domos transferre nisi sunt et nituntur in dies, unde inter vos scandalum et divisionem oriri et devotionem non immerito periclitari timetur. Nos igitur, qui scandalis et divisionibus, quantum cum Deo possumus, obviamus, dictarum domorum indemnitati compatientes ac devotionem vestram in Domino confoventes personasque et domos praedictas ministris et praelatis huiusmodi per viscera misericordiae Dei nostri Iesu Christi in obedientia consueta absque ulla novitate conservandos propensius recommendantes, dilecti filii nobilis viri Bernardi de Armanhaco, comitis Marchiae, ipsarum domorum protectoris et zelatoris, precibus inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium ex certa scientia statuimus, decernimus et etiam ordinamus, quod praedictae ac omnes aliae domus per eamdem Coletam reformatae, ut praefertur, cum omnibus et singulis dictarum domorum statutis, consuetudinibus, usibus et stilis in et sub dictorum praelatorum obedientia consueta libere remanere teneantur aliis sub praefati vicarii obedientia vivere volentibus a dictis domibus recedendi licentia non negata, districtius inhibentes eisdem vicario et sub eius obedientia vivere volentibus fratribus in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis poena, quam quilibet ex contrafacientibus incurrat eo ipso, ne vos aut vestrum aliquem seu domos praedictas sub eorum obedientia vindicare aut transferre praesumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attentari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, V nonas iulii, ... anno V.

1492. Mandat, ut hominibus terrae Angloni, Treventin. (Trivento) dioec., concedat licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. sub vocabulo S. Bernardini [1].

1451, iulii 3, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Mariae de Anglono, Treventin. dioec.

Sincerae devotionis affectus, quem dilecti filii universitas et homines terrae Angloni, Treventin. dioec., ad Nos et Romanam ecclesiam gerere dignoscuntur *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte universitatis et hominum praedictorum petitio continebat, quod ipsi ob singularem devotionis affectum, quem ad ordinem fratrum Minorum de observantia habere noscuntur, pro religionis eorumdem fratrum augmento unam domum cum ecclesia et aliis necessariis officinis pro praedictorum fratrum usu et habitatione perpetuis de suis propriis bonis aedificari facere proponunt, si ad id eis Apostolicae Sedis suffragetur auctoritas. Quare pro parte universitatis et hominum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi in quocumque loco dictae terrae ad hoc apto, quem duxerint eligendum, domum unam cum ecclesia sub vocabulo S. Bernardini confessoris construere seu aedificari facere ac fratribus dicti ordinis sub regulari observantia viventibus et divinis officiis insistere volentibus illam concedendi et assignandi, necnon illam et coemeterium, postquam constructa fuerint, per quemcumque catholicum, quem maluerint, antistitem consecrari et benedici facere libere et licite valeant; ipsique antistiti ecclesiam et coemeterium huiusmodi consecrandi et benedicendi ordinarii loci et cuiuscumque alterius super hoc licentia minime requisita, licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, eidem universitati et hominibus, dummodo locus ipse congruus et honestus exsistat, domum cum ecclesia, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis in eadem terra pro fratrum praedictorum usu et habitatione perpetuis de novo construi et aedificari faciendi illamque, postquam constructa fuerit, eisdem fratribus concedendi et assignandi ipsisque fratribus illam recipiendi ac in ea perpetuo remanendi dioecesani loci et cuiuscumque

[1] Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 61 « e l. 2 de div. form. f. 69 ».

alterius super hoc licentia minime requisita, auctoritate Nostra licentiam largiaris; non obstante *etc.* Et insuper praefati ordinis fratribus in eadem domo pro tempore commorantibus, quod ecclesiam et coemeterium huiusmodi a quocumque catholico antistite absque contradictione aliqua consecrari facere valeant, eadem auctoritate Nostra concedas, iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, V nonas iulii, ... anno V.

1493. S. Mariae de Stafarda et S. Mariae de Cabinero abbatibus ac praeposito S. Laurentii extra muros Pinaroli, Taurinen. dioec., mandat, ut domum confratriae portae S. Francisci de oppido Pinaroli, contiguam domui fratrum O. Praed., concedat priori et fratribus eiusdem domus O. Praed., ita tamen, quod ipsi prior et fratres aliquam idoneam et sufficientem recompensationem guardiano et fratribus domus S. Francisci dicti oppidi, O. F. M., pro cibariis, quibus certis anni diebus confratres de fructibus confratriae duodecim ex fratribus praedictis O. F. M. exhibere debent, assignare teneantur (1).

1451, iulii 3, Romae.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, V nonas iulii, ... anno V.

1494. Prioratum S. Iacobi de le Mandriole in terra castri Massacii, Aesin. dioec., O. Camald., concedit fratribus O. F. M. de observ. (2).

1451, iulii 6, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus ordinis Minorum in territorio Massacii, Aesin. dioec., commorantibus.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Cum itaque Nos nuper, abominabilem sectam quorumdam malignorum hominum, fratrum seu fraticellorum de opinione vulgariter nuncupatorum (3), quae procurante satore malorum operum in Massacii, Aesin. dioec., et nonnullis aliis castris, terris, villis ac locis Marchiae Nostrae Anconitan. plurimum, proh dolor, invaluisse dicitur, de medio tollere ac illorum fluxum pestiferum, ne virus insanabile et perpetuum nocumentum fidelium cordibus inferre possent, totis viribus restinguere cupientes, post nonnullos auctoritate Nostra contra quosdam ex dictis pestiferis hominibus habitos processus, sperantes, quod per vestram laudabilem ac religiosam vitam et fructuosas, quas sub regulari observantia viventes incessanter ad populos facitis praedicationes vestri ministerio omne haeresis huiusmodi fermentum expurgabitur et dictorum malignorum hominum corda, ea divina illustrante gratia ad viam reducentur veritatis, unam domum vestri ordinis pro vestris usu et habitatione in praefato castro Massacii seu in ipsius territorio in loco utique ad id habili et idoneo fundari et construi facere decreverimus, et sicut accepimus, si prioratus S. Iacobi de le Mandriole, ordinis Camaldulen., in territorio dicti castri Massacii consistens, quem dilectus filius Venantius Nicolai de Saxoferrato, ipsius prioratus prior, obtinet, et qui cum illius ecclesia in ruina exsistit, ipsa videlicet ecclesia cum structuris circa illam, si quae sunt, et spatium terrae seu nemoris quantitatis seminaturae unius sarcinae gravis mensurae illarum partium pro fundatione et constructione domus huiusmodi suppresso primitus in dicta ecclesia ordine Camaldulensi huiusmodi [ac] penitus exstincto vobis concederetur, vos inibi unam domum cum ecclesia, campanili et aliis necessariis officinis de nonnullis bonis quorumdam haereticorum alias per Nos seu auctoritate Nostra damnatorum vobis ad fundationem et constructionem huiusmodi assignatis ac christifidelium eleemosynis fundaretis et construeretis seu fundari et construi faceretis et inibi habitantes verbo ac exemplo fideles in fide firmaretis, haereticos vero ad viam reduceretis veritatis in divini nominis laudem, christianae religionis augmentum et plurimorum animarum salutem. Nos igitur ex praemissis omnibus et singulis, de quibus sumus plenissime informati, ac certis aliis de causis ad id animum Nostrum moventibus motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc oblatae Nobis petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate, auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium in dicto prioratu praefatum ordinem Camaldulen., etsi forsan ab aliquo monasterio vel regulari loco dependeret, dependentiam aliasque eiusdem prioratus qualitates, etiamsi abbatialis mensae seu monasterii membrum exsisteret, quae omnia praesentibus haberi volumus pro expressis, supprimimus penitus et exstinguimus, et si forsan alicuius monasterii vel alterius prioratus seu loci membrum foret, ab eo separamus et omnino segregamus dictumque Venantium ab illo, absque tamen alicuius infamiae nota, quoad ecclesiam videlicet et circa illam structuras et spatium terrae seu nemoris praedicta dumtaxat amovemus vobisque ecclesiam, structuras, spa-

(1) Reg. Lat. t. 474, f. 65v. — De domo de Pinarolo cf. supra n. 1473, p. 741.

(2) Reg. Vat. t. 417, f. 95.

(3) De fraticellis cf. supra n. 1445, p. 731.

tium huiusmodi perpetuo concedimus, donamus et assignamus ac, quod ipsam ecclesiam in domum vestri ordinis erigere seu iuxta illam domum cum campanili, campana, coemeterio, claustro, hortis, hortalitiis et aliis pro vestris usu et habitatione necessariis officinis erigere seu erigi et construi facere illamque perpetuo inhabitare libere ac licite valeatis dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia desuper nullatenus requisita, plenam et liberam licentiam elargimur, vobis nihilominus indulgentes, quod ... exemptionibus *etc.* iure tamen parochialis *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, pridie nonis iulii, ... anno V.

1495. Mandat, ut Petrum de Sergna de Neapoli aliosque fratres III. O. S. Fr. in possessione hospitalis S. Mariae de Valviride, Forlivien., conservet eisque licentiam concedat eligendi sibi ministrum (1).

1451, iulii 6, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Rophelli, Bretonoren. dioec.

Ad ea ex iniuncto Nobis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Petri de Sergna de Neapoli, tertiae regulae S. Francisci de poenitentia nuncupatae, ac nonnullorum aliorum fratrum dictae regulae, in loco sive hospitali S. Mariae de Valviride in civitate Forlivien. sito commorantium et sub humilitatis spiritu viventium, petitio continebat, quod ipse Petrus decem annis et ultra elapsis ex praesentatione de persona sua per dilectos filios Rugerium quondam Pini et Baptistam quondam Servicoli Paganini et quosdam alios de Nomaglis, cives Forlivien., praetendentes seu asserentes se tunc in possessione pacifica vel quasi iuris praesentandi exsistere, personam idoneam ad locum sive hospitale praedictum, qui vel quod ad vitam cuiuscumque recipientis sub certo annuo censu per dictos cives dari consuevit, abbati monasterii S. Mercurialis, ordinis Vallisumbrosae, Forlivien., tunc exsistenti facta et per eumdem abbatem admissa locum sive hospitale huiusmodi ecclesiam seu oratorium necnon certas parvas domos, cortillae nuncupatas, una cum horto dicto monasterio contiguo, nullos tamen fructus habentes, assecutus exstitit illumque seu illud ex tunc tenuit et possedit, prout etiam tenet et possidet de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Petrus et nonnulli alii fratres praefatae regulae in dicto loco moram trahentes et sub habitu eremitico ibidem degentes religiosamque ac in paupertate et in communi vitam ducentes eorumque socii, qui industria et labore suis non modicis etiam cum piis christifidelium suffragiis et eleemosynis dictum locum seu eremitorium quamplurimum meliorarunt et in suis aedificiis reparārunt ac ornamentis ecclesiasticis ornarunt, dubitent post obitum dicti Petri de dicto loco expelli seu eis eumdem locum aut eremitorium per dictos patronos forsan concedi non posse. Quare pro parte Petri et aliorum fratrum *etc.* Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... discretioni tuae mandamus, quatenus, ... quod post obitum dicti Petri praefatus locus seu eremitorium fratribus dictae regulae pro tunc ibi sub humilitatis spiritu degentibus et commorantibus sub consueto annuo censu per patronos pro tempore exsistentes eiusdem loci dari, concedi et assignari dumtaxat debeat, ipsaeque personae ab eodem loco sive eremitorio de cetero perpetuis futuris temporibus per dictos cives eorumque haeredes et successores ac alios quoscumque minime expelli possint, auctoritate praedicta statuas et ordines Petroque et aliis praefatis, ut unum ex eis in ministrum suum, quotiens opus fuerit, qui eos iuxta regulam praefatam, ordinationes et statuta per fel. rec. Nicolaum papam IV, praedecessorem Nostrum, edita regere et gubernare possit, perpetuis temporibus eligere valeant, dicta auctoritate concedas. Nos enim, ... ut omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, pridie nonis iulii, ... anno V.

1496. Mandat, ut Andisae de Pactis, viduae Licien., concedat licentiam fundandi domum sororum III. O. S. Fr. in civitate Licien. (2).

1451, iulii 13, Romae.

Venerabili fratri episcopo Licien.

Pia vota fidelium, illa praesertim *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Andisae de Pactis, viduae Licien., petitio continebat, ipsa vidua, zelo devotionis accensa, ... pro sua et suorum progenitorum animarum salute de bonis sibi a Deo collatis ad Dei laudem et gloriam ac dicti cultus augmentum quamdam domum, sitam in civitate Licien., ad eam legitime pertinentem, in domum sororum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati cum capella seu oratorio et altari pro

(1) Reg. Vat. t. 417, f. 172 v. de praeb. et dignit. et de reg., f. 18 ».

(2) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 62 « e l. 1 de div., de benef. vac.,

missis et aliis divinis officiis inibi celebrandis sub vocabulo dicti sancti pro aliquarum sororum dicti ordinis sub illius observantia degentium usu et habitatione perpetuis erigere, instituere, fundare seu construere desideret, pro parte eiusdem Andisae Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, huiusmodi suum pium et laudabile propositum in Domino plurimum commendantes, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, praefatae Andisae domum praedictam in domum sororum praedicti ordinis cum capella, oratorio seu altari, ut praemittitur, erigendi ... ac sibi ac aliis sororibus praedicti ordinis illam perpetuo inhabitandi cuiuscumque desuper licentia minime requisita ac iure parochialis ecclesiae et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo auctoritate Nostra licentiam largiaris; quodque domum ipsam, si illam, ut praefertur, erigi ... contigerit, ac sorores in ea pro tempore degentes omnibus et singulis privilegiis ... uti possint pariter et gaudere, dicta auctoritate concedas. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III idus iulii, ... anno V.

1497. Mandat, ut monasterio S. Clarae, Sistaricen., O. S. Cl., incorporet prioratus S. Desiderii et S. Marcelli de Valerna, O. S. Ben., Vapnicen. dioec. (1).

1451, iulli 17, Romae.

Dilectis filiis Francisco Audiberti, canonico ecclesiae Sistaricen., et officiali Sistaricen.

Regimini universalis ecclesiae *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Iohannae, abbatissae, et conventus monasterii S. Clarae, Sistaricen., ordinis eiusdem sanctae, petitio continebat, quod fructus, redditus et proventus dicti monasterii propter guerrarum turbines et alios sinistros eventus, quibus partes illae diutius afflictae fuerunt, adeo decrevere seu tenues et exiles sunt effecti, quod ex illis abbatissa ipsius monasterii pro tempore exsistens et eaedem conventus, quae computata dicta abbatissa sunt numero quindecim vel circa moniales professae, divinis inibi officiis insistentes, sustentari et alia eis incumbentia onera supportare commode nequeunt, quodque, sicut eadem petitio subiungebat, si S. Desiderii et S. Marcelli de Valerna prioratus, ordinis S. Benedicti, Vapnicen. dioec., qui conventuales seu dignitates vel personatus non sunt et a monasterio S. Guillelmi de Deserto, eiusdem S. Benedicti ordinis, Lodoven. dioec., dependent ac per unum dumtaxat ex ipsius monasterii S. Guillelmi monachis gubernari consueverunt, quibusque cura non imminet animarum, praefato monasterio S. Clarae in perpetuum unirentur, annecterentur et incorporarentur, ex hoc abbatissae et moniales ipsae sustentari ac huiusmodi onera supportare commodius decentiusque valerent ac alias in suis et dicti sui monasterii necessitatibus non modicum susciperent relevamen. Quare pro parte Iohannae abbatissae, quae, ut asserit, de nobili genere procreata est, et conventus praedictarum, asserentium, quod prioratuum viginti et monasterii S. Clarae praefatorum quadraginta librarum Turonen. parvorum secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, fuit Nobis humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus, ... si ... abbatis et monasterii de Deserto conventus consensus ad hoc accesserit, ... ordinem S. Benedicti in prioratibus huiusmodi eadem auctoritate penitus et omnino supprimatis et exstinguatis necnon prioratus praedictos cum eisdem iuribus et pertinentiis dicto monasterio S. Clarae eadem perpetuo auctoritate incorporetis, uniatis et annectatis. Et nihilominus, cum, sicut accepimus, dilectus filius Guillelmus de Fanergiis, ipsorum prioratuum prior, pro eo, quod ex illorum fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi sustentari nequit ac ex certis aliis rationabilibus causis eosdem prioratus, quos obtinet, extra Romanam curiam ad opus et in favorem unionis, incorporationis et annexionis huiusmodi, ut suum celerius sortiantur effectum, sponte ac libere resignare proponat, resignationem huiusmodi ab ipso Guillelmo vel procuratore suo ... recipiatis et admittatis, ita quod ... liceat abbatissae et monasterii S. Clarae conventui ... corporalem prioratuum iuriumque et pertinentiarum praedictorum possessionem auctoritate propria libere apprehendere et reservata super huiusmodi prioratuum fructibus, redditibus et proventibus pro presbytero idoneo, per easdem abbatissam et dicti monasterii S. Clarae conventum communiter pro solo earum nutu ponendo et amovendo pro tempore, qui in ipsorum prioratuum ecclesiis missas et alia divina officia condecenter celebrare debeat et teneatur, congrua, de qua commode sustentari valeat, portione, reliquos fructus, redditus et proventus eosdem in suos et monasterii S. Clarae et prioratuum eorumdem usus utilitatemque convertere pariter et retinere dioecesani loci et cuiuscumque alterius super hoc licentia

(1) Reg. Vat. t. 421, f. 235 v. — De eadem re iam agitur supra n. 512, p. 247.

minime requisita, non obstantibus *etc.* Attente quoque provideatis, ne in reservatione praedicta, si fiat, ex parte Guillelmi ac abbatissae et monasterii S. Clarae conventus praedictorum aliqua pravitas interveniat seu etiam corruptela. Volumus autem, quod eadem abbatissa et dicti monasterii S. Clarae conventus ... census et alias responsiones, si qui ratione dictorum prioratuum abbati et monasterii de Deserto conventui huiusmodi ab antiquo forsitan debeantur, eisdem tradere et praestare ac etiam ratione praemissa episcopalia iura solvere aliaque incumbentia onera supportare debeant et sint adstrictae. Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XVI kal. augusti, ... anno V.

1498. Concedit licentiam promoveri faciendi ad sacros ordines a quolibet catholico antistite, extra tempora statuta et uno contextu (1).

1451, Iulii 22, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus Montis Sion, ordinis fratrum Minorum de observantia.

Apostolicae Sedis copiosa benignitas *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos, qui in partibus infidelium degitis, fratres dicti ordinis propter episcoporum carentiam ad minores ac etiam sacros ordines alios sine magna difficultate promoveri facere nequeatis, Nos, vestris in hac parte supplicationibus favorabiliter annuentes, vobis praesentium auctoritate concedimus, ut a quocumque catholico antistite gratiam et communionem dictae Sedis habente, si quem illuc pro tempore advenire contigerit, omnes et singulos eiusdem ordinis professores, quos tu, fili guardiane, dictae domus vel alius pro tempore exsistens, censueris idoneos et sibi duxeris praesentandos, etiam extra tempora a iure statuta, ad minores ac omnes alios sacros ordines similiter una die ordinari facere, ac eidem episcopo, ut ordines huiusmodi similiter et semel eisdem ordinandis conferre, veluti necessitati in conferendis ordinibus congruerit expedire, vel a vicinis episcopis insularum circumstantium fratres praedictos ordinari facere possit et valeat, ipsique circumstantes episcopi illos, ut praefertur, etiam extra tempora et uno contextu ordinare teneantur et debeant, constitutionibus ... non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XI kal. augusti, ... anno V.

1499. Amalrico Galhardi, O. F. M., theologiae professori, capellano et confessori Iohannis, comitis Armanhaci, concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (2).

1451, Iulii 26, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VII kal. augusti, ... anno V.

1500. Nicolao de Lapis et Antonio de Grassis ac Ludovico de Manzolis, canonicis Bononien., mandat, ut Augustino de Bononia, olim O. F. M., tunc monacho S. Stephani Bononien. et S. Bartholomaei de Mussignano, Bononien. dioec., O. S. Ben., commendari curent ecclesiam parochialem S. Michaelis de Gaibola, eiusdem dioec. (3).

1451, Iulii 27, Romae.

Solet copiosa Sedis Apostolicae benignitas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VI kal. augusti, ... anno V.

1501. Concedit indulgentias visitantibus capellam S. Bernardini de Senis in conventu S. Mariae de la Nova, Neapolitan., O. F. M. de observ. (4).

1451, augusti 1, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, in civitate Neapolitan., in conventu S. Mariae de la Nova, ordinis fratrum Minorum de observantia, quaedam capella in honorem praeclari confessoris S. Bernardini de Senis noviter fuerit constructa et aedificata opitulantibus piis christifidelium suffragiis, Nos igitur, cupientes, ut ecclesia ipsa seu capella S. Bernardini *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in die vicesimo mensis maii, in quo festum gloriosi S. Bernardini celebratur, a primis vesperis usque ad secundos vesperos capellam eiusdem sancti devote visitaverint annuatim, septem annos et totidem quadragesimas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, si alias *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, kalendis augusti, ... anno V.

---

(1) *Bull. pendinare Terrae Sanctae.* Romae 1727, p. 59.
(2) Reg. Vat. t. 421, f. 153v. — De Amalrico Galhardi cf. supra n. 665, p. 322.
(3) Reg. Vat. t. 417, f. 165 v.
(4) Reg. Vat. t. 418, f. 228.

1502. Mandat, ut duas partes bonorum a fratribus O. F. M. de observ., domorum de Ragusio et Daxa, dimissorum mensae episcopali Ragusin. assignent, tertiam partem reservent pro manutentione dictarum domorum (1).

1451, augusti 18, Romae.

Venerabilibus fratribus Berardo, Spoletan., in Romana curia residenti, et Curzolen. ac Dulcinen. episcopis.

Commissum Nobis desuper apostolatus officium *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte ... Iacobi, archiepiscopi Ragusin., petitio continebat, quod fructus ... mensae archiepiscopalis ecclesiae Ragusin., qui communiter ad sexcentos florenos auri de camera annuatim ascendunt, quorumdam praedecessorum suorum archiepiscoporum, qui ut plurimum ordinis fratrum Minorum professores fuerunt, quique, ecclesiae praedictae iura tueri non curantes, in quarta parochiali sibi debita a conventualibus Ragusin. et Dase (2), prope civitatem Ragusin. ad duo milliaria, domorum eiusdem ordinis fratribus defraudari permiserunt, incuria seu negligentia causante adeo tenues facti sunt, ... quod ex eis ipse Iacobus archiepiscopus iuxta archiepiscopalis dignitatis decentiam ... statum tenere et alia ... onera supportare commode non potest, ... quodque a certo tempore citra praefatae domus per quosdam fratres dicti ordinis regularis observantiae reformatae exstiterunt, qui intendentes re et nomine in puritate et observantia iuxta eorum regulam vivere, quamplura bona immobilia, census et redditus, olim per fratres conventuales domorum huiusmodi percipi solita, realiter dimiserunt. Cum autem, ... si census et redditus huiusmodi ad summam quingentorum vel circa florenorum similium annuatim ascendentes, qui de praesenti per dilectos filios tres nobiles viros Ragusin., thesaurarios nuncupatos, qui ex quadam lege municipali dictae civitatis potius de facto quam de iure ad exsecutionem testamentorum et quorumcumque aliorum piorum legatorum non sine praeiudicio iurisdictionis archiepiscopalis dignitatis ac ipsorum animarum salutis exsistunt, administrantur, praefatae mensae perpetuo concederentur ..., non modicum exinde dictus archiepiscopus in praemissis susciperet relevamen, pro parte dicti archiepiscopi Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, attendentes, quod bona praefato ordini legata ad Romanam ecclesiam et illorum dispositio ad Nos pertinere noscantur, nullusque de illis praeter Nos disponere possit, ... fraternitati vestrae ... mandamus, quatenus vos, ... postquam vocatis dictis fratribus ... vobis de praemissis legitime constiterit, omnia et singula bona ... praefatae mensae tamquam bona Romanae ecclesiae perpetuo donare ... auctoritate Nostra curetis, ita quod ex tunc liceat praefato Iacobo seu tunc exsistenti archiepiscopo ... corporalem possessionem bonorum ... apprehendere et illorum fructus ... percipere ..., necnon duas in suos ac dictae mensae usus et utilitatem convertere ... ac tertiam partem ipsorum fructuum ... in manutentionem structurarum et aedificiorum domorum praedictarum convertendam ipsarum domorum procuratoribus seu aliis ad id per ipsos fratres pro tempore annis singulis deputatis ipse Iacobus ac successores sui archiepiscopi Ragusin., qui erunt pro tempore, annis singulis assignare perpetuo teneantur et efficaciter sint adstricti. Contradictores *etc.* Nos enim *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XV kal. septembris, ... anno V.

1503. Iohannem La Bische [al. de Lavissa], O. F. M., in sacerdotio constitutum, ecclesiae Diospolitan., vacanti per obitum Martini, episcopi Diospolitan., praeficit in episcopum (3).

1451, augusti 20, Romae.

Apostolatus officium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XIII kal. septembris, ... anno V.

1504. Mandat, ut Didaco Manrique, praefecto regni Legionis et comiti de Trivinio, concedat licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. prope villam de Navarrete, Calagurritan. dioec. (4).

1451, septembris 2, Romae.

Dilecto filio priori monasterii beatae Mariae de Najera per priorem soliti gubernari, Calagurritan. dioec.

Piis fidelium votis gratum *etc.* Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Didaci Manrique, regni Legionis praefecti et comitis de Trivinio, Nobis exhibita nuper petitio continebat, quod ipse, dudum attente considerans, quod in dioecesi Calagurritan. nulla domus ordinis fratrum Minorum de observantia exsistebat, singulari, quem ad beatum Franciscum gerebat et gerit,

(1) Reg. Lat. t. 469, f. 99 v. (2) i. e. Daxae.

(3) Reg. Lat. t. 467, f. 96 v. Eidem Iohanni litteris *Cum Nos pridem* d. d. 25 aug. 1451, concedit licentiam recipiendi consecrationem a quocumque catholico antistite, Reg. Lat. t. 469, f. 261 v., et litteris *Sincerae devotionis affectus* d. d. 20 aug. 1451 eidem dat facultatem exercendi pontificalia in civitate et dioec. Andegaven. Ibid. t. 469, f. 261.

(4) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 63. « e l. 1 de div., benef. vac., praeb. et dignit. et de reg. f. 79 ».

devotionis zelo accensus, ... quoddam eremitorium, S. Mariae de Iesu de Monte Oliveti nuncupatum, in quodam loco ad hoc congruo et honesto a villa de Navarrete, dictae dioec., murata et insigni ac habitatorum copioso numero populata, et per medium milliare vel quasi distante ac ad ipsum Didacum legitime pertinente, cum domo decenti construi et aedificari fecit, cupiens inibi quamdam domum cum ecclesia, campanili, campana, dormitorio ceterisque necessariis locis et officinis pro usu et habitatione decem fratrum dicti ordinis sub regulari observantia ibidem perpetuo famulaturorum, quorum virtutibus et laudabili vita ac fructuosis operibus eiusdem oppidi ac circumvicinorum habitatores non modicas animarum suarum consolationes et gaudia sentire sperat, aedificare et perficere ac in ea decem fratres praelibatos recipere et collocare, si ad id sibi et eisdem fratribus Sedis Apostolicae suffragaretur auctoritas. Quare pro parte ipsius Didaci Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, vocatis ordinario loci et aliis, qui fuerint evocandi, eidem Didaco domum praedictam cum ecclesia ... et officinis necessariis pro usu et habitatione perpetuis decem ipsius ordinis fratrum aedificandi et perficiendi ac in ea decem fratres praedictos ad id benevolos recipiendi et collocandi seu recipi et collocari faciendi necnon fratribus praedictis domum ipsam recipiendi et in ea sub regulari observantia permanendi, plenam et liberam auctoritate Nostra licentiam largiaris. Nos enim, si aedificationem ... huiusmodi fieri contingat, ut praefertur, eisdem fratribus in dicta domo pro tempore degentibus et in obedientia ordinis et observantia regulari exsistentibus, quod ipsi omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant pariter et gaudere, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et etiam indulgemus. Non obstantibus *etc.* Iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, IV nonas septembris, ... anno V.

1505. Revocat ea, quae a Ruperto, episcopo Argentin., acta sunt contra exemptionem fratrum O. Praed. et O. F. M. aliorumque ordinum mendicantium (1).

1451, septembris 5, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Regularem vitam professis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum Praedicatorum, Minorum et aliorum mendicantium ordinum priorum et guardianorum domorum in civitate Argentinen. consistentium Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet ipsi eorumque domus et loca per specialia Sedis Apostolicae privilegia, quibus non est hactenus in aliquo derogatum, ab omni ordinariorum locorum eorumque officialium iurisdictione sint exempti, liberi, penitus immunes, nihilominus venerabilis frater Noster Rupertus, episcopus Argentinen., eosdem fratres super exemptione, libertate et immunitate praedictis multipliciter molestare, inquietare ac perturbare ipsosque et ipsorum ordinum singulos suae iurisdictioni subiicere non veretur et quosdam processus, per quos eisdem fratribus in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam in eos et ipsorum quemlibet trium dierum canonica monitione praemissa ex tunc per sua scripta protulit temere et de facto, districte mandavit, quod ex tunc in antea divinum officium diurnum, quod in ipsorum domorum ecclesiis celebrarent, ante compulsationem summae missae in ecclesia Argentinen. celebrari solitae, complerent atque perficerent, quodque in resurrectionis dominicae ac nativitatis Christi festivitatibus tam in pulsationibus quam etiam in divino officio ipsam Argentinen. et alias civitatis Argentinen. collegiatas ecclesias nullatenus praevenirent aut praevenire praesumerent, et nihilominus quoscumque mendicantium fratres super audiendis confessionibus per eum eatenus admissos excepto dilecto filio Erhardo Inde, suo in poenitentialibus vicario, quem propterea revocare non intendebat, publice revocari mandavit et revocavit, inhibens omnibus et singulis christifidelibus sibi subditis sub simili poena, quam trium dierum canonica monitione praemissa ex tunc contra facientes incurrere voluit ipso facto, ne ipsis praedictis fratribus aut alicui eorum confiteri seu ab eis absolutionem recipere quoquomodo praesumerent, in ipsorum fratrum non modicam laesionem, propter quae priores, guardiani et fratres domorum huiusmodi, sentientes exinde indebite se gravari, ad Sedem Apostolicam appellarunt ac Nobis humiliter supplicarunt, ut cum praemissa in ipsorum fratrum gravamen ac devotionis fidelium diminutionem cedere dignoscantur, eis super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... mandata, inhibitiones et alia per dictum episcopum contra eosdem fratres, utpote ab omnibus episcopi dominio, iurisdictione ac potestate per quamplura Sedis eiusdem privilegia exemptos, de facto ordinaria auctoritate attentata nullius

(1) Reg. Vat. t. 418, f. 159 v.

exsistere roboris vel momenti et, si qua forent, quia forsan dictus episcopus sufficienti desuper esset ab eadem Sede facultate suffultus, tamquam contra omnem charitatem ac iuris ordine non servato facta non immerito revocari deberent, mandatorum et inhibitionum, appellationis aliorumque praemissorum tenores et, si quae forsan causae desuper penderent indecisae, earum status praesentibus pro expressis habentes ipsasque causas ad Nos harum serie advocantes et illas ac lites huiusmodi penitus exstinguentes necnon dicta auctoritate harum serie priores, guardianos et fratres praedictos ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, quibus forsan praemissorum occasione quomodolibet innodati exsistant, absolventes ... ac secum super irregularitate ... dispensantes omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per eos dicta occasione contractam abolentes, ... dicta auctoritate apostolica, ex certa scientia, tenore praesentium mandata, revocationes, inhibitiones et alia praedicta irrita et inania nulliusque roboris vel momenti fore ac nullatenus servari debere decernimus et, in quantum sit opus, revocamus, ... districtius inhibentes episcopo, ne ordinaria seu apostolica auctoritate etiam vigore litterarum per Nos et desuper concessarum, quas, etiamsi motu proprio, ex certa scientia ac sub quibuscumque formis et expressionibus verborum concessae forent, illarum tenores de verbo ad verbum praesentibus pro expressis habentes, revocamus, ... decernentes ex nunc omnia et singula mandata, revocationes et inhibitiones et quidquid per praedictum episcopum scienter vel ignoranter contra inhibitionem huiusmodi fieri vel attentari contigerit, irritum et inane nulliusque fore roboris vel momenti. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, nonis septembris, ... anno V.

1506. Mariae de Meneses, moniali monasterii S. Clarae de Villa de Conde, O. S. Cl., Bracharen. dioec., de magnorum nobilium genere et regali prosapia procreatae ac ordinem S. Clarae professae, concedit licentiam transeundi ad ordinem Cisterc. cum facultate recipiendi quascumque ordinis eiusdem dignitates (1).

1451, septembris 14 Romae.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XVIII kal. octobris, ... anno V.

1507. Spoletan. et Pennen. episcopis ac Iacobo Bouron, vicedomino ecclesiae Remen., mandat, ut a Laurentio, episcopo Tiburtin., recipiant cessionem ecclesiae parochialis S. Marci de Urbe et eamdem ecclesiam commendare curent Iacobo Petri de Monteflascone, O. F. M. (2).

1451, septembris 16, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XVI kal. octobris, ... anno V.

1508. Eugenio Somma, O. F. M., nuntio suo in partibus Albaniae, Bulgariae et Rasciae, concedit amplas facultates (3).

1451, septembris 21, Romae.

Dilecto filio Eugenio Somma, ordinis fratrum Minorum professori, necnon ad Albaniae, Bulgariae et Rasciae partes nuntio Nostro.

Dum salubria laborum tuorum studia *etc.* Hinc est, quod Nos, sperantes, quod in Albaniae, Bulgariae ac Rasciae partibus, in quibus (proh dolor) quamplures haeretici et penitus infideles fore noscuntur, pro ipsorum ad viam veritatis reductione, prout iam coepisti, divina tibi assistente gratia pro viribus studebis elaborare, te in dictis partibus nuntium et commissarium Nostrum facimus, constituimus et etiam deputamus, tibi Nostrae et Romanae ecclesiae nominibus omnia et singula, quae provinciales ministri tui ordinis in eorum provinciis facere et agere possunt, faciendi et agendi ac in huiusmodi partibus quinque conventus, domos seu loca dicti ordinis in eisdem partibus consistentia de partium huiusmodi fidelium consensu recipiendi et ad regularem observantiam ipsius ordinis reducendi ac reformandi, seu totidem domos ac loca cum ecclesiis, campanilibus, campanis, coemeteriis, hortis, hortalitiis et aliis ... pro usu et habitatione aliquorum fratrum eiusdem ordinis ac illius regularis observantiae, qui necnon domus et loca huiusmodi omnibus et singulis privilegiis ... in genere aliis domibus sive locis ac fratribus ordinis et observantiae praedictorum per Nos vel Sedem Apostolicam in specie seu genere quomodolibet concessis, uti et gaudere possint, de novo dioecesanorum locorum et quorumlibet aliorum licentia desuper nullatenus requisita fundandi et construendi seu fundari et construi faciendi necnon omnibus et singulis fratribus ordinis provinciae Albaniae, qui tibi ad id idonei et fructuosi videbuntur, ut ad partes huiusmodi tecum vel etiam de per

(1) Reg. Lat. t. 468, f. 23v. (2) Reg. Vat. t. 418, f. 211. (3) Reg. Vat. t. 418 f. 60v; Wadd. *Ann.* ad a. 1451, n. 47. Eidem concedit litteras passus die 1 octobris 1451. Ibid. l. cit.

se, dum tamen pauciores duobus simul non sint, personaliter se conferant et inibi verbum Domini praedicent seu in praefatis recipiendis et construendis domibus commorentur, praecipiendi et mandandi, ac guardianos seu vicarios inibi constituendi et deputandi illosque et fratres domorum huiusmodi visitandi, corrigendi et puniendi, necnon fratres vagantes seu apostatas ad ordinem reducendi et illos ad id cogendi, invocato ad hoc etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; ac cum fratribus huiusmodi seu quibusvis aliis ordinem ipsum profiteri volentibus super irregularitate quacumque voluntarii homicidii, mutilationis membrorum et bigamiae casibus dumtaxat exceptis, ut ea non obstante ad omnes etiam sacros ordines se promoveri facere et in illis ministrare libere et licite possint et valeant, dispensandi; libros quoque, paramenta et vasa altaris ac omnia alia bona conventuum, ordinis et partium praedictarum per laicos occupata seu detenta recuperandi et, postquam illa recuperaveris, domibus seu conventibus ordinis et partium huiusmodi, de quibus tibi videbitur, restituendi vel assignandi; necnon cuiuslibet contradictione nequaquam obstante libros, vestes, calices, ornamenta ecclesiastica et alia tibi necessaria a conventu Durachii, dicti ordinis, mutuo accipiendi; necnon uni, duobus seu pluribus fratribus eiusdem ordinis, de quibus tibi videbitur, quod quorumlibet utriusque sexus christifidelium, quotiens opus fuerit, eorum confessionibus diligenter auditis etiam in reservatis episcopis locorum casibus et etiam, si tales in favorem infidelium contra christianos pugnaverint vel ad ipsos infideles prohibita portaverint seu clericos percusserint, non tamen occiderint vel mutilaverint, et etiam, si christianam fidem abnegaverint, debitam absolutionem impendere et iniungere poenitentiam salutarem; necnon eos ab excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ... absolvendi in forma ecclesiae consueta, iniuncta *etc.* ac illis ex fratribus dictorum ordinis et observantiae, qui in sacerdotio constituti fuerint, quod infantes ac alios ad christianam fidem converti volentes baptizare necnon quibuscumque christifidelibus, quotiens expedierit, ecclesiastica sacramenta ministrare possint et valeant; praeterea illis ex quibusvis fidelibus, qui ad pugnam contra infideles ipsos transire voluerint et transiverint, vere poenitentibus et confessis, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac aliis fidelibus, qui fidelibus ipsis contra infideles ad pugnam transeuntibus pias eleemosynas seu charitativa subsidia erogaverint, indulgendi, quod confessor idoneus, saecularis vel regularis, quem eorum quilibet duxerit eligendum, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem eis in sinceritate fidei, unitate sanctae Romanae ecclesiae ac obedientia et devotione Nostra vel successorum Nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate Nostra apostolica concedere valeat, sic tamen, quod idem confessor de iis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda *etc.* Et ne, quod absit, christifideles propter huiusmodi gratiam reddantur procliviores *etc.* Et insuper, quod per unum annum *etc.* Et si in dicto anno *etc.* Porro si alias praedictum ieiunium in toto *etc.* iure tamen *etc.* Ultramarinum quoque, S. Iacobi in Compostella et quaecumque alia peregrinationis vota *etc.* Praeterea cupientes, ut etiam in partibus illis fides catholica iugi profectu, quibusvis elisis omnino et radicitus exstirpatis erroribus prosperetur ac fortius invalescat, ac sperantes, quod tu, cuius personam religionis et fidei sinceritate ac maturitate morum multarumque aliarum virtutum donis novimus insignitam, circa exstirpationem haeresum, quae (proh dolor!) in partibus illis sua venena permaxime diffuderunt, eris plurimum profecturus, te inquisitorem haereticae pravitatis in dictis partibus eadem auctoritate apostolica constituimus et deputamus, tibi in tuorum remissionem peccaminum iniungentes, quatenus in charitate Dei omni timore postposito, virtutem S. Spiritus induens, praedictum inquisitionis negotium in dictis partibus, prout tanti negotii utilitas suadebit, sub spe mercedis aeternae sic efficaciter prosequi et exsequi studeas diligenter, ut per sollicitudinis tuae prudentiam radices pravitatum haeresum huiusmodi penitus evellantur ac vinea Domini Sabaoth exterminatis inde vulpeculis fructus uberes afferat catholicae puritatis, in huiusmodi negotio processurus iuxta canonicas sanctiones. Non obstantibus *etc.* Rogantes et exhortantes in Domino universos in Christo filios nostros reges et charissimas in Christo filias reginas ac venerabiles fratres Nostros archiepiscopos et episcopos necnon dilectos filios nobiles viros duces, principes, voivodas, marchiones, comites, barones, milites, dominia, communitates, universitates aliosque christifideles ubilibet constitutos ac eis in remissionem omnium peccaminum iniungentes, quatenus ob divinae propitiationis praemium, Nostram et dictae Sedis reverentiam te et ad id per te deputandas personas in praemissorum prosecutione sic commendatos habeant, quod tu et dictae personae ipsa praemissa utilius et commodius adimplere valeatis ac reges et alii supradicti exinde prae-

ter aeternae retributionis praemium Nostram et dictae Sedis gratiam uberius consequi mereantur, praesentibus usque ad dictae Sedis beneplacitum dumtaxat valituris. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XI kal. octobris, ... anno V.

1509. Concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in civitate Aquilan. eoque transferendi reliquias S. Bernardini Senen. ([1]).

1451, septembris 22, Romae.

Dilectis filiis camerario et quinque artium regimini civitatis Aquilan.

Inter cetera desiderabilia cordis Nostri *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos pie recensentes, quod intra muros Nostrae civitatis Aquilan. nulla sit domus ordinis fratrum Minorum regularis observantiae, et attente considerantes, quot et quam saluberrimos fructus fratres ordinis et observantiae huiusmodi ex ipsorum exemplari vita ac salutaribus praedicationibus in Dei ecclesia continuo afferunt, ob singularem devotionem, quam geritis ad dictum ordinem, tum ob merita gloriosissimi confessoris S. Bernardini, cuius sacratissimae reliquiae in ecclesia domus S. Francisci dicti ordinis infra eamdem civitatem consistunt et reconditae habentur, ut dictae reliquiae eo in maioribus veneratione et devotione habeantur, vosque et ceteri christifideles dictae civitatis exemplis et praedicationibus praedictis eo magis proficere valeatis ad salutem: unam domum cum ecclesia, campanili, campana, coemeterio, dormitorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione quorumdam ex fratribus ordinis et observantiae praedictorum [ex vestris] ac aliorum fidelium piis elemosynis sub vocabulo dicti sancti in aliquo congruo et honesto loco praefatae civitatis et praesertim in domo seu ecclesia S. Thomae, hospitalis S. Iohannis Hierosolymitani, si illa vobis concedatur, fundari et construi et ad illam, postquam fundata et constructa fuerit, praefatas reliquias transferri et inibi honorifice recondi summopere desideratis. Nos igitur tam ad dictum sanctum, quem aliorum sanctorum numero et catalogo aggregandum adscribendumque duximus, quam etiam ad praefatum ordinem singularem gerentes devotionis affectum ac vestrum pium et laudabile desiderium huiusmodi in Domino plurimum commendantes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis in aliquo loco congruo et honesto civitatis, de quo videbitur vobis et dilecto filio Iacobo de Marchia, praedictorum ordinis et observantiae professori seu vicario provinciae Aprutinae iuxta morem ipsius ordinis, seu pro illa data sufficienti recompensa in domo vel ecclesia S. Thomae praefata, si illa vobis alias canonice concedatur, unam domum cum ecclesia ... ex eleemosynis fundandi et construendi seu fundari et construi ac praedictam ecclesiam, postquam constructa fuerit, sub vocabulo sancti huiusmodi consecrari faciendi et ad illam dictas reliquias transferendi, ipsique Iacobo necnon aliis fratribus ordinis et observantiae huiusmodi domum ipsam recipiendi et inhabitandi, dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia desuper nullatenus requisita ac iure parochialis ecclesiae ... salvo plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur, dicto Iacobo et fratribus in praefata domo pro tempore commorantibus, quod ipsi ac praedictae domus omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite possint et valeant, concedentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, X kal. octobris, ... anno V.

1510. Rolando Boordays, domorum in insulis circa Britanniae et Normanniae partes exsistentium O. F. M. custodi, ad viginti annos concedit facultatem per se vel alios fratres deputandos eiusdem ordinis christifidelium utriusque sexus ad domos praedictas propter naufragium, tempestatem vel alias quomodolibet declinantium confessiones audiendi, eos absolvendi, eis eucharistiam aliaque sacramenta ecclesiastica administrandi ac inibi decedentes vel alias mortuos sepeliendi ([2]).

1451, septembris 23, Romae.

Iniunctum Nobis desuper *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, IX kal. octobris, ... anno V.

1511. Abbati monasterii S. Stephani de Parrano, Nucerin. dioec., mandat, ut hospitale S. Petri de Colleflorito, Fulginat. dioec., quod sine cura est et per professores III O. S. Fr. gubernari consuevit necnon in loco solitario et campestri consistit, et in quo nulla hospitalitas servatur, cuiusque structurae et aedificia funditus destructa exsistunt, postquam Petrus de Macerata, presbyter S. Leonis dioec., dicti tertii ordinis professor, illud hospitale habens commendatum, ei sponte et libere cesserit, uniat et incor-

([1]) Reg. Vat. t. 418, f. 12; Wadd. *Ann.* ad a. 1451, n. 38 « ex autographo ». ([2]) Reg. Lat. t. 474, f. 214.

poret monasterio B. Mariae in Campis, O. S. Ben., Fulginat. dioec. (1).

1451 septembris 23, Romae.

Digna exauditione vota *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, IX kal. octobris, ... anno V.

1512. Confraternitati Corporis Christi in domo O. F. M. de Luczemburgo (Luxemburg), Treviren. dioec., concedit indulgentias (2).

1451, septembris 25, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Excellentissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi *etc.* Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus ordinis fratrum Minorum in Luczemburgo, Treveren. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, diversae Deo devotae personae utriusque sexus singulari, qua se in veneratione huiusmodi sacramenti exercitant, devotionis affectu quamdam inter se, quam Corporis Christi appellant, fraternitatem sive societatem constituerint, ratione cuius personae fraternitatis huiusmodi pro tempore exsistentes singulis quintis feriis singularum hebdomadarum in ecclesia dictae domus missam de Corpore Christi huiusmodi sollemniter decantari faciunt ac plerisque aliis insistunt operibus pietatis, Nos ... omnibus eis personis pro tempore exsistentibus, ... qui huiusmodi missas celebrari fecerint et huiusmodi piis operibus ob reverentiam dicti sacramenti institerint ac in festivitate Corporis Christi divinis officiis interfuerint annuatim, ultra quascumque alias indulgentias in ipsa festivitate officiis huiusmodi interessentibus non tamen forsan per Nos concessas centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Per hoc tamen fraternitatem praedictam non intendimus approbare.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VII kal. octobris, ... anno V.

1513. Alberto de Albertis de Tricarico, O. F. M., cui ut confessori suo nobiles viri Antonius de Sancto Severino, S. Marci dux, necnon Coriliani et Altimontis, ac Lucas, eius natus, Tricarici et Claromontis comites, ut eorum confessionibus commodius intendere possit, aliqua beneficia ad eorum praesentationem spectantia conferri desiderant, concedit licentiam recipiendi unum beneficium ecclesiasticum (3).

1451, septembris 28, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, IV kal. octobris, ... anno V.

1514. Mandat, ut Mariae de Albizis aliisque mulieribus, Pinzocheris nuncupatis, civit. Florentin., concedat facultatem fundandi monasterium O. S. Cl. (4).

1451, septembris 28, Romae.

Dilecto filio Antonio de Empulo, canonico Florentin.

Pia Deo et ecclesiae *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Mariae de Albizis et nonnullarum aliarum mulierum, Pinzocherarum nuncupatarum, in civitate Florentin., sub perpetua castitate viventium, petitio continebat, quod ipsae devotionis fervore accensae de bonis sibi a Deo collatis ac etiam cum suffragio christifidelium in dicta civitate seu extra muros eiusdem aut alio loco ad id apto et idoneo per eas iusto titulo acquirendo seu eis erogando unum monasterium monialium sub vocabulo S. Clarae, ordinis eiusdem sanctae, cum ecclesia, campana ... de novo fundare ... ac inibi sub habitu et ordine S. Clarae perpetuo suum reddere Altissimo famulatum ferventer exoptant. Quare pro parte Mariae et mulierum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si ... tibi constiterit, quod praefatae mulieres sint vitae laudabilis et de honestate comprobatae, eis unum monasterium sub vocabulo S. Clarae, ordinis huiusmodi, in eadem civitate seu extra illam aut alio loco ad id apto et idoneo per eas iusto titulo acquirendo seu eis pie erogando fundandi ... ac inibi sub habitu et ordine huiusmodi Altissimo famulandi ... licentiam ... concedas. Nos enim ... abbatissae seu priorissae ac monialibus ..., quod omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant, ... indulgemus. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, IV kal. octobris, ... anno V.

1515. Laurentio de Panormo, O. F. M., concedit licentiam recipiendi 7 loca pro usu et habitatione fratrum O. F. M. de observ. (5).

1451, septembris 30, Romae.

Dilecto filio Laurentio de Panormo de Sicilia, ordinis fratrum Minorum professori.

Sacrae religionis zelus, sub qua *etc.* Cum

(1) Reg. Lat. t. 468, f. 128v. Cf. supra n. 1159, p. 588.
(2) Reg. Lat. t. 468, f. 178v.
(3) Reg. Vat. t. 397, fol. 285.
(4) Reg. Lat. t. 468, f. 95; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 64.
(5) Reg. Vat. t. 418, f. 234v; *Annal.* Wadd. t. 12. *Reg. pont.* n. 65. Eidem conceditur littera passus die et anno, ut supra. Reg. Vat. 418, f. 235. Cf. supra n. 1445, p. 731.

itaque, sicut exhibita nuper Nobis pro parte tua petitio continebat, plerumque contingat, quod universitates seu communitates vel alii christifideles civitatum, terrarum, castrorum, villarum seu locorum, in quibus de tui superioris licentia praedicationibus verbi Dei insistis, provide attendentes uberrimos fructus, quos fratres tui ordinis Minorum sub illius regulari observantia degentes in Dei ecclesia afferunt incessanter, pro earum animarum salute aliquas domos pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis et observantiae in eorum terris, castris sive locis fundari et construi summopere desiderent, Nos, .. volentes te, qui, sicut accepimus, per tuam laudabilem et religiosam vitam et fructuosas praedicationes multiplicatos et saluberrimos dietim animarum fructus afferre non cessas, ut eo ampliores fructus afferas, quo Nos etiam te spiritualibus favoribus et gratiis prosequi conspexeris, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, septem domos sive loca in diversis civitatibus, terris, castris, villis seu locis, si id tibi pia largitione fidelium seu alias canonice concedatur, pro aliquorum fratrum dictorum ordinis et observantiae usu et habitatione perpetuis recipiendi et in eis ecclesias cum campanilibus ... et aliis pro usu et habitatione dictorum fratrum necessariis officinis fundandi et construendi ... cuiuslibet alterius licentia desuper nullatenus requisita ac iure parochialis ecclesiae ... salvo, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur, eisdem per te recipiendis seu fundandis domibus nihilominus concedentes, quod ipsae domus fundandae et recipiendae necnon fratres in eis pro tempore degentes omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite possint et valeant. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, pridie kal. octobris, ... anno V.

1516. Libèrat moniales monasterii SS. Ludovici et Alexii de burgo Peradelli, civitatis Bononien., O. S. Cl., a solutione certorum legatorum (1).

1451, septembris 30, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Sacrae religionis, sub qua dilectae in Christo filiae abbatissa et sorores monasterii SS. Ludovici et Alexii de burgo Peradelli, civitatis Nostrae Bononien., ordinis S. Clarae, *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dictarum abbatissae et sororum petitio continebat, quod quaedam Zanna de Zanchariis sive de Bonsignoribus, mulier Bononien., dum ageret in humanis, condens in eius ultima voluntate testamentum, inter cetera praefatam abbatissam et sorores et monasterium sibi haeredes universales instituit, hac tamen lege seu conditione adiuncta, quod ex duabus partibus fructuum et reddituum suae haereditatis detractis ante omnia viginti in una ad pauperes carceratos dictae civitatis redimendos inter eos certo modo distribuendis et quadraginta in alia priori ecclesiae S. Pauli de Ravano, guardiae et dioec. Bononien., et quatuor libris monetae Bononien. cuidam hospitali in tertia partibus relictis anno quolibet distribuendis et persolvendis, residuam duarum partium praedictarum singulis annis cuiuslibet revoluti quinquennii in diversa pietatis opera distribuerentur et erogarentur, primo videlicet anno a testatricis obitu computando inter fratres et religiosos pauperes studentes ordinum fratrum Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum et Servorum B. Mariae civitatis praefatae, secundo vero pauperibus domicellis eiusdem civitatis et comitatus in auxilium se maritandi inter eas certo modo dividendo, tertio in indumentis pauperum et miserabilium personarum civitatis et comitatus praedictorum etiam certo modo vestiendis, quarto in reparationem et manutentionem lectorum hospitalium civitatis et illius suburbiorum et guardiae, quinto vero annis ab eiusdem obitu successive computandis inter pauperes verecundosos civitatis et comitatus eorumdem distribui voluit similiter et erogari, dicto quinquennio perpetuis futuris temporibus similiter repeti mandando, abbatissa dicti monasterii et massario certorum batutorum pro tempore exsistentibus commissariis ad praemissa exsequenda deputatis, prout in instrumento desuper confecto plenius continetur, cuius tenorem, ac si de verbo ad verbum insereretur, praesentibus haberi volumus pro expresso. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, propter guerrarum discrimina et iacturas, quibus dudum praefata civitas afflicta fuit et incessanter affligitur, tam dictae haereditatis, cuius possessiones interdum incultae, et quarum domus combustae fuerunt adeo, ut ultra legata sexaginta quatuor librarum triginta libras vel circa similis monetae a pluribus retroactis annis vix ex dicta haereditate perceperint, qua dicti monasterii, in quo triginta duae moniales professae et octo non professae sunt, [fructus] adeo exhausti et diminuti cernantur, quod praefatae moniales in sua honestate consueta commode vivere nequeant, nisi ad aliquorum immobilium alienationem deveniant vel hincinde suffragia et eleemosynas mendicent. Quare pro parte dictarum

(1) Reg. Vat. t. 418, f. 272.

abbatissae et sororum, asserentium, quod super erogationibus integre faciendis persaepe molestantur et inquietantur, quod illas propter earum impossibilitatem nequeunt adimplere, licet cum maximo eorum incommodo et iactura pro parte aliquibus annis retroactis impenderunt, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ** [Nos igitur ...] monasterium et abbatissam ac moniales praedictas in omni iure et ad omne ius perceptionis onerum praedictorum, ut loco religiosorum et hospitalium et aliorum praemissorum auctoritate apostolica, ex certa scientia, tenore praesentium subrogamus et ab impetitionibus ac molestationibus religiosorum et hospitalium aliorumque onerum praedictorum tam pro praeteritis, quam pro perpetuis futuris temporibus praemissorum occasione absolvimus et eximimus et totaliter liberamus necnon omnibus, quorum interest, super iure perceptionum praedictarum perpetuum silentium imponimus, decernentes abbatissam, sorores ac monasterium huiusmodi ad praedicta onera non teneri nec ad ea adimplenda quavis auctoritate per quempiam compelli posse quoquomodo necnon irritos et inanes omnes et singulos processus, sententias, censuras et petitiones contra tenorem praesentium promulgandas ac mandantes dilectis filiis magistro Ludovico de Ludovisiis, canonico Bononien., capellano Nostro et apostolici palatii causarum auditori, et vicario in spiritualibus generali venerabilis fratris Nostri episcopi Bononien. ac abbati monasterii S. Caeciliae de Crovaria, Bononien. dioec., quatenus, ... pro huiusmodi Nostrae concessionis inviolabili observantia efficacis auxilii praesidio assistentes, non sinant vel permittant eas vel earum monasterium a praefatis religiosis, hospitalibus aut aliis quibuscumque occasione onerum praemissorum molestari vel quomodolibet inquietari, sed faciant eas pacifica dicti iuris possessione gaudere, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, pridie kal. octobris, ... anno V.

1517. Mandat, ut Iudaeos Forolivien. inducat ad vendendum vel permutandum quemdam campum, situm iuxta domum et ecclesiam B. Mariae, fratrum III. O. S. Fr. (1).

1451, septembris 30, Romae.

Venerabili fratri episcopo Imolen.

Vitae ac conscientiae dilectorum filiorum rectoris et fratrum domus B. Virginis Mariae, Forlivien., tertii ordinis B. Francisci de paenitentia nuncupati, *etc.* Sane pro parte dictorum rectoris et fratrum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod iuxta domum praedictam illiusque ecclesiam seu capellam, ad quas illarum partium populi multitudo propter diversa miracula, quae saepius divina Altitudo dicto populo inibi demonstravit, cum firma devotione recurrit, quidam ager seu campus exsistit, in quo cadavera Iudaeorum in civitate Nostra Forlivien. commorantium pro tempore sepeliuntur, in maximum dedecus et vilipendium dictarum domus et ecclesiae ac fidei orthodoxae. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefati rector et fratres pretium dicti campi, pro quo ipsi Iudaei illum emerunt, vel alium campum eiusdem valoris in dicta civitate vel extra in recompensam ipsis Iudaeis parati sint tradere et assignare, pro parte dictorum rectoris et fratrum, hanc labem ab eorum oculis ad Dei reverentiam tolli et amoveri desiderantium, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut alicui probo in illis partibus, qui dictos Iudaeos, qui etiam alium campum, vulgariter campum Iudaeorum appellatum, extra ipsam civitatem olim habuisse et in illo eorum cadavera sepelire consuevisse dicuntur, ad vendendum, dandum et relaxandum ipsis fratribus, dantibus pretium vel alium campum eiusdem valoris in recompensam praefatis Iudaeis, ut praefertur, dictum campum ... cogeret et compelleret, committere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, ... dataque prius eisdem Iudaeis per dictos fratres recompensa debita, ut praefertur, eosdem Iudaeos ad vendendum ... dictum campum, iuxta domum et ecclesiam seu capellam praedictas positum, rectori et fratribus praedictis monere ac districtione, qua convenit, etiam cum invocatione, si opus fuerit, auxilii brachii saecularis cogere et compellere auctoritate Nostra procures. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, pridie kal. octobris, ... anno V.

1518. Mandat, ut domum Andrien., O. F. M., reforment et ad observantiam regularem reducant (2).

1451, octobris 2, Romae.

Venerabili fratri episcopo Andrien. et dilecto filio Francisco de Tarento, ministro provinciali fratrum Minorum, provinciae Apuliae secundum morem dicti ordinis.

Ad Romani pontificis spectat officium *etc.*

(1) Reg. Lat. t. 474, f. 30. — De eadem re similis bulla « Religiosae vitae, sub qua dil. filii rector et fratres domus B. Mariae Forlivien. tertii ordinis S. Francisci » etc. data est ad eumdem episcopum eodem die, quae forma paulisper mutata idem mandat. v. Reg. Lat. t. 474, f. 241 v.

(2) Reg. Vat. t. 397, f. 285 v.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Francisci de Baucio, ducis ac comitis Andrien., petitio continebat, quod dilecti filii ordinis fratrum Minorum professores in conventu domus Andrien., ad quam populus dictae civitatis singularem gerit devotionem, degentes, ut secundum regularem observantiam dicti ordinis in paupertate vivant, indigent reformari, maxime pro eo, quod bona mobilia et immobilia domui praefatae legata, donata seu pie relicta contra ipsius ordinis regularia instituta detinent et in suos usus pro suarum libitu voluntatum convertant in animarum suarum periculum et perniciosum exemplum fidelium plurimorum. Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus constito vobis summarie de praemissis ad domum praedictam personaliter accedatis et illam ac personas huiusmodi ... visitetis et reformetis, prout vobis pro ipsius ac personarum earumdem directione visum fuerit expedire. Et nihilominus vos tres aut quatuor ipsius civitatis cives providos et honestos, de quibus vobis visum fuerit, procuratores seu depositarios et gubernatores bonorum eorumdem ac aliorum, quae in futurum eidem domui legari vel donari contigerit, qui illa infra certum tempus eorum arbitrio praefigendum plus offerentibus vendere ac pretium ex ipsa venditione proveniens secundum temporum qualitatem et domus ac fratrum in illa sub regulari observantia pro tempore degentium indigentiam ac necessitatem providere ac de receptis pariter et expositis guardiano et officialibus dicti conventus in fine cuiuslibet anni rationem reddere teneantur et debeant, deputare et ordinare eadem auctoritate Nostra curetis. Et ne, quod absit, similia aut deteriora in eadem domo imposterum evenire contingat, guardiano dictae domus moderno et pro tempore exsistenti, quod de cetero in illa fratres dicti ordinis sub regulari observantia viventes dumtaxat de novo recipere et admittere et in ea commorantes fratres iuxta dicti ordinis regularia instituta vivere illisque per omnia se conformare etiam per iuris remedia cogere non postponat, eadem auctoritate Nostra mandare curetis. Non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod fratres, qui in eadem domo pro tempore morabuntur, sub iurisdictione et obedientia generalis ministri, prout hactenus, exsistere illique per omnia parere et intendere teneantur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VI nonas octobris, ... anno V.

1519. Robertum de Simero, O. F. M., in sacerdotio constitutum, ecclesiae Neocastren., vacanti per obitum Iohannis, episcopi Neocastren., praeficit in episcopum (1).

1451, octobris 8, Romae.

Apostolatus officium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VIII idus octobris, ... anno V.

Eodem die scribit (Hodie ecclesiae) *Capitulo ecclesiae Neocastren.; Clero civit. et dioec. Neocastren.; Populo civit. et dioec. Neocastren.; praeterea Alphonso, regi Aragonum* (Gratiae divinae).

1520. Antonellum de Iohannotto, O. F. M., in sacerdotio constitutum, ecclesiae Galiopolen., tanto tempore vacanti, quod de illius vero vacationis modo certa notitia haberi non poterat, praeficit in episcopum (2).

1451, octobris 8, Romae.

Apostolatus officium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VIII idus octobris, ... anno V.

1521. Thomae, archiepiscopo Tarsen., (O. F. M.), Ludovici ducis Sabaudiae consiliario, a conventu monasterii beatae Mariae de Pinerolo, O. S. Ben., Taurinen. dioec., postulato, commendat regimen dicti monasterii (3).

1451, octobris 20, Romae.

Ad ecclesiarum et monasteriorum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XIII kal. novembris, ... anno V.

1522. Confirmat testamentum Astorgii, tit. S. Eusebii presbyteri cardinalis, qui inter alia « reliquit conventui S. Mariae Aracoeli, ordinis Minorum, decem florenos Roman., item in alia manu propter certas columnas habitas a dicto conventu et nonnullas alias res florenos viginti quinque (4) ».

1451, octobris 21, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Etsi supremae decedentium voluntates *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XII kal. novembris, ... anno V.

1523. Laurentio de Monte, vicario provinciae Provinciae, O. F. M. de observ., concedit licentiam recipiendi locos in civitate Massilien. et in villa Olyoles, Tolonen. dioec. (5).

1451, octobris 26, Romae.

Dilecto filio Laurentio de Monte, vicario provinciali provinciae Provinciae iuxta morem fratrum Minorum regularis observantiae.

(1) Reg. Lat. t. 467, f. 46 v.
(2) Reg. Lat. t. 467, f. 119 v.
(3) Reg. Vat. t. 418, f. 9 v.
(4) Reg. Vat. t. 418, f. 230 v.
(5) Reg. Lat. t. 474, f. 112; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 61.

Ut sacer ordo fratrum Minorum *etc.* Nos igitur, ... tuis in hac parte supplicationibus inclinati ac devotioni dilectorum filiorum communitatis civitatis Massilien. et universitatis villae Olyoles, Tolonen. dioec., quae octo leucis a praedicta civitate distare dignoscitur, favorabiliter annuentes, duo loca in eisdem sive in eorum districtibus, ad haec tamen congrua et honesta, quae tibi largitione fidelium concedi aut elargiri canonice contigerit, recipiendi et in eorum quolibet unam domum cum ecclesia, campana ... pro usu et habitatione fratrum eiusdem ordinis sub illius regulari observantia inibi pro tempore degentium construendi ... fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* non obstantibus, dioecesanorum ... licentia super hoc minime requisita, iure tamen *etc.* plenam ac liberam ... licentiam elargimur, volentes, ... quod construendae domus ... privilegiis ... uti valeant pariter et gaudere. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VII kal. novembris, ... anno V.

1524. Abbati monasterii de Capella extra muros Neapolitan. mandat, ut Bernardo Spina de Neapoli, O. F. M. de observ., concedat facultatem exsequendi testamentum, quod quondam Guillelmus Spina, laicus in loco Saponariae, Marsican. dioec., ipsius Bernardi avus, condiderat (1).

1451, octobris 26, Romae.

Humilibus et honestis supplicum votis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VII kal. novembris, ... anno V.

1525. Praeposito ecclesiae S. Angeli in Burgo, Reatin. dioec., mandat, ut Paulo Mariani de Montegamaro, canonico Reatino, conferat ecclesiam parochialem S. Sebastiani de Podio filiorum Ugonis, Reatin. dioec., vacantem per obitum Dominici de Montegamaro O. F. M. (2).

1451, octobris 26, Romae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VII kal. novembris, ... anno V.

1526. Confirmat exemptionem monasterii S. Mariae de Monticellis, extra muros Florentin., O. S. Cl., a iurisdictione fratrum ministro generali inferiorum, ab Angelo de Perusio, ministro generali O. F. M., concessam (3).

1451, octobris 26, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Iustis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Mariae de Monticellis, ordinis S. Clarae, extra muros Florentin., petitio continebat, quod olim dilectus filius Angelus de Perusio, sacrae theologiae magister, generalis ordinis Minorum vicarius, per suas certi tenoris litteras monasterium praefatum ac omnes et singulas sorores dicti monasterii tam praesentes quam futuras propter ipsarum vitae continentiam et probitatem ac regularem observantiam, qua Altissimo reddunt vota sua, et ex aliis bonis causis tunc expressis ab omni iurisdictione, administratione, visitatione et gubernatione cuiuscumque inferioris libere et sponte ad laudem Dei et honorem ordinis, animarum salutem exemit et exemptas esse voluit, non obstantibus *etc.*, ac omnem iurisdictionem, administrationem, visitationem et gubernationem praefatam ad seipsum et officium suum spectare et pertinere voluit, mandans omnibus et singulis ministro, custodibus, magistris, visitatoribus, guardianis, confessoribus et fratribus, cuiuscumque dignitatis exsisterent, quatenus nullo quaesito colore vel via de cetero de praedictis monasterio et sororibus quoquomodo sub poena excommunicationis latae sententiae se impedirent, nisi de dicta exemptione fieret in eorum commissionibus de verbo ad verbum mentio specialis, prout in dictis litteris, quae postmodum per dictum Angelum, generalem dicti ordinis ministrum, confirmatae fuerunt et quarum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insertae forent, haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Quare pro parte abbatissae et conventus *etc.* Nos igitur ... litteras et exemptionem praefatas ac omnia et singula in eis contenta et inde secuta ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.*, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VII kal. novembris, ... anno V.

1527. Iohanni de Capistrano, O. F. M., in Bohemia et Moravia praedicanti, concedit privilegia (4).

1451, octobris 28, Romae.

Dilecto Iohanni de Capistrano, ordinis fratrum Minorum professori.

Cum intellexerimus te in regno Bohemiae et ducatu Moraviae ac partibus illis adiacentibus divino tibi assistente spiritu sermonibus et praedicationibus ad populum vigilanter insudare et

(1) Reg. Lat. t. 474, f. 37.
(2) Reg. Lat. 470, f. 178v. Cf. supra n. 842, p. 396.
(3) Reg. Vat. t. 418, f. 210.
(4) Reg. Vat. t. 397, f. 291v; Wadd. *Ann.* ad a. 1451, n. 34 « ex ipso autographo ».

utiliter proficere, ut universorum christifidelium, qui ad te pro audiendo verbo Dei confluunt, augeatur devotio et dono coelestis gratiae uberius conspiciant se refertos, devotioni tuae omnibus et singulis christifidelibus, quos praedicationibus tuis, celebrationi missarum ac divinis officiis pro tempore interesse contigerit, quotiens tibi videbitur expedire, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum atque Nostra auctoritate vere poenitentibus et confessis tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxandi illosque eisdem concedendi et pronuntiandi necnon omnes et singulas utriusque sexus personas, quae sub utraque specie communicarunt, ac alias erroribus, haeresi et superstitione involuti a ritu et unitate S. Romanae ecclesiae recesserunt, si apertis intelligentiae oculis ac per sacram scripturam et doctrinam tuam illuminati de tenebris ad lucem veritatis praedictis erroribus, haeresi et superstitione relictis et abiuratis coram te conciliari, uniri et incorporari voluerint ecclesiae Romanae huiusmodi et Sedi Apostolicae, a quibuscumque excommunicationum, suspensionum et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis etiam haeresis, in eas tam a iure quam ab homine promulgatis, quotiens opus fuerit, in foro conscientiae dumtaxat auctoritate Nostra absolvendi in forma ecclesiae consueta et cum singulis personis eisdem et praesertim spiritualibus vel regularibus super irregularitate, si quam huiusmodi sententiis et poenis sic ligati celebrando divina vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, contraxerunt, quodque in susceptis per eas ordinibus ipsis tamen per te prius ad tempus, de quo tibi videbitur, ab illorum exsecutione suspensis ministrare libere et licite valeant, eadem auctoritate dispensandi omnemque ab eisdem personis inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per ipsas praemissorum occasione contractam dicta auctoritate abolendi necnon easdem personas ad honorem, famam et statum pristinos, in quibus, antequam praemissa contingerent, erant, plenarie et integre restituendi et reponendi plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, V kal. novembris, ... anno V.

1528. Petro de Potentia, O. F. M., indulget, ut eligere possit confessorem, qui eum absolvat ab omnibus peccatis, censuris et irregularitatibus (1).

1451, octobris 30, Romae.

Sedis Apostolicae copiosa benignitas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III kal. novembris, ... anno V.

1529. Fratribus O. F. M. in insula Talerna concedit licentiam se transferendi ad ecclesiam S. Geldasii, insulae Portus Albi (2).

1451, novembris 3, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus insulae Talernae, in confinibus Britanniae consistentis, ordinis fratrum Minorum.

Sacrae religionis zelus, sub qua *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet dudum in insula Talernae, quae in confinibus Britanniae consistens et mari undique circumdata exsistit, nonnulli fratres vestri ordinis fratrum Minorum et regularis observantiae, solitariam vitam agere cupientes, quamdam domum cum ecclesia, campanili, campana, dormitorio et aliis necessariis officinis ex piis christifidelium eleemosynis construxerint et aedificaverint, quia tamen maris inundatione et ventorum ac turbinum procella causantibus quidam ex religiosis dicti ordinis ad praefatam insulam Talernae transfretantes in mari submersi fuerunt, et etiam ab eadem domo recedere et ad ipsam pro eorum necessariis redire absque corporum suorum periculo nequiverint: Nos, considerantes pericula huiusmodi et, quod commode in praefata insula obstantibus dictis periculis permanere non potestis, pro animarum vestrarum quiete ad insulam Portus Albi, in qua una ecclesia sine cura sub vocabulo S. Geldasii antiquitus constructa, et quae ruinam minatur, consistit, vos transferre et in illa seu iuxta eam domum cum dormitorio, refectorio, claustro, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis iuxta regularia ipsius ordinis instituta in huiusmodi insula Portus Albi erigere, construere et aedificare, necnon domum destruendi illiusque lapides, caementa, ligna, trabes et alia quaecumque ad dictam ecclesiam S. Geldasii huiusmodi transferre et transportare ac dictam ecclesiam S. Geldasii demoliri et inibi domum cum alia ecclesia, dormitorio, refectorio et aliis supradictis construere summopere desideretis, sed id facere non possitis dictae Sedis licentia desuper non obtenta, ac, sicut eadem petitio subiungebat, vos a dilectis filiis rectore parochialis ecclesiae, infra cuius limites seu confines dicta insula Portus Albi consistit, necnon a nobili viro Arturo, co-

(1) Reg. Lat. t. 468, f. 139.

(2) Reg. Vat. t. 419, f. 150v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 67.

mite de Richemont, regum Franciae comestabulario, dictae insulae Portus Albi domino temporali, in praedicta insula Portus Albi standi, commorandi et aedificandi licentiam pariter et facultatem obtinueritis ac etiam domum seu ecclesiam construi vel aedificari facere coeperitis, Nos, qui ad ordinem vestrum praedictum illiusque personas singularem gerimus devotionis affectum, personarum earumdem prosperum statum intentis desideriis affectamus ac illarum periculis, quantum cum Deo possumus, obviamus, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis ad dictam insulam Portus Albi transferendi et in illius ecclesia S. Geldasii praedicta seu iuxta illam domum cum dormitorio, refectorio ... praedictis in dicta insula Portus Albi erigendi, construendi illiusque lapides, caementa, trabes, ligna et alia quaecumque ad dictam ecclesiam S. Geldasii transferendi et transportandi ipsamque ecclesiam Portus Albi demoliendi et inibi domum cum ecclesia dormitorio, refectorio et ceteris supradictis construendi et in ea perpetuo commorandi ac dictam ecclesiam, postquam constructa fuerit, per aliquem catholicum antistitem ... et quae inibi erigentur altaria consecrari et coemeterium benedici faciendi alterius licentia desuper nullatenus requisita ac iure parochialis ecclesiae ... salvo, fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus plenam et liberam tenore praesentium licentiam elargimur, statuentes auctoritate apostolica et decernentes, quod vos et fratres in praedicta domo construenda pro tempore commorantes omnibus et singulis privilegiis ... uti possitis pariter et gaudere. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III nonas novembris, ... anno V.

1530. B. Mariae de Douglas et de Langonnet, Corisopiten. dioec., monasteriorum abbatibus ac officiali Trecoren. mandat, ut abbati et conventui monasterii S. Crucis de Rempealerio, O. S. Ben., Corisopiten. dioec., restitui faciant pecuniarum summas, quas Alanus de Lespervier, in universali, tunc Corisopiten. episcopus, O. F. M., ab eis gratia amicabilis mutui receperat (1).

1451, novembris 15, Romae.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XVII kal. decembris, ... anno V.

1531. Abbati de Ydraco et archidiacono de Perdiaco in ecclesia Auxitan. ac officiali Auxitan. mandat, ut, prout de iure fuerit faciendum, confirment vel infirment sententiam latam ab officiali Agennen., cui conservator iurium et privilegiorum fratrum O. F. M. per Auxitan., et ducatus Aquitan. a Sede Apostolica deputatus vices suas commiserat, in causa appellationis respiciente sepulturam Iohannis de Funibus, laici, inter priorem et conventum monasterii S. Orientii, Auxitan., Cluniacen. ordinis, et guardianum et fratres domus Auxitan., O. F. M. (2).

1451, novembris 17, Romae.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XV kal. decembris, ... anno V.

1532. Mandat, ut monasterium S. Georgii, Ortan., O. S. Cl., reponat in eum statum, in quo erat ante litteras Eugenii IV, quibus illud monasterium incorporabatur mensis episcopali et capitulari Ortan. (3).

1451, novembris 20, Romae.

Dilecto filio abbati saecularis et collegiatae ecclesiae S. Secundi extra muros Amelien.

Humilibus et supplicum, praesertim *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium monasterii S. Georgii, Ortan., ordinis S. Clarae, petitio continebat, venerabilis frater Noster Antonius, episcopus Ortan., ac dilecti filii prior et capitulum ecclesiae Ortan. quibusdam litteris fel. rec. Eugenii papae IV ... olim per eos suggestione falsa subreptis, per quas inter alia idem praedecessor monasterium praedictum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis episcopali et capitulari mensis Ortan. ... perpetuo incorporari ... mandavit de facto, innitentes, absque eo, quod litterae et mandatum huiusmodi tam ante obitum dicti praedecessoris quam postea exsecutioni saltem totali demandata seu incorporatio ... factae illaeque per consequens effectum sortitae fuerint litterarum earumdem praetextu, etiam post et contra revocationem, cassationem, irritationem et constitutionem huiusmodi occupationi bonorum dicti monasterii ac ipsarum abbatissae et monialium molestationibus operam dare attentaverint et adhuc attentare praesumant in grave abbatissae et monialium et monasterii praedictorum praeiudicium atque damnum, pro parte ipsarum abbatissae et monialium, asserentium, quod in eisdem litteris adversus quamdam constitutionem piae mem. Gregorii papae IX, ... qua cavetur moniales in dicto monasterio usque ad numerum viginti inclusive pro tempore morari posse, quaedam clausula est adiecta, per quam praefatus Eugenius praedecessor, utpote suggestioni-

(1) Reg. Lat. t. 474, f. 112v. (2) Reg. Lat. t. 474, f. 156. (3) Reg. Lat. 474, f. 163v.

bus huiusmodi circumventus, voluit, quod ex tunc inantea in eodem monasterio nulla monialis quovis modo reciperetur, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si ... de veritate narratorum seu expositorum ... huiusmodi tibi legitime constiterit, litteras et mandatum praedicta ac in eis contenta et inde secuta quaecumque sub revocatione ... praefatis includi ... nulliusque firmitatis, efficaciae, roboris vel momenti fuisse et esse auctoritate Nostra decernas ... necnon abbatissam et moniales et monasterium huiusmodi in pristinum et in eum statum, in quo ante emanationem litterarum quomodolibet exsistere dignoscebantur, etiam quoad hoc, quod in dicto monasterio omnes et singulae mulieres, cupientes in eo sub regulari habitu virtutum Domino famulari, dummodo alias idoneae sint, eisque aliquod canonicum non obsistat, usque ad numerum dumtaxat antedictum, si ex eo aliquae desint ad praesens, vel cum defuerint in futurum, in moniales et sorores recipi ac eis ... regulares habitus exhiberi necnon ab ipsis regularis ... professio ... recipi et admitti valeant atque possint, eadem auctoritate plenarie restituas, reintegres et reponas, non permittens *etc.* Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XII kal. decembris, ... anno V.

1533. Mandat, ut fratres domus S. Francisci, Amelien., O. F. M., absolvat a censuris et irregularitate eisque concedat licentiam aedificandi capellam in coemeterio praedictae domus (1).

1451, novembris 23, Romae.

Venerabili fratri episcopo Amelien.

Solet Apostolicae Sedis clementia *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte guardiani et fratrum domus S. Francisci Amelien., ordinis Minorum, petitio continebat, quod, cum olim in quodam antiquo coemeterio ecclesiae domus praedictae a longo retroacto tempore aliqua decedentium corpora tumulata non fuissent nec tunc tumularentur, et indubie speraretur, quod, si in ipso coemeterio, quod inter muros dictae ecclesiae et quamdam ex stratis seu viis publicis civitatis Amelien. consistit, aut infra ipsius coemeterii limites una capella sub vocabulo S. Bernardini, cuius honori et reverentiae ipsi guardianus et fratres non immerito erant, prout sunt, affecti, necnon aliquae domus fundarentur ..., ex hoc tam christifidelium ad eamdem ecclesiam confluere solitorum devotio per amplius augeretur, quam etiam guardianus et fratres praedicti eorumque successores in praefata domo pro tempore degentes non modicum in eorum necessitatibus susciperent relevamen, iidem guardianus et fratres, consideratione praemissorum inducti, praefato coemeterio sepulturis et aliis omnibus, quae in eo concludebantur, evacuato rebusque ad fabricam necessariis praeparatis et cum muratoribus aliisque operariis conventione habita piis dictorum fidelium adiuti suffragiis fundationes, constructiones et aedificationes huiusmodi inibi facere inceperunt, illas continuare et perfecte compleri facere dante Domino proponentes. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dicti guardianus et fratres praemissa intentaverint licentia per eos super hoc canonica non obtenta et propterea excommunicationis ac alias sententias censuras et poenas ecclesiasticas se timeant incurrisse, pro parte ipsorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, eosdem guardianum et fratres ... a sententiis censuris et poenis ... absolvas ... necnon cum eis ... super irregularitate ... dispenses *etc.* Et nihilominus eisdem guardiano et fratribus pro consumatione et perfectione incepti operis, ubi supra, capellam et domos huiusmodi cuiuscumque alterius super hoc licentia minime requisita fundandi ... licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, IX kal. decembris, ... anno V.

1534. Cassat litteras supra n. 1459 positas de solutione canonicae portionis (2).

1451, novembris 27, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regimini universalis ecclesiae disponente Domino *etc.* Unde ad omnes praesertim dirimendas lites ac quaecumque submovenda scandala, quae inter ecclesiasticas, saeculares ac mendicantium ordinum regulares personas hostis antiqui versutia veterem iam prope sopitam renovantes zizaniam ex quibusdam per Nos hinc inde eisdem personis factis concessionibus pullulare conspicimus, eo apostolicae sollicitudinis studio propensius occurrimus, quo ipsarum personarum dissensio periculosius aliis cedit in exemplum, et illarum turbatio vehementius Nos perturbat. Nuper siquidem, pridie kalendas iulii, pontificatus Nostri anno IV, dilectis filiis priori generali et fratribus ordinis fratrum Eremita-

(1) Reg. Lat. t. 474, f. 161 v.

(2) E *Bull. ord. fr. Praed.* t. III, p. 304, n. 84.

rum S. Augustini per quasdam inter cetera indulsimus, ut de iis quae, pro ornamentis *etc. (ut supra n. 1459 p. 736 usque ad)* portionem canonicam exhibere. Et deinde, videlicet idibus februarii, pontificatus et anni praedictorum, praefatum et quaevis alia per Nos aut praedecessores Nostros Romanos pontifices quibusvis aliis quorumcumque ordinum mendicantium fratribus aut eorum conventibus sive domibus ubicumque consistentibus sub quavis verborum forma, etiam motu proprio et ex certa scientia facta, indulta et concessas desuper litteras per alias Nostras litteras revocavimus, cassavimus et annullavimus. Ac subsequenter, videlicet III kal. aprilis, dicti pontificatus anno V, aliae a Nobis emanarunt litterae, per quas Nos, asserentes, quod Nos, qui talia et tanta maturo digestoque consilio recensere intendebamus, et diversis arduis praepediti negotiis primo dictas litteras revocaveramus, illas et alias praefatorum praedecessorum quascumque eatenus eorundem ordinum fratribus concessas et per Nos confirmatas seu approbatas litteras et processus inde habitos per easdem et quaecumque inde secuta, illarum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent ipsis posterioribus litteris, pro expressis habendo, voluimus et decrevimus in earum robore permanere, ac si ultimo dictae revocatoriae litterae a Nobis nullatenus emanassent. Quas cum omnibus et singulis inde secutis motu et scientia similibus revocavimus, cassavimus et annullavimus, ac nullius esse voluimus roboris vel momenti, prout in singulis litteris praedictis, quarum tenores de verbo ad verbum praesentibus haberi volumus pro insertis, plenius continetur. Cum autem, sicut gravibus plurimorum querelis fide digna relatione percepimus, ex eo quod nonnulli ex venerabilibus fratribus Nostris archiepiscopis, episcopis, ac ex dilectis filiis rectoribus et clericis parochialium ecclesiarum, necnon Praedicatorum, Minorum, Eremitarum, Carmelitarum ceterorumque mendicantium ordinum fratribus praetendentes per praefatas ac alias a Nobis habitas litteras constitutionibus, consuetudinibus, privilegiis et indultis super solvendis aut non solvendis parochialibus et aliis iuribus editis fuisse derogatum, indulta, concessiones et pacta inter eos inita et consuetudines diutius habitas servare recusant, non modo antiquam et periculosam inter eos ab olim suscitatam et alias sopitam discordiam revocari, quinimo graviora possent iurgia, dissensiones et scandala verisimiliter exoriri, Nos, qui illius in terris vicem gerimus, qui pacem et concordiam nutrit in sublimibus ac pacem ipsam iure haereditario suis reliquit discipulis in discessu, motu proprio, auctoritate apostolica, ex certa scientia praedictas ac quascumque alias per Nos tam archiepiscopis, episcopis, rectoribus et clericis, quam fratribus praedictis, etiam motu et scientia similibus ac sub quibusvis formis et expressionibus verborum super solvendis vel non solvendis iuribus praedictis seu per quas aliquid super solutione iurium praedictorum innovaretur seu innovari posset, per Nos hactenus in specie seu in genere concessas litteras, illarum tenores de verbo ad verbum praesentibus pro insertis habentes, revocamus, cassamus, annullamus ac illis in iudicio et extra, ubicumque exhibitae fuerint vel ostensae, nullam fidem adhiberi debere decernimus, necnon archiepiscopos, episcopos, rectores et clericos ac fratres praedictos et illorum quoslibet quoad solutionem faciendam vel non faciendam antedictam in eo statu, in quo, antequam a Nobis praedictae litterae emanarent, fuerant, in integrum restituimus et reponimus, mandantes iuxta formam et tenorem praesentium in iudicio et extra ubicumque per quoslibet censeri et iudicari ipsasque praesentes in libro cancellariae Nostrae describi et ad cuiuslibet illas petentis instantiam per dictam cancellariam in forma et curia gratis absque taxatione aliqua expediri. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc,*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, V kal. decembris, ... anno V.

1535. Mandat, ut excommunicent eos, qui bona quaecumque ad conventum S. Francisci Assisinat., O. F. M., spectantia, indebite retinent [1].

1451, decembris 1, Romae.

Venerabilibus fratribus .. Castellan. et Assisinat. episcopis.

Significarunt Nobis dilecti filii custos et fratres domus S. Francisci Assisinat., ordinis Minorum, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, decimas, oblationes, census, fructus, redditus, proventus, emolumenta, possessiones, annuas pensiones, iura, iurisdictiones, domos, terras, hortos, campos, vineas, prata, pascua, nemora, silvas, molendinas, piscarias, libros, cruces, calices, sanctorum reliquias, ornamenta ecclesiastica, vasa aurea, argentea, aerea, cuprea, stannea, lignea, pannos laneos, lineos, lectos, culcitras, linteamina, domorum utensilia, equos, iumenta, boves, vaccas, porcos, oves,

[1] Laetus Alessandri, Franciscus Pennacchi, *Bullarium pont.* (sacri conventus S. Francisci Assisinat.) n. 296, p. 139.

asinos, litteras authenticas, instrumenta publica, contractus, documenta, cedulas, scripturas, vini, olei, granei, hordei, leguminum, auri, argenti monetati et non monetati quantitates, debita, legata, pecuniarum summas et nonnulla alia mobilia et immobilia bona, etiam per quondam Danielem de Assisio, laicum, tempore eius obitus relicta ac ipsis custodi et fratribus in eleemosynam necnon pro reparatione et conservatione domus eiusdem ac illius ecclesiae ornamentis ecclesiasticis, luminaribus et aliis pro domo et ecclesia huiusmodi necessariis erogata temere et malitiose occultare et occulta detinere praesumunt, non curantes ea praefatis custodi et fratribus exhibere in animarum suarum periculum ipsorumque custodis, fratrum et domus non modicum detrimentum; super quo iidem custos et fratres Apostolicae Sedis remedium implorarunt. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes huiusmodi occultos detentores decimarum, oblationum, censuum, fructuum, reddituum, proventuum et aliorum bonorum praedictorum ex parte Nostra publice in ecclesiis coram populo per vos vel alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis praefixeritis, ea praefatis custodibus et fratribus a se debita restituant et revelent ac de ipsis plenam et debitam satisfactionem impendant; et si id non adimpleverint, infra alium competentem terminum, quem vos ad hoc peremptorie duxeritis praefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferatis et eam faciatis, ubi et quando expedire videritis, usque ad satisfactionem condignam sollemniter publicari. Quod si non ambo his exsequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exsequatur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, kalendis decembris, ... anno V.

1536. Abbatissae et conventui monasterii Corporis Christi Neapolitan., O. S. Cl., pro quibus Alphonsus, Aragonum rex, supplicavit, innovat et communit litteras

Innocentii VI *Ad perpetuam rei memoriam. Tenore quarumdam litterarum,* d. d. 26 aprilis 1357 (1) cum bulla Clementis VI inclusa d. d. 18 martii 1348 (2), eiusdem Innocentii VI *Solet annuere* d. d. 12 octobris 1355 (3), *Devotionis vestrae precibus* (4), d. d. 3 augusti 1354, *Devotionis vestrae meritis* (5) et *Ad perpetuam rei memoriam. Apostolicae Sedis benignitas* (6) eiusdem diei 3 augusti 1354;

Iohannis XXII, *Sanciae, reginae Siciliae. Claris tuae celsitudinis meritis,* d. d. 1 aprilis 1324 (7) et *Sacra vestra religio,* d. d. 24 septembris 1320 (8);

Gregorii XI *Solet annuere,* d. d. 27 maii 1372 (9).

1451, decembris 3, Romae.

Sacrae religionis, sub qua *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III nonas decembris ... anno V.

1537. Mandat, ut fratribus O. F. M. domus extra muros Tridentin. concedat licentiam fundandi aliam domum intra muros eiusdem civitatis (10).

1451, decembris 4, Romae.

Venerabili fratri episcopo Tridentin.

Piis fidelium votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus ordinis fratrum Minorum, extra muros, communis, consilii et decurionum Tridentin. petitio continebat, quod, licet dicta domus a primaeva eius fundatione et per multa tempora post in maxima veneratione et devotione populi Tridentin. exstiterit, et dilecti filii nonnulli cives Tridentin. hactenus ut plurimum apud illius ecclesiam sepulturam eligere consueverint, causantibus tamen postmodum guerrarum turbinibus et aliis sinistris eventibus, quibus partes illae et praesertim civitas Tridentin. diutius afflictae fuere, etiam pro eo, quod domus ipsa muris dictae civitatis vicina hostibus receptaculum, necnon campanile, quod muros praedictos supereminet, propugnaculum fuit, cives praedictae civitatis, provide attendentes se multa propterea damna atque incommoda personarumque et bonorum pericula pertulisse ac maiora eis posse verisimiliter accidere in futurum, ne dicta domus causa desolationis ipsius civitatis in futurum exsisteret, cives praefati portam civitatis praedictae, per quam ad ipsam domum patebat accessus, muro clauserunt, propter quod domus ipsa quasi derelicta habetur, fratresque dictae domus eleemosynis et pene omni praesidio destituti remansere, ac propter difficilem indirectumque ac lutosum accessum iter ad easdem domum et ecclesiam raro aliquis civium huiusmodi apud illam eligit sepulturam inibique ad divina audienda accedit,

(1) Cf. *Bull. Franc.* t. VI, p. 300, not. 2.
(2) Vide ibid. t. VI, n. 451, p. 209.
(3) Continet confirmationem privilegiorum.
(4) Vide l. cit. t. VI, n. 660 e, p. 283.
(5) Vide ibid. n. 660 b, p. 283.
(6) Continet confirmationem privilegiorum.
(7) Vide l. cit. t. V, n. 527, p. 262.
(8) Vide ibid. n. 408, p. 190.
(9) Continent confirmationem privilegiorum. — Nicolai bulla extat Reg. Lat. t. 474, f. 177 v.
(10) Reg. Lat. t. 474, f. 131 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 68.

guardianusque et fratres huiusmodi nullum suffragium a praedictis civibus consequuntur et, quod deterius est, anno proxime transacto magna pars ipsius domus, incendio casu fortuito concremata, magna reparatione indigere dignoscitur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, cives praedicti aliam domum cum ecclesia, campanili ... loco illius intra muros eiusdem civitatis construi et aedificari facere necnon ad constructionem et aedificationem huiusmodi partem contribuere proponant, quare pro parte guardiani, fratrum, communis, consilii et decurionum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... de praemissis ... te diligenter informes et ... loco domus et ecclesiae praedictarum intra dictam civitatem in loco ad hoc apto et condecenti aliam domum et ecclesiam dicti ordinis cum campanili, campana, coemeterio, claustro, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis huiusmodi fundandi et construendi, necnon quaecumque bona domui fratrum Minorum extra relicta, et quae loco intra civitatem construendo ac fratribus huiusmodi a christifidelibus in eleemosynam assignata fuere, pro huiusmodi aedificatione et constructione facienda dimittendi seu permutandi aut vendendi seu alienandi ac pretium ex eis proveniens in aedificationem et utilitatem erigendae domus ac ecclesiae huiusmodi guardiano, fratribus, consilio et decurionibus praedictis exponendi plenam et liberam ... licentiam largiaris, proviso, quod ecclesia huiusmodi extra muros praedictos propterea ad profanos usus minime redigatur nec debitis fraudetur obsequiis, sed laudabiliter inibi deserviatur in divinis. Non obstantibus *etc.* Et nihilominus ... guardiano et fratribus dictae erigendae domus pro tempore exsistentibus, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere possint, ... indulgemus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, pridie nonas decembris, ... anno V.

1538. Claudio de Badricuria, O. F. M., licentiato in decretis, de nobili genere ex utroque parente procreato, consideratione Guillelmi, tit. S. Sabinae presb. cardinalis, pro eo ut suo capellano et familiari supplicantis, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (1).

1451, decembris 10, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, IV idus decembris, ... anno V.

1539. Abbatissae et conventui monasterii S. Mariae de Monticellis extra muros Florentin., O. S. Cl., concedit remissionem plenariam (2).

1451, decembris 16, Romae.

Provenit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XVII kal. ianuarii, ... anno V.

1540. Confirmat unionem monasterii S. Donati, prope muros Eugubin., O. S. Cl., cum monasterio S. Mariae de Palladio, extra muros Eugubin., etiam O. S. Cl. (3).

1451, decembris 30, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et monialibus monasterii S. Mariae de Palladio, extra muros Eugubin., ordinis S. Clarae.

Ad ea, quae felicem et prosperum statum *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim abbatissa et moniales monasterii S. Donati, prope et extra muros Eugubinos, ordinis S. Clarae, capitulariter congregatae in praesentia dilecti filii Lucae de Fulgineo, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professoris ac provinciae ducatus Spoletani secundum morem dicti ordinis provincialis ministri, ipsiusque expresso interveniente consensu ex certis, honestis et rationabilibus causis se vobis submiserunt, univerunt et incorporaverunt, vobis similiter consentientibus ac eas intra clausuram monasterii vestri recipientibus et admittentibus, prout in quodam publico instrumento desuper confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, licet submissio, unio et incorporatio supradictae fuerint auctoritate ordinaria confirmatae, nihilominus pro illarum subsistentia firmiori cupiatis illas etiam apostolico munimine roborari, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut submissioni, unioni et incorporationi, receptioni et admissioni praedictis robur apostolicae confirmationis adiicere ac alias eis super iis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, submissionem, unionem et incorporationem, receptionem et admissionem praedictas ratas habentes et gratas, illas auctoritate apostolica confirmamus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III kal. ianuarii, ... anno V.

(1) Reg. Lat. t. 474, f. 15.
(2) Reg. Vat. t. 419, f. 126 v. Cf. sup. n. 1526, p. 763.
(3) Reg. Vat. t. 421, f. 196; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 69. Cf. sup. n. 1482, p. 744.

1541. Abbati monasterii S. Laurentii in Campo, Fanen. dioec., mandat, ut cassata concessione ab Eugenio IV facta Ludovico de Marcholinis, tunc canonico Fanen., ecclesiam parochialem S. Antonii Fanen. conferat Matthaeo de Ottaleni, O. F. M., cui iam antea facultas recipiendi beneficium concessa et ecclesia illa a Iohanne, episcopo Fanen., collata erat, quem etiam episcopus et parochiani gratum habebant (1).

1452, ianuarii 15, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XVIII kal. februarii, ... anno V.

1542. Mandat, ut Catharinae de Orto aliisque sororibus III O. S. Fr., antiquum modum observantiae retinere volentibus concedat licentiam vivendi sub suis ministris et inhibeat fratribus domus de Aracoeli in Urbe, O. F. M. de observ., ne se de eis quoquomodo intromittant (2).

1452, ianuarii 20, Romae.

Venerabili fratri Galeatio, episcopo Mantuan., in Romana curia residenti.

Ut religiosae mulieres *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectae in Christo filiae Catharinae de Orto, sororis tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, Nobis exposito, quod, licet regula dicti tertii ordinis iuste, sancte et laudabiliter per fel. rec. Nicolaum papam IV et postmodum per nonnullos alios Romanos pontifices, praedecessores Nostros, approbata, laudata et confirmata fuisset, ipsaque Catharina a sexaginta annis citra sub ipsa regula unacum plerisque aliis, inquantum humana sinit fragilitas, sine cuiusvis reprehensionis macula ac alias laudabiliter vixisset et viveret, nonnullae tamen sub ipsa regula viventes sorores, paucae admodum numero, levitatis seu vanitatis causa seductae, obedientiam, qua iuxta dictam regulam adstringebantur, rumpendo et parvipendendo, apud fel. rec. Eugenium papam IV, etiam praedecessorem Nostrum, super novo, qui a tamdiu laudabiliter observato differt, vivendi modo importune et per vanas sinistras informationes institerant, ipseque Eugenius praedecessor eis novum vivendi modum sub certa forma concessisse dicebatur (3), Nos per alias litteras voluimus, statuimus, et ordinavimus, quod ipsa Catharina ac omnes et singulae secum sub instituta ac approbata et confirmata, ut praefertur, regula vivere et Altissimo famulari cupientes et ad id se disponentes iuxta modum antiquum et, qui in illa, antequam novus vivendi modus huiusmodi inveniretur et concederetur, observari solebat, in omnibus et per omnia vivere possent atque deberent, prout in eisdem litteris plenius continetur (4). Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum sororum una cum dicta Catharina sub eadem regula in Urbe viventium petitio continebat, dilecti filii guardianus et fratres domus B. Mariae de Aracoeli de eadem Urbe, ordinis eiusdem sancti de observantia nuncupati, praetextu litterarum Eugenii praedecessoris huiusmodi sorores de praefata Urbe, quae tempore datarum litterarum praedictarum cum eadem Catharina degebant, ut ad eorum capitulum accedant, convocare, et ut ipsis guardiano et fratribus obedientiam praestent, ac alias multipliciter perturbare et molestare nitantur, asserentes sorores praedictas sub Nostris litteris, voluntate, statuto et ordinatione huiusmodi non fuisse nec esse comprehensas, quare pro parte dictarum sororum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si ... tibi legitime constiterit, quod sorores praedictae sub huiusmodi regula approbata iuxta modum antiquum hactenus laudabiliter vixerint et vivant, auctoritate Nostra statuas et decernas, quod omnes et singulae sorores dicti ordinis in Urbe commorantes, iuxta modum antiquum sub instituta et approbata ac confirmata regula, ut praemittitur, viventes et in futurum perpetuis futuris temporibus vivere volentes, sub cura ministri earum et non alterius iuxta dictam regulam esse debeant et teneantur, districtius inhibendo guardiano et fratribus dictae domus de Aracoeli, nunc et pro tempore exsistentibus, ne dictas sorores nullo umquam tempore ad capitulum convocare aut illas molestare seu alias de eis se quomodolibet intromittere praesumant, sed earum curam praefato ministro dimittant. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XIII kal. februarii, ... anno V.

1543. Fratribus O. F. M. de observ. domus de Dola, provinciae Burgundiae, concedit licentiam recipiendi 4 loca (5).

1452, ianuarii 22, Romae.

Dilectis filiis universis fratribus domus de Dola, ordinis fratrum Minorum, provinciae Burgundiae iuxta morem dicti ordinis.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, diversarum civitatum et loco-

(1) Reg. Lat. t. 474, f. 77v. Cf. sup. n. 984, p. 483.
(2) Reg. Lat. t. 474, f. 140v.
(3) Cf. sup. n. 928, p. 454.
(4) Vide sup. n. 1135, p. 577.
(5) Reg. Lat. t. 474, f. 128v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 70. De domo de Dola cf. supra n. 1491, n. 748.

rum communitates ac universitates propter divini verbi praedicationem et doctrinam necnon exemplarem vitam fratrum vestri ordinis sub illius regulari observantia viventium de novo domos et loca dicti ordinis ad omnipotentis Dei laudem, religionis ac divini cultus propagationem necnon animarum salutem fundare et construere summopere affectent, Nos ... quatuor loca: unum in parochia S. Laurentii extra muros Cabilonen. et alium in Thons ac alium in Nuciaci castris seu villis, Bisuntin et Eduen. dioec., ac alium in eadem provincia Burgundiae iuxta morem dicti ordinis, ubicumque vobis commodius videbitur, in locis tamen ad hoc congruis et honestis, si illa vobis largitione fidelium concedi aut elargiri canonice contigerit, recipiendi et in eorum qualibet unam domum cum ecclesia, campanili ... pro usu fratrum eiusdem ordinis sub illius regulari observantia inibi pro tempore degentium construendi ... fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus, dioecesanorum ... licentia super hoc minime requisita, iure tamen *etc.* licentiam elargimur, volentes ..., quod construendae domus ... privilegiis *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno 1451, XI kal. februarii, ... anno V.

1544. Concedit indulgentias pro aedificatione et restauratione ecclesiae S. Francisci de Alverna, Arretin. dioec. (1).

1452, ianuarii 25, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Inter ceteros omnipotentis Dei athletas beatus Franciscus, almus confessor, virtutibus, meritis et exemplis sanctam multipliciter decoravit ecclesiam, ita quod eius celebris memoria ac religio dignissima tamquam sidus praerutilans in augmentum fidei orthodoxae totum est diffusa per orbem. Quapropter dignum reputamus et debitum, ut ecclesia et alia pia loca ad suam laudem dedicatas, illa praesertim, in quibus divina clementia ipsum tunc inter homines in terris usitantem miraculis clarificare dignata est, gratiosis remissionum prosequamur impendiis et indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur, ut ecclesia S. Francisci de Avernia (!), Arretin. dioec., quae, ut recepimus, denuo aedificari incepta est, et ad quam devotionis et peregrinationis causa annuatim confluit fidelium multitudo, congruis honoribus frequentetur, ac devotio ipsa peramplius augeatur, necnon ecclesia praedicta in suis structuris et aedificiis celerius perficiatur, reparetur, restauretur et conservetur, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam in die, qua stigmata eidem beato Francisco apparuerunt, ac festum stigmatum huiusmodi ibidem celebratur, a primis vesperis usque ad secundas vesperas singulis annis devote visitaverint annuatim ac ad huiusmodi perfectionem, reparationem, restaurationem et conservationem manus adiutrices porrexerint, ut praefertur, 14 annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Romae ..., anno ... 1451, VIII kal. februarii, ... anno V.

1545. Mandat, ut monasterio B. Mariae Montislucidi, Perusin., O. S. Cl., concedat licentiam vendendi certa bona, ut 600 florenos solvere possint fratribus B. Mariae de Angelis prope Assisium, O. F. M. de observ. (2).

1452, ianuarii 27, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Felicis de Aiano, Spoletan. dioec.

Ad ea ex apostolicae servitutis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii B. Mariae Montislucidi, Perusin., ordinis S. Clarae, petitio continebat, dudum praefato monasterio quadringenti floreni super quodam poderio valoris mille et quingentorum florenorum prope lacum Perusin. consistente pie relicti fuerint, ipsaeque abbatissa et conventus dilectis filiis fratribus B. Francisci de Angelis prope Assisium commorantibus pro reparatione dicti loci pro residua parte dicti poderii florenos sexcentos solvere debeant et teneantur, ipsaeque abbatissa et moniales non habeant, unde illos solvere possint, nisi de aliis bonis stabilibus minus fructuosis ad praefatum monasterium, ad cuius reparationem ducenti floreni etiam necessarii exsistunt, pertinentibus vendatur, pro parte dictarum abbatissae et conventus, asserentium, quod, postquam ipsae dictos sexcentos florenos persolverint, poderium ipsum praefato monasterio liberum remanet, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... praefatis abbatissae et conventui tot ex bonis stabilibus minus fructuosis ad ipsum monasterium legitime spectantibus, tibi per eas prius

(1) Reg. Vat. t. 419, f. 180. (2) Reg. Lat. t. 474, f. 129. De monasterio Montislucidi cf. sup. n. 1456, n. 734.

specificandis, ... usque ad summam octingentorum florenorum huiusmodi quibusvis personis, cum quibus dicti monasterii conditionem poterunt efficere meliorem, vendendi ... licentiam ... concedas, proviso quod omnes pecuniae ex dictis vendendis bonis recipiendae apud aliquem probum virum ... deponantur ac ex eis sexcenti floreni fratribus praedictis, ita tamen quod poderium ipsum praefato monasterio liberum remaneat, persolvantur; reliqui vero ducenti floreni huiusmodi in fabricam et reparationem ipsius monasterii Montislucidi absque diminutione quacumque quantocius convertantur. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VI kal. februarii, ... anno V.

1546. Mandat, ut domum S. Ursulae, Florentin., sororum III O. S. Fr., erigat in monasterium O. S. Cl. ([1]).

1452, februarii 3, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Florentin.

Ut aeternae beatitudinis amatrices *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum sororum sub regula tertii ordinis B. Francisci in domo S. Ursulae commorantium petitio continebat, quod ipsae ob melioris vitae frugem sub regula S. Clarae per fel. rec. Urbanum papam IV, praedecessorem Nostrum, declarata et confirmata vivere cum magna devotione ferventer exoptant. Quare pro parte *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, domum praedictam, dummodo in loco ad id apto et honesto consistat, in monasterium monialium ordinis S. Clarae auctoritate Nostra erigas ac dignitatem abbatissalem et conventum inibi instituas necnon statuas, ordines et decernas, quod abbatissae et moniales in ipso erigendo monasterio pro tempore degentes sub observantia regulae et vitae S. Clarae per eumdem praedecessorem, ut praemittitur, declaratae et confirmatae perpetuo vivere debeant et teneantur. Nos enim ... abbatissae et monialibus, ... quod omnibus privilegiis ... uti et gaudere possint et debeant, ... indulgemus ac volumus et decernimus, quod etiam hac vice una monialis ordinis S. Clarae expresse professa in abbatissam dicti monasterii instituatur secundum ordinationem dilecti filii Nostri Dominici, tit. S. Crucis in Ierusalem presbyteri cardinalis, qui ordinis fratrum Minorum protector exsistit, quae quidem abbatissa post clausuram monasterii elapso termino sex mensium recipere valeat ad professionem dictas sorores sub regula tertii ordinis S. Francisci. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, III nonas februarii, ... anno V.

1547. Declarat litteris ministro provinciae Bononiae O. F. M. concessis nullatenus praeiudicari regimini fratrum et sororum III O. S. Fr. fratribus domus S. Spiritus extra muros Ferrarien., O. F. M. de observ., commisso ([2]).

1452, februarii 9, Romae.

Venerabili fratri Francisco, episcopo Ferrarien.

Circumspecta Sedis Apostolicae benignitas *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum fratrum et dilectarum in Christo filiarum sororum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in civitate Nostra Ferrariae degentium Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet ipsi sub cura et regimine dilectorum filiorum fratrum domus S. Spiritus extra muros Ferrarien., ordinis fratrum Minorum regularis observantiae, iuxta eiusdem tertii ordinis instituta hactenus laudabiliter vixerint, et fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, bon. mem. Iohanni, episcopo Ferrarien., per quasdam suas litteras ([3]) commiserit et mandaverit, ut fratres et sorores tertii ordinis praedictos sub cura et regimine fratrum domus S. Spiritus huiusmodi manuteneret et defenderet, ac tam ipse praedecessor dicto Iohanni episcopo, quam etiam Nos, qui postmodum dicto praedecessore, sicut Domino placuit, sublato de medio, licet immeriti, divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti fuimus, tibi quoscumque huiusmodi tertii ordinis fratres et sorores corrigendi et nonnulla alia tunc expressa, prout illius et tuae videretur conscientiae, faciendi et exsequendi plenam et liberam concesserat et concesseramus facultatem, tamen nonnulli fratres conventuales ordinis fratrum Minorum provinciae Bononiae praetextu quarumdam litterarum ([4]), per quas provinciali ministro tunc et pro tempore exsistenti, quod fratribus et sororibus poenitentibus regularem habitum exhibere et ab eis professionem recipere, ipsique fratres et sorores poenitentes iuxta consuetudinem in his eatenus observatam ad eorum ecclesias pro suarum libito voluntatum accedere

([1]) Reg. Lat. t. 474, f. 19v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 71. Cf. sup. n. 220, p. 106 et n. 628, p. 296.
([2]) Reg. Vat. t. 419, f. 260v.
([3]) Vide sup. n. 987, p. 484.
([4]) Vide sup. n. 1460, p. 736.

et inibi missas ac alia divina officia audire, sacramenta quoque ecclesiastica recipere libere et licite possent, concessimus, illas in dicta civitate publicantes seu publicari facientes, fratres et sorores tertii ordinis in praefata civitate commorantes vexare et molestare, in eorum religioso et laudabili proposito perturbare et inquietare praesumpserunt ac dietim praesumunt in non modicum animarum periculum et ipsius tertii ordinis status diminutionem. Nos igitur, attendentes, quod per dictas posteriores litteras prioribus Nostris et praedecessoris litteris, de quibus in eisdem litteris mentio aliqua facta non fuit, in aliquo derogare intentionis Nostrae nullatenus exstitit, sed illas pleno firmitatis robore subsistere cupimus pariter et intendimus; ut tamen omnis, per quam fratres et sorores tertii ordinis huiusmodi a dicto salubri proposito retrahi possent, tollatur materia, et ut eo quietius in humilitatis spiritu vota sua Altissimo exhibere valeant, providere volentes, per praedictas seu quascumque alias litteras, etiam motu proprio et ex certa scientia sub quibusvis formis, expressionibus verborum et cum quibuscumque etiam derogatoriis clausulis per Nos hactenus concessas, in quibus de ipsius praedecessoris et prioribus Nostris litteris praedictis earumque data plena, specifica et expressa, non autem per generales seu alias expressam mentionem [non] importantes clausulas mentio facta non fuerit, eiusdem praedecessoris et prioribus Nostris litteris praefatis, quominus fratres et sorores tertii ordinis in praedicta civitate degentes praesentes et futuri sub cura et regimine fratrum Sancti Spiritus huiusmodi, prout hactenus laudabiliter vixerunt, etiam nunc et imposterum vivant ac vivere debeant et teneantur, nullatenus praeiudicatum fuisse et esse aut censeri posse auctoritate apostolica et ex certa scientia harum serie decernentes pariter ac declarantes ipsasque praedecessoris et priores Nostras litteras pro earum firmitatis robore potiori approbantes et confirmantes, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, per te vel alium seu alios eisdem fratribus et sororibus tertii ordinis in civitate praedicta degentibus efficacis defensionis auxilio assistens, non permittas praedictos ministrum et fratres praefatas concessas litteras in dicta civitate quomodolibet publicari aut etiam fratres et sorores degentes huiusmodi seu eorum vel earum aliquos vel aliquas, quominus sub cura et regimine fratrum domus S. Spiritus antedictis perpetuo vivant et vivere debeant, vexari, molestari seu etiam perturbari. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, V idus februarii, ... anno V.

1548. Concedit indulgentias visitantibus capellam S. Bernardini de Senis in ecclesia S. Mariae de Iesu Panormitan., O. F. M. de observ. ([1]).

1452, februarii 10, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, in civitate Panormitana Siciliae, in conventu S. Mariae de Iesu, ordinis fratrum Minorum de observantia, quaedam capella in honorem praeclari confessoris S. Bernardini de Senis noviter fuerit constructa et aedificata opitulantibus piis christifidelium suffragiis: Cupientes igitur, ut capella iuxta ecclesiam domus Panormitanae, ordinis fratrum Minorum regularis observantiae, quae, sicut accepimus, de novo piis quorumdam suffragiis sub vocabulo praeclari confessoris S. Bernardini de Senis fundata et constructa fuit, praedictis congruis honoribus frequentetur, conservetur ac christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem, quo *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in die vigesima mensis maii, in quo festum gloriosi S. Bernardini celebratur, a primis vesperis usque ad secundas vesperas eiusdem sancti capellam praedictam devote visitaverint annuatim, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, IV idus februarii, ... anno V.

1549. B. Mariae de Pinnarolio et S. Michaelis de Clusa monasteriorum abbatibus, Taurinen. dioec., ac praeposito ecclesiae Taurinen. mandat, ut Obertino de Montecalerio, O. F. M., magistro in theologia, pro quo Ludovicus, dux Sabaudiae, asserens eumdem Obertinum suum confessarium esse, supplicaverat, commendari curent prioratum S. Petri de Novalerio O. S. Ben., Taurinen. dioec. ([2]).

1452, februarii 12, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, pridie idus februarii, ... anno V.

([1]) Wadd. *Ann.*, ad a. 1451, *Suppl. Melissani* n. 1 p. 117. « ex Tognelotto, Paradis. Seraph. l. 2. c. 11 ». ([2]) Reg. Lat. t. 474, f. 146 v.

1550. Episcopo Eysin. (Aesin., Iesi) mandat, ut Iacobum de Andreone de Perusio, III O. S. Fr., in eius dioecesi commorantem, acolythum, ad sacerdotium promoveri cupientem, absolvat ab irregularitate contracta ex eo, quod Iacobus ante ingressum in ordinem in pluribus guerris, in quibus hominum strages, rapinae, incendia, furta, homicidia, membrorum mutilationes et alia perpetrata fuerunt, ut armiger interfuit, licet ipse praemissa non perpetravit (1).

1452, februarii 12, Romae.

Apostolicae Sedis indefessa clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, pridie idus februarii, ... anno V.

1551. Thomae Derby, O. F. M., senio confracto, qui per biennium in studio sententiarum legerat ac triginta annis praedicationibus se laudabiliter exercuerat, concedit licentiam recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (2).

1452, februarii 13, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, idibus februarii, ... anno V.

1552. Iohanni de Capistrano, O. F. M., in Bohemiae, Moraviae et Austriae partibus circa exstirpationem haeresum laboranti, concedit facultatem 1) commutandi vota (3); 2) absolvendi a peccatis, etiam Sedi Apostolicae reservatis (4).

1452, februarii 22, Romae.

1) *Dilecto filio Iohanni de Capistrano, ordinis fratrum Minorum de observantia professori et in partibus cismontanis generali vicario.*

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.* Hinc est, quod Nos, sperantes, quod tu, qui in Bohemiae, Moraviae et Austriae partibus circa exstirpationem haeresum non absque tuae personae discrimine labores subiisti et continuo disputationibus ac praedicationibus insistendo subire paratus es, ut christifideles ac alios a fide catholica deviantes et ad veritatis lumen redire volentes eo ferventius ad id inducere ac animare cures, quo salutifera remedia eorum animarum administrare poteris, discretioni tuae auctoritate Nostra cum quibuscumque, tam ecclesiasticis, saecularibus et regularibus quam etiam laicalibus utriusque sexus personis dictarum partium, quae tam peregrinationis quam abstinentiae et quaevis alia vota emiserint et legitimo impedimento detentae illa commode adimplere nequiverint, vota ipsa in alia pietatis opera, prout secundum Deum animarum saluti expedire cognoveris, religionis et visitationis dominici sepulchri ac liminum beatorum apostolorum Petri et Pauli ac S. Iacobi de Compostella votis dumtaxat exceptis commutandi semel tantum plenam et liberam harum serie concedimus facultatem. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, VIII kal. martii, ... anno V.

2) *Eidem ut supra usque:*

quo salutifera remedia eorum animarum ministrare poteris, discretioni tuae auctoritate Nostra quascumque personas partium praedictarum a quibusvis criminibus, excessibus et delictis, etiam in casibus Sedi Apostolicae reservatis semel dumtaxat absolvendi, necnon cum religiosis et aliis ecclesiasticis viris in eisdem partibus constitutis, qui ex quavis causa vel occasione, praeterquam in homicidio seu mutilatione voluntariis excommunicationis sententia ligati divina, non tamen in contemptum clavium, celebrando aut alias se illis immiscendo irregularitatis maculam incurrerint, super irregularitate huiusmodi iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, ipsisque ad tempus, de quo tibi videbitur, a suorum ordinum exsecutione suspensis, eadem auctoritate semel tantum dispensandi plenam et liberam harum serie concedimus facultatem. Non obstantibus *etc.*, praesentibus post biennium minime valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XI kal. martii, ... anno V.

1553. Stephano de Vassan, O. F. M., eiusque sociis concedit licentiam loca Terrae Sanctae invisendi variasque pro hoc itinere facultates (5).

1452, februarii 26, Romae.

Dilecto filio Stephano de Vassan, ordinis fratrum Minorum de observantia professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, qui, ut asseris, zelo devotionis accensus, cum tribus aut quatuor sociis tui ordinis fratrum Minorum professoribus per te eligendis

(1) Reg. Lat. t. 474, f. 219.
(2) Reg. Vat. t. 398, f. 128.
(3) Reg. Vat. t. 419, f. 282; Wadd. *Ann.* ad a. 1452, n. 16. Theiner, *Monum. Hungar.* t. 2, p. 261. n. 425.
(4) Reg. Vat. t. 419, f. 283; Wadd. *Ann.* ad a. 1452, n. 15 «ex autographo».
(5) Reg. Vat. t. 420, f. 104v.

sepulchrum dominicum et alia oratoria Terrae Sanctae desideras personaliter visitare, gratiosis favoribus prosequi, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi et tribus seu quatuor sociis per te eligendis praedictis sepulchrum et oratoria supradicta ex devotionis causa huiusmodi visitandi ac illa etiam pro huiusmodi visitatione deferendi ac exhibendi, sine quibus peregrinationem huiusmodi commode adimplere non posses et dicti socii non possent, dummodo tu et ipsi ad partes ipsas nulla alia deferas et deferant vel deferri facias seu faciant, quae in damnum fidei christianae redundare valeant, ac tibi, quod libris, quibus tam pro usu praedicandi quam alias ad studium nunc uti soles, tenere, et si opus fuerit, plures alios imposterum, alias tamen licite, procurare necnon in ecclesiis cathedralibus, in quibus fueris requisitus, de ordinariorum locorum tamen licentia, iuxta tibi a Domino datam gratiam et constitutione fel. rec. Bonifatii papae VIII, praedecessoris Nostri, quae incipit 'Super cathedram', in concilio Viennen. renovata, in omnibus semper salva, populis verbum Dei annuntiare ac duos seu tres socios de tua familia tibi gratos in subeundis laboribus, qui pro Dei honore et animarum salute tibi in adiutorium et solamen assistant, assumere, quodque tu dictis sociis et aliquis ex sociis huiusmodi tibi ac aliis consortibus praefatis eorum et tuis confessionibus diligenter auditis ab omnibus criminibus, excessibus atque peccatis, dummodo talia non fuerint, propter quae Sedes Apostolica sit merito consulenda, auctoritate apostolica debitam absolutionem impendere et iniungere poenitentiam salutarem possis et possint, ita tamen, quod tu et illi sub confidentia concessionis huiusmodi aliqua illicita non committas nec committant, tuque etiam in absentia vicariorum fugientes a saeculo ad ordinem recipere et, si opus fuerit, praesertim pro augmento fidei ad Nos vel etiam praelatos dicti ordinis venire seu etiam ex sociis huiusmodi transmittere, victus quoque seu vestitus et alia necessaria tam pro te quam pro sociis praedictis bono modo procurare ac tua peregrinatione durante Terrae Sanctae haereticos et schismaticos seu a fide apostatas, qui Teucrorum vel aliorum paganorum captivitate liberi ad fidem ipsam redierunt suosque errores correxerunt, a quibuscumque excessibus necnon excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis in forma ecclesiae consueta iniunctis sibi pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, absolvere necnon ad unitatem S. Romanae ecclesiae ac illius reconciliationis gratiam recipere et admittere valeas libere et licite, devotioni tuae apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae, apud S. Petrum, anno ... 1451, V kal. martii, ... anno V.

1554. Confirmat receptionem domorum O. F. M. de observ. in Austria, Bohemia et Moravia a Iohanne de Capistrano factam et eas in propria vicaria coniungit (1).

1452, martii 6, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dum praeclara dilectorum filiorum Iohannis de Capistrano et nonnullorum aliorum fratrum ordinis Minorum de observantia nuncupatorum, in Bohemiae, Austriae, Istriae et Moraviae partibus commorantium, religionis, sub qua mundanis abdicatis illecebris cum additione voluntariae paupertatis virtutum Domino in humilitatis spiritu exhibent famulatum, merita, dumque etiam salubria laborum studia, quae pro augmento fidei orthodoxae impendunt incessanter, etiam in ipsius fidei hostium partibus, non absque suarum periculo personarum, verbum Domini praedicando, debita meditatione pensamus, ea sibi libenter concedimus, per quae illorum religio propagari valeat et ipsi sublatis quibusvis dispendiis cum divini cultus augmento nec non animarum salute in Dei ecclesia fructus afferre possint ampliores. Cum itaque, sicut nonnullorum fide digna relatione non absque ingenti mentis gaudio percepimus, in Bohemiae partibus, in qua, proh dolor, abominabilis et pessima Hussitarum nuncupata haeresis, etiam in sacro Constantiensi concilio damnata et reprobata, quae a longe citra temporibus, veluti

(1) Reg. Vat. t. 419, f. 281; Wadd. *Ann.* ad a. 1452, n. 17; Theiner, *Monum. Hung.* t. 2, p. 262, n. 426; praeterea in libro, qui inscribitur: *Facies nascentis et succrescentis provinciae Seraphico-Austriacae strictioris observantiae,seu compendiosa descriptio reformatae eiusdem provinciae per PP. Archivarios huius almae provinciae.* Ratisbonae, sumptibus Emerici Felicis Baderi. 1743, pag. 64. Ibidem pag. 70 legitur haec observatio: « In hac praemissa bulla apud Waddingum legimus Istriae loco Styriae; ast videtur error, aut calami, aut tysti (!) irrepsisse; nullum enim unquam conventum reperimus Provinciam Austriae coluisse in Istria, bene tamen plures in Styria ». Tamen etiam Cod. Registri Vat. habet « Istriae ».

venenosissimus cancer mortiferum virus diffundens, suis contagiosis erroribus multorum corda fidelium infecit, per ipsorum Iohannis et fratrum laudabilem ac religiosam vitam necnon fructuosas, quas eis continuo faciunt, praedicationes quamplurimi etiam nobiles et potentes, laici et ecclesiastici, divina illustrati gratia, errores huiusmodi de ipsorum cordibus penitus deponentes, quod S. Romana tenet et profitetur ecclesia, profiteantur et teneant, ac quidam ex eis, maiori orthodoxae fidei et etiam religionis zelo accensi, habitum susceperint ac professionem dicti ordinis regularem emiserint, praefatus quoque Iohannes, Nostra desuper auctoritate suffultus, iam in praedictis [Bohemiae], Austriae, Istriae et Moraviae partibus nonnulla fratrum loca, conventus ac domos receperit, spereturque verisimiliter, quod per ipsorum fratrum vitae sanctimoniam, fidei fervorem et assiduas praedicationes non modo errantes huiusmodi ab ipsorum erroribus ad veritatis lucem reduci, sed etiam quamplures ex eis ad bonorum imitationem poterunt incitari: Nos praemissa omnia, quodque etiam fratres praedicti in eisdem partibus ad honorem Dei et propagationem christiani nominis diligenter ac fideliter pro fide huiusmodi necnon divini cultus et religionis augmento ac praedictae et quarumcumque aliarum haeresum in eisdem partibus exstirpatione plurima labores et studia fructuosa impendere poterunt et libenti animo impendent, considerantes, ut Iohannes et fratres praedicti eo ferventius ipsis laboribus et studiis insistere valeant, quo se apostolicis favoribus et gratiis amplioribus per Nos et Sedem Apostolicam noverint circumfultos, ipsorum Iohannis et fratrum in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium omnes et singulas receptiones domorum, locorum seu conventuum per dictos Iohannem et fratres seu aliquos in eisdem partibus et de illis sibi per quoscumque factas concessiones, donationes et assignationes, quarum tenores ac domos, conventus et loca huiusmodi per eorum nomina, cognomina, designationes et loca praesentibus haberi volumus pro expressis, approbamus et confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et volumus, quod praedicta et tria alia, quae per infrascriptum pro tempore eligendum vicarium in Austriae, Bohemiae, Istriae et Moraviae partibus, ei canonice concessa, ad illius regularem observantiam reduci et reformari vel fundari vel construi in eisdem partibus contigerit, conventus, domus et loca illorumque personae quaecumque sub una et eadem vicaria, quam in dictis partibus harum serie instituimus, subiecta sint et esse censeantur ac in spiritualibus et temporalibus regantur et gubernentur per unum vicarium, quem dictarum partium fratres in eorum capitulis vicarialibus suis temporibus celebrandis eligere et deputare possint ac debeant, in omnibus et per omnia, prout provinciales vicarii dictorum ordinis et observantiae eliguntur et deputantur; quique sic electus et deputatus per vicarium citramontanum generalem ordinis et observantiae praedictorum, cui tam ipse vicarius eligendus [quam] conventus, domus et loca partium huiusmodi illorumque fratres et personae subiecta sint et esse censeantur, mandantes districtius in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena omnibus et singulis ministris seu vicariis et fratribus locorum, domorum et conventuum partium huiusmodi ac ipsi eligendo vicario, ut infra quindecim dierum spatium, postquam praesentium notitiam habuerint, generali vicario citramontano pro tempore exsistenti efficaciter et humiliter pareant et intendant. Et insuper, ut fratres praedicti, tam in reductione haereticorum ac exstirpatione haeresis huiusmodi, quam alias in Dei ecclesia maiores fructus eo diligentius afferre studeant, quo se per Nos specialibus favoribus et gratiis prosequi conspexerint, volumus, statuimus pariter et decernimus, quod iam recepti, receptae seu recepta, aut quos, quas seu quae imposterum in dictis partibus recipi contigerit, conventus, domus seu loca et fratres in eis pro tempore degentes, omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus et gratiis, indultis, concessionibus et litteris aliis conventibus, domibus seu locis ordinis et observantiae praedictorum per Nos vel Sedem praedictam vel alias quomodocumque in genere concessis in omnibus et per omnia uti et gaudere libere et licite possint, necnon eligendo vicario praedicto tria alia domus, conventus et loca in Austriae, Bohemiae, Istriae et Moraviae partibus praedictis seu aliqua vel aliquibus earum, si sibi alias canonice concedantur, ad regularem observantiam reducendi et reformandi seu de novo cum ecclesiis, campanilibus, campanis, coemeteriis, dormitoriis, claustris, hortis, hortalitiis et aliis pro perpetuis usu et habitatione aliquorum fratrum dicti ordinis fundandi et construendi, iure tamen parochialium ecclesiarum ... salvo, plenam et liberam licentiam concedimus pariter et facultatem. Non obstantibus *etc.*, praesentibus, quoad dicti fratres sub observantia huiusmodi vixerint, dumtaxat valituris. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, pridie nonas martii, ... anno V.

1555. Domibus O. F. M. de observantia, provinciae Turonen., concedit, ut privilegiis ordini concessis uti valeant (1).

1452, martii 11, Romae.

Dilectis filiis universis fratribus de Bodelio, Belligne, Castripanciae, Lecrolay, S. Martini Argenton, Grobout et Du Pleys prope Clusis, provinciae Turonen., ordinis fratrum Minorum de observantia domorum, locorum et oratoriorum, praesentibus et futuris.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Hinc est, quod Nos, pie considerantes, quod excrescente fidelium erga fratres vestri ordinis Minorum regularis observantiae ** per universas fidelium partes ad animarum consolationem pariter et salutem dietim eorumdem fratrum oratoria et loca iam praeaedificata singularis devotionis christifidelium devotius visitantur, ac cupientes devotionem huiusmodi in dies magis excrescere, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium, ut vos et vestrum quilibet ac loca ipsa et in eis degentes fratres in praesentiarum commorantes et perpetuo commorantes et perpetuo commoraturi omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis et gratiis aliis dicti ordinis [domibus...] quomodolibet per Nos vel Sedem Apostolicam aut alias in genere vel in specie concessis et in posterum concedendis in omnibus et per omnia pari modo et absque ulla differentia uti et gaudere libere et licite possitis, constitutionibus ... nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae concedimus pariter et indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, V idus martii, ... anno V.

1556. Stephano Vimaranen., O. F. M., lectori in theologia, nobilis mulieris Constantiae, ducissae Bragantiae et comitissae Barchelorum, obsequiis insistenti, qui plurimos labores retroactis temporibus pertulerat ac verbum Dei in populo seminando et confessiones audiendo diversos inter se divisos suis verbis et praedicationibus a via erroris et ab huiusmodi discordiis ad pacem duxerat, qui pro eo, quod nonnullos fratres O. F. M. de vitiis et excessibus corripere conabatur, cum animi quiete in dicto ordine remanere non poterat, cui iam propterea ab Eugenio IV facultas recipiendi beneficium ecclesiasticum concessum erat, concedat perinde valere et facultatem retinendi ecclesiam parochialem S. Salvatoris de Tagilde, Bracharen. dioec. (2).

1452, martii 11, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, V idus martii, ... anno V.

1557. Abbati monasterii S. Anastasii extra muros Urbis mandat, ut Iacobum Iohannis de Venetiis, O. F. M., qui suasionibus Ottoboni, abbatis monasterii de Heleno, extra muros Brixien., O. S. Ben., deceptus ad dictum ordinem et monasterium S. Benedicti transierat et in eo per 6 annos vel circa permanserat, absolvat a censuris et irregularitatibus eique concedat licentiam ad ordinem Cisterc. et monasterium S. Anastasii praedictum se transferendi (3).

1452, martii 11, Romae.

Solet Sedis Apostolicae clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, V idus martii, ... anno V.

1558. Committit causam inter fratres domus S. Francisci, Rothomagen., O. F. M., et archiepiscopum Rothomagen., qui venerationi S. Bernardini Senen. adversabatur (4).

1452, martii 18, Romae.

Dilecto filio Guillelmo, tit. S. Martini in Montibus presbytero cardinali ac in regno Franciae et nonnullis aliis partibus Apostolicae Sedis legato.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Francisci Rothomagen., ordinis fratrum Minorum, petitio continebat, quod, postquam Nos rationabilibus suadentibus causis de consilio fratrum et coepiscoporum Nostrorum gloriosum Christi confessorem S. Bernardinum aliorum sanctorum catalogo aggregavimus ac in ecclesia dictae domus ob devotionem utriusque sexus fidelium et miracula, quae Altissimus meritis dicti sancti ostenderat, sub ipsius vocabulo capella per maiores dictae civitatis fundata et in illa imago eiusdem confessoris sculpta exstiterat, ac quaedam confraternitas instituta ad illamque quotidie maior conflueret populi multitudo, ac inter cetera eiusdem sancti meritis miseratione Altissimi ostensa miracula quaedam mulier, quae decem annos vel circa infirmitate oppressa, curva atque gibbosa exstiterat, post peractam a dilecto filio Andrea Fere, ipsius ordinis professore, in dicta capella missam sanata fuerat ipsaque mulier prae gaudio cum eidem Andreae patratum in

(1) Reg. Vat. t. 421, f. 24.
(2) Reg. Vat. t. 398, f. 274. Cf. sup. n. 683, p. 321.
(3) Reg. Lat. t. 474, f. 18.
(4) Reg. Vat. t. 420, f. 233; Wadd. *Ann.* ad a. 1451, n. 39.

sua persona miraculum rettulisset et baculum, cui antea innitebatur, in signum ipsius miraculi ante imaginem eiusdem confessoris suspendi suppliciter flagitaret et hoc per ipsum Andream expetenti populo innotesceret, venerabilis frater Noster Radulphus, archiepiscopus Rothomagen., praemissa necnon populi ad ecclesiam memoratam confluentis concursum aequanimiter ferre non valens, nulla causa legitima subsistente, unde miramur, eumdem Andream contra immunitates et privilegia ordini et fratribus antedictis ab Apostolica Sede concessa et eorumdem fratrum exemptionem capi et tetris carceribus, quibus damnandi ultimo supplicio retruduntur, (proh dolor) mancipari et detineri fecit in ipsius Andreae ac fratrum praedictorum non modicum detrimentum eorumdemque exemptionum, privilegiorum et immunitatum vilipendium et contemptum; et cum a dictis carceribus idem Andreas aliter exire et liberari non posset, nisi in sermone ad populum praedictum miraculum minime verum fuisse seque minus leviter et indiscrete illud credidisse publice fateretur, ipsius archiepiscopi voluntati se obtemperaturum et id facturum promisit et, postquam libertati pristinae restitutus fuit, de voluntate dilecti filii Guillelmi Fortin, ipsius domus guardiani in praemissis sibi contra iustitiam per eumdem archiepiscopum eiusque officialem illatis gravaminibus ad Sedem Apostolicam appellavit; quinimo archiepiscopus memoratus in contemptum interpositae appellationis praedictae in fratres dictae domus eo magis solito saeviens in eos excommunicationis sententiam promulgavit eosque nuntiavit et fecit excommunicatos publice nuntiari, licet de facto, necnon eisdem et aliis fratribus dicti ordinis in suis civitate et dioecesi Rothomagen. praedicationis officium penitus interdixit; nec praemissis contentus, sed peiora malis accumulans sex alios ex fratribus dictae domus similiter capi et carceribus mancipari necnon unum ex eis carceres intrare renitentem vi compelli fecit, qui tunc in eius capite vulneratus exstitit; propter quae populi et fidelium devotio causantibus praemissis ad eosdem ecclesiam et fratres exstitit plurimum tepefacta, et vix aliquis fidelium propterea et propter alias excommunicationes et inhibitiones per ipsos archiepiscopum eiusque officialem factas in civitate praedicta eiusdem confessoris, ut praefertur, tam sollemniter canonizati et approbati audet notissima et stupenda miracula recensere, in ipsius confessoris et Apostolicae Sedis iniuriam, vilipendium et contemptum ac perniciosum exemplum fidelium et scandalum plurimorum. Quare pro parte guardiani et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut attentis praemissis, quae non debent conniventibus oculis sub dissimulatione praeteriri, causam appellationis huiusmodi et negotii principalis aliquibus in partibus illis committere atque alias in praemissis eis et eorum statui opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum dilecto filio Nostro Dominico, tit. S. Crucis in Hierusalem presbytero cardinali, vivae vocis oraculo per Nos specialiter sibi facto commisimus, ut guardianum et fratres praedictos ab eadem excommunicationis sententia, si quam propterea incurrissent, ad cautelam absolveret ac huiusmodi causam audiret et debito fine decideret, quique, postquam guardianum et fratres praedictos, ut praemittitur, de mandato Nostro absolverat, in eadem causa ad aliquos alios actus minime dicitur processisse, causam appellationis huiusmodi ad Nos de ipsorum guardiani ac fratrum necnon nuntii ipsius archiepiscopi ad Nos super hoc specialiter destinati expresso consensu harum serie advocantes, circumspectioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis archiepiscopo et officiali praedictis ac aliis, qui fuerint evocandi, causam huiusmodi in statu debito resumens, illam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii sola facti veritate inspecta per teipsum ulterius audias et appellatione remota debito fine decidas, faciens, quod decreveris, auctoritate Nostra firmiter observari. Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1451, XV kal. aprilis, ... anno V.

1559. Deputat ad decennium fructus camerae apostolicae e castro Fractae Episcopi (Fratta Todina), dioec. Tudertin., ad perfectionem structurarum ecclesiae S. Fortunati, civitatis Tudertin., O. F. M. (1).

1452, martii 28, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Pia Nos excitat et inducit *etc.* Hinc est, quod Nos, cupientes, quod domus fratrum ordinis Minorum, quam a nonnullis annis citra dilecti filii communitas et cives civitatis Nostrae Tudertin. in eadem civitate sub vocabulo S. Fortunati cum ecclesia, campanili ... et aliis pro nonnullorum fratrum dicti ordinis usu et habitatione necessariis officinis magno et sumptuoso opere fundari et construi facere coeperunt, in suis structuris et aedificiis perficiatur, dictorum com-

(1) Reg. Vat. t. 398, f. 122.

munitatis et civium in hac parte supplicationibus inclinati, omnes et singulos fructus, redditus et proventus ac quaecumque emolumenta ex castro Fractae Episcopi nuncupato, comitatus et dioec. Tudertin., usque ad decennium provenientia, illa videlicet dumtaxat, quae ad cameram apostolicam pertinent, ad usum et utilitatem perfectionis structurarum necnon aedificiorum praedictorum auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium deputamus, ita quod liceat eidem communitati et civibus seu ad id per vos deputando vel deputandis huiusmodi fructus, redditus, proventus et emolumenta praedicto durante decennio exigere et percipere necnon in usus ac utilitatem constructionis et perfectionis earumdem convertere alicuius desuper licentia minime requisita, mandantes districtius omnibus et singulis officialibus Nostris *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, V kal. aprilis, ... anno VI.

1560. Lucae Pascutii, O. F. M., ad monasterium S. Cassiani extra muros Narnien., O. S. Ben., transgresso. et defectum natalium patienti quocum iam dudum dispensaverat, concedit « perinde valere » atque dispensationem, ut abbatiam saecularis et collegiatae ecclesiae S. Donati, Sabinen. dioec., necnon canonicatum et praebendam ecclesiae Sabinen. atque canonicatus et praebendas ecclesiarum B. Mariae intra, et S. Petri in Muriscentum extra muros castri Tarani, dictae dioec., retinere possit (1).

1452, martii 28, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, V kal. aprilis, ... anno VI.

1561. Fratres domus S. Pauli, O. F. M. de observ., prope muros Bononien., liberat a solutione datiorum etc. (2).

1452, martii 29, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ad ea, per quae religiosorum *etc.* Sane exhibita Nobis pro parte dilectorum filiorum fratrum loci S. Pauli extra et prope moenia urbis Nostrae Bononien., ordinis beati Francisci de observantia nuncupatorum, petitio continebat, quod sive ex statuto civitatis sive ex commissione apostolica de omnibus relictis ad pias causas etiam pro celebrandis missis in subsidium animarum sive alia ratione ipsi fratres, quando fiunt in suo loco huiusmodi relicta et legata, coguntur ad solvendum ecclesiae S. Petronii Bononien. duos bononinos [pro] libra pariterque, quando aliquid extra portam civitatis praedictae deferri faciunt aut intra illam portari sive ad victum et usum familiae necessarium sive ad fabricam et structuram, coguntur ad solvendum datia ordinaria cuilibet imposita. Quare, volentes ipsorum religiosorum in hac parte supplicationibus satisfacere, eosdem et locum praedictum, habitatores quoque in illo futuris temporibus in regulari observantia perseverantes ab omnibus et singulis supradictis duorum bononinorum pro libra et datiorum ordinariorum solutionibus auctoritate apostolica tenore praesentium absolventes, praecipimus et mandamus omnibus et singulis dictae civitatis officialibus, praesentibus et futuris, quatenus praedictos fratres et locum ac in eo habitantes nullatenus praedictorum occasione molestent aut aliter inquietent. Nos etiam tenore praesentium decernimus et declaramus litteras apostolicas, tam in forma brevis quam alias quomodocumque concessas aut imposterum concedendas contra dictos fratres nullius exsistere roboris vel momenti, nisi de praesentibus expressa et specifica fiat mentio specialis. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, IV kal. aprilis, ... anno VI.

1562. Francisco de Bononia, vicario fratrum O. F. M. de observantia provinciae Bononiae, concedit licentiam instituendi syndicos, qui bona eisdem fratribus relicta exigere et vendere valeant (3).

1452, martii 29, Romae.

Dilecto filio Francisco de Bononia, provinciae Bononiae ordinis Minorum ceterorumque fratrum eiusdem provinciae de observantia nuncupatorum vicario ministro.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod, cum acciderit et interdum accidat nonnullas devotas personas iuris ignaras in suis testamentis seu ultimis voluntatibus fratres praedictos pro necessitatibus ipsorum fratrum locorumque eorumdem perficiendorum et de novo construendorum haeredes relinquere vel aliqua legata de bonis suis modo non convenienti ac declarationibus summorum pontificum, praedecessorum Nostrorum contrario dictis fratribus facere, prout in testamentis et ultimis voluntatibus huiusmodi, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus inserti forent, haberi volumus pro expressis, latius continetur: pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut,

(1) Reg. Lat. t. 479, f. 266. Cf. sup. n. 1430, p. 726. (2) Reg. Vat. t. 420, f. 78 v. (3) Reg. Vat. t. 420, f. 79 v.

ne pia defunctorum frustretur intentio, et ut eisdem fratribus salubriter occurratur, de remedio opportuno providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos, cultum divinum propagari et pia defunctorum vota debitum effectum sortiri summopere desiderantes ac, ut ipsi fratres ab omni litium cura remoti secura mente Deo servire valeant, cupientes, omnes et singulas causas super bonis huiusmodi ortas et praesertim inter dilectum filium Iacopinum de Laplana de Castro Arquati, Placentin. dioec., et guardianum ac fratres domus B. Mariae de Nazareth, Placentin., seu eorum syndicum, super bonis per quondam Michaelem de Laplana fratribus dictae domus relictis ad Nos advocantes et lites, quarum statum praesentibus haberi volumus pro expresso, penitus exstinguentes, tibi et tuis successoribus, ut in quolibet loco cum guardiano et fratribus discretis cuiuslibet loci unum vel plures syndicos apostolicos, qui nomine Sedis Apostolicae bona huiusmodi legata aut relicta, ut praefertur, exigere et illa vendere et pretium seu pretia in aedificiis locorum et aliis necessariis fratrum praedictorum convertere et omnia alia facere, quae alii syndici huiusmodi summorum pontificum, praedecessorum Nostrorum ex dicti ordinis institutis facere possunt, eadem auctoritate possint et valeant, de praeteritis tantum et in futurum usque ad biennium a data praesentium computandum constituere possis, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, IV kal. aprilis, ... anno VI.

1563. Iacobo de Primaditiis, O. F. M. de observ., mandat, ut monialibus monasterii S. Guillelmi extra muros Ferrarien., O. S. Cl., concedat licentiam permutandi possessionem quamdam in villa Frumignanae (1).

1452, martii 29, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Primaditiis, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum professori.

Ad ea libenter intendimus *etc.* Exhibita siquidem nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium monasterii S. Guillelmi extra muros Ferrarien., ordinis S. Clarae, in regulari observantia viventium, petitio continebat, quod ipsae quamdam habent possessionem in villa Frumignane, Ferrarien. dioec., consistentem et, si dicta possessio, quae in domibus suis et aliis necessariis non parva expensa indigere dignoscitur, cum aliquo probo cive Ferrarien. pro aliquibus usibus seu annuis censibus et aliquo pretio in utilitatem dicti monasterii convertendo permutaretur et alienaretur, in evidentem dicti monasterii cederet utilitatem. Quare pro parte *etc.* Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, possessiones necnon usuum seu annuorum censuum huiusmodi qualitates, quantitates, confines ac verum valorem pro sufficienter expressis habentes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... permutationem et alienationem praefatas pro dictis usibus seu annuis censibus et pretio in utilitatem dicti monasterii, ut praefertur, convertendo eisdem abbatissae et monialibus auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam faciendi concedatis. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, IV kal. aprilis, ... anno VI.

1564. Rolandum Bordays, O. F. M. de observ., instituit vicarium insularum marinarum prope Britanniam, Normanniam et Angliam consistentium (2).

1452, martii 30, Romae.

Dilectis filiis Rolando Bordays, custodi, ac universis fratribus domorum insularum marinarum prope Britanniae, Normandiae et Angliae partes consistentium, ordinis fratrum Minorum.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Sane pro parte vestra Nobis exhibita petitio continebat, quod olim, postquam quondam Petrus Fabri, primus fundator et custos domorum insularum marinarum prope Britanniam, Normandiam et Angliam constitutarum, vestri ordinis fratrum Minorum, in senio constitutus, officium custodiae domorum huiusmodi, per eum tunc celebrato capitulo, cui tunc vicarius generalis ultramontanus fratrum dicti ordinis sub regulari observantia degentium praeerat, in manibus dicti vicarii, sub cuius obedientia fratres dictarum domorum, qui pro tempore fuerunt, semper permanserunt, prout permanent, sponte et libere resignaverat, dilecti filii fratres, in dicto capitulo congregati, ad futuri custodis electionem, ut est moris, procedentes, te, fili Rolande, in eorum et dictarum domorum custodem elegerunt, tuque, electioni huiusmodi consentiens, officium custodis huiusmodi ex tunc exercuisti, prout exerces de prae-

(1) Reg. Vat. t. 420, f. 79. De monasterio S. Guillelmi cf. sup. n. 891, p. 431.

(2) Reg. Lat. t. 477, f. 207v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 72. Cf. sup. n. 1510, p. 758.

senti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefatae domus, quae usque ad numerum novem excreverunt, pro eo, quod loca dictarum insularum in diversis provinciis constituta sunt, non possint commode per diversos diversarum provinciarum vicarios gubernari, Nos, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, quod tu, fili Rolande, et quilibet successorum tuorum dictarum domorum custos, qui erit pro tempore, quique eligatur et confirmetur, prout vicarii provinciales eligi et confirmari consueverunt, vicarius insularum marinarum huiusmodi perpetuo nomineris et nominetur, ac super fratres domorum huiusmodi illam et eamdem auctoritatem habeas et habeant, quam vicarii ministrorum provincialium super fratres domorum provinciarum suarum huiusmodi habere dignoscuntur, constitutionibus ... ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, vobis auctoritate apostolica, tenore praesentium de specialis dono gratiae concedimus pariter et indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, III kal. aprilis, .:. anno VI.

1565. Confirmat erectionem monasterii S. Marci extra civitatem Regin., olim O. S. Marci de Mantua, in domum O. F. M. de observ. ([1]).

1452, martii 30, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Dum ad uberes fructus, quos sacer ordo fratrum Minorum *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, dilectis filiis civibus civitatis Reginae fundandi et construendi unam domum cum ecclesia, campanili, campana et ceteris necessariis pro usu et habitatione aliquorum fratrum dicti ordinis licentiam concedi per quasdam suas litteras mandavit. Et deinde pro parte dictorum civium eidem praedecessori exposito, quod ipsi cives, locum ad fundationem domus huiusmodi sollicite requirentes, quoddam ruinosum monasterium ordinis S. Marci de Mantua sub vocabulo S. Spiritus, et cuius ecclesia erat pro parte diruta, extra civitatem praedictam, per priorem gubernari solitum, cui cura non imminebat animarum, ac in quo nullus prior tunc et per longa tempora retroacta saltem continuam residentiam fecerat neque faciebat, cuiusque fructus, redditus et proventus quadraginta florenos auri de camera secundum communem aestimationem, ut asserebatur, valorem annuum non excedebant, ad hoc idoneum reppererant, ipsumque totis viribus et propriis sumptibus et expensis reaedificare et reformare affectabant, attamen dubitabant illius priorem ad praemissa nolle consentire, dictus praedecessor archidiacono ecclesiae Reginae, cui dictas litteras direxerat, aliis suis litteris commisit et mandavit, quatenus, si ita esset, nomen, dignitatem et ordinem in dicto monasterio supprimens, dictis civibus ac fratribus monasterium ipsum in domum fratrum huiusmodi et illius prioris, ut praefertur, ad id non accedente consensu, fructibus tamen ipsius prioratus eidem priori, quoad viveret, reservatis erigeret et nonnulla alia tunc expressa faceret. Postmodum vero, licet dictus archidiaconus, ad ipsarum litterarum exsecutionem procedens, nomen, dignitatem monasterii ac ordinem S. Marci huiusmodi in dicto monasterio S. Spiritus supprimens, ipsum monasterium in domum fratrum eiusdem ordinis Minorum regularis observantiae erexerit ac fratribus, quos tunc in domo huiusmodi pro tempore morari contingeret, quod omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere possent, concesserit, etiam ad id dicti prioris non accedente consensu et fructus ipsius monasterii eidem priori, quoad viveret, concesserit necnon sibi post ipsius obitum ipsos fructus et bona eiusdem monasterii in aliquem alium usum convertendi facultatem reservaverit ac subsequenter ad devotorum fratrum in ipsa domo degentium ** etiam facultatem, ut ipsi fratres hortos, hortalitia et officinas sibi necessaria facere valerent, tollereturque super illorum confinibus omnis materia querelae et controversiae, declaraverit ac voluerit et mandaverit confinia monasterii, hortorum, hortalitiorum et officinarum sub certis tunc expressis modis extendi, protendi et esse debere et nonnulla alia tunc expressa concesserit, ipsique fratres, concessionis huiusmodi vigore dictum monasterium assecuti, in illo domum cum ecclesia, campanili, campana aliisque pro usu et habitatione fratrum necessariis officinis construi et aedificari fecerint, tamen pro eo, quod quondam Chrysanthus de Tintis, notarius, qui de praedicta concessione rogatus exstitit, instrumento super illam nondum confecto mortuus fuerit et huiusmodi concessio et alia praemissa in eiusdem notarii protocollis reperiuntur, tamen quod in illis aliqui testes praesentes fuerint, non appareat, sic propterea de illorum viribus haesitetur et prior ecclesiae seu prioratus S. Marci Regin. seu alius, cui dicti fructus assignati exstiterunt, confinia et territorium fratribus ipsis consignata usurpare contendat, ac monasterium seu domus

([1]) Reg. Vat. t. 420, f. 77; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 73. Cf. sup. n. 916, p. 447 et n. 1009, p. 501.

fratrum huiusmodi adeo numero fratrum continuo inibi Altissimo famulantium adauctum seu adaucta sit, quod territorium illis assignatum pro commoditate et solitudine fratrum commode non sufficiat, et quamvis dictus archidiaconus exsecutor sibi reservaverit potestatem addendi, dilatandi et augendi hortos praefatae domus et confines eorum, quia tamen de reservatione huiusmodi alias, quam ut praefertur, constare non potest, dictus exsecutor dubitet se illam facere non posse: pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum dictae domus Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus, ne alias dicti fratres tempore procedente super praemissis in posterum molestari possint, de remedio opportuno providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, cupientes, ut ipsi fratres tuta et secura mente Deo servire valeant, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia praemissa et inde secuta auctoritate apostolica approbamus et confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; necnon eadem auctoritate statuimus et decernimus, quod praesentes ad probandum plene suppressionem, erectionem et concessionem ac alia praemissa in iudicio et extra ubique sufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur, mandantes praedicto archidiacono, ut ultra territorium ipsis fratribus assignatum aliud tantumdem circa monasterium seu domum huiusmodi pro eorum commoditate, quod eis congrue et honeste sufficiat, auctoritate Nostra concedat et assignet. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, III kal. aprilis, ... anno VI.

1566. Mandat, ut podere a Iohanne Lentii eiusque uxore pro servanda hospitalitate deputatum concedat sororibus III O. S. Fr., monasterii S. Georgii de Florentia, Pistorium vocatis (1).

1452, martii 30, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Florentin.

Dum personam tuam *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Iacobi de Primaditiis, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, nomine dilectarum in Christo filiarum sororum tertii ordinis S. Francisci, quae in monasterio S. Georgii de Florentia vivere consueverunt, petitio continebat, quod quondam Iohannes Lentii, lanifex de Pistorio, et Catharina eius uxor voluerunt, disposuerunt et ordinaverunt, quod in domo et habitatione dictorum Iohannis et Catharinae teneretur hospitalitas in receptione mulierum dumtaxat, tam peregrinantium quam infirmarum et quarumcumque hospitalitate indigentium, prout societati disciplinatorum S. Francisci de Pistorio videretur. Ad quam quidem hospitalitatem tenendam unum podere seu possessionem ac unam vineam necnon alia bona sibi a Deo collata deputarunt, prout in instrumento publico desuper confecto dicitur latius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, novissime quidam syndici praefatae societatis, ea, quae per Iohannem et Catharinam praedictos, ut praefertur, ordinata fuerunt, perficere et adimplere cupientes, dictas sorores tertii ordinis ad civitatem Pistorien. vocaverunt et eisdem sororibus quoddam podere seu possessionem de dictis bonis, ut supra, relictis tradiderunt, quae quidem sorores ex pretio dicti poderis seu possessionis quasdam domos in dicta civitate Pistorien. ad unum monasterium pro earum habitatione aedificandum emerunt. Quare pro parte sororum praedictarum, se in ipso monasterio aedificando religiose et regulariter vivere ac pro Iohannis et Catharinae praefatorum animabus preces Deo effundere velle asserentium, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... podere et omnia alia bona praedicta pro monasterii huiusmodi aedificatione auctoritate apostolica largiaris. Nos enim tibi de omnibus et singulis praemissis agendi, disponendi et exsequendi, prout tuae videbitur conscientiae et melius expedire cognosces, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, III kal. aprilis, ... anno VI.

1567. Confirmat privilegia et libertates fratrum O. F. M. in partibus orientalibus et aquilonaribus commorantium (2).

1452, martii 31, Romae.

Dilectis filiis guardianis et fratribus ordinis Minorum, in domibus dicti ordinis in terris Saracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sithorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestoriano-

(1) Reg. Vat. t. 420, f. 78. De sororibus domus Florentin. a S. Georgio nuncupatis cf. sup. n. 1412, p. 718.

(2) Reg. Vat. t. 420, f. 136v; Wadd. *Ann.* ad a. 1452, n. 29.

rum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Meclitorum aliarumque infidelium nationum orientis et aquilonis consistentibus et commorantibus.

Cum a Nobis petitur *etc.* Eapropter, dilecti filii, vestris iustis supplicationibus grato occurrentes assensu, omnes libertates, immunitates et litteras, tam per fel. rec. Clementem papam V, quam alios praedecessores Nostros Romanos pontifices sive per privilegia vel alias indulgentias vobis et domibus vestris concessas, necnon libertates saecularium exactionum a regibus et principibus aut aliis christifidelibus, rationabiliter vobis et dictis domibus vestris indultas, sicut ea omnia iuste et pacifice possidetis, vobis et per vos eisdem domibus apostolica auctoritate confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, pridie kal. aprilis, ... anno VI.

1568. Mandat, ut monasterium monialium S. Domnini de castro Arquati, Placentin. dioec., O. Cisterc., tradat fratribus O. F. M. de observ. ([1]).

1452, martii 31, Romae.

Venerabili fratri Nicolao, episcopo Placentin., in Romana curia residenti, ac dilecto filio eius in spiritualibus vicario generali.

Pastoralis officii cura *etc.* Ad Nostrum siquidem dilectis filiis nobili viro Francisco Sfortia, duce Mediolanen., ac universitate et hominibus castri Arquati, Placentin. dioec., referentibus non sine mentis amaritudine pervenit auditum, quod dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales monasterii S. Domnini de dicto castro, Cistercien. ordinis, a monasterio B. Mariae de Columba, alias Claraevallis de Florenzola, ordinis et dioec. praedictorum, dependentes, suarum animarum salutis immemores earumque famae et honoris prodigae necnon pudicitiae laxatis habenis carnis illecebris et libidini insistentes, vitam adeo notorie duxerunt et ducunt inhonestam, quod monasterium S. Domnini huiusmodi laqueus hominum ad mortem verius quam monasterium dici potest, ac exinde infinita scandala, oblocutiones et derisus religionis, malevolentiae quoque in populo necnon multarum animarum perditio subsequuntur evidenter. Et, sicut eadem petitio subiungebat, si dictum monasterium S. Domnini cum domo, ecclesia, horto et claustro illis adiacentibus dilectis filiis fratribus ordinis Minorum regularis observantiae pro aliquorum ex eis usu et habitatione perpetuo concederetur et assignaretur, dictaeque abbatissa et moniales ad alia eiusdem ordinis Cistercien. monasteria transferrentur et distribuerentur, necnon in quodam loco ad dictum monasterium S. Domnini pertinente et in praefato castro consistente ad id apto et idoneo unum oratorium construeretur ac illud, postquam constructum foret, in prioratum sine cura erigeretur, ipsique sic erecto prioratui pro illius dote proprietates et bona dicti monasterii S. Domnini assignarentur, scandala praemissa et alia quamplura mala cessarent, conservareturque ius ordinis Cistercien. huiusmodi, nec alicui iniuria fieret et exinde divini cultus augmentum ac Deo obsequium sequeretur, necnon aliis quampluribus monialibus inhoneste in praedicta civitate degentibus exemplum bene vivendi et timor male agendi praestarentur. Quare pro parte eorumdem ducis et communitatis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super iis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, quorum interest super iis salubriter providere, de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum vocatis abbatissa et monialibus praedictis et aliis, qui fuerint evocandi, super praemissis omnibus et singulis ac eorum circumstantiis universis auctoritate Nostra vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi ea fore vera reppereritis, ordinem Cistercien. ac dignitatem abbatissalem in dicto monasterio S. Domnini penitus et omnino supprimere ac exstinguere necnon abbatissam et moniales praedictas ad alia Cistercien. ordinis monasteria transferre, ecclesiam quoque monasterii S. Domnini cum domo, horto et claustro adiacentibus huiusmodi praedictis fratribus concedere et assignare, necnon oratorium ac prioratum huiusmodi sine cura dicti Cistercien. ordinis, cuius prioratus collatio, quotiens vacabit, ad abbatem dicti monasterii B. Mariae pro tempore exsistentem spectet et pertineat, cum campanili, campana et aliis officinis necessariis et opportunis erigere ipsique sic erecto prioratui proprietates et bona monasterii S. Domnini huiusmodi in dotem assignare, praeterea abbatissae et monialibus praefatis, ut benevolas receptrices facilius inveniant, quoad vixerint, super fructibus, redditibus et proventibus eiusdem monasterii S. Domnini pensionem annuam, de qua vobis videbitur, et quae pro rata deficientium abbatissae et monialium praedictarum cesset, sibi annis singulis, quoad

([1]) Reg. Vat. t. 420, f. 189; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 74.

vixerint, reservare, constituere et assignare etiam auctoritate Nostra curetis. Contradictores *etc.* Iuribus, privilegiis, praerogativis, censibus et emolumentis parochialis et collegiatae ecclesiae B. Mariae de dicto castro ... semper salvis. Nos enim tibi, frater episcope, citandi dictam abbatissam et moniales *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, pridie kal. aprilis, ... anno VI.

1569. Mandat, ut reforment monasterium in Parva Basilea, Constantien. dioec., consistens, O. S. Cl., statuitque, ut illud imposterum sit sub regimine vicarii O. F. M. de observ. (1).

1452, aprilis 1, Romae.

Venerabilibus fratribus Basileen. et Constantien. episcopis ac dilectis filiis ministro et vicario fratrum, qui de observantia nuncupantur, ordinis Minorum, provinciae Argentinen.

Inter cetera, quibus ex suscepti regiminis *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, monasterium monialium ordinis S. Clarae, in Parva Basilea, Constantien. dioec., consistens, in quo tum propter ipsius monasterii gubernatorum incuriam et negligentiam divinus cultus est plurimum diminutus, ad tantam destitutionem devenerit, quod nisi de celeris provisionis remedio succurratur, scandalum non modicum inter parentes et universitatem dicti loci propter ipsarum abbatissae et monialium negligentiam et excessus formidantur verisimiliter exoriri, ac propterea nonnulli earumdem sororum parentes, consanguinei et amici ad obviandum scandalis et excessibus huiusmodi reprimendis, utque delinquendi occasio penitus amputetur, summopere exoptant, quod praefatum monasterium secundum statuta et constitutiones praedicti ordinis reformetur, quemadmodum duo alia eiusdem ordinis inibi et prope in Basileen. dioec. exsistentia monasteria reformata sunt, ipsiusque sorores sub regulari observantia vivere adstringantur, Nos, ad ipsius monasterii reformationem paternis et sollicitis studiis intendentes, discretioni vestrae, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos tres, duo aut unus vestrum ad praefatum monasterium personaliter accedentes et habentes prae oculis solum Deum, monasterium ipsum auctoritate apostolica visitetis et reformetis tam in capite quam in membris ac illius abbatissam et moniales praedictas sub regulari observantia, ut praefertur, vivere penitus compellatis necnon ea, quae ibidem correctionis et reformationis officio noveritis indigere, auctoritate praedicta corrigere et reformare curetis. Contradictores *etc.* Volumus autem, quod, postquam reformatio huiusmodi auctore Domino suum sortita fuerit effectum, ex nunc praefatum monasterium sub cura, regimine et gubernatione vicarii de observantia nuncupati et cuiuslibet alterius imposterum canonici successoris regi et gubernari debeat.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, kalendis aprilis, ... anno VI.

1570. Francisco Nicolai de Capua, O. F. M., habenti sororem pauperculam maritandam, carentem facultatibus, ex quibus dotari possit, concedit dispensationem, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum recipere valeat (2).

1452, aprilis 3, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae ... anno ... 1452, III nonas aprilis, ... anno VI.

1571. Didaco Muñoz de Belmonte, licentiato in decretis, clerico Conchen., in quadragesimo aetatis anno constituto et cum Maria Diez unica et virgine, quae trigesimum secundum et amplius suae aetatis annum transcenderat, coniugato, ex quo matrimonio quinque filii masculis et feminis computatis procreati erant, concedit licentiam ingrediendi militiam de Calatrava sub regula O. Cisterc. ibique emittendi professionem, dummodo prius praefata Maria habitum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia receperit et votum perpetuae castitatis emiserit (3).

1452, aprilis 4, Romae.

Sincerae devotionis affectus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, II (!) nonas aprilis, ... anno VI.

1572. Mandat, ut concedat licentiam fundandi domum O. F. M. in terra Luciorum, Bisignanen. dioec., et duas alias domos in provincia Calabriae (4).

1452, aprilis 5, Romae.

Venerabili fratri episcopo Bisignanen.

Pia Deo et ecclesiae desideria *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum terrae Luciorum, Bisignanen. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi, zelo devotionis accensi, pie considerantes, quod

(1) Reg. Vat. t. 420, f. 60 et inclusa in litteris *Regularem vitam professis* d. d. 1 iulii 1453, ibid. t. 426, f. 102 v.

(2) Reg. Lat. t. 477, f. 180 v.

(3) Reg. Vat. t. 398, f. 168.

(4) Reg. Vat. t. 420, f. 193 v.

nulla domus sive nullus conventus ordinis fratrum Minorum in eadem terra consistit, cupiunt in ipsa terra unam domum dicti ordinis de novo construere et aedificare. Quare pro parte [tam] universitatis et hominum praedictorum quam provincialis dicti ordinis in provincia Calabriae deputati Nobis fuit humiliter supplicatum, ut in capella B. Mariae Annuntiatae, extra muros dictae terrae, unam, ipsisque provinciali et fratribus duas in domibus aliis, locis ad id aptis et accommodis, in provincia Calabriae consistentibus, pia largitione concedendis, dicti ordinis domos cum campana, campanili, claustro, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis de novo fundandi, erigendi et construendi licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, universitati et hominibus in eadem capella unam, ac ministro et fratribus praedictis in locis huiusmodi duas alias domos pro usu et habitatione fratrum Minorum alterius super hoc licentia minime requisita de novo fundandi, erigendi, construendi et aedificandi plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra concedas, proviso, quod ecclesia dictae capellae ad profanos usus veluti haereditas minime redigatur. Nos enim guardianis et fratribus ..., ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*, iure tamen parochialium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, nonis aprilis, ... anno VI.

1573. Mandat, ut alicui catholico antistiti concedat licentiam reconciliandi vel consecrandi ecclesiam O. F. M. oppidi Glacen., Pragen. dioec. (1).

1452, aprilis 5 Romae.

Dilecto filio praeposito canonicorum regularium in Glacz, Pragen. dioec.

Iustis et honestis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Iacobi, guardiani, et fratrum domus S. Francisci, oppidi Glacen., ordinis fratrum Minorum, Pragen. dioec., necnon habitatorum et incolarum oppidi eiusdem petitio continebat, quod, cum olim ob enormia ac intolerabilia, quibus perfidi Bohemi, crucis Christi inimici, infideles partium illarum tunc saevientes, fidelibus ipsis intulerunt iacturas atque damna, habitatores et incolae praefati, timore magno percussi, domum praedictam in suburbio dicti oppidi tunc consistentem una cum illius refectorio aliisque locis, officinis, ne illa Bohemis ipsis illud pro tunc adire praesumentibus receptaculum esset, funditus destruxerunt una inibi in honorem ac sub vocabulo Corporis Christi fundata capella dumtaxat remanente, postmodum tamen habitatores et incolae praefati quamdam pro usu et habitatione guardiani et fratrum praedictorum in dicto oppido consistentem cum parva illi annexa ecclesia domum aedificari fundarique fecerunt, quamque necnon capellam praedictam auctoritate apostolica consecrari obtinuerunt, et, licet capella ipsa interim simili timoris incussione funditus quasi destructa et in nihilum redacta fuerit, iidem tamen habitatores et incolae illam ipsorum laboribus et expensis pro usu et habitatione guardiani et fratrum praedictorum decenter suis in structuris et aedificiis reparari fecerunt, et, sicut eadem petitio subiungebat, capella praedicta propter diversa excessus et scelera inibi perpetrata reconciliatione edulie (!) indigere noscatur, quare pro parte guardiani et fratrum necnon habitatorum et incolarum *etc.* Nos itaque, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... tibi, cum ecclesia Pragen. pastore careat, ... mandamus, quatenus ... catholico antistiti gratiam et communionem Apostolicae Sedis habenti capellam ipsam reconciliandi illamque, si opus fuerit, de novo consecrandi auctoritate praefata licentiam largiaris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, nonis aprilis, ... anno VI.

1574. Simoni de Verdeto, O. F. M., concedit litteras passus (2).

1452, aprilis 5, Romae.

Universis et singulis, ad quos praesentes Nostrae litterae pervenerint.

Cum dilectus filius Simon de Verdeto, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum professor et guardianus sacri conventus de Bethlehem ac procurator totius Terrae Sanctae, pro nonnullis negotiis ad diversas mundi partes habeat personaliter se conferre, Nos, cupientes eumdem Symonem cum tribus sociis suis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, nonis aprilis, ... anno VI.

1575. Concedit indulgentias visitantibus capellam S. Sigismundi in ecclesia domus S. Francisci, O. F. M., civitatis Ariminen. (3).

1452, aprilis 12, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Ante thronum divinae maiestatis *etc.* Cupientes igitur, ut capella, quam, ut accepimus, di-

(1) Reg. Vat. t. 424, f. 39. (2) Reg. Vat. t. 420, f. 137. (3) Reg. Vat. t. 398, f. 159.

lectus filius nobilis vir Sigismundus Pandulfus de Malatestis, pro Nobis et Romana ecclesia in civitate Nostra Ariminen. in temporalibus vicarius, ad honorem et sub vocabulo S. Sigismundi in ecclesia domus S. Francisci Ariminen., ordinis fratrum Minorum, pia devotione ductus, de novo construi et aedificari fecit, congruis honoribus frequentetur, ac tam praefati vicarii quam aliorum christifidelium devotio, quae ingens est, peramplius augeatur *etc.*, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festivitate dicti S. Sigismundi ac in singulis primis diebus dominicis cuiuslibet mensis anni capellam ipsam visitaverint annuatim, tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, pridie idus aprilis, ... anno VI.

1576. Mandat ut monasterium S. Catharinae de Cafagniolo, prope muros Florentin., O. S. Aug., translatis monialibus dictoque ordine ibidem suppresso erigat in monasterium O. S. Cl. (1).

1452, aprilis 13, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Florentin.

Tunc digne officium Nobis commissum *etc.* Nuper siquidem dilectae in Christo filiae Mariae de Albizis, tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati expresse professae, et quibusdam aliis matronis laicis unum primo, et deinde nonnullis aliis sororibus dicti tertii ordinis in civitate Florentin. commorantibus aliud in domo S. Ursulae monasteria, ordinis S. Clarae, de novo fundandi et erigendi per diversas Nostras litteras licentiam concessimus, prout in illis plenius continetur (2). Cum autem, sicut accepimus, in praefata civitate sit unum monasterium monialium S. Catharinae de Cafagniolo, ordinis S. Augustini, prope muros consistens, in quo nonnullae moniales vitam inhonestam ducentes commorantur, et duae ex eis hoc anno prolem parturierunt, quod, si pro usu et habitatione Mariae et aliarum matronarum seu sororum praefati ordinis S. Francisci sub regula S. Clarae per fel. rec. Urbanum IV, praedecessorem Nostrum, declarata et approbata vivere volentium deputaretur et eis assignaretur, ac dictae moniales S. Catharinae ad alium locum extra muros Florentin., membrum dicti monasterii, transferrentur, votis Mariae et matronarum ac sororum necnon statui et honori monialium ac monasterii huiusmodi indemnitatibus debita foret cum honestate provisum, necnon scandalis, quae propter dissolutam et lascivam vitam monialium praedictarum verosimiliter exoriri possent, obviaretur, divinusque cultus in praefato monasterio S. Catharinae continuum susciperet incrementum, nec opus esset alia monasteria dicti ordinis S. Clarae in eadem civitate, in qua plura sunt, de novo erigere. Nos igitur praemissis veris exsistentibus fraternitati tuae ... mandamus, quatenus omnes et singulas moniales in dicto monasterio S. Catharinae commorantes, etiam invitas, ad praefatum locum seu membrum dicti monasterii auctoritate Nostra transferas ac ordinem S. Augustini in eodem monasterio penitus supprimas et exstinguas ordinemque S. Clarae inibi instituas ac illas ex Maria, matronis et sororibus praedictis, quae praefatum ordinem S. Clarae profiteri voluerint, in illius moniales per te vel alium recipias ac eis habitum exhibeas necnon unam ex eis, quae per maiorem partem illarum fuerit electa, in abbatissam dicti monasteri praeficias ac munus benedictionis sibi impendas ac ordines, statuas et decernas, quod ipsum monasterium S. Catharinae per abbatissam et moniales dicti ordinis S. Clarae perpetuis futuris temporibus secundum regulam huiusmodi debeat gubernari aliaque disponas et exsequaris, quae secundum Deum pro felici regimine dicti monasterii necessaria noveris seu quomodolibet opportuna, super quibus omnibus et singulis tibi plenam et liberam tenore praesentium concedimus libertatem. Contradictores *etc.* invocato *etc.* Non obstantibus *etc.* Nos enim abbatissae et monialibus, ... ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Et insuper *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, idibus aprilis, ... anno VI.

1577. Universis fratribus congregationis domus B. Mariae de Valviride, Forlivien., III O. S. Fr. de poenitentia, concedit facultatem sibi eligendi confessorem, cum facultate absolvendi eos semel a reservatis et omnibus poenis (3).

1452, aprilis 13, Romae.

Exposcit vestrae devotionis sinceritas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, idibus aprilis, ... anno VI.

(1) Reg. Vat. t. 398, f. 156.
(2) Vide sup. n. 1514, p. 759 et n. 1546, p. 772.
(3) Reg. Lat. t. 480, f. 323 v. De domo B. Mariae de Valviride cf. sup. n. 1495, p. 751.

1578. Revocat litteras, quibus bona domorum O. F. M. mensae episcopali Ragusin. assignaverat (1).

1452, aprilis 15, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Intenta salutis operibus *etc.* Dudum siquidem pro parte venerabilis fratris Nostri Iacobi, archiepiscopi Ragusin., *etc.* [*Recapitulatur alia bulla supra n. 1502, p. 754.* Berardo, episcopo Spoletan., et Curzolen. et Dulcinen. episcopis *etc.*]. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte communitatis et civium dictae civitatis [Ragusin.] petitio continebat, bona, census et redditus huiusmodi per thesaurarios praedictos ac dilectos filios procuratores dictae domus S. Francisci a decem annis citra diligenter custodita et gubernata ac ex eis provenientes redditus in reparationem ecclesiae et dictae domus ac ornamentorum, librorum et aliorum ad usum fratrum eorumdem, commoditatem et utilitatem ac alias in pias causas exposita et conversa fuerunt, prout etiam pie, utiliter et opportune exponuntur et distribuuntur ad praesens, et ex illis nedum fratribus dictae domus, qui septuaginta vel circa numero exsistunt, verum etiam et aliis circumstantium monasteriorum et domorum tam eiusdem [quam aliorum] ordinum fratribus et religiosis pauperibus et egenis, qui ab infidelibus in illis partibus degentibus aliquod subsidium sive eleemosynam non percipiunt, subveniri eiusque vitae necessaria, quae aliunde quam ex dicta civitate vendicare nequeunt, ministrari oporteat, pro parte communitatis et civium praedictorum *etc.* Nos igitur ... donationem ... et litteras desuper confectas ... auctoritate apostolica ex certa scientia revocamus *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XVII kal. maii, ... anno VI.

1579. Rata habet ea, quae de haereditate Bertrandinae Gregorii Sedazarii, mulieris Ferrarien., et de fundatione monasterii B. Mariae Annuntiatae, civitatis Ferrarien., O. S. Cl., gesta sunt (2).

1452, aprilis 15, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae monasterii Corporis Christi et Visitationis beatae Mariae, Ferrarien., ordinis S. Clarae, ac Luciae Ioannis Mascharoni, mulieris in civitate Nostra Ferrarien. commorantis, petitio continebat, quod olim, postquam quondam Bertrandina Gregorii Sedazarii, mulier Ferrarien., quae de licentia tunc ordinarii dictum monasterium in contrata S. Salvatoris eiusdem civitatis sub vocabulo Corporis Christi et Visitationis beatae Mariae virginis, quando visitavit Elisabeth, construi et aedificari fecerat, de bonis sibi a Deo collatis condens in eius ultima voluntate testamentum, inter alia praefatam Luciam, tunc cum ea in dicto monasterio et loco habitantem, non tamen professam, ac ipsius Luciae haeredes et successores suos haeredes universales instituerat, dictaque Bertrandina, non tamen aliquem ordinem professa, praetendens se illius monasterii seu loci patronam, eidem Luciae in virtute obedientiae mandaverat, ut dictum locum et illius iura augeret, defenderet et manuteneret, ac ipsa Lucia illud facere medio iuramento promiserat, dictaque Bertrandina vita functa ac introductis primo in eodem loco nonnullis mulieribus nullius ordinis, Ferrariae commorantibus, ordinem S. Augustini profiteri intendentibus, ac inter eas, praesertim quamdam Ailifiam et dictam Luciam, quibusdam discordiis exortis et praefata Lucia a dicto monasterio seu loco expulsa ac tandem per sententiam nonnullorum iudicum saecularium restituta deindeque post restitutionem huiusmodi, postquam dicta Ailifia cum dictis mulieribus secum ingressis de dicto monasterio seu loco recesserat, introductisque nonnullis aliis sororibus ordinis S. Clarae, ex civitate Mantuana venientibus, saepedictaque Lucia ab ipso monasterio seu loco similiter recesserat, praefatae sorores, quae adeo numero augmentatae erant, ut inibi nonaginta novem vel circa sub regulari observantia laudabiliter Deo famulantes exsisterent, dictum monasterium legitimo titulo et canonice possidere ipsaque Lucia a iuramento et onere praedictis liberari summopere desiderarent, venerabilis frater Noster Franciscus, episcopus Ferrarien., ex certis tunc expressis causis praedictam Luciam a iuramento et onere praedictis absolverit, ac dictum monasterium seu locum, in quantum sub regula S. Augustini ordinatum et deputatum foret, ex tunc illud seu illum ad regulam S. Clarae ordinaverit et deputaverit; in quantum autem numquam sub regula S. Augustini huiusmodi canonice institutum fuisset, ex tunc dictam regulam S. Clarae de observantia in ipso monasterio deputaverit, ordinaverit et instituerit ac quaedam alia tunc expressa fecerit et ordinaverit, nonnullis inde renuntiationibus et permissionibus subsecutis, prout in instrumento publico superinde confecto dicitur plenius contineri, ac,

(1) Reg. Vat. t. 498, f. 230.

(2) Reg. Vat. t. 420, f. 229v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 75.

sicut eadem petitio subiungebat, abbatissa seu priorissa et sorores ac Lucia praedictae absolutionem, liberationem, concessionem, translationem, ordinationem, deputationem et institutionem praedictas necnon omnia et singula in dicto instrumento contenta ac quaecumque inde secuta pro eorum subsistentia firmiori et suarum conscientiarum maiori serenitate apostolico munimine roborari summopere desiderent, pro parte earumdem abbatissae seu priorissae et sororum ac Luciae Nobis fuit humiliter supplicatum, ut earum desiderio huiusmodi favorabiliter annuere et alias super iis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos, praedicti et quorumcumque aliorum desuper habitorum instrumentorum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, liberationem, absolutionem, translationem, institutionem, deputationem, ordinationem et, prout illas contingunt ac rationabiliter processerunt, contenta et inde secuta praedicta rata habentes et grata, ea omnia et singula auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium approbamus ac confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus si qui forsitan intervenerint in eisdem. Et nihilominus pro potiori cautelae suffragio dictum locum S. Salvatoris, dictum ordinem S. Augustini in illo penitus supprimentes, in monasterium sororum ordinis S. Clarae huiusmodi praefata auctoritate erigimus, instituimus et deputamus necnon statuimus et decernimus, quod illud per priorissam seu abbatissam per conventum huiusmodi eligendam, prout monasterium S. Clarae de Mantua, ordinis dictae sanctae, regitur et gubernatur, regi et gubernari debeat; quodque ipsum monasterium ac illius personae pro tempore exsistentes omnibus et singulis privilegiis ... uti possint pariter et gaudere; iure tamen *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XVII kal. maii, ... anno VI.

1580. Ad petitionem Simonis de Burgundia, guardiani domus Bethlehemitanae, et aliorum fratrum O. F. M. de observ. bona ad mensam ecclesiae Bethlehemitan. spectantia in villa de Carrion, Palentin. dioec., assignat reparationi et fabricae ecclesiae Bethlehemitanae (1).

1452, aprilis 18, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus pontifex, iustitiae praecipue conservator *etc.* Sane siquidem exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Simonis de Burgundia (2), Bethlehemitanae civitatis, Hierosolymitanae et de Monte Sion in Hierusalem domorum guardianorum et conventuum eorumdem ordinis fratrum Minorum de observantia petitio continebat, quod dudum pro parte dilecti filii Toribii Alphonsi, clerici Palentin. dioec., Nobis exposito, quod perpetuum beneficium in parochiali ecclesia B. Mariae de Bethlehem in villa de Carrion, dictae dioec., ac nonnulla decimae, primitiae, census, responsiones, pascua, domus, molendina, iurisdictiones, iura, redditus et bona, quae ad episcopalem mensam Bethlehemitan. olim spectasse dicebantur, in dicta villa et diversis aliis locis consistentia, et quae ad ipsum beneficium pertinent, ab aliquibus beneficium et a nonnullis bona B. Mariae de Bethlehem huiusmodi dicuntur, et quae quondam Petrus Martini de Bezeme, canonicus Palentin., se ordinaria auctoritate obtinere ac de illis sibi a fel. rec. Eugenio papa IV, praedecessore Nostro, auctoritate apostolica de novo provisum fuisse firmabat primo, et deinde pro parte dilecti filii Petri Gundisalvi, prioris prioratus de Tauro, sepulchri dominici ordinis S. Augustini, Zamoren. dioec., eiusdem praedecessoris cubicularii, eidem praedecessori etiam exposito, quod dictus Petrus Martini tacita veritate super beneficiis et bonis huiusmodi litteras a Sede Apostolica impetrasset, idem praedecessor per alias suas litteras causam, si quae in Romana curia vel extra eam super huiusmodi beneficio penderet indecisa, ad se advocans eamque penitus exstinguens, certis tunc expressis iudicibus dedit in mandatis, ut si ita fore reperirent, prout idem primo exposuerat, praefatas litteras eidem Petro Martini concessas infirmarent et annullarent ac bona ipsa ab eadem mensa, quoad dictus prior viveret, separarent illaque seu beneficium huiusmodi similiter ei conferrent et assignarent, reservata tamen episcopo Bethlehemitano pro tempore exsistenti, si quis esset, qui illam peteret, sex ducatorum annua pensione, quarum quidem ultimarum litterarum vigore idem prior pacificam bonorum seu beneficiorum eorumdem possessionem sciente et non contradicente praefato Petro Martini exstitit assecutus illaque ex tunc tenuerat et possederat, prout tunc tenebat et possidebat, per liberam resignationem dicti prioris de illis, quae tunc obtinebat, per dilectum filium Iohannem Roderici de Convenuto, in decretis licentiatum,

(1) Reg. Vat. t. 421, f. 95 v. *Bullarium peculiare Terrae Sanctae,* Romae 1727, p. 61.

(2) Cf. sup. n. 1574, ubi idem vocatur *Simon de Verdeto.*

clericum dictae dioec., procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus Nostris sponte factam et per Nos admissam apud Sedem ipsam vacavissent et vacarent tuncque nullus de illis praeter Nos ea vice disponere potuerit sive possit reservatione atque decreto Nostris obsistentibus, Nos tunc attendentes, quod, ut ipse Toribius asserebat, ecclesia Bethlehemitana esset ultra mare, et quod hactenus non fuerat visus eiusdem ecclesiae episcopus aliquis in illis partibus, qui praemissa peteret, ideo decimas et primitias, census, redditus et alia praedicta, ne legitimo carerent patrono, ab eadem mensa quoad vitam dicti Toribii segregavimus, et volentes eidem Toribio de illis gratiam facere specialem, beneficium seu decimas, primitias, census, responsiones, pascua, domos, molendina, iurisdictiones, iura, redditus et bona huiusmodi sine cura, quorum fructus, redditus et proventus quinquaginta librarum canonem priorem secundum communem aestimationem valorem annuum, ut ipse Toribius etiam asserit, non excedebant, sive praemisso sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona vacarent, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica eidem Toribio auctoritate per alias Nostras litteras contulimus ac de illis etiam providimus aliaque fecimus, prout in eisdem litteris plenius continetur. Quare pro parte guardianorum et conventuum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus separationem beneficii et bonorum praedictorum in ipsius mensae episcopalis Bethlehemitanae praeiudicium, ut praefertur, per Nos factam necnon litteras Nostras praedictas et omnia inde secuta revocare, cassare et annullare necnon beneficium et bona huiusmodi ad ius et proprietatem dictae mensae episcopalis Bethlehemitanae ac in et ad statum pristinum, in quibus ante separationem et provisionem huiusmodi quomodolibet erant, plenarie restituere ac beneficii et bonorum huiusmodi fructus in fabricam et utilitatem dictae ecclesiae Bethlehemitanae, quae totalem minatur ruinam, convertere ac statui ecclesiae Bethlehemitanae ac guardianorum et conventuum praedictorum in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, cupientes bona mensae episcopalis Bethlehemitanae in suis iuribus manuteneri nec aliqua ad illam spectantia ab ea separari debere ac necessitatibus ecclesiae Bethlemitanae praedictae providere, ex praemissis et certis aliis rationalibus causis ad id animum Nostrum moventibus beneficium ac bona praedicta, a mensa episcopali dictae ecclesiae Bethlehemitanae, sicut praemittitur, separata dictoque Toribio ad praesens assignata, ex certa scientia, auctoritate apostolica tenore praesentium reintegramus ipsamque mensam episcopalem quoad beneficium et bona huiusmodi in statum et possessionem pristinos, in quibus, antequam separatio praedicta fieret, quomodolibet erat, dicta auctoritate, tenore praesentium plenarie restituimus ac reponimus et volumus ac auctoritate apostolica praesentium tenore decernimus omnes et singulos fructus, redditus et proventus beneficii ac bonorum praedictorum in reparationem fabricae et utilitatem dictae ecclesiae Bethlehemitanae per guardianos pro tempore monasterii Montis Sion ac dictae domus sive ecclesiae Bethlehemitanae exsistentes convertendos fore et committi debere, omnes quoque et singulas causas et lites de et super beneficio et bonis praedictis inter Toribium et Petrum praefatos ac dilectum filium Iohannem de Poza, clericum dictae dioec., et quoscumque alios tam in dicta curia quam extra eam, etiam in prima, secunda et tertia instantiis, indecisas pendentes ex simili scientia ad Nos et Sedem praedictam advocamus, lites quoque huiusmodi harum serie penitus et omnino exstinguimus, necnon Toribio et Petro et Iohanni De Poza praedictis et aliis quibuscumque inde et super beneficio ac bonis praefatis et illorum occasione perpetuum silentium imponimus per praesentes necnon separationis beneficii et bonorum praedictorum a dicta mensa Bethlehemitana ac collationis et provisionis litteras et concessiones Toribio, Petro et Iohanni de Poza praedictis quavis auctoritate emanatas et factas ac quaecumque inde secuta, ne ullo umquam tempore appareant de mente Nostra processisse, ex simili scientia cassamus, revocamus et annullamus ac pro infectis haberi volumus illasque tam de supplicationum quam bullarum registris necnon aliis quibuscumque locis, ubicumque reperiantur, taliter cassari, annullari et cancellari mandamus, quodque ipsis in iudicio et extra nulla penitus fides adhibeatur. Et nihilominus, ut dicta ecclesia Bethlehemitana in suis aedificiis et in structuris secundum totum reparetur et conservetur, volumus et modernis Montis Sion monasterii et dictae domus sive ecclesiae Bethlehemitanae ac pro tempore exsistentibus guardianis districte praecipiendo mandamus, quatenus fructus, redditus et proventus beneficii et bonorum praedictorum perpetuis temporibus in reparationem, fabricam et utilitatem dictae ecclesiae Bethlehemitanae convertantur, praemissis ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno 1452, XIV kal. maii, ... anno VI.

1581. Archidiacono de Neyva in ecclesia Bracharen. mandat, ut Mariae Pereira, moniali monasterii S. Clarae de Villa de Conde, O. S. Cl., in sexagesimo aetatis anno constitutae, senio confectae ac infirmitatibus afflictae, pro qua nobilis vir Alphonsus, marchio Valentin., eius consanguineus citra tertium gradum, supplicaverat, concedat, ut matutinis et aliis horis canonicis in praefato monasterio decantari necnon capitulis inibi fieri consuetis interesse minime teneatur (1).

1452, aprilis 19, Romae.

Humilibus supplicum votis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XIII kal. maii, ... anno VI.

1582. Monasterium S. Clarae Nurembergen., Bambergen. dioec., O. S. Cl., subiicit vicario provinciae Argentin., O. F. M. de observ. (2).

1452, aprilis 27, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Super gregem dominicum Nostrae vigilantiae *etc.* Sane, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum burgimagistrorum, proconsulum et consulum oppidi Nurembergen., Bambergen. dioec., petitio continebat, quod, licet per eorum sollicitudinem, medium et procurationem monasterium monialium S. Clarae dicti oppidi illiusque abbatissa et moniales ad regularem observantiam reductae exsistant, nihilominus, si abbatissa, priorissa et moniales inibi etiam pro tempore exsistentes per alios, quam de observantia regi deberent, visitari atque corrigi, verisimiliter timendum foret, quod ad pristinam vitam, in qua ante reductionem huiusmodi erant, devenirent, periculum animarum suarum incurrerent, scandala quoque non modica consequi possent. Quare pro parte burgimagistrorum, proconsulum et consulum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus monasterium, abbatissam, priorissam et moniales huiusmodi nunc et pro tempore inibi exsistentes pro felici regimine monasterii eiusdem et manutentione observantiae regularis curae et regimini vicarii provinciae Argentin., ordinis fratrum Minorum, nunc et pro tempore exsistentis de observantia, ex eo praesertim, quia monasteria monialium dicti ordinis S. Clarae in provincia Argentin. exsistentia et reformata eidem vicario subiecta exsistunt, de ipsarum abbatissae et priorissae consensu plenarie committere et subiicere. Nos igitur, ... burgimagistrorum, proconsulum et consulum praedictorum in hac parte supplicationibus inclinati, monasterium, abbatissam, priorissam et moniales dicti monasterii nunc et pro tempore exsistentes vicario dictae provinciae Argentin. nunc et pro tempore exsistenti, sub regulari observantia viventi, ex certa scientia, auctoritate apostolica perpetuo plenarie committimus et subiicimus ac monasterium, abbatissam, priorissam et moniales huiusmodi nulli alteri quam praefato vicario subiecta esse volumus per praesentes necnon irrefragabili constitutione perpetuo duratura auctoritate apostolica praefata tenore praesentium statuimus, ordinamus, decernimus et declaramus, quod nullus alter quam vicarius Argentin., dicti ordinis fratrum Minorum pro tempore exsistens, curam, regimen, administrationem, visitationem et correctionem tam in capite quam in membris ac in spiritualibus super eas habere et exercere debeat, decernentes ex nunc irritum et inane, quidquid secus fieri vel contigerit attentari. Et nihilominus abbatissae, priorissae et monialibus huiusmodi, ut omnibus et singulis privilegiis quibus alia monasteria monialium ordinis S. Clarae de observantia et reformata in provincia Argentin. exsistentia gaudent, ... gaudere et uti possint, auctoritate praedicta tenore praesentium indulgemus; praeterea ... venerabili fratri Nostro episcopo Bambergen. et dilecto filio abbati monasterii S. Aegidii Nurembergen., Bambergen. dioec., per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ... litteras huiusmodi et omnia et singula inde secuta et in eis contenta, quoties super hoc pro parte abbatissae, priorissae et monialium praedictorum pro tempore fuerint requisiti, exsecutioni debitae demandetis ac faciatis auctoritate praedicta inviolabiliter observari nec permittatis abbatissam, priorissam et moniales dicti monasterii nunc et pro tempore exsistentes per quoscumque dicti ordinis fratrum Minorum ministros, vicarios provinciales aut quosvis alios contra tenorem litterarum earumdem quomodolibet molestari. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, V kal. maii, ... anno VI.

---

(1) Reg. Lat. t. 477, f. 209 v. De Maria Pereira cf. sup. n. 331, p. 154 et n. 382, p. 175.

(2) Reg. Vat. t. 398, f. 14 v. De monasterio S. Clarae cf. sup. n. 1263, p. 650.

1583. Exhortatur fratres O. F. M. de observ. in capitulo generali Aquilae congregatos, ne amoveant Balthasarum de Monte S. Mariae in Georgio ab officio guardianatus Montis Sion (1).

1452, aprilis 28, Romae.

Dilectis filiis capitulo fratrum beati Francisci de observantia nuncupatorum in civitate Aquilae celebrando.

Dilecti filii sal. Ex fide dignorum relatione intelleximus, quod dilectus filius Balthasar de Monte S. Mariae in Georgio, vestri ordinis professor, officium guardianatus sacri conventus Syon per sex annos vel circa laudabiliter rexit et gubernavit ac multa aedificia interim fieri et facta augmentari fecit tam in dicto Monte Syon quam in conventu de Bethlehem non sine magnis laboribus et sollicitudine, prout relatum est Nobis. Cum autem dilectus filius nobilis vir Philippus, dux Burgundiae, pro reparatione dictorum locorum multas pecunias expenderit et expendere sit paratus, dummodo utiliter expendantur, ac de industria et diligentia dicti Balthasaris in huiusmodi aedificiis perficiendis plurimum confidat et magis cupiat, ut hic, qui iam in talibus est expertus et plus novit, quomodo talia fieri debeant, et cum minori impensa, quam alius, qui de novo illuc mitteretur, Nos, videntes ipsum ducem bonis rationibus ad hoc moveri et desiderantes, ut aedificia incepta perficiantur, exhortamur in Domino devotionem vestram, ut Nostra et dicti ducis contemplatione ac pro utilitate et augmento dictorum locorum velitis non amovere ipsum Balthasarem ab officio guardianatus huiusmodi, sed potius confirmare et remittere eum ad loca praefata, ne, si forsan alius mitteretur, devotio ducis refrigesceret et cessaret a proposito suo.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die XXVIII mensis aprilis, ... anno VI.

1584. Fratribus domus de Dola et de Chariaco, O. F. M. de observ. (reformationis Coletanae), ad id voluntariis, concedit licentiam se subiiciendi vicario ultramontano fratrum O. F. M. de observ. (2).

1452, aprilis 29, Romae.

Dilectis filiis guardianis et fratribus de Dola et de Chariaco, domorum ordinis fratrum Minorum, Bisuntin. dioec.

Sacrae religionis, sub qua mundanis abdicatis illecebris *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet alias, postquam fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, quod universi professores ordinis fratrum Minorum de observantia sub uno eodemque regimine ac charitatis eiusdem observantiae unione Altissimo famularentur, motu proprio et ex certa scientia omnia domos, conventus et eremitoria et alia loca, quocumque nomine censerentur, in quibus aliqui ex professoribus praedictis certo tunc expresso tempore vixissent, quaecumque et qualiacumque essent, citra montes videlicet citramontano, ultra montes vero ultramontano vicariis ordinis et observantiae praedictorum perpetuo subessent, mandans districtius omnibus sub excommunicationis poena, quam secus facientes ipso facto incurrerent, quatenus citramontani citramontano, ultramontani vero professores ultramontano parerent et intenderent, per suas litteras statuerit et ordinaverit ac nonnulla alia tunc expressa fecerit, prout in dictis litteris plenius continetur (3), tamen nonnulli ex vobis ac dilectis filiis de Saleriis ac de Biffrato domorum vestri ordinis, Bisuntin. et Eduen. dioec., qui alias quasdam, per quas ex certis tunc Nobis pro parte vestra expositis causis nonnullis tunc expressis iudicibus dederimus in mandatis, ut se de tunc Nobis expositis huiusmodi diligenter informarent, et si per informationem ea vera fore reppererint, praedictas domos a vicario ultramontano et ab eo substituto et quibuscumque aliis superioribus fratrum de observantia huiusmodi eximerent et nonnulla alia tunc expressa facerent, a Nobis impetravere; et tam harum quam etiam aliarum sub data X kal. novembris, pont. Nostri anno II (4), ad supplicationem dilectorum filiorum nobilis viri Bernardi, comitis Armanhiaci ac universorum fratrum ordinis Minorum in domibus, eremitoriis et locis in Burgundiae, Aquitaniae ac diversis aliis partibus consistentibus sua observantia et aliis ipsius ordinis institutis regularibus iuxta reformationem et operationem quondam Coletae Boilet, sororis ordinis S. Clarae, pro illius monasteriorum per eamdem Coletam fundatorum illarumque sororum conservatione factam pro tempore degentium supplicatione concessarum, per quas inter cetera decrevimus, statuimus et ordinavimus, quod dicti fratres ac praedicta eorum necnon alia, si qua eiusdem ordinis de observantia per generalem ministrum et alios superiores ipsius ordinis in posterum ubilibet fundarentur et reformarentur, domus et eremitoria et loca necnon de ipsa observantia et obedientia fratres, qui in eis pro

(1) Wadd. *Ann.* ad a. 1452, n. 34 « ex registro ordinis f. 6 ».
(2) Reg. Vat. t. 421, f. 201. Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 86, ubi tamen legitur III kal. martii.
(3) Vide sup. n. 705, p. 332.
(4) Vide sup. u. 1246, p. 638.

tempore degerent, sub litteris Eugenii praedecessoris praedictis nullatenus comprehenderentur, sed generali ministro et aliis superioribus ordinis praedicti subessent et illis obedire tenerentur, vigore praedicto vicario ultramontano vos subiicere et illi obedire iuxta dictarum Eugenii praedecessoris litterarum continentiam atque formam desideratis, sed obstantibus praedictis et aliis Nostris litteris, per quas sub data V nonas iulii, pont. Nostri anno V (1), inter alia ex certa Nostra scientia statuimus, decrevimus et etiam ordinavimus, quod praedictae et omnes aliae domus per eamdem Coletam reformatae, ut praefertur, cum omnibus et singulis dictarum domorum statutis, consuetudinibus, usibus et stylis in supradictorum praelatorum obedientia consueta libere remanere tenerentur, aliis sub praefati vicarii obedientia vivere volentibus ab eisdem domibus recedendi licentia non negata; districtius inhibentes eisdem vicario et sub eius obedientia vivere volentibus fratribus in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis poena, quam quilibet ex contra facientibus incurreret eo ipso, ne fratres domorum huiusmodi aut ipsorum aliquem seu domos praedictas sub eorum obedientia vendicare aut transferre praesumerent, ac decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan erat vel in posterum contingeret attentari, id absque speciali Nostra licentia et ministri opere efficere posse dubitatis. Nos igitur, vestro pio laudabili desiderio huiusmodi favorabiliter annuentes, omnium ac singularum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, tenore praesentium indulgemus vobis ac omnibus aliis quarumcumque aliarum domorum eiusdem provinciae guardianis et fratribus, vobis adhaerere volentibus ac vestrum et ipsorum cuilibet, quod vos et ipsos ac vestras et illorum domus, conventus seu loca vicario ultramontano praedicto perpetuo se subiicere et illi obedire possitis et possint libere ac licite, ita tamen, quod semper salva observantia regulari generali ministro pro tempore exsistenti et aliis superioribus dicti ordinis in omnibus et per omnia, prout alii fratres de observantia huiusmodi tenentur, obedire teneamini et teneantur, mandantes sub excommunicationis poena, quam eo ipso contrafacientes incurrant, et a qua quis, praeterquam in mortis articulo constitutus, nonnisi a Nobis vel Sede praedicta aut vicario ultramontano seu ad id per eum deputato, quibus desuper harum serie plenam concedimus facultatem, absolutionis beneficium valeat obtinere, vobis et cuilibet vestrum ac omnibus aliis dictae provinciae sub obedientia huiusmodi vivere volentibus, ut postquam vos et ipsi vos et eos huiusmodi subieceritis et subiecerint, ab ipsa obedientia nullatenus recedant, sed eidem vicario perpetuis futuris temporibus debitam obedientiam praestantes eius salubria monita et mandata humiliter et efficaciter adimplere curetis et curent. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, III kal. martii, ... anno VI.

1585. Ministris singulisque fratribus et sororibus ac novitiis III O. S. Fr., provinciae Turonen., in praesentiarum exsistentibus concedit in mortis articulo plenam remissionem (2).

1452, maii 2, Romae.

Sacrae devotionis, sub qua *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno ... 1452, VI nonas maii, ... anno VI.

1586. Episcopo Signien. mandat, ut Iohannem de Ragusio, O. F. M., qui genitricem habet senem et extrema paupertate depressam, et pro quo nobilis vir Stephanus de Frangipanibus, comes Signien., asserens eum suum capellanum esse, supplicavit, monasterio S. Crucis de Valle, O. S. Ben., dioec. Signien., praeficiat in abbatem eique munus benedictionis impendat (3).

1452, maii 4, Romae.

Sollicitae considerationis indagine *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam maiorem, anno ... 1452, IV nonas maii, ... anno VI.

1587. Archiepiscopo Neapolitan. et abbati monasterii de Roda, Caesaraugustan. dioec., ac officiali Valentin. mandat, ut Antonio Olzina, O. F. M., cui dudum concessus erat transitus ad ordinem S. Augustini, conferat locum et canonicalem portionem ac dignitatem, personatum, perpetuam administrationem vel officium alterius Caesaraugustan. et Dertusen. ecclesiarum, ordinis S. Augustini, cum illa vacare contigerit, quorum collationem sibi reservaverat per alias litteras eiusdem diei et anni *Ad futuram rei memoriam. Licet beneficiorum ecclesiasticorum* etc. (4).

1452, maii 4, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, IV nonas maii, ... anno VI.

(1) Vide sup. n. 1491, p. 748.
(2) Reg. Lat. t. 467, f. 302 v.
(3) Reg. Lat. t. 480, f. 119 v.
(4) Reg. Vat. t. 398, f. 265. Cf. sup. n. 1221, p. 623.

1588. Mandat, ut confirment fundationem domus S. Michaelis de S. Martino de Trebejo, O. F. M. de observ. (1).

1452, iunii 3, Romae.

Dilectis filiis Iohanni de Medina, canonico Salamanticen., et officiali Civitaten.

Ut ea, quae pro divini cultus augmento *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum vicarii et fratrum domus sive eremitorii S. Michaelis de S. Martino de Trebejo, ordinis fratrum Minorum beati Francisci de observantia nuncupatorum, petitio continebat, quod ipsi, qui sub obedientia ministri provincialis in provincia Compostellana et custodia Salamantin. constituti sunt, auctoritate et licentia ordinarii loci ad id accedentibus praefatam domum seu eremitorium ipsum ad gloriam et honorem Altissimi ac pacem, quietem et consolationem christifidelium de novo fundarunt et aedificarunt ac inibi deserviunt laudabiliter in divinis; verum, quia in fundatione et aedificatione huiusmodi Sedis Apostolicae auctoritas non intervenit, ipsi vicarius et fratres dubitant super domo seu eremitorio huiusmodi molestari et inquietari posse tempore procedente. Quare pro parte dictorum vicarii et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut fundationi et aedificationi praemissis pro illarum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere ac eis, quod sub obedientia generalis et provincialis ministri dicti ordinis perpetuo vivere debeant, concedere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus, si et postquam vobis vel alteri vestrum de fundatione et aedificatione praedictis legitime constiterit, illas cum omnibus et singulis suis terminis, silvis, hortis et terris eis datis et concessis auctoritate Nostra approbetis et confirmetis; et nihilominus, si approbationem et confirmationem huiusmodi per vos vel alterum vestrum vigore praesentium fieri contigerit, vicario et fratribus praesentibus et pro tempore in domo sive eremitorio huiusmodi degentibus, quod sub obedientia generalis et provincialis ministri dicti ordinis perpetuo vivere et manere, necnon omnia emolumenta et redditus ex agris, terris ac praediis eis datis atque concessis provenientia in reparationem et manutentionem domus sive eremitorii ac alias necessitates eiusdem convertere libere et licite valeant, eadem auctoritate concedatis, districtius inhibentes omnibus aliis praelatis dicti ordinis, cuiuscumque dignitatis, gradus, praeeminentiae fuerint, ne ipsos vicarios et fratres domus seu eremitorii huiusmodi praesentes et futuros molestare, perturbare aut impedire quoquomodo praesumant. Nos enim eisdem vicario et fratribus in ipso eremitorio seu eadem domo nunc et pro tempore commorantibus, quod omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant pariter et gaudere, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus *etc.* iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, III nonas iunii, ... anno VI.

1589. Mandat, ut approbet compositionem inter domum S. Francisci, Saonen., O. F. M., et Benedictum Belengerii, laicum Saonen., de vicis commutandis prope dictam domum (2).

1452, iunii 10, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Quintini de Spigno, Saonen. dioec.

Exposcit iniunctum Nobis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guillelmi de Castronovo, guardiani et fratrum domus S. Francisci Saonen., ordinis fratrum Minorum, et Benedicti Belengerii, laici in civitate Saonen. commorantis, petitio continebat, quod olim ipse guardianus et fratres, considerantes, quod unus vicus contiguus eidem domui, quo tendebatur ad locum, in quo publicae mulieres morantur, erat eisdem fratribus permaxime infestus, cum dilectis filiis civibus dictae civitatis, quod vicus huiusmodi clauderetur et eis appropriaretur, necnon in quodam eorum horto alium vicum publicum versus muros dictae civitatis dare et assignare possent ac deberent, quodque fratres ipsi non habebant, unde hortum praedictum versus dandum et assignandum vicum huiusmodi bono muro, qui magnam requirebat expensam, cingere possent, post maturam deliberationem inter se capitulariter habitam de dilecti filii Gerardi de Valentia, provincialis provinciae Lombardiae iuxta morem dicti ordinis, auctoritate et consensu cum praedicto Benedicto composuerunt, quod ipse Benedictus suis propriis sumptibus et expensis vestrum vicum in dicto horto accipiendo vicum seu viam ipsam in Carubeo putei terreni prope murum, claudentem coemeterium praefatae domus et in domuncula exsistente in praefato horto ipsi Carubeo contigua tendendo ad locum, in quo praedictae mulieres inhabitant et hoc mediante muro, qui esse deberet super terram altitudinis palmorum tredecim, ex lapidibus et calce confecto ac sub certis aliis pactis conven-

(1) Reg. Vat. t. 421, f. 161; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 76 « ex originali ».

(2) Reg. Lat. t. 477, f. 265 v.

tionibus et pro pretio, impensa ac fabricatura praemissorum praefatam domunculam ac partem horti seu terrae huiusmodi, quae fabricato muro restaret, cum primum dicto vico exclusive et de hac versus muros civitatis in locum mulierum huiusmodi ** cum approbatione dilectorum filiorum Iuliani Corsi et Galeoti Scalce, civium praedictae civitatis, ad hoc per dilectos filios commune dictae civitatis deputatorum, perpetuo dederunt et assignarunt, prout in instrumento publico manu dilecti filii Bartolomaei Tarditi de Rubeis, civis Saonen., imperiali auctoritate notarii, superinde confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, guardianus, fratres et Benedictus praedicti donationem et compositionem praefatas ... apostolico munimine roborari desiderent, pro parte eorumdem ... Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et ... donationem et compositionem ... approbes et confirmes suppleasque omnes defectus *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, IV idus iunii, ... anno VI.

1590. Abbati monasterii S. Petri de Pago, Iadren. dioec., mandat, ut se de Hieronymo quondam Iohannis de Albena, O. F. M., pro quo Martinus et Sigismundus de Frangapanibus, comites Signiae, supplicaverant, informet eumque monasterio S. Mariae de Bozana, O. S. Ben., Corbavien. dioec., praeficiat in abbatem (1).

1452, iunii 14, Romae.

Sollicitae considerationis indagine *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XVIII kal. iulii, ... anno VI.

1591. Marco de Bononia, vicario generali O. F. M. de observ. cismontano, concedit facultatem puniendi fratres vagantes (2).

1452, iunii 15, Romae.

Dilecto filio Marco de Bononia, ordinis Minorum de observantia vicario generali partium cismontanarum.

Dilecte fili sal. Quia, ut accepimus, nonnulli fratres tui ordinis, correctiones suorum praelatorum fugientes, absque licentia hinc inde vagantur in religionis opprobrium et perniciosum ac detestabile exemplum plurimorum, volentes iuxta Nostrum pastorale officium providere, ut debite puniantur, ita ut ceteri, huiusmodi exemplo admoniti, a similibus excessibus abstineant, tibi, qui in capitulo Aquilae celebrato in festo pentecostes proxime praeterito vicarius generalis fratrum de observantia partium cismontanarum esse diceris institutus, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, ut omnes et singulos fratres huiusmodi aberrantes iuxta delictorum exigentiam et constitutiones ordinis corrigere et castigare valeas, non obstantibus quibuscumque litteris et gratiis ipsis fratribus sub quacumque verborum forma concessis, quas harum serie revocamus nec ullum earum virtute volumus eis suffragium generari, quin debitam subterfugiant punitionem, mandantes insuper eisdem fratribus in virtute obedientiae, ut gratiis et exemptionibus praedictis, quae a laudabili et approbata consuetudine ordinis praedicti deviarent, nullo modo utantur, sed omnia cum tuo scitu et voluntate, sicut adstricti sunt, peragant.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die XV mensis iunii 1452, ... anno VI.

1592. Iohanni Pelegrin, O. F. M., pro quo etiam nobilis mulier Maria, ducissa Aurelianen., cuius confessor erat, supplicaverat, concedit dispensationem, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum recipere valeat (3).

1452, iunii 15, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XVII kal. iulii, ... anno VI.

1593. Vicario episcopi Augusten. in spiritualibus generali mandat, ut Annam Bergerin, quae in quartodecimo aetatis suae anno cum quodam laico matrimonium contraxerat et, antequam illud consummaret, a parentibus et consanguineis, quibus hoc matrimonium displicebat, ad ingrediendum monasterium in Kirchen, O. Cistercien., Augusten. dioec., inducta, professionem emiserat, postmodum vero, conspiciens moniales dicti monasterii in litteratura et in cantu instructas esse et communiter latinum intelligere, se vero esse adeo imbecillis ingenii, ut numquam ita sufficienter discere potuerit, ut cum aliis monialibus legere vel cantare valeret, et propterea laboribus gravabatur et ob eam causam gravem displicentiam contra abbatissam praedicti monasterii conceperat et tandem toto habitu monastico deposito scapulari solo retento per anni spatium et ultra in saeculo commorata erat, absolvat a censuris eique concedat facultatem transeundi ad aliquam domum tertii ordinis B. Francisci (4).

1452, iunii 16, Romae.

Apostolicae Sedis indefessa clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XVI kal. iulii, ... anno VI.

---

(1) Reg. Vat. t. 420, f. 94 v.
(2) Wadd. *Ann.* ad a. 1452, n. 36 «ex autographo».
(1) Reg. Lat. t. 477, f. 267.
(2) Reg. Vat. t. 399, f. 57.

1594. Fratribus O. F. M. de observ., provinciae S. Antonii, concedit licentiam fundandi domum in honorem S. Bernardini Senen. in civitate Tridentina (1).

1452, iunii 17, Romae.

Dilectis filiis vicario ac universis fratribus ordinis Minorum de observantia, provinciae S. Antonii secundum morem dicti ordinis.

Sacrae religionis observantia *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilecti filii magister seu minister ac confratres domus Dei fraternitatis disciplinae et consortii batutorum nuncupatae, laici Tridentin., ob singularem, quem ad ordinem vestrum et illius fratres professores sub eius regulari observantia degentes propter divini verbi praedicationem et doctrinam ac exemplarem vitam eorumdem gerunt, devotionis affectum, quamdam petiam terrae prativam et vineatam duorum praediorum vel circa, extra portam S. Crucis, civitatis Tridentinae consistentem et ad dictum ministrum et confratres tunc legitime pertinentem, pro fundatione et constructione unius domus cum ecclesia et necessariis officinis ad laudem omnipotentis Dei et in honorem ac sub vocabulo gloriosissimi confessoris S. Bernardini pro usu et habitatione perpetuis aliquorum fratrum dicti ordinis vobis perpetuo donarunt, tradiderunt et concesserunt, prout in quodam instrumento desuper confecto plenius continetur. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationi, traditioni et concessioni praefatis ac omnibus et singulis in dicto instrumento contentis et inde secutis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere et alias super iis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... donationem, traditionem et concessionem praedictas ac in instrumento contenta et inde secuta huiusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium confirmantes et approbantes supplentesque omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, vobis, ut in dicta petia terrae seu apud illam domum cum ecclesia, campanili, campanis, coemeterio, claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione perpetuis aliquorum fratrum huiusmodi inibi sub dicta observantia viventium erigendi, construendi et aedificandi vobisque ac eisdem fratribus ipsam domum recipiendi ac perpetuo retinendi et inhabitandi dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia super hoc minime requisita, iure tamen parochialium ecclesiarum ... salvo plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur. Et nihilominus universis et singulis dicti ordinis fratribus in eadem domo sub observantia huiusmodi pro tempore degentibus, ut omnibus et singulis privilegiis ... gaudere possint, eadem auctoritate indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XV kal. iulii, ... anno VI.

1595. Fratribus O. F. M. de observ., provinciae S. Antonii, concedit licentiam fundandi domum prope civitatem Feltren. pro habitatione fratrum O. F. M. de observ. (2).

1452, iunii 17, Romae.

Dilectis filiis vicario et universis fratribus ordinis fratrum minorum de observantia, provinciae S. Antonii secundum morem dicti ordinis.

Pia vota fidelium *etc.* Sane, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, dilecti filii communitas et cives civitatis Feltren. ob singularem, quem ad ordinem fratrum Minorum eiusque professores sub illius regulari observantia degentes propter divini verbi praedicationem et doctrinam ac exemplarem vitam eorumdem gerunt, devotionis affectum unam domum cum ecclesia et aliis officinis in civitate praedicta pro usu et habitatione aliquorum fratrum dicti ordinis sub eadem observantia viventium erigi et fundari summopere desiderant, pro eorum desiderio huiusmodi adimplendo ecclesiam sine cura S. Spiritus extra et prope dictam civitatem ultra burgum a tegetibus consistentem, alias eis canonice concessam, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dilecto filio Petro Mauraceno, ordinis fratrum Minorum professori, sibi et nonnullis aliis sociis suis, eorumdem ordinis et observantiae professoribus, pro domo huiusmodi fundanda et construenda concesserunt et assignaverunt, prout in quodam instrumento publico desuper confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte vestra ac communitatis et civium praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessioni et assignationi praedictis ac omnibus et singulis in dicto instrumento contentis et inde secutis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere et alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque *etc.* (*ut n. praec.*).

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XV kal. iulii, ... anno VI.

---

(1) Reg. Vat. t. 421, f. 177 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 77.

(2) Reg. Vat. t. 421, f. 177 v.

1596. Martino Malagonen. et Iohanni Marronen., episcopis mandat, ut Leonorem de Guzman, filiam Iohannis Calderon, civis Hispalen., cum esset aetatis trium annorum, a patre suo in monasterio S. Clarae Hispalen., O. S. Cl., positam, postea in legitima aetate minis et verberibus ac ipsorum parentum et amicorum metu ad emittendam professionem coactam, quae etiam in actu professionis reclamando expresse protestata fuit, declarent ordini praedicto minime esse adstrictam (1).

1452, iunii 19, Romae.

Iustis petentium desideriis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XIII kal. iulii, ... anno VI.

1597. Plura statuit pro reformatione monasterii monialium S. Clarae Valentin., O. S. Franc. (2).

1452, iunii 20, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii SS. Crucium, Terraconen. dioec.

Apostolicae sollicitudinis studium *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Nostrae Mariae, reginae Aragonum illustris, petitio continebat, quod, licet dudum monasterium S. Clarae Valentin., ordinis S. Francisci, fidelium suffragiis et eleemosynis fundatum exstiterit, ac in eo etiam ad eiusdem reginae instantiam nonnullae moniales eiusdem ordinis, quae ibidem Altissimo devotum praestarent obsequium, laudabiliter positae fuerunt, dictum tamen monasterium et nonnullae in eo degentes moniales praetextu praesertim quarumdam apostolicarum concessionum sive licentiarum ab eisdem monialibus extortarum, quod sine licentia priorissae eiusdem monasterii possint aliquas consanguineas aut affines etiam personas in primo gradu coniunctas causa moniales infirmas visitandi aut aliis quaesitis coloribus in eodem monasterio introducere aut de ipso etiam pro recuperanda sanitate seu parentibus senio confractis etiam serviendi aut alia quavis occasione seu causa quomodolibet exire, necnon etiam ob incuriam ministri dicti ordinis, ad quem visitatio et reformatio monasterii et monialium praedictarum ex antiqua et approbata consuetudine vel speciali privilegio aut dicti ordinis statutis spectare dignoscitur, monasterium et moniales huiusmodi, prae maxime quamdam Violantem Scorna, ipsius monasterii monialem, vitam nimium dissolutam ducentem, visitare, reformare et corrigere negligentis, deformationis ac diffamationis opprobrio multipliciter submissa exstiterunt in religionis vilipendium, fidelium animarum, quarum eleemosynis monasterium ipsum fundatum exstitit, praedictarum defraudationem et exemplum detestabile plurimorum. Et, sicut eadem petitio subiungebat, si dictae licentiae seu concessiones revocarentur, et moniales ipsae ad pristinam priorissae obedientiam reducerentur, ac praefato ministro socius circa officium et morum earumdem monialium correctionem sibi incumbens exercendum daretur, ac dicta Violans, quae unam cameram in eodem monasterio in loco valde suspecto aedificari fecit, ad aliud monasterium eiusdem vel alterius ordinis transferretur, diffamationibus et oblocutionibus ac pernicioso exemplo huiusmodi obviaretur, debitumque divinum in eodem monasterio servitium Altissimo impenderetur. Quare pro parte eiusdem reginae *etc.* Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... omnes et singulas praedictas concessionum licentias etiam recuperandae sanitatis vel visitationis parentum infirmorum, senium etiam decrepitorum et unicam monialem filiam habentium et praefatas aut quasvis alias personas etiam sub praetextu recipiendi eleemosynas ab eis vel aliis quibusvis etiam magis piis intuitibus seu respectibus ipsis monialibus tam de exeundo dictum monasterium quam de intromittendis personis in eo sine licentia dictae priorissae per Nos vel praedecessores Nostros Romanos pontifices concessas et factas ac forsitan concedendas et faciendas eadem auctoritate casses, revoces et annulles, prout in eventum, quo tales reperiantur, cassamus, revocamus et annullamus ac pro cassis, revocatis, nullis ac infectis habemus et reputamus, easdemque moniales ad pristinam dictae priorissae obedientiam, in qua ante huiusmodi concessionum licentias erant, reducas et reponas, prout reducimus et reponimus, easque ad obediendum sibi tam in praemissis quam aliis iuxta tamen ipsius monasterii et ordinis instituta et ordinationes ac regulas approbatas eadem auctoritate compellas. Et deinde praefato ministro, ut, quotiens officium visitationis in dicto monasterio ingruerit vel pro parte dictae priorissae desuper requisitus fuerit, ad visitationem et correctionem morum huiusmodi tam in capite quam in membris faciendam una cum societate unius probi ecclesiastici viri, sibi per te eidem reginae grati assignandi, in cuius assignatione, quotiens assignandus praedictus ipsi reginae gratus non fuerit, variare debeas,

(1) Reg. Lat. t. 478, f. 255 v.

(2) Reg. Vat. t. 421, f. 179.

super quo tenore praesentium auctoritate praedicta plenariam tibi concedimus facultatem, descendat et omnia et singula, quae iidem minister et deputandus praedictus inibi reformationis vel correctionis ministerio indigere reppererint, prout sibi iuxta canonicas sanctiones necnon laudabilia monasterii et ordinis praedictorum consuetudines et regularia instituta expedire videbitur, minister sua, socius vero praedictus apostolica auctoritatibus reformare, corrigere et emendare procurent. Nos enim, ut ex huiusmodi visitatione et reformatione eorumdem ministri et deputandi sollicitudine et ope divinus cultus et regularis observantia in dicto monasterio propagentur, eidem deputando una cum dicto ministro monasterium, moniales et personas praedicta, ut praefertur, auctoritate Nostra visitandi, reformandi et corrigendi ipsasque moniales et personas iuxta suorum criminum et excessuum per eas quomodolibet perpetratorum qualitatem et exigentiam necnon praemissa sanctiones et instituta puniendi, et si illarum demerita id poposcerint, eas de dicto monasterio amovendi ac ad alia eiusdem ordinis monasteria transferendi, contradictores ... compescendi plenam et liberam auctoritate praefata concedimus tenore praesentium facultatem. Et ne praedicta Violans, cuius occasione, ut asseritur, nonnulla pericula, scandala, infamiae et iurgia in ipso monasterio secuta fuere, aliarum eiusdem monasterii monialium honeste vivere volentium vitam suo pernicioso exemplo maculare possit et ipsa sui criminis poenas luat, ne facilitas veniae aliis incentivum tribuat delinquendi, eamdem Violantem post informationem praedictam a praefato monasterio et per eam constructa seu aedificata camera amoveas realiter et expellas ipsamque ad aliquod aliud eiusdem vel arctioris ordinis monasterium, ubi iuxta suorum qualitatem et exigentiam demeritorum necnon sanctiones et instituta religionis, ordinis et monasterii praedictorum corripi valeat, eadem auctoritate Nostra transferas eamque inibi recipi et post debitam suorum excessuum correctionem sincera in Domino charitate tractari facias cameramque praedictam cum eius moenibus, si qua sunt, ad infirmariae ipsius monasterii vel alium pium usum, prout cum priorissa ipsius monasterii cognoveris in Domino salubriter expedire, simili etiam auctoritate deputes, assignes et perpetuo deservire debere statuas: contradictores *etc.* invocato *etc.* Non obstantibus *etc.*.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XII kal. iulii. ... anno VI.

1598. Mandat, ut sororibus III O. S. Fr. in civitate Pistorien. commorantibus concedat licentiam se subiiciendi ministrae domus S. Georgii Florentin., eiusdem ordinis [1].

1452, iunii 20, Romae.

Venerabili fratri episcopo Pistorien.

Devotarum Nobis et Apostolicae Sedi *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum communis et civium civitatis Pistorien. Nobis exposito, quod olim nonnullae tunc expressae moniales, sorores tertii ordinis S. Francisci de paenitentia nuncupatae, in dicta civitate separatim commorantes, ob frugem melioris vitae in aliqua domo civitatis eiusdem ad hoc congrua et honesta in congregatione sub obedientia iuxta instituta dicti ordinis vivere desiderabant, Nos tunc tibi aliis Nostris litteris dedimus in mandatis, quatenus te de praemissis informare et, si ita esse reperires, eisdem sororibus aliquam domum pro earum usu et habitatione perpetuis recipiendi ... licentiam largiaris *etc.* Postmodum vero, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Antoniae, ministrae, et nonnullarum aliarum sororum dicti ordinis in quadam domo in praedicta civitate consistente commorantium petitio continebat, tu ... licentiam huiusmodi dictis sororibus elargitus exstitisti ... Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, Antonia et aliae sorores praedictae, quae praefatam domum ad hoc congruam et honestam ... fuerunt consecutae et in illa iuxta ipsius ordinis instituta hactenus laudabiliter vixerunt ..., ut perfectius Altissimo in huiusmodi pia et laudabili vita deservire valeant, se dilectae in Christo filiae ministrae domus S. Georgii Florentin. sororum dicti ordinis in omnibus et per omnia iuxta modum et formam, quibus dilectae in Christo filiae Arretin. et de Prato, Pistorien. dioec., domorum [sorores] eiusdem ordinis subiectae exsistunt, auctoritate apostolica perpetuo subiici summopere desiderent, pro parte earumdem Antoniae et aliarum sororum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... Antoniae et aliis sororibus praefatis, quae se earumque domum praedictam ac illius sorores praesentes et futuras curae et regimini ministrae pro tempore exsistenti domus S. Georgii praedictae subiicere ac, quod ipsae Antonia et sorores praesentes et futurae ac illarum domus praedicta omnibus ... exemptionibus, privilegiis uti et gaudere ... valeant, concedere auctoritate Nostra procures. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XII kal. iulii, ... anno VI.

---

[1] Reg. Lat. t. 481, f. 33.

1599. Iohannem de Salinisaureis, O. F. M., instituit inquisitorem haereticae pravitatis in insula Sardiniae (1).

1452, iunii 27, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Salinisaureis, ordinis fratrum Minorum professori, in tota insula Sardiniae vicario generali secundum morem dicti ordinis, inquisitori haereticae pravitatis per Sedem Apostolicam deputato.

Ad exstirpandum ubilibet pestem haereticae pravitatis *etc.* Affectantes igitur ad huiusmodi negotium fidei in insula Sardiniae, ad quam et illius incolas affectum gerimus singularem, talem deputare personam, cuius honesta conversatio exempla tribuat puritatis et ex eius ore ad laudem divini nominis doctrina diffundatur, quae salutares fructus pariat et ipsius ministerio omne fermentum expurgetur, ad personam tuam, quam religionis et fidei sinceritate et maturitate morum, litterarum scientia et multarum aliarum virtutum donis insignitam esse percepimus, aciem Nostrae mentis dirigentes, te, quem ex fideli relatione notabilium personarum Nobis facta ad huiusmodi officium sufficientem et idoneum reputamus, inquisitorem haereticae pravitatis in tota insula Sardiniae auctoritate apostolica usque ad Nostrum beneplacitum facimus, constituimus ac etiam deputamus. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, tibi etiam tenore praesentium iniungentes, ut reiectis quibusvis privatis respectibus solum Dei honorem et fidei augmentum prae oculis habens, spiritum fortitudinis induens, praedictum inquisitionis officium in praefata insula, prout tanti negotii utilitas suadebit, sub spe mercedis aeternae efficaciter prosequi et exsequi studeas diligenter, ut per sollicitudinis tuae prudentiam radix pravitatis praedictae penitus evellatur, et evulsis ac eradicatis huiusmodi sentibus ac vepribus et venenosis contagionibus catholicae fidei fructus uberes afferas, processurus tam secundum indulgentias et privilegia inquisitoribus pravitatis eiusdem praefata auctoritate apostolica deputatis seu officio huiusmodi inquisitionis ab eadem Sede concessa, quam etiam secundum canonicas sanctiones. Per huiusmodi autem deputationem de tua persona in inquisitionis officio praedicto per Nos factam locorum ordinariis, quominus ipsi inquisitionis officium super labe praedicta, prout volunt dictae canonicae sanctiones, exercere valeant et praedictis vel quibuscumque aliis privilegiis tui ordinis vel inquisitoribus in officio memoratis, si quae sunt eis a dicta Sede concessa, nullum volumus praeiudicium generari.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, V kal. iulii, ... anno VI.

1600. Concedit facultatem fundandi domum prope ecclesiam S. Mariae Rosae extra terram Pirani, Iustinopolitan. dioec., pro usu fratrum O. F. M. de observ. (1).

1452, iunii 30 (?), Romae.

Dilectis filiis universitati et incolis terrae Pirani, Iustinopolitan. dioec.

Pia devotorum Deo et ecclesiae *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod, licet olim dilectus filius Iohannes de Capistrano, O. F. M. regularis observantiae professor, sufficienti desuper, ut asserebat, a Sede Apostolica licentia seu facultate suffultus, vobis, ex singulari devotione, quam ad dictum ordinem geritis, in vestra terra Pirani, Iustinopolitan. dioec., seu prope illam aliquam domum cum ecclesia, campanili ... pro usu et habitatione nonnullorum fratrum ordinis et observantiae praedictorum habere desiderantibus, quod domum ipsam extra dictam terram prope ecclesiam S. Mariae Rosae fundare et construere possetis, concesserit, ac vos concessionis huiusmodi obtentu praefatam domum de bonis a Deo vobis collatis prope praefatam ecclesiam sub vocabulo S. Bernardini fundare et construere coeperitis, illaque pro maiore parte constructa sit, tamen venerabilis frater Noster episcopus Iustinopolitan. ac nonnulli alii clerici civitatis et dioec. Iustinopolitan., asserentes inter cetera de litteris Iohanni concessis praedictis non constare, impediverunt et fecerunt, quominus vos domum praedictam perficere ac dicti fratres illam inhabitare possint in non modicum divini cultus diminutionem et ipsorum universitatis ac incolarum scandalum pariter et turbationem. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, vobis plurimum onerosum sit, ad regnum Bohemiae, in quo dictus Iohannes de Capistrano ad praesens moratur, pro dictis originalibus litteris ad hoc, ut de illis praedictis episcopo et clericis fidem facere valeatis, personaliter accedere, pro parte vestra *etc.* Nos igitur ... devotioni vestrae domum ipsam cum ecclesia, campanili ... perficiendi ac ipsis fratribus illam recipiendi et inhabitandi licentiam pariter et facultatem, iure tamen *etc.*, quodque fratres ... privilegiis ... uti possint ..., concedimus pariter et indulgemus, districtius inhibentes

(1) Reg. Vat. t. 421, f. 155; Wadd. *Ann.* ad a. 1452, n. 30.

(1) Reg. Vat. t. 398, f. 285 v.

episcopo et clericis praefatis *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, II (!) kal. iulii, ... anno VI.

1601. Approbat et confirmat pacem et concordiam inter Stephanum Thomam, regem Bosnae, et Petrum Georgii Vexsalich, voivodam partium inferiorum Bosnae, factas procurantibus Thoma, episcopo Pharen. et Nicolao de Apulia ac Marino de Canali, O. F. M., custodibus vicariae Bosnae (1).

1452, iulii 1, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Illius licet immeriti vicem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, kalendis iulii, ... anno VI.

1602. Mantuan. et Pennen episcopis ac archipresbytero ecclesiae B. Mariae de Piperno, Terracinen. dioec., mandat, ut perpetuam capellaniam ad altare S. Antonii de Padua, situm in parochiali ecclesia S. Benedicti oppidi de Piperno, Terracinen. dioec., conferant Petro Buchavanti, presbytero Terracin. dioec., praesentato a Iohanne priori et Ludovico guardiano ac fratribus domorum Praedicatorum et Minorum ordinum eiusdem oppidi, ad quos ius patronatus et praesentandi ex causa translationis dicti iuris per quondam Antonium de Vechiis, presbyterum dictae dioec., in eos testamentaria dispositione factae pertinet (2).

1452, iulii 2, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, VI nonas iulii, ... anno VI.

1603. Mandat, ut concedat licentiam fundandi domum cum ecclesia S. Ludovici regis in castro Roverii, Mantuan. dioec., pro habitatione fratrum O. F. M. de observ. (3).

1452, iulii 4, Romae.

Dilecto filio archidiacono ecclesiae Mantuan.

Pia Deo et ecclesiae desideria *etc.* Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Ludovici, marchionis Mantuae, Nobis nuper oblata petitio continebat, quod ipse, zelo devotionis accensus, in suo castro Roverii, Mantuanae dioec. vel prope illud, in loco ad id congruo ac honesto, unam domum sub vocabulo S. Ludovici, olim regis Franciae, cum ecclesia, campana, claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum Minorum de observantia de novo fundari et construi et aedificari facere ferventer exoptat. ... Quare pro parte praedicti marchionis, asserentis locum ubi domum ipsam aedificari facere intendit parochiali ecclesiae eiusdem castri fore valde propinquum et vicinum illumque ipsam parochialem ecclesiam extra muros praedicti castri, quod admodum populosum exsistit, multa sub se villagia habens, consistere, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi huiusmodi licentiam concedere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, praedicto marchioni extra dictum castrum, prope eamdem parochialem ecclesiam, in loco alias ad id congruo et honesto unam domum sub vocabulo dicti S. Ludovici cum ecclesia, campana, ... aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum Minorum de observantia, de novo fundandi, erigendi, construendi et aedificandi ... ipsisque fratribus illam pro eorum usu et habitatione huiusmodi recipiendi, plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra concedas. Nos enim, si concessionem huiusmodi per te vigore praesentium fieri contigerit, ut praefertur, universis et singulis fratribus dicti ordinis in ipsa erigenda domo pro tempore commoraturis, quod omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant pariter et gaudere, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus *etc.* iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, IV nonas iulii, ... anno VI.

1604. Mandat, ut vicario Bosnae, O. F. M., concedat licentiam recipiendi fratres eiusdem ordinis tam observantes quam conventuales et fundandi 2 vel 3 domos (4).

1452, iulii 9, Romae.

Venerabili fratri Thomae, episcopo Pharen., in regno Bosnae et Croatiae Apostolicae Sedis nuntio.

Inter cetera, quae intra Nos *etc.* Cum itaque, sicut nuper accepimus, licet in regno Bosnae plura ecclesiae et ecclesiastica loca etiam regularia tam charissimi in Christo filii Nostri Thomae Stephani, Bosnae regis illustris, quam dilectorum filiorum incolarum eiusdem regni operationibus erecta et aedificata fuerint ac in dies cum multiplicatione fidelium erigantur et

(1) Reg. Vat. t. 421, f. 164; Theiner, *Monum Hung.* t. II, p. 265, n. 429.
(2) Reg. Lat. t. 478, f. 136 v.
(3) Reg. Lat. t. 481, f. 205 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 78.
(4) Reg. Vat. t. 421, f. 148.

aedificentur, tamen vicaria Bosnae, ordinis fratrum Minorum, videlicet eius domus sive loca in ipso regno consistentia, maximam dictorum fratrum penuriam patiantur, in provincia quoque Dalmatiae nonnulla eiusdem ordinis domus sive loca eidem vicariae subiecta consistant, illisque mediantibus universi fratres in ipsa vicaria degentes sibi pro victu et vestitu necessaria mendicando percipere ac inde illa, quae in regno praedicto inveniri nequeunt, habere consueverint, Nos, cupientes pro huiusmodi fide uberius propaganda omnique haeresi penitus exstirpanda vicariam et domos sive illius loca praefata copioso dictorum fratrum numero abundare, praefati regis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si et postquam de penuria fratrum huiusmodi et aliis praemissis tibi legitime constiterit, dilecto filio vicario Bosnae eiusdem ordinis, qui nunc est et pro tempore erit, omnes et singulos ipsius ordinis professores sive de observantia sive conventuales fuerint, qui ad vicariam et domos sive illius loca huiusmodi sponte accedere et in eis morari voluerint, necnon unum, duo vel tria dumtaxat domos sive loca, si eidem vicario a quibusvis fidelibus offerantur aut concedantur, pro usu et habitatione fratrum ordinis huiusmodi in praefata provincia recipiendi, in eis ecclesias sive capellas cum necessariis officinis construendi et aedificandi sive construi et aedificari faciendi eaque simul cum domo seu loco S. Mariae de Palude prope Spalatum, eiusdem ordinis, perpetuo retinendi cuiuscumque super hoc licentia minime requisita facultatem praefatisque professoribus, qui sponte, ut praemittitur, id voluerint, ad vicariam et domos sive illius loca huiusmodi se conferendi licentiam plenas et liberas concedas. Nos enim ... conventus et fratres domorum sive locorum in dicta provincia consistentiun, et quae usque ad dictum numerum inibi de novo erigi forte contigerit, praefatorum aut alicuius earum per quemquam ab eadem vicaria segregari aut separari nullatenus posse sive debere, ac irritum et inane, si secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, decernimus per praesentes. Volumus insuper atque concedimus, quod domus sive loca erigenda ... omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, ... anno 1452, VII idus iulii, ... anno VI.

1605. Aymerio de la Bedanna, O. F. M., bacalaurio in theologia, de baronum genere procreato, pro quo nobilis vir Gosco, Fuxi et Bigorrae comes, asserens eum suum consobrinum, supplicaverat, concedit dispensationem, ut unum beneficium ecclesiasticum curatum per saeculares clericos teneri consuetum recipere valeat (1).

1452, iulii 11, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, V idus iulii, ... anno VI.

1606. Marino de Monopulo, electo Montismariani, O. F. M., in sacerdotio constituto, confert episcopatum ecclesiae Montismariani (2).

1452, iulii 14, Romae.

Apostolatus officium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, pridie idus iulii, ... anno VI.

Eodem die scribit *Capitulo ecclesiae Montismariani; Clero civ. et dioec. Montismariani; Populo civ. et dioec. Montismariani* (Hodie de persona), praeterea *Archiepiscopo Beneventano* (Ad cumulum).

1607. Mandat, ut Renato, regi Hierusalem et Siciliae, concedat licentiam fundandi 3 domos O. F. M. de observ., et 2 monasteria monialium O. S. Cl., iuxta reformationem B. Coletae (3).

1452, iulii 15, Romae.

Dilecto filio archidiacono ecclesiae Tullen.

Pia Deo et ecclesiae desideria *etc.* Sane pro parte charissimi in Christo filii Nostri Renati, Hierusalem et Siciliae regis illustris, Nobis nuper oblata petitio continebat, quod ipse rex, zelo devotionis accensus, in Bari et Lotharingiae ducatibus, temporali dominio sibi subiectis, tres ordinis fratrum Minorum de observantia domos ac totidem domos S. Clarae monialium sive sororum monasteria in locis ad id aptis et idoneis de novo fundare, construere et aedificare seu fundari ... facere ferventer exoptat, dummodo sibi super hoc Apostolicae Sedis suffragetur auctoritas. Quare pro parte dicti regis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi licentiam huiusmodi concedere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, praefato regi in Bari et Lotharingiae ducatibus in locis ad id aptis et idoneis tres domos pro usu et habi-

(1) Reg. Lat. t. 475, f. 172 v.
(2) Reg. Lat. t. 480, f. 141 v.
(3) Reg. Vat. t. 421 f. 249 v. Wadd. *Annal.* t. 12 *Reg. pont.* n. 79.

tatione fratrum Minorum de observantia et totidem monasteria monialium ordinis S. Clarae cum ecclesiis, campanis, claustris, dormitoriis, coemeteriis, refectoriis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis ordinariorum locorum et quorumcumque aliorum super hoc licentia vel assensu minime requisitis de novo fundandi ... plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra concedas. Nos enim, si domos et monasteria huiusmodi vigore licentiae per te praefato regi vigore praesentium concedendae fundari, construi et aedificari contigerit, ut praefertur, fratribus in domibus et abbatissae et sororibus in monasteriis huiusmodi pro tempore commorantibus, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere possint, ... quodque domus et monasteria, fratres, sorores et aliae personae in eis pro tempore degentes non sub fratribus de Bulla nuncupatis vel eorum generali seu [provinciali] vicario aut quocumque alio dicti ordinis praelato seu ministro, sed dumtaxat sub obedientia generalis ministri provinciarumque ministrorum sub dicta observantia, quemadmodum fratres Dolae in Burgundia, eiusdem ordinis, ceteraque loca ab eo dependentia tam reformata quam constructa per quondam Coletam perpetuis futuris temporibus sint et debeant ac per generalem et provinciales ministros ordinis huiusmodi visitari debeant et teneantur, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia indulgemus, statuimus et ordinamus. Non obstantibus *etc.* iure *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, idibus iulii, ... anno VI.

1608. Committit causam appellationis inter fratres domus Ferrarien., O. F. M., et rectorem parochialis ecclesiae de Bucco, Ferrarien., circa solutionem quartae partis [1].

1452, iulii 18, Romae.

Venerabili fratri Iacobo, episcopo Mutinen., in civitate Nostra Ferrarien. commoranti.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus Ferrarien., ordinis fratrum Minorum, petitio continebat, quod olim, licet a quadraginta annis et ultra et a tanto tempore, cuius contrarii memoria hominum non exsistit, ipsi de legatis eis pro anniversariis seu missis pro animarum fidelium salute celebrandis quartam rectoribus parochialium ecclesiarum solvere non consueverint neque solverint fuerintque in pacifica possessione vel quasi iuris non solvendi quartam de legatis huiusmodi, tamen quondam Iohannes de Pensauro, rector parochialis ecclesiae B. Mariae de Bucco, Ferrarien., falso asserens ipsos guardianum et fratres ad solutionem quartae cuiusdam eisdem guardiano et fratribus decem annis et ultra iam decursis per quondam Galeotum de Launogario, civem Ferrarien., pro anniversariis per ipsos guardianum et fratres pro eius anima celebrandis facti legati faciendam teneri et efficaciter obligatos fore, guardianum et fratres super hoc petendo eos ad solutionem huiusmodi faciendam condemnari ac cogi et compelli debere coram dilecto filio vicario dilecti fratris Nostri episcopi Ferrarien. in spiritualibus generali, non ex delegatione apostolica, traxit in causam, et dicti guardiani et fratres consuetudinem huiusmodi coram ipso vicario allegaverint ac illam se probaturos obtulerint, tamen ipse vicarius, in huiusmodi causa perperam procedens, definitivam pro dicto rectore et contra eosdem guardianum et fratres sententiam promulgavit iniquam, a qua pro parte ipsorum guardiani et fratrum ad Sedem Apostolicam appellato, Nos praefato episcopo eius proprio nomine expresso dedimus in mandatis, ut, si dicti fratres a triginta annis quartas huiusmodi non solvissent, nihil contra eos innovaret aut innovari permitteret, sed antiquam et eatenus servatam consuetudinem sequeretur. Postmodum vero, cum dicto Iohanne vita functo dilectus filius Petrus de Cividali, rector eiusdem ecclesiae ac praedicti Iohannis successor, causam huiusmodi prosequeretur, ipsi guardianus et fratres alias a Nobis in simili forma litteras impetrarunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, licet post diversas hincinde ordinariis locorum et rectoribus ecclesiarum ac fratribus ordinum mendicantium super solutione quartae huiusmodi per Nos concessas litteras Nos quasdam tunc expressas ac quascumque alias tam archiepiscopis, episcopis, rectoribus et clericis quam fratribus praedictis etiam motu simili et ex certa scientia sub quibusvis formis et expressionibus verborum super solvendis vel non solvendis parochialibus iuribus, seu per quas aliquid super solutione iurium praedictorum innovaretur vel innovari quomodolibet posset, per Nos eatenus in specie vel in genere concessas litteras revocaverimus, cassaverimus et annullaverimus, credaturque de mente Nostra non fore, quod dicti guardianus et fratres super solutione quartae seu alterius quotae ratione relictorum seu legatorum huiusmodi con-

[1] Reg. Lat. t. 479, f. 245 v.

tra antiqua eorum consuetudines, privilegia et conventiones seu pacta praetextu quarumvis litterarum alicui per Nos concessarum molestentur, pro parte eorumdem guardiani et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... in causa appellationis huiusmodi legitime procedens, si ... tibi de consuetudine primo dicta legitime constiterit, dictam sententiam infirmando consuetudinem ipsam servandam fore decernas ac observari facias, alioquin, prout de iure fuerit faciendum, praefatam sententiam confirmare auctoritate Nostra procures. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XV kal. augusti, ... anno VI.

1609. Mandat, ut monasterio B. Mariae Montislucidi extra muros Perusin., O. S. Cl., concedat licentiam vendendi certas possessiones (1).

1452, iulii 22, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Felicis de Arano, Spoletan. dioec.

Ad ea ex iniunctae Nobis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii B. Mariae Montislucidi extra muros Perusin., ordinis S. Clarae, petitio continebat, quod ipsae pro satisfaciendis debitis, pro reparationibus et aedificationibus dicti monasterii ac aliis necessitatibus suis opportunis multa debita, quae commode persolvere non possunt, contraxerunt, quodque, si eis quamdam domum, S. Thomasii nuncupatam, ex qua parvam utilitatem habent, necnon quoddam molendinum iuxta Tiberim cum certis palatio et bonis ad ipsum monasterium legitime pertinentibus, cuius quidem molendini clausa, nisi in brevi reparetur, propter dicti fluminis impetum destruetur, vendendi seu alias alienandi licentia concederetur, ac ex domo in solvendis huiusmodi debitis necnon ex molendino, palatio et bonis praedictis proveniens pretium in possessionibus seu domibus ipsi monasterio magis utilibus converteretur, ex hoc evidens ipsi monasterio utilitas proveniret. Quare pro parte dictarum abbatissae et conventus Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... praefatis abbatissae et conventui domum ac molendinum cum palatio et bonis huiusmodi ... quibusvis personis ... vendendi et alienandi plenam et liberam licentiam ... concedas. Non obstantibus *etc.* Proviso *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XI kal. augusti, ... anno VI.

1610. Mandat, ut inter monasterium monialium S. Iohannis de Beneraria, O. S. Aug., et domum S. Bernardini, O. F. M., Veronen., interponi faciat murum (2).

1452, iulii 23, Romae.

Venerabili fratri Laurentio, patriarchae Venetiarum.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii S. Iohannis de Beneraria, ordinis S. Augustini, petitio continebat, quod, licet ecclesia domus fratrum Minorum Veronen. sub invocatione S. Bernardini per centum et quindecim passus a praefato monasterio iuxta designationem atque sententiam dilecti filii Gregorii Corario, notarii Nostri, ex speciali commissione per Nos super hoc sibi facta, remota et distans fundata exstiterit, prout in quodam publico instrumento designationis et sententiae praedictarum dicitur plenius contineri, nihilominus, cum inter monasterium et domum huiusmodi solitudo sine aliquibus aedificiis intermediis sita sit, fratrum domus praedictae, qui in honorem eiusdem S. Bernardini interdum missas et alia divina officia canunt, voces ita clare et explicite in praefato monasterio audiuntur, sicuti per spatium tot passuum non distaret, cumque, sicut eadem petitio subiungebat, ex vicinitate monasterii et domus necnon fratrum et monialium monasterii huiusmodi mutuis prospectibus perturbationes, detractiones et scandala possint verisimiliter exoriri, pro parte abbatissae et conventus praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, qui scandalis et dissidiis, quantum cum Deo possumus, obviamus, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes, et ... in confinibus domus ipsorum fratrum iuxta ipsius Gregorii sententiam antedictam murum a praefato monasterio per centum et quinque passus distantem tantae altitudinis et longitudinis, sumptibus tamen et expensis illorum, qui eamdem domum fabricare intendunt, interponi cum effectu facias et procures, quod ipsius monasterii aedificia necnon fratrum et monialium hincinde celet prospectum et, quantum humana potest industria, voces canentium aut praedicantium reprimat et re-

(1) Reg. Lat. t. 479, f. 145.

(2) Reg. Vat. t. 422, f. 22 v.

flectat, eisdem quoque fratribus in eadem domo pro tempore moraturis, quod ab aedificando muro praedicto versus praefatum monasterium aliquas domos seu loca de novo acquirere seu acquisita retinere eadem auctoritate tenore praesentium penitus interdicas. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, X kal. augusti, ... anno VI.

1611. Episcopo Satrianen. mandat, ut monasterio S. Angeli de Boscho, O. S. Ben., Potentin. dioec., quod in silvis ac rurale et diruptum exsistit, Nicolaum de Trancheda, O. F. M., pro quo Antonius, episcopus Potentin., ac communitas et cives civitatis Potentin., sperantes, quod dictum monasterium ipsius Nicolai bonis operibus reficietur et restaurabitur, supplicarunt, praeficiat in abbatem eique munus benedictionis impendat (1).

1452, augusti 26, Romae.

Sollicitae considerationis indaginem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, VII kal. septembris, ... anno VI.

1612. Concedit licentiam erigendi monasterium monialium S. Iohannis Baptistae, castri Insulae Filiorum Petri, Soran. dioec., in domum conventualem O. F. M. (2).

1452, septembris 5, Romae.

Venerabili fratri episcopo Soran.

Etsi cunctorum christifidelium *etc.* Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Iuliani de Celano, baronis, domini castri Insulae filiorum petri, tuae dioec., nuper exhibita petitio continebat, quod, cum olim monasterium monialium S. Iohannis Baptistae, praedicti castri, ordinis S. Benedicti, abbatissa et monialibus, quae computata dicta abbatissa numero tres dumtaxat esse consueverant et omnes successive decesserant, per huiusmodi earum decessus foret penitus destitutum et tam propter maximam tenuitatem et exilitatem illius fructuum ..., qui ad congruam abbatissae et monialium, si quae ibidem inantea degerent, sustentationem minime suppetebant, quam etiam propter collapsum structurarum et aedificiorum eiusdem monasterii nulla reperiretur, quae illud, ut in eo dictum ordinem profiteretur, ingredi et in eius monialem recipi aut etiam in abbatissam praefici vellet, quondam Paulus de Celano, pater dicti Iuliani, eiusdem castri similiter dominus, tunc in humanis agens, ne propter praemissa locus ille divini cultus destitutionis et desolationis opprobrio ulterius subiaceret, volens, quantum in eo erat, providere ac singulari et magna, quam ad beatum Franciscum eiusque ordinem fratrum Minorum gerebat, devotione ductus, quosdam religiosos numero tres, eiusdem ordinis Minorum professores, ad eumdem locum, in divinis et praedicationis officio inibi servituros, ab illorum superioribus absque tamen Apostolicae Sedis vel alia canonica licentia transmitti eosque vel successive alios pro eis iuxta morem ipsius ordinis illuc translatos ex tunc, quoad vixit, ibidem continuo residere ac in subsidium sustentationis vitae ipsorum omnes fructus ... praedictos assignari procuravit et fecit. Et deinde post illius obitum praefatus Iulianus praedictos et successive alios pro eis iuxta morem ipsius in eodem numero similiter translatos ordinis Minorum huiusmodi professores, praedicationi et divinis eisdem insistentes, eodem in loco et cum simili fructuum ... assignatione sine contradictione quorumcumque continuo sustinuit et toleravit, prout sustinet et tolerat etiam de praesenti. Cum autem transmissio, translatio, residentia, assignatio et alia praemissa, utpote facta sive attentata post et contra constitutionem fel. rec. Bonifatii papae VIII, ... de facto processerint, dictique fratres, qui, absque licentia Sedis huiusmodi ... monasterium praedictum recipientes, in eo deguerunt nuncque degunt, sententiam excommunicationis ... incurrerint, et sicut eadem petitio subiungebat, praefatus Iulianus ad instar dicti patris sui magnae ad ordinem fratrum Minorum huiusmodi devotionis zelo succensus monasterium praedictum, ut continuata hactenus divini cultus restauratio et observata praedicatio huiusmodi inibi perpetuentur, in domum conventualem dicti ordinis Minorum erigi ipsique ordini in perpetuum applicari, concedi et assignari desideret, pro parte ipsius Iuliani, asserentis fructus, redditus et proventus antedictos decem florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, omnes et singulos fratres praedictos ... ab huiusmodi excommunicationis sententia auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas ... et nihilominus cum ipsorum fratrum singulis super irregularitate ... dispenses omnemque inhabilitatis et infamiae maculam ... penitus aboleas, et insuper monasterium praedictum, etiamsi ab aliquo dependeat, abbatissali

(1) Reg. Lat. t. 479, f. 166 v.

(2) Reg. Lat. t. 475, f. 302; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 80.

dignitate et ordine S. Benedicti ac dependentia huiusmodi in eo suppressis penitus et exstinctis in domum conventualem ordinis fratrum Minorum huiusmodi auctoritate praedicta erigas illudque cum eius ecclesia et sub eodem vocabulo S. Iohannis Baptistae necnon cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ipsi Minorum ordini in perpetuum applices, concedas pariter et assignes, ita quod fratres praedicti, qui ibidem nunc sunt et erunt pro tempore, domum sic erectam et ecclesiam huiusmodi pro usu et habitatione suis dictosque fructus ... in suos licitos ac domus et ecclesiae praedictarum usus et utilitatem convertendos recipere ac perpetuo retinere libere liciteque valeant ... Non obstantibus *etc.* Nos, si erectionem ... feceris, ... domui sic erectae ac ecclesiae et fratribus ..., quod omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis ... gaudere valeant, ... concedimus ...

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, nonis septembris, ... anno VI.

1613. Antonello, [O. F. M.], episcopo Andren. et Montispilosi, antea episcopo Gallipolitano, dudum Iohannis episcopi Andren. et Montispilosi coadiutori, confert episcopatum Andren. et Montispilosi ecclesiarum canonice unitarum, vacantium per obitum dicti Iohannis (1).

1452, septembris 20, Romae.

Quam sit onusta dispendiis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XII kal. octobris, ... anno VI.

Eodem die scribit *Capitulo ecclesiae Andren.; Capitulo ecclesiae Montispilosi; Clero civ. et dioec. Andren.; Populo civ. et dioec. Andren.; Populo civ. et dioec. Montispilosi* (Hodie siquidem); praeterea *Archiepiscopo Tranen.* (Ad cumulum).

1614. Laurentio, episcopo Tiburtin., concedit, ut monasterium monialium S. Catharinae, Tiburtin., O. S. Cl., tunc abbatissa et monialibus destitutum, olim mensae capitulari Tiburtin. unitum, quoad viveret, in commendam tenere valeat (2).

1452, septembris 24, Romae.

Personam tuam, Nobis et Apostolicae Sedi devotam *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, VIII kal. octobris, ... anno VI.

1615. Mandat, ut Mariam de Taulares, O. S. Cl., e monasterio villae de Carrion, Palentin. dioec., egressam, absolvat a censuris eique concedat licentiam transeundi ad quodcumque monasterium dioec. Valentin. (3).

1452, octobris 26, Romae.

Dilecto filio archidiacono de Algezira in ecclesia Valentin.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Mariae de Taulares, monialis monasterii monialium Damiatarum vulgariter nuncupatarum, villae de Carrion, ordinis S. Clarae, Palentin. dioec., petitio continebat, quod, cum olim, etiam postquam ordinem ipsum expresse professa, in eodem monasterio diutius laudabiliter conversaverat, quaedam comitissa de Castanyeda, eidem monasterio, cui plures erogabat eleemosynas, affectionata, inter cetera tractaret, quod moniales ipsae de cetero viverent sub regulari observantia S. Francisci, licet antea non observassent eiusdem regulae rigorem, nec etiam monasterium ipsum sub ipsa ita stricta observantia fundatum fuisset, magna inter moniales ipsas exorta contentio et tandem altera parte monialium earumdem, quae contemplatione dictae comitissae sub ipsa observantia vivere statuerant, praevalente in eodem monasterio mandatum factum exstitit, quod illae, quae non vellent sub ipsa observantia vivere, ab eodem monasterio recederent, propter quod ex illis, quae noluerant observare, de quarum numero ipsa Maria exsistebat, aliquae sponte recesserunt, aliae vi fuerunt expulsae, cum quibus ipsa Maria etiam expulsa exstitit. Postmodum vero praefata Maria, sic expulsa, tunc in nullo monasterio permansit habitumque post triennium dimisit et per decennium in saeculari habitu diversis personis, etiam laicis, hincinde serviendo in saeculo permansit, apostasiae notam ... incurrendo. Cum itaque ... praefata Maria, Valentiae moram trahens, ... cupiat ... ad gremium ecclesiae redire et sub regulari habitu in aliquo monasterio Altissimo famulari, pro parte sua *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus praefatam Mariam ... hac vice dumtaxat absolvas ... Et nihilominus praefatae Mariae, ut ad quodcumque civitatis et dioec. Valentin. ... [monasterium] ... transire et in eo sub illius habitu perpetuo remanere vocemque in capitulo habere et officia per illorum moniales regi consueta recipere libere et licite valeat, Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus licentiam largiaris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, VII kal. novembris, ... anno VI.

---

(1) Reg. Lat. t. 480, f. 136 v. Cf. sup. n. 1520, p. 762.
(2) Reg. Vat. t. 422, f. 218 v. De monasterio S. Catharinae cf. sup. n. 1133, p. 576. De Laurentio episcopo n. 1383, p. 711.
(3) Reg. Lat. t. 479, f. 201.

1616. Mandat, ut puniat professores O. F. M., sub observantia vivere simulantes, qui in civitate Corduben. gravia crimina commiserant (1).

1452, novembris 14, Romae.

Venerabili fratri Iohanni, episcopo Ostien. Pridem litteras fraternitati tuae direximus tenoris, qui sequitur in haec verba:

Nicolaus etc.

Venerabili fratri Iohanni, episcopo Ostien. Quanto regularis sanctimoniae *etc. (ut supra n. 1378, p. 710).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1450, XVII kal. iulii, anno IV.

Cum autem, sicut nuper ad audientiam Nostram fama publica referente pervenit, quidam ordinis fratrum Minorum professores, qui se sub regulari observantia huiusmodi vivere simulabant, et qui adversus fratres domus dicti ordinis Corduben. in graves violentias, iniurias et offensas, ipsos etiam de dicto domo expellendo, insurrexerant, postquam tam iniuriatores quam expulsos fratres dictarum litterarum vigore, ut coram te, super eliminandis scandalis, quae praemissorum occasione successerant, provisuro, in certis tunc expressis terminis comparerent, iteratis vicibus evocari feceras et tandem iniuriatores ipsos, contumaciter mandata tua suscipere et illis intendere non curantes, tam pro eorum contumacia quam etiam propter excessus praedictos excommunicationis sententiam promulgaveras et eorum rebellione crescente sententiam ipsam aggravaveras et civitatem praedictam per processus tuos legitime habitos ecclesiastico supposueras interdicto, iidem iniuriatores interdictum huiusmodi, quod tunc universus clerus dictae civitatis tam saecularis quam regularis ipsis iniuriatoribus exceptis observaverat, temere violantes ac in appellationes et alia subterfugia, ne tuis et honestis mandatis parerent, calumniose ac frivole prorumpentes, contra morem patriae in grave praeiudicium parochialium ecclesiarum erecta cruce decedentium corpora tempore interdicti huiusmodi ad ecclesiam praedictae domus deferre et illa ibidem ecclesiasticae sepulturae sollemniter tradere praesumpserunt, necnon concitato praefata occasione quorumdam suorum in hac parte complicum tumultu per complices ipsos episcopale palatium habitationis venerabilis fratris Nostri Sancii episcopi necnon domus quorumdam canonicorum ecclesiae Corduben. ** palatium et domus huiusmodi pro maiori parte concremata et clenodia, res ac bona episcopi et canonicorum eorumdem ibidem reperta exposita sunt in praedam. Nos igitur, tam saeva et tam detestabilia sceleratissimorum crimina absque correctione congruenti relinquere nolentes impunita, praedictas litteras et per eas concessam tibi facultatem ratas habentes et gratas, fraternitati tuae auctoritate apostolica praesentium serie mandamus, quatenus adversus sceleratos praedictos et quosvis alios, si qui forte, quod absit, de cetero in eodem ordine similia delicta, excessus sive scandala fecerint, ac eorum complices et fautores ad ipsorum correctionem et iniuriarum, excessuum necnon damnorum huiusmodi sufficientem satisfactionem praestandam procedens, crimina sive excessus huiusmodi ea iustitiae severitate appellatione postposita punias, quae aliis, ne similia praesumant, cedat in exemplum praefatosque iniuriatores ad huiusmodi satisfactionem praestandam per censuram ecclesiasticam auctoritate Nostra compellas, invocato *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XVIII kal. decembris, ... anno VI.

1617. Bernardo de Salerno, vicario fratrum O. F. M. de observantia, provinciae Terrae Laboris, concedit facultatem recipiendi unum locum in dicta provincia pro habitatione fratrum O. F. M. de observ. (2).

1452, novembris 23, Romae.

Dilecto filio Bernardo de Salerno, ordinis fratrum Minorum professori.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Hinc est, quod tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, qui, ut etiam asseris, in provincia Terrae Laboris fratrum ordinis Minorum regularis observantiae vicarius provincialis exsistis, pro cultus ac religionis augmento huiusmodi et christifidelium consolatione illorumque animarum salute unam domum cum ecclesia, campanili ... in aliqua civitate, castro, villa seu loco dictae provinciae, quam, quod seu quem ad hoc duxeris eligendam vel eligendum, in loco, qui tibi pia fidelium largitione seu alias canonice concedatur, fundare et construere ... ac illam per aliquos ex dictis fratribus inhabitari facere possis, quodque sic fundanda domus et in ea pro tempore degentes fratres omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere valeant libere ac licite, iure tamen ... salvo ac fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de specialis

(1) Reg. Vat. t. 422, f. 304 v.

(2) Reg. Lat. t. 479, f. 168

dono gratiae concedimus pariter et indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, IX kal. decembris, ... anno VI.

1618. Bonifatio, O F. M. presbytero, qui in diversis regnis, ducatibus et provinciis verbum Dei praedicavit, concedit facultatem, ubicumque praedicaret, omnes christifideles absolvendi a peccatis etiam in casibus episcopo vel loci ordinario reservatis (1).

1452, novembris 25, Romae.

Exigit tuae devotionis integritas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, VII kal. decembris, ... anno VI.

1619. Mandat, ut de excessibus fratrum O. Praed. et O. F. M. et Constantini, canonici Lateran., in civitate et dioec. Moldavien. commissis inquirat eosque puniat (2).

1452, novembris 28, Romae.

Dilecto filio Dionysio, tit. S. Cyriaci in Thermis presbytero cardinali.

Ex iniuncto Nobis ab alto *etc.* Sane nuper pro parte venerabilis fratris Nostri Petri, episcopi Moldavien., ac dilectorum filiorum communitatis civitatis Moldavien. expositum exstitit, quod quidam fratres ordinum Praedicatorum et Minorum, in dioec. Moldavien. et in dicta civitate degentes, propriae immemores et aliorum inimici salutis, in dictis civitate et dioecesi absque ipsius episcopi licentia nulla etiam super hoc a Sede Apostolica facultate muniti, parochialium ecclesiarum regimina sibi usurpant, baptismatis, eucharistiae et alia ecclesiastica sacramenta ministrant ac idem eucharistiae sacramentum in plerisque aliis quam Corporis Christi festivitatibus et aliis certis diebus semel in singulis mensibus in vasis transparentibus contra canonicas prohibitiones in suis processionibus publice deferunt et confitentes eisdem a commissis, etiam in casibus Apostolicae Sedi specialiter reservatis, absolvunt, clandestina matrimonia in latibulis et locis occultis copulant et rite contracta dirimunt seu dissolvunt ac super contractis in gradibus prohibitis dispensant, coniuges legitimos ad aliorum polluta contubernia veluti legitima matrimonia admittunt et nedum ea, quae iurisdictionis dicti episcopi, verum etiam quae pontificalis sunt officii, exercere temere praesumentes, pallas et altarium paramenta benedicunt, calices consecrant et sacramentum confirmationis sive chrismationis in fronte illud petentibus conferunt, temeraria quoque praesumptione neminem ad visitandum cathedralem et parochiales ecclesias suas teneri seque maiori quam dictum episcopum auctoritate fungi nec fore necessarium ibidem ordinarium sive dioecesanum exsistere adstruunt, omni quoque religionis, cuius se professores fore asserunt, et sacerdotali modestia et decentia semotis in saeculari habitu incedunt, concubinas, ex quibus etiam susceptam prolem scandalose nutriunt, publice tenent, tabernas publicas cum mulieribus publicis et alia loca inhonesta frequentant, ebrietatibus student et ebrii confessiones revelant aliaque gravissima excessus et crimina impudenter committere minime pertimescunt, praeterea quidam, se Constantinum nominans et saecularem presbyterum ac canonicum Lateranen. fore asserens, ibi plurima a fide catholica aliena et haeresim, eam maxime, quae dudum in regno Bohemiae pullulabat, et per ecclesiam catholicam damnata est, dogmatizat ac perfidiae et haeresis huiusmodi virus in sectam pestiferam diffundere satagit, propter quae praefata ecclesia, quae in partibus minoris Wallachiae et in schismaticorum finibus constituta ac noviter in cathedralem erecta exstitit et praeter praedictum Petrum alium unum dumtaxat habuit catholicum antistitem, ad exitium sui status deducitur, et suscepta ibidem Romanae ecclesiae et dictae fidei unitas praeter alia animarum pericula, quae ex praemissis succedunt, scissurae dispendiis subici perspicitur et, nisi in his salubris provisionis apponatur antidotum, virus ipsum in deteriora verisimiliter protendetur. Nos igitur ... circumspectioni tuae ... mandamus, quatenus tu, qui etiam Strigonien. ecclesiae praeesse dignosceris, per te ipsum vocatis fratribus et Constantino praedictis et aliis, qui fuerint evocandi, super expositis huiusmodi inquiras auctoritate Nostra diligentius veritatem et, si per inquisitionem huiusmodi ea reppereris ita esse, excessus et crimina huiusmodi eadem auctoritate condigne punias et corrigas, prout de iure fuerit faciendum, illisque cohibendis et, ne similia imposterum per quemcumque attentari praesumantur, opportunae provisionis remediis diligenter intendas, statuens et ordinans, quae circa ea pro incremento fidei et animarum salute censueris expedire, ac faciens ea, quae statueris et ordinaveris, per te vel alium seu alios firmiter observari. Contradictores *etc.* Et nihilominus *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, IV kal. decembris, ... anno VI.

(1) Reg. Lat. t. 482, f. 90 v.

(2) Reg. Lat. t. 482, f. 138.

1620. Ministris, fratribus et sororibus III O. S. Fr. de poenitentia, provinciae Turonen., praesentibus et futuris, indulget, ut sacerdos idoneus saecularis vel regularis, quem quilibet pro tempore duxerit eligendum, eis ecclesiastica sacramenta administrare valeat die paschae excepto (1).

1452, novembris 28, Romae.

Iniunctum Nobis desuper *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, IV kal. decembris, ... anno VI.

1621. Mariae Avares de Solis, sorori III O. S. Fr. de poenitentia, ordinem ipsum professae, defectum natalium patienti, concedit dispensationem, ut ad quamcumque dignitatem etiam abbatissalem cuiuscumque ordinis eligi valeat (2).

1452, decembris 5, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, nonis decembris, ... anno VI.

1622. Michaeli de Moriello, O. Praed., et Iohanni Cernosa, O. F. M., sacrae theologiae magistris, mandat ut procedant contra falsarios litterarum indulgentiarum, falsos eleemosynarum quaestores, formas Agni Dei in alba cera vendentes, inter eos Iohannem Urroc et Dionysium de Molinos, in regnis Franciae, Castellae, Legionis, Aragoniae, Navarrae (3).

1452, decembris 7, Romae.

Ad reprimendas insolentias *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, VII idus decembris, ... anno VI.

1623. Confirmat licentiam manendi sub obedientia ministrorum generalium et provincialium pro fratribus O. F. M. de observ. et sororibus O. S. Cl., a Coleta sorore O. S. Cl. reformatis (4).

1452, decembris 7, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ex paternae charitatis affectu *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum universorum fratrum conventus Dolae, Bisuntin. dioec., et aliarum domorum ordinis fratrum Minorum sub regulari observantia et obedientia generalis et provincialium ministrorum ac aliorum suorum superiorum ordinariorum viventium, provinciae Burgundiae secundum morem dicti ordinis, necnon in Christo dilectarum filiarum abbatissarum et conventuum monasteriorum ordinis S. Clarae, per quondam Coletam, sororem dicti ordinis S. Clarae, fundatorum, sub eadem obedientia degentium, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi, qui a tempore, quo observantiam huiusmodi amplexi fuerunt, etiam cum plerisque aliorum dicti ordinis domorum per eamdem Coletam etiam fundatarum fratribus, eis in obedientia et observantia huiusmodi coniunctis, sub obedientia praedicta vivere consueverunt et dudum, cum se obedientiae generalis vicarii ultramontani fratrum de observantia dicti ordinis, quorumdam persuasione submisissent, obedientiam vicarii huiusmodi deferentes, ad priorem obedientiam reversi fuerunt, sub eadem priori obedientia degere et remanere desiderant dubitantque, ne obtentu quarumdam litterarum (5) Nostrarum adversus diversas alias per Nos super hoc, quod in priori obedientia huiusmodi manere nec ad illius mutationem compelli possint, eis et aliis ipsis coniunctis fratribus praedictis concessas litteras, eisdem sub priori obedientia viventibus fratribus ac abbatissis et conventibus insciis ad suggestionem dilecti filii Nicolai Pichon, fratris ordinis Minorum et olim dictae domus Dolae guardiani, ut asseritur, impetratarum, ipsi et alii fratres eis in observantia praedicta iuncti, ut praefertur, quominus in observantia huiusmodi vivere et remanere valeant, per ultramontanum vicarium praedictum et sibi adhaerentes fratres indebite molestari et perturbari possint. Quare praefati fratres sub priori obedientia viventes ac abbatissae et conventus praedicti, asserentes, quod occasione postremo impetratarum litterarum praedictarum, quas praefatus Nicolaus super hoc, quod iidem fratres sub priori obedientia huiusmodi viventes ac abbatissae et conventus ad praedicti vicarii obedientiam se reducere debeant, a Nobis emanasse asserunt, gravia dissidia et scandala inter ipsos et dictum Nicolaum ac alios sibi assentientes fratres, propter quae ipse Nicolaus cum eisdem sibi assentientibus fratribus a praefata domo Dolae secessit, suborta fuerint, Nobis humiliter supplicarunt, ut, ne ad huiusmodi suae mutationem obedientiae arctentur inviti, sed tam ipsi quam praedicti eis adiuncti fratres sub dicta priori obedientia vivere et remanere libere possint et debeant, opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica praesentium serie decernimus, quod singulae priores litterae Nostrae

(1) Reg. Lat. t. 475, f. 286. Cf. sup. n. 1585, p. 792.
(2) Reg. Lat. t. 475, f. 219.
(3) Reg. Vat. t. 424, f. 64.
(4) Reg. Lat. t. 475, f. 266 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 82.
(5) Vide sup. n. 1584, p. 791.

praedictae praefatis fratribus sub obedientia generalis et aliorum ministrorum et superiorum ordinariorum suorum obedientia viventibus, necnon abbatissis et conventibus praedictis super hoc, quod sub eadem obedientia remanere possint, concessae dictis postremo impetratis litteris et quibusvis in illis contentis clausulis, quae eisdem prioribus litteris contrariari videntur, nequaquam obstantibus plena subsistere debeant quoad omnes domos et personas in illis complexas pristini roboris firmitate, quodque praefati fratres sub dicta priori obedientia viventes ad abbatissae et conventus necnon aliarum domorum per praefatam Coletam fundatarum fratres in eadem observantia ipsis iuncti, ut praefertur, sub ipsa priori obedientia libere et licite remanere possint et debeant nec ad illius mutationem per quemquam dictarum postremo impetratarum litterarum ac per eas forsitan habitorum processuum praetextu possint quomodolibet coarctari, quinimo quoad hoc easdem postremo impetratas litteras et processus per eas pro tempore habitos quasvis etiam in se censuras et poenas continentes neminem arctare volumus, sed pro cassis et infectis haberi nulliusque censeri roboris vel momenti. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, VII idus decembris, ... anno VI.

1624. Mandat, ut Catharinae de Morellinis aliisque mulieribus concedat licentiam fundandi monasterium O. S. Cl. in terra Sulmonae (1).

1452, decembris 7, Romae.

Venerabili fratri episcopo Valven.

Pia Deo et ecclesiae *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Catharinae de Morelinis, nobilis, et nonnullarum aliarum mulierum de terra Sulmonae, tuae dioec., petitio continebat, quod ipsae, zelo devotionis accensae, de bonis sibi a Deo collatis in aliquo loco honesto et commodo, in dicta terra consistenti, unum monasterium monialium ordinis S. Clarae sub regulari observantia viventium sub vocabulo SS. Cosmae et Damiani de novo construere et aedificare seu construi et aedificari facere ferventer exoptant, dummodo eis super hoc per Sedem Apostolicam licentia concedatur. Quare pro parte ipsarum Catharinae et mulierum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, praefatis Catharinae et mulieribus de praedictis earum bonis in eadem terra, in aliquo loco ad id convenienti et honesto unum monasterium monialium ordinis S. Clarae sub regulari observantia viventium ad honorem omnipotentis Dei sub vocabulo dictorum SS. Cosmae et Damiani cum ecclesia, campanili humili, campana, claustro, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis, alicuius alterius super hoc licentia minime requisita de novo fundandi, construendi et aedificandi seu construi, fundari et aedificari faciendi plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra concedas. Nos enim sororibus in dicto erigendo monasterio pro tempore commorantibus ac sub regulari observantia eiusdem ordinis viventibus, quod omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere necnon virgines et mulieres ad professionem recipere earumque superiorem iuxta consuetudinem praedicti ordinis eligere libere et licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, volentes, quod ipsae moniales sub cura et protectione vicarii ordinis fratrum Minorum de observantia, provinciae Aprutinae, qui earum confessiones audiat et gubernet, prout alia monasteria eiusdem ordinis S. Clarae de observantia, sint et esse censeantur. Non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, VII idus decembris, ... anno VI.

1625. Mandat, ut cerae quantitas proveniens capellae B. Mariae de Portiuncula die 2 augusti e fidelium oblationibus necnon pecuniarum summa cedat ecclesiae S. Francisci Assisinat., O. F. M. (2).

1452, decembris 19, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exposcit dilectorum filiorum custodis et fratrum domus S. Francisci de Assisio, ordinis fratrum Minorum *etc.* Hinc est quod Nos, custodis et fratrum eorumdem, asserentium se pro missis et aliis in ecclesia dictae domus divinis celebrandis officiis magna quantitate cerae annis singulis indigere, supplicationibus inclinati, hac irrefragabili constitutione statuimus pariter et ordinamus antiquam consuetudinem retroactis temporibus diutius, nisi a paucis annis citra, observatam de obventionibus et oblationibus cerae capellae S. Mariae de Portiuncula, alias de Angelis, dicti ordinis, Assisinat. dioec., videlicet, quod omnis cerae quantitas die prima augusti a primis vesperis usque ad secundas vesperas sequentis diei ac duobus aliis annuntia-

(1) Reg. Lat. t. 479, f. 304; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 81.

(2) Reg. Vat. t. 424, f. 111. *Bull. Portiunc.* n. 81 pag. 87.

tionis et assumptionis gloriosae virginis Mariae festivitatibus sive tertia pars cerae per totum annum eidem et aliis ipsius domus capellis proveniens, pro usu eiusdem ecclesiae S. Francisci cedat et integre debeatur, imposterum perpetuis futuris temporibus observari, praemissis adiicientes, quod omnis pecuniarum summa eisdem custodi et fratribus ex christifidelium oblationibus et eleemosynis eiusdem capellae proveniens pro una in reparationem ecclesiae et domus praedictarum et pro alia medietatibus in eorumdem custodis et fratrum illic pro tempore degentium usum penitus convertatur. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XIV kal. ianuarii, ... anno VI.

1626. Concedit indulgentias visitantibus capellam S. Bernardini de Senis in conventu S. Francisci, Perusin., O. F. M. (1).

1452, decembris 26, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, in civitate Perusii, in conventu S. Francisci, ordinis fratrum Minorum, quaedam capella in honorem praeclari confessoris S. Bernardini de Senis noviter constructa et aedificata extra ipsorum ecclesiam, coniuncta eidem ecclesiae, opitulantibus piis christifidelium suffragiis *etc.* Nos igitur, cupientes, ut ecclesia praedicta et capella S. Bernardini, ut praefertur, congruis honoribus ab eisdem fidelibus frequentetur ..., omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in die vicesimo mensis maii, in quo festum gloriosi S. Bernardini celebratur, ... ecclesiam et capellam devote visitaverint annuatim, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, VII kal. ianuarii, ... anno VI.

1627. Mandat, ut ordinet, quod hospitalia SS. Lazari et Domnini ac B. Mariae de Romestine extra muros terrae Puppi (Poppi) per guardianum domus de Certomondo, O. F. M., et duos probos laicos gubernentur (2).

1453, ianuarii 2, Romae.

Dilecto filio .. plebano plebis S. Antolini de Socana, Arretin. dioec.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum populi et universitatis hominum terrae Puppi, Arretin. dioec., petitio continebat, quod olim ipsi, provide considerantes, quod SS. Lazari et Domnini ac B. Mariae de Romestine pauperum hospitalia extra muros dictae terrae consistentia retroactis temporibus male gubernata fuerant ac eorum structurae et aedificia partim collapsa erant partim ruinam minabantur adeo, quod pauperes et infirmi ad illa pro tempore venientes inibi hospitari, recipi et sustentari commode non poterant, matura super hoc inter eos deliberatione praehabita ac etiam dilectorum filiorum priorum artium, vexilliferi iustitiae, populi et communis Florentiae, sub quorum temporali dominio terra ipsa consistit, id etiam volentium, monitis seu exhortationibus parere volentes, ad hoc, ut ipsa hospitalia feliciter gubernarentur eorumque structurae et aedificia repararentur, ac in eis hospitalitas observaretur, ordinarunt, quod dicta hospitalia, quae tunc per liberam resignationem dilecti filii Antonii Landoni de Castrofocognani, monachi ordinis Camaldulen., dictorum hospitalium gubernatoris, in manibus ordinarii extra Romanam curiam sponte factam et per ipsum ordinarium extra dictam curiam admissam, seu per privationem dicti Antonii suis culpis et demeritis exigentibus per dictum ordinarium per eius definitivam sententiam, quae in rem transivit iudicatam, vacabant, et quorum rectorum praesentatio ad ipsos populum et universitatem dictae terrae de antiqua et approbata ac hactenus pacifice observata consuetudine pertinet, per guardianum domus ordinis fratrum Minorum de Certomondo, extra praedictam terram, ac duos laicos de eadem terra, operarios, qui fructus, redditus et proventus ipsorum hospitalium in huiusmodi aedificiorum reparationem ac praedictorum pauperum et infirmorum sustentationem exponere et convertere deberent et tenerentur, iuxta alias utiles et providas ordinationes regerentur et gubernarentur, id vero, quod ex gubernatione et usu pauperum superesset, super quo dictorum guardiani et operariorum conscientiam onerarunt, voluerunt et ordinarunt, ut dumtaxat in reparationem, manutentionem et conservationem ecclesiae et conventus de Certomondo seu in reparationem et conservationem hospitalis S. Mariae misericordiae citra moenia dictae terrae et pro rebus dicto hospitali et pauperibus opportunis [converterentur], prout in quodam instrumento publico desuper confecto

(1) Reg. Vat. t. 424, f. 86 v.

(2) Reg. Vat. t. 425, f. 4 v.

dicitur plenius contineri. Quare pro parte populi et universitatis praedictorum *etc.* Nos itaque, de praemissis certam notitiam non habentes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... auctoritate Nostra statuas et ordines, quod hospitalia ipsa per guardianum dictae domus pro tempore exsistentem ac duos probos et idoneos laicos de eadem terra, qui fructus, redditus et proventus hospitalium praedictorum in aedificiorum reparationem ac pauperum et infirmorum sustentationem huiusmodi exponere et convertere debeant et teneantur, perpetuis futuris temporibus gubernentur, ac illud, quod ex gubernatione et usu pauperum supererit, in reparationem, manutentionem et conservationem ecclesiae et conventus seu hospitalis S. Mariae misericordiae reparationem et conservationem huiusmodi ac pro rebus dicto hospitali et pauperibus opportunis dumtaxat convertantur. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, IV nonis ianuarii, ... anno VI.

1628. Mandat, ut Ludovico Tremii, O. F. M., theologiae professori, concedat licentiam commorandi in conventu Barchinonen., O. F. M., provinciae Aragonum (1).

1453, ianuarii 4, Romae.

Dilecto filio generali ordinis fratrum Minorum.

Humilibus et honestis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem nuper pro parte dilecti filii Ludovici Tremii, ordinis fratrum Minorum et theologiae professoris, petitio continebat, quod, licet vigore litterarum apostolicarum, per quas concessum est ministro generali vel provinciali dicti ordinis iuxta morem ipsius ordinis cum universali capitulo provinciali, si domus civitatis Barchinonen., dicti ordinis, provinciae Aragonum, urgens necessitas ac evidens utilitas id exposcerent, quod ipsi vel alter ipsorum uni vel duobus magistris in theologia dumtaxat in eadem domo residendi etiam conventualiter vel alias moram trahendi liberam possent licentiam elargiri, cum unanimi voto et consensu guardiani, magistrorum, patrum et fratrum in capitulo Barchinone pridem celebrato et trium capitulorum provincialium subsecutorum pariter congregatorum ordinatum fuerit, quod idem Ludovicus, qui filius natus domus Villaefranchae, dicti ordinis, Barchinonen. dioec., tamquam utilis et necessarius domui Barchinonen., frater conventualis perpetuus foret et sibi, quod inibi, quamdiu viveret, commorari posset, licentia concessa exstiterit, ipseque Ludovicus per tres annos in eadem domo Barchinonen. loco unius duorum magistrorum steterit, tamen quia privilegio quondam Petri de Luna, Benedicti XIII in sua obedientia nuncupati (2), et per fel. rec. Martinum papam V, praedecessorem Nostrum, postea, ut asseritur, confirmato (3) ad supplicationem et instantiam guardiani et fratrum civitatis Barchinonen., provinciae Aragoniae dicti ordinis, inter alia ipsis guardiano et fratribus indultum exstitit ac etiam statutum et ordinatum, ut ex tunc nullus deinceps magister in theologia, qui in praefata domo in fratrem ipsius ordinis receptus non foret, ut filius nativus vel adoptivus posset ibidem conventualiter vel alias ultra quindecim dierum spatium residere, inhibendo districtius ministro generali et aliis inferioribus suis, ne contra statutum et ordinationem huiusmodi aliquid attentare praesumerent, ac decernendo eosdem ministrum et alios suos inferiores dicti ordinis contrafacientes excommunicationis sententiae subiacere, a qua nonnisi per Romanum pontificem absolvi valerent, et ex tunc, si secus super praemissis a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari, irritum et inane fore, idem Ludovicus dubitat ordinationem et licentiam huiusmodi viribus non subsistere ac praetextu dicti privilegii ad alias domus eiusdem ordinis etiam invitus posse transmitti. Quare pro parte dicti Ludovici *etc.* Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... praefato Ludovico, quod in eadem domo Barchinonen., ac si illius frater conventualis foret et habitum ibidem suscepisset ac in ea professionem emisisset, quoad vixerit, commorari libere et licite valeat, auctoritate Nostra concedas, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, pridie nonas ianuarii, ... anno VI.

1629. Mandat, ut fratribus O. F. M. de observ. insulae Chause concedat domum presbyteralem extra muros loci de Grandivilla, Constantien. dioec. (4).

1453, ianuarii 4, Romae.

Dilecto filio archidiacono de Citrauada in ecclesia Baiocen.

Sedis Apostolicae copiosa benignitas *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecto-

(1) Reg. Lat. t. 479, f. 180 v.
(2) Vide Bull. Franc. t. VII, n. 1096, p. 373.
(3) Vide ibid. n. 1628, p. 617.
(4) Reg. Lat. t. 482, f. 228 v.

rum filiorum Radulphi Dargonges, rectoris maioris portionis parochialis ecclesiae B. Mariae loci de Grandivilla, Constantien. dioec., magistri in artibus et licentiati in decretis, ac nobilis viri Iohannis etiam Dargonges, ipsius Radulphi fratris germani, domicelli dioec. et veri patroni ecclesiae praedictarum, petitio continebat, quod olim ipse Radulphus, cupiens in dicto loco cultum divinum suis temporibus adaugeri ac considerans dilectos filios fratres ordinis Minorum de observantia de insula Chause causantibus guerris et piratarum incursibus eorum domum necessario reliquisse, pia devotione motus, de consensu dicti Iohannis patroni eosdem fratres in domum suam presbyteralem, quae extra muros eiusdem loci consistit et causantibus dictis guerris in ruinam collapsa exsistit, charitative recepit illamque postmodum ad supplicationem dilectorum filiorum nobilis viri Iohannis de Loraia, capitanei eiusdem loci, necnon parentum suorum et universorum ac singulorum parochianorum dictae ecclesiae pro usu et habitatione perpetuis eorumdem fratrum, dummodo idem Radulphus et successores sui, dictae ecclesiae rectores, qui pro tempore essent, ab habente potestatem occasione domus presbyteralis huiusmodi imperpetuum deonerarentur eisque de alia domo presbyterali sive loco ad eam aedificandam provideretur, in perpetuam eleemosynam eisdem fratribus concessit et donavit, prout in instrumento publico desuper confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ipsi Radulphus et Iohannes concessionem et dationem praedictas et omnia inde secuta pro eorum subsistentia firmiori apostolico munimine roborari desiderent, pro parte eorumdem ... Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... donationem et concessionem praedictas ... approbes et confirmes suppleasque omnes defectus *etc.* Et nihilominus ... eisdem fratribus domum praedictam in domum eiusdem ordinis cum ecclesia ... erigendi ... ac eam perpetuo inhabitandi licentiam, quodque dicti fratres in ipsa domo dioecesani loci ... licentia minime requisita ac iure parochialis ecclesiae ... semper salvo, necnon fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus auctoritate Nostra licentiam largiaris. Nos enim dictis fratribus, ... quod omnibus et singulis privilegiis ... uti ... valeant, ... indulgemus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, pridie nonas ianuarii, ... anno VI.

1630. Mandat, ut fratribus O. F. M. de observ., provinciae Ianuen., concedat ecclesiam parochialem B. Mariae Plebis, extra muros loci de Savigliano, Taurinen. dioec., pro habitatione fratrum praedictorum (1).

1453, ianuarii 4, Romae.

Venerabili fratri episcopo Montis Regalis.

Ad ea, per quae foecundi fructus, quos in agro militantis ecclesiae sacra fratrum Minorum religio *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Hieronymi de Ianua, vicarii provincialis provinciae Ianuen. iuxta morem ordinis Minorum de observantia, ac universitatis et hominum loci de Savigliano, Taurinen. dioec., petitio continebat, quod olim dilectus filius Daniel, abbas monasterii S. Petri de dicto loco, Romanae ecclesiae immediate subiecti, ordinis S. Benedicti, provide considerans domum fratrum Minorum regularis observantiae, quam ipsi universitas et homines in eodem loco habere desiderabant, nedum ad ipsorum, sed etiam ad incolarum locorum circumvicinorum animarum salutem et consolationem plurimum profuturam, pro illius fundatione et constructione parochialem ecclesiam B. Mariae Plebis, extra muros dicti loci, quae membrum praefati monasterii exsistit, una cum illius campanili, campanis, domo, aedificiis, area et horto ac aliis tunc expressis, praefatis universitati tradidit et donavit, prout in instrumento publico desuper confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte Hieronymi ac universitatis praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut traditionem et donationem praedictas ac omnia et singula in dicto instrumento contenta approbare et confirmare necnon alias super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, ... de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam vocatis dicto abbate et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de praemissis legitime constiterit, traditionem et donationem ac prout illas contigerint et rationabiliter processerint in instrumento contenta praedicta auctoritate Nostra approbes et confirmes; et si approbationem et confirmationem huiusmodi feceris, eidem Hieronymo et universitati ecclesiam praedictam et illius domos in domum pro aliquorum fratrum ordinis et observantiae praedictorum usu et habitatione cum campanili, campana, claustro, dormitorio, coemeterio, horto, hortalitiis erigendi ... ac omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu etiam

(1) Reg. Lat. t. 479, f. 249 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 83.

opportuna faciendi et exsequendi proviso, quod animarum cura dictae ecclesiae nullatenus negligatur, sed prout antea diligenter exerceatur, ac iure parochialis ecclesiae antedictae et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, plenam et liberam eadem auctoritate licentiam concedas. Nos enim fratribus in praedicta domo pro tempore commorantibus, quod ipsi et domus praedicta omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licere possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, pridie nonas ianuarii, ... anno VI.

1631. Laurentio de Monte, vicario fratrum O. F. M. de observ., provinciae Provinciae, concedit licentiam recipiendi locum in castro Pedenatii, Agathen. dioec., pro habitatione fratrum (1).

1453, ianuarii 9, Romae.

Dilecto filio Laurentio de Monte, vicario provinciae Provinciae iuxta morem ordinis fratrum Minorum regularis observantiae.

Ut sacer ordo fratrum Minorum *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu, attente considerans eximium devotionis fervorem, quem dilecti filii universitas et homines castri Pedenatii, Agathen. dioec., quod famosum et bonis seu facultatibus abundans exsistit, ad dictum ordinem gerunt, in praefato castro, in quo nulla domus seu nullus conventus ordinum mendicantium habetur, unam domum dicti ordinis Minorum fundare et construere seu fundari et construi facere summopere desideres, Nos, qui ad dictum ordinem specialis gerimus devotionis affectum et ad ea libenter intendimus, per quae ordo ipse ulterius novis palmitibus valeat propagari, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, unum locum in praefato castro seu extra illud in eius districtu consistentem, qui tibi largitione fidelium concedi seu elargiri canonice contigerit, recipiendi et in illo unam domum cum ecclesia, campanili, campana, coemeterio, claustro, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis sub illius regulari observantia inibi pro tempore degentium, construendi et erigendi seu construi et erigi faciendi, fel. rec. Bonifatii papae VIII, praedecessoris Nostri *etc.* nequaquam obstantibus, dioecesani loci et cuiuscumque alterius licentia desuper nullatenus requisita, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur ac volumus et eadem auctoritate decernimus, quod domus constituenda praedicta et in ea pro tempore degentes fratres omnibus et singulis privilegiis ... uti possint pariter et gaudere *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, V idus ianuarii, ... anno VI.

1632. Sororibus III O. S. Fr. Reatin. concedit licentiam emittendi vota castitatis, obedientiae et paupertatis et facultatem recipiendi sorores ad habitum et professionem (2).

1453, ianuarii 16, Romae.

Dilectis in Christo filiabus sororibus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in domo S. Clarae Reatin., eiusdem ordinis, commorantibus, praesentibus et futuris.

Devotarum Nobis et Sedi Apostolicae *etc.* Hinc est, quod vos, cupientes, ut sub regulari observantia vestri tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, sub qua, ut asseritis, in domo S. Clarae Reatin., eiusdem ordinis, degitis, eo ferventius et cum maiori animarum vestrarum fructu necnon aliorum exemplo virtutum studeatis, quo vos maioribus favoribus et gratiis per Nos muniri conspexeritis, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, quod illa videlicet ex vobis, quae ministra eiusdem domus pro tempore fuerit, in alicuius ex vobis, quam ad hoc ministra ipsa duxerit eligendam, aliae vero omnes et singulae sorores ex vobis praesentibus et futuris in ministrae pro tempore exsistentis huiusmodi manibus castitatis et obedientiae necnon in particulari, ita tamen, quod nulla vestrum aliquod proprium nisi in communi habeat et vivat pro indiviso, paupertatis in omnibus et per omnia ad instar dilectarum in Christo filiarum sororum domus Palociae trans Tiberim de Urbe, dictorum ordinis et observantiae, votum emittere possitis et debeatis necnon quascumque dictum ordinem profiteri et vobiscum cohabitare volentes, dummodo aliud canonicum non obsistat, in sorores eiusdem vestrae domus recipere et ad professionem antedictam admittere libere et licite valeatis, constitutionibus ... nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali dono gratiae indulgemus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XVII kal. februarii, ... anno VI.

---

(1) Reg. Lat. t. 479, f. 249; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 84. De Laurentio cf. sup. n. 1523, p. 762.

(2) Reg. Lat. t. 479, f. 283. Eadem concessio sub eadem forma et die fit sororibus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in domo S. Agnetis Viterbien., eiusdem ordinis, commorantibus, praesentibus et futuris. Ibid. f. 283 v.

1633. Mandat, ut Francisco de Carreto, O. F. M., concedat licentiam recipiendi domum in loco Spigni, Saonen. dioec., pro fratribus O. F. M. de observ. (1).

1453, ianuarii 23, Romae.

Dilecto filio praeposito ecclesiae Saonen.

Pia Deo et ecclesiae desideria *etc.* Sane pro parte dilecti filii Francisci de Carreto, ordinis fratrum Minorum, magistri in theologia, petitio continebat, quod dilectus filius nobilis vir Franciscus de Carreto, ex marchionibus Saonae, dominus loci Spigni, Saonen. dioec., fervore devotionis accensus, ... ad honorem et omnipotentis Dei laudem ac B. Mariae Virginis necnon SS. Francisci ac Bernardini totiusque coelestis curiae ac pro suae parentumque et amicorum suorum animarum salute ac divini cultus augmento pro fundatione et constructione unius domus seu oratorii pro usu et habitatione fratrum Minorum de bonis sibi a Deo collatis certum fundum ac domos in dicto loco consistentes necnon alia bona dare et assignare paratus exsistit, dictusque frater Franciscus super huiusmodi fundo ex eisdem bonis et aliis, christifidelium elargitione unam domum seu oratorium cum ecclesia, campanili, campanis, coemeterio, claustro, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis sub vocabulo dicti S. Bernardini de novo fundare, construere, aedificare, erigere seu fundari, construi, aedificari et erigi facere Domino concedente proponit, si ei super hoc Apostolicae Sedis suffragetur auctoritas. Quare pro parte dicti fratris Francisci, qui etiam ex dictis marchionibus traxit originem, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus et committimus, quatenus, si est ita, praedicto fratri Francisco unam domum seu oratorium cum ecclesia, campanili ... ac aliis necessariis officinis in dicto fundo, dummodo ad hoc conveniens fuerit, pro usu et habitatione dictorum fratrum Minorum, qui sub vicarii generalis eiusdem ordinis ministri regimine perpetuo vivere debeant, sub vocabulo S. Bernardini de novo fundandi ... plenam et liberam auctoritate Nostra licentiam concedas, dioecesani loci et cuiusvis alterius super hoc licentia et assensu minime requisitis. Non obstantibus *etc.* Volumus autem, quod ipsi fratres, quos in dicta fundanda domo pro tempore morari seu residere contigerit, omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant pariter et gaudere, iure tamen parochialis ecclesiae *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, X kal. februarii, ... anno VI.

1634. Concedit indulgentias visitantibus capellam S. Mariae Magdalenae prope civitatem Andegaven., ab Elisabeth, regina Siciliae, aedificatam, in qua religiosos de observantia ordinare proponit (2).

1453, ianuarii 31, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, charissima in Christo filia Nostra Elisabeth, regina Siciliae illustris, ... sub titulo S. Mariae Magdalenae quamdam capellam ad conformitatem et similitudinem loci de Balma, Aquen. dioec., in quo praefata Maria Magdalena poenitentiam peregit, in quodam loco civitati Andegaven. bene propinquo, propter similitudinem huiusmodi Balmeta, alias parva Balma appellato, et in quo fratres religiosos de observantia (3) Altissimo in divinis deservituros ordinare proponit, construi et aedificari fecerit opere non modicum sumptuoso, Nos, ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo eiusdem S. Mariae Magdalenae ac feria tertia festivitatem resurrectionis D. N. I. C. immediate sequente dictam capellam devote visitaverint annuatim, quotiens in festivitate ac feria huiusmodi visitaverint, ... septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus post viginti annos minime valituris *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, pridie kal. februarii, ... anno VI.

1635. Roberto Wotton, O. F. M., baccalaurio in theologia et lectori perpetuo, concedit licentiam recipiendi beneficium ecclesiasticum (4).

1453, ianuarii 31, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, pridie kal. februarii, ... anno VI.

1636. Mandat, ut monasterio S. Clarae, villae de Conde, O. S. Cl., Bracaren. dioec., uniat ecclesiam parochialem S. Salvatoris de Nabaes, eiusdem dioec. (5).

1453, februarii 3, Romae.

Dilecto filio priori monasterii B. Mariae de Nandin, per priorem soliti gubernari, Bracaren. dioec.

Sacrae religionis, sub qua dilectae in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii S. Clarae de villa de Conde, ordinis eiusdem sanctae,

(1) Reg. Lat. t. 479, f. 284 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 85.

(2) Reg. Lat. t. 482, f. 28.

(3) I. e. fratres Minores; cf. Wadd. *Ann.* ad ann. 1456, n. 236.

(4) Reg. Vat. t. 400, f. 323 v.

(5) Reg. Lat. t. 475, f. 288 v.

Bracaren. dioec., *etc.* Sane Nobis nuper pro parte dictarum abbatissae et conventus exhibita petitio continebat, licet olim monasterium ipsum amplissimis redditibus et proventibus per principes illarum partium dotatum exstiterit, tamen causantibus guerris, mortalitatibus et aliis sinistris eventibus redditus et proventus ipsi adeo diminuti exsistunt, quod conventus, in quo moniales in copioso numero, etiam de nobili et magno genere sunt, et aliae personae inibi exsistentes iuxta earum decentiam statum suum manutenere et onera sibi incumbentia supportare nequeunt, et, sicut eadem petitio subiungebat, si parochialis ecclesia S. Salvatoris de Nabaes, dictae dioec., quae per unam leucam a dicto monasterio distat, eidem monasterio perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, per capellanos eiusdem monasterii congrue et abundantius, quam solet, eidem ecclesiae deserviri necnon abbatissa et conventus praefati commodius sustentari et onera praedicta supportare possent. Quare pro parte abbatissae huiusmodi necnon charissimae in Christo filiae Ysabellis, Castellae et Legionis reginae illustris, et dilecti filii nobilis viri Alfonsi, ducis Bragantiae, qui ex eo, quod ipsius reginae avia et aliqui alii sui parentes et consanguinei in ecclesia dicti monasterii sepulti, ac quod parentes etiam ipsius ducis, ad quem dumtaxat ad ipsam parochialem ecclesiam pro tempore, dum vacat, personae idoneae praesentatio pertinere dignoscitur, huiusmodi monasterii institutores et fundatores exstiterunt, maximam ad illud devotionem gerunt, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictam parochialem ecclesiam, cuius triginta, eidem monasterio, cuius sexcentarum librarum Turonen. parvorum fructus, redditus et proventus secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, unire et alias super his opportune providere ... dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes, et ... parochialem ecclesiam praedictam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis praefato monasterio auctoritate Nostra perpetuo unias, incorpores et annectas, ita quod cedente vel decedente moderno ipsius parochialis ecclesiae rectore vel ipsam alias quomodolibet dimittente liceat praedictae et pro tempore exsistenti abbatissae per se vel alium seu alios parochialis ecclesiae iuriumque et pertinentiarum praedictorum corporalem possessionem auctoritate propria libere apprehendere necnon illius huiusmodi fructus ... in suos et conventus ac ecclesiae parochialis huiusmodi usus convertere ... dioecesani loci ... licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus *etc.*, proviso, quod parochialis ecclesia huiusmodi debitis propterea non fraudetur obsequiis et animarum cura inibi nullatenus negligatur, sed cura ipsa per capellanos praedictos exerceatur et illi laudabiliter deserviatur ac supportentur congrue eius onera consueta. Nos enim *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, III nonas februarii, ... anno VI.

1637. Mandat, ut hominibus terrae Tabernae [Taverna], Cathacen. dioec., concedat licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. eique applicandi oblationes et legata ecclesiae S. Spiritus extra praefatam terram facta et facienda (1).

1453, februarii 24, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Mariae de Pesacha extra muros terrae Tabernae, Cathacen. dioec.

Sincerae devotionis affectus, quem dilecti filii universitas et homines terrae Tabernae, Cathacen. dioec., ad Nos *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictorum universitatis et hominum petitio continebat, ipsi ad ordinem fratrum Minorum de observantia propter eorum religiosam vitam et multiplices animarum fructus, quos in Dei ecclesia tam ex eorum praedicationibus quam etiam ex auditione confessionum et alias illorum exemplari et religiosa vita dietim in Dei ecclesia afferunt, singularem gerentes devotionis affectum ac considerantes, quod nuper ex praedicationibus dilecti filii Nardi de dicta terra, praefati ordinis professoris, inibi factis quamplures ab antiquo inter homines praefatae terrae exortae dissensiones et discordiae sedatae exstiterunt, unam domum ordinis et observantiae praedictorum pro ipsorum consolatione et animarum salute necnon cultus et religionis huiusmodi augmento in praefata terra in loco ad hoc congruo et honesto fundare et construere summopere desiderent, pro parte eorumdem universitatis et hominum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum desiderio ... annuere et, ut desiderium suum huiusmodi commodius adimplere possint, ipsis, quod omnia et singula oblationes, legata, relicta et donata necnon quae legari, relinqui vel donari imposterum contigerit, ecclesiae seu capellae sine cura, quam ipsi universitas et homines de novo in vel extra praefatam terram

(1) Reg. Lat. t. 482, f. 98.

sub vocabulo S. Spiritus fundari et construi facere coeperunt, ... in fundationem et constructionem huiusmodi convertendi licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si ... tibi de praemissis legitime constiterit, eisdem universitati et hominibus dictam domum cum ecclesia ... fundandi ... necnon omnia et singula oblationes, legata, relicta et donata ... in fundationem ecclesiae seu capellae S. Spiritus praefatae convertendi ... necnon fratribus dictorum ordinis et observantiae ipsam domum pro eorum usu et habitatione recipiendi et illam perpetuo inhabitandi licentiam, quodque praefata domus et in ea pro tempore degentes omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere possint, ... concedere auctoritate Nostra procures. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, VI kal. martii, ... anno VI.

1638. Fratribus O. F. M. insulae Talernae concedit licentiam aedificandi domum in quacumque parte insulae Portusalbi (1).

1453, februarii 24, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus insulae Talernae, in confinibus Britanniae consistentis, ordinis fratrum Minorum.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.* Dudum siquidem pro parte vestra Nobis exposito, quod, licet olim insula Talernae, quae in confinibus Britanniae et mari undique circumdata exsistit, nonnulli fratres vestri ordinis fratrum Minorum et regularis observantiae, solitariam vitam agere cupientes, quamdam domum cum ecclesia, campanili, campana, dormitorio et aliis necessariis officinis ex piis christifidelium eleemosynis construxissent et aedificassent, quia tamen maris inundatione ac ventorum et turbinum procella causantibus quidam ex religiosis dicti ordinis ad praefatam insulam Talernae transfretantes in mari submersi fuerant et etiam ab eadem domo recedere et ad ipsam pro eorum necessariis redire absque corporum suorum periculo nequiverant, vos tunc, considerantes pericula huiusmodi et, quod commode in praefata insula obstantibus periculis remanere non poteratis, pro animarum vestrarum quiete ad insulam Portusalbi, in qua una ecclesia sine cura sub vocabulo S. Gildasii antiquitus constructa et quae quasi ruinam minabatur, consistit, vos transferre et in illa seu iuxta eam domum cum dormitorio, refectorio, claustro, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis iuxta regularia ipsius ordinis instituta in huiusmodi insula Portusalbi erigere, construere et aedificare necnon domum praedictam destruere illiusque lapides, ligna, trabes et alia quaecumque ad dictam ecclesiam S. Gildasii transferre et transportare dictamque ecclesiam S. Gildasii demoliri et inibi domum cum alia ecclesia, dormitorio, refectorio et aliis supradictis summopere desiderabatis, sed id facere non poteratis dictae Sedis licentia desuper non obtenta, ac etiam subiuncto, quod vos a dilecto filio rectore parochialis ecclesiae, infra cuius limites seu confines dicta insula Portusalbi consistit, necnon a dilecto filio nobili viro Arturo, comite de Richemont, regni Franciae comestabulario, dictae insulae Portusalbi domino temporali, in praefata insula Portusalbi standi, commorandi et aedificandi licentiam pariter et facultatem obtinueratis ac etiam domum seu ecclesiam construere vel aedificare coeperatis, Nos vobis ad dictam insulam Portusalbi transferendi et in illius ecclesia S. Gildasii praedicta seu iuxta illam domum cum dormitorio ... in dicta insula Portusalbi erigendi, construendi et aedificandi necnon domum Talernae praedictam destruendi illiusque lapides, trabes, ligna et alia quaecumque ad dictam ecclesiam S. Gildasii transferendi ac transportandi ipsamque ecclesiam Portusalbi demoliendi et inibi domum cum alia ecclesia ... construendi et in ea perpetuo remanendi ac dictam ecclesiam ... per aliquem catholicum antistitem, ... et quae inibi erigentur altaria, consecrari ac coemeterium benedici faciendi ... per alias Nostras licentiam duximus largiendum, prout in eisdem litteris (2) plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, licet locus ecclesiae S. Gildasii huiusmodi pro translatione, erectione et aedificatione praedictis aptus et idoneus exsistat, tamen forsan in praefata insula Portusalbi locum pro praemissis aptiorem vobis assignari posse speretis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... vobis sine alicuius praeiudicio erectionem, constructionem et aedificationem praedictas in quacumque parte ipsius insulae Portusalbi, quam ad hoc vobis concedi contigerit, alias iuxta dictarum litterarum continentiam faciendi, iure tamen parochialis ecclesiae ... salvo ... licentiam elargimur. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, VI kal. martii, ... anno VI.

(1) Reg. Lat. t. 475, f. 199.

(2) Vide sup. n. 1529, p. 764.

1639. Concedit indulgentias visitantibus capellam S. Bernardini in conventu fratrum O. F. M. Andegaven., a Renato, rege Siciliae, fundatam (1).

1453, februarii 27, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Splendor paternae gloriae *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, charissimus in Christo filius Noster Renatus, rex Siciliae illustris, ... quamdam capellam in ecclesia conventus fratrum Minorum Andegaven. sub titulo eiusdem S. Bernardini fundari, construi et aedificari fecerit opere non modicum sumptuoso, Nos ... omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festivitate ipsius sancti dictam capellam visitaverint annuatim, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, III kal. martii, ... anno VI.

1640. Mandat, ut concedat licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in civitate Calaritan. vel alibi in insula Sardiniae (2).

1453, martii 3, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Calaritan. et dilectis filiis communitati et civibus Calaritan.

Inter desiderabilia *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, in insula Sardiniae nullus sit locus seu conventus fratrum ordinis Minorum de observantia, vosque aliquam domum fratrum ordinis et observantiae huiusmodi, ad quos singularem geritis devotionis affectum, habere summopere desideretis, Nos ... vobis domum eorumdem ordinis et observantiae cum ecclesia ... in praefata civitate seu dioecesi Calaritan. vel alibi in dicta insula, ubi commodius poteritis et vobis videbitur, etiamsi ibi esset ecclesia, non tamen parochialis, dummodo per eum seu eos, ad quem vel ad quos locus ipse spectet et pertinet, eis concedatur, iure tamen ... salvo fundandi et construendi necnon vicario fratrum et observantiae praedictorum de insula Corsicae, quae eidem insulae Sardiniae vicinior exsistit, fratres eorumdem ordinis et observantiae in praefata fundanda domo sub eius et successorum suorum vicariorum ordinis et observantiae praedictorum de dicta insula Corsicae perpetuis temporibus commoraturos introducendi et collocandi ... licentiam elargimur. Et insuper fratribus, ... quod omnibus ... privilegiis uti valeant, ... concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, V nonas martii, ... anno VI.

1641. Mandat, ut confirmet unionem monasterii S. Laurentii prope Tudertum, O. S. Cl., cum monasterio S. Barbarae de Aquasparta, praesidatus Farfen., olim O. S. Ben., tunc O. S. Cl., eaque liberet a censu solvendo abbati monasterii Farfen. (3).

1453, martii 13, Romae.

Dilecto filio Alano, titulo S. Praxedis presbytero cardinali.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus S. Laurentii prope Tudertum, alias Montis Christi nuncupati, et S. Barbarae de Aquasparta, praesidatus Farfen., nullius dioec., ordinis S. Clarae monasteriorum invicem canonice unitorum, petitio continebat, quod, licet quondam Urbanus VI in sua obedientia nuncupatus, pie considerans quod moniales dicti monasterii S. Barbarae abbati monasterii Farfen., nullius dioec., in confirmatione abbatissae subiectae, miserrima paupertate gravabantur, ac ipsum monasterium S. Barbarae propter guerras, quae in partibus illis viguerant, quasi penitus eversum et destructum erat adeo, quod moniales ipsae vagari cogebantur, volensque in praemissis salubriter providere, dictum monasterium S. Barbarae monasterio S. Laurentii, ordinis S. Clarae, incorporaverit, annexuerit et univerit ipsisque monialibus monasterii S. Barbarae, quod deinceps sub regula et habitu eiusdem ordinis S. Clarae Altissimo perpetuo famularentur, gratiose concesserit, ex tunc unio ipsa effectum consecuta fuerit, praefataeque moniales monasterii S. Barbarae, quae ordinis S. Benedicti fuerant, sub eadem regula S. Clarae vixerint, prout etiam vivunt de praesenti, tamen venerabilis frater Noster Iohannes, archiepiscopus Tranen., qui monasterium ipsum obtinet in commendam, certas litteras, per quas omnes et singulae alienationes et dismembrationes bonorum vel ecclesiarum et generaliter quorumcumque bonorum ipsius monasterii Farfen. absque licentia Sedis Apostolicae a septuaginta annis citra factae revocantur seu revocari mandantur, certis a Nobis desuper exsecutoribus deputatis obtinuisse dicitur, quarum praetextu asserens abbatissam et conventus monasteriorum praedictorum sibi ad solutionem annui census octuaginta solidorum

(1) Reg. Lat. t. 482, f. 28v. (2) Reg. Lat. t. 482, f. 41v. (3) Reg. Vat. t. 405, f. 10.

ratione dicti monasterii S. Barbarae etiam de praeterito obligatas, illas coram te, uno ex executoribus litterarum Nostrarum praedictarum, in causam traxit et coram te eas citari fecit, tuque in ea ad nonnullos actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Quare pro parte abbatissae et monialium praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut considerato, quod ante septuaginta annos unio ipsa facta fuit, et quod ipsae in possessione dicti monasterii S. Barbarae interim fuerunt, prout exsistunt, ac censum huiusmodi non solverunt, quodque monasterium ipsum S. Barbarae propter eius totalem demolitionem in suis principalioribus bonis adeo diminutum exsistit, quod ex illis ultra quatuor salmas frumenti praefatae abbatissae et moniales non percipiunt annuatim, providere eis super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, ... circumspectioni tuae ... mandamus, quatenus ... unionem, annexionem, incorporationem et concessionem praedictas et inde secuta quaecumque auctoritate Nostra approbes et confirmes suppleasque omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus monasteria, abbatissam et moniales huiusmodi a solutione dicti census de praeterito eadem auctoritate liberes penitus et absolvas eisque concedas, quod ad illius solutionem de cetero minime teneantur nec ad id per praefatum commendatarium seu pro tempore exsistentem abbatem monasterii Farfen. huiusmodi ex praetextu Nostrarum litterarum praedictarum seu quemcumque alium quavis, etiam apostolica, auctoritate fungentem invitae cogi possint, praefato commendatario super monasterio S. Barbarae ac censu huiusmodi perpetuum silentium imponendo, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, III idus martii, ... anno VI.

1642. Archidiacono ecclesiae Mantuan. mandat, ut confirmet locationem petiae terrae loci Spinosae, dioec. Mantuan., prope castrum Barchem (?), a Iacobo de Palazo, civi Mantuan., factam, pro certo annuo censu, solvendo monasterio S. Clarae de Miareto, O. S. Cl., extra muros Mantuan., quamdiu vivit Simona Francisci de Caprianis, monialis eiusdem monasterii, olim uxor Galeaz Francisci de Buzonibus, cui inter alia ista petia terrae a marito pro tempore vitae suae relicta erat testamento (1).

1453, martii 13, Romae.

Ad ea ex apostolicae servitutis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, III idus martii, ... anno VI.

1643. Mandat, ut approbet venditiones factas a monasterio SS. Cosmae et Damiani, regionis Transtiberim de Urbe, O. S. Cl. (2).

1453, martii 13, Romae.

Venerabili fratri Berardo, episcopo Spoletan., Nostro in spiritualibus in alma Urbe vicario.

Ea, quae pro monasteriorum *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii monialium SS. Cosmae et Damiani, regionis Transtiberin. de Urbe, ordinis S. Clarae, ac dilecti filii Angelucii Antonii Lucii, civis Sutrin., petitio continebat, quod, licet alias quondam Angelus magistri Paschalis de Urbe, tunc procurator per abbatissam et conventum dicti monasterii ad vendendum et alienandum inter cetera pro reparatione monasterii praefati quaedam ipsius tunc expressa immobilia bona ad ipsum monasterium legitime spectantia specialiter constitutus, omnes et singulos redditus ac omne ius omnemque actionem et proprietatem, quae ipse ac dictum monasterium in quadam vinea in territorio civitatis Nostrae Sutrin. et contrata Corvini infra suos, tunc specifice designatos, fines exsistente, quae idem Angelucius et quondam Rentius, eius frater, dum viveret, in emphiteusim perpetuam tenebant, pro pretio triginta quinque florenorum monetae currentis, ac unam petiam terrae cum sterpario et caesa iuxta res ecclesiae S. Iacobi Sutrin. pro decem et octo florenorum auri, unum aliud petium terrae prativae, situm in contrata Fontismarinae iuxta alios suos fines, pro pretio decem florenorum monetae praedictae diversis temporibus, praecedentibus publicis bannimentis et subhastationibus necnon canonem sive censum annuum cuiusdam vineae positae in territorio castri Campagnani, Nepesin. dioec., in contrata Stabinovi iuxta alios suos confines, etiam tunc expressos, quam similiter quondam Iohannes Lelli de Guerronibus de Nepe pro certo annuo tunc expresso censu sive canone a praefato monasterio in emphiteusin tenebat, eisdem Angelucio et Rentio ac censum sive canonem et directum dominium dictae vineae dilectae in Christo filiae Romanae, relictae quondam eiusdem Iohannis de Guerronibus, pro emptione et pretio illarum plus offerentibus pro florenis octo auri pro se suisque haeredibus et successoribus vendiderit eaedemque abbatissa et conventus venditiones ipsas per dilectum filium fratrem Scolarem de Montealcino, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professorem ac provinciae Thusciae secundum morem

(1) Reg. Lat. t. 476, f. 57 v.

(2) Reg. Lat. t. 475, f. 176. Cf. sup. n. 1251, p. 643.

dicti ordinis ministrum, tamquam utiles pro necessaria reparatione praedicta factas ratificari, acceptari et confirmari obtinuerint, ipseque minister pretia ex venditionibus huiusmodi provenientia in reparationem cuiusdam parietis dicti monasterii conversa et exposita fuisse cognoverit, prout *etc.* Ne tamen super venditionibus et aliis praemissis ... haesitari contingat, pro parte abbatissae, conventus, Angelucii et Romanae praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... venditiones praedictas auctoritate Nostra approbes et confirmes, supplendo *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, III idus martii, ... anno VI.

1644. Statuit, quod fratres O. F. M. de observ. non possint praedicare vel loca recipere in civitate et dioecesi Hispalen., nisi de licentia Iohannis, episcopi Ostien. (1).

1453, martii 15, Romae.

Venerabili fratri Iohanni, episcopo Ostien.

Dudum ad audientiam Nostram fida relatione deducto, quod nonnulli religiosi diversorum ordinum, etiam mendicantium, praesertim ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupati, partium Hispaniae, tam in suis praedicationibus publicis quam etiam in privatis ipsorum conversationibus errorum zizanias inter christifideles ac tam saecularem quam etiam alium regularem clerum dissidiorum ac turbationum et scandalorum nutritivas temere seminare et a veritate devia pro veris astruere et defensare non verentur, per alias Nostras litteras (2) fraternitati tuae dedimus in mandatis, quatenus praemissis excessibus et scandalis corrigendis et cohibendis diligenter intendens, adversus quoscumque, quos in illis culpabiles nosceres, super huiusmodi excessibus inquireres ac, quatenus opus foret, etiam visitationis officium quoad eorum loca et eorumdem locorum personas singulas exerceres et punires, prout huiusmodi excessuum circumstantiis attentis iudicares expedire, tibique adversus culpabiles praedictos inquirendi ac eos visitandi, corrigendi, puniendi, incarcerandi et quasvis ecclesiasticarum censurarum et alias, de quibus tibi videretur, poenas in eos proferendi necnon quoad huiusmodi cohibendos et reprimendos excessus utilia et opportuna faciendi et ordinandi ac ea, quae in his facienda et ordinanda decerneres, per te vel alium seu alios sub similium coercitione poenarum exsequendi plenam et liberam concessimus facultatem, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, sicuti Nobis innotuit, iidem fratres, asserentes se super hoc licentia et auctoritate Sedis Apostolicae suffultos, diversa domos, loca et oratoria in dictis partibus ultra quam expediat erigant et etiam per alios erecta recipiant ipsaque recepta dimittant pro suo libitu voluntatis et in praeiudicium plurimum iuris alieni, Nos, super his salubriter providere, de dictis cohibendis excessibus etiam alia accommoda remedia adhibere cupientes, harum serie ex certa scientia auctoritate apostolica statuimus ac decernimus et ordinamus, quod de cetero nullus ex praedictis fratribus in civitate et dioecesi Hispalen. absque tua licentia praedicare nec aliqui ibidem quaecumque loca pro usu et habitatione sua recipere aut erigere seu recepta mutare praetextu quarumcumque litterarum apostolicarum sub quacumque forma vel expressione verborum ipsis super hoc concessa, etiamsi illae praesentibus contrarientur expresse, quomodolibet possint, nisi prius singulis circa hoc circumstantiis per te recensitis id sub tuarum testimonio litterarum iudicaveris expedire, ac volumus, quod, ne quisquam adversus praesentem constitutionem quidquam attentare praesumat, tu etiam facultate praedicta quoad quoscumque secus facientes uti possis et debeas in omnibus et per omnia iuxta praedictarum litterarum continentiam et tenorem. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, idibus martii, ... anno VI.

1645. Statuit, ut fratres domus S. Crucis extra muros Iadren., O. F. M. de observ., transferantur ad domum S. Francisci amotis inde fratribus conventualibus et civibus concedit licentiam domum S. Crucis demoliendi (3).

1453, martii 20, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Inter desiderabilia cordis Nostri *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum communitatis et civium civitatis Iadren. petitio continebat, ipsi communitas et cives considerantes inhonestissimos mores et sceleratam vitam fratrum domus S. Francisci, Iadren., ordinis fratrum Minorum, multiplicia quoque delicta, crimina et excessus per dictos fratres hactenus commissa et quae dietim committuntur adeo publice et notorie, ut, nisi fratres ipsi ab eadem domo amoveantur, exinde quamplurima scandala verisimiliter subsequentur, quodque etiam dicti communitas et

(1) Reg. Vat. t. 424, f. 245.
(2) Vide sup. n. 1378, p. 710 et n. 1616, p. 805.
(3) Reg. Vat. t. 428, f. 232; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 105. De domo S. Crucis cf. sup. n. 598, p. 281.

cives ob timorem impugnationum et insultuum, quae illis per ipsorum hostes et praesertim perfidos Teucros, christiani nominis inimicos, ex domo S. Crucis extra muros Iadren., fratrum dicti ordinis regularis observantiae, verisimiliter fieri possent, domum S. Crucis huiusmodi demoliri facere intendant; attendentes insuper quamplures animarum fructus, quos ipsi cives ex praedicationibus et religiosa vita dictorum fratrum de observantia consequuntur et consequi possint, conventuales a praefata domo S. Francisci amoveri et ad ipsam fratres de observantia huiusmodi transferri summopere desiderent, pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum dominii Venetorum, sub quorum temporali dominio praefata civitas exsistit, ac dictorum communitatis et civium Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad obviandum scandalis et aliis praemissis ac pro ipsorum civium animarum salute necnon divini cultus et religionis augmento in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dissensionibus et scandalis quibuscumque, quantum cum Deo possumus, obviamus et cultum necnon religionis augmentum huiusmodi nostris praesertim temporibus vigere et augeri intensis desideriis affectamus, de praemissis omnibus et singulis tam per litteras dictorum nobilium dominii quam alias plenissime informati, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium praefatam domum S. Francisci ad regularem observantiam dicti ordinis, sub qua fratres eiusdem domus S. Crucis degunt, reducimus et reformamus et pro reductione et reformatione huiusmodi statuimus, decernimus et in virtute sanctae obedientiae eis districte praecipiendo mandamus, quod ex nunc inantea perpetuis futuris temporibus regularis in praefata domo S. Francisci servetur observantia ac sub illa fratres in ea nunc et inposterum degentes vivant ipsaque domus S. Francisci ac illius fratres et personae vicariis et aliis superioribus ordinis et observantiae praedictorum, sub quibus praefata domus S. Crucis et eius personae subiectae exsistunt, in perpetuum in omnibus et per omnia subsistant ac iuxta ritus, mores, statuta et privilegia fratribus ordinis et observantiae praedictorum per Sedem Apostolicam concessa regatur et gubernetur. Et nihilominus, ut reductio et reformatio huiusmodi suum celerius sortiantur effectum, dilectos filios guardianum et fratres domus S. Crucis ad praefatam domum S. Francisci, ut inibi commorentur et Altissimo deserviant, transferimus; quodque nunc exsistens guardianus S. Crucis eiusdem S. Francisci domorum guardianus sit et censeatur, decernimus, modernum guardianum domus S. Francisci a guardianatu et illos ex eiusdem domus S. Francisci conventualibus fratribus, qui sub dicta observantia vivere noluerint, a praefata domo S. Francisci realiter et omnino amoventes. Praeterea volumus et eadem auctoritate statuimus et decernimus, quod omnia possessiones et bona immobilia praefatae domus S. Francisci quandocumque, quaecumque et quotcumque et qualiacumque et quanticumque valoris sint, per dictos communitatem et cives seu deputatos ab eis perpetuo regantur et gubernentur, seu si eis id magis expedire videbitur, per ipsos communitatem et cives seu deputatos ab eis publica subhastatione prima simul vel successive vendantur illorumque pretium seu pretia in emptionem impraestitorum de Venetiis, quorum seu possessionum et bonorum praedictorum fructus et emolumenta annis singulis in reparationem et conservationem fabricae eiusdem domus S. Francisci, quae, sicut accepimus, in ruinam labitur et magna reparatione noscitur indigere, exponantur penitus et omnino convertantur. Ipsis insuper communitati et civibus praefatam domum S. Crucis extra muros praedictos consistentem illius tamen ecclesia alias illaesa permanente demoliendi licentiam, ac praedictae domui S. Francisci et fratribus de observantia in ea pro tempore degentibus, quod omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite possint et valeant, eadem auctoritate concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Cupientes autem, ut praesentes Nostrae litterae votivum sortiantur effectum, venerabili fratri Nostro episcopo Scardonen. et dilecto filio archidiacono ecclesiae Noven. per apostolica scripta mandamus, ... quoties et quando pro parte dictorum communitatis et civium rogati fuerint, praesentes Nostras litteras sollemniter publicantes *etc.* Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Aut si guardiano *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XIII kal. aprilis, ... anno VII.

1646. Mandat, ut omnia bona mobilia et immobilia ecclesiae S. Nicolai, extra muros Antibaren., fratrum O. F. M. de observ., legata fabricae et reparationi eiusdem applicari faciat [1].

1453, martii 20, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Antibaren.

Sedis Apostolicae gratiosa *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum

[1] Reg. Lat. t. 486, f. 124; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 87.

guardiani et fratrum domus S. Nicolai extra muros Antibaren., ordinis fratrum Minorum, petitio continebat, quod, licet dudum tunc rector capellae et ecclesiae sine cura S. Nicolai extra dictos muros, praedictam ecclesiam seu capellam nonnullis fratribus praedicti ordinis pro fundanda seu construenda inibi una domo eiusdem ordinis dederit et concesserit ac postmodum capella seu ecclesia huiusmodi in domum ipsius ordinis canonice erecta seu instituta fuerit, et ex tunc fratres in dicta domo commorantes in dicta ecclesia seu capella, quae pro ecclesia eiusdem domus deputata exstitit, missas et alia divina officia continuo celebraverint, credaturque, quod omnia et singula, praesertim de immobilibus bonis eidem ecclesiae pro tempore facta legata ad dictam ecclesiam pertineant et pertinere debeant, tamen nonnulli presbyteri saeculares, qui non institutionis vel collationis vel alterius provisionis sibi de dicta capella seu ecclesia factis, sed cuiusdam substitutionis vel successionis vigore, hoc modo videlicet, quia unus alteri ex presbyteris praedictis eam in morte dimisit, fructus, redditus et proventus, iura, obventiones emolumentaque ac omnia legata dictae capellae seu ecclesiae facta, de immobilibus in totum, de mobilibus vero bonis pro medietate sibi usurpaverunt, prout adhuc quidam sacerdos usurpat. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praedicta domus, quae ab uno anno vel citra ad regularem ipsius ordinis observantiam reducta exstitit, in suis structuris ac aedificiis reparatione non parva indigere noscatur, pro parte eorumdem guardiani et fratrum, asserentium, quod medietas legatorum de immobilibus bonis eidem ecclesiae factorum, quae dictis fratribus cedere consuevit, ad reparationem huiusmodi nullatenus sufficit, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam vocatis, qui fuerint evocandi, tibi de praemissis legitime constiterit, omnia et singula legata, quae de mobilibus ac immobilibus bonis in antea eidem ecclesiae sive capellae fieri contigerit, ad reparationem huiusmodi et illius necnon praedictae domus fabricae commodum et utilitatem auctoritate Nostra perpetuo deputare, concedere et assignare procures. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Aut si praedicto presbytero *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, XIII kal. aprilis, ... anno VII.

1647. Statuit, ut conventus O. F. M. de observ. Castri Rodulphi (Châteauroux), Bituricen. dioec., per solos fratres de observ. inhabitetur ac fratribus conventualibus perpetuum de eo silentium imponit (1).

1453, martii 27, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Piae postulatio voluntatis *etc.* Sane ex quarumdam litterarum dilecti filii nobilis viri Guidonis de Caliniaco, vicecomitis de Brossa ac Castri Radulphi domini, Nobis directarum tenore ac etiam fide dignorum relatione nuper accepimus, quod, licet ipse vicecomes olim conventum fratrum Minorum dicti Castri Radulphi, Bituricen. dioec., a suis praedecessoribus fundatum, sed tunc tam in divino cultu quam in suis structuris et aedificiis incommoda multa patientem, ob singularem tamen, quem ad ipsum gerebat, prout gerit, devotionis affectum, auctoritate quondam Guillelmi de Casale, dicti ordinis ministri generalis, reformari et in illo dilectum filium Nicolaum Guidonis, dicti ordinis professum, guardianum deputari procuravit, ipse guardianus et alii fratres, qui tunc in eodem conventu laudabiliter divinis insistentes seque Deo humiles et acceptos populis reddentes sub reformatione regulari et observantia praedicta hactenus deguerunt, nihilominus tamen nonnulli eiusdem conventus et alias dicti ordinis fratres conventuales, in praefatum locum seu conventum interesse se habere praetendentes, guardianum et fratres omnes cum eo degentes super dicto conventu eos molestarunt ac multipliciter turbarunt, inter alia praefatos fratres de observantia ab eodem conventu removeri et expelli sibique restitui ac illius occasione captata coram diversis iudicibus in causam traxerunt et alias fecerunt et faciunt, quominus guardianus et degentes cum eo fratres praefati in eodem conventu quiete residere et circa divinum officium et contemplationem piae vitae, ut optant, vacare non possint. Quare pro parte eiusdem vicecomitis, asserentis praelibata aedificia sumptuoso opere se reparari fecisse ac formidare plurimum, si coepta in praefato loco seu conventu observantia relinqueretur, quod praefata aut similia incommoda pariter et detrimenta praenominatus locus seu conventus pateretur et subiret, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... super praemissis statui et indemnitati huiusmodi, quantum cum Deo possumus, providere volentes ac omnes et singulas lites et causas inter guardianum et fratres de obser-

(1) Reg. Vat. t. 424, f. 316 v. Eodem die litteris *Hodie Nostrae emanarunt* Archiepiscopo Turonen. et episcopo Parisien. ac abbati S. Gilvasii, Bituricen., mandat, ut supra positas litteras publicent et fratres de observ. defendant. Reg. Vat. t. 401, f. 27.

vantia ex una, necnon et conventuales fratres praefatos seu singulares ex eis personas super conventu et aliis praemissis ac eorum occasione partibus ex altera, coram quibuscumque iudicibus etiam ex specialibus commissionibus Nostris ubilibet indecisas pendentes, quarum statum et tenorem praesentibus haberi volumus pro expressis, ad Nos harum serie revocantes et penitus exstinguentes ipsisque fratribus conventualibus super eodem conventu sive domo perpetuum silentium imponentes, volumus et ex certa scientia statuimus et etiam ordinamus, quod perpetuis futuris temporibus in eodem conventu vigeat et teneatur dicta observantia regularis, quodque praefatus conventus per fratres ordinis de observantia huiusmodi dumtaxat inhabitetur et possideatur ac more aliorum locorum seu conventuum de observantia provinciae Turonen., in qua consistere dignoscitur, subiiciatur, regatur et manuteneatur, districtius inhibentes, ne de cetero ipsum conventum eis appropriare aut super eo sive illius occasione fratres huiusmodi de observantia in illo pro tempore degentes quomodocumque impetere, molestare aut perturbare sive ad iudicium quomodolibet vocare aut alias contra voluntatem, statutum et ordinationes Nostras huiusmodi contraire quovis quaesito colore non praesumant. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VI kal. aprilis, ... anno VII.

1648. Mandat, ut capiant Marianum de Iadra, O. F. M., qui officio ministri provinciae Dalmatiae privatus extra conventus vagatur, eumque excommunicatum denuntient (1).

1453, martii 29, Romae.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis in dignitatibus ecclesiasticis constitutis ac ecclesiarum cathedralium canonicis in Istriae, Dalmatiae et Albaniae provinciis commorantibus.

Pontificalis auctoritas Nos admonet *etc.* Nuper siquidem ex lamentabili querela dilectorum filiorum vicarii generalis et provincialis ministri provinciae Dalmatiae ac fratrum ordinis Minorum intelleximus, quod iniquitatis filius Marianus de Iadra, eiusdem ordinis professor, postquam per provinciale capitulum dictae provinciae officio provincialatus eiusdem provinciae Dalmatiae, in qua provincialis exsistebat, privatus exstiterat, una cum sigillo et scripturis dictae provinciae ac quampluribus bonis et pecuniarum summis, ad domos et conventus dictae provinciae pertinentibus, fugam arripuit ac extra conventus dicti ordinis hinc inde vagatur, praefatorum generalis vicarii et provincialis ac aliorum superiorum suorum monitiones et mandata contemnens, in religionis opprobrium ac perniciosum exemplum et scandalum plurimorum. Quare pro parte ipsorum vicarii generalis et provincialis ac fratrum *etc.* Nos attendentes, quod nec decet nec expedit similes praesumptores super huiusmodi excessibus absque animadversione debita relinquere incorrectos, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus Marianum generaliter per omnes ecclesias et loca intra dictas provincias consistentia excommunicatum et anathematizatum publice nuntietis et faciatis ab aliis nuntiari eumque ad requisitionem moderni provincialis huiusmodi personaliter capiatis et sub secura custodia teneatis seu apprehendi, capi, detineri et in carceribus mancipari faciatis ac ipsum cum eisdem sigillo, scripturis, bonis et pecuniarum summis ad provincialem praedictum cum fida custodia transmittatis, et si illum personaliter apprehendere nequeatis, processus reales et corporales contra ipsum et huiusmodi bona detinentes ac sibi praestantes auxilium, consilium vel favorem, donec veritatem negotii habueritis, ad requisitionem eamdem et non alias formetis et faciatis, super quibus omnibus et singulis vobis et cuilibet vestrum plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus *etc.* Contradictores *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV kal. aprilis, ... anno VII.

1649. Vicariis provinciarum Castellae et S. Iacobi, O. F. M. de observ., mandat, ut ad observantiam reducant domos O. F. M. in locis temporali dominio Henrici, principis Asturiarum et Iohannis regis Castellae et Legionis primogeniti, subiectis (2).

1453, aprilis 1, Romae.

Dilectis filiis Castellae et S. Iacobi provinciarum iuxta morem ordinis fratrum Minorum de observantia provincialibus vicariis.

Eximiae devotionis constantia, fidei quoque integritas, quas dilectus filius nobilis vir Henricus, princeps Asturiarum, charissimi in Christo filii Nostri Iohannis, Castellae et Legionis regis illustris, primogenitus, ad Nos et Romanam gerit ecclesiam *etc.* Cum itaque, sicut

(1) Reg. Vat. t. 428, f. 119.

(2) Reg. Vat. t. 401, f. 93, et iterum t. 440, f. 292, inclusa in litteris Callisti III. *Ad Apostolicae Sedis apicem* d. d. 23 februarii 1456.

exhibita Nobis nuper pro parte dicti principis petitio continebat, ipse princeps, zelo devotionis accensus, monasteria, domus, conventus, eremitoria atque loca ordinis fratrum Minorum in civitatibus, villis, terris, castris et locis suo temporali dominio subiectis consistentia, quae plurimum deformata exsistunt, reformari et ad regularem observantiam reduci, et quae iam ad observantiam huiusmodi reducta vel sub illa denuo constructa sunt, in ea manuteneri et conservari summopere desideret, Nos eiusdem principis pio et laudabili desiderio huiusmodi favorabiliter annuentes, dicti principis in hac parte supplicationibus inclinati, vobis vel cuilibet vestrum per vos vel alium seu alios in sua provincia consistentia omnia et singula monasteria, domos, eremitoria, conventus atque loca praedicta illorumque personas auctoritate apostolica visitandi, corrigendi, reformandi et ad regularem observantiam reducendi ac etiam reducta, reformata seu constructa, quavis auctoritate et per quemcumque fuerint necnon quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint et ubicumque consistant, per eorum nomina, cognomina, loca, qualitates, et quantitates praesentibus haberi volumus pro expressis, quod sub obedientia vicarii provincialis illius provinciae, in qua consistunt, stare et illi obedire in omnibus et per omnia iuxta formam et tenorem diversarum litterarum fel. rec. Eugenii papae IV, praedecessoris Nostri, sub data X kal. augusti (1) et X kal. ianuarii (2), anno XVI, concessarum et sub poena in dictis litteris contenta perpetuo teneantur, statuendi et decernendi ipsarumque seu ipsorum personas corrigendi et compellendi etiam invitas, necnon omnia alia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exsequendi, contradictores ... compescendi, invocato ... auxilio brachii saecularis, plenam et liberam dicta auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus pariter et facultatem. Non obstantibus constitutionibus, ... praesertim dilecto filio ministro provinciae Castellae, quibus per Nos sub data XIII kal. novembris, pontificatus Nostri anno III (3), concessis inter cetera statuimus et ordinavimus, quod omnia et singula domos, eremitoria aliaque loca religiosa cum eiusdem ministri seu vicarii illius et custodis consensu reformata et consequenter aliqui ipsorum fratrum data sive recommissa, ut erat domus Civitatisregalis, dicti ordinis, Toletan. dioec., sub excommunicationis poena, quam ipso facto contrafacientes incurrerent, eidem provinciali ministro obedire teneantur, quibus omnibus et singulis ... quoad praemissa expresse derogamus et quae pro infectis habemus, ... ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si monasterii *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, kalendis aprilis, ... anno VII.

1650. Episcopo Lunen., mandat, ut Iohanni Laurentio de Villanis de Pontremulo, clerico Lunen. dioec., in universitate studii Senen. studenti in iure canonico, conferat beneficium, capellania nuncupatum, ad altare S. Iohannis situm in ecclesia S. Michaelis de Ponzano, Lunen. dioec., vacans per resignationem Rolandi ex marchionibus de Malaspinis, domum O. F. M. Senen. ingressi, infra annum probationis exsistentis ac professionem dicti ordinis emittere sibi proponentis (4).

1453, aprilis 9, Romae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, V idus aprilis, ... anno VII.

1651. Tilemanno Sculteti confert canonicatum et mediam praebendam ecclesiae S. Sebastiani Magdeburgen., vacantem per liberam resignationem Iohannis Westermarke, ordinem fratrum Minorum ingressi (5).

1453, aprilis 10, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV idus aprilis, ... anno VII.

1652. Cassata unione monasterii S. Sebastiani, O. S. Cl., cum mensa capitulari Alatrin., olim per Eugenium IV facta et postea etiam ab ipso Nicolao V confirmata, dictum monasterium Iohanni Torcellio de Arretio, artium et sacrae theologiae magistro, subdiacono et cubiculario suo, commendat, ita ut post cessum vel decessum Iohannis iterum in perpetuum dictae mensae capitulari uniantur suppresso penitus in eodem monasterio ordine S. Clarae (6).

1453, aprilis 12, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii debitum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, pridie idus aprilis, ... anno VII.

---

(1) Vide sup. n. 1007, p. 497.
(2) Vide sup. n. 1038, p. 519.
(3) Vide sup. n. 1323, p. 676.
(4) Reg. Lat. t. 485, f. 124.
(5) Reg. Lat. t. 487 A, f. 123.
(6) Reg. Vat. t. 425, f. 148. — Abbatissa et una monialis dicti monasterii S. Sebastiani tunc superviventes in monasteriolo S. Nicolai de Alatrio degebant, post quarum cessum vel decessum facultas conceditur Iohanni praedicto de monasteriolo disponendi (ibid.).

1653. Confirmat statuta, a Nicolao (Cusano), tit. S. Petri ad Vincula presbytero cardinali, edita pro fratribus III O. S. Fr., Leodien. dioec. ([1]).

1453, aprilis 14, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ea quae pro salubri statu *etc.* Sane exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum ministri generalis et universorum fratrum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupatorum, in dioecesi Leodien. commorantium, petitio continebat, quod dudum Nicolaus, titulo S. Petri ad vincula presbyter cardinalis, in partibus Germaniae Apostolicae Sedis legatus, provide attendens mores et vitam fratrum praedictorum, ne a regula eis per Romanam ecclesiam data deviarent, sed in eadem contenta firmiter observarent, auctoritate legationis suae inter alia statuit et ordinavit, quod omnes et singuli ministri ac fratres dicti ordinis in domibus conventualibus in dicta dioecesi commorantes sub habitu de humili et simplici panno grisei coloris, prout in eorum regula, a fel. rec. Nicolao papa IV, praedecessore Nostro, confirmata, latius continetur, necnon caputia ad modum parvae cucullae super mantellum cum scapulari iuxta quaedam concessiones, declarationes et indulta a Nobis praefatis fratribus in communi viventibus concessa uti debeant et teneantur, ita quod omnes tales fratres in communi viventes nihil proprii retineant, nullusque recipiatur ad habitum et observantiam ac ad ipsius ordinis professionem nec receptus promoveatur, nisi de expresso consensu generalis ac ministrorum dicti ordinis pro tempore exsistentium, quibus dumtaxat et non aliis recipiendi fratres ac promovendi eosdem licentia concedatur, quodque omnes et singuli fratres dicti ordinis professi iuxta concessionem apostolicam praefato ministro ac eorum generali capitulo iuxta ipsorum regularia instituta et apostolica indulta obedire teneantur et sint adstricti, quibus etiam nequaquam licere voluit de ipsa religione, nisi ad alium arctiorem et strictiorem ordinem, ubi regularis observantia et disciplina observatur, exire, inter alia eisdem praecepit, quod personae feminei sexus non admittantur intrare conventus fratrum praedictorum, nisi ex causa legitima et de licentia ac consensu generalis ministri, neque etiam bona immobilia sive haereditates fratrum et conventuum praedictorum alienentur sine expresso consensu ordinarii et ministri generalis ordinis supradicti, statuta quoque et ordinationes huiusmodi sub suspensionis a divinis et [interdicti ab] ingressu ecclesiae sententiis, quas contrafacientes incurrere voluit ipso facto, inviolabiliter observari, absolutionem a sententiis huiusmodi generali ministro eorumdem reservando, prout haec et alia in statutis et ordinationibus dicti cardinalis, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus inserti forent, praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Quare pro parte ministri generalis et fratrum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus statutis et ordinationibus praefatis pro illorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac de statutis et ordinationibus dicti cardinalis plenius informati, ea omnia et singula praemissa rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus, ut statuta et ordinationes huiusmodi, per dictum cardinalem, ut praefertur, edita, firmius observentur, similia statuta et ordinationes in omni forma, prout superius continentur, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus et ordinamus illaque omnia et singula sub sententiis, censuris et poenis praedictis, quas contra facientes etiam incurrere volumus ipso facto, inviolabiliter observari volumus et mandamus, absolutionem ab eisdem sententiis, censuris et poenis, quotiens opus fuerit, generali ministro dicti ordinis reservando, decernentes etiam irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Praeterea cupientes, ut statuta et ordinationes huiusmodi ac omnia et singula in eis contenta inviolabiliter observentur et exsecutioni demandentur, dilectis filiis abbati monasterii S. Gertrudis Lovanien., Leodien. dioec., et decano ecclesiae S. Pauli Leodien. ac officiali Leodien. per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios statuta et ordinationes huiusmodi exsecutioni debitae demandent ac in eis contenta, ubi et quando expedire viderint, auctoritate Nostra sollemniter publicent ac faciant illa per fratres et alios praedictos inviolabiliter observari, non permittendo ministrum et fratres praedictos per ordinarium loci, delegatos iudices seu alios quoscumque contra tenores eorumdem quomodolibet molestari, contra-

([1]) Reg. Vat. t. 425, f. 205 v. Cf. sup. n. 1095, p. 553.

dictores *etc.* invocato *etc.* Non obstante *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVIII kal. maii, ... anno VII.

1654. Concedit indulgentias visitantibus capellam B. Mariae in ecclesia Gebennen., O. F. M. (1).

1453, aprilis 23, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Dum praecelsa meritorum *etc.* Cupientes igitur, ut capella B. Mariae, sita in ecclesia fratrum Minorum Gebennen., ad quam, ut accepimus, dilecta in Christo filia, nobilis mulier, Anna, ducissa Sabaudiae, magnum gerit devotionis affectum, et ad quam christifidelium causa devotionis confluit multitudo, congruis honoribus frequentetur *etc.*, omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui in assumptionis et annuntiationis eiusdem B. Mariae festivitatum diebus dictam capellam devote visitaverint et pro ipsius capellae ac ornamentorum ad divinum cultum necessariorum conservatione et manutentione manus porrexerint adiutrices annuatim, ... septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IX kal. maii, ... anno VII.

1655. Lugdunen., Lausanen. ac Matisconen. officialibus mandat, ut Andreae, episcopo Ebronen., O. F. M., sacrae theologiae magistro, qui Ludovico, duci Sabaudiae, et eius domui multa servitia impenderat, constituant pensionem trecentorum florenorum super emolumentis et exitibus ex quibuscumque sigillis curiae spiritualis episcopatus Gebennen. (2).

1453, aprilis 24, Romae.

Personam venerabilis fratris Nostri Andreae, episcopi Ebronen. *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VIII kal. maii, ... anno VII.

1656. Stephano Raaf, O. F. M. et theologiae professori ac nobilis mulieris comitissae Solopiae confessori, concedit licentiam recipiendi beneficium ecclesiasticum (3).

1453, maii 1, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, kalendis maii, ... anno VII.

1657. Maranen. et Naulen. episcopis ac praeposito ecclesiae S. Ambrosii Ianuen. mandat, ut Bonaventurae Baptistae de Caffa, O. F. M., conferant ecclesiam S. Marciani de villa Pellii, Ianuen. dioec., cuius aedificia partim collapsa sunt (4).

1453, maii 2, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VI nonas maii, ... anno VII.

1658. Iohanni de Capistrano, in Bohemia, Austria et Moravia commoranti, concedit facultatem recipiendi tot loca pro habitatione fratrum O. F. M. de observ., quotquot opportuna cognoverit (5).

1453, maii 4, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Capistrano, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum professori.

Circumspecta charitas Apostolicae Sedis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, divina favente misericordia tu, in Bohemiae Austriae et Moraviae provinciis more Minorum ordinis, personaliter constitutus, quamplurimos litteratissimos viros diversis temporibus et ultimo circa diem S. Stephani proxime decursum, quamplures magistros et baccalaureos in theologia ac clericos numero sexaginta quinque vel circiter terrena totaliter abnegantes et Iesum Christum, Salvatorem nostrum, in mendicitate imitari volentes, ad habitum ordinis seu religionis S. Francisci receperis, pluresque alii, devotione inducti, a te recipi similiter ferventer exoptent, quos ob locorum regularium defectum acceptare non possis, in quibus eosdem valeas regulariter collocare et instruere, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi in provincia seu provinciis Bohemiae, Moraviae et Austriae seu cuiuslibet earum confinibus iuxta morem ordinis Minorum praefati aliquas domos pro usu et habitatione fratrum ordinis Minorum de observantia huiusmodi fundandi, construendi et aedificandi seu fundari, construi et aedificari faciendi, insuper et conventus dicti ordinis fratrum inhabitatos vel quasi relictos, maxime per haereticorum persecutiones, accipiendi recipiendique licentiam concedere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... tuum pium et laudabile propositum in hac parte plurimum in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi in provincia seu provinciis

(1) Reg. Vat. t. 399, f. 168.
(2) Reg. Vat. t. 425, f. 121.
(3) Reg. Vat. t. 400, f. 324.
(4) Reg. Vat. t. 401, f. 258 v.
(5) Reg. Vat. t. 400, f. 69 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 88.

seu confinibus huiusmodi in locis ad id convenientibus et idoneis, pia tibi fidelium largitione seu alias quomodolibet concedendis, per te seu dictos fratres vel alios ordinatione tua iustis modis acquirendis, unam vel plures et quotquot necessarias et opportunas esse cognoveris, super quo tuam oneramus conscientiam, domos et loca etiam conventus ordinis praefati inhabitatos vel quasi huiusmodi pro usu et habitatione dictorum novitiorum et aliorum dicti ordinis de observantia fratrum praesentium et futurorum cum ecclesiis, campanis, claustris, coemeteriis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis accipiendi, acceptandi et assumendi ac de novo fundandi, construendi et aedificandi seu capi, recipi, fundari, construi et aedificari faciendi ipsisque fratribus et novitiis illas et illa pro huiusmodi usu et habitatione recipiendi et inhabitandi et inibi Altissimo famulandi plenam et liberam licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium elargimur, statuentes et ordinantes, quod ipsi fratres et novitii in eisdem domibus, conventibus et locis constructis vel construendis pro tempore commoraturi sub cura et regimine generalis vicarii citramontani praefati ordinis et familiae de observantia nuncupatae, prout alii fratres dicti ordinis et observantiae citramontanarum partium, sint et esse debeant ac omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant pariter et gaudere. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV nonas maii, ... anno VII.

1659. Dispensat, ut Bartholomaeus de Augustis, civis Brixien., non obstante aetate, et Iohannes, eius filius, non obstante defectu natalium, recipi possint ad ordinem fratrum Minorum de observ. (1).

1453, maii 5, Romae.

Dilectis filiis Bartholomaeo de Augustis ac Iohanni, eius nato, laicis, civibus Brixien.

Cupientibus vitam ducere regularem *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, vos, zelo devotionis accensi, cupiatis ordinem fratrum Minorum de observantia nuncupatorum ingredi et inibi sub huiusmodi observantia vestrum perpetuo reddere Altissimo famulatum, sed, quia in constitutionibus antiquis dicti ordinis caveri dicitur, quod nullus, qui quadragesimum suae aetatis annum transcendat, ad praedictum ordinem recipiatur, ac etiam in aliis constitutionibus dudum in generali capitulo dicti ordinis, in civitate Aquilan. legitime congregato, fratrum ipsius ordinis accedente consensu editis inter cetera cavetur expresse, quod nullus illegitime natus ad ipsum ordinem dispensatione apostolica super hoc minime obtenta recipi possit nec ad illum admittatur, desiderium vestrum huiusmodi adimplere non potestis, cum tu, Bartholomaee, quadragesimum tuae aetatis annum transscendas, tuque, Iohannes, defectum natalium, de dicto Bartholomaeo genitus et soluta, patiaris. Quare pro parte vestra *etc.* Nos igitur ... vobiscum, quod quemcumque civitatis Brixien. vel aliorum locorum dicti ordinis de observantia, ubi voluntarios inveneritis receptores, communiter vel divisim intrare et habitum dicti ordinis suscipere necnon professionem per eosdem fratres emitti solitam emittere tuque, Iohannes, clericali charactere alias rite insigniri et ad omnes etiam sacros ordines promoveri et in illis ministrare vosque in eodem ordine sub illius habitu et observantia remanere ac inibi perpetuo Altissimo famulari valeatis, ipsi fratres ac alii, ad quos pertinet, communiter vel divisim, ad ordinem et professionem huiusmodi absque alicuius poenae incursu recipere et admittere libere et licite possint, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia dispensamus, districtius inhibentes fratribus et aliis, ad quos pertinet, ut vos, dummodo aliud canonicum non obsistat, ad ordinem, habitum et observantiam huiusmodi recipere et admittere non postponant. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, III nonas maii, ... anno VII.

1660. Statuit, ut nulla virgo seu mulier invitis abbatissa et monialibus in monasterio B. Mariae de Palladio extra muros Eugubin., O. S. Cl., recipi possit (2).

1453, maii 5, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ut inter aeternae beatitudinis amatrices *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Lunnae, abbatissae, et conventus monasterii B. Mariae de Palladio, extra muros Eugubin., ordinis S. Clarae, petitio continebat, ex eo, quod licet, ut creditur, in institutis dicti ordinis caveatur expresse, quod nulla cuiusvis status, gradus, ordinis vel conditionis virgo seu alia mulier saecularis aut dicti seu alterius cuiuscumque ordinis religiosa aliquod eiusdem ordinis monasterium absque illius abbatissae et conventus vel sororum expresso consensu intrare ac inibi religionis habitum recipere seu permanere pos-

(1) Reg. Vat. t. 425, f. 278.

(2) Reg. Vat. t. 425, f. 211. Cf. sup. n. 1540, p. 769.

sit, tamen plerumque contingit, quod aliquae saeculares vel regulares personae, quorumdam potentium favoribus suffultae, praefatum monasterium B. Mariae ipsis Lunna abbatissa et conventu etiam renitentibus voluerunt et dietim nituntur intrare, non modo earum quies et animi turbantur, verum etiam dissensiones, rancores et scandala eis verisimiliter subsequi possent tempore procedente; pro parte abbatissae et conventus *etc.* Nos igitur ... auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, decernimus et ordinamus, quod in antea perpetuis futuris temporibus nulla quaevis virgo seu alia mulier saecularis aut praedicti vel alterius cuiuscumque ordinis religiosa, cuiuscumque status, gradus, ordinis seu conditionis fuerint, etiam vigore quarumvis litterarum apostolicarum quomodolibet concessarum in monialem seu sororem dicti monasterii, nisi de abbatissae et monialium seu sororum ac maioris partis earum expresso consensu, recipi et admitti seu ad illud transferri seu transmitti possit et debeat, nec abbatissa pro tempore exsistens eiusdem monasterii et conventus praedictae ad id per quoscumque, quavis auctoritate invitae cogi possint seu valeant quoquomodo, decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, III nonis maii, ... anno VII.

1661. Mandat, ut ministrae et sororibus Florentin., III O. S. Fr., congregationis de Fulgineo, concedat licentiam exsequendi ultimam voluntatem Angelae, sororis dictae congregationis (1).

1453, maii 8, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Florentin.

Honestis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum ministrae et aliarum sororum congregationis de Fulgineo nominatae, Florentin., tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, petitio continebat, quod olim quondam Angela, alias Philippa Antonii Philippi Petri Raynerii, soror dictae congregationis, antequam expresse professionem emitteret, de bonis suis condidit in eius voluntate ultima testamentum, in quo sorores et congregationem praedictas sibi haeredes omnium bonorum ac iurium suorum fecit et instituit et deinde confecto desuper instrumento praefatis ministrae et sororibus proprio ore dixit, quod ea intentione, videlicet, ut huiusmodi bona ab impositionibus, quae per commune Florentiae fieri consueverant, liberiora remanerent, praedictum condiderat testamentum, et quod post eius obitum ultima sua voluntas exsistebat ducentos dumtaxat florenos ex bonis praedictis congregationi praefatae relinquere, de residuo vero bonorum et iurium huiusmodi ad arbitrium quorumdam coniunctorum et consanguineorum suorum disponi debere. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, licet ministra et sorores praedictae conscientia motae velint et intendant ultimam dictae testatricis voluntatem observare, tamen, quia testamentum ipsum probatur per instrumentum publicum, de ultima vero voluntate testatricis huiusmodi alias, quam per relationem dictarum sororum minime constare potest, non audent residuum bonorum praedictorum vendere, nisi eis super hoc Apostolicae Sedis auctoritas suffragetur. Quare pro parte ipsarum ministrae et sororum *etc.* Nos itaque, de praemissis certam notitiam non habentes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... praefatis ministrae et sororibus retentis dictis ducentis florenis residuum bonorum et iurium praedictorum, quorum qualitatem, quantitatem, confines et valorem dictique instrumenti tenorem praesentibus haberi volumus pro expressis, quibusvis personis vendendi aut alias alienandi plenam et liberam auctoritate apostolica licentiam largiaris, faciens, quod in dispositione pretii huiusmodi dictae testatricis voluntas firmiter observetur. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae, ... anno ... 1453, VIII idus maii, ... anno VII.

1662. Mandat, ut Raphaelae de Carreria, sorori III O. S. Fr., Barchinonen., concedat licentiam erigendi domos eiusdem ordinis in civitate Barchinonen. et villa Perpiniani, Elnen. dioec. (2).

1453, maii 8, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii B. Mariae Virginis, Montisserrati, Vicen. dioec.

In supremae dignitatis specula *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Raphaelae de Carreria, Barchinonen., sororis tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, petitio continebat, quod in regno Aragoniae quamplures devotae eiusdem ordinis sorores fore noscantur, quae inibi, maxime in civitate Barchinonen. et villa Perpiniani, Elnen. dioec., aliquas domos seu alia loca ipsius ordinis, ubi cohabitantes regulariter vivere et Altissimo devote, ut desiderant, famu-

(1) Reg. Vat. t. 425, f. 287. Domus sororum ad hanc congregationem pertinentium enumerantur supra n. 841, p. 395. Cf. nn. 218, 219, 241, 466.

(2) Reg. Vat. t. 426, f. 131 v.

lari possint, nullatenus habeant, pro parte dictae Raphaelae Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi in qualibet civitatis et villae praedictarum unam domum sororum de observantia et ordinis huiusmodi erigendi, construendi et aedificandi ac erigi, construi et aedificari faciendi licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur, ... praemissorum intuitu necnon consideratione charissimi in Christo filii Nostri Alphonsi, regis Aragonum illustris, pro dicta Raphaela, dilecta sua, Nobis super hoc humiliter supplicantis, volentes ipsam Raphaelam favore prosequi gratioso, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... committimus et mandamus, quatenus, si est ita, dictae Raphaelae domum praedictam in loco ad hoc congruo et honesto cum oratorio, capella, campana, hortis et aliis officinis necessariis iuxta modum et formam aliarum domorum sive locorum ordinis et sororum huiusmodi erigendi ..., quodque dicta Raphaela et aliae sorores dicti ordinis ad id benevolae ad ipsam domum, postquam erecta, constructa et aedificata aut alias debite inchoata exstiterit, se transferre et deinceps illam perpetuo inhabitare ac etiam quolibet anno unam ex ipsis sororibus pro ceterarum regimine, quae earum gubernatrix et magistra exsistat, ac quam ordinarius seu ille, qui per fratres ordinis Minorum de observantia provinciae illius assignabitur eis pro visitatore, confirmare debeat, eligere necnon per aliquos sacerdotes saeculares vel regulares in oratorio et capella huiusmodi missas celebrari facere eisque confiteri et ab ipsis sacramenta ecclesiastica recipere, quotiens fuerit opportunum, libere et licite possint et valeant, fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus, ordinarii loci et cuiuscumque alterius licentia super hoc minime requisita, iure tamen parochialis ecclesiae ... salvo auctoritate Nostra per te vel alium licentiam largiaris pariter et facultatem. Volumus autem, ... quod domus praedicta ... omnibus et singulis privilegiis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VIII idus maii, ... anno VII.

1663. Archipresbytero ecclesiae B. Mariae de Marerio, Reatin. dioec., mandat, ut in monasterio monialium S. Luciae, extra muros castri Collisalti, O. S. Cl., eiusdem dioec., « quod, licet alias bonis temporalibus abundare illiusque moniales decenti numero sub regulari observantia et clausura in illo vivere consuevissent, nihilominus malitia temporum sive ipsarum monialium incuria et levitate causantibus fructus et bona eiusdem monasterii plurimum diminuta sunt, ac ipsum monasterium monialibus penitus destitutum remansit et, cum in rure ac loco inhabitato et monialibus minus apto situm sit, verisimile non videtur, quod moniales aliquae illud ulterius velint inhabitare », dignitatem abbatissalem et ordinem antedictum supprimat ipsumque monasterium, quod, ut creditur, olim parochialis ecclesia fuit, in beneficium ecclesiasticum sive ecclesiam saecularem erigat ipsumque beneficium Antonio de Nespro (Nespolo), rectori parochialis ecclesiae S. Sebastiani, Reatin. dioec., conferat (1).

1453, maii 11, Romae.

Inter cetera, quibus ex suscepti cura regiminis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, V idus maii, ... anno VII.

1664. Nicolao, tit. S. Petri ad Vincula presbytero cardinali, committit visitationem in Montis S. Georgii ac monialium in Sunnenberg, dioec. Brixinen., et *ad sorores* nuncupato, extra muros Brixinen., S. Benedicti et S. Clarae ordinum monasteriis (2).

1453, maii 12, Romae.

Inter cetera, quae Nostri deposcunt *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV idus maii, ... anno VII.

1665. Vicario episcopi Vercellen. in spiritualibus generali mandat, ut quamdam parvam ecclesiam prope domum O. F. M. de observantia, extra muros Vercellen., per Guillelmum, episcopum Bethlehemitan., teneri consuetam, una cum quadam petia terrae perticarum trium ad ipsam ecclesiam pertinente, ordine S. Augustini, cuius ecclesia esse censetur, in ea suppresso concedat fratribus praedicti O. F. M. eosdemque liberet a solutione census unius floreni, quem praedictus Guillelmus et eius successores episcopi Bethlehemitani percipere consueverunt (3).

1453, maii 17, Romae.

Piis supplicum votis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVI kal. iunii, ... anno VII.

1666. Confirmat vitam communem sororum domus Transtiberim de Urbe, III O. S. Fr. (4).

1453, maii 19, Romae.

Dilectis in Christo filiabus Margaritae Pauli de Civitate veteri et aliis sororibus praesentibus et futuris domus Transtiberim de Urbe, ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati.

Pastoris aeterni, cuius vices *etc.* Sane pro parte vestra Nobis exhibita petitio continebat, quod olim nonnullae religiosae mulieres, tertium

(1) Reg. Vat. t. 426, f. 98.
(2) Reg. Vat. t. 400, f. 281 v.
(3) Reg. Lat. t. 486, f. 260 v.
(4) Reg. Vat. t. 426, f. 20 v.

ordinem S. Francisci de poenitentia nuncupati expresse professae, ut commodius et quietius impendere possent pro Iesu Christo, filio virginis, gratum et sedulum famulatum, in regione Transtiberim de Urbe quamdam domum reaedificarunt, in qua similiter et communiter viventes, castitatem et obedientiam servaverunt. Postmodum vero fel. rec. Eugenius papa IV (1), praedecessor Noster, et successive Nos, ... provide attendentes earumdem et vestram in huiusmodi communione perseverantiam, quodque benedicente Domino et numero et virtutibus multiplicaveritis in dies, vobis, ut insimul in communi vivere absque remorsu conscientiae possitis, vivae vocis oraculo successive concessimus. Cum itaque, sicut eadem petitio subiungebat, vestra huiusmodi communis cohabitatio ad animarum vestrarum salutem et animi quietem cedere dignoscatur, pro parte vestra *etc.* Nos itaque, volentes vos in huiusmodi proposito confovere, vobis omnibus et singulis ordinem ipsum expresse professis et in eadem domo commorantibus, ut unam ex ipsa congregatione, vitae laudabilis et honestae, quae vobis praesit, eligere et loco illius, cum vobis opportunum videbitur, aliam eius loco substituere, cui parere et intendere debeatis, et in illius, quae pro tempore erit, manibus castitatem et obedientiam necnon in communi vivere et pro indiviso profiteri debeatis, quodque alias quascumque dictum ordinem profiteri et vobiscum una cohabitare volentes recipere et admittere ad supradictam professionem libere valeatis, necnon, quotiens vobis fuerit opportunum, fratribus Minoribus sub regulari observantia viventibus vos et, quae pro tempore erunt, dictae domus sorores peccata vestra confiteri et ab eis singulis quindenis sacramentum eucharistiae recipere necnon divina officia audire et omnia ecclesiastica sacramenta, quotiens fuerit opportunum, similiter recipere ab eisdem omni tempore valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Et nihilominus vobis, praesentibus et futuris, ut omnibus et singulis immunitatibus, privilegiis, ... dilectis in Christo filiabus Florentin., Perusin., et Viterbien. domorum sororibus dicti ordinis in congregatione viventibus per Nos et Sedem Apostolicam concessis in omnibus et per omnia uti et gaudere valeatis, eadem auctoritate concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XIV kal. iunii, ... anno VII.

1667. Mandat, ut concedant licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in terra Levanti, Lunen. dioec. (2).

1453, iunii 5, Romae.

Dilectis filiis S. Theodori et S. Nicolai de Boscheto, extra muros Ianuen., prioratuum prioribus.

Pia fidelium quorumlibet desideria *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universitatis terrae Levanti, Lunen. dioec., petitio continebat, quod ipsi ob singularem devotionem, quam ad ordinem fratrum Minorum regularis observantiae gerunt, de bonis sibi a Deo collatis unam domum pro usu et habitatione fratrum eorumdem infra limites territorii ipsius terrae in loco ad id congruenti et idoneo, si eis super hoc Apostolicae Sedis licentia concedatur, de novo construi et aedificari facere ferventer exoptant. Quare pro parte ipsius universitatis fuit Nobis humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si est ita, universitati praedictis in eodem territorio delecto ad id aliquo loco congruente et honesto unam domum cum ecclesia, coemeterio, campanili, campana, claustro, hortis, hortalitiis, silva et aliis necessariis officinis dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia et assensu super hoc minime requisitis pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis sub regulari observantia viventium fundandi, construendi et aedicandi seu fundari, construi et aedificari faciendi eisdemque fratribus domum cum ecclesia et aliis praemissis recipiendi, inhabitandi ac perpetuo retinendi plenam et liberam auctoritate Nostra licentiam concedatis. Non obstantibus *etc.* Nos enim eisdem fratribus, qui in dicta domo pro tempore residebunt, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus; iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, nonis iunii, ... anno VII.

1668. Francisco Dominici de Arimino, O. F. M., qui in dicto ordine per plures annos, etiam post magisterii gradus in theologia susceptionem, verbum Dei praedicando laudabiliter vixerat, concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (3).

1453, iunii 5, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, nonis iunii, anno VII.

(1) Vide supra n. 1486, p. 746.

(2) Reg. Vat. t. 426, f. 65 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 91.

(3) Reg. Vat. t. 426, f. 56. Eadem facultas olim iam concessa, sed postea revocata erat; cf. supra n. 806, p. 380 et n. 902, p. 439.

1669. Francisco de Mota, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium et exemptionem a superioritate ministri generalis O. F. M. (1).

1453, iunii 5, Romae.

Dilecto filio fratri Francisco de Mota, ordinis fratrum Minorum, conventus Bethuniae, Atrebaten. dioec., professori.

Religionis zelus *etc.* Hinc est, quod Nos, volentes te, pro quo dilectus filius nobilis vir Petrus, dominus locorum de Rombays et de Herzelle, Cameracen. dioec., asserens te cum eo ad partes Hierosolymitan. transivisse et ipsius ac comitum et familiarium suorum in huiusmodi transitu confessorem exstitisse, Nobis super hoc supplicavit, favore prosequi gratiae specialis, ... tecum, ut habitum tuum gestando unum ecclesiasticum ... beneficium ... recipere et retinere ... valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia dispensamus *etc.* Et insuper, ut in futurum cum pace et quiete vivere ac ipsum beneficium in spiritualibus et temporalibus feliciter regere et gubernare commodius valeas, te, postquam huiusmodi beneficium fueris assecutus pacifice, a quacumque generalis ministri ordinis fratrum Minorum et cuiuscumque alterius superioris tui obedientia ... penitus et omnino eximimus, ... decernentes et declarantes te ordinario loci, in cuius dioecesi pro tempore commoraberis seu beneficium huiusmodi obtinebis, et non alteri ex tunc in antea ... immediate fore subiectum *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, nonis iunii, ... anno VII.

1670. Simonetae la Rilate, sorori III O. S. Fr. de poenitentia nuncupati, Magalonen. dioec., concedit plenariam remissionem (2).

1453, iunii 5, Romae.

Provenit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, nonis iunii, ... anno VII.

1671. Margarethae de Aurelianis eiusque filiabus Mariae et Magdalenae, in monasterio de Longocampo, O. S. Cl., habitantibus, concedit ampliora privilegia (3).

1453, iunii 6, Romae.

Dilectis in Christo filiabus nobilibus mulieribus Margaritae de Aurelianis, relictae quondam Ricardi de Britannia, comitis Stamparum, viduae, Suessionen. dioec. et Mariae ac Magdalenae, eius natis.

Consuevit interdum Sedes Apostolica *etc.* Dudum siquidem, cum pro parte vestra, contra vestram tamen intentionem et voluntatem, sicut Nobis innotuit, suggestum exstitisset, quod in altero S. Clarae de humilitate B. Mariae de Longocampo vel S. Clarae de custodia, alias de Ginchia, prope Blesis, Parisien. et Carnoten. dioec., monasteriorum, in quibus sub honesto et devoto habitu, non tamen monastico, recludi perpetuo ardenter appetebatis, Nos vobis cum tribus aliis mulieribus idoneis, virginibus bonae famae aut viduis, quae vobis, quamdiu simul vel successive vitam duceretis in humanis, in omnibus licitis et honestis, prout contingeret, servire possent et deberent, introire vosque et ipsae servientes intra clausuram alterius monasteriorum eorumdem, dummodo inibi benevolas invenissetis receptrices, perpetuo stare et inter moniales aut seorsim commorari possetis, per quasdam concessimus. Et deinde pro parte vestra Nobis exposito, quod vos in dicto monasterio de Longocampo sub devoto atque honesto, non tamen monastico, habitu vos recluseratis et inibi sub suavi contemplationis iugo Deo servire disposueratis ac iuxta status vestri exigentiam dictae tres mulieres ad serviendum vobis minime sufficiebant, per alias Nostras litteras, quod in ipso monasterio S. Clarae tres alias mulieres, virgines aut viduas, quae vobis, quamdiu simul vel successive viveretis, in omnibus licitis et honestis, prout contingeret, servire possent et deberent, assumere et loco unius vel aliarum, infirmitatibus oppressarum aut decedentis vel decedentium, usque ad numerum sex aut minus, prout vobis videretur, recipiendi ac in eodem monasterio retinendi, etiam cum nonnullorum aliorum concessionum, privilegiorum et indultorum adiectione, plenam et liberam licentiam indulsimus, prout in singulis eisdem litteris (4) plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, intentio vestra numquam fuit, quod propterea velletis aut deberetis religioni aut ad perpetuam clausuram seu aliquod votum quomodolibet obligari, sed solum in huiusmodi monasterio de Longocampo cum possessionum et bonorum vestrorum retentione in vestra libertate et cum proposito dictum monasterium, quotiens vobis placeret, exeundi intraveritis, Nos ... vos ac quascumque alias nunc et imposterum vestris obsequiis mancipatas mulieres ac

(1) Reg. Vat. t. 401, f. 21.
(2) Reg. Lat. t. 484, f. 291.
(3) Reg. Vat. t. 399, f. 356.
(4) Vide supra n. 1216, p. 620 et n. 1348, p. 694.

vos et illarum quamlibet propterea ad votum seu observantiam vel perpetuam clausuram huiusmodi minime teneri seu quomodolibet obligari auctoritate apostolica decernimus, quodque, quotiens vobis et illis placuerit, extra clausuram dicti monasterii de Longocampo cum retentione bonorum vestrorum exire et ad monasterium ipsum redire ac privilegiis et gratiis apostolicis vobis indultis nihilominus uti pariter et gaudere necnon unum vel plures saecularem vel saeculares aut cuiuscumque ordinis regularem seu regulares presbyterum seu presbyteros in vestrum seu vestros et dictarum mulierum confessorem seu confessores eligere valeatis, qui in omnibus casibus, etiam quibus archiepiscopis et episcopis absolvendi concessa et attributa potestas exsistit, vos et ipsas mulieres in forma ecclesiae consueta, quotiens fuerit opportunum, necnon semel dumtaxat in omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis absolvere et poenitentiam salutarem vobis et ipsis iniungere, necnon cuilibet ex vobis et dictis aliis mulieribus omnium peccatorum vestrorum et suorum, de quibus corde contritae et ore confessae fueritis et fuerint, semel tantum in mortis articulo plenariam remissionem vobis, in sinceritate fidei, unitate S. Romanae ecclesiae ac obedientia et devotione Nostra vel successorum Nostrorum ... persistentibus, auctoritate apostolica concedere, vota vero, quae vos et dictae aliae mulieres pro tempore emiseritis et emiserint, et quae vos et illae commode servare nequiveritis seu nequiverint, in alia pietatis opera commutare auctoritate apostolica libere et licite valeat seu valeant, de speciali gratia indulgemus. Et insuper, ut sublatis quibusvis inquietationibus et molestiis in contemplationis suavitate eo quietius impendere valeatis Altissimo famulatum, quo amplius fueritis ab omni perturbatione securae, vos et alias mulieres praedictas cum omnibus possessionibus et bonis vestris mobilibus et immobilibus, praesentibus et futuris, ab omnimoda iurisdictione, superioritate, dominio, potestate necnon visitatione, correctione quorumcumque locorum ordinariorium et aliorum quorumlibet iudicum, vicariorum, officialium, commissariorum, locumtenentium eisdem auctoritate et tenore perpetuo prorsus eximimus et totaliter liberamus ac sub B. Petri et Sedis Apostolicae protectione suscipimus, volentes et eadem auctoritate decernentes vos et alias mulieres cum bonis et possessionibus supradictis ubicumque et in quibuscumque rebus consistant, Nobis et eidem Sedi immediate subiacere, ita quod ordinarii, vicarii ... praedicti ... in vos ac alias mulieres necnon possessiones et bona huiusmodi, etiam ratione delicti vel contractus seu rei, de qua agetur, ... nullam possint iurisdictionem, potestatem, visitationem ... exercere, sed dumtaxat vos et praefatae aliae mulieres super praemissis et aliis quibuscumque coram dicta Sede aut eius legatis vel delegatis teneamini et teneantur de iustitia respondere. Omnes insuper excommunicationis ... aliasque ... poenas atque processus, quos contra vos aut mulieres praedictas, coniunctim vel divisim, quomodolibet haberi vel promulgari, ac quidquid contra tenorem praesentium fieri seu quomodolibet attentari contigerit, nullius decernimus exsistere firmitatis. Praeterea vobis, ut vos dictaeque mulieres necnon servitores vestri extra claustrum dicti monasterii de Longocampo residentes, ut omnibus et singulis privilegiis ... monialibus dicti monasterii ac earum servitoribus ... concessis respective uti pariter et gaudere valeatis et valeant, eisdem auctoritate et tenore de speciali gratia indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VIII idus iunii, ... anno VII.

1672. Concedit licentiam vendendi bona superflua domus S. Francisci Mantuan., O. F. M. de observ., et convertendi pretium in restaurationem aedificiorum et librariae aliasque necessitates [1].

1453, iunii 7, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus S. Francisci Mantuan., ordinis fratrum Minorum de observantia, provinciae S. Antonii.

Vota illorum libenter exaudimus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod ecclesia domus S. Francisci Mantuan., in qua Altissimo vota vestra persolvitis, ac nonnullae capellae in ea institutae ac sacristia ipsius ecclesiae habent plures introitus annuos ex possessionibus, domibus, vineis et pecunias ex impraestitis Venetiarum et alia mobilia et immobilia bona in diversis aliis locis, quae minime statui, professioni et regulae vestrae conveniunt, et si bona huiusmodi venderentur, ex eorum pretio structurae et aedificia ipsius domus, quae reparatione non modica indigent, reparari ac libraria dictae domus libris fulciri posset, ac aliis vestris necessitatibus debita foret cum honestate provisum, vosque sub regulari observantia, quae in eadem domo translatis fratribus conventualibus ad alia loca

[1] Reg. Vat. t. 426, f. 73.

ab aliquibus annis citra viguit, prout viget, absque conscientiae scrupulo devotius et quietius secundum regulae vestrae instituta Altissimo famulari possetis. Quare pro parte dilecti filii nobilis viri Ludovici, marchionis Mantuan., atque vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsi marchioni aut Alexandro, eius germano, bona supradicta quaecumque et ubicumque consistentia ad ecclesiam, capellas, sacristiam et domum praefatas pertinentia Nostro et Romanae ecclesiae nomine petere, exigere et vindicare ac illa postmodum quibusvis personis, etiam laicis, vendere et alienare illorumque habendum pretium in reparationibus structurarum et aedificiorum ac librariae restaurationem aliasque necessitates huiusmodi convertere possint, licentiam concedere ... dignaremur. Nos itaque ... Ludovico et Alexandro praedictis, quod ipsi aut eorum alter domus, possessiones, vineas, impraestita Venetiarum aliaque quaecumque mobilia et immobilia bona praedicta, quomodocumque, qualitercumque ad ecclesiam, capellas, sacristiam et domum huiusmodi spectantia, quibusvis personis Nostro et Romanae ecclesiae nomine, etiam in quocumque foro tam ecclesiastico quam saeculari petere, recuperare et vindicare ac illa postmodum vendere et alienare cum clausulis et cautelis in talibus fieri solitis necnon ex illis habendum pretium in reparationem, restaurationem et alias necessitates fratrum convertere seu converti facere ipsisque emptoribus, ut bona huiusmodi emere libere et licite valeant, plenam et liberam licentiam ac unum, duo vel plures loco cuiuslibet ipsorum cum simili potestate procuratores substituere auctoritate apostolica concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VII idus iunii, ... anno VII.

1673. Mandat, ut non obstante contradictione haeredum concessionem quarumdam domorum in civitate Parmen., sororibus III O. S. Fr. factam, confirment [1].

1453, iunii 9, Romae.

Dilectis filiis abbati monasterii S. Mariae de Columba, Placentin. dioec., et S. Iohannis baptisterii ac S. Michaelis, Parmen. ecclesiarum, praeposito.

Humilibus supplicum votis *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum sororum, in nonnullis domibus in civitate Parmen., in contrata S. Prosperi, sub regula tertii ordinis beati Francisci degentium, Nobis exposito, quod quondam Gaspar de Castagneto, civis Parmen., condens de bonis sibi a Deo collatis in eius ultima voluntate testamentum, sororibus tertii ordinis S. Francisci sub regula huiusmodi viventibus praedictas domos iuxta suos confines ad hoc, ut monasterium sive oratorium pro earum usu et habitatione constituerent et inibi perpetuo habitarent, pie reliquerat ac voluerat domos praedictas alienari, permutari aut quavis ratione vel occasione in alium usum transferri non posse, sed perpetuis futuris temporibus pro usu et habitatione dictarum sororum esse et casu, quo voluntati huiusmodi contrafactum esset, in huiusmodi eventum domos ipsas praeceptoriae domus S. Antonii, Parmen., ordinis S. Augustini, legaverat, prout in quodam instrumento publico desuper confecto dicebatur plenius contineri, et subiuncto Nobis, quod praefatae sorores in eisdem domibus degentes domos praedictas vigore dicti instrumenti acceptaverant et in eis sub regula huiusmodi ac paupertate, obedientia et castitate in congregatione vixerant ac benedicente Domino in eo adeo multiplicaverant, quod in eisdem domibus, quae horto, claustro et aliis necessariis officinis carebant, commode commorari aut vivere non possent, cupiebantque in alio loco ad hoc congruo et idoneo unam domum sub vocabulo B. Mariae de gratia pro earum usu et habitatione construere seu construi et aedificari facere, dummodo eis praedictas domus vendendi licentia concederetur, et nonnullae aliae domus in dicta civitate consistentes, per quondam Christophorum Valerio, civem Parmen., pro habitatione decem pauperum Christi pie relictae, sibi per Sedem Apostolicam concederentur, Nos dilecto filio abbati monasterii S. Basilii de Cavana, Parmen. dioec., eius proprio nomine non expresso aliis Nostris litteris [2] dedimus in mandatis, quatenus, si et postquam vocatis, qui forent evocandi, sibi de praemissis omnibus et singulis legitime constaret, praefatis sororibus pauperibus dimissas cum omnibus iuribus et pertinentiis suis pro earum usu et habitatione loco pauperum praedictorum, de consensu tamen haeredum dicti Christophori, ac alias eis relictas domos vendendi et alienandi ac super aliis domibus praedictis unam domum cum oratorio et aliis necessariis officinis fundandi, construendi et aedificandi seu construi et aedificari faciendi necnon ad illam cum omnibus suis bonis mobilibus etiam eis tam per dictum Gasparem quam alias pie erogatis transferendi plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra concederet. Postmodum vero, sicut exhibita

[1] Reg. Vat. t. 426, f. 63 v.

[2] Vide supra n. 1487, p. 747.

Nobis nuper pro parte dictarum sororum petitio continebat, licet dilectus filius Bernardus de Bravis, canonicus Parmen., cui dilectus filius Gregorius, abbas dicti monasterii, ad ipsarum litterarum exsecutionem super his commiserat vices suas, ad dictarum litterarum exsecutionem procedens, vocatis, qui fuerunt evocandi, [quia] per informationem per eum desuper habitam de praemissis omnibus et singulis praedictis ei legitime constitit, unam, per quam inter cetera praefatis sororibus super domibus praedictis domum huiusmodi cum oratorio et aliis officinis fundandi, construendi et aedificandi ... necnon ad illam cum omnibus antedictis se transferendi, ut praefertur, licentiam ad hoc dictorum haeredum consensu interveniente concessit, sententiam promulgavit, a qua pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Ludovici de Valeriis, comitis de Bangonzola ac militis Parmen. ac haeredis dicti testatoris, et nonnullorum fideicommissariorum seu exsecutorum ultimae voluntatis praedictae fuit ad Sedem Apostolicam appellatum, Nosque causam appellationis huiusmodi dilecto filio magistro Ludovico de Ludovisiis, capellano Nostro et causarum palatii apostolici auditori, audiendam commisimus et fine debito terminandam, ipseque Ludovicus auditor in huiusmodi causa ad citationem una cum inhibitione, ut creditur, demandatam ad partes in forma solita dicitur devenisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefatae sorores, postquam possessionem domorum praedictarum, quam obtentu dictae sententiae apprehenderant, per Ludovicum et fideicommissarios praedictos seu aliquos ex eis spoliatae fuerant et in causa per eas contra dictas spoliationes super spolio huiusmodi et illius occasione coram dilectis filiis gubernatore et locumtenente praefatae civitatis, quibus dilectus filius nobilis vir Franciscus Sfortia, dux Mediolani, ad quem dictae sorores desuper habuerunt recursum, causam huiusmodi audiendam commisit et fine debito terminandam, mota et aliquamdiu ventilata, unam, per quam inter cetera dicti gubernator et locumtenens praefatas sorores in pristinam possessionem domorum huiusmodi reponendas fore decreverunt, sententiam reportarant, in summa paupertate et mendicitate vivant ac propterea, si cum eisdem exsecutoribus in Romana curia litigare haberent, propter paupertatem huiusmodi causam ipsam indefensam eas dimittere oporteret, credantque dictae sorores, quod si per Nos eisdem exsecutoribus seu fideicommissariis, quod non obstantibus quibusdam Nostris litteris, per quas dictis exsecutoribus sub excommunicationis poena inibi expressa prohiberi dicitur, quod nullus ex eis testamento seu ultimae voluntati huiusmodi contravenire quoquomodo praesumat, praemissis consentire possent, [concederetur], ipsi exsecutores vel fideicommissarii seu plures ex eis sententiae et processui praedictis expresse consentirent, pro parte earumdem sororum, asserentium, quod alias dicti haeredes, qui duo exsistunt, praemissis consenserant, ac illorum maior etiam nunc consentit, licet minor, videlicet praefatus Ludovicus, dissentiat, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, causae huiusmodi statum praesentibus pro expressis habentes ipsamque causam ad Nos harum serie revocantes, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam vocatis Ludovico et exsecutoribus seu fideicommissariis praefatis summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta vobis de sententiis latis et consensu praedictis, et quod alias dicti haeredes, qui duo exsistunt, praemissis consenserint, ac illorum maior etiam nunc consentiat, licet minor, videlicet praefatus Ludovicus, dissentiat, ut praefertur, legitime constiterit, litteras et processus ac desuper habitas sententias huiusmodi approbare et confirmare illosque et quaecumque inde secuta pleno firmitatis robore subsistere ac dictas domos ad praefatas sorores spectare et pertinere decernere, necnon eisdem exsecutoribus seu haeredibus, quod non obstantibus litteris prohibitionis praedictis praemissis consentire possint, concedere praeterea dictas sorores in ipsarum domorum illarumque iurium et pertinentiarum corporalem possessionem, si in illa non sunt, inducere ac facere eas ipsa possessione pacifice gaudere necnon haeredibus, exsecutoribus seu fideicommissariis praefatis super praemissis perpetuum silentium imponere auctoritate Nostra curetis, contradictores *etc.*, invocato *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, V idus iunii, ... anno VII.

1674. Mandat, ut fratres domus S. Andreae prope Barolum, Tranen. dioec., O. F. M. de observ., liberet a solutione annui census librae cerae mensae archiepiscopali Tranen. facienda [1].

1453, iunii 10, Romae.

Venerabili fratri episcopo Spoletan.

Pia Nos excitat et inducit *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum

[1] Reg. Vat. t. 426, f. 56 v. De conventu de Barulo cf. supra n. 402, p. 186.

filiorum conventus et fratrum domus S. Andreae prope Barolum, ordinis fratrum Minorum sub regulari observantia viventium, Tranen. dioec., petitio continebat, quod ipsi occasione praefatae domus, quae priscis temporibus quoddam monasterium monialium fuerat et deinde pro usu et habitatione dictorum fratrum eis concessa exstitit, de censu sive canone unius librae cerae mensae archiepiscopali Tranen. annuatim respondere teneantur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictis fratribus, utpote, qui de quotidianis christifidelium eleemosynis vivunt ac redditus et proventus aut alias obventiones de proprio non habent, valde reddatur difficile responsionem census seu canonis facere antedicti, pro parte ipsorum, asserentium, quod ad hoc venerabilis fratris Nostri Iohannis, archiepiscopi Tranen., accedit assensus, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si tibi per relationem vel litteras ipsius Iohannis archiepiscopi constiterit, quod eius ad hoc, ut praemittitur, accedat assensus, eisdem fratribus praesentibus et posteris censum seu canonem librae cerae huiusmodi remittere et donare illosque ac domum praefatam, donec pro usu ipsorum fratrum exstiterit, ab eodem perpetuo liberare auctoritate Nostra procures, ita quod ipsi fratres de huiusmodi censu seu canone archiepiscopo pro tempore exsistenti aut mensae praefatis imposterum respondere minime teneantur. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV idus iunii, ... anno VII.

1675. Decernit fratres domus de Atella, Rapollan. dioec., O. F. M., ad solvendam quartam partem de certis bonis, pro complemento dictae domus et eius ecclesiae donatis, non teneri (1).

1453, iunii 10, Romae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus de Atella, ordinis fratrum Minorum, Rapollan. dioec.

Affectu benevolentiae specialis *etc.* Exhibita siquidem nuper pro parte vestra petitio continebat, quod dilectus filius Ricardus Angeluti, laicus, et dilecta in Christo filia, eius in praesentiarum uxor, Rapollan. dioec., ob singularem devotionem, quam ipsi ad ordinem vestrum fratrum Minorum sub regulari observantia viventium gerunt, suos aedificantes in terris, quos ad coelestia cupiant exportare, thesauros, ac pro perfectione et totali complemento domus et ecclesiae de Atella, dictae dioec., pro usu et habitatione vestris dudum inchoatae et nondum perfectae, ac alias pro ipsius domus fabrica omnes et singulas domos, possessiones ac reliqua ipsorum bona mobilia et immobilia praesentia et futura relinquere et donare proponant, dummodo vobis per Sedem Apostolicam concedatur, ut de domibus, possessionibus ac aliis bonis huiusmodi quartam aut aliam quamvis canonicam portionem loci ordinario aut alteri cuicumque quavis occasione solvere aut dare minime teneamini. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut, ne ipsi laici ab eodem suo laudabili proposito retrahantur, ipsiusque domus perfectio propterea retardetur, vobis super his opportune providere ... dignaremur. Nos igitur ... quartam praedictam et aliam quamcumque portionem, quoquo nomine censeatur, venerabili fratri Nostro episcopo Rapollan. aut alteri cuicumque, quavis occasione vel causa de domibus, possessionibus ac aliis bonis praedictis quomodolibet debitam vel debendam, dummodo domus, possessiones et bona huiusmodi, quorum qualitatem, quantitatem et valorem praesentibus haberi volumus pro expressis, in fabricam ecclesiae aut domus praedictarum donentur et in eas integraliter convertantur, vobis auctoritate apostolica tenore praesentium totaliter remittimus et donamus, decernentes vos ad quartam seu aliam portionem huiusmodi praefato episcopo vel alicui alteri praemissorum occasione solvendam non teneri, necnon irritum et inane, quidquid in contrarium a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV idus iunii, ... anno VII.

1676. Christophoro Lelli Nicolai, civi Bitontin., procuratori domus B. Mariae Magdalenae, Bitontin., O. F. M., provinciae Apuliae, concedit facultatem reparari faciendi sacristiam dicti domus ibique erigendi altare, construendi sepulturam etc. (2).

1453, iunii 10, Romae.

Dilecto filio Christophoro Lelli Nicolai, civi Bitontinen.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilecti filii minister et fratres ordinis fratrum Minorum, provinciae Apuliae iuxta morem dicti ordinis, attente considerantes, quod domus conventus B. Mariae Magdalenae Bitontin., dicti ordinis, in eius sacristia non

(1) Reg. Vat. t. 426, f. 57.

(2) Reg. Vat. t. 426, f. 60 v.

modica reparatione indigeret, quodque tu ob singularem devotionem, quam in eumdem geris conventum praelibatum, sacristiam tuis sumptibus et expensis reparare ac in ea unum altare de novo fundare et erigere, quodque ante ianuam ipsius sacristiae unam sepulturam pro tuo haeredumque et successorum tuorum ac alias de tua et eorum familia exsistentium, cum ab hac luce decesseritis, tumulandis corporibus construi et aedificari facere valeres, licentiam concesserunt, prout in quibusdam ipsorum ministri et fratrum desuper confectis litteris plenius continetur. Quare pro parte tua, asserentis, quod tu eiusdem conventus procurator exsistis, quodque dicta domus in nonnullis aliis suis partibus simili reparatione indigeret, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, ... licentiam litterasque praemissas, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, ratas habentes et gratas, ea et quaecumque inde secuta auctoritate apostolica et ex certa scientia confirmamus et approbamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.* Et nihilominus, [ut] ipsa domus in reliquis suis membris, prout opportunum fuerit, congrue reparetur, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod de propriis fructibus, redditibus et proventibus ac aliis obventionibus dictae domus necnon eleemosynis inibi pro tempore erogandis tu vel alius loco tui subrogandus dicti conventus procurator seu syndicus alias officinas et membra dictae domus, prout opportunum fore conspexeris seu conspexerit, praelatorum vel fratrum dicti ordinis aut cuiusvis alterius licentia vel assensu super hoc minime requisita reparari et aedificari facere valeas ac etiam tenearis. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV idus iunii, ... anno VII.

1677. Mandat, ut confirmet emptionem gradualis, antiphonarii et missalis, quae fratres domus de Dola, O. F. M. de observ., pro 82 francis vendiderant fratribus domus de Rubeomonte, eiusdem ordinis et observantiae (1).

1453, iunii 12, Romae.

Dilecto filio vicario venerabilis fratris Nostri Quintini, archiepiscopi Bisuntin., in spiritualibus generali.

Sedis Apostolicae copiosa benignitas *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus de Rubeomonte, ordinis fratrum Minorum regularis observantiae, comitatus et provinciae Burgundiae, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim, postquam dilectus filius nobilis vir Philippus, dux Burgundiae, pie condolens ruinae ac desolationi ecclesiae seu capellae, in qua beatissima Dei genitrix virgo Maria ab hoc saeculo migravit, iamdiu per infideles omnino destructae, ad honorem et reverentiam eiusdem Virginis et praefati gloriosissimi sui transitus celebrem perpetuamque memoriam loco eiusdem sic destructae ecclesiae seu capellae unam ecclesiam sub vocabulo B. Mariae de gratia de bonis sibi a Deo collatis fundari et construi facere coeperat, dicti guardianus et fratres ex eleemosynis praefatae suae domui pro libris ad divina officia necessariis collatis emi fecerunt a dilectis filiis conventu domus Dolae, dicti ordinis, praefatae dioec., graduale unum in duobus voluminibus et antiphonarium etiam in duobus voluminibus ac quoddam missale pro octoginta duobus francis vel circa in reparatione et ceteris necessitatibus dicti conventus Dolae conversis, prout in cedula, per huiusmodi conventum Dolae sub eorum sigillo et signis manualibus guardiani praedicti ac dilectorum filiorum discretorum suorum tunc exsistentium eisdem guardiano et fratribus cum dictis libris tradita, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dicti guardianus et fratres commutationem seu venditionem huiusmodi et emptionem, pro dictorum conventuum necessitate mutua factam, apostolico munimine confirmari desiderent, pro parte eorumdem ... Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si ... tibi de praemissis legitime constiterit, commutationem seu venditionem et emptionem praedictas approbare et confirmare ... procures. Non obstante *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, pridie idus iunii, ... anno VII.

1678. Confirmat erectionem domus de Dourlens, Ambianen. dioec., O. F. M. de observantia, iuxta reformationem Coletae Boilet, O. S. Cl., viventium (2).

1453, iunii 14, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Iis, quae ad sacrae religionis propagationem *etc.* Hinc est, quod Nos erectionem, constructionem et fundationem domus seu conventus fratrum Minorum, sub regulari observantia et obedientia generalis ministri et aliorum superio-

(1) Reg. Lat. t. 486, f. 129 v. De conventu de Dola cf. supra n. 1623, p. 807.

(2) Reg. Vat. t. 426, f. 82 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 92.

rum ordinis fratrum Minorum ac iuxta reformationes olim Coletae Boilet degentium, in oppido de Dourlens, Ambianen. dioec., ad subventionis auxilium monialium plurium monasteriorum S. Clarae, olim per eamdem Coletam in partibus illis fundatorum, novissime per dilectum filium nobilem virum Philippum, dominum loci de Savenzes, Ambianen. dioec., militem, de mandato dilecti filii nobilis viri Bernardi de Armanhaco, Marchiae, Pardiaci ac Castren. comitatuum comitis, cui tales domos fratrum construendi et fundandi licentiam per alias Nostras concesseramus et facultatem, in ipsius militis solo seu domo ac in loco congruo et decenti cum ecclesia, claustro, dormitorio, refectorio humili, campanis hortisque et hortalitiis ac aliis necessariis officinis cum licentia et auctoritate ordinarii ac prioris, rectoris ac vicarii parochialis ecclesiae loci factas ac receptionem et introductionem fratrum, in eadem domo de mandato superiorum eiusdem ordinis receptorum, necnon conventiones, recompensationes et pacta cum ordinario loci, priore et vicario praefatis habita, ordinationes quoque laudabiles ac statuta in eadem domo edita necnon donationem librorum, paramentorum et ornamentorum ad divinum cultum ac usum fratrum eorum per ipsum militem factam ac omnia et singula ad usum, residentiam, commoditatem et utilitatem fratrum in eadem domo nunc et pro tempore residentium edita, donata, ordinata atque facta ac omnia inde secuta harum serie auctoritate apostolica et ex certa scientia approbamus et confirmamus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus praefato militi domum ipsam pro usu et habitatione fratrum eorumdem, prout sibi secundum Deum videbitur, ampliandi, perficiendi et componendi ipsisque fratribus illam inhabitandi, tenendi et possidendi ordinarii loci seu cuiuslibet alterius super hoc licentia minime requisita licentiam auctoritatemque tenore praesentium elargimur, statuentes et ordinantes, quod fratres ipsi pro tempore inibi degentes observantiam ac alios vivendi modos et reformationes ipsius Coletae omnino imitari et servare perpetuo teneantur, quodque ipsi ac domus praedicta omnibus et singulis privilegiis, quibus cetera domus, loca et monasteria dicti ordinis fratrum Minorum ... utuntur et gaudent, ... uti valeant pariter et gaudere. Non obstantibus *etc.* iure tamen *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVIII kal. iulii, ... anno VII.

1679. Officiali Compostellan. mandat, ut confirmet concessionem eremitorii S. Crucis in loco de Coruña, Compostellan. dioec., Agneti et Alphonsae sororibus III O. S. Fr. de poenitentia factam a laicis rectoribus eiusdem loci, necnon aliam a certo exsecutore vi litterarum apostolicarum Eugenii IV factam concessionem eiusdem eremitorii pro Agnete praefata et sex sororibus eiusdem ordinis, quas ipsa Agnes duceret eligendas (1).

1453, iunii 14, Romae.

Ut ea, quae vigore litterarum apostolicarum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVIII kal. iulii, ... anno VII.

1680. Richardo, episcopo Philopolitan., in theologia magistro, O. F. M., concedit facultatem recipiendi tot beneficia ecclesiastica per monachos O. Cluniac. regi solita, quot eorum fructus ducentos ducatos auri de camera communiter valeant annuatim (2).

1453, iunii 15, Romae.

Exigit devotionis tuae et sinceritatis affectus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVII kal. iulii, ... anno VII.

1681. Archidiacono de Madrid in ecclesia Toletan. mandat, ut confirmet concessionem eremitorii S. Catharinae prope locum Decolmenar de Oreia, Toletan. dioec., tunc inhabitati et desolati, ab Alphonso archiepiscopo Toletan. factam Gundisalvo de Salazar, fratri converso III O. S. Fr. de poenitentia, signum vexilli S. Catharinae de Monte Sinai deferenti, qui ipsum eremitorium e bonis suis haereditariis multipliciter reparaverat et decoraverat (3).

1453, iunii 16, Romae.

Humilibus et honestis supplicum votis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVI kal. iulii, ... anno VII.

1682. Henrico Wynner, clerico Maguntin., in utroque iure baccalaurio, reservat perpetuam vicariam ad altare SS. Fabiani et Sebastiani, situm in ecclesia monasterii monialium S. Michaelis in Ihene, O. Cistertien., Maguntin. dioec., vacantem per ingressum Iohannis Dingelstet, presbyteri, in domum fratrum Minorum in Arnstete (Arnstadt), eiusdem dioec. (4).

1453, iunii 19, Romae.

Litterarum scientia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XIII kal. iulii, ... anno VII.

(1) Reg. Vat. t. 400, f. 223.
(2) Reg. Lat. t. 483, f. 267. Cf. supra p. 254, not. 3.
(3) Reg. Lat. t. 486, f. 3 v.
(4) Reg. Lat. t. 485, f. 21 v.

1683. Mandat, ut domum et ecclesiam S. Francisci in civitate Canea, insulae Creten., O. F. M., tradat fratribus domus S. Salvatoris extra dictam civitatem, O. F. M. de observ. (1).

1453, iunii 25, Romae.

Venerabili fratri episcopo Caneae.

Votis illis gratum Nos decet *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universorum civium civitatis Caneae petitio continebat, quod in dicta civitate in insula Creten., dominio Venetorum subiecta, consistens est quaedam domus ordinis fratrum Minorum, in qua unicus vel duo fratres conventuales ad praesens resident, quae quidem domus, si cum eius ecclesia, habitationibus et aliis ibidem exsistentibus officinis ac omnibus iuribus et pertinentiis suis pro usu et habitatione fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, in quadam alia domo dicti ordinis sub vocabulo S. Salvatoris, extra muros eiusdem civitatis ad medium milliare vel circa consistente, Altissimo famulantium, perpetuo deputaretur et assignaretur, plures personae, tam graecae quam latinae linguae, catholicam fidem firmiter non tenentes, exhortationibus et praedicationibus dictorum fratrum de observantia, qui honestissimae vitae et boni exempli ac nobilibus et aliis civibus ibidem exsistentibus summe grati et accepti sunt, ad unitatem et obedientiam sanctae Romanae ecclesiae facilius reducerentur. Quare pro parte tam dominii quam civium praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut domum S. Francisci praedictam cum ecclesia, habitationibus et officinis fratribus dictae domus S. Salvatoris de observantia pro eorum usu et habitatione assignari ipsosque fratres conventuales, si sub observantia vivere noluerint, ad alias domus fratrum conventualium praedictorum transferri mandare aliasque in praemissis opportune providere ... dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si ... tibi de praemissis legitime constiterit, domum B. Francisci praedictam cum illius ecclesia, habitationibus, officinis ac omnibus iuribus et pertinentiis supradictis eisdem fratribus de observantia pro eorum usu et habitatione perpetuo deputare et assignare ipsosque fratres conventuales, si inibi sub observantia vivere recusaverint, ad alia loca conventualia dicti ordinis eadem auctoritate transferre auctoritate Nostra procures et nihilominus ... eisdem fratribus de observantia, ut domum S. Francisci ... recipere et retinere possint, eadem auctoritate concedas. Contradictores *etc.* iure tamen *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VII kal. iulii, ... anno VII.

1684. Domum S. Francisci Ulixbonen., O. F. M., incorporat universitati studii generalis Ulixbonen. (2).

1453, iunii 26, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolicae Sedis circumspecta benignitas *etc.* Cupientes igitur, ut dilecti filii guardianus et fratres domus S. Francisci Ulixbonen., ordinis fratrum Minorum, eo amplius litterarum studiis intendere animentur, quo amplioribus a Nobis fuerint privilegiis et libertatibus communiti, eorum in hac parte supplicationibus inclinati, illos ac domum ipsam omnesque et singulos in ea pro tempore degentes guardianum, religiosos et fratres universitati generalis studii Ulixbonen. in perpetuum incorporamus, aggregamus et de eiusdem universitatis gremio et consortio facimus, constituimus et ordinamus ac eos pro scholaribus, studentibus et personis dictae universitatis censeri, dici et reputari decernimus, volentes et apostolica eis auctoritate concedentes, quod perpetuis futuris temporibus domus ipsa illiusque guardianus et ipsius ordinis personae in ea pro tempore degentes omnibus et singulis privilegiis, indultis, praerogativis, immunitatibus, exemptionibus et gratiis universitati eiusdem studii illiusque rectori, magistris, scholaribus et studentibus per Nos aut praedecessores Nostros seu alias a Sede Apostolica concessis et inantea concedendis, et quibus rector et magistri, scholares et studentes in eodem studio utuntur et gaudent seu uti et gaudere potuerunt hactenus et inantea poterunt, uti et gaudere possint et valeant, dummodo privilegia huiusmodi regularibus non obvient institutis, quodque veri inibi scholares et studentes exsistant ac pro talibus habeantur pariter et reputentur. Praeterea, ut doctiores valeant ad magisterii culmina promoveri, dilecti filii provincialis ministri provinciae Portugalliae, dicti ordinis, ac guardiani et domus praedictorum votis annuentes, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod quilibet de cetero dicti ordinis religiosus, qui in ipsa universitate Ulixbonen. iuxta illius instituta ad magisterii in theologia gradum promoveri voluerit, ipsum magisterii gradum in eadem universitate reci-

(1) Reg. Lat. t. 483, f. 204; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 90, sed erronee sub d. VII kal. iunii. Cf. supra n. 28, p. 21.
(2) Reg. Lat. t. 497, f. 277 v.

pere non possit, nisi prius in aliqua domo regni Portugalliae, dicti ordinis, in philosophia seu theologia per biennium, et in ipsa domo Ulixbonen. per aliud biennium in ipsa theologia legerit et cursum fecerit, quodque de huiusmodi cursu et utroque biennio legitime in sui magisterii gradus assumptione rectori dictae universitatis docere legitimamque fidem facere teneatur, districtius inhibentes ipsi ministro provinciae Portugalliae dicti ordinis pro tempore exsistenti sibique sub privationis et amotionis a suo ministeriatu, ac omnibus et singulis dicti ordinis fratribus et religiosis necnon rectori, consiliariis, doctoribus, magistris, officialibus et personis dictae universitatis sub excommunicationis, quam contrarium faciendo ipso facto incurrant, et a qua, nisi per Nos aut Romanum pontificem, absolvi nequeant, praeterquam in mortis articulo constituti, poenis iniungimus et mandamus, ne aliquem de cetero aliter contra hoc Nostrum statutum et ordinationem huiusmodi ad magisterii in theologia gradum assumere praesumant, decernentes ex hoc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VI kal. iulii, ... anno VII.

1685. Revocat Eugenii IV litteras de triennio praefixo ministris provincialibus provinciae S. Iacobi (1).

1453, iunii 30, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Constitutus in specula militantis ecclesiae *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, minus veridice informatus, quod ministri provinciales ordinis fratrum Minorum provinciae S. Iacobi, qui per antea a pluribus annis fuerant, pro eo, quod ipsi seu aliqui eorum officium ministeriatus provinciae huiusmodi non ad certum vel determinatum tempus, sed ad eorum vitam rexerant et gubernaverant, suarum regulae et constitutionum immemores effecti erant, et propterea fratres ipsi eorumque loca gravia hactenus sustinuerant et, nisi desuper provideretur, graviora in dies sustinuissent detrimenta, idem praedecessor, ita esse putans, per suas litteras perpetuo statuit et ordinavit, quod ex tunc in antea perpetuis futuris temporibus officium ministri dictae provinciae triennio dumtaxat duraret, aliaque fecit, inhibuit, voluit et mandavit, prout in eisdem litteris, quarum tenorem praesentibus annotari fecimus, plenius continetur. Cum autem exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Angeli de Perusio, generalis ministri dicti ordinis, petitio continebat, singulo triennio ut plurimum contingat inter eosdem fratres occasione electionis dicti provincialis rancores et odia, quae interdum dissensiones et scandala parturiunt, exoriri, provincialis longaevus, praesertim dum in officio bene se gerit, magis fructuosus sit ordini et fratribus praedictis ac eorum conventibus et domibus, quam triennalis, et propterea litterae ipsae eidem ordini valde praeiudiciales exsistant, pro parte dicti generalis ministri Nobis fuit humiliter supplicatum, ut litteras praedictas ac processus desuper habitos ac inde secuta quaecumque revocare, cassare et annullare aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem et concordiam inter quascumque personas continue vigere et augeri supremis affectibus desideramus ac dissensionibus et scandalis, quantum cum Deo possumus, obviamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras ipsas ac processus habitos per easdem et quaecumque inde secuta auctoritate apostolica tenore praesentium revocamus, cassamus et annullamus ac de registro et alibi, ubicumque reperiantur, cassari et deleri volumus et mandamus, decernentes illis in iudicio et extra nullam prorsus fidem adhibendam fore seu adhiberi debere. Et nihilominus hac perpetua et irrefragabili constitutione statuimus et ordinamus, quod ex nunc in antea electus in provincialem dictae provinciae et per generalem ministrum, ut praefertur, confirmatus etiam elapso huiusmodi triennio officium provincialatus huiusmodi ulterius absque praefinitione temporis exercere valeat; qui, si male se gesserit, etiam ante vel post huiusmodi triennium ab huiusmodi officio per dictum generalem ministrum iuxta constitutiones et statuta ordinis praefati amoveatur in omnibus et per omnia, ac si litterae ipsae nullatenus emanassent. Non obstantibus *etc.* Tenor vero litterarum praedictarum talis est:

Eugenius episcopus etc.

Ad futuram rei memoriam.

Dispositione divina, quamvis immeriti *etc. (ut supra n. 1034, p. 516).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1446, pridie idus decembris, ... anno XVI.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, pridie kal. iulii, ... anno VII.

(1) Reg. Vat. t. 426, f. 108; Wadd. *Ann.*, ad a. 1453, n. 32.

1686. Cassat litteras, quibus moniales Parvae Basileae, Constantien. dioec., subiecerat vicario O. F. M. de observ., provinciae Argentin. (1).

1453, iulii 1, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Regularem vitam professis *etc.* Dudum siquidem Nostrae emanarunt litterae tenoris subsequentis:

Nicolaus etc.

Venerabilibus fratribus Basileen. et Constantien. episcopis ac dilectis filiis ministro et vicario fratrum, qui de observantia nuncupantur, ordinis Minorum, provinciae Argentinen.

Inter cetera, quibus ex suscepti regiminis *etc. (ut supra n. 1569, p. 784).*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1452, kalendis aprilis, ... anno VI.

Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium monasterii S. Clarae in Parva Basilea, Constantien. dioec., petitio continebat, relata in praeinsertis litteris omni prorsus careant veritate, et, licet dictum monasterium in divini cultus frequentatione decenter efloreat et tam in spiritualibus quam temporalibus laudabiliter gubernetur nullaque inhonestas in earumdem abbatissae et monialium conversatione et vita reperta fuerit vel reperiri possit, tamen venerabilis frater Arnoldus, episcopus Basileen., fortassis ad inductionem dilecti filii vicarii fratrum de observantia nuncupatorum, ordinis Minorum, provinciae Argentinen., et aliorum ipsam abbatissam et moniales, quae hactenus sub obedientia generalis et eiusdem provinciae provincialis ministrorum dicti ordini et sub cura illorum fratrum irreprehensibiliter vixerunt, ad ipsius vicarii obedientiam reducere satagentium, ad earum litterarum exsecutionem, quam tamen veluti surreptive impetratam minime merebantur, procedere volens, ipsas super hoc multipliciter molestavit et etiam perturbavit in earumdem abbatissae et monialium famae dispendium ac earum et ipsius monasterii damnum et gravamen, pro parte earumdem abbatissae et monialium, super his per appellationis remedium ad Nos recurrentium, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsarum et dicti monasterii indemnitatibus in praemissis opportune providere ... dignaremur. Nos igitur, ad quos pro parte dictarum abbatissae et monialium super eo, quod relata praedicta veritate careant, ut praefertur, nec opus sit visitationis huiusmodi, et si illa fieret, ipsaeque abbatissa et moniales ad obedientiam dicti vicarii huiusmodi reducerentur, ex hoc gravia scandala verisimiliter exoriri possent, tam gravium regularium personarum, quam etiam magistrorum, civium et plurium militum et maiorum burgensium civitatis Basileen., necnon sculteti et aliorum habitatorum dicti loci laudabilia testimonia deducta fuerunt, huiusmodi in hac parte supplicationibus inclinati, ex praemissis et certis aliis causis animum Nostrum moventibus litteras praedictas, veluti per falsi suggestionem a Nobis extortas, necnon processus desuper habitos et quaecumque inde secuta auctoritate apostolica tenore praesentium revocamus, cassamus et annullamus ac illis in iudicio et extra, ubicumque exhibitae fuerint vel ostensae, nullam fidem adhiberi debere decernimus. Et insuper volumus et eadem auctoritate statuimus et ordinamus abbatissam et moniales praedictas sub huiusmodi obedientia generalis et ipsius provinciae Argentinen. provincialis ministrorum, prout erant, antequam praedictae a Nobis emanarent litterae, libere remanere nec ad submittendum se obedientiae dicti vicarii vel alterius cuiuscumque invitas compelli posse, non obstantibus contrariis quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, kal. iulii, ... anno VII.

1687. Amalrico Galhardi, O. F. M. et theologiae professori, in aetate legitima constituto et a capitulo ecclesiae Lectoren. per viam compromissi concorditer electo, confert episcopatum Lectoren., vacantem per obitum Bernardi episcopi (2).

1453, iulii 6, Romae.

Apostolatus officium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, pridie nonas iulii, ... anno VII.

Eodem die scribit *Capitulo Lectoren.* (Hodie ecclesiae vestrae); et *Clero civit. et dioec. Lectoren.; Populo civit. et dioec. Lectoren.; Vasallis ecclesiae Lectoren.;* (Hodie ecclesiae Lectoren.); praeterea *Carolo, Francorum regi* (Gratiae divinae) et *Archiepiscopo Auxitan.* (Ad cumulum).

1688. Pierae, relictae quondam Michaelis de Orlandis de Piscia, Lucan. dioec., sorori III. O. S. Fr., concedit indulgentiam plenariam (3).

1453, iulii 7, Romae.

Provenit *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, nonis iulii, ... anno VII.

(1) Reg. Vat. t. 426, f. 102 v.
(2) Reg. Lat. t. 487 A, f. 13. De Amalrico Galhardi cf. supra n. 1499, p. 753.
(3) Reg. Vat. t. 431, f. 75 et 128 v.

1689. Concedit facultatem fundandi domum O. F. M. de observ. prope ecclesiam S. Mariae super Casart, Corbavien. dioec. (1).

1453, iulii 12, Romae.

Dilecto filio nobili viro Martino de Frankapanibus, Segniae, Modrusiae Vegliaeque comiti.

Exigit devotionis tuae probata sinceritas *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu, singulari devotione motus et, ut etiam votum per quondam Nicolaum, patrem tuum, dum vixit, factum adimpleatur, prope ecclesiam S. Mariae super Casart, Corbavien. dioec., ad quam christifideles illarum partium propter diversa miracula, quae omnipotens Deus intercessione praelibatae virginis Mariae retroactis temporibus demonstravit, singularem gerunt devotionis affectum, unam domum cum claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum Minorum de observantia de novo fundari, construi et aedificari facere ferventer exoptes, dummodo tibi super hoc per Sedem Apostolicam licentia concedatur; pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, tuum pium et laudabile propositum huiusmodi in Domino plurimum commendantes, tuis necnon venerabilis fratris Nostri episcopi Corbavien. ac christifidelium praedictorum in hac parte supplicationibus inclinati, tibi unam domum cum claustro ... et aliis necessariis officinis prope dictam ecclesiam cuiusvis alterius super hoc licentia minime requisita de novo fundandi, construendi et aedificandi seu fundari, construi et aedificari faciendi, necnon fratribus dicti ordinis Minorum de observantia domum ipsam pro eorum usu et habitatione recipiendi, tenendi et inhabitandi plenam et liberam licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium elargimur. Et insuper universis fratribus ordinis Minorum de observantia in dicta domo pro tempore commoraturis, quod omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant pariter et gaudere, eadem auctoritate concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* iure tamen *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV idus iulii, ... anno VII.

1690. Iohanni Auberti, O. F. M., pro quo Guillelmus de Cabillone, comes Tonodoren., dominus loci de Acguello, Bisuntin. dioec., filius Ludovici, principis Aurayce, supplicaverat, concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (2).

1453, iulii 16, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVII kal. augusti, ... anno VII.

1691. Mandat, ut domos O. F. M. de observ. Ragusin. et insulae Daxae, Ragusin. dioec., iterum incorporet vicariae Bosnae (3).

1453, iulii 19, Romae.

Venerabili fratri Thomae, episcopo Faren., in regno Bosnae et Croatiae provinciaque Ragusina Sedis Apostolicae legato.

Apostolicae Nobis licet immeritis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum dominii Ragusini petitio continebat, quod, cum alias auctoritate apostolica domus seu conventus ordinis Minorum regularis observantiae Ragusii et in insula Daxae, dioec. Ragusin., exsistentes una cum certis aliis domibus et conventibus vicariae Bosnae eorumdem ordinis et observantiae uniri et incorporari concessae fuerint, nihilominus ex aliquorum relatione uniones et incorporationes huiusmodi quacumque auctoritate factas et quascumque litteras apostolicas sub quibuscumque verborum formis et clausulis, etiam derogatoriis, ex motu proprio et ex certa scientia concessas motu simili et ex certa scientia cassavimus et annullavimus nulliusque roboris vel momenti esse decrevimus, inhibendo vicario et fratribus dictae vicariae Bosnae pro tempore exsistentibus, ne quarumvis litterarum eis seu quibusvis aliis apostolica seu alia quacumque auctoritate sub quibuscumque verborum formis concessarum vel in posterum forsan concedendarum, nisi in illis de praesenti inhibitione specialis et expressa mentio fieret, quas quoad revocatas hoc cassas et nullas nulliusque roboris et momenti esse decrevimus, obtentu seu vigore aliqua domus, conventus et loca dicti ordinis in partibus Dalmatiae de novo recipere aut construere seu fundare praesumerent (4). Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ex huiusmodi unionum et incorporationum cassatione et annullatione grave scandalum et periculum oriri possit, cum ii, qui Bosnae sunt et haereticis et Manichaeis fidem veram praedicant, vitae necessaria indigeant, maxime ab iis domibus et conventibus Ragusii et Daxae exsistentibus, qui inter fideles sunt

(1) Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 93. « e l. 1 de benef. vac. et de div. form. f. 327 ». — Exemplar originale in arch. conv. Tersacti O. F. M. asservatur.

(2) Reg. Vat. t. 426, f. 168.

(3) Reg. Vat. t. 426, f. 180v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 94. Theiner, *Monumenta Hungariae* t. 2, n. 430, p. 266.

(4) Litteras Nicolai V vide supra n. 1120, p. 570. Cf. etiam n. 1139, p. 579.

et eleemosynis abundant, debitum subsidium non recipiant, quare pro parte dictorum filiorum dominii Ragusini, cum eorum nonnulli in partibus Bosnae conversentur et a fratribus dicti ordinis, qui ibidem degunt, subsidia alia et ecclesiastica sacramenta percipiant, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes ac scandalo et periculo huiusmodi obviare volentes necnon uniones, incorporationes praedictas earumque cassationes et annullationes ac inhibitionem praedictas earumque litteras cum quibuscumque clausulis, etiam derogatoriis et motu proprio et ex certa scientia, quavis auctoritate factas et concessas hic pro expressis habentes, ac si de earum tenoribus de verbo ad verbum specialis et expressa mentio facta foret, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per teipsum super praemissis omnibus et singulis ac earum circumstantiis universis auctoritate Nostra te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ea vera fore reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, tibi, ut praedicta domus, conventus et loca Ragusii et Daxae exsistentia vicariae praedictae perpetuo uniendi, incorporandi eiusque iurisdictioni secundum conventiones et ordinationes alias in capitulo generali mediante fratre Iacobo de Primaditiis de Bononia, tunc vicario generali in partibus citramontanis eorumdem ordinis et observantiae, auctoritate apostolica factas, initas et decretas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, subiiciendi ipsaque domus, conventus et loca, prout tibi visum fuerit, alias reformandi et constitutiones alias adiiciendi necnon loca praedicta Ragusii et Daxae exsistentia, postquam praedictae vicariae unita et incorporata atque subiecta fuerint, indultis et privilegiis, quibus vicaria ipsa gaudet, eisdem gaudere et potiri pronuntiandi, contradictores ... compescendi plenam et liberam auctoritate apostolica facultatem et licentiam impertimur. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae, anno ... 1453, XIV kal. augusti, ... anno VII.

1692. Concedit indulgentias visitantibus ecclesiam S. Francisci, Licien., O. F. M. (1).

1453, iulii 20, Romae.

Universis et singulis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is, de cuius munere *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, ad ecclesiam domus S. Francisci, Licien., ordinis fratrum Minorum, videlicet ad altare maius, quod cum illius maiori capella per quondam Deliciam de Noys, mulierem Licien. dioec., quondam Nicolai Tastarini, civis Licien., uxorem, sub vocabulo S. Francisci praedicti et B. Mariae de Angelis fundatum et dotatum [exstitit], causa devotionis infinita confluat christifidelium multitudo, Nos, cupientes, ut ipsorum christifidelium devotio adversus domum, ecclesiam et altare huiusmodi amplius augeatur, ipsaque ecclesia in eius structuris et aedificiis votive reparetur et reparata manuteneatur *etc.* omnibus et singulis christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, qui in festo dictae B. Mariae de Angelis ecclesiam praedictam devote visitaverint annuatim et ad reparationem et conservationem huiusmodi manus adiutrices porrexerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XIII kal. augusti, ... anno VII.

1693. Galassio de Neapoli, ministro provinciae Terrae Laboris, O. F. M., concedit licentiam fundandi domum in castro de Apicio, Beneventan. dioec., pro habitatione fratrum O. F. M. (2).

1453, iulii 26, Romae.

Dilecto filio Galassio de Neapoli, ordinis fratrum Minorum et theologiae professori, ac provinciae Terrae Laboris iuxta morem dicti ordinis provinciali ministro.

Sacer ordo fratrum Minorum *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu pio et laudabili desiderio dilectorum filiorum universitatis et incolarum castri seu terrae de Apicio, Beneventan. dioec., ex singulari devotione, quam ad dictum ordinem gerunt, unam domum seu conventum in praefato loco habere summopere affectantium, annuere, in quantum in te fuerit, paratus exsistas, dummodo super eo per Sedem Apostolicam tibi licentia concedatur, Nos, qui, ad dictum ordinem specialem gerentes devotionis affectum, ad ea libenter intendimus, per quae ordo ipse ulterius novis palmitibus valeat propagari, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi seu pro tempore exsistenti provinciali dictae provinciae in praefato castro vel illius territorio, in loco ad id congruo et honesto, vel etiam apud quamcumque ecclesiam seu pium et religiosum locum, si illa vel ille vobis alias concedatur, unam

(1) Reg. Vat. t. 400, f. 312 v.

(2) Reg. Lat. t. 486, f. 104 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 95.

domum cum ecclesia, campanili, campana, claustro, coemeterio, horto, hortalitiis et aliis pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis necessariis officinis, fundandi et construendi seu fundari et construi et per aliquos fratres dicti ordinis perpetuo habitari faciendi, dioecesani loci et cuiuscumque alterius licentia desuper nullatenus requisita, plenam et liberam auctoritate apostolica, tenore praesentium licentiam elargimur, volentes et eadem auctoritate decernentes, quod domus construenda praedicta et in ea pro tempore degentes fratres omnibus et singulis privilegiis ... in perpetuum uti possint pariter et gaudere, iure tamen parochiali ecclesiae ... salvo, non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VII kal. augusti, ... anno VII.

1694. Bernardo de Bravis, canonico Parmen., mandat, ut Ursulinam, monialem monasterii S. Clarae, Parmen., O. S. Cl., praeficiat monasterio B. Mariae de Hortis de Cistellis, monialium O. Cisterc., Parmen. dioec., in abbatissam (1).

1453, iulii 26, Romae.

Apostolicae sollicitudinis studium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VII kal. augusti, ... anno VII.

1695. Priori monasterii S. Aegidii de Bernewell, Elien. dioec., mandat, ut cantoriam seu capellaniam in parochiali ecclesia S. Andreae de Histon, eiusdem dioec., incorporet monasterio de Demicy, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinenti, O. S. Cl., sub cura fratrum Minorum exsistenti, ad quod ius patronatus eiusdem cantoriae pertinet (2).

1453, iulii 26, Romae.

Digna reddimur attentione solliciti *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VII kal. augusti, ... anno VII.

1696. Moniales monasterii S. Clarae de Benavente, Oveten. dioec., O. S. Cl., subiicit curae et regimini Sancii de Canales, O. F. M., eiusque successorum (3).

1453, iulii 28, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii S. Clarae de Benavente, ordinis eiusdem sanctae, Oveten. dioec.

Sacrae religionis sinceritas *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, si vos, quae in dicto monasterio [de Benavente] quam plures, etiam in numero generosae, spretis mundi oblectamentis sub clausura et iugi observantia castimoniae exemplariter vivitis, visitationi, correctioni, punitioni et reformationi dilecti filii Sancii de Canalibus, ordinis fratrum Minorum professoris, et successorum suorum pro tempore exsistentium visitatorum monasterii S. Mariae « La Real », S. Clarae de Oterdesillas, ordinis S. Clarae, Palentin. dioec., subiiceremini, ** verum etiam per ipsorum visitatorum curam sollicitam et fructuosum exercitium iuxta salutaria eiusdem ordinis S. Clarae instituta etiam in temporalibus susciperetis incrementum, Nos igitur ... vos et dictum vestrum monasterium necnon illius pro tempore exsistentes abbatissas, moniales et conversas ac alias ipsi vestro monasterio servientes utriusque sexus personas sub cura, visitatione, correctione, punitione et reformatione praedictis ac sub eisdem modis, formis et conditionibus, sub quibus abbatissae et moniales pro tempore exsistentes dicti de Oterdesillas et quamplurimorum aliorum ipsius ordinis S. Clarae in illis partibus consistentium monasteriorum subiectae fore noscuntur, quamdiu vixeritis ac ipsae vestri monasterii abbatissae, moniales et conversae pro tempore exsistentes vixerint in observantia regulari, auctoritate apostolica tenore praesentium subiicimus atque submittimus, ita quod interim nullus alius praefati ordinis fratrum Minorum superior in vos ac pro tempore exsistentes abbatissas, moniales et personas huiusmodi vel aliarum aliquam etiam ratione delicti seu contractus aut rei de qua ageretur visitationem, correctionem, punitionem seu reformationem valeat exercere. Et nihilominus vobis, ... ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere ... possitis, ... concedimus et etiam indulgemus per praesentes. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, V kal. augusti, ... anno VII.

1697. Mandat, ut oppidanis oppidi Leodien., Traiecten. dioec., concedat licentiam demoliendi domum O. F. M. de observ. extra muros dicti oppidi et eius loco construendi novam domum in ipso oppido (4).

1453, iulii 31, Romae.

Dilecto filio praeposito ecclesiae S. Petri, Traiecten.

Piis fidelium votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universitatis et oppidanorum oppidi Leodien., Traiecten. dioec., petitio continebat, quod ipsi, provide considerantes, quod domus fratrum Minorum regularis observantiae, quae de novo extra oppidum

(1) Reg. Lat. t. 487 A, f. 65.
(2) Reg. Lat. t. 486, f. 92 v.
(3) Reg. Vat. t. 400, f. 212 et iterum ib. f. 312.
(4) Reg. Lat. t. 486, f. 37 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 96.

auctoritate litterarum fel. rec. Eugenii papae IV, praedecessoris Nostri, fundata et erecta exsistit, in loco minus securo, ad quem nocturno praesertim tempore banniti a dicto oppido et alii ipsorum oppidanorum inimici de facili accedere possint et plerumque accedunt, sita est, quodque illius fratres in ea tute morari, et ipsi oppidani pro divinis audiendis officiis ad illius ecclesiam nequeant se conferre, ac eis propterea et oppido memorato per inimicos plura damna et detrimenta possent verosimiliter evenire: domum ipsam demoliri et aliam cum officinis necessariis pro fratribus ordinis et observantiae praedictorum in dicto oppido, in loco ad id idoneo, fundare et aedificare summopere affectant, pro parte universitatis praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut attentis praemissis eamdem domum, illius tamen fratrum ad hoc accedente consensu, demoliendi seu demoliri faciendi et loco ipsius unam aliam domum, in eodem oppido et loco, ut praefertur, convenienti, cum ecclesia, campanili, campana, coemeterio, claustro et aliis officinis pro usu fratrum dicti ordinis sub regulari observantia viventium et habitatione perpetuis fundandi et construendi, ligna quoque et lapides demoliendae domus praedictae pro alia construenda domo deferendi licentiam concedere et alias super hoc opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ... ea vera esse reppereris, et ad id fratrum praedictorum consensus accedat, domum praefatam demoliendi aut demoliri faciendi et aliam pro ea in dicto oppido, loco utique decenti, cum ecclesia, campanili ... et aliis necessariis officinis pro eisdem fratribus de observantia nuncupatis fundandi et construendi necnon ligna, lapides et alia demoliendae domus ad novam domum fundandam huiusmodi pro illius constructione deferendi, ipsis quoque fratribus eamdem novam domum recipiendi, inhabitandi et retinendi, fel. rec. Bonifatii papae VIII *etc.* nequaquam obstantibus, ordinarii loci et cuiuslibet alterius super hoc licentia minime requisita, auctoritate praefata, tenore praesentium licentiam largiaris, iure tamen *etc.* Et insuper eisdem fratribus, ... quod omnibus et singulis privilegiis ... gaudere valeant, ... concedas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, pridie kal. augusti, ... anno VII.

1698. Petit salvum conductum pro Francisco Pauli de Eugubio, O. F. M. (1).

1453, augusti 11, Romae.

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis.

Cum saepe contingat, quod dilectus filius Franciscus Pauli de Eugubio, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professor, suorum superiorum mandato tam pro divini verbi praedicatione quam aliis emergentibus ad diversas mundi partes habeat se conferre, Nos, volentes ipsum cum uno socio equestri vel pedestri *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, III idus augusti, ... anno VII.

1699. Constantino, abbati monasterii S. Nicolai de Flagiano, Neo-Castren. dioec., in loco Tabernae, Cathacen. dioec., residenti mandat, ut ministrae et sororibus domus S. Catharinae de terra Tabernae, (III O. S. Fr.) Cathacen. dioec., confirmet concessionem ecclesiae S. Catharinae dictae terrae, ubi domum construxerant eamque per 20 annos vel circiter tenuerant (2).

1453, augusti 11, Romae.

Sedis Apstolicae circumspecta benignitas *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam maiorem, anno ... 1453, III idus augusti, ... anno VII.

1700. Radulpho Hoby, O. F. M., magistro in theologia, pro quo ut dilecto suo nobilis vir comes Warwrey supplicaverat, concedit licentiam recipiendi beneficium ecclesiasticum (3).

1453, augusti 22, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XI kal. septembris, ... anno VII.

1701. Antonio de la Volta, canonico Bononien., mandat, ut perpetuam capellaniam ad altare SS. Philippi et Iacobi in parochiali ecclesia castri loci de Bozano, Bononien. dioec., cui Daniel de S. Petro libere resignare proponit, conferat eiusdem Danielis fratri germano, Ludovico de S. Petro de Bononia, O. F. M. presbytero, qui corporali quasi incurabili infirmitate gravatus, ordinis praedicti institutis commode satisfacere non potest (4).

1453, augusti 22, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XI kal. septembris, ... anno VII.

(1) Reg. Vat. t. 426, f. 144.
(2) Reg. Lat. t. 486, f. 107 v.
(3) Reg. Vat. t. 400, f. 241 v.
(4) Reg. Lat. t. 483, f. 172.

1702. Committit causam appellationis inter Stephanum, episcopum Agathen., aliosque et Laurentium de Monte, vicarium fratrum O. F. M. de observ., provinciae Provinciae, de domo in castro Pedenatii (1).

1453, augusti 27, Romae.

Dilectis filiis Narbonen. et Magalonen. ac Biterren. officialibus.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte venerabilis fratris Nostri Stephani, episcopi Agathen., ac dilecti filii Aymerici de Stagno, prioris prioratus villae de Pedenatio, ordinis S. Benedicti, Agathen. dioec., necnon maioris et sanioris partis incolarum dictae villae petitio continebat, quod, cum olim dilectus filius Laurentius de Monte, vicarius provincialis ordinis fratrum Minorum in provincia Provinciae deputatus, associatis sibi nonnullis eiusdem ordinis fratribus aliisque saecularibus personis, suis in ea parte complicibus, prope dictam villam infra metas dicti prioratus in quodam loco profano et ad id inhonesto ac minus idoneo quamdam domum cum ecclesia, campanili, campana, coemeterio, claustro, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum ipsius ordinis de observantia nuncupatorum praetextu quarumdam litterarum per Nos ipsi vicario, ut asserebat, concessarum, prout ex illarum forma id posse dicebat, praeter et contra voluntatem et consensum episcopi, prioris, incolarum et habitatorum eorumdem villae erigere et inibi etiam alta voce missas et alia divina officia celebrari praesumpsissent, ac propterea inter habitatores villae praedictae et quamplures alias personas eiusdem dioec. variae dissensiones et discordiae ortae fuissent, pro parte episcopi et prioris praedictorum, sentientium exinde plurimum se gravari et in futurum amplius opprimi verisimiliter dubitantium, fuit ad Sedem Apostolicam appellatum, cui quidem appellationi incolae et habitatores praefati adhaesisse noscuntur. Quare pro parte episcopi, prioris, incolarum et habitatorum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut causam appellationis huiusmodi et negotii principalis aliquibus probis viris in partibus illis committere ... dignaremur. Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum vocatis Laurentio vicario, fratribus et complicibus praedictis ac aliis, qui fuerint evocandi, et revocato in irritum, quidquid post huiusmodi appellationem ad Nos tunc interpositam inveneritis temere attentatum, causam appellationis huiusmodi et negotii principalis auctoritate Nostra audiatis et appellatione remota debito fine decidatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.* Seu ne iudices *etc.* Aut si eidem ordini *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VI kal. septembris, ... anno VII.

1703. Iohannem Pinar, O. F. M., recipit in suum et Sedis Apostolicae capellanum eique concedit licentiam recipiendi beneficium ecclesiasticum (2).

1453, septembris 4, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, pridie nonas septembris, ... anno VII.

1704. Iacobum de Mozzanica, O. F. M., ministrum provinciae Mediolan., vacante officio ministri generalis per obitum Angeli de Perusio, instituit vicarium generalem totius ordinis (3).

1453, septembris 10, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Mozzanica, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professori, provinciae Mediolanensis ministro ac eiusdem ordinis vicario generali.

Religionis zelus *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, generalatus officium dicti ordinis, cui quondam Angelus de Perusio, dum viveret, praesidebat, per ipsius Angeli obitum sit generalis ministri regimine destitutum, Nos, animadvertentes uberes fructus, quos idem ordo in agro militantis ecclesiae in propagationem religionis et fidei catholicae produxit hactenus et producit assidue, ac ad ea libenter paternis et salutaribus studiis intendentes, quae ipsius ordinis et eius professionis pacem statumque tranquillum ac suarum concernant salutem animarum, et propterea de persona utili et idonea, quae intentionem Nostram exsequi valeat, providere volentes, te, quem etiam doctrina et rerum experientia illustratum esse cognovimus, vicarium generalem praefati ordinis usque ad generale capitulum eiusdem ordinis, in loco per te instituendo celebrandum, inclusive motu proprio et ex certa scientia, auctoritate apostolica, harum serie facimus, constituimus et etiam deputamus, tibi nihilominus dictum ordinem ac omnes et singulas personas et loca tam virorum quam mulierum ipsius ordinis ubilibet consistentia iuxta morem et statuta eiusdem ordinis regendi et gubernandi ac eos, eas et ea tam in

(1) Reg. Lat. t. 487 A, f. 300 v.
(2) Reg. Vat. t. 399, f. 329 v.
(3) Reg. Vat. t. 427, f. 136 v; Wadd. *Ann.* ad a. 1453, n. 26 « ex autographo ».

capitibus, quam in membris suis singulis publice et private visitandi, monendi, corrigendi, carcerandi et a carceribus liberandi, citandi, suspendendi et privandi, electionesque provincialium ministrorum ac abbatissarum ordinis S. Clarae tenendi eosque confirmandi et ministros ac abbatissas huiusmodi et quoscumque alios officiales praefatorum ordinum instituendi et destituendi ac excommunicandi et excommunicatos absolvendi, mulctandi et iuxta suos excessus puniendi omniaque alia et singula faciendi, quae correctionis et reformationis officio noveris indigere, necnon in futuro generali capitulo praedicto, per te indicendo, praesidendi et futuri generalis ministri electionem retinendi vocesque deficientium provincialium ministrorum et custodum in electione futuri generalis ministri in dicto capitulo eadem auctoritate supplendi, instituendi et incorporandi ac quemlibet fratrem ipsius ordinis ad ea, quae videris necessaria et opportuna, in quibus personaliter interesse non poteris, tuo loco substituendi, registro quoque et sigillo praedicti ordinis utendi ac omnia et singula agendi, ordinandi, mandandi, disponendi et exsequendi, quae pro ipsius ordinis statu atque felici regimine noveris profutura, et quae generales ministri eiusdem ordinis, qui pro tempore fuerunt, de iure vel consuetudine facere potuerunt seu etiam debuerunt, contradictores quoque et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia appellatione postposita compescendi ac super his, quotiens opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocandi plenariam tenore praesentium eadem auctoritate concedimus facultatem ac etiam potestatem, non obstantibus *etc.*, mandantes ex nunc in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis universis et singulis ministris provincialibus custodibus, guardianis ceterisque officialibus, magistris et fratribus eiusdem ordinis professoribus ac ordinum S. Clarae et S. Damiani ac Minorissarum sororibus ubilibet constitutis, quatenus tibi in praemissis omnibus iuxta praesentem per Nos tibi concessam et a te deputandis humiliter et fideliter pareant et intendant ac studeant in omnibus, quae ipsis iniunxeris et mandaveris, efficaciter obedire: alioquin sententias sive poenas, quas per te vel per alios rite tuleris seu statueris in rebelles, ratas et gratas habebimus illasque faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Tu igitur ex concessis tibi dono coelesti virtutibus sic in praemissis te geras laudabiliter et prudenter, quod sperati fructus proveniant ex actionibus tuis tuque ultra Nostram et Sedis Apostolicae benedictionem et gratiam apud Deum crescas meritis, et ordo ipse per tuae diligentiae studium continuis proficiat incrementis.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV idus septembris, ... anno VII.

1705. Concedit licentiam domum de Cluaycayneqil, fratrum III O. S. Fr., Clonferten. dioec., transferendi ad primum ordinem et David Ymeleqill, III O. S. Fr., facultatem transeundi ad dictum primum ordinem ([1]).

1453, septembris 25, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii de Vranona, Clonferten. dioec.

Sedis Apostolicae circumspecta benignitas *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii David Ymeleqill, tertii ordinis S. Francisci professoris, Clonferten. dioec., petitio continebat, quod olim, postquam dicto David bon. mem. Thomas et Iohannes, Clonferten. episcopi, quisque videlicet eorum tempore, quo ecclesiae Clonferten. praefuerant, templum sive parochialem ecclesiam de Cluaycayneqil, eiusdem dioec., una cum capellis, hortis ... in puram et perpetuam eleemosynam, ut inibi domum sive conventum pro ipsius et aliorum fratrum dicti ordinis usu et habitatione aedificari facere posset et perpetuo collegialiter habitare, donaverant ... sive donaverat ..., Cornelius, episcopus Clonferten., cum dictus David ... propter certas causas conscientia sua salva templum sive ecclesiam huiusmodi, quod sive quam ... vice et nomine fratrum ... dicti ordinis assecutus fuerat, ... diutius retinere non valens, licet concessio ... huiusmodi postea auctoritate apostolica approbata et domus sive conventus inibi ... aedificari inchoata fuissent, cuperetque propterea dictus David propositum, quod animo gerebat de domo fundando inibi, in melius et utilius opus commutare ac illam sub nomine dicti sancti in ipsius primum ordinem transferre, in ea parte dicti David voto annuens, ecclesiam sive templum praefata cum tertia parte terrae ecclesiasticae circa ecclesiam eamdem situatae necnon capellis, coemeteriis et aedificiis suis universis eidem templo adhaerentibus habito prius super hoc diligenti tractatu cum capitulo suo et illorum unanimi consensu ministro et fratribus dicti primi ordinis pro eorum usu ... donavit dictumque David ad primum ordinem et domum huiusmodi transtulit et sibi, ut in dicto ordine perpetuo remaneret, ordinaria auctoritate indulsit. ... Cum autem ...

([1]) Reg. Lat. t. 486, f. 69 v. Cf. supra n. 559, p. 265, ubi idem David nominatur *Ymulcaerill* et pro Cluaycayneqil habetur *Cluacaen Caerill.*

dictus David dubitet ... praemissa ... viribus non subsistere et propterea ... excommunicationis sententiam incurrisse, pro parte dicti David Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae mandamus, quatenus ipsum David ... ab omnibus sententiis, censuris et poenis ... absolvas ... ac secum super irregularitate ... dispenses ... et nihilominus, si ... tibi de ... praemissis legitime constiterit, ... praefata eadem auctoritate approbes et confirmes *etc.* Praeterea ... dicto David, ut ad primum ordinem ac domum huiusmodi se transferre inibique perpetuo remanere libere et licite valeat, licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VII kal. octobris, ... anno VII.

1706. Vicario fratrum O. F. M. de observ., provinciae S. Angeli, concedit licentiam recipiendi domos in castro S. Severii, Civitaten. dioec., et in castro Vici, Sipontin. dioec., pro habitatione fratrum O. F. M. de observ. ([1]).

1453, septembris 26, Romae.

Dilectis filiis vicario et universis fratribus ordinis fratrum Minorum de observantia, provinciae S. Angeli, iuxta morem dicti ordinis.

Sacrae religionis, sub qua mundanis abdicatis illecebris *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, incolae et habitatores castri S. Severii, Civitaten. dioec., sub districtu monasterii S. Petri Turris maioris consistentes, ad honorem omnipotentis Dei, sub S. Bernardini vocabulo unam, ac universitas castri Vici, Sipontinae dioec., in provincia S. Angeli iuxta morem praefati ordinis, dilecti filii, fervore devotionis accensi, aliam sub S. Antonii de Padua, vestri ordinis Minorum domos, cum coemeteriis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis, ad hoc, ut in illis regularis observantia eiusdem ordinis perpetuo vigeat, de novo construi et aedificari fecerunt seu inchoaverunt, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis domos praedictas pro usu et habitatione vestris recipiendi ac in eis sub huiusmodi regulari observantia commorandi licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum ubique vigere et augeri supremis affectibus desideramus, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis domos praedictas de ipsorum incolarum et habitatorum ac universitatis consensu pro usu et habitatione vestris recipiendi ac inhabitandi necnon inibi sub regulari observantia dicti ordinis perpetuo remanendi, plenam et liberam licentiam tenore praesentium elargimur, et insuper domibus et fratribus in eisdem pro tempore commoraturis, quod omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite valeant, eadem auctoritate indulgemus. Non obstantibus *etc.* iure tamen *etc.*. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VI kal. octobris, ... anno VII.

1707. Mandat, ut Friderico, duci Brunswicen. et Luneburgen., concedat licentiam erigendi domum O. F. M. intra muros oppidi Novetzellis (Celle), Hildesemen. dioec. ([2]).

1453, septembris 27, Romae.

Dilecto filio praeposito ecclesiae Hildesemen.

Sincerae devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Fridericus, Brunswicen. et Luneburgen. dux, ad Nos et Romanam gerit ecclesiam *etc.* Dudum siquidem pro parte dicti ducis Nobis exposito, quod ipse quamdam domum pro usu et habitatione fratrum ordinis Minorum cum horto, hortalitiis et aliis necessariis officinis iuxta capellam B. Mariae, extra muros oppidi Novetzellis, Minden. dioec., construi et aedificari facere ferventer exoptabat, Nos, praefati ducis in ea parte supplicationibus inclinati, sibi iuxta eamdem capellam, quam ipse dux de suis propriis bonis fundaverat et dotaverat, domum praedictam pro usu et habitatione fratrum ordinis huiusmodi de novo fundandi, construendi et aedificandi per alias Nostras litteras plenam et liberam licentiam concessimus ac visitantibus dictam capellam in certis tunc expressis festivitatibus septem annos et totidem quadragenas necnon singulis dominicis quadragesimalibus quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis, ut idem dux asserit, perpetuo relaxavimus, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti ducis petitio continebat, propter guerras et alios sinistros eventus, qui quotidie in partibus illis proh dolor vigent, locus prope dictam capellam pro eadem construenda domo et fratribus in ea pro tempore commorantibus tutus non sit, ipsisque fratribus pericula et incommoda verisimiliter evenire possent, et propterea idem dux habito consilio cum pluribus expertis et prudentibus fratribus dicti ordinis ad obviandum praemissis periculis et incommodis pro maiori ipsorum fratrum securitate cupiat, prout iam incepit, domum ipsam infra praedictum oppidum construere et aedificare et iam inibi locum ad

([1]) Reg. Lat. t. 486 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 97.

([2]) Reg. Vat. t. 427, f. 109 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 98.

hoc aptum et accommodum deputaverit, in eoque aliqui fratres dicti ordinis moram facere inchoaverint, pro parte dicti ducis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi domum ipsam cum horto, hortalitiis et aliis necessariis officinis non extra, ut praefertur, sed intra muros dicti oppidi, quod Hildesemen. dioec. ac ipsius ducis temporali dominio subiectum exsistit, in eodem deputato loco de novo erigendi, construendi et aedificandi seu erigi, construi et aedificari faciendi aut inceptum opus perficiendi licentiam concedere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui scandalis et periculis, quantum cum Deo possumus, obviamus, praefati ducis pium et laudabile propositum in hac parte plurimum in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eidem duci infra dictum oppidum in eo loco, si ille ad id aptus et accommodatus exsistat, unam domum cum horto, hortalitiis et aliis necessariis officinis de novo erigendi, construendi et aedificandi seu erigi, construi et aedificari faciendi seu inceptum opus perficiendi dictisque fratribus ordinis Minorum illam pro eorum usu et habitatione huiusmodi recipiendi et inhabitandi plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra largiaris. Nos enim universis fratribus dicti ordinis in domo incepta seu aedificanda in oppido huiusmodi pro tempore commorantibus, quod omnibus et singulis privilegiis uti valeant pariter et gaudere, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus *etc.* iure *etc.* Volumus autem, quod si dicto duci licentiam huiusmodi vigore praesentium concesseris, ex tunc priores litterae et concessio praedictae quoad erectionem huiusmodi dumtaxat sint cassae et irritae nulliusque roboris vel momenti.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, V kal. octobris, ... anno VII.

1708. Bertholdo Hervici, clerico Maguntin., reservat perpetuam vicariam seu capellaniam S. Nicolai extra muros oppidi Budisin, Misnen. dioec., quae vacari sperabatur per professionem Michaelis Stolpe, domum O. F. M. oppidi Lipezick (Leipzig), Merseburgen. dioec., ingressi (1).

1453, septembris 27, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, V kal. octobris, ... anno VII.

1709. Antonio de Pescopagano, Consan. dioec., O. F. M., qui nobili viro Alexandro Sfortia gratus et acceptus exsistebat, concedit dispensationem ad obtinendum beneficium ecclesiasticum cum cura et ad curam parochianorum exercendam (2).

1453, octobris 1, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, kalendis octobris, ... anno VII.

1710. Hortatur, ut assistant et faveant Matthaeo de Regio, O. F. M., expeditionem contra Turcas praedicaturo in Sicilia citra et ultra Farum (3).

1453, octobris 6, Romae.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus ac omnibus et singulis praelatis ac personis ecclesiasticis, quacumque dignitate praeditis, infra regnum Siciliae citra et ultra Farum, in dominio charissimi in Christo filii Nostri Alphonsi, Aragonum regis illustris, constitutis.

Permittit aliquando omnipotens Deus christianum populum, ad devia prolapsum, diversis calamitatum generibus affligi, ut tandem superatis angustiis post passas difficultates pax restituta fidelibus gratiorem quietem reddat et populi in ea magis gratulentur sicque salutare bonum recognoscant et redemptori Domino nostro Iesu Christo gratias referant ac sese et mores suos in melius componant; ita enim ab initio saeculi institutum fuit, ut quaeque aetas angustias prosperosque successus habuerit, bonis nonnumquam floruerit et laboraverit plereque adversis. Sane post acerbissimum casum civitatis Constantinopolitanae et victoriam, quam immanissimi Teucri potiti sunt, ex qua re vos et omnes, qui sub Christi fide positi estis, maximo moerore affectos existimamus, nihil magis animo Nostro et venerabilium fratrum Nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium insedit, quam, ut provisiones accommodae et, prout tantae rei necessitas exposcit, fierent, ut rabies efferata huius Mahometi, christiani nominis hostis acerrimi, refrenari et eius potentiae resisti posset. Metientes itaque tantam iacturam et vulnus christianitati illatum de eorumdem fratrum consilio et assensu primum fideles ad foedera pacis sive induciarum ineunda adstrinximus, mandantes, ut in illarum observatione perseverarent et exstinctis facibus bellorum atque discordiis sanctae expeditioni se accingerent, hoc salutare et potissimum remedium existimantes, ut dissensionibus abiectis, restauratis per concordiam

(1) Reg. Lat. t. 483, f. 90 v. (2) Reg. Vat. t. 401, f. 49 v. (3) Wadd. *Ann.* ad a. 1453, n. 29 «ex autographo».

viribus populus christianus in robore persisteret illisque non solum facultatem alia loca aggregandi adimeret, sed suis praesidiis a finibus Europae expellerentur. Adhibuimus praeterea alia remedia, quae ad vestram consolationem et recreationem animorum vobis et quibuscumque catholicis declarari voluimus, quae omnia particularius per dilectum filium fratrem Matthaeum de Regio, ordinis Minorum professorem et evangelicae veritatis idoneum praedicatorem, explicanda duximus per ipsum sive per alios idoneos ad id per eum deputandos, ut animentur fideles ad commune periculum et viribus et facultatibus succurrant. Verum, quia vestra suffragia plurimum conferre possunt ad huius salutaris operis perfectionem, universitatem vestram et vestrum singulos per Iesum Christum salvatorem nostrum requirimus et hortamur in Domino, vobis etiam per apostolica scripta hoc praecipientes, ut pro ipsius Salvatoris et christianae religionis honore circa omnia, quae idem Matthaeus sive deputandi praedicti seminabunt coram populo, assistere et favere velitis, greges vobis commissos ac alios excitando et monendo, ut non deserant causam fidei sive operibus vel personis propriis aut orationibus porrectis ad Deum tam privatis quam publicis iuvare, ut imminentem tempestatem, quae periculorum procellam adduceret, sua miseratione avertat; confidimus quippe in eo, qui est summa veritas, quod ecclesiam suam et fidem catholicam usque ad consummationem saeculi, sicut pollicitus est, non deseret continueque assistet et salutaria semper administrabit consilia viresque ac potentiam pugnantium augebit. Vestrum autem omnium, qui in huiusmodi sanctissimo negotio operam, diligentiam ac favores impenditis, nomina singillatim adnotari faciemus; praeter enim aeterna praemia, quae sperare potestis, Nostram et Apostolicae Sedis gratiam consequemini.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, pridie nonas octobris, ... anno VII.

1711. Poenas statuit in retinentes bona, libros, calices, paramenta etc. fratrum O. F. M., provinciae orientalis, et indulgentias concedit pro eorumdem fratrum liberatione e captivitate Turcarum [1].

1453, octobris 8, Romae.

Universis christifidelibus, ad quos praesentes Nostrae litterae pervenerint.

Ad ea libenter intendimus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Hieronymi de Mediolano, vicarii provinciae Orientalis, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, in eadem provincia commorantium, petitio continebat, quod, cum ipse hac miserrima clade civitatis Constantinopolitan. ibidem cum decem et septem fratribus commoraretur, omnes dempto uno a Teucris interfecto in servitutem redacti sunt, et deinde totus conventus sive domus depraedatus fuit tam in libris divino officio dedicatis quam etiam in calicibus et aliis ecclesiae paramentis et iocalibus necnon in libris tam in iure canonico quam sacra theologia et aliis librariae pro communi studio deputatis et aliis loci utensilibus. Et, sicut eadem petitio subiungebat, venerabilis frater Noster Leonardus, archiepiscopus Methalinen., ordinis fratrum Praedicatorum professor, in Constantinopoli et Pere publice dicere praesumit, quod omnes de praeda a Teucris rapta, etiam sciente vero domino et contradicente emere possint nec dato etiam pretio Teucris soluto restituere teneantur, ipseque archiepiscopus duo missalia et unum breviarium et nonnullos alios libros dictae librariae deputatos emere non dubitaverit. Nos igitur, super praemissis de remedio opportuno, quantum cum Deo possumus, providere volentes, omnibus et singulis, ad quorum notitiam praesentes Nostrae litterae pervenerint, per apostolica scripta mandamus, quatenus, si ecclesiasticae fuerint personae, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae fuerint, etiamsi pontificali vel quavis alia praefulgeant dignitate, qui libros tam ecclesiasticos quam etiam librariae deputatos, necnon paramenta, calices et alia sacristiae deputata vel alia dictorum fratrum utensilia emerint, sub excommunicationis, suspensionis necnon privationis regiminis et administrationis omnium et singulorum ecclesiarum et monasteriorum aliorumque locorum, dignitatum, personatuum, administrationum et beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque et qualiacumque ac cuiuscumque etiam ordinis fuerint, quae in quibusvis etiam metropolitanis, cathedralibus vel collegiatis ecclesiis aliisque locis ecclesiasticis saecularibus et regularibus ordinum quorumcumque obtinent, et inhabilitatis ad illa et quaecumque alia imposterum obtinenda, laicis vero et saecularibus personis quacumque, etiamsi regali, reginali praefulgeant dignitate, sub poena excommunicationis latae sententiae, quam incurrere volumus ipso facto, et a qua quidem, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant, si pertinaciter retinere voluerint libros, calices,

[1] Reg. Vat. t. 401, f. 47 v.

paramenta et alia sacristiae deputata et utensilia huiusmodi reducto dumtaxat pretio, quo emerint, eisdem fratribus restituere teneantur. Et insuper Nos, cupientes, ut praedicti fratres de servitute redigantur et bona huiusmodi releventur, de omnipotentis Dei misericordia ... confisi omnibus et singulis christifidelibus, qui ad redigendum in libertatem dictos fratres et ad redimendum libros, calices, paramenta et utensilia ac bona praedicta manus porrexerint adiutrices, duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VIII idus octobris, ... anno VII.

1712. Decernit litteras *Super gregem dominicum* habere vigorem (1).

1453, octobris 9, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Frequens apostolicae sollicitudinis ministerium *etc.* Dudum siquidem ex certis rationalibus per Nos tunc expressis causis ad instantiam dilectorum filiorum ministri et nonnullorum eiusdem ordinis fratrum Minorum de observantia, provinciae Castellae, certas litteras incipientes « Super gregem dominicum » sub data XIII kal. novembris, pontificatus Nostri anno III, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus inserti forent, pro sufficienter expressis habentes, concessimus. Cum autem, sicut Nobis nuper innotuit, ab aliquibus asseratur certas a Nobis alias litteras emanasse, per quas prioribus litteris praedictis derogatum seu eorum viribus non mediocriter detractum fuisse dubitatur et propterea de ipsarum priorum litterarum viribus haesitetur, Nos igitur, omnem super his haesitationis materiam amputare et alias desuper opportune providere cupientes, auctoritate apostolica et ex certa scientia priores litteras praedictas omnesque in eis clausulas contentas et quaecumque ipsarum vigore secuta sint ac omnia et singula rata et grata habentes, eam vim eumque vigorem ab illorum omnium data perpetuo habere volumus et decernimus, per praesentes, ac si aliquae litterae in contrarium nullatenus emanassent, non obstantibus quibusvis litteris per Nos vel Sedem Apostolicam hactenus concessis et in futuro forsan concedendis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VII idus octobris, ... anno VII.

1713. Mandat, ut Guillelmo Iragyllig, ministro provinciae Hiberniae, O. F. M., concedat licentiam in ecclesia parochiali, Templum S. Patritii nuncupata, Elphinen. dioec., et aliis tribus vel quatuor locis provinciae fundandi domos O. F. M. (2).

1453, octobris 16, Romae.

Venerabili fratri episcopo Clonferten.

Sacrae religionis, sub qua dilecti filii fratres ordinis Minorum, provinciae Hiberniae *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii fratris Guillelmi Iragyllig, provincialis dictae provinciae, eiusdem ordinis et sacrae theologiae professoris, petitio continebat, quod nuper venerabilis frater Noster Cornelius, episcopus Elphinen., cupiens religionem ipsius ordinis in civitate ac dioecesi Elphinen. propagari et augmentari, parochialem ecclesiam, « Templum S. Patricii » nuncupatam, Elphinen. dioec., sive locum, illius curam in eadem, ad id dilectorum filiorum capituli Elphinen. et vicarii perpetui ipsius ecclesiae ac civium Elphinen., qui ipsam ecclesiam certis terris, per eos nomine et vice dicti episcopi possessis, plene et libere dotaverunt, etiam Thomoltei Mickermoda aliorumque parochianorum eiusdem, omnibus libertatibus et immunitatibus ipsius ordinis illi propterea reservatis, ipsam ecclesiam ab omni cura, et easdem terras a quibusvis censu annuo et exactione tam in spiritualibus quam in temporalibus eximendo liberamque et immunem fieri censendo ac ipsarum terrarum et rerum omnium concessarum usum et fructum eidem ordini reservando, expresso accedente consensu, supprimendo, pro usu et habitatione fratrum Minorum dicti ordinis auctoritate ordinaria cum omnibus iuribus et pertinentis suis in puram eleemosynam donavit atque concessit, prout in quibusdam authenticis ipsius Cornelii episcopi exinde confectis litteris, eius sigillo munitis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefatus Guillelmus provincialis in ipsius ecclesiae, ac tribus vel quatuor aliis locis in dicta provincia constitutis, ad hoc aptis et congruis, domos cum ecclesiis, coemeteriis, campanilibus, campanis necnon hortis, hortalitiis aliisque necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis construere et aedificare seu construi et aedificari facere desideret et summe peroptet, dummodo ei super hoc Sedis Apostolicae suffragetur licentia pariter et auctoritas, pro parte dicti Guillelmi provincialis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi domos cum ecclesiis,

(1) Reg. Vat. t. 428. f. 277.

(2) Reg. Lat. t. 486, f. 15; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 99.

coemeteriis, campanilibus, campanis, hortis, hortalitiis et aliis officinis huiusmodi pro usu et habitatione eorumdem fratrum construendi et aedificandi aut construi et aedificari faciendi, necnon dictis fratribus loca huiusmodi recipiendi et retinendi et inibi perpetuo remanendi licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, praefato Guillelmo provinciali pro usu et habitatione fratrum praedictorum in dicta ecclesia et tribus aut quatuor, de quibus sibi congruentius videbitur, locis praedictis domos cum ecclesiis, coemeteriis ... necnon aliis officinis huiusmodi construendi ... necnon sibi et praefatis fratribus loca praedicta recipiendi ac perpetuo retinendi et inhabitandi auctoritate Nostra licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.* Nos enim, si per te vigore praesentium eidem provinciali et fratribus huiusmodi licentiam loca construendi et aedificandi concedere contingat, universis fratribus in eisdem domibus pro tempore commorantibus, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite valeant, concedimus per praesentes *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVII kal. novembris, ... anno VII.

1714. Iohanni Vernede, O. F. M., domus Gunaci eiusdem ordinis, Biterren. dioec., presbytero, concedit licentiam standi extra conventum, habitum tamen ordinis gestando, et deserviendi cuidam capellae B. Mariae virginis in parochiali ecclesia loci de Seyracio, quam nobilis vir Arnaldus de Liurena, locorum de Seyracio et Liurena, Lodoven. dioec., temporalis dominus, cuius Arnaldi praedecessores dictam domum Gunaci fundasse perhibentur, propriis sumptibus aedificari fecit (1).

1453, novembris 6, Romae.

Promptum et benevolum libenter *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VIII idus novembris, ... anno VII.

1715. Sancio de Canales, O. F. M., committit reformationem monasteriorum O. S. Cl., sub dominio Henrici, principis Asturiarum, exsistentium (2).

1453, novembris 15, Romae.

Dilecto filio Sancio de Canales, ordinis fratrum Minorum regularis observantiae professori, visitatori monasterii S. Mariae Regalis de Oterdesillas, ordinis S. Clarae, Palentin. dioec.

Pia Nos excitat et inducit *etc.* Cum itaque, sicut accepimus, ad augmentum et decorem religionis necnon animarum salutem et, ut scandala, quae plerumque ex turpi et inhonesta vita nonnullarum religiosarum seu sororum monasteriorum vel locorum, ordinis S. Clarae, in civitatibus, terris, villis et locis sub dominio dilecti filii nobilis viri Henrici, principis Asturiarum, charissimi in Christo filii Iohannis, Castellae et Legionis regis illustris, primogeniti, consistentium apud laicales personas oriuntur, penitus cessent, dictaeque religiosae seu sorores ad bene et honeste vivendum sint aliis in exemplum, plurimum cederet, quod omnia et singula monasteria praefati ordinis in civitatibus, terris, villis et locis praedictis consistentia reformarentur et ad regularem observantiam reducerentur, ac dictus princeps reformationem et reductionem huiusmodi fieri summopere desideret ac speret illas per te et successores tuos, ordinis fratrum Minorum regularis observantiae visitatores monasterii S. Mariae Regalis de Oterdesillas, praefati ordinis, Palentin. dioec., pro tempore exsistentes, si tibi et praefatis successoribus committetur, dante domino fieri posse: Nos, ad reformationem et reductionem monasteriorum huiusmodi, prout tenemur ex debito pastoralis officii, paternis ac sollicitis studiis intendentes ac ipsius principis Nobis super hoc humiliter supplicantis pio et laudabili desiderio favorabiliter annuentes, tibi et successoribus tuis praefatis, quando et quotiens tibi et illis videbitur, monasteria et alia loca praedicta et eorum quodlibet, illorum personas tam in capite quam in membris auctoritate apostolica visitandi, corrigendi, reformandi et ad regularem ipsius ordinis observantiam ad instar dicti monasterii S. Mariae reducendi, quodque tam reformanda, quam ubicumque consistentia quavis auctoritate iam reformata monasteria praefati ordinis illorumque moniales, novitiae, conversae, capellani et aliae personae quaecumque sub tuis et successorum tuorum visitatorum dicti monasterii S. Mariae pro tempore exsistentium visitatione et correctione in omnibus et per omnia, prout monasterium S. Mariae moniales, novitiae, conversae, capellani et aliae personae subsunt, perpetuo subsint et subiecta sint, statuendi et ordinandi, contradictores ... compescendi necnon omnia alia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exsequendi plenam et liberam licentiam pariter et facultatem ipsisque reformandis et iam reformatis monasteriis sive locis ac illorum personis, capellanis, servitoribus et servitricibus, quod omnibus privilegiis ... uti possint pariter et gaudere, auctori-

(1) Reg. Vat. t. 401, f. 60.

(2) Reg. Vat. t. 401, f. 94.

tate apostolica tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVII kal. decembris, ... anno VII.

1716. Statuit, ut sorores III O. S. Fr., oppidi Wesalien., Colonien. dioec., sub perpetua clausura vivere debeant (1).

1453, novembris 28, Romae.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ut inter aeternae beatitudinis *etc.* Nuper siquidem dilecta in Christo filia nobilis mulier Maria de Burgundia, ducissa Cliven., Nobis per suas litteras notificavit, quod ipsa, zelo devotionis inducta, mirum in modum affectat, quod sorores tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupatae, de albo vestitae et superpellicio seu rochetto subtili albo desuper indutae, in oppido Wesalien., Colonien. dioec., commorantes, ad obviandum scandalis, quae exinde possent oriri, sub perpetua vivant clausura, et illae ex eis, quae id facere forsan noluerint, cum bonis suis omnibus ad alia loca dicti ordinis transmittantur, et quamquam dilectus filius Henricus Hessel, scholasticus ecclesiae S. Victoris, Xanten., dictae Colonien. dioec., utriusque iuris doctor, unus ex exsecutoribus quarumdam litterarum Nostrarum (2), per quas ex certis tunc expressis causis mandavimus sorores praedictas, praesentes et futuras, reduci ad clausuram, contra ipsas sorores pro eo, quod sub huiusmodi clausura vivere recusabant, usque ad interdictum inclusive processerit, tamen ipsae sorores ad Sedem Apostolicam appellarunt et unam pro eis in palatio apostolico sententiam, per quam ab ipso interdicto aliisque sententiis, censuris et poenis in eas et earum quamlibet per dictum scholasticum latis absolutae, ipsaque ducissa in expensis condemnata fuerunt, sententiam definitivam, a qua non exstitit appellatum, reportarunt, et in earum pertinacia remanentes sub eadem clausura vivere nec ad alia loca se commutare, quinimo ad id etiam per aliquos, qui Deum prae oculis non habent nec earum honestatem seu vitam laudabilem quaerunt, ut verisimiliter concipi potest, incitatae, causam ipsam usque ad ultimum prosequi intendunt, nisi salubre remedium per Sedem Apostolicam desuper adhibeatur. Quapropter intendentes, prout ad Nostrum spectat officium, super hoc opportune providere causamque ipsam, in Romana curia vel extra illam ubicumque forsan pendentem, illius statum pro expresso habendo, ad Nos praesentium serie advocantes et litem ipsam penitus et omnino exstinguentes ipsamque ducissam a solutione expensarum huiusmodi absolventes ac ipsis sororibus super praemissis perpetuum silentium imponentes, motu proprio et honestate suadente processus praedicti scholastici, etiamsi diebus feriatis facti fuerint, auctoritate apostolica tenore praesentium ex certa scientia confirmamus et approbamus, supplendo *etc.* Et insuper, ut sorores ipsae praesentes et futurae propulsis, quae earum offuscant decentiam, in vitae castimonia et honestate in conspectu Dei et hominum fulgeant ac accensis lampadibus possint ire obviam Christo, motu proprio ac scientia et auctoritate similibus perpetuo statuimus et ordinamus, quod sorores in eadem domo pro tempore degentes, praesentes et futurae, sub poena excommunicationis et maledictionis aeternae vivere debeant sub perpetua clausura, alias tamen iuxta instituta regulae antedictae, et quod illae ex eis, quae ad praesens sunt et sub huiusmodi clausura vivere noluerint vel non potuerint, liceat eis cum omnibus suis bonis ad alia loca dictae regulae transire ac, donec vixerint, illam portionem habere, quam ante earum exitum iuxta dictae domus hactenus constitutionem habere consueverant, ita tamen, quod, si aliquae sub eadem clausura et aliquae non vivere vellent, earum adimpleant intentionem, sed per obitum vel recessum illarum, quae sub clausura non vixerint, loco illarum admittantur aliae, quae sub eadem vivant clausura, decernentes omnes et singulas appellationes et protestationes per ipsas sorores aut aliquam earum ab huiusmodi statuto et ordinatione seu a praemissis forsitan interponendas nullius exsistere firmitatis ipsasque sorores ac quoscumque alios, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis etiam fuerint, sic, ut praemittitur, appellantes seu ad hoc consilium vel favorem occulte vel manifeste, directe vel indirecte, aut alias quovis quaesito colore praestantes huiusmodi excommunicationum et maledictionum sententiam eo ipso incurrere nec ab illa nisi in mortis articulo et solum per Romanum pontificem absolvi posse, si vero spiritum rebellionis assumerent, ad alia loca, etiam absque bonis eisdem, invitas posse transferri et sic per quoscumque auditores, iudices et commissarios in Romana curia et extra in quibuscumque causis motis et movendis praemissorum occasione in quacumque instantia sententiari, censeri et iudicari necnon irritum et inane, quidquid secus contigerit attentari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV kal. decembris, ... anno VII.

(1) Reg. Vat. t. 402, f. 371.

(2) Vide supra n. 1418, p. 722.

1717. Thomae Cliffe, O. F. M. presbytero, concedit dispensationem ad recipiendum beneficium ecclesiasticum (1).

1453, novembris 30, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, pridie kal. decembris, ... anno VII.

1718. Mandat, ut Andreae Petri Calamoris eiusque uxori, civibus Interamnen., concedat licentiam fundandi domum S. Mariae de virginibus, in civitate Interamnen. pro sororibus III O. S. Fr. (2).

1453, decembris 29, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Benedicti de Stronconio, Narnien. dioec.

Inter universa opera divinae placita maiestati *etc.* Sane pro parte dilecti filii Andreae Petri Calamoris, laici, et Mariae Nicolae, eius uxoris, civium Interamnen., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi ... de bonis eis a Deo collatis quamdam domum sive locum pro usu et habitatione mulierum religiosarum sive sororum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati sub regulari observantia degentium in aliquo decenti et honesto loco civitatis Nostrae Interamnen., ad hoc accommodo, pro eorum ac parentum et amicorum suorum necnon aliorum christifidelium animarum salute fundare et erigere desiderant. Quare pro parte Andreae et Mariae praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis domum sive locum huiusmodi sub invocatione S. Mariae de virginibus cum ecclesia sive capella, campanili, campana, dormitorio, refectorio, claustro et aliis necessariis officinis ad instar et similitudinem domus sive loci Fulginaten., qui continentium nuncupatur, dicti ordinis, pro ipsarum mulierum sive sororum sub huiusmodi observantia regulari viventium usu et habitatione perpetuis in loco civitatis convenienti huiusmodi fundandi ... licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, eisdem coniugibus domum sive monasterium huiusmodi ... fundandi ... licentiam largiaris. Nos enim ..., quod mulieres sive sorores inibi pro tempore exsistentes, quas dilectis filiis professoribus ordinis fratrum Minorum, prov. Italiae secundum morem dicti ordinis, sub simili observantia viventium subesse ac per eos opportunis temporibus visitari, corrigi earumque excessus puniri debere volumus et mandamus, omnibus et singulis privilegiis ..., quibus aliae dicti tertii ordinis domus sive loca quomodolibet potiuntur, ... uti et gaudere ... libere et licite valeant, eadem auctoritate concedimus ... Non obstantibus *etc.* iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV kal. ianuarii, ... anno VII.

1719. Archidiacono ecclesiae Carpentoraten. mandat, ut ab Antonio Suavis, priore prioratus de Sivergio, O. S. Ben., Vapnicen. dioec., recipiat resignationem dicti prioratus eumque prioratum commendet Stephano Clari, O. F. M., magistro in theologia, in provincia Provinciae et Delphinatu Viennen. haereticae pravitatis inquisitori, pro quo etiam Petrus, episcopus Albanen., in partibus illis Apostolicae Sedis legatus, supplicaverat, reservata praedicto Antonio super fructibus eiusdem pensione annua quinquaginta librarum Turonen. parvarum (3).

1454, ianuarii 3, Romae.

Apostolicae Sedis circumspecta benignitas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, III nonas ianuarii, ... anno VII.

1720. Fratribus O. F. M., provinciae Hungariae, concedit privilegia circa sepulturas fidelium, petitionem eleemosynarum, pulsationem campanarum (4).

1454, ianuarii 8, Romae.

Dilectis filiis ministro, custodibus et guardianis ceterisque fratribus ordinis Minorum, provinciae Hungariae secundum morem eiusdem ordinis, praesentibus et futuris.

Sacrae religionis, sub qua devotum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod interdum in ecclesiis domorum sive locorum vestri ordinis fratrum Minorum, provinciae Hungariae, consistentium multas et diversas utriusque sexus personas tam ecclesiasticas quam saeculares, dum in humanis agunt, antequam decedant, sepulturas suas eligere seu locorum huiusmodi fratres extra illa in aliis dictae provinciae ecclesiis de praelatorum earumdem licentia verbum Dei coram populo praedicare, missas celebrare et peccantium confessiones audire piasque eleemosynas petere et illos ex eis, qui in dictis suis locis remanent, plerumque in pulsatione campanarum ecclesiarum suarum praedictarum, dum inibi ad horas canonicas, diurnas pariter et nocturnas, divinis officiis insistere volunt, pulsationem campanarum ecclesiarum aliarum anticipare

(1) Reg. Vat. t. 402, f. 70.
(2) Reg. Lat. t. 497, f. 181 v.
(3) Reg. Lat. t. 483, f. 186 v.
(4) Reg. Vat. t. 401, f. 280 v.

pro tempore contigit ac aliquotiens singulis praemissis repugnantia quorumdam olim intervenit. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis et ipsis super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati vobis, ut omnium et singulorum christifidelium utriusque sexus suas sepulturas, ut praefertur, pro tempore eligentium et decedentium corpora in ecclesiis vestris praedictis aut eorum coemeteriis sepeliendo seu inhumando absque eo, quod quaecumque aliae personae quacumque ratione, occasione vel causa hoc impedire possint seu debeant, recipere et admittere valeatis, dicti quoque praedicantes seu missas celebrantes et confessiones audientes pias eleemosynas pro eorum vitae sustentatione petere et in illam convertere, necnon ipsi fratres in eisdem locis vestris remanentes in pulsatione campanarum ecclesiarum vestrarum earumdem horis canonicis praefatis campanarum aliarum pulsationem huiusmodi absque simili vel alio impedimento quocumque, ut praefertur, anticipare libere et licite possint, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VI idus ianuarii, ... anno VII.

1721. Mandat, ut concedat licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in oppido Dixmuden, Morinen. dioec. (1).

1454, ianuarii 8, Romae.

Venerabili fratri episcopo Morinen.

Piis supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Sigerii de Hucslaer, ordinis fratrum Minorum de observantia professoris, petitio continebat, quod olim ipse, pie considerans, quod si in capella B. Mariae, sitae extra portas oppidi Dixmuden, in ultimis terminis tuae et in confinibus Tornacen. dioec. situati, fratres dicti ordinis commorarentur, per illorum praedicationes et alia bona opera animabus christifidelium illarum partium plurimum consuleretur, taliter apud quosdam nobiles, ad quos ipsum oppidum haereditario iure spectare dignoscitur, et alios legislatores et oppidanos eiusdem oppidi procuravit, quod haeredes ipsi de consensu dilectorum filiorum legislatorum et oppidanorum praefatorum eamdem capellam cum terris et loco adiacentibus et contiguis ac ad ipsam capellam spectantibus omnibusque iuribus et pertinentiis suis ad effectum, quod ibidem una domus seu unum oratorium cum omnibus aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis, qui de observantia esse debeant, construeretur et aedificaretur, ipsi Sigerio pia elargitione donarunt et assignarunt. Quare pro parte tam dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Isabellis, ducissae Burgundiae, sub cuius temporali dominio oppidum ipsum consistit, quam haeredum, legislatorum, oppidanorum et Sigerii praedictorum, asserentium, quod nulla domus dicti ordinis, ubi vigeat observantia, ad quinque leucas prope dictum oppidum habetur, Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam tibi de ... praemissis legitime constiterit, ipsi Sigerio et aliis fratribus dicti ordinis de observantia capellam praedictam cum pertinentiis suis pro usu et habitatione huiusmodi ... recipiendi et retinendi ac eam in ecclesiam seu oratorium ac prope eam domum cum campanili ... erigendi ... et in eis perpetuo commorandi, necnon dictis et aliis fratribus, qui pro tempore in ipsa erigenda domo residebunt, in quibuslibet ecclesiis et locis convenientibus praedictorum verbum Dei populo publice praedicandi ac quaestus secundum formam dicti ordinis petendi et mendicandi plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra concedas. Nos enim, ... quod omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant, ... indulgemus. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VI idus ianuarii, ... anno VII.

1722. Mandat, ut concedat licentiam erigendi monasterium S. Petri martyris, civitatis Regin., translatis inde monialibus O. S. Aug. ad monasterium S. Laurentii, eiusdem civitatis, in monasterium O. S. Cl., ad instar monasterii Corporis Christi Ferrarien. (2).

1454, ianuarii 10, Romae.

Venerabili fratri episcopo Regin.

Inter cetera opera, divinae placita voluntati *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Borsii, Mutinae ac Regii ducis, ac communitatis civitatis Regin. Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi in dicta civitate pro sacrae religionis augmento et animarum salute et profectu, monasterium institui desiderant ordinis S. Clarae, in quo ordinis eiusdem sorores sub regula S. Francisci ad instar sororum, quae in monasterio Corporis Christi Ferrarien., dicti ordinis, degunt, studio continue vacent piae vitae, quodque in eadem civitate locus ad

(1) Reg. Lat. t. 483, f. 165.

(2) Reg. Lat. t. 487, f. 54; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 100.

hoc non sit magis accommodus, quam monasterium monialium S. Petri martyris, ordinis S. Augustini, si dilectae in Christo filiae priorissa et moniales in illo impraesentiarum degentes, quae olim in monasterio S. Laurentii, etiam Regin., dicti ordinis S. Augustini, degere consueverant, ad ipsum monasterium S. Laurentii revertantur, ac priorissa et moniales, de ipso monasterio S. Petri ad dictum monasterium S. Laurentii translatae, ad monasterium, quod dicti communitas licentia Sedis Apostolicae eis ad hoc suffragante de capella SS. Cosmae et Damiani, sita in dicta civitate, cum necessariis officinis erigi et instaurari facere desiderant, transferantur. Quare dux et communitas praefati, asserentes, quod ipsi communitas pro huius modi erigendo monasterio ac reparatione dicti monasterii S. Laurentii certam ad hoc necessariam et sufficientem pecuniarum summam, ad hoc, ut eorum exsequatur desiderium, deputarunt, quodque dilectus filius archipresbyter ecclesiae S. Vitalis de Carpineto, Regin., sub cuius ecclesiae limitibus dicta capella consistit, necnon in S. Petri, quod ad S. Laurentii revertantur, et in S. Laurentii monasteriis huiusmodi impraesentiarum degentes priorissae et moniales praedictae, quod ad dictum monasterium erigendum transferantur, suum consensum exhibuerunt, Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis praefatam capellam in monasterium ordinis S. Augustini pro usu et habitatione dictarum ad illud transferendarum priorissae et monialium cum ecclesia, campanili, campana, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis erigi faciendi, necnon in S. Petri, ad S. Laurentii redeundi, et in S. Laurentii monasteriis eisdem degentibus priorissis et monialibus praedictis, se ad ipsum monasterium erigendum remanentibus eidem monasterio S. Laurentii certis parvis domunculis, quae olim ad ipsum monasterium S. Petri spectabant, cum omnibus libris, paramentis, iocalibus, ornamentis ac aliis bonis, rebus et iuribus suis, ad eas et dicta earum monasteria spectantibus transferendi, et sororibus in praedicto monasterio S. Petri recipiendis monasterium ipsum S. Petri, ordine S. Augustini huiusmodi in dictum ordinem S. Clarae inibi mutato, recipiendi et inhabitandi ac perpetuo retinendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus vocatis archipresbytero et priorissis et monialibus praedictis et aliis, qui fuerint evocandi, super praemissis ... te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ea reppereris ita esse, secundum quod tibi expediens fore videbitur, super quo tuam conscientiam oneramus, dictis communitati praefatam capellam in monasterium pro usu et habitatione priorissae et monialium dicti ordinis S. Augustini cum ecclesia, campanili, campana, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis huiusmodi erigi ac construi et aedificari faciendi, et postquam illud erectum fuerit, in S. Laurentii ad ipsum erigendum se transferendi, et in S. Petri praedictis monasteriis degentibus priorissae et monialibus ad idem monasterium S. Laurentii, remanentibus eis domunculis praedictis cum omnibus aliis bonis et rebus quibuscumque redeundi, necnon in eodem monasterio S. Petri, ordine S. Augustini in ordinem S. Clarae huiusmodi mutato, sororibus praedictis illud recipiendi et in eo perpetuo remanendi licentiam auctoritate Nostra largiaris, ipsasque in S. Laurentii ad dictum erigendum monasterium, postquam erectum fuerit, transferas, et in S. Petri monasterio praedictis degentes priorissas et moniales ad idem monasterium S. Laurentii reverti facias et procures. Non obstantibus *etc.* Nos enim, si praefatum monasterium S. Petri praesentium vigore ordini S. Clarae pro usu sororum praedictarum applicari dictasque priorissam et moniales in dicto monasterio S. Laurentii degentes ad huiusmodi erigendum monasterium transferri contigerit, priorissae et monialibus necnon magistrae et sororibus eisdem in dictis monasteriis ex tunc pro tempore degentibus, ut omnibus et singulis privilegiis ... dictis eorum ordinibus ac eorumdem ordinum locis in genere concessis uti et gaudere libere et licite possint, auctoritate praedicta tenore praesentium indulgemus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV idus ianuarii, ... anno VII.

1723. Archiepiscopo Iadren. mandat, ut concessionem et investituram factam Martino et Vito, pauperibus eremitis ordinis B. Francisci de poenitentia nuncupati, de ecclesia S. Iohannis Baptistae, prope et extra muros Iadren., necnon de ecclesia S. Pauli primi eremitae, sita super scopulo Galenam, prope insulam S. Michaelis, Iadren. dioec., approbet et confirmet (1).

1454, ianuarii 10, Romae.

Ut ea, quae pro divini cultus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV idus ianuarii, ... anno VII.

(1) Reg. Lat. t. 483, f. 166 v.

1724. Mandat, ut Antonio de Claromonte, militi, concedat licentiam fundandi domum O. F. M. de observ., iuxta locum de Manderoux, Xanctonen. dioec. (1).

1454, ianuarii 12, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Iohannis, Angliacen., Xanctonen. dioec.

Piis fidelium votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Antonii de Claromonte, militis, de Sorgeriis et de Manderoux, Xanctonen. dioec., locorum temporalis domini, petitio continebat, quod ipse olim ... pro suae et progenitorum suorum animarum salute et ob singularem, quam ad ordinem fratrum Minorum de observantia gerit, devotionem capellam B. Mariae iuxta ipsum locum de Manderoux ac infra limites parochialis ecclesiae S. Laurentii de Sorgeriis, dictae dioec., sitam, per suos praedecessores et de eorum bonis constructam et aedificatam ac de iure patronatus ipsius militis exsistentem, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis una cum tribus quarteriis terrae tunc expressis ac locum ipsius capellae pro una domo et habitatione nonnullorum fratrum dicti ordinis de licentia Sedis Apostolicae inibi erigenda, construenda et aedificanda ac usu aliquorum nemorum eidem militi spectantium et ipsis fratribus necessariorum, ac de quo usu idem miles per suas litteras eisdem fratribus, qui propterea servire Deo et pro ipsius militis ac suorum praedecessorum et successorum, tamquam fundatorum, animarum salute deprecari tenerentur, etiam dilecto filio Nicolao Orientis, presbytero, fratre dicti ordinis ibidem tunc praesente et pro eodem ordine stipulante et acceptante, in perpetuam eleemosynam concessit et donavit: quas quidem donationem et concessionem postmodum dilectus filius Iacobus de Mozzanica, vicarius generalis dicti ordinis, quantum in eo fuit, acceptavit, laudavit et approbavit, etiam dioecesani loci ac dictae parochialis ecclesiae rectoris super hoc interveniente consensu, prout in diversis litteris authenticis desuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte militis et Iacobi vicarii ac Nicolai praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi in loco capellae huiusmodi unam domum dicti ordinis pro usu et habitatione aliquorum fratrum eorumdem cum ecclesia, choro, altaribus, campanili, campana, refectorio, dormitorio, claustro, hortis, hortalitiis et aliis officinis necessariis erigendi et construendi seu erigi et construi faciendi ac ipsis fratribus eamdem domum inhabitandi licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur, ... de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, militi, vicario et Nicolao praedictis in loco capellae domum ipsam pro usu et habitatione aliquorum dicti ordinis fratrum cum ecclesia, choro ... et aliis officinis necessariis praedictis erigere, ... quodque ipsi fratres ad ipsam domum se transferre et illam recipere, inhabitare ac perpetuo retinere libere et licite valeant, auctoritate Nostra licentiam largiaris pariter et facultatem, iure tamen *etc.* Non obstantibus *etc.* Nos enim omnibus et singulis fratribus dicti ordinis, qui in dicta domo construenda pro tempore morabuntur, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere possint et debeant, quibus alii fratres in aliis domibus eiusdem ordinis commorantes gaudere solent et utuntur et gaudent, concedimus per praesentes *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, pridie idus ianuarii, ... anno VII.

1725. Sororibus III O. S. Fr., domus S. Aegidii de Ubeda, Giennen. dioec., concedit facultatem emittendi vota et vivendi in communi (2).

1454, ianuarii 12, Romae.

Dilectis in Christo filiabus sororibus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, domus S. Aegidii de Ubeda, praesentibus et futuris, Giennen. dioec.

Pastoris aeterni, cuius vices *etc.* Sane pro parte vestra exhibita petitio continebat, quod vos, quae sub regulari observantia tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati ac in congregationis domo S. Aegidii de Ubeda, Giennen. dioec., sub illius regulari observantia Altissimo vota vestra redditis, in observantia huiusmodi devotius et cum maiori animarum vestrarum salute Iesu Christo, filio Virginis, gratum et sedulum famulatum huiusmodi impendere desideratis, pro parte vestra *etc.* Nos igitur ... vobis omnibus et singulis, ordinem ipsum expresse professis, in dicta domo commorantibus, ut in ipsa domo iuxta ordinationes fel. rec. Nicolai papae IV, praedecessoris Nostri, vivere ac ulterius unam ex ipsa congregatione in matrem vitae laudabilis et honestae, quae vobis praesit, eligere et loco illius, cum vobis opportunum videbitur, aliam eius loco substituere, cui parere et intendere debeatis, et in illius, quae pro tempore erit, manibus castitatem et obedientiam necnon in communi vivere et pro indiviso

(1) Reg. Lat. t. 483, f. 218 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 101.

(2) Reg. Vat. t. 401, f. 169.

profiteri debeatis, quodque alias quascumque dictum ordinem profiteri et vobiscum una inhabitare volentes recipere et admittere ad supradictam professionem libere valeatis, necnon quotiens vobis fuerit opportunum, fratribus ordinis Minorum sub regulari observantia viventibus vos, et quae pro tempore erunt, dictae domus sorores peccata vestra confiteri et ab eis singulis quindenis sacramentum eucharistiae recipere necnon divina officia audire et omnia ecclesiastica sacramenta, quotiens fuerit opportunum, similiter recipere ab eisdem omni tempore, necnon visitatorem, cui subesse teneamini, eligere libere et licite valeatis, ac alias in omnibus et per omnia ad instar domus nonnullarum sororum eiusdem ordinis, sitae in Urbe, in regione trans Tiberim, quae vulgariter dicitur domus Palociae, sub congregatione et regulari observantia huiusmodi viventium, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Et nihilominus vobis, praesentibus et futuris, ut omnibus et singulis immunitatibus, privilegiis ... Florentin., Perusin. et Viterbien. domorum sororibus, in congregatione viventibus, ... concessis ... uti et gaudere valeatis, ... concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, pridie idus ianuarii, ... anno VII.

1726. Mandat, ut exsequantur concessionem ecclesiae parvae extra muros Vercellen., fratribus O. F. M. de observ., domus Vercellen., iam antea factam (1).

1454, ianuarii 15, Romae.

Dilectis filiis S. Stephani in Citadella, Vercellen., et S. Mariae de Lucedio ac S. Benedicti de Malegio, Vercellen. dioec. monasteriorum abbatibus.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Vercellen. Nobis exposito, quod prope domum ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, extra muros Vercellen., esset quaedam parva ecclesia, per venerabilem fratrem Nostrum Guillelminum, episcopum Bethlehemitan., teneri consueta, quae sine cura exsistebat et tunc vacabat ac tanto tempore vacaverat, quod de eius vero vacationis modo certa notitia non habebatur, et propterea eius collatio iuxta Lateranen. statuta concilii erat ad Sedem praedictam legitime devoluta, quam quidem ecclesiam una cum quadam petia terrae perticarum trium ad ipsam ecclesiam pertinente, dicti communitas et homines plurimum affectabant fratribus dicti conventus, quibus valde accommoda, imo quodammodo necessaria exsistebat, pro eorum usu et utilitate, suppresso in ea ordine S. Augustini canonicorum regularium, cuius esse censebatur, per dictam Sedem concedi et assignari necnon a solutione census unius floreni, quam tam praedictus Guillelminus quam antecessores sui, qui fuerant pro tempore episcopi Bethlehemitani, percipere consueverant, perpetuo liberari: ac pro parte tam Guillelmini episcopi quam communitatis et hominum praedictorum Nobis supplicato, ut dictam ecclesiam, ordine S. Augustini in ea penitus suppresso et exstincto, cum petia terrae huiusmodi fratribus praedictis pro eorum usu et utilitate concedere et assignare ipsamque ecclesiam a solutione praedicti census perpetuo liberare aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur, Nos dilecto filio vicario venerabili fratris Nostri episcopi Vercellen. in spiritualibus generali eius proprio nomine non expresso aliis Nostris litteris (2) dedimus in mandatis, quatenus, si et postquam vocatis, qui forent evocandi, sibi de eisdem expositis legitime constaret, ecclesiam praedictam, dummodo tempore datarum dictarum litterarum non esset in ea alicui specialiter ius quaesitum, ordine S. Augustini huiusmodi in ea prius suppresso penitus et exstincto cum petia terrae huiusmodi fratribus praedictis pro eorum usu et utilitate auctoritate Nostra concederet pariter et assignaret, et nihilominus, si concessionem et assignationem praedictas per se vigore praesentium fieri contingeret, ecclesiam necnon fratres praedictos a solutione census huiusmodi, de consensu tamen dicti episcopi, auctoritate praedicta liberaret penitus et absolveret *etc.* Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte communitatis et hominum ac fratrum praedictorum petitio continebat, in dictis litteris per inadvertentiam non fuerit expressum, quod dictus Guillelminus episcopus per quamdam cedulam seu supplicationem, eius sigillo munitam, in qua idem Guillelminus episcopus praedictam ecclesiam cum quadam petia terrae ac aliis suis iuribus et pertinentiis universis praedictis fratribus auctoritate apostolica conferri et assignari supplicabat, in praemissis suum iam praestiterit assensum, et nunc ex certis causis difficile foret novum a praedicto Guillelmino episcopo consensum obtinere, dictique communitas et homines ex certis causis dubitent, ne praedictus vicarius in exsecutione dictarum litterarum earumdem negli-

(1) Reg. Lat. t. 483, f. 240; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 102.

(2) Cf. supra n. 1665, p. 827.

gens sit seu remissus, ab aliquibus quoque asseratur dictam ecclesiam S. Mariae ad mensam episcopalem Bethlehemitan. pleno iure spectare, sicque illam, cum non beneficium, sed membrum dumtaxat sit, non vacavisse neque vacare, pro parte eorumdem communitatis et hominum et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam vocatis dicto Guillelmino episcopo necnon aliis qui fuerint evocandi, vobis tam de primo quam de ultimo expositis praedictis et per testes fide dignos aut dictam supplicationem Guillelmini episcopi, sigillo munitam, eumdem Guillelminum episcopum suum circa praemissa facienda alias liberum praestitisse consensum, legitime constiterit, absque eo quod de novo ipsius Guillelmini episcopi ad hoc requiratur consensus, dictam ecclesiam cum petia terrae ac omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis, a praefata mensa, in quantum illius membrum quomodolibet censeri posset, separare et dividere, illamque cum petia terrae ac omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis, quorum omnium fructus, redditus et proventus unius floreni auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, eisdem fratribus pro ipsorum usu et utilitate concedere et assignare necnon alias ad ipsarum litterarum exsecutionem procedere in omnibus et per omnia, perinde ac si dictae aliae litterae vobis directae fuissent et dirigerentur, auctoritate Nostra curetis, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Aut si Guillelmino episcopo praedicto vel quibusvis aliis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVIII kal. februarii, ... anno VII.

1727. Iohanni de la Trecha, O. F. M., et duobus sociis concedit licentiam recipiendi eremitorium B. Mariae de la Barquera, Burgen. dioec. ([1]).

1454, ianuarii 17, Romae.

Dilecto filio Iohanni de la Trecha, ordinis fratrum Minorum professori.

Religionis zelus *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod tu, zelo devotionis accensus, quem ad vitam solitariam seu eremiticam geris, cupis de ordine fratrum Minorum, quem, ut asseris, expresse professus exsistis, ad aliquem locum solitarium et a conversatione hominum remotum pro salute animae tuae acquirenda te transferre et ibidem permanendo Altissimo perpetuo famulari, quodque, si quaedam ecclesia, eremitorium nuncupata, sub vocabulo B. Mariae virginis de la Barquera, prope castrum sive oppidum S. Vincentii de la Barquera, Burgen. dioec., dudum constructa, ad quam christifideles de dicto oppido et aliis locis circumvicinis causa devotionis interdum confluere contingit, et [quae] in suis structuris et aedificiis dietim diminuitur et in futurum verisimiliter plus diminui formidatur, tibi cum duobus fratribus tui ordinis causa illud inhabitandi et per te, quoad viveres, tenendi, regendi ac etiam gubernandi tui superioris per te petita licentia, licet non obtenta, concederetur, ex hoc sperares non modicum fructum consequi. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eremitorium huiusmodi cum domibus, hortis, hortalitiis ac omnibus iuribus et pertinentiis suis per te, quoad viveres, cum duobus fratribus tui ordinis, quos ad hoc duxeris eligendos, tenendum, regendum et etiam gubernandum tibi donare, concedere et assignare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... devotioni tuae superioris tui super hoc prius per te petita licentia, licet non obtenta, pro tuo huiusmodi proposito adimplendo de dicto ordine ad eremitorium praefatum cum dictis duobus fratribus per te eligendis te transferendi ibidemque vitam eremiticam ducendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur necnon dictum eremitorium cum domibus, hortis, hortalitiis ac omnibus iuribus et pertinentiis suis praedictis per te, quoad vixeris, una cum dictis duobus fratribus dicti ordinis tenendum, regendum et etiam gubernandum ac inhabitandum eisdem auctoritate et tenore concedimus, donamus et etiam assignamus, mandantes insuper venerabili fratri Nostro episcopo Oveten. et dilectis filiis decano Burgen. ac Didaco Sanctii de Frias, canonico Seguntin. ecclesiarum, per apostolica scripta, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, si et postquam praesentes litterae eis praesentatae fuerint, per se vel alium seu alios te in corporalem possessionem eremitorii iuriumque et pertinentiarum praedictorum inducant auctoritate Nostra et defendant inductum amoto quolibet detentore ab eadem, facientes *etc.* Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Et nihilominus tibi et fratribus huiusmodi, ut postquam dictum eremitorium habitaveris, omnibus et singulis praerogativis,

([1]) Reg. Vat. t. 402, f. 273; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 103.

exemptionibus ... uti et gaudere valeas et valeant, ac si in dicto ordine continuo permansisses, dicta autoritate indulgemus etiam per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVI kal. februarii, ... anno VII.

1728. Gregorio de Nola, O. F. M., presbytero, qui interdum male sanus exsistit, quique propter onera religionis dicti ordinis morari non potest in domibus eiusdem ordinis, in quibus vivitur sub regulari observantia, concedit facultatem recipiendi unum beneficium curatum (1).

1454, ianuarii 17, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVI kal. februarii, ... anno VII.

1729. Mandat, ut exsequatur sententiam ab Angelo de Perusio, ministro generali, latam in causa Guillelmi Yragillig, ministri provinciae Hiberniae, O. F. M. (2).

1454, ianuarii 19, Romae.

Dilecto filio Iacobo de Mozzanica, ordinis fratrum Minorum et sacrae theologiae professori, eiusdem ordinis, in praesentiarum generali ministro carentis, loco ipsius ministri vicario generali.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Guillelmi Yragillig, ministri provincialis ordinis fratrum Minorum, provinciae Hiberniae secundum morem ipsius ordinis, magistri in theologia, petitio continebat, quod olim, postquam Nos episcopo Lismoren. et decano Cassellen. eorum propriis nominibus non expressis per alias Nostras litteras nomine charissimi in Christo filii Nostri Henrici, regis Angliae illustris, licet subdole impetratas, dederamus in mandatis, quatenus ipsi vel alter eorum vocatis dicto ministro et aliis, qui forent evocandi, super eo videlicet, si dictus Guillelmus praefato regi rebellis aut minus fidelis et inobediens esset, prout dicebatur, inquirerent auctoritate Nostra diligentius veritatem et, si per inquisitionem huiusmodi ipsum talem fore reperirent, eumdem Guillelmum quovis eiusdem ordinis officio eadem auctoritate privarent et amoverent realiter ab eodem et, si privationem et amotionem huiusmodi fieri contingeret, eadem auctoritate statuerent et ordinarent, quod David Carru, sacrae theologiae professor, et Nicolaus Walsche, eiusdem facultatis baccalaurius, fratres dicti ordinis, usque ad futuri provincialis ministri dictae provinciae electionem et huiusmodi electionis confirmationem loco ipsius ministri praesidentes esse deberent, praefatis David et Nicolao falso referentibus venerabili fratri Nostro episcopo Lismoren. et dilecto filio Iohanni Cantuelle, tunc decano dictae ecclesiae, quod praefatus Guillelmus rebellis, infidelis et inobediens esset dicto regi, ut praefertur, iidem episcopus et decanus ad falsam relationem huiusmodi praetextu dictarum litterarum eumdem Guillelmum per suas litteras citari fecerunt, quatenus infra certum tunc expressum terminum coram eis Clomvelliae, Lismoren. dioec., in iudicio compareret ad docendum de innocentia sua super relatis huiusmodi, seque fuisse et esse dicto regi fidelem, alioquin ad videndum se officio ministeriatus sui privari et ab illo realiter amoveri, pro parte vero dicti Guillelmi, cum praefati episcopus et decanus in loco sibi non tuto exsisterent, ad quem idem Guillelmus propter guerrarum discrimina in illis partibus notorie vigentium ac etiam quasdam litteras per dictos David et Nicolaum a quodam dicti regis officiali per falsam suggestionem ad capiendum dictum Guillelmum impetratas ac alias legitimas causas absque personae et rerum suarum periculo accedere non audebat ac procuratorem seu nuntium destinare praesentiam habere nequiret, coram quibus, si eorum copiam habere potuisset, paratus erat probare, quod propter huiusmodi discrimina ad episcopum et decanum praefatos in loco exsistentes praedicto absque personae et rerum suarum periculo accedere non audebat nec procuratorem seu nuntium destinare et ab eis petere locum sibi alium assignari securum protestatione super hoc coram probis viris facta videlicet, quod ob praemissorum causam ad dictos episcopum et decanum in ipso loco exsistentes accedere non audebat nec procuratorem seu nuntium destinare, et causa appellationis expressa, scilicet quod iidem episcopus et decanus ipsum ad huiusmodi locum non tutum citaverant, prout superius est expressum, ad Sedem Apostolicam appellato episcopus et decanus praedicti eumdem Guillelmum, coram eis in dicto termino non comparentem, veluti contumacem, quamvis contumax censendus non esset, officio ministeriatus sui privarunt, licet de facto, et dilectum filium Gillibertum Walsche, etiam dicti ordinis et theologiae professorem, qui tunc se per quosdam eiusdem ordinis per dictum ministrum publice excommunicatos fratres in ministrum provincialem dictae provinciae eligi procuraverat, in

(1) Reg. Lat. t. 483, f. 239 v.

(2) Reg. Lat. t. 483, f. 188. Cf. supra n. 1018, p. 507.

ipsorum ministrum provincialem recipi mandarunt, et alias tam episcopus et decanus quam Gillibertus praedicti ipsum Guillelmum super praemissis multipliciter molestarunt, propter quae denuo pro parte dicti Guillelmi ad Sedem Apostolicam exstitit appellatum. Et deinde, cum causa huiusmodi etiam dictum ordinem contingeret, Nos quondam Angelo de Perusio, eiusdem ordinis tunc generali ministro, ad instantiam dilecti filii Francisci de Eugubio, tunc eiusdem ordinis in Romana curia procuratoris generalis, commisimus, quatenus partibus convocatis summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu ac figura iudicii super relatis huiusmodi et aliis praemissis eorumque circumstantiis universis inquireret auctoritate Nostra diligentius veritatem et sola facti veritate inspecta, quod iustum foret, eadem auctoritate decerneret et faceret per censuram ecclesiasticam firmiter observari, praefatusque Angelus, in huiusmodi causa iuxta formam sibi factae commissionis procedens, constito sibi de falsitate relatorum huiusmodi et alias cognitis ipsius causae meritis praemissa omnia contra dictum Guillelmum gesta et attentata per suam definitivam sententiam cassavit et annullavit ac cassa et irrita nuntiavit, dicto Gilliberto super officio ministeriatus huiusmodi perpetuum silentium imponendo, et licet praefatus Gillibertus ab huiusmodi sententia infra tempus legitimum non appellaverit, sed illa transierit in rem iudicatam, tamen, quia dictus Angelus, antequam super eius dicta sententia legitima conficerentur documenta et illa debitae foret exsecutioni demandata, decessit, idem Guillelmus, qui appellationem suam huiusmodi propter dictam ipsi generali ministro factam commissionem ac alias legitimas causas aliter prosequi non potuit, dubitet se nihilominus super dicto ministeriatu suo et alias praemissorum occasione indebite molestari posse, quare Nobis humiliter supplicari fecit *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam tibi de dicti Angeli sententia et re iudicata huiusmodi legitime constiterit, sententiam ipsam, prout est iusta, debitae facias per censuram similem exsecutioni demandari, et si de eadem sententia pro eo, quod super ipsa dicta documenta confecta non fuerint, ut praefertur, constare nequeat in lapsu temporis de prosequendo appellatione praedicta non obstante vocatis dicto Gilliberto et aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis super praemissis, quod iustum fuerit, eadem auctoritate decernas *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453 XIV kal. februarii, ... anno VII.

1730. Mandat, ut Gerardo de Clivis, comiti de Marcka, concedat licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in Hamme (Hamm), Colonien. dioec. [1].

1454, ianuarii 22, Romae.

Dilecto filio decano ecclesiae S. Patrocli Susatensis, Colonien. dioec.

Piis fidelium votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Gerardi de Clivis, comitis de Marcka, Colonien. dioec., petitio continebat, quod ipse, zelo devotionis accensus, quem ad ordinem fratrum Minorum de observantia semper gessit et gerit, ... de bonis sibi a Deo collatis unam domum dicti ordinis, in quodam suo oppido, Hamme nuncupato, magno et populoso, in dictis comitatu et dioec. consistente, in loco ad hoc congruo et honesto unam domum pro usu et habitatione guardiani et fratrum dicti ordinis, inibi pro tempore Altissimo pro suae et progenitorum ac haeredum et consanguineorum suorum animarum salute famulaturorum, cum ecclesia, hortis, hortalitiis, campanili, campanis ac aliis necessariis officinis fundare, construere, erigere et aedificare seu fundari, construi, erigi et aedificari facere ferventer exoptat, dummodo sibi super hoc Sedis Apostolicae suffragetur auctoritas. Quare pro parte dicti comitis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi in oppido et loco praedictis domum pro usu et habitatione guardiani et dictorum fratrum de observantia cum ecclesia ... et aliis necessariis officinis erigendi ... licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ipsi comiti in oppido praefato in loco ad id convenienti unam domum pro usu et habitatione guardiani et fratrum de observantia huiusmodi cum ecclesia ... et aliis necessariis officinis erigendi ... ac guardiano et fratribus dicti ordinis domum praefatam pro eorum usu et habitatione recipiendi et perpetuo retinendi dioecesani loci et cuiuscumque licentia super hoc minime requisita plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra largiaris. Nos enim universis dicti ordinis fratribus, quos in domo praefata pro tempore residere contigerit, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite valeant, eadem auctoritate Nostra indulgemus. Non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XI kal. februarii, ... anno VII.

---

[1] Reg. Lat. t. 497, f. 60v. Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 104 « ex mss. prov. Coloniae ».

1731. Revocat facultates procuratorum eleemosynas pro Terra Sancta colligentium (1).

1454, februarii 14, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Sollers Romani pontificis diligentia *etc.* Cum itaque, sicut Nobis nuper dilecti filii moderni guardiani Montis Sion et aliarum domorum sive aliorum locorum Terrae Sanctae, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupati, fidelis insinuatio reseravit, olim quidam dicti ordinis fratres partim per apostolicas et partim per guardianorum domorum sive locorum praedictorum, qui pro tempore fuerunt, litteras pro fratrum domorum sive locorum eorumdem continuo inibi degentium sustentatione ipsarumque domorum seu locorum manutentione ac conservatione eleemosynas et pia suffragia ab universis christifidelibus ubilibet consistentibus petendi, colligendi et recipiendi licentia et potestate suffulti et tamquam procuratores ad hoc constituti, ipsarum litterarum vigore plurimas eleemosynas et suffragia, ut illa in usus et utilitatem sustentationis et manutentionis praedictarum convertenda eisdem Terrae Sanctae fratribus realiter assignarent seu transmitterent, ab ipsis christicolis, prout per fidelem aliquorum ex eis magnatum significationem eidem guardiano moderno veraciter innotuit, collegerint ac receperint et tamen ea vel aliquam partem eorum guardianis seu fratribus Terrae Sanctae praedictis assignare vel transmittere non curaverint, sed Dei timore et regulari honestate postpositis illa omnia ausu temerario detinere et pro seipsis usurpare praesumpserint in animarum suarum periculum et guardianorum ac fratrum Terrae Sanctae praedictorum grave praeiudicium atque damnum. Nos, detestandis huiusmodi praesumptorum fraudibus obviare et, ne ipsi in eorum malitia glorientur, ne etiam christicolas et Terrae Sanctae fratres huiusmodi amplius decipere valeant, providere cupientes, omnes et singulos procuratores fratres tam per apostolicas quam per quorumlibet guardianorum praedictorum litteras ad petendum, colligendum et recipiendum eleemosynas et suffragia pro sustentatione et manutentione praefatis hactenus usque in praesentem diem constitutos eisque desuper sub quacumque forma vel expressione verborum concessas litteras praedictas, dilecto filio Leonardo de Melia, dicti ordinis professore, in concesso sibi super hoc per dictum guardianum modernum procurationis officio, donec ab eo revocatus fuerit, permansuro, utpote sibi plena fide ac laudabili experientia comprobato, dumtaxat excepto, auctoritate apostolica tenore praesentium revocamus, irritamus et annullamus ipsasque litteras apostolicas de illarum registris omnino cassari et cancellari praecipimus et pro cassis et cancellatis haberi volumus et infectis. Et nihilominus venerabilibus fratribus Nostris archiepiscopis, episcopis ac quarumlibet ecclesiarum praelatis, in quorum civitatibus et dioecesibus litterae ipsae per procuratores huiusmodi delatae, exhibitae vel ostensae fuerint, necnon dilectis filiis domorum et locorum dicti ordinis in eisdem civitatibus et dioecesibus consistentium superioribus per apostolica scripta mandamus, quatenus easdem litteras ab ipsis procuratoribus, non amplius eis restituendas, auferant seu auferri faciant et procurent nec illarum praetextu permittant sibi eleemosynas aut suffragia aliqua erogari, quinimo eis ad assignandum seu transmittendum fratribus Terrae Sanctae detenta et usurpata huiusmodi per censuram ecclesiasticam ... cogant pariter et compellant. Et insuper, si aliquos procuratores per litteras apostolicas pro dictis eleemosynis vel suffragiis petendis, colligendis et recipiendis ad usum et sustentationem fratrum ac manutentionem locorum Terrae Sanctae huiusmodi imposterum constitui seu deputari forte contigerit, volumus ac harum serie statuimus et ordinamus, quod nullus eorum huiusmodi procurationis officium, nisi illud etiam a guardiano pro tempore exsistente praedicto per eius litteras sibi concessum fuerit, exercere possit seu debeat quoquomodo, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVI kal. martii, ... anno VII.

1732. Revocat mandatum fratribus domus S. Francisci Assisinat., O. F. M., solvendi certam pecuniae summam pro aedificatione dormitorii in domo S. Mariae de Angelis (2).

1454, februarii 26, Romae.

Dilectis filiis custodi et fratribus conventus Assisii, ordinis Minorum.

Mandavimus dudum vobis per breve Nostrum sub certis gravibus poenis, ut de pecuniis perventuris ad manus procuratoris vestri conven-

(1) Reg. Vat. t. 428, f. 272; Wadd. *Ann.* ad a. 1453, n. 31. Bull. Terrae Sanctae p. 65.

(2) Collis paradisi amoenitas etc. l. 2 pag. 57.

tus ex oblationibus factis et fiendis super altare B. Mariae de Angelis, Assisinat. dioec., fratribus S. Mariae praedictae pro aedificatione certi eorum dormitorii solveretis florenos auri de camera trecentos. Postmodum intelleximus, quod hactenus dictis fratribus florenos centum persolvistis, quodque, si etiam reliqui ducenti solverentur, cederet in magnum praeiudicium vestri loci et structurarum ipsius, ad quorum reparationem intenditis et pluribus ad id pecuniis egetis. Et propterea fuit pro parte vestra Nobis instantissime supplicatum, ut vos ac locum et conventum praefatum ab huiusmodi solutione ducentorum florenorum liberare et penitus absolvere dignaremur. Nos, huiusmodi supplicationibus inclinati, mandatum vobis factum et breve ad vos directum harum serie revocantes ac nullius esse roboris vel momenti decernentes, vos a dicta solutione ducentorum florenorum et a poenis ac excommunicationis et suspensionis sententiis, in quas propter ipsam solutionem non factam forsan incurristis, prorsus liberamus et absolvimus per praesentes, mandantes, ut praedicti brevis vigore, nihil de cetero solvatis fratribus S. Mariae praefatis. Sed dictos florenos ducentos ex huiusmodi oblationibus perventuros in utilitatem et reparationem dicti conventus, prout vobis necessarium fuerit, convertatis, brevi praedicto et quocumque alio indulto apostolico in contrarium edito ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 26 februarii 1454, ... anno VII.

1733. Michaeli Castant, electo Christopolitan., O. F. M. et theol. professori, in sacerdotio constituto, confert episcopatum ecclesiae Christopolitan., vacantem per obitum Iohannis episcopi (1).

1454, martii 8, Romae.

Apostolatus officium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, VIII idus martii, ... anno VII.

1734. Mandat, ut certa legata ad pias causas converti faciat in reparationem domus S. Francisci, extra muros terrae Plombini, Massan. dioec., O. F. M. (2).

1454, martii 12, Romae.

Dilecto filio vicario venerabilis fratris Nostri episcopi Massan. in spiritualibus generali.

Ex iniuncto Nobis desuper *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum guardiani et operariorum domus S. Francisci, extra muros terrae Plumbini, ordinis fratrum Minorum, Massan. dioec., petitio continebat, quod, cum alias charissimus in Christo filius Noster Alphonsus, rex Aragonum illustris, dictam terram obsedisset et, ut facilius illam offenderet, machinas suas ad eam expugnandam iuxta domum praedictam poni et erigi fecisset, domus ipsa pene totaliter destructa et, quod in ea supererat, quondam Raynaldus de Ursinis, tunc ipsius terrae dominus, veritus praefati regis reditum atque obsessionem, ne exinde, prout antea, ei damna evenire possent, aut dicta terra expugnari commode vel offendi, demoliri fecit ita, quod causantibus praemissis ecclesia dictae domus absque aliqua mansione seu officinis, in quibus fratres dicti ordinis se recipere possent, sola remanserat, et propter guerras continuas, quae in illis partibus diutius viguerunt, prout adhuc vigent, et patriae incommoda tum etiam nullus ad ipsius domus reparationem intendit, domus praefata adhuc ruinae deformi subiaceat et in ea divinus cultus per fratres dicti ordinis ob defectum mansionum praedictarum nequeat commode exerceri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, incolae ac habitatores dictae terrae, quorum aliqui inibi sepulturam habere dignoscuntur, eamdem ecclesiam, quae satis insignis ac paramentis ac ornamentis ad divinum cultum necessariis fulcita exsistit, et ad quam singularem gerunt devotionem ac pro missis divinisque officiis saepe concurrunt, restaurari affectent, et nuper ad ipsorum guardiani et operariorum notitiam pervenerit, quod retroactis temporibus nonnulli ex habitatoribus dictae terrae in eorum ultimis voluntatibus certa mobilia et immobilia bona ac pecuniarum summas pro fabrica et aedificatione quarumdam capellarum in eadem ecclesia eorumque paramentis et ornamentis necnon tectorum eiusdem ecclesiae reparatione legarunt, quodque voluntates huiusmodi numquam exsecutioni debitae demandatae neque ad pias causas facta legata huiusmodi exacta fuerunt, quae, si exigerentur et ipsa bona venderentur ac illorum pretium in reparationem domus praedictae converteretur, domus ipsa posset commode refici ac etiam reparari, pro parte guardiani et operariorum eorumdem Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et ... ultimas voluntates sive testamenta

(1) Reg. Lat. t. 484, f. 14. Eidem eodem die litteris *Sincerae devotionis affectus* concedit licentiam exercendi pontificalia in civitatibus et dioecesibus Valentin. et Segobricen. Ibid. f. 15 v. Eidem die 10 marti 1454 litteris *Cum Nos nuper* concedit facultatem recipiendi consecrationem a quocumque catholico antistite. Ibid. f. 15.

(2) Reg Lat. t. 483, f. 145; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 89.

huiusmodi in iis, quae pias causas concernunt, exsecutioni debitae demandari facias et procures, contradictores *etc.* Et nihilominus eisdem operariis bona legata huiusmodi, postquam ab eorum detentoribus vindicata fuerunt et exacta, vendendi et alienandi ac pretium ex illorum venditione proveniens una cum aliis pecuniarum summis legatis praedictis in fabricam et reparationem dictae domus et non alias convertendi licentiam largiaris, non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV idus martii, ... anno VII.

1735. Abbati monasterii S. Mariae de Casamara, Verulan. dioec., mandat, ut litteras Eugenii IV, quibus Iohanni Roberti de Pedata, presbytero Verulan., abbatiam saecularis et collegiatae ecclesiae S. Erasmi, Verulan. dioec., vacantem per ingressum Francisci de Volpinis in ordinem fratrum Minorum, contulerat, plenam roboris firmitatem obtinere decernat, etsi praedictus Franciscus habitu regulari dimisso ordinem egredi praesumpsit ([1]).

1454, martii 12, Romae.

Vitae ac morum honestas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, IV idus martii, ... anno VII.

1736. Abbati monasterii S. Iohannis de Floribus, Cusentin., mandat, ut post diligentem rei inquisitionem Franciscum de Vercino de Calabria, laicum, qui se gerit pro professore tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, privet capella B. Mariae de Pressano, in territorio castri S. Lucidi, Cusentin. dioec., eamque conferat Benedicto Scarso de Citrario, clerico territorii Montis Cassin., nullius dioec. ([2]).

1454, martii 16, Romae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1453, XVII kal. aprilis, ... anno VII.

1737. Mandat, ut decernat causam appellationis fratrum Mendicantium civitatis Bononien. contra monasterium de burgo Paradelli, Bononien., O. S. Cl., circa certa legata ([3]).

1454, martii 28, Romae.

Dilecto filio Iohanni de Anania, archidiacono ecclesiae Bononien.

Romani pontificis providentia *etc.* Dudum siquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et sororum monasterii SS. Ludovici et Alexii de burgo Paradelli, civitatis Nostrae Bononien., ordinis S. Clarae, Nobis exposito, quod, postquam quondam Zanna de Zanchariis sive de Bonsignoribus, mulier Bononien., condens de bonis suis in eius ultima voluntate testamentum, inter cetera praefatas abbatissam, sorores atque monasterium sibi haeredes universales instituerat, hac tamen lege seu conditione adiecta, quod ex duabus partibus fructuum et reddituum suae haereditatis detractis ante omnia viginti in una, ad pauperes carceratos dictae civitatis redimendos, inter eos certo modo distribuendis, quadraginta in alia priori ecclesiae S. Pauli de Ravone, guardiae et dioec. Bononien., et quatuor libris monetae Bononien. cuidam hospitali in tertia partibus relictis, anno quolibet distribuendis et persolvendis, residuum duarum partium praedictarum singulis annis cuiuslibet revoluti quinquennii in diversa pietatis opera distribueretur, primo videlicet anno, a testatricis obitu computando, inter fratres et religiosos pauperes studentes ordinum fratrum Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum et Servorum B. Mariae, civitatis praefatae, secundo vero *etc.* distribui voluit et similiter erogari, dicto quinquennio perpetuis futuris temporibus similiter repeti mandando *etc.* ac subiuncto, quod propter guerrarum discrimina et iacturas, quibus dudum praefata civitas afflicta fuerat incessanterque affligebatur, tam dictae haereditatis, cuius possessiones incultae et quarum domus combustae fuerant adeo, quod ultra legata sexaginta quatuor librarum triginta libras vel circa similis monetae a pluribus tunc retroactis annis ex dicta haereditate perceperant, quam dicti monasterii, in quo triginta duo moniales professae et octo non professae erant, adeo fructus diminuti cernebantur, quod praefatae moniales in sua honestate consueta commode vivere non poterant, quodque super erogationibus faciendis saepe molestabantur et inquietabantur, ipsaeque propter earum impossibilitatem eas adimplere nequibant, licet cum maximo earum incommodo et iactura pro parte aliquibus annis tunc exactis illas impendissent, Nos ... abbatissam et sorores ac monasterium huiusmodi in omni iure et ad omne ius dictae perceptionis praedictarum partium loco religiosorum ac aliorum praemissorum subrogavimus *etc.* ([4]). Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum prioris et fratrum petitio continebat, praemissa per abbatissam et sorores Nobis exposita minus vera fuerint ac in magnum praeiudicium prioris, fratrum et domus praedictorum redundent, ipsae quoque

([1]) Reg. Lat. t. 497, f. 37 v. Vide supra n. 667, p. 315.
([2]) Reg. Lat. t. 488, f. 104 v. Cf. supra n. 991, p. 487.
([3]) Reg. Lat. t. 493, f. 278 v.
([4]) Vide supra n. 1516, p. 760.

litterae eis non vocatis aut requisitis nec constito aliter de assertis, maxime cum haereditas praedicta non ita exhausta sit, ut asserebatur, expeditae fuerint, pro parte prioris et fratrum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus vocatis abbatissa et sororibus dicti monasterii et aliis, qui fuerint evocandi, per te ipsum super praemissis provideas et decernas *etc.* Testes autem *etc.* Non obstante *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, V kal. aprilis, ... anno VIII.

1738. Ludovico de Bononia et duobus sociis O. F. M. de observ., ad Aethiopiae et Indiae partes profecturis, concedit privilegia et dispensationes (1).

1454, martii 28, Romae.

Dilecto filio Ludovico de Bononia, ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupati professori.

Cum, sicut pro parte tua Nobis fuit nuper expositum, tu, qui de numero fratrum Minorum de observantia nuncupatorum in Ierusalem commorantium exsistis, pro bono catholicae fidei et tuae animae salute nullis parciturus tui corporis discriminibus atque laboribus ad Aethiopiae ac Indiae partes personaliter proficisci desideres, Nos, huiusmodi tuo laudabili desiderio annuentes, tibi ad partes praedictas cum duobus aliis dicti ordinis professoribus, quos ad hoc voluntarios inveneris, accedendi licentiam concedimus per praesentes. Ut autem peregrinationem huiusmodi tam in accessu quam in reditu considerata ipsarum partium immensa longinquitate, solitudine et difficultate agibilius perficere valeas, tibi et praedictis duobus in societate tua venturis, quod per Aethiopiae et Indiae itinera durantibus accessu et reditu huiusmodi singulis, quibus commode nequiveritis, diebus missam audire, ecclesiastica sacramenta recipere et temporibus, quibus ab ecclesia dictique ordinis regularibus institutis ieiunium praecipitur, si illud propter cibariorum defectum et immoderatum itineris laborem facere commode non potueritis, ieiunare minime teneamini et tam Veneris ac sabbati quam quadragesimalibus diebus, si nihil aliud pro sustentatione vestra comedendum habueritis, carnium esu vesci possitis, quodque tam ante accessum quam post reditum huiusmodi vos et vestrum quilibet sacerdotem idoneum in vestrum possitis eligere confessorem, qui peccatis vestris diligenter auditis, quotiens opus fuerit, pro commissis debitam vobis absolutionem impendat ac iniungat poenitentiam salutarem, nisi talia fuerint, propter quae Sedes Apostolica sit merito consulenda, necnon quod, quisquis vestrum in praefato itinere eundo vel redeundo fortassis ab hac luce migraverit, confessor, quem ad hoc elegerit, plenam omnium peccatorum suorum in mortis articulo remissionem concedere valeat, quilibet quoque vestrum pias eleemosynas petere illasque habitas de loco ad locum deferre aliisque indigentibus vosque associantibus erogare ac per alios peti, deferri et erogari facere pro vestra et illorum sustentatione possitis, quodque per iter praedictum tam soli quam associati, prout necessitatis casus id exegerit, incedere et per loca infidelium, ubi vobis, si essetis ab eis cogniti, personale periculum immineret, proprium habitum, donec periculum huiusmodi praeterieritis, mutare necnon cum haereticis et schismaticis, sine quorum conversatione transitus vobis non aderit, conversari et, si oportuerit, super equitaturis quibusvis equitare necnon cum calceamentis ambulare valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus ac etiam indulgemus, districtius inhibentes universis et singulis etiam quacumque dignitate ecclesiastica vel mundana praeditis, ne te aut socios tuos praefatos, quominus accessum et reditum supradictos incipere, mediare et finire libere ac expedite possitis, impedire quoquomodo praesumant. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, V kal. aprilis, ... anno VIII.

1739. Episcopo Ventimilien. et Petro de Plaza ac Philippo Iacobi, canonicis ecclesiae Spoletan., mandat, ut Iohanni Nicolae de Bazano, O. F. M., de Spoletan. dioec. oriundo, commendare curent ecclesiam parochialem, prioratum nuncupatam, S. Felicis de Vallevarchi, Spoletan. dioec. (2).

1454, martii 28, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, V kal. aprilis, ... anno VIII.

1740. Mandat, ut approbent conventionem inter guardianum domus S. Francisci Reatin. et Angelum Iacobutii de Ceminis, civem Reatin., de haereditate Franciscae, mulieris Reatin. (3).

1454, martii 30, Romae.

Dilectis filiis Christophoro de Bardariis et Petro Paulo Mactii, canonicis ecclesiae Reatin.

Ea, quae pro ecclesiarum et religiosarum domorum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper

(1) Reg. Vat. t. 429, f. 87. (2) Reg. Lat. t. 493, f. 229 v. (3) Reg. Lat. t. 493, f. 233.

pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Francisci, Reatin., ordinis fratrum Minorum, ac certorum procuratorum eorumdem necnon Angeli Iacobutii de Ceminis, civis Reatin., petitio continebat, quod olim Francisca, quondam Iohannis Kamaldi, etiam de Ceminis, laici nata, mulier Reatin., condens, prout legitime poterat, de bonis sibi a Deo. collatis in eius voluntate ultima testamentum, in illo inter cetera dilectam in Christo filiam Benedictam, etiam dicti Iohannis natam, sororem suam, similiter mulierem Reatin., in omnibus bonis et rebus suis in Reatin. et Aquilan. civitatibus earumque territoriis seu districtibus consistentibus sibi haeredem universalem instituit ac voluit, quod, si ipsa Benedicta sine filiis legitimis decederet, ex tunc bona et res huiusmodi ad praedictam domum S. Francisci illiusque ecclesiam pro fabrica et reparatione ipsius ecclesiae provenire deberent. Postmodum vero, sicut eadem petitio subiungebat, ipsi guardianus, fratres et procuratores, attente prospicientes evidentem et urgentem necessitatem dictae ecclesiae, utpote in nonnullis eius partibus ruinosae ac reparatione indigentis non modicum sumptuosa, provideque considerantes, quod praefata Benedicta liberos non habet, nec, quia senex, habitura est, quodque nutu Dei tamdiu vivere potest, quod haereditatis praedictae etiam multorum aliorum legatorum et debitorum onere gravatae subventio necessitati antedictae nimis tarda et forsitan inefficax redderetur, quaecumque iura et actiones omnium et singulorum bonorum mobilium et immobilium ubilibet consistentium ad domum et ecclesiam praefatas occasione substitutionis haereditariae et testamenti praedictorum proventura et etiam pertinentia, vel quae pertinere possent quomodolibet in futurum, dicto Angelo pro certo tunc expresso pretio inter eos convento dilecti filii Iohannis de Tibure, ministri provincialis dicti ordinis provinciae Romanae secundum morem ipsius ordinis, in theologia magistri, consensu et auctoritate ad hoc accedentibus, absque tamen ipsius Benedictae quoad usumfructum bonorum eorumdem praeiudicio in perpetuum vendiderunt, cesserunt et concesserunt, prout *etc.* Quare pro parte guardiani, fratrum, procuratorum et Angeli praedictorum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus ... super praemissis ... vos diligenter informetis et, si ... reppereritis ita esse, postquam pretium supradictum ante vel post illius per dictum Angelum factam solutionem penes aliquam personam ... realiter depositum fuerit, in fabricae et reparationis praedictarum dumtaxat usus et utilitatem fideliter et integre convertendum, venditionem, cessionem et concessionem ... eadem auctoritate Nostra approbare et confirmare curetis, supplentes *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, III kal. aprilis, ... anno VIII.

1741. Approbat ordinationem camerae et institutionem procuratorum pro conservatione bonorum domus S. Francisci, civitatis Candiae, insulae Cretae, O. F. M. de observ. (1).

1454, aprilis 4, Romae.

Dilectis filiis communitati civitatis Candiae, insulae Creten.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim, postquam domus S. Francisci, civitatis Candiae, dilectis filiis professoribus ordinis fratrum Minorum sub regulari observantia viventibus auctoritate apostolica concessa exstitit ac etiam assignata, vos pro certorum fructuum, reddituum et proventuum, quos dudum antea fratres dicti ordinis in ipsa domo commorantes percipere et administrare consueverant, quosque iidem fratres de observantia a se penitus abdicaverant, ac nonnullorum aliorum bonorum ad ipsam domum spectantium conservatione quamdam cameram, Iesu Christi nuncupatam, ordinastis, in qua fructus, redditus et proventus huiusmodi sub fida et bona custodia servarentur, ac nonnullos ex nobilibus concivibus vestris, qui fructus, redditus et proventus perciperent ac bona huiusmodi conservarent ipsosque fructus in reparationem et fabricam dictae domus necnon pro libris, paramentis et aliis ornamentis ad cultum divinum et usum fratrum de observantia praedictorum necessariis emendis converterent, procuratores et unum depositarium constituistis ac deputastis, quorum quidem nobilium procuratorum et depositarii diligentia atque industria fructus, redditus et proventus praedicti et aliae piae eleemosynae et oblationes fidelium ad usus praedictos in eadem camera ex tunc repositi et fideliter conservati fuerunt, prout etiam sub bona fidaque custodia reponuntur ad praesens. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, vos, qui constructionem, ordinationem et deputationem praedictas, utpote in partibus illis, in quibus plures Graeci, qui eisdem fratribus observantibus necessaria vitae subsidia impendere aut eleemosynas erogare

(1) Reg. Vat. t. 429, f. 98 v. Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 106.

non curant, quam Latini commorantur, opportunas et necessarias, imposterum perpetuis futuris temporibus inviolabiliter perdurare cupiatis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ordinationi, constitutioni et deputationi ac aliis praemissis pro illarum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere ac alias opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ecclesiarum et monasteriorum ac religiosorum locorum quorumlibet necnon personarum sub regulari habitu piae vitae studio Altissimo iugiter famulantium statum prosperum et felicem intentis desideriis affectamus, quique pro piis et laudabilibus desideriis huiusmodi confovendis opem et operam efficaces opportunaque praesidia adhibemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, ordinationem dictae camerae et procuratorum et depositarii praedictorum deputationes auctoritate apostolica tenore praesentium ratificamus, approbamus et confirmamus, supplentes omnes defectus, si qui in eisdem quomodolibet intervenissent. Et nihilominus, quod fructus, redditus et proventus, eleemosynae, oblationes et bona huiusmodi per procuratores ac depositarium pro tempore exsistentes huiusmodi in eadem camera conservari ac per eos pro necessitatibus ecclesiae, domus et fratrum praedictorum necnon aliis usibus antedictis, prout eis opportunum esse videbitur, fideliter exponi possint et debeant, eadem auctoritate harum serie concedimus pariter et indulgemus, ... non obstantibus quibuscumque *etc.* Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, pridie nonas aprilis, ... anno VIII.

1742. Mandat, ut Ludovico, duci Sabaudiae, concedat licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. prope villam Thononii, Gebennen. dioec., et aliam in alio loco ab ipso eligendo (1).

1454, aprilis 6, Romae.

Dilecto filio vicario ministri provinciae Burgundiae, ordinis Minorum, super fratres de observantia vulgariter nuncupatos.

Pia Deo et ecclesiae desideria *etc.* Sane pro parte dilecti in Christo filii nobilis viri Ludovici, ducis Sabaudiae, fuit Nobis nuper expositum, quod ipse, zelo devotionis, quam ad ordinem fratrum Minorum de observantia gerit, in ecclesia B. Mariae de S. Bono, prope villam Thononii, Gebennen. dioec., unam, et in quodam alio loco, quem ipse duxerit eligendum, aliam domos cum ecclesia, campanili, campana, claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis de novo fundare, construere et aedificare seu fundari, construi et aedificari facere ferventer exoptat, dummodo ei super hoc per Sedem Apostolicam licentia concedatur. Quare pro parte eiusdem ducis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi dictam licentiam concedere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... committimus et mandamus, quatenus, si et postquam dictus dux rectori praefatae ecclesiae congruam dederit recompensam, praefatique rectoris ad id expressus assensus accesserit, eidem duci in ipsa ecclesia unam, et in alio loco, quem maluerit, per eum eligendo, aliam domos pro usu et habitatione tua et tuorum fratrum de observantia cum ecclesia ... et aliis necessariis officinis dioecesani loci et cuiuslibet alterius super hoc licentia minime requisita de novo fundandi ... plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra concedas. Nos tibi et dictis fratribus tuis, ut ecclesiam cum illius habitationibus, vinea, horto et aliis iuribus et pertinentiis suis necnon erigendas domos huiusmodi recipere, tenere et inhabitare possis, ... plenam et liberam licentiam, quodque omnibus et singulis privilegiis ... uti valeatis pariter et gaudere, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VIII idus aprilis, ... anno VIII.

1743. Mandat, ut moniales monasterii S. Clarae extra muros castri Chamberiaci (Chambéry), Gratianopolitan. dioec., O. S. Cl., ad observantiam reducat et regimini fratrum O. F. M. de observ. subiiciat (2).

1454, aprilis 10, Romae.

Venerabili fratri episcopo Gratianopolitan.

Ut in aeternae beatitudinis amatricibus *etc.* Cum itaque, sicut ad Nostrum pervenit auditum, quam plures religiosae ac virgines et aliae mulieres monasterium monialium S. Clarae extra muros castri Chamberiaci, ordinis dictae sanctae, tuae dioec., libenter ingrederentur et professionem emitterent, si ibidem regularis vigeret observantia, verum, quia moniales in illo commorantes, quae quinque dumtaxat numero sunt, huiusmodi observantiam non servant, religiosae virgines et aliae mulieres praedictae ab earum ferventi desiderio se retrahunt, quare pro parte dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Annae

(1) Reg. Vat. t. 429 f. 100 v. Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 107.

(2) Reg. Vat. t. 429, f. 101.

de Cypro, ducissae Sabaudiae, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictas moniales ad vivendum in observantia iuxta earum regulam compelli mandare aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae mandamus, quatenus, si est ita, moniales praedictas ad vivendum sub regulari observantia dicti ordinis per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia appellatione postposita compellas et, ut melius in eadem observantia persistant, auctoritate Nostra statuas et ordines, ut abbatissa ac moniales dicti monasterii, praesentes et futurae, sub custodia et administratione fratrum Minorum de observantia perpetuis futuris temporibus exsistant ac per eos regi, visitari et gubernari possint, debeant et teneantur secundum modum et formam dicti ordinis S. Clarae. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, IV idus aprilis, ... anno VIII.

1744. Concedit licentiam fundandi domos sororum III O. S. Fr. communiter viventium in civitate Montisregalis et prope civitatem Gebennen. (1).

1454, aprilis 10, Romae.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Annae de Cypro, ducissae Sabaudiae.

Ut religio quaelibet dilatetur *etc.* Cum itaque, sicut pro parte tua fuit Nobis nuper expositum, tu, ferventi devotione, quam ad tertium ordinem B. Francisci de poenitentia nuncupati geris, inducta, in civitate Montisregalis, in quodam oratorio, ubi quidam pauperes eremitae dudum commorari solebant, unam, necnon in capella S. Laurentii prope civitatem Gebennen. aliam domos cum ecclesiis, campanilibus, campanis, claustris, refectoriis, dormitoriis et aliis necessariis officinis pro dilecta in Christo filia Brigida de Tricollis ac aliis mulieribus, quae sub habitu et regula dicti ordinis in continentia, castitate et humilitate Altissimo earum vota reddere proponunt, de novo erigere, fundare, aedificare seu fundari, construi et aedificari facere ferventer exoptas, dummodo tibi super hoc per Sedem Apostolicam licentia tribuatur, pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi, ut in iisdem oratoriis, vel ubi tibi placuerit, in locis tamen ad id convenientibus et idoneis, cum ecclesiis seu capellis, refectoriis, dormitoriis et aliis necessariis officinis pro Brigidae ac aliarum mulierum praedictarum usu et habitatione domos huiusmodi de novo fundandi, erigendi ... iisque mulieribus domos praedictas recipiendi et inhabitandi, dioecesani locorum et quorumcumque aliorum licentia super his minime requisita plenam et liberam tenore praesentium licentiam elargimur, statuentes et ordinantes, quod Brigida et aliae mulieres praedictae in ipsis domibus pro tempore commoraturae sub regulari habitu dicti ordinis in earum conventibus seu locis huiusmodi in communi et in congregatione insimul de cetero vivere ac tria religionis vota ad instar sororum seu mulierum in domo Palociae, in Transtiberim, de Urbe, ordinis praedicti, commorantium emittere et per vicarium provincialem seu generalem de observantia fratrum Minorum pro tempore exsistentem per se vel alterum, cui hoc duxerit committendum, indui, visitari, corrigi et puniri ac per eos gubernari debeant, quodque dicta Brigida in conventibus huiusmodi tamquam mater et ministra praesidere debeat, donec et quousque electio ministrae secundum formam et consuetudinem dicti tertii ordinis inibi facta fuerit. Et quod tam ipsa, quamdiu praesederit, quam etiam aliae ibidem ministrae pro tempore exsistentes quascumque devotas mulieres sub regulari habitu huiusmodi in dictis conventibus seu locis erigendis similiter vivere volentes inibi in sorores recipere quodque domus erigendae huiusmodi, postquam erectae fuerint, necnon praedictae et aliae mulieres ac personae in illis pro tempore degentes omnibus et singulis privilegiis, ... quibus praedictus de Palocia et alia dicti tertii ordinis loca quomodolibet utuntur et gaudent, ... uti et gaudere possint et valeant. Non obstantibus *etc.* Iure tamen parochialis ecclesiae et cuiuslibet alterius semper salvo. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, IV idus aprilis ... anno VIII.

1745. Mandat, ut fratribus O. F. M. de observ., provinciae Aragoniae, concedat licentiam fundandi domum extra muros Caesaraugustan. (2).

1454, aprilis 11, Romae.

Venerabili fratri episcopo Tirasonen.

Iis, quae divini cultus et sacrae religionis augmentum *etc.* Dudum siquidem dilectis filiis fratribus ordinis Minorum de observantia nuncupatis, provinciae Aragoniae, in certo loco prope et extra muros Caesaraugustan. degentibus, per alias Nostras litteras (3) concessimus, ut pro eorum usu et habitatione perpetuis unam domum

(1) Reg. Vat. t. 429, f. 100. (2) Reg. Vat. t. 429, f. 152; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 108. (3) Vide n. 1142, p. 580.

inibi vota sua Altissimo reddituri erigere possent, dummodo ad id dilectorum filiorum civium, videlicet rectorum, iuratorum nuncupatorum, civitatis Caesaraugustan. interveniret assensus. Cum itaque nuper ad notitiam Nostram pervenit, quod praefati rectores, devotionis zelo permoti, libentissime et affectuose domum erigi per fratres ipsos cupiunt et expetunt, quinimo ea grata habent plurimum et accepta, Nos, charissimi quoque in Christo filii Nostri Alphonsi, Aragonum regis illustris, qui Nobis super hoc supplicavit, et ipsorum rectorum votis in hac parte favorabiliter annuentes, fraternitati tuae, cui etiam certum breve Nostrum, haec et alia tangens, pridem direximus, per apostolica scripta mandamus, quatenus eisdem fratribus iuxta supradictorum devotionem domum huiusmodi cum ecclesia, campanili, campana, claustro, coemeterio, horto, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione praedictis in loco praefato fundandi et aedicandi seu construi faciendi, ipsam domum recipiendi et perpetuo retinendi, dioecesani loci et alterius cuiuslibet super hoc licentia minime requisita, ... contrariis nequaquam obstantibus plenam et liberam auctoritate Nostra licentiam etiam de novo largiaris, contenta pariter in praefatis litteris plene et libere exsequaris: iure tamen *etc.* Nos enim fratribus et domui praedictis, ut omnibus et singulis privilegiis ... gaudere et uti valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia indulgemus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, III idus aprilis, ... anno VIII.

1746. Mandat, ut concedat licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in castro S. Martini Abagerrae, Cremonen. dioec. (1).

1454, aprilis 13, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Andreae, Mantuan.

Pia fidelium vota *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum hominum universitatis castri S. Martini Abagerrae, Cremonen. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi, provide considerantes in eodem castro ipsiusque territorio nullum monasterium neque domum conventualem religiosorum alicuius ordinis, quorum praedicationibus et doctrinis refici et ad fidei aedificationem instrui possent, citra decem milliaria exsistere, zelo devotionis accensi, pro salute animarum suarum necnon ad honorem B. Bernardini confessoris unam domum conventualem ordinis fratrum Minorum pro aliquibus ex ipsius ordinis fratribus regularis observantiae cum ecclesia, campanili, campana, coemeterio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis in eodem territorio fundare et aedificare affectant. Quare pro parte universitatis et hominum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, universitati hominibusque praedictis domum eamdem cum ecclesia ... et officinis huiusmodi in loco convenienti pro aliquibus fratribus antedictis in ea sub regulari observantia moraturis et per dilectum filium generalem ministrum dicti ordinis deputandis fundandi, construendi et aedificandi, iure tamen parochialis ecclesiae, infra cuius limites dicta domus fundabitur, et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, auctoritate Nostra licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.* Nos enim, si erectionem et concessionem praedictas per te fieri contigerit, fratribus in dicta erigenda domo pro tempore residentibus, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere ac dilecto filio Bernardino de dicto castro, ipsius ordinis et observantiae professori, ut pro fundatione celeriori dictae domus cum nonnullis ex dictis fratribus, quos duxerit eligendos, de licentia tamen generalis praedicti, ad inhabitandum domum ipsam se conferre et in ea manere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, idibus aprilis, ... anno VIII.

1747. Mandat, ut capta informatione Franciscam de Vintemilliis, III O. S. Fr., aut aliam sororem idoneam monasterio S. Clarae, Panormitan., O. S. Cl., praeficiant in abbatissam (2).

1454, aprilis 26, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitan. et dilectis filiis ministro fratrum ordinis Minorum provinciae Siciliae ac .. priori conventus S. Zitae, ordinis Praedicatorum de observantia.

De Sedis Apostolicae decet provenire consilio *etc.* Nuper siquidem ad audientiam Nostram fideli relatione pervenit, quod occasione cuiusdam controversiae, quae inter dilectas in Christo filias Margaritam de Metta et Constantiam de Mellina, moniales monasterii S. Clarae Panormitan., ordinis eiusdem sanctae, super abbatissatum ipsius monasterii diutius agitata est et continue agitatur, universa fere civitas Panormitan. scandalizatur et verendum est, ne multa

(1) Reg. Lat. t. 497, f. 38 v. Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 109.

(2) Reg. Vat. t. 429, f. 185.

inconvenientia subsequantur, moniales quoque dicti monasterii, prosilientes ad illicita, variis et, quae impunita pertranseunt, criminibus et excessibus se immergere ac ea detestabiliter committere non verentur in animarum suarum periculum, religionis opprobrium ac perniciosum exemplum et scandalum plurimorum. Nos igitur, ad quos spectat super haec opportune providere, de praemissis plenius informati, statum huiusmodi causae praesentibus pro expresso habentes illamque ad Nos harum serie advocantes et ipsam litem exstinguentes ac praefatis Margaritae et Constantiae super dicto abbatissatu et regimine ac administratione praefati monasterii perpetuum silentium imponentes, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos omnes coniunctim, si vero insimul interesse non poteritis, tu, frater archiepiscope, cum praefato ministro et non alias de meritis et idoneitate dilectae in Christo filiae Franciscae de Vintemilliis, ordinis fratrum de poenitentia, in civitate Neapolitan. commorantis, de nobili genere procreatae, de cuius vitae integritate Nobis plura relata sunt, auctoritate Nostra vos diligenter informetis et, si per informationem huiusmodi ipsam Franciscam ad regimen et gubernationem dicti monasterii utilem et fructuosam fore reppereritis, super quibus vestras conscientias oneramus, de persona praefatae Franciscae, postquam habitum eiusdem ordinis susceperit et professionem emiserit, si idonea et fructuosa, ut praemittitur, reperta fuerit, alioquin de persona alterius monialis dicti ordinis, quam exigentibus suis meritis idoneam et ad obviandum scandalis praedictis magis fructuosam inveneritis, praefato monasterio, cuius fructuum, reddituum et proventuum verum valorem annuum ac illius verum vacationis modum praesentibus haberi volumus pro expressis, quovis modo vacet, et ex quavis causa eius promotio ad Sedem Apostolicam generaliter vel specialiter pertineat, eadem auctoritate provideatis ipsamque illi praeficiatis in abbatissam, curam, regimen et administrationem dicti monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo ac faciendo ei a conventu dicti monasterii obedientiam et reverentiam congruentes necnon a vasallis et aliis subditis suis consueta servitia et iura solita exhiberi. Et insuper eadem auctoritate statuatis et ordinetis, quod in ipso monasterio sub regulari observantia de cetero vivatur, et quod illas ex monialibus dicti monasterii, quae sub huiusmodi observantia vivere recusaverint, ac alias quae delinquentes invenirentur, iuxta criminum et excessuum exigentiam ac regularia instituta dicti ordinis puniatis aliaque faciatis, disponatis et exsequamini, quae circa felicem regimen et gubernationem dicti monasterii necessaria noveritis vel opportuna, super quibus omnibus et singulis ac etiam exhibendi habitum eidem Franciscae necnon ab ea professionem admittendi plenam et liberam vobis, coniunctim vel absque dicto priore, si, ut praefertur, interesse noluerit seu non potuerit, tenore praesentium concedimus facultatem. Contradictores *etc.*, invocato *etc.* Non obstantibus *etc.* Aut si *etc.* Nos insuper *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VI kal. maii, ... anno VIII.

1748. Iohanni de Capistrano notificat informationes ei dandas per certas personas circa negotia in Sabaudia peragenda (1).

1454, aprilis 28, Romae.

Dilecto filio fratri Iohanni de Capistrano, ordinis Minorum.

Dil. fili sal. Movent Nos aliqui respectus utiles et necessarii ** ... te accedere ad patriam Sabaudiae. Quare devotionem tuam hortamur, ut quamprimum commode poteris, velis te transferre ad ipsam patriam, in cuius ingressu habebis obviam certas graves et insignes personas, quae te de intentione Nostra et de illis rebus omnibus .... agere debeas ad plenum informabunt.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII aprilis 1454, ... anno VIII.

1749. Francischino Silvestri de Urbe, O. F. M., in sacerdotio constituto, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (2).

1454, maii 11, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, V idus maii, ... anno VIII.

1750. Monialibus monasterii S. Clarae extra muros terrae Baruli, Tranen. dioec., O. S. Cl., concedit, quod a nemine e dicto monasterio transferri et quod ibidem sub cura ministri provinciae Apuliae O. F. M. manere possint (3).

1454, maii 11, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii S. Clarae, extra muros terrae Baruli, Tranen. dioec.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat,

(1) Ex archivo Capistrani, e brevi originali 66 III 24, non integre conservato.

(2) Reg. Lat. t. 489, f. 115 v.

(3) Reg. Vat. t. 429, f. 155 v.

quod, licet alias pro maiori tutela et securitate vestra necnon ipsius monasterii tam ad divinum cultum quam aliorum bonorum eiusdem conservationem quamdam domum convenientem in eadem terra licite adeptae fueritis, ut in ea guerrarum potissime tempore vos ac monasterii bona huiusmodi recipere et conservare possetis, tamen aliquae ex vobis in eadem domo pro illius custodia et reliquae in praefato monasterio famulantes Altissimo laudabiliter commorantur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, vos ex certis causis tam super domo sive loco intra terram praedictam per vos acquisito, ubi etiam quamdam ecclesiam pro celebratione divinorum officiorum construi et aedificari fecistis, quam super monasterio praedicto procurantibus aliquibus pacis aemulis inquietari posse dubitatis aut ipsum monasterium per Sedem Apostolicam aliis regularibus personis pro eorum usu et habitatione perpetuis vobis invitis et destitutis concedi ac etiam assignari tempore procedente, Nos, volentes quieti et tranquillitati vestrae, ut cum puritate mentium Altissimo iugiter famulari valeatis, paterna charitate prospicere et super hoc de opportuno remedio providere, vobis auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, quod ullo umquam tempore, etiam vigore quarumcumque litterarum apostolicarum vel Sedis Apostolicae aut legatorum eius, quibusvis etiam religiosis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis exsistant, sub quacumque forma vel expressione verborum etiam motu proprio concessarum, a monasterio et domo praefatis amoveri sive invitae expelli vel ad alia monasteria seu loca religiosa quomodolibet transferri aut per alias personas, quam consuetum fuerit, visitari nequeatis, ita quod in monasterio sive domo praedictis pro vestrarum libitu voluntatum sub cura et protectione dilecti filii ministri pro tempore provinciae Apuliae, ordinis fratrum B. Francisci, quemadmodum consuevistis hactenus, commorari et manere absque contradictione aliqua perpetuis futuris temporibus valeatis. Nos enim ex nunc omnes et singulas tam Nostras quam Sedis et legatorum praedictorum litteras contra concessionem et voluntatem Nostras huiusmodi hactenus concessas et imposterum forsitan concedendas, etiamsi de eis eorumque totis tenoribus specialis seu individua ac de verbo ad verbum in praesentibus mentio habenda foret, necnon per eas habitos habendosque processus et quaecumque inde secuta vel secutura revocamus, cassamus et irritamus eaque pro infectis, nullis atque invalidis haberi decernimus per praesentes, mandantes nihilominus harum serie ministro, qui pro tempore fuerit, provinciae et ordinis praedictorum, quatenus praemissa executioni debitae demandans, vos contra tenorem litterarum huiusmodi molestari, inquietari aut transferri non sinat, faciens vos monasterii et domus huiusmodi pacifica possessione gaudere, contradictores *etc.*, invocato *etc.* Non obstantibus *etc.* Aut si *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, V idus maii, ... anno VIII.

1751. Mandat, ut fratribus O. F. M. concedat licentiam erigendi domum S. Mariae extra muros terrae Tortureti, Messan. dioec., et S. Mariae Magdalenae de Asinella, Cefaluden. dioec., in domos conventuales dicti ordinis ([1]).

1454, maii 16, Romae.

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitan.

Ut quaelibet sacra religio *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum ministri et fratrum provinciae Siciliae, ordinis fratrum Minorum, petitio continebat, quod dudum venerabiles fratres Nostri Iacobus, archiepiscopus Messanen., S. Mariae extra muros terrae Tortureti, Messanen. dioec., et Lucas, episcopus Cefaluden., S. Mariae Magdalenae, loci de Asinella, Cefaluden. dioec., ecclesias ad eorum mensas legitime pertinentes, pro augmento divini cultus et religionis propagatione Blasio de Omnibono et fratribus ordinis Minorum ad finem et effectum, ut in singulis ecclesiis praedictis singulae conventuales dicti ordinis domus erigerentur, auctoritate ordinaria concesserunt, prout *etc.* Quare pro parte ministri et fratrum praedictorum *etc.* Nos igitur, ... Blasium et alios fratres praedictos ab excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis ... absolventes, ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... ministro et fratribus praedictis ecclesias ipsas in domos conventuales dicti ordinis cum claustro ... erigendi ac ... retinendi et inhabitandi ... licentiam auctoritate Nostra concedas. Nos enim ..., ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XVII kal. iunii, ... anno VIII.

1752. Concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. iuxta locum de Argentonio, Bituricen. dioec. ([2]).

1454, maii 21, Romae.

Dilecto filio nobili viro Guidoni de Caliniaco, vicecomiti de Brossa ac Castri Radulphi et de Argentonio, Bituricen. dioec., locorum domino.

Eximiae devotionis sinceritas *etc.* Cum itaque,

([1]) Reg. Lat. t. 493, f. 263 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 110.

([2]) Reg. Vat. t. 401, f. 391 v.

sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu, qui ob singularem, quem ad S. Franciscum ac ordinem fratrum Minorum geris, devotionis affectum et, ut personae utriusque sexus in praefato de Argentonio et aliis locis, castris et villis, tuo temporali dominio subiectis, pro tempore commorantes a vita laudabili et virtuosis operibus fratrum dicti ordinis salutifera suarum animarum gaudia et consolationes sentire valeant, in certo loco iuxta ipsum locum de Argentonio quoddam eremitorium cum certa sua capella construi et aedificari pro ipsis fratribus fecisti, pro usu et habitatione perpetuis aliquorum dicti ordinis fratrum sub illius regulari observantia pro tempore degentium unam domum conventualem fundare, construere et erigi facere desideras atque proponis, Nos igitur ... tibi in eremitorii suaeque capellae huiusmodi loco unam domum conventualem cum ecclesia, coemeterio, campanili, campanis, claustro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, clausuris et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione perpetuis fratrum pro tempore existentium et sub huiusmodi observantia degentium, eiusdem ordinis dumtaxat, tam de tuis quam aliorum fidelium ad illam pia subsidia impendere volentium [bonis], dioecesani loci et cuiuslibet alterius licentia desuper minime requisita, fundandi ... necnon fratribus de observantia praedictis domum praefatam recipiendi et perpetuo retinendi ac etiam inhabitandi, iure tamen ... salvo, necnon cuicumque catholico antistiti, quem tu et, qui pro tempore fuerit, eiusdem domus guardianus aut alter vestrum super hoc adire voluerit, ecclesiam et coemeterium huiusmodi necnon calices, patenas, vasa, pallas et alia indumenta et ornamenta ecclesiastica in ipsa domo necessaria et accommoda consecrandi et benedicendi plenam et liberam licentiam ac facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium elargimur, concedimus et etiam indulgemus, volentes et auctoritate praedicta decernentes, quod guardianus et fratres, qui pro tempore in dicta domo, postquam incepta fuerit, degere contigerit, sub dicta observantia vivant, generali et provinciali vicariis et aliis super dictos fratres de observantia nuncupatos pro tempore deputatis iuxta morem eiusdem ordinis observantiae dumtaxat subsint ac parere et intendere teneantur, quodque omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant et gaudere. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae, anno ... 1454, XII kal. iunii, ... anno VIII.

1753. Marino Iacobi de Pascalibus, clerico, qui per Franciscum de Medviza, O. F. M., procuratorem suum ad hoc a suo superiore licentiam obtinentem, canonicatum et praebendam ecclesiae Catharen. resignaverat, confert beneficium perpetuum in capella S. Barbarae extra muros Catharen. (1).

1454, maii 25, Romae.

Apostolicae Sedis circumspecta benignitas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VIII kal. iunii, ... anno VIII.

1754. Concedit indulgentias erogantibus eleemosynas pro fratribus in capitulo generali O. F. M. Bononien. congregatis (2).

1454, maii 28, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Cum in festo pentecostes proxime futuro generale capitulum ordinis fratrum Minorum sit iuxta ordinationes Nostras in civitate Nostra Bononiae celebrandum, Nos, attendentes ad paupertatem dicti ordinis ac multitudinem fratrum in eo capitulo congregandorum considerantes, zelo insuper animarum inducti, ut fidelium mentes eo ferventius ad opera pietatis et charitatis incitentur ac eleemosynas et alia charitativa subsidia fratribus in dicto capitulo moraturis erogent, quo uberius ex dono coelestis gratiae conspexerint se refectos, ipsorumque fratrum in hac parte supplicationibus inclinati, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, dictis fratribus ad capitulum convocandis in die pentecostes tantum eleemosynas et alia charitativa subsidia huiusmodi erogantibus, tres annos et totidem quadragenas totiens, quotiens id fecerint, de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus immediate post dictam diem pentecostes minime valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, V kal. iunii, ... anno VIII.

1755. Roberto de Licio, O. F. M., concedit ampla privilegia (3).

1454, maii 30, Romae.

Dilecto filio Roberto de Licio, ordinis Minorum.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Attendentes igitur vitae sanctimoniam et orthodoxae fidei fervorem religionisque zelum et litterarum scientiam ac aliarum plurimarum virtutum dona, quibus personam tuam etiam fide dignorum testi-

(1) Reg. Lat. t. 493, f. 127.
(2) Reg. Vat. t. 429, f. 49 v.
(3) Reg. Vat. t. 429, f. 176; Wadd. *Ann.* ad a. 1454, n. 24.

moniis muniri percepimus, multiplices insuper animarum fructus, quos ex praemissis, et in quibus divina cooperante gratia populis Christi plurimum gratus et fructuosus exsistis, et etiam divini verbi praedicationibus attulisti et dietim ampliores in Dei ecclesia afferre summopere desideras, ac propterea illa, per quae tam sanctum et laudabile desiderium tuum huiusmodi sublatis quibusvis dispendiis facilius et efficacius adimplere valeas, tibi concedere teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, auctoritate apostolica tenore praesentium tibi ad quaecumque conventus, domos et loca dicti ordinis et regularis observantiae ubilibet consistentia, ad quae per generalem ministrum eiusdem ordinis te transmitti contigerit, cum quatuor vel quinque fratribus dicti ordinis, etiam praefatae observantiae, per te pro tempore eligendis, quos tu in socios tuos libere eligere et dimittere possis, quando et quotiens tibi videbitur, volumus ac tibi harum serie concedimus accedendi et inibi cum sociis huiusmodi per tempus et tempora, de quo et quibus etiam tibi et praefato ministro videbitur, commorandi ac alias iuxta constitutionem fel. rec. Bonifatii papae VIII, praedecessoris Nostri, quae incipit « Super cathedram », in concilio Viennensi innovatam, in ecclesiis seu locis vel plateis communibus clero et populo publice praedicandi et proponendi verbum Dei, aliorum quorumvis superiorum dicti ordinis et regularis observantiae licentia desuper minime requisita, plenam et liberam licentiam concedimus pariter et facultatem; teque et socios praedictos interim a quorumcumque inferiorum a praefato generali ministro superiorum ipsius ordinis, etiam regularis observantiae, obedientia, superioritate et potestate eximimus penitus et liberamus, mandantes districtius in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam eo ipso contrafacientes incurrant, et a qua non nisi a Nobis vel successoribus Nostris Romanis pontificibus canonice intrantibus, praeterquam in mortis articulo constituti, quis absolvi possit, tam citramontano quam ultramontano generalibus vicariis necnon omnibus et singulis provincialibus ministris, custodibus et guardianis illorumque vicariis aut ceteris fratribus dicti ordinis, quatenus te dictosque socios in eorum conventibus, domibus seu locis benigne recipiant et sincera in Domino charitate pertractent nec te, quominus cum dictis sociis inibi commorari et verbum Domini publice proponere ac praedicare iuxta licentiam per Nos tibi concessam praedictam libere ac licite possis et valeas, aut te dictosque socios in te vel illos seu aliquem vestrum aliquod dominium, iurisdictionem, superioritatem vel potestatem exercere vel alias quomodocumque vexare, molestare vel perturbare per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, occasione vel causa aliquatenus praesumant, decernentes ex nunc omnes et singulos processus et excommunicationes aliasque sententias et censuras ecclesiasticas, quas haberi et quas promulgari et quidquid per supradictos provinciales ministros, custodes, guardianos illorumque generales vicarios et fratres praedictos vel aliquem eorum contra te fieri et attentari quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit, irrita et inania nulliusque roboris vel momenti. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, III kal. iunii, ... anno VIII.

1756. Iohanni de Salinis aureis, electo Othanen., O. F. M. et theologiae professori, in sacerdotio constituto, confert episcopatum Othanen., vacantem per obitum Simonis episcopi (1).

1454, maii 31, Romae.

Apostolatus officium *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, pridie kal. iunii, ... anno VIII.

Eodem die scribit *Capitulo ecclesiae Othanen.; Clero civ. et dioec. Othanen.; Populo civ. et dioec. Othanen.; Universis vasallis eccl. Othanen.* (Hodie ecclesiae Othanen.); praeterea *Archiepiscopo Turretan.* (Ad cumulum) et *Alphonso regi Aragonum* (Gratiae divinae).

1757. Petro, tit. S. Marci presbytero cardinali, mandat, ut Nicolaum Iohannis de Chizolis, O. F. M., qui post professionem dicti ordinis per duos annos cum dimidio sub illius habitu stetit ac ad presbyteratus ordinem se fecit promoveri, deinde asperitatem vitae servare non valens, ad saeculum fuit reversus et in iure canonico studendo doctoratus insignia recepit, postmodum vero, videlicet a quatuor annis citra, parochialem ecclesiam, archipresbyteratum nuncupatam, S. Mariae de Thienis, Paduan. dioec., obtinuit, absolvat ab excommunicatione et irregularitate, eum transferat ad ordinem S. Augustini canonicorum regularium eique conferat ecclesiam praedictam, quam idem Nicolaus in suis aedificiis multipliciter ampliaverat (2).

1454, iunii 4, Romae.

Apostolicae Sedis indefessa clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, pridie nonas iunii, ... anno VIII.

(1) Reg. Lat. t. 492, f. 37. — Eidem eodem die concedit facultatem recipiendi consecrationem a quocumque catholico antistite litteris *Cum Nos hodie.* Ibid. f. 38.

(2) Reg. Lat. t. 493, f. 210v.

1758. Concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in terra Montisfranconis, Spoletan. dioec. (1).

1454, iunii 25, Romae.

Dilectis filiis universitati et hominibus terrae Nostrae Montis Franconis, Spoletan. dioec.

Piis fidelium votis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos, zelo devotionis accensi, ... tam de bonis a Deo vobis collatis quam aliis christifidelium piis ad hoc porrectis et porrigendis suffragiis unam domum in honorem et sub vocabulo gloriosissimi confessoris S. Bernardini nuncupandam cum ecclesia, campanili, campana, coemeterio, dormitorio, domibus, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum ordinis Minorum de observantia, qui inibi debeant Altissimo perpetuo deservire, in territorio dictae terrae Montis Franconis, Spoletan. dioec., in loco utique ad id congruo et honesto, fundare, construere et aedificare seu fundari, construi et aedificari facere inchoaveritis et ad finem perducere proponatis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis praemissa faciendi et vicario pro tempore exsistenti ac fratribus dicti ordinis et observantiae praedictae provinciae S. Francisci domum ipsam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis pro usu et habitatione praedictis recipiendi et perpetuo retinendi ac inibi morandi licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... devotioni vestrae de bonis et suffragiis huiusmodi domum cum ecclesia, campanili ... et aliis officinis necessariis in loco praefato construendi ... aut iam pro parte fundatam, constructam et aedificatam ad finem perducendi, ipsique vicario et fratribus domum cum ecclesia huiusmodi ac omnibus iuribus et pertinentiis supradictis pro eisdem usu et habitatione recipiendi et perpetuo retinendi et inibi morandi, ut praefertur, dioecesani loci et aliorum quorumcumque licentia minime requisita plenam et liberam auctoritate apostolica, tenore praesentium licentiam elargimur. Et nihilominus dictae domui per ipsos fratres recipiendae ac universis et singulis fratribus dicti ordinis de observantia nuncupatis, quos in praefata domo pro tempore residere contigerit, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite valeant, auctoritate praefata concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* iure tamen *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VII kal. iulii, ... anno VIII.

(1) Reg. Lat. 494, f. 175; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 111.

1759. Confirmat separationem monialium O. S. Cl. a monialibus O. S. Aug. in monasterio novo, alias de Vedano, Mediolanen. (2).

1454, iunii 25, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii novi, alias de Vedano, Mediolanen., ordinis S. Clarae.

Digna reddimur attentione solliciti *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod dudum bonae mem. Henricus, tituli S. Clementis presbyter cardinalis, tunc archiepiscopus Mediolanen., vigore quarumdam litterarum fel. rec. Eugenii papae IV, praedecessoris Nostri in forma brevis eidem Henrico tunc archiepiscopo directarum auctoritate apostolica nonnullis sub S. Clarae et quibusdam ex monialibus seu religiosis tunc in monasterio novo alias de Vedano, Mediolanen., exsistentibus sub S. Augustini, cuius idem monasterium tunc erat, ordinum regulis vivere volentibus, monasterium ipsum per medium dividens unam cum illius ecclesia remanentibus sub S. Augustini dimisit, reliquam vero medietates dicti monasterii cupientibus sub S. Clarae regulis huiusmodi vivere assignavit eisque potestatem in ipsa assignata parte oratorium construendi ac omnia alia et singula, quae moniales dicti ordinis S. Clarae sub regulari observantia viventes ad bene vivendum facere consueverunt, faciendi et praedictam regulam S. Clarae recipiendi ac profitendi licentiam concessit ipsasque sub regula S. Clarae vivere volentes sub regimine et cura dilectorum filiorum vicarii provincialis, guardiani et fratrum in domo seu loco S. Angeli extra et apud Mediolanum, ordinis fratrum Minorum, residentium dimisit ac dictis vicario, guardiano et fratribus confessiones earum audiendi et ipsis ac earum cuilibet pro omnibus earum peccatis etiam in casibus, in quibus dictus archiepiscopus posset, debitam absolutionem impendendi et iniungendi poenitentiam salutarem necnon eucharistiae et extremae unctionis ecclesiastica sacramenta ministrandi, quotiens opus foret ac omnia alia, quae ad bonum regimen ipsarum monialium cognoscerent expedire, faciendi facultatem dicta auctoritate indulsit, prout in litteris eiusdem cardinalis, tunc archiepiscopi, inde confectis dicitur plenius contineri. Postmodum vero praedictae moniales divisionis, assignationis, licentiae, concessionis, facultatum et aliorum praemissorum vigore dictam medietatem sibi concessam assecutae fuerunt et in regula ordinis S. Clarae huiusmodi, sub qua professionem fecerunt, ex

(2) Reg. Vat. t. 402, f. 203 v; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 112. Cf. supra n. 1238, p. 629 et n. 1329, p. 680.

tunc perseverarunt, prout et vos, quae illis successistis, perseveratis de praesenti, sub regimine et cura vicarii, guardiani et fratrum praedictorum, qui earum et vestras confessiones audierunt eisque et vobis sacramenta ecclesiastica ministrarunt, perseverando. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, vos divisionem, assignationem, concessionem et omnia et singula alia praemissa et quaecumque inde secuta pro eorum subsistentia firmiori apostolico munimine roborari desideretis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, religionem vestram nostris praesertim temporibus vigere et augeri sinceris exoptantes affectibus illamque specialibus etiam, quibus vos et quaelibet vestrum, tam praesentes quam posterae, potiora animarum salutis impendia consequi possitis, favoribus prosequi cupientes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, divisionem ac omnia alia et singula praemissa rata et firma habentes ac grata, eadem auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium approbamus et confirmamus necnon praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes *etc.* Et nihilominus vobis, quod praesentes et futurae ac dictum vestrum monasterium omnibus et singulis privilegiis ... perpetuo frui, uti et gaudere possitis, necnon vobis, praesentibus et futuris, quamdiu sub huiusmodi observantia regulari dicti ordinis S. Clarae vixeritis, ac omnibus et singulis ad vestra et dicti vestri monasterii obsequia in totum dedicatis mulieribus, similiter praesentibus et futuris, ut confessor, quem vestrum et illarum quaelibet duxerit eligendum, omnium vestrorum et illarum peccatorum ... semel tantum in mortis articulo plenam remissionem vobis et illis in sinceritate fidei, unitate S. Romanae ecclesiae ac obedientia et devotione Nostra vel successorum Nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus dicta auctoritate apostolica concedere valeat, indulgemus per praesentes, sic tamen *etc.* Et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VII kal. iulii, ... anno VIII.

1760. Francisco Marini de Medviza, O. F. M., pro quo Alphonsus, rex Aragonum, et nobilis vir Stephanus, dux Bosnae, et communitas Catharen. supplicarunt, concedit dispensationem, ut recipere possit unum beneficium ecclesiasticum [1].

1454, iunii 27, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, V kal. iulii, ... anno VIII.

1761. Mandat, ut confirmet excambium factum inter Agnetem, abbatissam monasterii S. Clarae extra oppidum Vallisoleti, O. S. Cl., et Didacum de Stunega, laicum [2].

1454, iulii 2, Romae.

Dilecto filio decano ecclesiae Placentin.

Pro singulorum monasteriorum *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Didaci de Stunega, laici, ac dilectarum in Christo filiarum Agnetis, abbatissae monasterii S. Clarae, extra oppidum Vallisoleti, ordinis eiusdem sanctae, necnon Leonorae, Didaci uxoris et abbatissae praedictae germanae, Palentin. dioec., petitio continebat, quod olim abbatissa ex una, de Valverde et de Talaman, castra Placentin. dioec., eorumque colonos, vasallos, terminos, terras, pascua ac civilium et criminalium causarum iurisdictiones necnon merum et mixtum imperium gladiique exsecutionem et potestatis traditionem ac omnia alia sua iura et pertinentias in dicta dioec. Placentin. consistentia et quaecumque etiam alia haereditates, possessiones et bona ubicumque consistentia ad dictum monasterium ratione personae dictae abbatissae ex successione haereditaria quondam Beatricis, uxoris quondam Petri Nino, comitis de Buelna, eiusdem abbatissae parentum defunctorum, legitime spectantia, necnon Didacus et uxor praefati ex alia partibus, viginti tria millia morabitinorum monetae in illis partibus currentis perpetui redditus, quae annis singulis super gabellis reddituum et iurium seu iurisdictionum regalium villae praedictae Vallisoleti et in libris nonnullorum regum Castellae, qui pro tempore fuerunt, descripta, deputata et in rebus claris, alias Ensalvado vulgariter nuncupata, reservata, quae realiter percipiebant, cupientes illa, ut asserebant, titulo excambii ex certis rationabilibus causis invicem permutare, ea etiam dilectarum in Christo filiarum conventus dicti monasterii ac dilecti filii praefati et aliorum dicti ordinis de observantia nuncupatorum illarum partium monasteriorum maioris visitatoris interveniente consensu permutarunt pro se ac suis successoribus et succedentibus suis seu haeredibus excambium fecerunt certis desuper pactis et cautelis adiectis, prout in quibusdam publicis instrumentis inde confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte abbatissae, Didaci et Leonorae praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam de praemissis expositis tibi legitime constiterit, quodque illa in evidentem dicti monasterii S. Clarae cedant utilitatem, permutationem et

[1] Reg. Vat. t. 429, f. 239.

[2] Reg. Lat. t. 489, f. 55.

excambium huiusmodi auctoritate Nostra approbes pariter et confirmes suppleasque *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VI nonas iulii, ... anno VIII.

1762. Praeposito ecclesiae S. Mariae de Vineis, Ianuen., mandat, ut Franciscum de Casali, O. F. M., ad monasterium S. Andreae de Sexto, O. Cisterc., Ianuen. dioec., transgressum, absolvat a censuris et irregularitate eique concedat facultatem remanendi perpetuo in praedicto monasterio et ordine Cisterc. (1).

1454, iulii 9, Romae.

Apostolicae Sedis indefessa clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VII idus iulii, ... anno VIII.

1763. Archiepiscopo Panormitano mandat, ut ministrum provincialem et omnes fratres provinciae Siciliae, O. F. M., qui in regno Siciliae ultra Farum a quadraginta annis circiter domos dicti ordinis et praesertim domus Bizini, S. Mauri, Ciminnae, Castrinovi atque Bivonae, Syracusan., Messanen., Panormitan. et Agrigentin. dioec., sine licentia Sedis Apostolicae receperant, absolvat ab excommunicatione et irregularitate eisque concedat licentiam domos ipsas retinendi, ampliandi et inhabitandi (2).

1454, iulii 9, Romae.

Solet Sedis Apostolicae clementia *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VII idus iulii, ... anno VIII.

1764. Leonorae, fundatrici monasterii de Amusco, Palentin. dioec., O. S. Cl., concedit facultatem emittendi professionem dicti ordinis in eodem monasterio sub quibusdam dispensationibus (3).

1454, iulii 13, Romae.

Dilectae in Christo filiae Leonorae, relictae quondam Petri Manriquez, praefecti maioris regni Legionis, viduae, Palentin. dioec.

Sincerae devotionis affectus *etc.* Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu, zelo devotionis accensa, desiderans terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare ac tuae tuorumque progenitorum animarum saluti consulere, quoddam monasterium monialium, ordinis S. Clarae, ad quem summum geris devotionis affectum, in quibusdam tuis domibus, in villa tua seu loco de Amusco nuncupato, dictae dioec., consistentibus sub vocabulo beatae Mariae fundari et erigi fecisti ac notabilibus et sumptuosis structuris et aedificiis construxisti illudque de bonis tibi a Deo collatis opulenter dotasti, in quo de praesenti duae tuae filiae et plures aliae dicti ordinis moniales ordinem ipsum expresse professae numero copioso sub regulari dicti ordinis observantia et perpetua clausura una tecum, quae a pluribus annis elapsis citra habitum honestatis sororum tertiae regulae S. Francisci de poenitentia nuncupatae detulisti, sub habitu novitiarum eiusdem monasterii commorantur, devote Altissimo servientes, et in quo tu, zelo devotionis accensa, desideras ordinem S. Clarae praedictum profiteri expresse et habitum monialium professarum recipere ac in illo et ordine S. Clarae ac monasterio huiusmodi sub observantia et clausura praedictis perpetuo remanere et inibi Christo Iesu, filio virginis, debitum famulatum impendere tuaeque vitae cursum Domino concedente finire. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut te in huiusmodi pio et laudabili proposito confoventes tibi, quae de illustri regum prosapia procreata necnon charissimi in Christo filii Nostri Iohannis, Castellae et Legionis regis illustris, avuncula exsistis ac duos comites et unam comitissam aliosque nobiles et potentes diversorum locorum dominos habes filios et filias, a quibus aliisque illustribus et potentibus dominis et dominabus regnorum eorumdem, in strictissimis consanguinitatis et affinitatis gradibus tibi coniunctis, pro tua et eorum consolatione, sicut consuevisti hactenus et speras etiam in posterum visitari, et pro quorum quidem visitatione et receptione iuxta claram tui generis prosapiam statusque decentiam necnon pro ecclesiae per te in dicto monasterio magnis ac sumptuosis structuris et aedificiis fundari et erigi inceptae continuatione et perfectione aliorumque aedificiorum et structurarum eiusdem monasterii complemento graves te oportet subire expensas, ut attentius praemissis, etiam postquam regularem professionem emiseris, ut praefertur, villas, oppida, castra, terras, vasallos, iurisdictiones, dominia et quod in eisdem habes merum ac mixtum imperium, et pecuniarum summas, praesertim de iure «de heredat» vulgariter nuncupato, et alias ad vitam etiam in libris praefati regis annotatas atque descriptas alia quaecumque mobilia et immobilia bona ad te tam ratione tui patrimonii quam ex suprema voluntate et testamento dicti Petri aut alias quomodolibet vel qualitercumque spectantia per

(1) Reg. Lat. t. 493, f. 248 v.
(2) Reg. Lat. t. 493, f. 182: Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 113.
(3) Reg. Vat. t. 402, f. 347. Cf. supra n. 1020, p. 508 et n. 1075, p. 543.

tuos procuratores ad nutum revocabiles gubernari et administrari ac per illos regi et dispensari facere illorumque usumfructum tua vita durante percipere tuisque et eiusdem monasterii necessitatibus et oneribus supportandis ac aliis licitis et piis usibus, prout tibi videbitur, ... , ita quod substitutioni in testamento eiusdem Petri viri tui appositae interim locus non sit, neque villae, oppida, loca, castra ac bona, iurisdictiones, dominia atque imperium praedicta tua vita durante ad primogenitum et haeredem devolvi possint, convertere libere et licite valeas, concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui paterna charitate supplicatu precibusque devicti pia vota fidelium, quamquam a sacrorum canonum rigore declinent, temporum tamen, locorum ac personarum qualitate pensata pro religionis augmento, monasteriorum ac in eis degentium et aliarum sub regulari habitu Christo Iesu, sponso virginum immaculato, famulari affectantium personarum salute et utilitate rigori mansuetudinem praeponendo nonnumquam dispensative et pro maiori bono verisimiliter consequendo admittimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut in manibus venerabilis fratris Nostri Eneci, episcopi Oveten., nati tui, vel cuiuscumque alterius catholici antistitis gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentis per te ad id eligendi regularem professionem per moniales dicti ordinis emitti solitam, etiam infra annum probationis, si illam emittere volueris, emittere, eidem episcopo vel alteri antistiti per te eligendo huiusmodi, quod tibi regularem habitum monialium professarum dicti ordinis exhibere necnon professionem huiusmodi a te recipere et admittere libere et licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et pariter indulgemus. Et nihilominus tecum, ut etiam, postquam regularem professionem huiusmodi emiseris, ut praefertur, villas, oppida, castra, terras, vasallos, iurisdictiones, dominia et quod in eis habes merum et mixtum imperium, necnon pecuniarum summas, praesertim de iure « de haeredat » vulgariter nuncupatas, ac alias ad vitam concessas et in libris praefati regis descriptas et annotatas necnon quaecumque alia mobilia vel immobilia bona ad te ratione tui patrimonii vel ex voluntate suprema et testamento dicti Petri sive alias quomodocumque et qualitercumque spectantia per tuos procuratores ad id deputatos, ad nutum tamen tuum revocabiles et amovibiles, gubernari, administrari, regi et dispensari atque exponi pleno iure facere ac illorum usumfructum tua dumtaxat vita durante percipere et in praemissis tuisque et eiusdem monasterii necessitatibus ac aliis oneribus supportandis aliisque licitis et piis usibus, prout discretioni tuae videbitur, convertere libere liciteque valeas, ita quod interim substitutioni, in testamento eiusdem Petri viri tui, dum vixit, per eum appositae, locus non exsistat, neque propter professionem huiusmodi aut lapsum anni probationis vel susceptionem et delationem habitus seu alias villae, oppida, castra, vasalli, iurisdictiones, imperium et bona praedicta eadem tua vita durante ad primogenitum vel haeredem devolvi queant, professione per te in forma solita emittenda ac constitutionibus ... nequaquam obstantibus auctoritate praefata tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus teque ad illa eadem auctoritate apostolica harum serie et ex certa scientia habilem efficimus et capacem. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, III idus iulii, ... anno VIII.

1765. Mandat, ut Andreae Antonii Leonardi aliisque sororibus III O. S. Fr., concedat licentiam fundandi et recipiendi monasterium eiusdem ordinis in Castro novo de Garfagnana, Lucan. dioec. ([1]).

1454, iulii 14, Romae.

Dilecto filio Leonello, abbati monasterii de Frasinoro, Mutinen. dioec.

Pia Deo et ecclesiae desideria *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Andreae Antonii Leonardi, religiosae tertii ordinis S. Francisci, petitio continebat, quod ipsa et nonnullae aliae religiosae mulieres, zelo religionis accensae, ut in orationibus et sub suavi contemplationis iugo possint quietius et devotius earum vota Altissimo persolvere, cupiunt unum monasterium cum ecclesia, campana, claustro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis in terra Castrinovi de Garfagnana, Lucan. dioec., in loco ad id convenienti et honesto etiam cum christifidelium suffragiis et eleemosynis de novo fundare, construere, erigere et aedificare seu fundari, construi, erigi et aedificari facere, dummodo eis super hoc per Sedem Apostolicam licentia concedatur. Quare pro parte tam Andreae quam aliarum religiosarum personarum praedictarum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis dictam licentiam, et quod ipsum erigendum monasterium pro earum usu et habi-

([1]) Reg. Vat. t. 430, f. 25 v.

tatione recipere et inibi commorari et iuxta regularia instituta dictae regulae vivere possint, concedere aliasque in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, Andreae et aliis religiosis mulieribus huiusmodi in eodem castro in loco ad id convenienti et idoneo dioecesani loci et cuiusvis alterius super hoc licentia vel assensu minime requisitis unum monasterium religiosarum tertii ordinis S. Francisci cum ecclesia humili, campana ... ac aliis necessariis officinis pro usu et habitatione dictarum religiosarum ad instar aliorum monasteriorum dicti ordinis de novo fundandi ... ipsisque Andreae et aliis religiosis mulieribus monasterium ipsum pro earum usu et habitatione recipiendi et inibi commorandi ac iuxta regularia instituta dicti ordinis vivendi plenariam et liberam licentiam auctoritate Nostra largiaris. Nos enim religiosis mulieribus in praedicto monasterio pro tempore commoraturis, quod omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite possint, concedimus per praesentes. Non obstantibus *etc.* iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, pridie idus iulii, ... anno VIII.

1766. Iacobo de Reate, vicario fratrum O. F. M. de observ., provinciae Romanae, concedit licentiam recipiendi domum et ecclesiam S. Antonii de Padua in castro Rochae de Antiquo, Sabinen. dioec. ([1]).

1454, iulii 15, Romae.

Dilectis filiis Iacobo de Reate, vicario, et universis fratribus ordinis Minorum de observantia nuncupatis, Romanae provinciae secundum morem dicti ordinis.

Sacrae religionis, sub qua *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod dilectus filius nobilis vir Ursinus de Ursinis, dominus castri Rocchae de Antiquo, Sabinen. dioec., quamdam ecclesiam cum domo S. Valentini, ruinosam et penitus destructam, devotionis fervore accensus, ad honorem omnipotentis Dei et S. Antonii de Padua, presbyteri et confessoris dicti ordinis vestri, ad hoc, ut in illis regularis observantia ordinis fratrum Minorum perpetuo vigeat, ac quod ecclesia ipsa de cetero non sub S. Valentini, sed sub S. Antonii de Padua [vocabulo] nuncupetur, sumptuoso opere construi et aedificari fecit, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... vobis domum et ecclesiam praedictas cum campanili, campana, coemeterio, claustro, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis cum ipsius domini consensu ac sub vocabulo et nomine dicti S. Antonii de Padua perpetuis futuris temporibus nuncupandas ac vocabulo dicti S. Valentini omnino suppresso pro usu et habitatione vestris recipiendi et illas inhabitandi necnon inibi sub regulari observantia dicti ordinis perpetuo remanendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur. Et insuper vobis et fratribus in eadem domo pro tempore commorantibus, quod omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, idibus iulii, ... anno VIII.

1767. Ludovico de la Turre, O. F. M., de nobili genere ex comitibus S. Martini, Iporien. dioec., procreato, concedit dispensationem ad recipiendum beneficium ecclesiasticum ([2]).

1454, iulii 16, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XVII kal. augusti, ... anno VIII.

1768. Episcopo Oveten. mandat, ut approbet et confirmet permutationem factam a Petro, episcopo Palentin., cum consensu capituli de quadam villa deserta sive loco, Vezilla nuncupato, suae dioec., cum praediis, possessionibus, tenimentis, pratis, pascuis, molendinis iuribusque et pertinentiis suis nec non et temporali iurisdictione meroque et mixto imperio, tunc ad mensam episcopalem pertinente, pro quodam annuo censu quatuor millium morabitinorum monetae, in libris Iohannis, Castellae et Legionis regis, descripto ac in certis locis situato, ad monasterium monialium S. Mariae de Speranza, loci de Amusco, O. S. Cl., Palentin. dioec., pleno iure spectante ([3]).

1454, iulii 16, Romae.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XVII kal. augusti, ... anno VIII.

1769. Abbati monasterii Florentin. mandat, ut prioratum saecularis et collegiatae ecclesiae S. Pauli, quem tunc Fruosinus, prior, tenebat, et hospitale S. Francisci, fratrum et sororum III O. S. Fr. de poenitentia, situm infra limites praedictae ecclesiae, quae olim opulenter dotata, causantibus guerrarum turbinibus et aliis sinistris eventibus plurimum deteriorata exsistunt, insimul uniret et incorporaret, ita quod electio et praesentatio prioris sive rectoris ad

([1]) Reg. Vat. t. 431, f. 27. ([2]) Reg. Vat. t. 402, f. 210 v. ([3]) Reg. Lat. t. 494, f. 217 v. Cf. supra n. 1764.

canonicos ecclesiae pro una, et ad fratres hospitalis pro alia parte, eius vero institutio ad archiepiscopum Florentinum pertineat (1).

1454, iulii 16, Romae.

Ad ea ex apostolicae servitutis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XVII kal. augusti, ... anno VIII.

1770. Mandat, ut fratribus III O. S. Fr., Bononien., concedat licentiam erigendi hospitale eorumdem fratrum, situm iuxta pontem S. Archangeli in civitate Bononien., in monasterium monialium O. S. Cl. ad instar monasterii Corporis Christi Ferrarien. (2).

1454, iulii 20, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Proculi, Bononien.

Inter universa opera divinae *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in civitate Nostra Bononien. commorantium petitio continebat, quod olim quondam Thaddaeus Aderoti de Florentia, artium et medicinae doctor, in civitate praedicta tunc moram trahens, de bonis sibi a Deo collatis condens in eius ultimo testamentum, inter cetera reliquit eisdem fratribus certas pecuniarum summas ad finem et effectum, ut ex eis emerent bona immobilia, prout postmodum per ipsius ultimae voluntatis exsecutores empta fuerunt, in tertia vero parte suorum bonorum quondam Thaddaeum, eius filium, suum universalem haeredem instituit ac voluit quod, si dictus Thaddaeus absque filiis masculis decederet, tertia pars huiusmodi ad dictos fratres pervenire deberet, ita tamen, quod fratres ipsi emptorum integram, aliorum vero relictorum bonorum medietatem fructuum et introituum huiusmodi inter pauperes verecundos et infirmos ac certam quantitatem pecuniae inter pauperes sorores tertii ordinis ex consensu prioris fratrum Praedicatorum et guardiani fratrum Minorum ordinum de dicta civitate domorum pro tempore annis singulis distribuere et erogare perpetuo deberent sub certis modo, forma ac conditionibus. Et deinde inter dictos fratres tertii ordinis ex una, ac dilectos filios operarios fabricae necnon priorem et fratres domus fratrum ordinis B. Mariae Servorum, Bononien., asserentium inter alia fructus et introitus praedictos eidem fabricae vigore quarumdam aliarum litterarum Nostrarum usque ad certum inibi expressum tempus applicatos seu deputatos fuisse ex alia partibus, super dictis fructibus et introitibus ac eorum occasione materia quaestionis exorta tandem partes ipsae quamdam inter se inierunt transactionem seu concordiam, per quam inter cetera concordatum exstitit, quod casu, quo Nobis placeret, quaedam possessio in guardia villae seu loci S. Domini (!) Bononien. dioec., consistens ex praefatis bonis venderetur, et de pretio illius ex tunc mille librae Bononien. dictae fabricae assignarentur ac reliquum pretium in constitutionem fundandi monasterii huiusmodi converteretur, prout in dicto testamento ac diversis instrumentis publicis inde confectis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dicti fratres tertii ordinis pro religionis augmento, ad Dei laudem de consilio dilecti filii vicarii dilecti filii Nostri Philippi, tit. S. Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, ratione ecclesiae Bononien., cui idem cardinalis ex concessione et dispensatione Sedis Apostolicae praeesse dignoscitur, in spiritualibus generalis de bonis seu redditibus praedictis hospitale fratrum dicti tertii ordinis, situm in praefata civitate iuxta pontem S. Archangeli, in monasterium monialium seu sororum ordinis S. Clarae cum ecclesia, campanili, campana, claustro ac aliis pro usu et habitatione sororum praedicti ordinis S. Clarae sub regulari observantia, sub qua dilectae in Christo filiae sorores monasterii Corporis Christi Ferrarien., dicti ordinis S. Clarae, vivunt, si sibi desuper per Nos licentia concedatur, erigere, fundare et construere summopere desiderent, ac quamplures sint venerabiles mulieres in dicta civitate, quae fundandum monasterium huiusmodi ingredi et in illo sub regulari habitu Altissimo famulari proponunt, pro parte eorumdem fratrum tertii ordinis *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus ... super praemissis ... te diligenter informes et, si per informationem huiusmodi ea fore vera reppereris, eisdem fratribus tertii ordinis dictum hospitale in monasterium cum ecclesia ... et aliis pro usu et habitatione perpetuis unius abbatissae seu priorissae et plurium monialium seu sororum dicti ordinis S. Clarae, sub illius regularibus habitu et observantia in omnibus et per omnia iuxta regularia instituta dicti monasterii Ferrarien. et apostolica ei desuper concessa privilegia Altissimo perpetuo atque conventualiter serviturarum, necessariis officinis erigendi ... ac dictam possessionem quibusvis personis, ecclesiasticis vel laicis, cum quibus conditionem suam poterunt efficere meliorem, pro pretio, de quo concorda-

(1) Reg. Lat. t. 494, f. 79.

(2) Reg. Lat. t. 493, f. 149 v.

verint, cum omnibus et singulis cautelis desuper necessariis vendendi, de pretio quoque huiusmodi mille libras dictae fabricae assignandi, residuum vero in utilitatem ipsius erigendi monasterii convertendi ac omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exsequendi licentiam pariter et facultatem concedere necnon abbatissae vel priorissae seu superiori dicti monasterii Corporis Christi, quocumque nomine censeantur, quod unam, duas seu plures ex sororibus ipsius monasterii Corporis Christi, quarum una in dicti fundandi monasterii abbatissam seu priorissam instituatur, quae dictum fundandum monasterium intrare volentes in sorores recipere et habitum illis exhibere ac professionem regularem ab illis recipere et admittere possit et illi praesit, ad ipsum fundandum monasterium pro instructione inibi regularis observantiae transferat, praecipere et mandare, quodque dictum sic fundandum monasterium in omnibus et per omnia iuxta instituta et privilegia praedicta perpetuo regatur et gubernetur ac sub cura et regimine fratrum domus S. Pauli, prope Bononiam, dicti ordinis fratrum Minorum regularis observantiae, perpetuo subsit illudque et eius abbatissa seu priorissa, sorores et personae, ut omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite possint, necnon dictis fratribus tertii ordinis de Bononia, praesentibus et futuris, quod illi, qui de dicta quantitate iuxta praefatam concordiam fabricae huiusmodi assignata supererint, et postquam de ipsa iuxta dictam concordiam integre eidem fabricae fuerit satisfactum, omnes et singulos fructus, redditus et proventus dictae haereditatis ad opus et subventionem fundandi monasterii huiusmodi et illius sororum et personarum necnon dictarum sororum tertii ordinis in perpetuum applicare, convertere et commutare valeant, necnon omnia et singula tam legata quam haereditaria bona praedicta per ipsos fratres tertii ordinis de Bononia pro tempore exsistentes ad opus praedictum perpetuo tenenda et possidenda concedere ac statuere et decernere eadem auctoritate Nostra procures. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XIII kal. augusti, ... anno VIII.

1771. Nobili viro Girardo Loyte de Salinis, domicello, et Iohannae de Stanayer, eius uxori, Bisuntin. dioec., indulget, quod in quadam capella, sita in ecclesia domus S. Francisci, O. F. M., de Salinis, Bisuntin. dioec., ab antecessoribus eorum fundata et dotata, liberos eorum, dummodo aliquis eorum caput domus eorum non sit, ecclesiasticae sepulturae tradi facere libere valeant (1).

1454, iulii 23, Romae.

Sincerae devotionis affectus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, X kal. augusti, ... anno VIII.

1772. Simoni de Venetiis, O. F. M., presbytero, in quinquagesimo circa aetatis anno constituto, podagra et aliis infirmitatibus oppresso, matrem viduam et pauperculam sustentare habenti, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum curatum (2).

1454, iulii 27, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VI kal. augusti, ... anno VIII.

1773. Hortatur, a) ut Iacobo de Mozzanica, ministro generali O. F. M., assistant et requisiti praebeant auxilium brachii saecularis (3); b) ut eidem praebeant salvum conductum (4).

1454, iulii 29, Romae.

Universis et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, presbyteris, conventibus et capitulis aliisque clericis, cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis exsistant, atque charissimis in Christo filiis regibus illustribus necnon dilectis filiis nobilibus viris ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, primatibus, universitatibus et populis ceterisque christifidelibus, quacumque dignitate praefulgeant et cuiuscumque praeeminentiae, status et facultatis exsistant, praesentes litteras inspecturis.

a) Movemur ex cura pastoralis officii *etc.* Quapropter cum pro reformatione ordinis fratrum Minorum, qui inter christifideles famosus exsistit complectiturque magnum numerum fratrum, ad varias mundi partes dilectus filius Iacobus de Mozzanica, artium et sacrae theologiae magister, generalis minister ordinis eiusdem, ex iniuncto sibi generalis ministeriatus officio se conferat de praesenti et sit se imposterum collaturus, cum plerumque nonnulli, sicut evenire humanae imbecillitati solet, dicti ordinis fratres, inquinati labe peccatorum, a regula aberrantes aut diversis polluti maculis inveniantur et nonnumquam minus obedientes aut

(1) Reg. Lat. t. 494, f. 246 v.
(2) Reg. Vat. t. 401, f. 452 v.
(3) Reg. Vat. t. 430, f. 8 v.
(4) Ibid, f. 9.

arrecto superbiae furore suis superioribus rebellantes, unde plectendi sunt et debitis saepe monitis castigandi ac etiam aliquando opportunis auxiliis et viribus arcendi et compescendi, quibus, cum ipsis generali et fratribus non liceat viribus armatis uti, sicut est plerumque necessarium, vobis cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis clericalem militiam profitentibus, quibus quocumque modo insit auctoritas vel facultas has Nostras litteras exsequendi, mandamus tenore praesentium, vos autem, quibus inest potentia et iurisdictio, temporales dominos, tamquam iuris exsecutores, quos praecinxit Altissimus gladii potestate ad compescendam malitiam, fidem servandam et iustitiam ministrandam, propensius exhortamur, quatenus ipsi generali ministro circa exsecutionem officii sui et observationem eorum, quae ad conservationem constitutionum et iurium dicti ordinis [spectare noscuntur], et similiter aliis ab ipso ad praemissa deputandis consiliis, favoribus et auxiliis opportunis assistatis, dirigatis atque iuvetis, prout in Domino vobis videbitur salubriter expedire, vobisque temporalibus dominis liceat, quandocumque vos vel officiales vestri fueritis requisiti, praebere auxilium brachii saecularis in capiendo, arcendo et compescendo apostatas, nocentes, rebelles et inobedientes ordinis eiusdem et in praemissis vestras vestrorumque vires laudabiliter exercere, sicut in vestra exsecutione iustitiae atque devotione, quam ad Nos et Romanam ecclesiam religionisque protectionem geritis, singularem in Domino fiduciam obtinemus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, IV kal. augusti, ... anno VIII.

b) Cum dilectus filius Iacobus de Mozzanica, artium et s. theologiae magister et totius ordinis Minorum generalis minister, pro reformatione dicti ordinis ac domorum illius necnon residentium in eisdem personarum visitatione, prout ex debito sui officii adstrictus est, habeat se ad diversas mundi partes transferre, Nos, volentes eum cum sociis, familiaribus, equestribus et pedestribus, usque ad numerum decem personarum plena ubique securitate et immunitate gaudere, universitatem vestram et vestrum singulos rogamus et hortamur attente, subditis vero Nostris et Romanae ecclesiae subiectis ubicumque exsistentibus districte praecipiendo mandamus, quatenus praefatum ministrum, quo liberius huiusmodi officium exsequi valeat, ut convenit, pro Nostra et dictae Sedis reverentia commendatum habentes, sibi circa omnia et singula, quae exsecutionem officii praedicti ac statum et augmentum eiusdem ordinis et personarum earumdem pacem et quietem concernunt, efficacis favoris auxilio et praesidio protectionis assistatis ipsumque cum personis, equis, rebus et bonis omnibus benigne recipiatis nec permittatis, ut sibi, personis, equis et bonis supradictis aliqua molestia, iniuria vel offensa efficiatur nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, inferri patiamini, sed ipsos potius commendatos habentes per portus, pontes, passus, terras et loca quaelibet tam Nostra quam vestra ac tam per aquam quam per terram ire, transire, commorari, redire sine solutione alicuius datii, pedagii, telonii, gabellae, fundinavis sive alterius cuiuscumque oneris exactione pro Nostra et dictae Sedis reverentia libere sinatis ac insuper ipsis, si opus fuerit et duxerint requirendum, de securo transitu, scorta vel salvoconductu sic liberaliter et fideliter providere curetis, quod vestra exinde devotio apud Nos et eamdem Sedem merito ex hoc commendari possit.

Datum, *ut supra*.

1774. Sororibus III O. S. Fr., domus S. Spiritus de Valdarrago, Civitaten. dioec., concedit facultatem abdicandi bona temporalia eaque donandi eidem domui atque vivendi ad instar monasteriorum O. S. Cl. ([1]).

1454, iulii 30, Romae.

Dilectis in Christo filiabus sororibus tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, domus S. Spiritus de Valdarrago, Civitaten. dioec.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vobis, quae sub habitu et observantia tertii ordinis B. Francisci de poenitentia nuncupati in eadem domo numero copioso commoramini, ex institutis regularibus dicti ordinis permissum sit quaecumque vestra mobilia et immobilia bona ad vos legitime pertinentia iure proprietario et in particulari possidere, illorum vero usumfructum non in particulari sed in communi percipere et in communem vestrum usum convertere necnon unam ex vobis, illam videlicet, quae magis idonea fuerit, in superiorem, matrem nuncupatam, quae ad instar abbatissarum aliorum monasteriorum, ordinis S. Clarae, vobis necnon regimini et administrationi domus praefatae praesideat, eligere et habere cupiatis, zelo devotionis accensae, pro dictae domus et sanctae religionis perpetua subsistentia necnon religiosarum pro tempore inibi degentium et Altissimo famulantium sustentatione omnia et singula iura,

([1]) Reg. Vat. t. 402, f. 278 v.

bona mobilia et immobilia huiusmodi, quae possidetis et in quibus haereditario aut alio quovis iure succedere potestis sive poteritis in futurum, ad vos vestrarumque singulas quomodolibet spectantia et pertinentia domui praefatae donare seu illa a vobis penitus abdicare et ad effectum, ut ea per vos domui memoratae perpetuo uniantur, applicentur et approprientur, dimittere proponitis, prout ex nunc donatis, abdicatis a vobis atque dimittitis, necnon domum praefatam per abbatissam, quae vobis et dictae domui sive monasterio tunc praesideat, quemadmodum cetera dicti ordinis monasteria S. Clarae, in posterum perpetuis futuris temporibus gubernari: pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut pio huiusmodi laudabilique proposito vestro annuentes ac donationem et dimissionem ipsas admittentes bonaque huiusmodi, quaecumque et qualiacumque sint et ubicumque consistant, tertio ordini sive regulae ac domui sive monasterio S. Spiritus huiusmodi antedicto per vos in communi dumtaxat tenenda, possidenda, usufructuanda perpetuo unire, annectere, applicare et appropriare, quodque domus sive monasterium S. Spiritus praedicta deinceps per abbatissam, ad illius regimen per vos et alias in ea seu pro tempore exsistentes, sicut in aliis dicti ordinis S. Clarae monasteriis, eligendam, gubernari vosque ac illae, quae in ipsa domo sive monasterio vestro pro tempore residebunt, quaevis mobilia et immobilia sive temporalia bona sibi appropriare aut in particulari possidere minime debeatis, sed tantum in communi retinere possitis et domui sive monasterio appropriare, decernere ac etiam ordinare necnon alias quaecumque vestri et eiusdem monasterii et utilitati salubria atque proficua statuere et mandare ac alias super his opportune providere paterna diligentia dignaremur. Nos igitur, huiusmodi vestris honestis supplicationibus annuentes ac donationem, abdicationem et dimissionem praedictas auctoritate apostolica tenore praesentium admittentes necnon bona per vos donata huiusmodi et per illas, quae pro tempore erunt, donanda, quaecumque et qualiacumque sint et ubicumque consistant, ordini ac domui sive monasterio vestro per vos et per illas, quae pro tempore erunt, omni prorsus proprietate semota in communi tantum tenenda, possidenda et usufructuanda perpetuo unientes, annectentes, applicantes et appropriantes, et quod in ipsa domo iuxta ordinationes fel. rec. Nicolai papae IV, praedecessoris Nostri, vivere teneamini ac ulterius domus ipsa sive monasterium S. Spiritus deinceps perpetuis futuris temporibus per abbatissam, ad illius regimen per vos et alias sorores in eadem domo sive monasterio pro tempore exsistentes assumendam sive eligendam, ad instar monasteriorum ordinis S. Clarae huiusmodi regi et gubernari debeant, vosque et aliae sorores praesentes et futurae quaevis bona temporalia vobis propria, ut in particulari tenere nullatenus valeatis, sed omnia in communi esse debeant et dictis domui sive monasterio appropriata, eadem auctoritate Nostra harum serie volumus, statuimus, decernimus et mandamus, districtius inhibentes quibuscumque personis ecclesiasticis et saecularibus, cuiuscumque status, gradus, conditionis, praeeminentiae exsistant, quatenus de vobis aut sororibus dictae domus aut illius et vestrum regimine contra vel praeter voluntatem vestram se nullatenus intromittat neque aliquas mulieres, nisi de expresso consensu vestro, in ipsa domo sive monasterio recipi facere quoquo modo praesumant, sub excommunicationis poena, quam contrafacientes quoslibet et Nostrarum huiusmodi litterarum violatores sive contra illarum tenorem scienter facere praesumentes, nisi moniti resipuerint, incurrere volumus ipso facto, decernentes ex tunc totum, et quidquid contra praesentes necnon monasterium et sorores fieri vel attentari contigerit, irritum et inane nulliusque roboris vel momenti. Nos enim domui sive monasterio vestro S. Spiritus huiusmodi necnon illius abbatissae atque conventui vobisque et aliis religiosis, quae in ipso pro tempore morabuntur, quod omnibus et singulis privilegiis ..., monasteriis et sororibus dicti ordinis S. Clarae per Nos vel Sedem Apostolicam hactenus concessis et in antea concedendis, quas Nos hic volumus haberi pro sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum hic insererentur, uti et gaudere valeatis, auctoritate praefata tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, III kal. augusti, ... anno VIII.

1775. Fratribus O. F. M. de observantia, insulae Corsicae, concedit licentiam recipiendi 3 loca in dicta insula (1).

1454, septembris 7, Romae.

Dilectis filiis vicario et universis fratribus ordinis fratrum Minorum de observantia, insulae Corsicae, iuxta morem dicti ordinis.

Sacrae religionis sub qua *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra

(1) Reg. Lat. t. 489, f. 161; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 114.

petitio continebat, multi et quamplures christifideles utriusque sexus, insulae Corsicae, devotionis fervore accensi, propter divini verbi praedicationem et doctrinam ac exemplarem vitam fratrum ordinis Minorum de observantia, insulae Corsicae, ac devotionem, quam ad ipsum ordinem gerunt, desiderent, ut in ipsa insula regularis observantia ordinis huiusmodi augeatur, et alia loca de novo sub eadem regula aedificentur, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis tria loca cum ecclesiis, domibus, campanilibus, campanis, coemeteriis, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum regularis observantiae huiusmodi de novo aedificandi et construendi seu aedificari et construi faciendi ac ipsa recipiendi necnon in eis sub huiusmodi regulari observantia perpetuo commorandi licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... vobis in insula praedicta tria loca huiusmodi cum ecclesiis, domibus et aliis supradictis in locis ad id congruentibus et honestis, pia largitione christifidelium vobis concedendis, de novo aedificandi et construendi ... ac pro usu et habitatione fratrum regularis observantiae huiusmodi recipiendi ac illa inhabitandi necnon inibi sub eadem regulari observantia perpetuo remanendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur. Et insuper vobis et fratribus in eisdem domibus pro tempore commoraturis, quod omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere libere et licite valeant, eadem auctoritate indulgemus. Non obstantibus *etc.* dioecesanorum locorum et quorumcumque aliorum licentia super hoc minime requisita, iure tamen *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VII idus septembris, ... anno VIII.

1776. Frutum de Cuelar, O. F. M., instituit visitatorem monasterii de Amusco, Palentin. dioec., O. S. Cl. (1).

1454, septembris 10, Romae.

Dilectis in Christo filiabus abbatissae et conventui monasterii monialium B. Mariae de Speranza, de Amusco, ordinis S. Clarae, Palentin. dioec.

Regularem vitam professis *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Eugenius papa IV, praedecessor Noster, pro conservatione regularis observantiae monialium vestri monasterii B. Mariae de Speranza, de Amusco, ordinis S. Clarae, Palentin. dioec., quod Sedi Apostolicae immediate subiectum fore dignoscitur, et earum statu prospero et tranquillo voluit et ordinavit ac mandavit, quod quondam Sancius de Canales, ordinis fratrum Minorum regularis observantiae professor, qui tunc, cum in humanis ageret, monasterii eiusdem S. Clarae, de Oterdesillas, ordinis S. Clarae et dioecesis praedictorum, aliorumque nonnullorum monasteriorum monialium illarum partium visitator erat, etiam dicti vestri monasterii de Amusco visitator exsisteret illiusque similiter curam gereret, prout in dicti praedecessoris litteris ... continetur. Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, dictus Sancius fuerit postmodum vita functus, necnon dilectus filius Frutus de Cuelar, eiusdem ordinis Minorum professor, vir utique providus et probatae vitae, praefati de Oterdesillas et nonnullorum aliorum monasteriorum eorumdem monialium visitator deputatus exstiterit, pro parte vestra *etc.* Nos igitur ... praefatum Frutum in loco ipsius Sancii quoad ipsum dicti vestri monasterii visitationis officium ... subrogamus eumque, quoad vixerit, in vestri et eiusdem monasterii visitatorem ... constituimus ... ac etiam, quod quicumque imposterum dictorum aliorum et praesertim de Oterdesillas monasteriorum pro tempore visitator fuerit, similiter eiusdem monasterii vestri de Amusco visitator censeatur, ... perpetuo statuimus et ordinamus ... Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, IV idus septembris, ... anno VIII.

1777. Mandat, ut concedat licentiam fundandi domum O. F. M. in loco de Harbusco, Brixien. dioec. (2).

1454, septembris 14, Romae.

Dilecto filio praeposito ecclesiae S. Nazarii, Brixien.

Piis supplicantium votis *etc.* Sane pro parte dilecti filii Iacobi Modestici de Gislandis, ordinis fratrum Minorum professoris, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilecti filii incolae et habitatores loci de Harbusco, Brixien. dioec., ob singularem devotionem, quam gerunt ad ordinem praedictum, cupiunt, quod in territorio dicti loci una domus cum ecclesia, coemeterio, campanili, campana, refectorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis in certo loco, qui ad id plurimum conveniens et idoneus exsistit, de novo erigatur, fundetur et aedificetur, ac in ea fratres ipsi sedulum et devotum exhibeant Altissimo famulatum. Quare pro parte tam Iacobi quam incolarum praedictorum Nobis fuit humi-

(1) Reg. Vat. t. 402, f. 254 v. Cf. sup. n. 1768. (2) Reg. Lat. t. 489, f. 191; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 115.

liter supplicatum, ut ipsi Iacobo domum praedictam in eodem loco, ut praefertur, fundandi, erigendi, aedificandi ac illam pro fratrum dicti ordinis usu et habitatione perpetuis recipiendi et inibi commorandi licentiam concedere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ... ipsorum incolarum et habitatorum pium et laudabile propositum in Domino plurimum commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, praefato Iacobo in eodem loco, si conveniens et idoneus sit, ut praefertur, et sibi pia largitione concedatur, unam domum cum ecclesia, campanili ... et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum dicti ordinis de novo erigendi, fundandi et aedificandi necnon fratribus praedictis illam recipiendi et inibi Altissimo famulandi plenam et liberam licentiam auctoritate Nostra concedas. Nos enim, si licentiam huiusmodi concesseris, fratribus in dicta erigenda domo pro tempore commoraturis, quod omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant pariter et gaudere, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Non obstantibus *etc.*, iure tamen *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XVIII kal. octobris, ... anno VIII.

1778. Mandat, ut monialibus monasterii S. Leonardi de Carignano, in burgo Ianuen., O. S. Cl., concedat licentiam ampliandi aedificia dicti monasterii [1].

1454, septembris 24, Romae.

Venerabili fratri Ambrosio, episcopo Alerien.

Admonet Nos suscepti cura regiminis *etc.* Sane exhibita Nobis pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium monasterii S. Leonardi de Carignano, in burgo Ianuen., ordinis S. Clarae, petitio continebat, quod monasterium ipsum cum eius clausura adeo arctum in suis aedificiis et structuris exsistit, quod multae ex monialibus illius in ipso hactenus infirmatae et mortuae fuerunt, et nisi eis de opportuno remedio provideatur, verisimiliter in futurum infirmabuntur et morientur, quodque, si super certum terrae spatium vacuum et clausum, iuxta dictum monasterium consistens, ad eas pertinens, pro ampliandis aedificiis et structuris huiusmodi aedificium et structuras fieri facere possent, ex hoc eis non modicum commodum obveniret et infirmitatibus huiusmodi obviaretur. Quare pro parte *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus ... abbatissae et monialibus praedictis super dictae terrae spatium aedificia et structuras pro habitationibus et commoditatibus ipsarum monialium et pro earum sanitate conservanda accommoda et opportuna aedificandi et construendi et alia in praemissis necessaria faciendi ... licentiam largiaris. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VIII kal. octobris, ... anno VIII.

1779. Statuit, ut bona, calices, ornamenta ecclesiastica domus Nurembergen., Bambergen. dioec., O. F. M. de observ., non possint alienari aut ad alias domus ordinis transmitti [2].

1454, septembris 26, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Ex debito Nobis iniuncti officii pastoralis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus oppidi Nurembergen., ordinis fratrum Minorum, Bambergen. dioec., necnon burgimagistrorum et consulatus eiusdem oppidi Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum fratres domus huiusmodi ad regularem observantiam noviter reducti fuerint et sub illa hactenus regulariter vixerint, prout vivunt etiam de praesenti, burgimagistri et consulatus praefati aliique christifideles, incolae et habitatores ipsius oppidi, ex regulari observantia huiusmodi spiritualem consolationem assumentes et zelo devotionis accensi, domum praedictam frequenter visitando, de bonis sibi a Deo collatis libros, calices, ornamenta ecclesiastica et alia pro huiusmodi cultu in ecclesia ipsius domus peragendo eisdem domui et fratribus de novo obtulerunt, donaverunt et etiam assignaverunt ac pro victu et vestitu ipsis fratribus necessaria in eleemosynam erogarunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, guardianus, fratres, domus ac burgimagistri et consulatus huiusmodi timeant libros, calices et alia ornamenta praedicta absque illorum, qui ea donarunt, consensu alienari, distrahi seu ad alia loca vel domos dicti ordinis transmitti aut in illis collocari posse tempore procedente, pro parte guardiani, fratrum, domus, burgimagistrorum et consulatus praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad hoc, quod libri, calices et alia ornamenta praefata bene ac fideliter conserventur, et post illorum consummationem ad alia similia denuo eidem domui imposterum donanda praedicti et alii christifideles facilius inducantur, de opportuno super praemissis remedio providere paterna diligentia curaremus. Nos igitur ...

---

[1] Reg. Lat. t. 489, f. 132.

[2] Reg. Lat. t. 489, f. 51. Cf. supra n. 1266, p. 650.

tam praesentibus, qui, ut asserunt, per superiores suos ad prolabendum in huius rei oppositum tentari non mediocriter formidant, quam futuris guardiano et fratribus domus, etiam superioribus, huiusmodi et aliis quibuscumque sub excommunicationis poena, quam singuli contrafacientes eo ipso incurrant, ne ullo umquam tempore calices, alia ornamenta ecclesiastica pro divino cultu eidem domui tam ante reductionem regularis observantiae huiusmodi quam post per praefatos et alios quoscumque christicolas donata seu inantea donanda absque illorum, qui nunc sunt, et aliorum, qui pro tempore erunt, burgimagistrorum et consulatus oppidi necnon reliquorum, qui ea donarunt et donabunt, praedictorum expresso consensu alienare vel ab eadem domo distrahere seu ad alia loca transmittere, conducere aut in illis collocare seu per alium vel alios alienari, distrahi, transmitti, conduci seu collocari facere quoquomodo praesumant, auctoritate apostolica tenore praesentium districtius inhibemus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VI kal. octobris, ... anno VIII.

1780. Mandat, ut confirmet conventionem inter moniales monasterii oppidi de S. Severino, Camerinen. dioec., O. S. Cl., et duos laicos eiusdem oppidi de campo *de la Calavara* nuncupato (1).

1454, octobris 3, Romae.

Dilecto filio abbati monasterii S. Laurentii, Camerinen. dioec.

Ad ea ex susceptae servitutis officio *etc.* Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae et conventus monasterii monialium S. Salvatoris ad Gratasferratas, oppidi de Sancto Severino, ordinis S. Clarae, Camerinen. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsae, attente considerantes, quod quidam campus seu petia terrae campestris, campus « de la Calavara » vulgariter nuncupatus, ad dictum monasterium legitime pertinens et prope illud consistens, adeo incultus remanserat, quod ex eo modica dicto monasterio resultabat utilitas, ac cupientes ipsum campum ad debitam culturam reduci eiusdemque monasterii conditionem efficere meliorem, in loco capitulari, ut moris est, in sui procuratoris praesentia congregatae cum dilectis filiis Cola Antonii Florismontis et Philippo Petri de Bisso, laicis, habitatoribus dicti oppidi, concordarunt, convenerunt et pepigerunt, quod ipsi laici campum seu petiam terrae huiusmodi per quinque annos tenerent ac infra duos primos ex illis annos sollicite et legaliter illum in vineam redigerent et propagarent ac per ipsos quinque annos debite colerent et laborarent et successive illis quinque annis elapsis dicta vinea in duas partes dividerent, quarum alteram, quam mallent abbatissa et conventus, seu eorum procurator eligeret ac pro se retineret, aliam vero medietates Cola et Philippus praefati pro se et suis haeredibus et successoribus haberent et reciperent, perpetuoque libere absque responsione aliqua retinerent, abbatissaque et conventus praedicti reliquam dimissam medietatem huiusmodi sub pactis et conditionibus supradictis eisdem laicis post dictos annos concesserunt et remiserunt, prout in instrumentis et litteris desuper confectis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si ... tibi de conventione, concordia et concessione huiusmodi legitime constiterit, illas, si eas in evidentem utilitatem dicti monasterii cedere reppereris, ... ac quaecumque inde secuta auctoritate Nostra suppleas *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, V nonas octobris, ... anno VIII.

1781. Mandat, ut confirmet concessionem loci Cuirtwilleag, Akaden. dioec., et fundationem domus III O. S. Fr. in eodem loco (2).

1454, octobris 5, Romae.

Venerabili fratri episcopo Akaden.

Piis fidelium votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Andreae Ocluman, presbyteri, ceterorumque fratrum ac dilectarum in Christo filiarum sororum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in dioec. Akaden. commorantium petitio continebat, quod olim dilectus filius nobilis vir Iohannes Ohadra, domicellus ac dominus temporalis loci de Campoligeme, dictae dioec., ... de bonis a Deo sibi collatis etiam dilectorum filiorum fratrum et liberorum suorum ac aliorum, quorum intererat, ad id accedente consensu nonnullas terras, possessiones et loca ad ipsum domicellum tunc legitime spectantia et pertinentia, videlicet dimidiam villatam et possessiones quartam de Arduabair et quartam Iusmud nun-

(1) Reg. Lat. t. 489, f. 176 v. De monasterio S. Salvatoris cf. supra n. 413, p. 193.

(2) Reg. Lat. t. 493, f. 319.

cupatas ac locum Cuirtwilleag, in ipsa dioecesi consistentes secundum communes metas terrarum ac possessionum earumdem per longitudinem et latitudinem cum aquis, molendinis, piscariis, pratis et pascuis, gannis (ganniis), silvis, nemoribus, lapidicinis et aliis adhaerentibus iuribus et pertinentiis suis universis Andreae, fratribus et sororibus praedictis ad constructionem et aedificationem unius domus dicti ordinis in dicto loco Cuirtwilleag, ad hoc congruo et honesto, pro usu et habitatione fratrum et sororum eiusdem ordinis ad laudem Dei et B. Mariae virginis et ob reverentiam dicti S. Francisci in puram eleemosynam perpetuo libere concessit et donavit. Quas quidem concessionem et donationem postmodum venerabilis frater Noster Cornelius, episcopus Akaden., de consilio dilectorum filiorum sui capituli ecclesiae Akaden. ratificavit et auctoritate ordinaria confirmavit, prout *etc.* Et sicut eadem petitio subiungebat, praefatus Andreas in praefato loco Cuirtwilleag unam domum sive ecclesiam pro usu et habitatione fratrum et sororum eorumdem noviter aedificari notabiliter incepit opere nondum perfecto. Quare pro parte Andreae, fratrum et sororum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus super praedictis ... te diligenter informes et, si ... ita esse reppereris, ... concessionem, donationem, ratificationem, approbationem praedictas ... auctoritate Nostra confirmes pariter et approbes, supplendo *etc.* Et nihilominus, si confirmationem ... fieri contigerit ..., Andreae, fratribus et sororibus praedictis inchoatam praedictam perficiendi sive unam aliam domum de novo cum ecclesia, campana, campanili ... construendi et aedificandi ..., quodque praedicti et quicumque alii fratres et sorores dicti ordinis ad id benevoli ad ipsam domum se transferre et illam sub obedientia suorum superiorum inhabitare ac in ea remanere et perpetuo ipsam retinere cuiuscumque alterius licentia super hoc minime requisita libere et licite valeant, eadem auctoritate Nostra licentiam largiaris, iure tamen *etc.* Non obstantibus *etc.* Nos enim, ... ut omnibus privilegiis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, III nonas octobris, ... anno VIII.

1782. Samaritanae, uxori Facini de la Vane, civis Bononien., concedit licentiam decies in anno per tres vel quatuor dies qualibet vice stando, comedendo et pernoctando ingrediendi monasterium monialium inclusarum S. Ludovici, Bononien., O. S. Cl., pro visitatione suae sororis male sanae et membro sui corporis impeditae (1).

1454, octobris 7, Romae.

Devotionis tuae sinceritas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, nonis octobris, ... anno VIII.

1783. Statuit, ut bona domus S. Francisci, extra muros Pontremuli, Lunen. dioec., O. F. M., administrentur per duos laicos, non a communi, sed a fratribus dictae domus eligendos (2).

1454, octobris 8, Romae.

Ad futuram rei memoriam.

Etsi quibusvis personis *etc.* Sane pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus S. Francisci, extra muros terrae Pontremuli, ordinis fratrum Minorum, Lunen. dioec., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod a tanto tempore citra, cuius initii forsan hominum memoria non exsistit, quaedam consuetudo, quae potius abusio dici potest, in eadem terra inolevit, videlicet, quod bona ad conventum dictae domus pertinentia per duos laicos, qui singulis annis per commune et homines dictae terrae eliguntur, administrari consueverunt, ex quo conventus huiusmodi magna hactenus sustinuit et in dies sustinet detrimenta, ac etiam inter fratres et laicos praedictos propter malam administrationem dictorum bonorum scandala quandoque exorta sunt et maiora exoriri formidantur, nisi Sedes Apostolica super hoc remedium adhibeat salutare. Quam ob rem guardianus et fratres praedicti Nobis humiliter supplicarunt *etc.* Nos igitur, indemnitatibus conventus et fratrum praedictorum providere ac dissensionibus et scandalis obviare volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod guardianus dicti conventus pro tempore exsistens una cum dicto conventu duos ex laicis dictae terrae, viros bonae conversationis et famae ac ad id utiles et idoneos, qui bona huiusmodi ministrent ac singulis annis de gestis et administratis per eos praefato guardiano rationem reddere debeant et teneantur, eligere et ad administrandum bona huiusmodi deputare ipsosque laicos vel alterum eorum, si forsan bona huiusmodi minus debite administrarent vel suspecti haberentur aut ex quacumque alia rationabili causa etiam infra annum ab huiusmodi administrationis officio abmovere ac alium vel alios laicos eiusdem terrae loco amoti vel amotorum huiusmodi, quotiens opus fuerit, de-

(1) Reg. Vat. t. 402, f. 38 t. De monasterio S. Ludovici cf. supra n. 1737, p. 861.

(2) Reg. Vat. t. 430, f. 156 v.

putare libere et licite possit ac debeat et teneatur, districtius inhibentes omnibus et singulis, qui retroactis temporibus bona huiusmodi administrarunt, quatenus sub excommunicationis poena, quam contrafacientes eo ipso incurrant et a qua, nisi in mortis articulo, per alium, quam per Romanum pontificem facta prius restitutione absolvi non possint, de gestis et administratis per eos guardiano praedicto rationem reddere et, si qua ex bonis praedictis habuerint, illi restituere et assignare seu illa occupata detinentes quantocius revelare debeant et teneantur, nec ulterius de bonis eisdem, nisi electi fuerint, ut praefertur, se intromittere possint seu debeant quoquomodo. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VIII idus octobris, ... anno VIII.

1784. Ambrosio de Mayneriis, O. F. M., theologiae professori, pro quo nobilis vir Franciscus Sfortia, dux Mediolan., supplicavit, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, saeculare vel regulare, etiam parochialem ecclesiam vel eius perpetuam vicariam aut archipresbyteratum *etc.* (1).

1454, octobris 9, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VII idus octobris, ... anno VIII.

1785. Priori monasterii B. Mariae de Dungemyn, Deren. dioec., mandat, ut de malis meritis Marci Macbridyn, abbatis monasterii B. Mariae, alias S. Congalli de Bancor, O. S. Aug., Dunen. dioec., inquirat et, prout de iure faciendum esset, eum amoveat et eidem monasterio Iohannem Okyllyn, professorem III. O. S. Fr. de poenitentia nuncupati, praeficiat in abbatem (2).

1454, octobris 12, Romae.

Ex susceptae servitutis officio *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, IV idus octobris, ... anno VIII.

1786. Concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in Castello Saviliani, Taurinen. dioec. (3).

1454, octobris 19, Romae.

Dilectis filiis universitati et hominibus Castelli Saviliani, Taurinen. dioec.

Piis fidelium votis *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos, zelo devotionis accensi, ... tam de bonis a Deo vobis collatis quam aliis christifidelium piis ad hoc porrectis et porrigendis suffragiis unam domum cum ecclesia, campanili, campana, coemeterio, dormitorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione fratrum ordinis Minorum de observantia nuncupatorum, Ianuen. provinciae iuxta morem ipsius ordinis, qui sub stricta huiusmodi observantia inibi debeant Altissimo perpetuo deservire, in territorio Castelli Saviliani, Taurinen. dioec., in loco utique ad id congruo et honesto, fundare, construere et aedificare seu fundari, construi et aedificari facere inchoaveritis et ad finem perducere proponatis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis praemissa faciendi ac vicario pro tempore exsistenti et fratribus dicti ordinis et observantiae praedictae, provinciae Ianuen., domum ipsam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis pro usu et habitatione praedictis recipiendi et perpetuo retinendi et inibi morandi licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... huiusmodi pium propositum in Domino plurimum commendantes, devotioni vestrae de bonis et suffragiis huiusmodi domum cum ecclesia, campanili ... et aliis officinis necessariis in loco praefato fundandi ... seu iam pro parte fundatam, constructam et aedificatam ad finem perducendi ipsisque vicario et fratribus domum cum ecclesia huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis pro eisdem usu et habitatione recipiendi et perpetuo retinendi et inibi morandi, ut praefertur, dioecesani loci et aliorum quorumcumque, etiam dicti ordinis superioris, licentia minime requisita plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur. Et nihilominus dictae domui per fratres ipsos recipiendae ac universis et singulis dicti ordinis fratribus de observantia nuncupatis, quos in domo praefata pro tempore residere contigerit, ut omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis ... perpetuo uti et gaudere libere et licite valeant, auctoritate apostolica concedimus per praesentes, iure tamen *etc.* ceterisque contrariis nequaquam obstantibus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XIV kal. novembris, ... anno VIII.

1787. Antonio de Plano Castagnaro, O. F. M., capellano nobilis viri Francisci Sfortia, ducis Mediolani, pro quo idem dux supplicavit, concedit facultatem recipiendi quodcumque beneficium ecclesiasticum (4).

1454, octobris 22, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XI kal. novembris, ... anno VIII.

(1) Reg. Vat. t. 402, f. 232. Cf. supra n. 1366, p. 704.
(2) Reg. Lat. t. 492, f. 109.
(3) Reg. Lat. t. 494, f. 71 v; Wadd. *Reg. pont.* n. 116. Cf. supra n. 1630, p. 811.
(4) Reg. Lat. t. 493, f. 323.

1788. Vicario provinciae Equitaniae (Aquitania), O.F.M. de observ., concedit licentiam recipiendi domum a) in civitate seu dioecesi Conseranen. (St. Lizier) (1); b) in comitatu Gasconis, comitis Fuxi et Bigorre (2).

1454, octobris 24, Romae.

Dilecto filio vicario provinciae Equitaniae, ordinis fratrum Minorum iuxta morem dicti ordinis observantiae regularis.

a) Ut sacer ordo fratrum Minorum *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte venerabilis fratris Nostri Tristaudi, episcopi Conseranen., petitio continebat, ipse ob singularem devotionem, quam gerit ad fratres Minores de observantia vulgariter nuncupatos, cupiat, quod una domus dictorum fratrum de observantia in civitate seu dioecesi Conseranen., in quibus nulla consistit, construatur et aedificetur ac in ea fratres praefati ordinis, qui verbo pariter et exemplo christifideles illarum partium longe a mandatis Dei aberrantes ad callem salutis aeternae reducant, perpetuo commorentur ac devotum et sedulum sub regulari observantia exhibeant Altissimo famulatum, Nos igitur ... tibi aut guardiano conventus Minorum Mirapicen., eiusdem ordinis, unum locum in praefata civitate vel dioecesi, si tibi vel eidem guardiano pia christifidelium largitione concedatur ac ad id conveniens et idoneus locus exsistat, recipiendi et in eo ecclesiam sive oratorium cum campanili, campana, coemeterio, claustro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis construi et aedificari faciendi sive constructum et aedificatum recipiendi pro usu et habitatione perpetuis fratrum dicti ordinis sub illius regulari observantia inibi pro tempore degentium ac tibi et dicti fratribus perpetuo inibi morandi dioecesani loci et cuiuscumque alterius super hoc licentia minime requisita, iure tamen *etc.*, non obstantibus *etc.* plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam elargimur ac volumus, ... quod domus recipienda praedicta et in ea pro tempore degentes fratres omnibus et singulis privilegiis ... uti valeant pariter et gaudere. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, IX kal. novembris, ... anno VIII.

b) Ut sacer ordo fratrum Minorum *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Gasconis, comitis Fuxi et Bigorre, petitio continebat, ipse ... cupiat, quod una domus dicti ordinis de observantia in comitatibus seu districtu praefati comitis, in quibus nulla consistit, *etc. (ut supra).*

Datum *ut supra.*

1789. Concedit licentiam erigendi et dotandi bibliothecam in domo fratrum O. F. M., Caesenat. (3).

1454, octobris 24, Romae.

Dilecto filio nobili viro Malatestae Novello de Malatestis, pro Nobis et Romana ecclesia civitatis Nostrae Caesenatis in temporalibus vicario.

Devotionibus *etc.* Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu ... de bonis tibi a Deo collatis unam librariam seu bibliothecam in conventu sive domo Caesenat., ordinis fratrum Minorum, erigere et instituere ac illa quamplurimis libris fulcire et ornare necnon, ut in domo vel conventu huiusmodi magistri seu doctores artium et theologiae et in illarum facultatibus studentes commorari illarumque studiis insistere commodius possent, librariam seu bibliothecam praedictam de tot possessionibus et aliis bonis tuis immobilibus, quot eorum fructus trecentorum florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, ita quod illorum fructus, redditus et proventus in manutentionem dictae librariae et librorum illius necnon in sustentationem, usum et utilitatem magistrorum, doctorum et studentium, professorum dicti ordinis, ibidem commorantium ac illis deservientium, convertantur, dotare seu ipsi librariae vel bibliothecae perpetuo donare, concedere et assignare summopere desideres, sed obstante regula dicti ordinis absque Sedis Apostolicae licentia speciali id efficere non posse dubites; pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, tam pium et laudabile propositum in Domino commendantes, devotioni tuae dictam librariam seu bibliothecam in domo vel conventu huiusmodi erigendi et instituendi ac illam de possessionibus tuis immobilibus, quorum fructus, redditus et proventus praedictum seu maiorem valorem annuum ascendant, dotandi seu ipsa possessiones et bona eidem librariae vel bibliothecae perpetuo donandi, concedendi et assignandi, ita quod illorum fructus, redditus seu proventus in manutentionem librariae et librorum ac sustentationem magistrorum, doctorum, studentium ac servientium praedictorum, ut praefertur, convertantur, ac omnia alia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet oppor-

(1) Reg. Lat. t. 489, f. 100.
(2) Reg. Lat. t. 489, f. 191, Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 117.
(3) Wadd. *Ann.* ad a. 1454, n. 93. « e l. de div. form. anno 8, f. 17 ». Cf. supra n. 911, p. 444 et n. 1365, p. 703.

tuna statuendi et ordinandi plenam et liberam tenore praesentium licentiam concedimus pariter et facultatem. Volumus autem, quod possessiones et bona, de quibus dictam librariam seu bibliothecam per te dotari seu quae te illi donare, concedere et assignare contigerit, per duos laicos ad id per te et post tui obitum per guardianum pro tempore exsistentem ac dilectos filios conventus eiusdem et domus pro tempore eligendos administrentur, ipsique laici de gestis et administratis tibi et post tui obitum personae per ipsos guardianum et conventum etiam pro tempore eligendae annis singulis rationem reddere teneantur. Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, IX kal. novembris, ... anno VIII.

1790. Mandat, ut sororibus III O. S. Fr., civitatis Cortonen., concedat domum in ipsa civitate (1).

1454, octobris 29, Romae.

Dilecto filio archidiacono Cortonen.

Sedis Apostolicae gratiosa benignitas *etc.* Sane petitio pro parte dilectorum filiorum communis civitatis Cortonen. Nobis nuper exhibita continebat, quod, cum complures sorores tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati in eadem civitate exsistant in diversis locis, propter alicuius religiosae et honestae mansionis carentiam dispersim habitantes, quae tamen sub regulari observantia dicti ordinis communiter cohabitare desiderant, iidem commune, cupientes eis de huiusmodi mansione providere, aliquem locum ad id congruentem et honestum pro usu et habitatione dictarum sororum in praefata civitate reperire ac eisdem sororibus tradere et assignare proposuerint, si ipsis sororibus huiusmodi locum recipiendi illumque inhabitandi et perpetuo retinendi per Sedem Apostolicam licentia concedatur. Quare pro parte communis praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... etiam propter singularem dilectionis affectum, quem ad praefatos commune gerimus, eumdem locum eiusque personas specialibus privilegiis communire volentes, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, praefatis sororibus eumdem locum, postquam ad id congruus et honestus in eadem civitate repertus fuerit, recipiendi illumque cum capella humili, campanili, campana, coemeterio, claustro, hortis, hortalitiis et aliis necessariis officinis ampliandi et perpetuo retinendi, necnon in eadem domo, postquam reperta fuerit, alias mulieres in illam ingredi volentes alias iuxta regularia instituta praefati ordinis recipere eisque regularem habitum per easdem sorores gestari solitum exhibere ac ipsas inibi ad professionem admittere libere et licite valeant, auctoritate Nostra plenam ac liberam licentiam largiaris. Nos enim sororibus in eadem domo pro tempore commoraturis ..., ut omnibus et singulis privilegiis ... aliis locis eiusdem ordinis regularis observantiae et praesertim domibus SS. Hieronymi et Onuphrii ac S. Ursulae et aliis locis dicti ordinis civitatis Florentin. ... concessis ad illorum instar uti et gaudere earumque superiorem sive ministram, quae inter eas praesidere ac illas dirigere et gubernare habeat iuxta statuta et consuetudines dicti ordinis eligere, quodque confessor idoneus, quem vicarius generalis, in provincia Thusciae iuxta morem dicti ordinis pro tempore exsistens, ad id eis deputandum duxerit, confessionibus earumdem sororum et cuiuslibet earum diligenter auditis eis pro commissis, nisi talia fuerint, propter quae dicta Sedes sit merito consulenda, debitam absolutionem impendere ac poenitentiam salutarem iniungere necnon quaecumque vota per eas et quamlibet earum emissa, peregrinationis transmarinae et BB. Petri et Pauli atque Iacobi in Compostella ac continentiae et castitatis votis dumtaxat exceptis in alia pietatis opera commutare, prout secundum Deum animarum suarum saluti viderit expedire, illisque eucharistiae et alia sacramenta ecclesiastica administrare illarumque decedentium corpora etiam in praefato coemeterio vel capella ecclesiasticae tradere sepulturae libere ac licite valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia indulgemus, volentes, quod visitatio, reformatio, castigatio et correctio praefatae domus tam in capite quam in membris ad praefatum vicarium pro tempore exsistentem pertineat, quodque illae sub cura et protectione eiusdem vicarii degant et ad congregationes sive capitula dicti ordinis pro tempore celebranda ad ipsius vicarii nutum iuxta statuta et consuetudines antedicta proficisci teneantur. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, IV kal. novembris, ... anno VIII.

1791. Guillelmo Wolse, presbytero, professo O. F. M. S. Francisci, magistro in theologia, concedit dispensationem ad recipiendum beneficium ecclesiasticum (2).

1454, octobris 31, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, pridie kal. novembris, ... anno VIII.

(1) Reg. Vat. t. 431, t. 211.

(2) Reg. Vat. t. 402, f. 27.

1792. Mandat, ut licentiam concedat fundandi domum O. F. M. in terra Palentiae (Pallanza), Novarien. dioec. (1).

1454, novembris 23, Romae.

Venerabili fratri episcopo Novarien.

Cognita devotionis constantia, fidei quoque integritas, quas dilecti filii universitas, commune et homines terrae Palentiae, tuae dioec. *etc.* Sane pro parte eorumdem universitatis, communis et hominum petitio continebat, quod ipsi, provide considerantes nullam domum ordinis fratrum Minorum, ad quem singularem gerunt devotionis affectum, infra dictam terram et eius tenimentum ac castra et loca circumvicina exsistere ac pia devotione succensi, ... de bonis eis a Deo collatis unam domum pro usu et habitatione fratrum praedictorum in quadam insula eidem terrae propinqua aut alio loco ad hoc congruo et honesto cum ecclesia, campanili ... fundare et construere ... desiderant, si eis Sedis Apostolicae super hoc licentia concedatur. Quare pro parte *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, universitati, communi et hominibus praefatis domum cum ecclesia ... in dicta insula aut alio loco congruo et honesto pro usu et habitatione praefatis fundandi ... ac eisdem fratribus domum ipsam ... perpetuo retinendi non obstantibus *etc.* auctoritate apostolica licentiam largiaris. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, IX kal. decembris, ... anno VIII.

1793. Mandat, ut fratribus domus Valeriaci (Valréas), Vasionen. dioec., O. F. M., concedat capellam S. Albani, sitam in loco de Racarenciis, Tricastren. dioec. (2).

1454, novembris 23, Romae.

Dilecto filio Petro de Supervilla, canonico Tricastren.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus Valeriaci, ordinis fratrum Minorum, Vasionen. dioec., petitio continebat, quod, cum alias capella S. Albani, sita in territorio loci de Racarenciis, Tricastren. dioec., Nostri comitatus Venaisin., maximam ruinam minaretur et quasi ad terram penitus prostrata esset, thesaurarius eiusdem comitatus tunc exsistens seu eius locum tenens capellam ipsam guardiano et fratribus eiusdem domus tunc et pro tempore exsistentibus per eos perpetuo tenendam, possidendam et gubernandam concessit et assignavit, quarum concessionis et assignationis obtentu guardianus et fratres praedicti per quadraginta annos vel circa capellam ipsam tenuerunt et possederunt, prout tenent et possident de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, licet ipsi guardianus et fratres eamdem capellam, ut praemittitur, possederint ac illam decenter reaedificaverint, necnon missa ibidem omnibus diebus sabbatinis celebretur, nihilominus, quia a nonnullis asseritur dictum thesaurarium ad faciendam eis concessionem praedictam potestatem non habuisse, ipsi guardianus et fratres dubitent, se super eadem capella posse molestari in futurum vel ea spoliari, quare pro parte venerabilis fratris Nostri Petri, episcopi Albanen., Nobis fuit humiliter supplicatum, ut capellam ipsam, ad quam, ut etiam asseritur, plures febricitantes et ad illam devotionis causa confluentes meritis et precibus dicti S. Albani sanitatem recuperarunt, eisdem guardiano et fratribus de novo concedere ... dignaremur. Nos itaque ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... capellam praedictam, cuius fructus, redditus et proventus viginti librarum Turonen. parvorum secundum communem aestimationem valorem annuum ... non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis guardiano et fratribus praedictis per eos perpetuo tenendam, regendam et gubernandam ... auctoritate Nostra praefata concedas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, IX kal. decembris, ... anno VIII.

1794. Priori prioratus S. Pauli Assisinat. mandat, ut Iacobo Monalducii, clerico Assisinat., conferat canonicatum et praebendam ecclesiae Assisinat., vacantes per ingressum Iordani Lippi Guidonis in domum B. Mariae de Angelis, extra muros Assisinat., O. F. M. de observ. (3).

1454, novembris 23, Romae.

Dignum arbitramur *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, IX kal. decembris, ... anno VIII.

1795. Mandat, ut Pasqualem Factutii, de Vallo, Spoletan. dioec., O. F. M., absolvat ab irregularitate (4).

1454, novembris 26, Romae.

Dilecto filio .. vicario venerabilis fratris Nostri episcopi Spoletan. in spiritualibus generali.

Sedes Apostolica pia mater *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Pa-

(1) Reg. Lat. t. 492, f. 150; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 118.
(2) Reg. Vat. t. 402, f. 200.
(3) Reg. Lat. t. 495, f. 147.
(4) Reg. Lat. t. 489, f. 41.

squalis Factutii de Vallo, Spoletan. dioec., ordinis fratrum Minorum professoris, petitio continebat, quod, cum ipse dudum, videlicet de mense augusti proxime praeterito, iuxta civitatem Nostram Fulginat. cuidam eremitae, nomine Matthaeo, casualiter obviasset et illum de loco suae residentiae interrogasset, dictus eremita sibi respondit, quod in quodam eremitorio S. Luciae prope castrum Spelli, eiusdem dioec., habitabat, sed tamen de nocte ibidem prae timore non dormiebat, ex eo, quia quidam alius quondam eremita, praedecessor suus, in ipso eremitorio fuerat interfectus. Tunc idem ait Pasqualis: Scio, qui ipsum interfecit, et interrogatus a dicto Matthaeo, quis ille fuisset, respondit, quod quidam Iacobus de Perchie (Parchie?), laicus, de comitatu Spoleti, ipsum alium eremitam interfecerat, cumque deinde ambo, ipse Pasqualis et Matthaeus, ad dictum castrum pervenissent, idem Matthaeus, priorum seu officialium ipsius castri, qui tunc erant, conspectui se praesentans, eis illa, quae dictus Pasqualis sibi dixerat, revelavit, ac demum ab eo ipse Pasqualis, revocatus et coram dictis prioribus super hoc requisitus, revelata huiusmodi confirmavit, dicens praefatum alium eremitam a dicto Iacobo interfectum exstitisse, subsequenter vero iidem priores, quamquam Pasquali praefato sua dicta huiusmodi sub secreto tenere ac nemini pandere ante omnia promisissent, id tamen minime observantes, dictum Iacobum, per certum promotorem in curia saeculari dicti castri de huiusmodi homicidio accusatum, capi et carceribus trudi necnon ad torturam poni fecerunt, qui quidem Iacobus, propter eius senium torturae huiusmodi cruciatum supportare non valens, ex illius cruciatu in eisdem carceribus exspiravit, quodque post praemissa idem Pasqualis, qui presbyter est, missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, pluries celebravit ac alias immiscuit se eisdem, irregularitatis propterea maculam incurrendo. Cum autem ... dictus Pasqualis de morte ipsius Iacobi ab intimis doleat et in ea non alias, quam ut praemittitur, culpabilis exsistat, et quod, si tales futuros praecogitasset eventus, interfectorem ipsum nullatenus nominasset, pro parte ipsius Pasqualis Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus, si est ita, eumdem Pasqualem ... ab excessu praedicto ... hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesiae consueta iniunctis *etc.*, et ... secum super irregularitate huiusmodi, et quod in praefatis ordinibus ministrare libere liciteque valeat, eadem auctoritate dispenses. Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VI kal. decembris, ... anno VIII.

1796. Radae, ministrae, et sororibus domus S. Bernardini, Iadren., III O. S. Fr. de poenitentia, indulget, ut in capella dictae domus, ex eleemosynis et piis christifidelium suffragiis de novo canonice constructae, missas et alia divina officia per aliquem sacerdotem, professum O. F. M., virum aetate provectum, celebrari sibique ab eo ecclesiastica sacramenta administrari facere possint (1).

1454, novembris 28, Romae.

Devotionis vestrae sinceritas *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, IV kal. decembris, ... anno VIII.

1797. Mandat, ut confirmet concessionem domus O. F. M. de Wylack, fratribus de observ. factam, eisque mandet, ut domum hanc recipiant (2).

1454, decembris 14, Romae.

Venerabili fratri episcopo Sirmien.

Ut ea, quae pro divini cultus *etc.* Dudum siquidem pro parte dilecti filii nobilis viri Nicolai de Wylack, voyvodae Transsilvan. et loci de Wylack, Quinqueecclesien. dioec., domini et patroni, Nobis exposito, quod, licet in oppido sive loco de Wylack praedicto domus ordinis fratrum Minorum in honorem B. Mariae fundata ab ipsius primaeva fundatione et per multa tempora post per fratres dicti ordinis laudabilis conversationis et famae regi et gubernari consuevisset, nihilominus a pluribus temporibus citra et maxime tunc ipsius ordinis professores in illa degentes suavi iugo Domini et regulari observantia, sub quibus Altissimo famulari deberent, penitus postergatis adeo per omnia vitam ducebant dissolutam, quod loci praefati et illarum partium populi devotio propterea erga fratres praedictos exstincta et deperdita non ambigetur, et ob ea, quae in dies temere iidem fratres committebant, scandala et excessus, maiestatem Altissimi offendentes in scandalum fidelium plurimorum, idem Nicolaus, voyvoda, incolae et habitatores loci et partium eorumdem dictos fratres veluti reprobos in praefata domo amplius moram facere pati aut tolerare non poterant, Nos, ipsius Nicolai in ea parte supplicationibus inclinati, venerabili fratri Nostro episcopo Strigonien. eius proprio nomine non expresso per alias Nostras litteras dedimus in mandatis, ut,

(1) Reg. Lat. t. 489, f. 115.

(2) Reg. Lat. t. 492, f. 123.

si et postquam vocatis modernis guardiano et fratribus dictae domus et aliis, qui forent evocandi, sibi de praemissis legitime constaret, domum praedictam cum omnibus libris, calicibus, ornamentis et paramentis suis guardiano et aliquibus ex fratribus sub observantia regulari eiusdem ordinis viventibus pro eorum usu et habitatione perpetuis amotis exinde aliis fratribus supradictis et ad alia dicti ordinis loca translatis auctoritate Nostra donaret, concederet, appropriaret et assignaret, ita quod liceret guardiano et fratribus observantiae regularis huiusmodi ... domum praedictam auctoritate propria libere apprehendere ac pro eisdem usu et habitatione perpetuo retinere dioecesani loci et cuiuscumque alterius super hoc licentia minime requisita, Nosque, si donationem, concessionem, appropriationem et assignationem praedictas per ipsum archiepiscopum fieri contigerit, quaecumque possessiones et immobilia bona ad ipsam domum legitime spectantia, quorum nomina, cognomina, qualitates, quantitates, designationes et loca ac verum valorem haberi volumus pro expressis, pro quodam in honorem omnium sanctorum et S. Nicolai in eodem loco noviter erigendo hospitali reservari illique applicari concessimus et annecti voluimus ac mandavimus, prout in eisdem litteris plenius continetur (1). Et deinde, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Nicolai petitio continebat, venerabilis frater Noster modernus archiepiscopus Strigonien., ad ipsarum litterarum exsecutionem procedens, illarum forma servata donationem ... fecit ac alias ad ipsarum litterarum totalem exsecutionem processit, prout tam in dictis litteris quam in quodam instrumento publico sive authenticis litteris, dicti archiepiscopi sigillo munitis, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, licet eisdem fratribus conventualibus ab eadem domo amotis et ad alia loca iuxta seriem praedictarum Nostrarum litterarum translatis, dictus Nicolaus voyvoda domum ipsam decentissime reparaverit atque construxerit, nihilominus fratres ipsi de observantia illam recipere recusant, nisi super hoc eis apostolica auctoritate mandetur. Quare pro parte dicti Nicolai *etc.* Nos itaque ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus, si et postquam tibi de donatione ... ac aliis Nobis ultimo expositis et subiunctis huiusmodi legitime constiterit, donationem ... praefatas et illas concernentia ac salubriter et rationaliter per ipsum archiepiscopum vigore dictarum ordinata et inde secuta quaecumque auctoritate Nostra approbes *etc.* Et nihilominus, si confirmationem ... huiusmodi per te vigore praesentium fieri contingat, vicario in eadem provincia constituto et fratribus dicti ordinis de observantia, quod domum praedictam cum ecclesia, campana ... recipiant et retineant ac in ea dicti ordinis fratres iuxta loci et domus huiusmodi decentiam inibi Altissimo famulaturos convenienti numero collocent, ... eadem auctoritate mandare et ipsos in illius possessionem inducere procures. Nos enim, ... quod omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XIX kal. ianuarii, ... anno VIII.

1798. Mandat, ut confirment assignationem ecclesiae S. Andreae de Scopulo de la Sera, prope Rubinum, Parentin. dioec., fratribus O. F. M. de observ., provinciae Dalmatiae, factam (2).

1454, decembris 17, Romae.

Dilectis filiis S. Mariae antiquae intra, et S. Michaelis extra muros Polan. monasteriorum abbatibus ac praeposito ecclesiae de Rubino, Parentin. dioec.

Inter desiderabilia cordis Nostri *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum vicarii et fratrum ordinis Minorum regularis observantiae, provinciae Dalmatiae iuxta morem dicti ordinis, petitio continebat, quod, licet olim dilectus filius Matthaeus de Blondis, abbas monasterii S. Mariae in Rotundo, extra et prope civitatem Ravennat., ordinis S. Benedicti, ecclesiam sine cura S. Andreae in Scopulo de la Sera, prope Rubinum, Parentin. dioec., in partibus Istriae consistentem et ad collationem, provisionem, praesentationem seu quamvis aliam dispositionem abbatis dicti monasterii, dum vacat, pertinentem, nonnullis fratribus ordinis et observantiae praedictorum pro aliquorum ex eis usu et habitatione perpetuis dederit, concesserit et assignaverit, ipsique vicarius et fratres licentia seu facultate recipiendi nonnulla domus et loca, dilecto filio Iohanni de Capistrano, praedicti ordinis professori, per alias Nostras litteras concessa, ecclesiam ipsam receperunt inibique domum cum claustro, campanili, campana, coemeterio et aliis necessariis officinis de christifidelium suffragiis fundaverunt et construxerunt, tamen postmodum praedictus abbas, immemor, ut verisimiliter creditur, praemissorum, etiam postquam fratres ipsi, praedictam ecclesiam assecuti, illa per quatuor annos et ultra inhabitaverant, prout inhabitant, praedic-

(1) V. supra n. 1472, p. 740.

(2) Reg. Lat. t. 489, f. 69.

tam ecclesiam dilecto filio Paulo Michaelis Benitendi, presbytero Polan., contulit et de illa etiam providit, licet de facto, ac subsequenter ad ipsius abbatis notitiam deducto, quod alias ipse dictam ecclesiam cum domibus, aedificiis, hortis, iuribus et pertinentiis praefatis eisdem fratribus concesserat, illam ipsis fratribus, sicut alias fecerat, reservavit et eos in pacifica possessione praefatae ecclesiae esse voluit ac mandavit, prout in diversis instrumentis publicis seu litteris dicti abbatis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dicti fratres, qui praefatam domum pacifice inhabitant, pro eo, quod quamvis de concessione et assignatione eis per dictum abbatem factis praedictis fidem facere valeant, tamen de litteris licentiae seu facultatis Iohanni de Capistrano concessis praefatis propter illius absentiam facere non possint, et ex certis aliis causis dubitent se per praefatum Paulum seu quemvis alium super ecclesia huiusmodi et illius occasione molestari posse tempore procedente, pro parte dictorum vicarii et fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae ... mandamus, quatenus si ... summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta vobis de concessione et assignatione per abbatem factis huiusmodi constiterit, illas necnon, prout ipsas contingunt et rationabiliter processerunt, quaecumque inde secuta approbare et confirmare omnesque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplere et nihilominus pro potiori cautelae suffragio dictam ecclesiam cum domibus, aedificiis, hortis, iuribus et pertinentiis suis alias iuxta formam dictarum eis factarum concessionis et assignationis praefatis vicario et fratribus per aliquos ex ipsis perpetuo tenendam et inhabitandam, iure tamen parochialis ecclesiae ... salvo concedere et assignare, quodque dicta ecclesia et inibi fundata domus ac fratres ... omnibus et singulis privilegiis ... uti et gaudere possint ac debeant, concedere et indulgere et nihilominus, in quantum non appareret seu apparere posset de licentia seu facultate Iohanni de Capistrano concessa praedicta, et propterea vicarius et fratres praefati seu illi ex eis, qui dictam ecclesiam receperunt, excommunicationis seu alia ecclesiastica sententia et censura irretiti censeri possent, eos et ipsorum quemlibet ab excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis ... absolvere et secum super irregularitate, si quam ... contraxerunt, dispensare ... auctoritate Nostra curetis. Non obstantibus *etc.* Seu ne iudices *etc.* Aut si abbati et Paulo *etc.* Contradictores *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XVI kal. ianuarii, anno VIII.

1799. Concedit licentiam fundandi domum O. F. M. de observ. in loco de Valensayo, Bituricen. dioec. (1).

1454, decembris 17, Romae.

Dilecto filio nobili viro Robineto de Stampis, militi, domino loci de Valensayo, Bituricen. dioec.

Pia devotorum Deo et ecclesiae *etc.* Ex tenore siquidem pro parte tua Nobis nuper oblatae petitionis accepimus, quod tu, sincerae devotionis fervore succensus ac de propria salute recogitans, ... ob praecipuae dilectionis affectum, quem ad ordinem fratrum Minorum de observantia nuncupatum gerere dignosceris, unam domum cum ecclesia, campanili ... pro usu et habitatione perpetuis fratrum eorumdem ... in loco de Valensayo, Bituricen. dioec., tuae temporali ditioni subiecto, in parte videlicet ipsius ad hoc congrua et honesta de bonis a Deo collatis construi et aedificari facere desideras et proponis. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi domum cum ecclesia ... aedificari faciendi necnon vicario provinciae Turonen. et aliis eiusdem ordinis de observantia fratribus, qui nunc sunt et erunt pro tempore, illam ad ipsorum opus et usum recipiendi licentiam concedere ... dignaremur. Nos igitur ... devotioni tuae domum cum ecclesia ... aedificari faciendi dictisque vicario et fratribus illam ... recipiendi ... licentiam ... elargimur. Non obstantibus *etc.* Et insuper *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XVI kal. ianuarii, ... anno VIII.

1800. Marco, episcopo Alexandrino, in Romana curia residenti, mandat, ut Paulum de Bononia, O. F. M., qui de licentia ministri provincialis provinciae Bononiae ad monasterium S. Stephani, Bononien., O. S. Ben., transgressus erat, absolvat a censuris et poenis et ei concedat licentiam in praefato ordine S. Benedicti permanendi (2).

1454, decembris 17, Romae.

Sedes Apostolica, pia mater *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XVI kal. ianuarii, ... anno VIII.

(1) Reg. Lat. t. 492, f. 304; Wadd. *Reg. pont.* Nic. V, n. 119.

(2) Reg. Lat. t. 489, f. 138 v.

1801. Catharinae Ambrosii Iohannis, concedit licentiam fundandi domum in loco Podio Fesulan., Fesulan. dioec., et in ea cum aliis mulieribus vivendi sub habitu et regula III O. S. Fr. (1).

1455, ianuarii 4, Romae.

Dilectae in Christo filiae Catharinae Ambrosii Ioannis, mulieris Florentin.

Quia, ut accepimus, toto cordis affectu *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod tu, de propria salute recogitans ac cupiens terrena in caelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare necnon sub habitu et regula tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati Altissimo famulari, quamdam tuam domum in loco, Podio Fesulan. nuncupato, in Fesulan. dioec. consistente, pro usu et habitatione tua ac decem vel plurium aliarum mulierum, quae sub regula et habitu huiusmodi degere voluerint, cum una parva capella necnon decenti habitatione ac necessariis officinis pro te ac mulieribus praedictis amplificari ac construi et aedificari facere proponis, si tibi super hoc per Sedem Apostolicam licentia concedatur. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur ... tibi praefatam domum cum una parva capella et sepultura pro te et dictis mulieribus decedentibus ac aliis necessariis officinis amplificandi, construendi et aedificandi illamque pro te et dictis mulieribus, postquam habitum huiusmodi iuxta ritum dicti ordinis acceperitis, tenendi et inhabitandi ac alias mulieres per te, donec vixeris, ac ministram dictae domus pro tempore exsistentem denuo recipiendi et induendi plenam et liberam licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus necnon te regimini et administrationi domus et mulierum praedictarum, donec in humanis vixeris, praeficimus, statuentes et ordinantes, quod post mortem tuam dictae mulieres aut aliae pro tempore inibi degentes unam ex eis, quae dictae domus nulla tamen appellata seu nominata superioritatis vel dignitatis titulo praeficiatur et praesit, eligere valeant, liceatque tibi et ipsis ac aliis inibi pro tempore degentibus in dicta capella poenitentiae et eucharistiae sacramenta recipere necnon te et illas ad ea alibi recipiendum cogi aut compelli non posse, tuque et dictae mulieres decedentes inibi sepeliri ac omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus et gratiis aliis mulieribus eiusdem ordinis in genere concessis potiri et gaudere valeatis. Et nihilominus venerabili fratri Nostro archiepiscopo Florentino per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, tibi et aliis mulieribus in domo praefata pro tempore commorantibus efficacis defensionis praesidio assistens, non permittat te ac illas contra tenorem praesentium indebite molestari. Contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Aut si *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, pridie nonas ianuarii, ... anno VIII.

1802. Poenas statuit in fratres O. F. M. de observ., qui de cetero domum O. F. M. conventualium aut monasterium eis subiectum occupare praesumerent (2).

1455, ianuarii 6, Romae.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Caesaraugustan. et episcopo Oxomen. ac dilecto filio abbati monasterii de Veruela, Tirasonen. dioec.

Cum ad sacrum fratrum Minorum ordinem, quem merito in visceribus amplectimur charitatis, intuitum dirigimus mentis Nostrae, illum profecto in ecclesia militanti veluti stellam matutinam multis coruscare percipimus insigniis meritorum, unde cum illius professores votiva pacis dulcedine potiuntur, Nos utique in eorum quiete quiescimus, et quando aliquid sinistri inter eos verisimiliter emersurum fore dubitatur, tanto ei accuratius celeriusque obviamus, quanto id prospicimus in Domino salubrius expedire. Transmissa Nobis dilecti filii Iacobi Carcuela, ministri provincialis provinciae Aragoniae secundum morem dicti ordinis petitio continebat, quod, licet olim super diversis quaestionibus, controversiis et dissensionibus, quae inter conventuales et de observantia nuncupatos eiusdem ordinis fratres tam super captione domorum dictorum fratrum conventualium quam etiam monasteriorum aliorumque religiosorum locorum ordinis S. Clarae, quorum moniales sub ipsorum fratrum conventualium cura vivere consueverunt, per praedictos fratres de observantia facta seu verius attentata in plerisque mundi partibus retro fluxis temporibus pluribus vicibus successive subortae fuere, et earum occasione super similibus in antea non attentandis varia et diversa salubria rationabilia et honesta, etiam sub magnis formidabilibusque poenis, inhibitiones et mandata ac aliae ad id, ut credebatur, sufficientes provisiones a Sede Apostolica emanasse noscantur, tamen ex coniecturis verisimilibus dubitatur, ne inhibitionibus, mandatis et aliis provisionibus minime obser-

(1) Reg. Vat. t. 431, f. 121 v.

(2) Reg. Vat. t. 430, f. 255 v.

vatis simili occasione similes quaestiones, controversiae et dissensiones de novo oriantur seu etiam sopitae suscitentur in provincia antedicta, nisi eisdem fratribus conventualibus de ulteriori novoque apostolico desuper adminiculo provideatur opportuno. Nos igitur, illius vestigiis inhaerentes, qui pacem suis reliquit discipulis in discessu, scandalis, quae exinde, quod absit suboriri possent, viam praecludere ac quaestionibus, controversiis et dissensionibus inter conventuales et de observantia fratres praedictos obviare ubilibet cupientes, omnibus et singulis de observantia fratribus huiusmodi et in quibuscumque gradibus, officiis et administrationibus ac tam in praedicta quam in quibusvis mundi provinciis constitutis auctoritate apostolica et ex certa scientia districtius inhibemus, ne per se vel alium seu alios quovis quaesito colore vel ingenio de cetero aliquam, aliquod seu aliquem domum, monasterium seu locum fratrum conventualium aut monialium praedictorum de novo capere nec recipere seu de illa vel illo se intromittere quoquomodo praesumant, alioquin in contrafacientes ac inhibitionis Nostrae huiusmodi transgressores eisque in praemissis quomodolibet dantes auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, cuiuscumque etiam dignitatis fuerint, etiam si pontificali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana dignitate praefulgeant, excommunicationis et in domos transgressorum fratrum huiusmodi interdicti ecclesiastici sententias tenore praesentium ferimus ac etiam promulgamus, ita quod per alium, quam Romanum pontificem sic excommunicati, praeterquam in mortis articulo constituti, ab huiusmodi excommunicationis sententiis absolvi nequeant, neque etiam interdictum huiusmodi suspendi vel totaliter tolli seu etiam relaxari; et insuper vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios praesentes litteras, ubi, quando et quotiens vobis visum fuerit, et desuper fueritis requisiti, auctoritate apostolica praedicta sollemniter publicetis dictisque fratribus conventualibus etiam ubilibet constitutis fortis et efficacis defensionis praesidio eadem auctoritate assistentes, non permittatis illos aut eorum aliquos contra tenorem praesentium quomodolibet molestari aut eis iniurias irrogari. Et nihilominus illos, quos vobis constiterit praedictam excommunicationis sententiam incurrisse, tamdiu in ecclesiis et ecclesiasticis locis, dominicis et festivis diebus, dum maior inibi populi multitudo convenerit ad divina, excommunicatos publice nuntietis, donec ab eadem sententia absolutionis beneficium meruerint obtinere, dictumque interdictum faciatis strictius observari, quousque per Sedem Apostolicam alias desuper fuerit ordinatum. Contradictores quoslibet *etc.*, invocato *etc.* Non obstantibus *etc.* Seu ne iudices *etc.* Aut si fratribus *etc.* Ceterum quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VIII idus ianuarii, ... anno VIII.

1803. Mandat, ut fratribus III O. S. Fr. concedat domum et ecclesiam S. Antonii de Arinigro, loci Atellae, Rapollan. dioec. (1).

1455, ianuarii 11, Romae.

Venerabili fratri episcopo Melfien.

Commissi Nobis apostolicae servitutis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Nicolai de Malsecta, ministri, et aliorum fratrum tertii ordinis S. Francisci de poenitentia nuncupati, apud ecclesiam campestrem S. Antonii de Arinigro extra muros et in territorio loci Atellae, Rapollan. dioec., sitam degentium petitio continebat, quod, cum olim a triginta vel circiter annis citra bon. mem. Lucas, episcopus Rapollan., omnia possessiones et bona dictae ecclesiae, tamquam tunc diutius regimine destitutae ac penitus derelictae, sibi et successoribus suis episcopis Rapollan., qui essent pro tempore, in necessarios eorum et episcopalis mensae Rapollan. usus, tenenda et possidenda reservans, ecclesiam ipsam cum certis illius horto et petia terrae, plantationi vineae accommoda, iuxta eamdem ecclesiam consistentibus nonnullis dicti tertii ordinis fratribus ac eorum ministro, qui tunc erant, et domum sive locum, in qua vel quo vota sua Domino persolvere commode possent, studiose perquirebant, pro ipsorum usu et habitatione perpetuis auctoritate ordinaria concessisset, idem tunc minister et fratres, vigore concessionis huiusmodi ecclesiae, horti et petiae terrae praedictorum possessionem assecuti, necnon deinde alii fratres ipsius ordinis, qui in eis pro tempore successerunt, praedictam ecclesiam, ubicumque reparatione indiguit, de eleemosynis eis oblatis reparari facientes, domum cum refectorio, dormitorio et aliis necessariis officinis pro eisdem [usu] et habitatione apud ipsam ecclesiam episcopo praedicto ac bon. mem. Francisco, eius immediato successore, id libere permittentibus et tolerantibus construi et aedificari fecerunt eaque omnia sic sibi concessa continuo tenue-

(1) Reg. Vat. t. 402, f. 131.

runt et possederunt, prout moderni minister et fratres praedicti tenent et possident de praesenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, minister et fratres moderni praefati dubitent concessionem praedictam pro eo, quod super illa dicti Lucae episcopi litterae non confectae vel, si confectae, casualiter amissae fuisse dicuntur, ac ex certis aliis causis viribus non subsistere, pro parte ipsorum *etc.* Nos igitur ... fraternitati tuae ... mandamus, quatenus de praemissis ... te diligenter informes et ... ecclesiam, hortum, petiam terrae, vineam, domum, refectorium, dormitorium et officinas huiusmodi ministro et fratribus modernis ac eorum successoribus praefatis per eos pro ipsorum usu et habitatione huiusmodi perpetuo tenenda et possidenda ... concedas *etc.*, contradictores *etc.* Non obstantibus *etc.* Nos enim ..., quod ipsi omnibus et singulis privilegiis *etc.* Et insuper *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, III idus ianuarii, ... anno VIII.

1804. Iacobo, episcopo Vigintimilien., in Romana curia residenti, mandat, ut Antonium Pollioli de Orlandinis, O. F. M., qui de licentia sui superioris ad monasterium S. Martini de Arpino, O. S. Ben., Arretin. dioec., transgressus erat, absolvat a censuris et irregularitate eique concedat licentiam in praefato ordine S. Ben. perpetuo remanendi (1).

1455, ianuarii 21, Romae.

Sedes Apostolica pia mater *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XII kal. februarii, ... anno VIII.

1805. Episcopo Mantuan. mandat, ut certam partem possessionis in villa Pomponeschi, Cremonen. dioec., consistentem, quae ad Hieronymum, alias Malatestam, natum Guidonis de Balneo, militis et habitatoris civitatis Mantuan., ante dicti Hieronymi ingressum in domum S. Francisci, Mantuan., O. F. M. regularis observantiae, eiusdemque regularem professionem pertinuerat, donari procuret Iohanni Francisco et Guidoni de Balneo fratribus, filiis dicti Hieronymi (2).

1455, ianuarii 21, Romae.

Sincerae devotionis affectus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, XII kal. februarii, ... anno VIII.

1806. Simoni de Brieyo, O. F. M., de nobili genere procreato, Guillelmi, tit. S. Martini in Montibus presbyteri cardinalis, familiaris et capellanus, qui in conventu de Pontoyse, O. F. M., lector fuerat et Parisiis studuerat et ob rerum inopiam contra infirmitatem guttae, qua persaepe acriter gravabatur, medelas opportunas habere non poterat, concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum (3).

1455, ianuarii 23, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1455, X kal. februarii, ... anno VIII.

1807. Concedit indulgentias pro perfectione ecclesiae S. Bernardini, civitatis Venetiarum, O. F. M. de observ. (4).

1455, februarii 1, Romae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Licet is *etc.* Cupientes igitur, ut domus beati Iob, civitatis Venetiarum, ordinis fratrum Minorum regularis observantiae, seu illius ecclesia vel capella, quam nuper nonnulli cives dictae civitatis et inter alios dilectus filius Christophorus Mauro, nobilis eiusdem civitatis, procurator S. Marci ac dilectorum filiorum dominii Venetorum ad Nos ambasiator exsistens et pro huiusmodi gratia obtinenda interveniens ac supplicans, ex zelo devotionis, quem tam ad dictum ordinem quam etiam ad S. Bernardinum gerunt, post canonizationem dicti sancti per Nos factam in suis structuris et aedificiis ampliare coeperunt ac sub vocabulo et titulo beati Bernardini consecrari fecerunt, pro structuris et aedificiis huiusmodi ad optatum finem deducendis, quae non parvas requirunt expensas, ad quarum supportationem christifidelium suffragia sunt permaxime opportuna, mediantibus suffragiis huiusmodi celerius perficiatur, ... universis utriusque sexus fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui in diebus epiphaniae Domini et nativitatis B. Mariae virginis, genitricis D. N. I. C., et in festo praedictorum apostolorum Petri et Pauli ac B. Bernardini confessoris praefatam ecclesiam seu capellam devote visitaverint annuatim et ad perfectionem aedificiorum huiusmodi manus porrexerint adiutrices, quolibet dierum praedictorum septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, kalendis februarii, ... anno VIII.

---

(1) Reg. Lat. t. 489, f. 45 v. Eodem die litteris *Hodie pro parte Antonii Pollioli* episcopo Vigintimilien. et abbati monasterii S. Bartholomaei de Cappiano ac plebano plebis S. Mariae de Piscia, Lucan. dioec., mandat, ut eidem Antonio Pollioli de Orlandinis conferant perpetuam capellaniam ad altare S. Donati, situm in ecclesia S. Crucis de S. Cruce, Lucan. dioec. Ibid. f. 47.

(2) Reg. Lat. t. 445, f. 67 v.

(3) Reg. Vat. t. 402, f. 291 v.

(4) Reg. Vat. t. 431, f. 192 v.

1808. Philippo de Luna, fratri hospitalis S. Iohannis Hierosolymitan.; reservat praeceptoriam hospitalis S. Iohannis Hierosolymitan., villae de Anyco (?), Tirasonen. dioec., vacantem per ingressum Martini Diaz, praeceptoris, in domum S. Francisci Assisinat., O. F. M. (1).

1455, februarii 20, Romae.

Nobilitas generis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, X kal. martii, ... anno VIII.

1809. Abbati monasterii S. Theodori in Scuria, Duracen. dioec., mandat, ut monasterio S. Donni, O. S. Ben., Duracen. dioec., quod iamdudum multis retroactis annis Teucrorum invasione bonis spoliatum necnon abbate et monachis destitutum ac in parte collapsum est, in abbatem praeficiat Martinum Pauli Xana de Duratio, O. F. M., pro quo nobilis vir Musachus Tupia, dominus nonnullarum partium Albaniae, monasterium illud reparare intendens, supplicaverat (2).

1455, martii 7, Romae.

Sollicitae considerationis indagine *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, nonis martii, ... anno VIII.

1810. Committit causam appellationis fratrum conventualium O. F. M. circa domum Castri Radulphi, Biturícen. dioec. (3).

1455, martii 8, Romae.

Dilectis filiis scholastico et Petro Sallat, canonico ecclesiae Aurelianen., ac officiali Aurelianen.

Humilibus supplicum votis *etc.* Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guillelmi de Wallerellonis, provincialis ministri, et Iohannis Britonelli, generalis procuratoris, provinciae Turonen. secundum morem ordinis fratrum Minorum, petitio continebat, quod, licet domus villae Castri Radulphi, dicti ordinis, Biturícen. dioec., quae infra provinciam secundum morem huiusmodi consistere perhibetur, iuxta dicti ordinis regularia ordinationes et instituta rationabiliter ac canonice edita necnon per diversos Romanos pontifices, praedecessores Nostros, successive approbata et confirmata hactenusque inviolabiliter et inconcusse observata, etiam a tanto tempore citra, cuius contrarii hominum memoria non exsistit, una cum guardiano aliisque fratribus pro tempore degentibus in eadem sub provincialis ministri praedictae provinciae pro tempore exsistentis obedientia, correctione, visitatione et punitione exsistere ac sub illis feliciter ac laudabiliter regi et gubernari consueverunt, nec aliqua subesset causa rationabilis, propter quam domus antedicta ab huiusmodi obedientia, correctione, visitatione et punitione subtrahi deberet, tamen dilecto filio nobili viro Guidone de Caliniaco, vicecomite de Brossa villaeque antedictae domino, Nobis minus veraciter suggerente, quod, licet ipse ab olim domum praedictam, a suis praedecessoribus fundatam, tunc tamen in divino cultu quam in suis structuris et aedificiis incommoda multa patientem, auctoritate quondam Guillelmi de Casali, dicti ordinis ministri generalis, reformari et in illa dilectum filium Nicolaum Guidonis, dicti ordinis professorem, guardianum deputari procurasset, ipseque guardianus et alii fratres in eadem domo eatenus commorati fuissent, nihilominus tamen nonnulli eiusdem domus et alias (!) dicti ordinis fratres conventuales, in praefata domo interesse habere praetendentes, guardianum et fratres omnes in ea degentes super eadem domo molestaverant ac multipliciter perturbaverant, inter alia praefatos fratres de observantia ab eadem domo removeri et expelli illamque sibi restitui ac ea occasione capta coram diversis iudicibus in causam traxerant et alias fecerant et faciebant, quominus guardianus et degentes cum eo fratres praefati in eadem domo quiete residere et circa divinum officium et contemplationem piae vitae vacare possent. Nos, huiusmodi suggestionibus circumventi, per alias Nostras litteras (4) inter cetera statuimus et ordinavimus, quod perpetuis futuris temporibus vigeret et teneretur dicta observantia regularis et quod domus praenominata per fratres ordinis de observantia huiusmodi inhabitaretur, districtius inhibentes, certis desuper exsecutoribus deputatis, qui, praedictis intrusis fratribus assistentes, non permitterent eos contra dictarum litterarum tenorem molestari, contradictores *etc.* Postmodum vero, cum venerabilis frater Noster archiepiscopus Turonen., unus ex praedictis exsecutoribus praedictis sibi praesentatis litteris, prout ex earum forma se posse dicebat, illas provinciali et procuratori praedictis non vocatis seu citatis legitime, sed absentibus, non per contumaciam, publicasset in contradictores quoslibet diversas sententias, censuras et poenas ecclesiasticas promulgando, pro parte provincialis et procuratoris eorumdem, sentientium

(1) Reg. Vat. t. 431, f. 36.
(2) Reg. Vat. t. 492, f. 116.
(3) Reg. Vat. t. 431, f. 140 v.
(4) V. supra n. 1647, p. 820.

exinde indebite se gravari, quamprimum praemissa ad ipsorum pervenerint notitiam, fuit ad Sedem Apostolicam appellatum Nobisque humiliter supplicatum, ut causam appellationis huiusmodi et negotii principalis aliquibus probis viris in partibus illis committere ac alias *etc.* Nos igitur ... discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum vocatis vicecomite, guardiano et fratribus praedictis ac aliis, qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis quod iustum fuerit appellatione remota decernatis, facientes *etc.* Testes autem *etc.* Non obstantibus *etc.* Aut si *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, VIII idus martii, ... anno VIII.

1811. Fraustino Silvestri de Urbe, O. F. M., concedit facultatem recipiendi beneficium ecclesiasticum [1].

1455, martii 11, Romae.

Religionis zelus *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno ... 1454, V idus martii, ... anno VIII.

---

[1] Reg. Vat. t. 402, f. 211 v. Videtur eadem esse bulla, quae ponitur supra n. 1749, p. 867, ubi tamen pro *Fraustino* legitur *Francischinus*.

ADDENDA.

EUGENIUS IV.

1812. Statuit ut nomen Iesu, quod antea in altari maiori ecclesiae S. Petronii, Bononien. depictum, sed postea deletum est, de novo pingatur (1).

1431, Iulii 1, Romae.

1) *Dilectis filiis officialibus ecclesiae S. Petronii, Bononiae.*

Dil. filii sal. Susceptis nuperrime litteris vestris eisque plenarie intellectis, quid de deletione nominis Iesu litteris aureis in tabula quadam picti factum sit quidve inde secutum et quid subsequi possit, magna Nobis displicentia mentis suborta est, considerantibus, quam leviter id actum exstiterit, super quo Apostolica Sedes prorsus consuli debuit, quid faciendum super id decerneret, cum res gravissima foret, et quanta ex hoc scandala occurrere possint. Proinde attentis plurimis volumus et Nostrae intentionis exsistit, ut supra imaginem Crucifixi in praefata tabula pictum nomen Iesu in quantitate conformi picturae Crucifixi cum litteris aureis, ut prius erat, sollemniter (2) de novo pingatur. Sin autem parvum spatium desuper esset (3), ut huiusmodi conformitas fieri (4) non possit, fiat alia tabula, ubi imago Crucifixi et nomen Iesu desuper pictum (5) in magnitudine conformes (6) sint, et ponatur super illo altari, in quo prius erat. Et ita fieri et observari volumus et mandamus, donec aliud deliberatum exstiterit.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo capitis principis apostolorum, die 1 iulii, ... anno I.

2) *Dilectis filiis consulibus, antianis et praeposito iustitiae populi civitatis Nostrae Bononiae.*

Dil. filii sal. Susceptis nuper litteris vestris, quid de deletione nominis Iesu, litteris aureis in quadam tabula picti in altari maiori S. Petronii Bononiae positi, factum quidve secutum sit et quid inde emergere possit continentibus, ipsae Nobis maximam displicentiam mentis attulerunt. Intuemur enim quam levissime et temerarie id actum exstiterit, cum prorsus res gravissima et magni ponderis esset. Debebat quidem prius Apostolica Sedes consuli, quid decerneret super id fiendum, cum teste apostolo in nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum, antequam de deletione quidquam attentaretur, ne scandalum aliquod eveniret. Ceterum hoc in contrarium cessit. Res enim prius ante deletionem huiusmodi nominis sancti in pace et tranquillitate manebat; qua deletione absque licentia et consultatione Sedis praedictae de facto cum magna levitate et temeritate auctore criminis procurante secuta tranquillitas pacis abiit et rixae ac scandala exorta sunt, et ne maiora sequantur, [verendum est]. Proinde Nos attentis plurimis volumus *etc. (ut in praec.)* ...

Datum, *ut supra.*

3) *Dilecto filio Ludovico de Pisis, ordinis Praedicatorum professori, inquisitori.*

Dil. fil. sal. Suscepimus nuperrime litteras tuas cum maxima displicentia mentis, in quibus asseris, quod nomen Iesu cum litteris aureis in quadam tabula pictum super altari maiori ecclesiae S. Petronii, Bononiae, posita deleri omnino effeceris ibique depingi imaginem Crucifixi, quod Nobis admirationem maximam attulit. Dic enim qua caecitate ac levitate quave temeritate ductus tam sanctissimum et excellentissimum nomen aboleri fecisti, quod plurimis annis ibidem depictum in magna veneratione, in pace et tranquillitate, absque aliquo scandalo

---

(1) E *Vie de Saint Bernardin de Sienne.* Texte latin inédit du XV^{e} siècle publié par le P. Ferdinand-Marie d'Araules, O. F. M., Rome, 1906, p. 31-33; Van Ortroy, *Vie inédite de S. Bernardin de Sienne,* in *Analect. Bolland.* XXV, 1906, 328-331. Haec brevia, etsi nullam faciunt mentionem Bernardini de Senis, O. F. M., tamen ad eius labores pro propagatione cultus SS. Nominis Iesu referuntur.

(2) In n. 2: *honorifice* pro *sollemniter.*

(3) In n. 2: *foret* pro *esset.*

(4) In n. 2: *quantitatis conformitas haberi* pro *conformitas fieri.*

(5) In n. 3: *pictum nomen Iesu* pro *nomen Iesu desuper pictum.*

(6) In n. 2: *conformia in magnitudine* pro *in magnitudine conformes.*

exstitit? Nunc vero ex huiusmodi deletione facta te operam dante magna scandala exorta sunt, et ne maiora exinde proveniant, verendum est. Nonne in hac re cum gravissima foret, prius Apostolica Sedes consuli debuit, quid super id fieri decerneret, quam tam temerarie aliquid attentare? Qua severitate disciplinae temeritas tua plecti deberet? Qui recte intelligit, bene novit, cum in nomine Iesu, teste apostolo, omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum, et te auctore cum maximo vituperio et ignominia deletum sit. Proinde volumus *etc. (ut supra).*

Datum, *ut supra.*

1813. Fratres domus insulae Daxae, O. F. M. obs., concedit exemptionem a iurisdictione ministri provinciae Dalmatiae eosque subiicit vicario Bosnae (1).

1435, aprilis 11, Florentiae.

Dilectis filiis guardiano et fratribus domus insulae Daxae, ordinis fratrum Minorum, Ragusin. dioec.

Sacrae religionis zelus *etc.* Sane pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, licet vos hactenus in domo insulae Daxae, ordinis fratrum Minorum, Ragusin. dioec., in qua nullae aliae habitationes exsistunt, sub vitae castimonia et regulari observantia die ac nocte divina ibidem continuando officia laudabiliter permanseritis et maneatis etiam de praesenti, tamen provincialis provinciae Dalmatiae secundum morem dicti ordinis et nonnulli alii ipsius ordinis fratres, etiam diversis illius officiis fungentes, ad quorumdam virorum malevolorum suggestionem vos de domo praedicta ad alias praefati ordinis domos transferre ac alias diversimode molestare et alios fratres in ea ponere non sine vestri status perturbatione et detrimento divinique cultus diminutione satagunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, vos in domo praedicta sub huiusmodi observantia Domino concedente continuare proponatis, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum *etc.* Nos igitur, in praemissis illo volentes vobis remedio succurrere, per quod huiusmodi inquietationibus et molestiis a vobis penitus semotis quietum et tranquillum sub huiusmodi observantia valeatis in domo praedicta Altissimo huiusmodi reddere famulatum, huiusmodi supplicationibus inclinati, vos necnon omnes et singulos in domo praedicta pro tempore degentes fratres interim, quod in dicta observantia permanebitis, ac dictam domum ab omni dominio, potestate, superioritate, obedientia et iurisdictione provincialis provinciae huiusmodi ac aliorum dicti ordinis fratrum quibuscumque illius officiis fungentium, praesentium et futurorum, generali praefati ordinis ministro dumtaxat excepto, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo eximimus et penitus liberamus necnon sub cura, regimine, gubernatione et correctione vicarii pro tempore exsistentis provinciae Bosnae secundum morem huiusmodi ordinis post generalem praedictum huiusmodi observantia durante, ita tamen, quod vobis et fratribus pro tempore praedictis sit libera facultas idoneum quemcumque malueritis dicti ordinis professorem in praefatae domus guardianum, quotiens expediens fuerit, eligere, qui quidem sic electus per dictum vicarium dumtaxat confirmari debeat ac possit, quodque quoscumque clericos, saeculares aut laicos, domum ipsam ingredi volentes, in ea recipere ac ipsis habitum regularem dicti ordinis exhibere eosque ad regularem ipsius ordinis professionem admittere libere et licite valeatis, eadem auctoritate prorsus submittimus pariter et subiicimus, districtius inhibentes quibuscumque praefati ordinis, etiam provincialatuum et aliis quibusvis officiis fungentibus huiusmodi, ne contra exemptionem et liberationem et alia praemissa, donec observantia in domo huiusmodi perdurabit, venire quoquomodo audeant vel praesumant, ac decernentes omnes et singulos processus, sententias ac poenas, quos contra praedicta imposterum forsan quomodolibet haberi contigerit, irritos et inanes ac nullius exsistere roboris vel momenti. Et nihilominus vobis ac fratribus pro tempore degentibus praefati ordinis dicta durante observantia, ut omnibus et singulis privilegiis *etc.* Non obstantibus *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1435, III idus aprilis, ... anno V.

1814. Mandat, ut per se et alios, praesertim per fratres O. F. M., provinciae Bosnae, exerceat curam pastoralem in terris Moldaviae (2).

1439, septembris 15, Florentiae.

Venerabili fratri Benedicto, episcopo Zeverinen.

Provida sanctae Sedis Apostolicae cura *etc.* Hac itaque sancta ex provisione perinde ac ex

(1) Ex archivo Capistrani, ex originali bulla 15 I 15. Cf. supra n. 1691, p. 839.

(2) P. Eusebius Fermendzin, *Acta Bosnae,* Zagrabiae 1892, p. 175, e Tabulario conventus fratrum Minorum Kolosvarien., editum in *Magazin für Geschichte Siebenbürgens,* v. Anton Kurz, II. Bd, p. 26-28. - Szabó Károly, *Székely Okmanytár,* Kolosvar 1872, I köt. p. 42.

ea etiam principaliter ratione, ut ipsa salvifica ac pura Domini nostri Iesu Christi fides inter eosdem paganos, infideles, schismaticos ac haereticos fructiferas capere possit salutis propagationisque radices, salubriter non minus ac pie instituti fuere iam ab olim diversissimis in terrae huius mundanae oris episcopatus, inter quos sane non ultimus erat ille, quem in terra Moldaviae, ob terrae illius vastitatem et christifidelium incommodam nimis dispersionem praeter antiquiorem Ceretensem, ab initio praesentis saeculi iam vacantem et cum gravi christifidelium iactura ne de praesenti quidem restaurabilem, in terrae illius metropoli Bachoviensi sancta Bonifatii, huius nominis IX, pontificatus sui anno III, sollicitudo erexit ac pia Iohannis, huius nominis pontificis XXIII, pontificatus sui anno IV, liberalitas variis excoluit ornavitque indultis praerogativis. Cum tamen sedes haec episcopalis de praesenti vacare dignoscatur, exindeque maxima oriantur incommoda, quinimo et animarum iactura eo magis extimescenda sit, cum non solum ipsa terra Moldaviae, in qua Graecana haeresis quoquo die magis ac magis pullulare dicitur, sed et finitimi huic terrae Ciculi partesque transalpinae deficientibus iisdem in oris etiam fratribus ordinis Minorum, ecclesiasticarum personarum inopia vel maxime periculoso hoc tempore laborent, hinc fraternitati tuae auctoritate apostolica serio iniungimus, ut eousque etiam, donec adiuvante divino auxilio, de quo ocius restaurando sive episcopatu Ceretensi sive vero Bachoviensi cum dilecto filio nostro Ladislao, illustri rege Poloniae, subiectoque eidem Elia, palatino Moldaviae, per apostolica scripta providere poterimus, curam pastoralem terris in supramemoratis per te et alios, quos ad id idoneos et sufficientes putaveris, et signanter per fratres Minores de regulari observantia, provinciae Bosnensis, sollerter et sine mora exerceas et exerceri facias nec secus sub gravi apostolica huius Sedis indignatione et censura feceris; super quibus tamen omnibus plenam et omnimodam tenore praesentium tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem.

Datum Florentiae, anno ... 1439, XVII kal. octobris, ... anno IX.

1815. Concedit ecclesiae B. Mariae extra muros civitatis Feren., a Nicolao, marchione Esten. aedificatae, in festo assumptionis B. Mariae a primis vesperis usque ad secundas vesperas in perpetuum illam indulgentiam ac plenam suorum peccaminum remissionem, quam visitantes ecclesiam B. Mariae in Portiuncula, alias dictam de Angelis, extra muros Assisinat., prima die mensis augusti quomodolibet consequuntur (1).

1440, februarii 22, Florentiae.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis.

Etsi quaelibet pia loca *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1439, IX kal. martii, ... anno IX.

1816. Universis praelatis ecclesiae, viris nobilibus, comitibus, marchionibus, baronibus et regibus mandat, ut fratres ordinis Minorum de observantia nuncupatorum, vicariae Bosnae, deputandos per fratrem Dionysium de Wylak et fratrem Iohannem de Waya, vicarium Bosnae, ad regna Scythiae et aliarum partium quarumcumque nationum circumstantium proficiscentes iuvent, permittentes ipsos in accessu, transitu et discessu cum eorum libris, pannis et rebus omnibus libere transire (2).

1440, iulii 30, Florentiae.

Cum ob salutem fidelium *etc.*

Datum Florentiae, anno ... 1440, III kal. augusti, ... anno X.

1817. Mandat, ut monasterium S. Sebastiani, O. S. Cl., extra muros Alatrin., suppresso ordine praedicto in eodem incorporet mensae capitulari ecclesiae Alatrin. (3).

1441, augusti 26, Florentiae.

Dilecto filio abbati monasterii Casamarii, Verulan. dioec.

In eminenti Apostolicae Sedis specula *etc.* Sane pro parte venerabilis fratris Nostri .. episcopi et dilectorum filiorum capituli Alatrin. Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod facultates ecclesiae Alatrin., in qua decem et octo canonici praebendati fore noscuntur, adeo tenues sunt et exiles, quod illius supportatis oneribus episcopo et capitulo cedentes fructus, redditus et proventus ducentorum et quinquaginta florenorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedant, ex quibus episcopus et capitulum praedicti decenter vivere et alia eis incumbentia onera

(1) E copia Capistrani asservata, notariorum manibus confirmata.

(2) *Acta Bosnae*, ed. P. Eusebius Fermendzin, Zagrabiae, 1892, p. 179. ex exemplo asservato in tabulario conventus Gyöngyösien., O. F. M., provinciae SS. Salvatoris in Hungaria. De Dionysio de Wylak cf. supra n. 868, p. 416; de Iohanne de Waya n. 425, p. 198.

(3) Ex instrumento conservato in archivo capitulari Alatrin., edito a C. Scaccia-Scarafoni, apud *Archivio della R. Società Romana di Storia Patria*, vol. 41, Roma 1918, pag. 247. Cf. supra n. 1652, p. 822.

commode nequeant supportare, quodque extra muros civitatis Alatrinae quoddam sub vocabulo S. Sebastiani, ordinis S. Clarae, exstat monasterium, quatuor dumtaxat habens moniales, quarum una carnis sectando illecebras ab illo vaga discessit et de incontinentia aliarum trium apud bonos et graves tantus rumor exsistit, quod tempore procedenti mulier laudabilis famae, ut ibi suam pudicitiam Domino consecret, monasterium ipsum intrare verisimiliter non curabit. Et sicut eadem petitio subiungebat, si praefatum monasterium in eo monasterii et ipsius abbatissalis dignitatis nominibus ac dicto ordine suppressis penitus et exstinctis cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ipsi ecclesiae in perpetuum incorporaretur, annecteretur et uniretur, ex hoc non solum episcopo et dilectis filiis canonicis et personis ecclesiae huiusmodi uberior succederet provisio, sed etiam in ipsa ecclesia praefatus cultus evidens susciperet incrementum. Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, ... discretioni tuae ... mandamus, quatenus super praemissis ... te diligenter informes et ... monasterium praedictum, etiam si exemptum et praefatae Sedi immediate subiectum ac ex quavis causa dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservatum exsistat, illius et praefatae dignitatis nomina ac dictum ordinem praefata auctoritate supprimas in eo penitus et exstinguas illisque suppressis et exstinctis ipsum monasterium, cuius fructus, redditus et proventus viginti quatuor florenorum auri similium secundum aestimationem praedictam valorem annuum, ut ipsi episcopus et capitulum asserunt, non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis mensae capitulari praefatae ecclesiae in augmentum dumtaxat quotidianarum distributionum, canonicis et personis praefatis in ipsa ecclesia divinis officiis interessentibus cedentium, in perpetuum incorpores, unias et annectas, ita quod liceat capitulo per se vel alium seu alios possessionem corporalem monasterii iuriumque et pertinentium praedictorum auctoritate propria libere apprehendere eiusque fructus, redditus et proventus percipere et levare ac in usus dumtaxat canonicorum et personarum in dicta ecclesia divinis officiis interessentium huiusmodi iuxta providam ordinationem episcopi et capituli praedictorum desuper faciendam convertere et perpetuo retinere dioecesani loci *etc.*, non obstantibus *etc.* Volumus tamen, quod, si locus vel loca regularia praefati ordinis fuerunt, in quo seu quibus voluntariae praefatarum monialium receptatrices reperiantur, ad illum seu illa, prout reperientur, dictae moniales per te eadem auctoritate transferantur, alioquin quoad vixerint, in dicto monasterio vel aliquo alio congruo atque honesto loco ad illud pertinente sustineantur ac eis de vitae et victus necessariis per eosdem capitulum secundum tuam providam ordinationem congrue provideatur, proviso, quod ecclesia dicti monasterii debitis propterea non fraudetur obsequiis et velut haereditas ad profanos usus non redigatur, sed consueta onera congrue supportentur.

Datum Florentiae, anno ... 1441, VII kal. septembris, ... anno XI.

1818. Petit, ut faveant Dionysio de Wylak, O. F. M., eiusque sociis ad partes Scythiae et Moldaviae proficiscentibus [1].

1442, iulii 1, Florentiae

Universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, archipresbyteris et aliis ecclesiarum praelatis eorumque vicesgerentibus ac capitulis et conventibus et aliis personis ecclesiasticis, Cisterciensibus, Cluniacensibus, Praemonstratensibus, sanctorum Benedicti et Augustini ac aliorum quorumcumque ordinum necnon magistris et praeceptoribus ac fratribus hospitalis S. Iohannis Ierosolymitani et beatae Mariae Theutonicorum, dilectis quoque filiis nobilibus viris, marchionibus, comitibus et baronibus ac aliis nobilibus potentibus, insuper capitaneis, actoribus, consulibus, antianis, populis, communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum ac universis et singulis christifidelibus, ad quos praesentes advenerint.

Cum ob salutem fidelium christianorum et conversionem infidelium, haereticorum et schismaticorum ac aliarum nationum, quae sanctum nomen Domini et fidei catholicae veritatem non agnoscunt, dilectum filium fratrem Dionysium de Wylak, ordinis Minorum, commissarium Nostrum, cum multis fratribus, suis sociis, ordinis Minorum, ad partes Scythiae et Moldaviae ac alia loca praesentialiter transmittamus, Nos, cupientes eos et quemlibet eorum in locis, civitatibus et terris, ubi fructum in Ecclesia Dei afferre posse cognoverint, verbum Dei praedicare, domos seu monasteria erigere et alia,

[1] *Acta Bosnae*, ed. P. Eusebius Fermendžin, Zagabriae 1892, p. 179: « ex exemplo in tabular. prov. SS. Salvatoris fratrum Minorum Gyöngyösien ». Cf. supra n. 1816, p. praec.

